R. P. F. VINCENTII

CANDIDI

ORD. PRÆDICATORVM,


SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRI,
SANCTÆ ROMANÆ, AC VNIVERSALIS
Inquiſitionis Qualificatoris, necnon Sanctiſſimi Domini
noſtri in Alma Vrbe Pœnitentiarij,

ILLVSTRIORVM DISQVISITIONVM MORALIVM,

TOMVS SECVNDVS,

EX SACRIS CANONIBVS ET PROBATIS Doctorum ſententijs,

AD INSTRVCTIONEM CONFESSARIORVM, ET POENITENTIVM.



LVGDVNI,
Sumptib. IACOBI & PETRI PROST.
M. DC. XXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

FACVLTAS R. P. F. NICOLAI RODVLFII, totius Ordinis Prædicatorum Magiſtri Generalis.

DISQVISITIONES morales per adm. R. P. ſacræ Theologiæ Magiſtrum Fr. VINCENTIVM CANDIDVM, noſtri Ordinis Prædicatorum in Romana Prouincia Priorem Prouincialem elaboratas, & à tribus è noſtris Theologis Magiſtris de ſpeciali noſtra commiſſione diligenter perpenſas, ac, velut dignum authore ſuo opus, magna cum doctrinæ, ſinceritatis, ſoliditatis, & eruditionis commendatione approbatas, in lucem dari, quantum noſtra intereſt, concedimus; eidémque authori in ſanctæ Obedientiæ meritum mandamus, vt illas in publicam vtilitatem quàm primùm excudi curet. In quorum fidem his ſigillo noſtro munitis manu propria ſubſcripſimus. Romæ in Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam, die 28. Februarij 1637.

Fr. NICOLAVS RODVLFIVS, *Magiſter Ordinis Præd.*

Fr. IGNATIVS CIANTES, *Magiſter Prouincialis Angliæ, & Socius*, &c.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſſimo P. M. S. P.
A. TORNIELLVS VICESG.

OPVS Diſquiſitionum moralium duobus tomis comprehenſum, ſumma cura elaboratum ab adm. R.P.F. VINCENTIO CANDIDO, S.Th. Magiſtro, Prouinciali Romano Ordinis Prædicatorum, S. Officij de Vrbe Qualificatore, ex commiſſione Reuerendiſſimi P. Magiſtri ſacri Palatij Fr. Nicolai Riccardij, qua potui diligentia vidi, & expendi vndequaque ſalutaribus pharmacis eſſe inſtructum ad medendum contritis corde, feliciter ex arcanis ſacrorum Canonum, & Doctorum inteſſellatum, & indefeſsè elaboratum, candida doctrina exornatum in quacumque quam tractat morali materia, à candido Doctore candidis lectoribus exhibitum. Nullum ibi næuum in rebus Orthodoxæ fidei, vel morum deprehendi. Omnino tuta, & digna quæ publici iuris fiant ad directionem Confeſſariorum & pœnitentium. Romæ in Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam, die 25. Martij 1637.

Sic cenſeo ego Fr. Dominicus Grauina, S.Th. M. Ordinis Præd. Theologus, Cur. Archiepiſc. Neapol. S. Officij Conſultor, primam S.Th. Cathedram Regens in Reg. Vniuerſitate.

Opus aureum à R. P. M. Grauina probatum, & à me ipſo, quantum per tempus licuit, recognitum, aſſentior vt imprimatur.

Fr. NICOLAVS RICCARDIVS, *Sac. Pal. Apoſt. Mag.*

Digitized by Google

Iudicium admodum R. P. F. Abraham Bzouij, S. Th. Magiſtri, Hiſtoriographi poſt Baronium Eccleſiaſtici.

SI quis Theologicus Hercules animorum monſtra (quæ delicta & ignorantias iuuentutis ac ſenectutis lubet appellare) radio illuſtriore detexit, clauáque iudicij candida & vinci neſcia vicit, calcauit, oppreſſit; maximè adm. R.P.F. VINCENTIVS CANDIDVS, S Th. Magiſter, in Baſilica Liberiana Romæ ſcrutandis conſcientiis & peccatis pœnitentium magna cum authoritate Præfectus, data in lucem caſuum conſcientiæ Diſquiſitione, docta candido radio abſcondita tenebrarum cordis illuminare, ſpiritus, cogitationes, intentionéſque animæ diſcernere, ac viuo ſermone, planè diuino, efficaci & penetrabiliore omni gladio ancipiti vſque ad diuiſionem animæ pertingere, ſerpentémque tortuoſum, aſpidem, baſiliſcum, & draconem conculcare. Qua ego ex commiſſione Reuerendiſſimi P. Magiſtri Generalis F. Nicolai Rodulfij Ordinis Prædicatorum attentiùs peruoluta ita teſtabar Romæ die 10. Ianuarij 1635.

F. ABRAHAM BZOVIVS *Ord. Præd.*

SAPIENTISSIMI P. Magiſtri F. VINCENTII CANDIDI, Prouinciæ Romanæ Ordinis Prædicatorum Prouincialis, & Vniuerſalis Inquiſitionis Qualificatoris, Diſquiſitiones morales perlegi; & dum ex mandato Reuerendiſſimi Patris noſtri Fratris Nicolai Rodulfij, ſacræ Theologiæ Profeſſoris, & totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri munus Cenſoris ſubeo, diſquirens diligenter an vel minimum erratum irrepſerit, quod floridiſſimis ingeniis accidere ſolet; nihil fidei Catholicæ incongruum, nihil bonis moribus contrarium, nihil à veritate alienum reperi; ſed plurima, quæ in ſacris Canonibus obſcura videbantur, luce perfuſa, peruia aſpexi, ſelectiſſimaque ex claſſicis in dubium vocata, facili, & firma ſententia enodata ſuſpexi, omnia denique ſacramenti Pœnitentiæ Miniſtris perutilia iudicaui, & vt prælo in bonum publicum edatur neceſſarium. Romæ die 20. Martij 1637.

Fr. FRANCISCVS DE ARAGON.

ILLV

ILLVSTRIORVM DISQVISITIONVM MORALIVM,

QVIBVS OMNES CASVS CONSCIENTIÆ, maximè practicabiles explicantur,

VOLVMEN II.

DISQVISITIO XXIV.

De Confeſſione Sacramentali.

ARTICVLVS I.

Quid ſit Confeſſio Sacramentalis.

SVMMARIVM.

1. *Probatur non eſſe bonam definitionem Confeſſionis.*
2. *Dubitatio reſoluitur explicando deſcriptionem Confeſſionis.*
3. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur; explicando, An Confeſſio Sacramentalis poſſit fieri Clerico non Sacerdoti, vel laico; &, An hoc facientes incurrant irregularitatem?*
4. *Quomodo debeat intelligi, quod in extrema neceſſitate poſſimus cuicumque Laico, vel non Sacerdoti, confiteri peccata?*

I. *Probatur non eſſe bonam definitionem Confeſſionis.*

VIDETVR quod inconuenienter Confeſſio ſacramentalis definiatur à Theologis ſic: *Confeſſio ſacramentalis eſt legitima, & ſacramentalis accuſatio de propriis peccatis facta Sacerdoti ad obtinendam remiſſionem peccatorum per abſolutionem.* Nam enim Laicus in caſu ſaltem neceſſitatis, cùm copia videlicet non ſuppetit Sacerdotis, poteſt excipere Confeſſionem ſacramentalem: Quia ſicut Sacramentum Baptiſmi neceſſarium eſt ad ſalutem nondum renatis, iuxta illud Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Ita etiam Sacramentum Confeſſionis lapſis: ſed propter Baptiſmi neceſſitatem laicus etiam poteſt eſſe illius Miniſter extraordinarius in caſu neceſſitatis, licèt Sacerdos ſit Miniſter eius ordinarius: Ergo ſimiliter poteſt in caſu neceſſitatis Laicus eſſe Miniſter extraordinarius ſacramentalis Confeſſionis: ergo non eſt de neceſſitate ſacramentalis Confeſſionis, quod fiat Sacerdoti: ergo deſcriptio aſſignata ſacramentalis Confeſſionis eſt deficiens, non exprimens quis namque poſſit eſſe Miniſter extraordinarius ſacramentalis Confeſſionis. Confirmatur: Nam D. Thomas 3. *p. in Addit. q. 8 art. 2. ſolutione ad 1. argumentum* inquit, quòd Confeſſio facta Laico ex deſiderio Sacerdotis ſacramentalis eſt quodammodò, quamuis non ſit Sacramentum perfectum, quia deeſt ei quod eſt ex parte Sacerdotis: ergo ſacramentalis Confeſſionis ſaltem imperfectè Miniſter extraordinarius poterit eſſe laicus: ergo deſcriptio ſacramentalis Confeſſionis eſt deficiens.

II. *Dubitatio reſoluitur explicando deſcriptionem Confeſſionis.*

Dico deſcriptionem Confeſſionis ſacramentalis aſſignatam eſſe optimam. Probatur explicando ſingulas particulas in eo contentas: Dicitur *legitima*, quia ad Confeſſionem ſacramentalem ritè perficiendam requiruntur debitæ conditiones, & circunſtantiæ, de quibus infrà: Dicitur *Sacramentalis*: quia non quælibet Confeſſio facta Sacerdoti eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ; ſed illa, quæ fit ad obtinendam vi clauium Eccleſiæ, peccatorum remiſſionem. Dicitur *accuſatio*, quia non ſufficit quælibet peccatorum manifeſtatio, ſed manifeſtatio doloroſa indicans quodammodò

dolorem internum. Dicitur *de propriis peccatis*, vt indicetur materia Confeſſionis. Nam materia Confeſſionis ſunt peccata non aliena, ſed propria. Dicitur *facta Sacerdoti* ad indicandam cauſam miniſterialem, Miniſtrum ſcilicet Sacramenti Confeſſionis: quia non poteſt quilibet Confeſſionis Sacramentum adminiſtrare,& Confeſſio facta Laico & Clerico, non Sacerdoti,non eſt ſacramentalis; vt patet ex ſacro Concilio Tridentino *Seſſ.* 14 *cap.* 6. Dicitur *ad obtinendam remiſſionem peccatorum*, vt appareat finis, & effectus ſacramentalis Confeſſionis,qui eſt peccatorum remiſſio. Dicitur *per abſolutionem*, vt explicetur, remiſſionem peccatorum in ſacramentali Confeſſione eſſe obtinendam beneficio clauium Eccleſiæ, per abſolutionem traditam à Sacerdote. Videatur pro hac veritate D.Thomas *in* 4.*d*.17. *q*.3. *art*.2. *& in Addit. ad* 3.*p. q* 7.*art*.1.Nugnus *ibi*,Lopez *p*.2,*Inſtruct.cap*.92.Sotus *in* 4.*Diſt*. 18. *quaſt*. 2. *art*.1. Valent.*tom*.4.*Diſp*.7.*q*.9. *puncto* 1.

Dubitatio I.

III. ***Rationi in contrarium à principio reſpondetur, explicando, An Confeſſio Sacramentalis poſſit fieri Clerico non Sacerdoti, vel Laico: & , An hoc facientes, incurrant irregularitatem?***

Ad rationem in contrarium Reſpondetur negando, quòd Confeſſio ſacramentalis fieri poſſit Laico,vel alteri Clerico non Sacerdoti, quinimò ſacrilegium cõmitteret tum is, qui ſacramentaliter confiteretur Laico, vel alteri Clerico non Sacerdoti; tum ipſe Laicus, vel alius Clericus non Sacerdos,ſi ſacramentaliter conaretur talem abſoluere. Atque etiam eiuſmodi Laicus & Clericus non Sacerdos per poteſtatem clauium abſoluens,incurreret irregularitatem: Quia Clericus,vel Laicus miniſtrans in aliquo ordine quem non habet, tanquam ſi eſſet ordinatus, fit irregularis, ex *cap*. ſi quis: *De Clerico non ordinato miniſtrante*: Ergo Laicus, & Clericus non Sacerdos ſacramentaliter abſoluens, eſſet irregularis. Nam ſolum Sacerdotem eſſe miniſtrum Sacramenti Pœnitentiæ,eſt de fide definitum in Concilio Florentino *in Literis*, & Trident. *ſeſſ*. 14. *cap* 6.

Et ad probationem Reſpondetur non eſſe eandem rationem de Baptiſmo, & de ſacramentali Confeſſione. Nam Baptiſmus quibuſdam in re ipſa,& ſimpliciter eſt neceſſarius ad ſalutem, nempe paruulis: Sacramentum verò Pœnitentiæ nullis omninò eſt in re ipſa neceſſarium ſimpliciter, cùm ſit tantùm pro adultis inſtitutum, qui in defectu & abſentia Sacerdotis poſſunt ſibi proſpicere ad ſalutem per contritionem; & ita ne paruulis in abſentia Sacerdotis medium neceſſarium ad ſalutem deficeret,traditio, & vſus Eccleſiæ declarauit,quemlibet poſſe validè Baptiſmum paruulis adminiſtrare,& etiam adultis,cùm miniſterium Baptiſmi non ſit Ordini Sacerdotij alligatum. Nam ad miſericordiam eius, *qui vult omnes homines ſaluos fieri*, pertinet, vt in his, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis,homo de facili remedium inueniat; inter omnia autem Sacramenta maximæ neceſſitatis eſt Baptiſmus, quia pueris aliter ſubueniri non poteſt,& ita inſtitutum eſt, vt à quocumque etiam non ordinato ſi Baptiſmus adminiſtretur,ſit validus,ne propter defectum Baptiſmi homo ſalutis ſuæ diſpendium patiatur. At Sacramentum Pœnitentiæ non eſt tantæ neceſſitatis ſicut Baptiſmus;poteſt enim per contritionem ſuppleri defectus Sacerdotalis abſolutionis,& ideò non eſt ſimile de Baptiſmo, cuius effectus maximè in pueris per nihil aliud ſuppleri poteſt. Ita præclarè D.Thom. 3.*p. q*.67.*art*.3.*in corpore: & ad tertium argum.*

Dubitatio II.

IV. ***Quomodo debeat intelligi quod in extrema neceſſitate poſſimus cuicumque Laico, vel non Sacerdoti confiteri peccata?***

Ad Confirmationem reſpondetur: Quòd Confeſſio facta Laico dicitur à S.Thoma quodammodò ſacramentalis, non quòd ſimpliciter ſit ſacramentalis, ſed ſecundùm quid: Quia non ordinatur ad veram Confeſſionem, quæ tunc in illa neceſſitate debet eſſe in deſiderio: Confeſſio enim facta Laico,propter humilitatem adiuuat hominem,qui ſe Laico,vel Clerico non Sacerdoti confitetur ad contritionem habẽdam, vt iuſtificetur per Confeſſionem in voto. Nullus tamen ad talem Confeſſionem faciendam tenetur; & dum inquiunt Doctores,quòd talis Confeſſio poteſt, & debet fieri; id ſignificant per modum conſilij,non autem præcepti, vt diſpoſitum homo ſe ſufficienter oſtendat ad alia Sacramenta ſuſcipienda, puta ad Euchariſtiam, vel Extremam-Vnctionem, vt dicitur in *cap*. fures: *De furtis*;vbi præcipitur,vt fur,qui in actuali furto interficitur, careat Eccleſiaſticâ ſepulturâ; & ſubditur, ſi autem Presbytero vel Diacono confeſſus fuerit, Communione non priuetur;non quòd confeſſus Diacono ſit ſacramentaliter abſolutus, ſed quia ſe oſtendit ſufficienter diſpoſitum ad Euchariſtiam ſuſcipiendam. Videatur pro hac ſolutione Nugnus noſter *tom* 2.*in* 3.*p.q* 8.*art*.2.*in expoſitione Articuli, verſ.* In hoc articulo nota. Valent. *tom*.4. *diſput*.7.*quaſt*.10. *puncto* 1.*verſic*. Quod ſi: *fol*.1441.*mihi*.

Articulus II.

Vtrùm Confeſſio ſit pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ?

Summarium.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Dubitatio reſoluitur, & explicatur quid ſit Sacramentum Pœnitentiæ.*
3. *Quid ſit Pœnitentia vt virtus; & quid contritio, vt actus virtutis, vel vt pars Sacramenti Pœnitentiæ? & quid ſit Confeſſio? & quæ illius conditiones,& quid ſit ſatisfactio,explicatur.*
4. *Quotuplex ſit materia Sacramenti Pœnitentiæ?*
5. *An Confeſſio, Contritio, & Satisfactio ſint nedum partes integrales, ſed etiam eſſentiales Sacramenti Pœnitentiæ?*
6. *An Sacramentum Pœnitentiæ ſit integrum ſine ſatisfactione?*
7. *Quomodo contritio ſit pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ ante Confeſſionem,explicatur.*
8. *An Contritio,vt pars Sacramenti Pœnitentiæ, dicat ordinem ad ſatisfactionem?*
9. *An in compoſitis moralibus materia debeat præcedere formam ſicut in compoſitis naturalibus? Et magis explicatur quomodo Satisfactio ſit pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ.*
10. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur,& explicatur an ſit neceſſe quod materia, & forma in Sacramento Pœnitentiæ ſint in eodem temporis inſtanti,& quandonam intelligatur exiſtere Confeſſio Sacramentalis?*

I. *Pars*

I. *Pars negatiua probatur.*

SI Confeſſio eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ, debet eſſe materia, quæ ſimul cum abſolutione hoc Sacramentum componat; ſed hoc eſt impoſſibile: Ergo Confeſſio non eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ. Maior eſt clara; nam Confeſſio in Sacramento Pœnitentiæ non eſt forma: Ergo ſi eſt pars eſſentialis, debet eſſe materia. Minor verò probatur: De ratione compoſiti eſt, quòd partes eſſentialiter componentes, ſint ſimul, materia ſcilicet & forma; ſed Confeſſio non eſt ſimul cum abſolutione, quæ eſt forma in Sacramento Pœnitentiæ, imò tempore præcedit ipſam abſolutionem, ſiquidem non poteſt proferri abſolutio niſi ſuper peccata iam confeſſa: Ergo eſt impoſſibile quòd Sacramentum Pœnitentiæ conſtet ex confeſſione tanquam ex materia, & ex abſolutione tanquam ex forma, cùm confeſſio, & abſolutio non ſint ſimul. Propter hoc argumentum aliqui Doctores docēt Sacramentũ Pœnitentię eſſentialiter conſiſtere in ſola abſolutione Sacerdotali; confeſſionem verò, & alios actus ipſius pœnitentis non includi in ratione Sacramenti Pœnitentiæ tanquam partes eſſentiales illius, ſed tantùm eſſe præuias diſpoſitiones requiſitas ex parte ipſius pœnitentis ad recipiendum dignè Sacramentum; & ita hanc ſententiam tenet Scotus *in 4. Diſt.* 16 *quæſt.* 1. Gabriel ibi *q.* 2.

II. *Dubitatio reſoluitur, & explicatur quid ſit Sacramentum Pœnitentiæ.*

Dico primò, Sacramentum Pœnitentiæ, cuius confeſſio ſacramentalis eſt pars eſſentialis, eſt *Sacramentum conſiſtens in actibus pœnitentis & abſoluentis, institutum à Deo per modum iudicij emendatiui ad remiſſionem peccatorum.* Genus in hac definitione explicatur illo verbo *Sacramentum*, in quo Pœnitentia conuenit cum reliquis Sacramentis. Differentia verò continetur illis verbis, *conſiſtens in actibus pœnitentis, & abſoluentis.* Hæc definitio eſt bona, quia in illa comprehenduntur omnia genera cauſarum; formalis, cauſalis, efficiens, & finalis: Cauſa materialis conſiſtit in actibus pœnitentis; formalis conſiſtit in forma abſolutionis; efficiens miniſterialis eſt Sacerdos, principalis eſt Deus. Sacerdos enim miniſterialiter abſoluit, & Deus principaliter: cauſa finalis eſt remiſſio peccatorum, ad quam inſtitutum fuit Pœnitentiæ Sacramentum. Hęc deſcriptio colligitur ex S. Thoma 3. *p. q.* 84. *art.* 1. *ſolut. ad ſecundum*, & ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. Nugno *tom.* 2. *in* 3. *p. quæſt.* 84. *art.* 1. *dub.* 4. Bonacina *tom.* 1. *tract. de Pœnitentia Sacramento, diſput.* 5. *q.* 2. *puncto* 2. *num* 1.

DVBITATIO I.

III. *Quid ſit Pœnitentia vt virtus, & quid Contritio, vt actus virtutis, vel vt pars Sacramenti Pœnitentiæ, & quid ſit Confeſſio, & quæ illius conditiones, & quid ſit Satisfactio; explicatur.*

Dico ſecundò: Actus pœnitentis, qui ſunt pars materialis in Sacramento Pœnitentiæ, ſunt Contritio, Confeſſio, & Satisfactio. Ita in Concilio Tridentino citato. Cõtritio dupliciter ſumitur; Primò, vt eſt actus virtutis Pœnitentiæ. (Pœnitentia verò eſt *virtus ſpecialis, qua dolemus de peccato præterito, vt offenſa Dei, quatenus eſt emendabile auxilio Dei.* Sic colligitur ex S. Thoma, 3. *p. q.* 85. *art.* 2.) Contritio igitur vt eſt actus virtutis Pœnitentiæ eſt *dolor perfectus voluntariè aſſumptus propter Deum pro peccatis.* Secundò, ſumitur contritio, vt eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ habens relationem ad alias partes, & ſic, eſt *dolor perfectus voluntariè aſſumptus propter Deum pro peccatis cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi.* Ita D. Thomas *quæſt.* 1. *art.* 1. *in addit. ad* 3. *p.* Confeſſio eſt *legitima coram Sacerdote, peccatorum declaratio*: quæ ſexdecim habet conditiones his verſibus contentas:

Sit ſimplex, humilis Confeſſio, pura, fidelis:
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda:
Integra, ſecreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans; & ſit parere parata.

De quibus videatur D. Thomas 3. *p. in addit. q.* 9. *art.* 4. Satisfactio verò eſt *quædam compenſatio facta Deo pro culpis contra ipſum commiſſis cum propoſito ſaltem virtuali eum non offendendi.* Ita explicat D. Thomas *in Supplemento ad* 3. *p. q.* 12. *art.* 3. *& in* 4. *diſt.* 15. *q.* 1. *art.* 1. *quæſtiun.* 3. Valent. *tom.* 4. *diſp.* 7. *q.* 14. *puncto* 1. *poſt ſecundam aſſertionem. verſ. Nunc his.* Ad maiorem intelligentiam præcedentis aſſertionis explicatur

DVBITATIO. II.

IV. *Quotuplex ſit materia Sacramenti Pœnitentiæ?*

Dico tertiò: Duplex eſt materia Sacramenti Pœnitentiæ, remota, & proxima: Materia remota ſunt peccata. Probatur: Illa eſt materia remota Sacramenti pœnitentiæ, circa quam verſatur materia proxima, qui ſunt actus pœnitentis, contritio, confeſſio, & ſatisfactio; ſicuti materia remota Baptiſmi eſt aqua, quia circa illam verſatur materia proxima, quæ in Baptiſmo eſt ablutio: ſed actus pœnitentis, qui ſunt materia proxima ſacramenti Pœnitentiæ verſantur circa peccata, tanquàm circa materiam deſtruendam, & abolendam: ergo peccata ſunt materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.

Materia verò proxima Sacramenti Pœnitentiæ ſunt actus pœnitentis contritio, confeſſio, & ſatisfactio; quia Sacramentum Pœnitentiæ exercetur per modum iudicij emendatiui, & reconciliatiui; vt patet ex illis verbis Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c. Sed materia Iudicij emendatiui eſt accuſatio, dolor, & ſatisfactio, nam ad iudicium emendatiuum requiritur accuſatio Rei, & manifeſtatio delicti, quæ conſiſtit in confeſſione. Item requiritur vt Reus ſua delicta manifeſtet cum dolore, alioquin manifeſtatio peccatorum deficiente dolore, eſſet ſimplex narratio, & gloriatio in delictis. Item ad integritatem Iudicij pertinet punitio, ſeu ſatisfactio pro delicto: ergo, &c. Et ita hanc Aſſertionem docet D. Thom. 3. *p. q.* 84. *art.* 2. Nugnus *ibi.*

DVBITATIO III.

V. *An Confeſſio, Contritio, & Satisfactio ſint nedum partes integrales, ſed etiam eſſentiales Sacramenti Pœnitentiæ?*

Dico quartò: Confeſſio, & contritio, qui ſunt actus pœnitentis, ſunt partes non ſolùm integrales, verùm etiam eſſentiales Sacramenti Pœnitentiæ. Probatur: Illæ ſunt partes integrales alicuius rei, quæ ita componunt rem aliquam, vt ſine illis res compoſita retineat adhuc ſuam eſſentiam. Illæ verò ſunt partes eſſentiales alicuius rei, ſine quibus res illa non ſaluatur in ſua eſſentia: Sed Sacramentum Pœnitentiæ non ſaluatur ſine dolore, & confeſſione; ergo confeſſio, & dolor ſeu contritio, ſunt partes eſſentiales Sacramenti Pœ-

nitenriæ. Videatur Nugnus noſter *tom.2.in 3.p.in Addit.q.7.art.1. in Concluſione dubij quod ibi proponit*; & *ſuprà quæſt* 84 *art.1.dub.4 concluſ.3.*

Dico quintò: Satisfactio non eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ: quia Sacrameotum Pœnitentiæ ſaluatur ſine ſatisfactione exhibita, imò ante ſatisfactionem expletam confert ſuum effectum, id eſt, remiſſionem culpæ, vt patet in eo, qui, factâ Confeſſione, & obtentâ abſolutiooe, ſtatim moritur, antequam adimpleat pœnitentiam, vel eam recipiat: ergo ſatisfactio non eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ, quia ſine parte ſua eſſentiali nec ſubſiſtit, nec cauſat ſuum effectum Sacramentum. Nugnus *tom.2. in 3. p. in Addit.quæſt.*13.*art* 2.*dub.*1.

Dico ſextò: Satisfactio tamen eſt pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ. Probatur: quia cùm ſit vera pars iſtius Sacramenti, vt habetur in Concilio Tridentioo *ſeſſ.*14.*cap.*3. vbi dicitur, Contritionem, Cõfeſſionem, & Satisfactionem eſſe partes Pœnitentiæ, quatenus ad plenam, perfectámque remiſſionem peccatorum ex diuina ordinatione requiruntur: ergo cùm non ſit pars eſſentialis, vt probatum eſt aſſertione præcedenti, relinquitur quòd ſit pars integralis. Ita docuit D. Thomas 3.*p.q.*90.*art.*2. Sotus *in* 4.*Diſt.*17.*q.*1.*art.*3.

Dvbitatio IV.

VI. *An Sacramentum Pœnitentiæ ſit integrum ſine Satiſfactione?*

Dico ſeptimò conſequenter: Licèt Pœnitentiæ Sacramentum ſine actuali ſatisfactione conferat ſuum effectum, remiſſionem ſcilicet culpæ, (quia ſatisfactio non eſt pars eſſentialis illius;) non tamen tale Sacramentum erit integrum, & perfectum ſine ſatisfactione. Probatur: quia ad integritatem iudicij pertinet punitio, ſeu ſatisfactio pro delicto; ſed Sacramentum Pœnitentiæ exercetur per modum iudicij: ergo ad integritatem illius pertinet ſatisfactio. Videatur Bonacina *tom.1. de Sacramento Pœnitentiæ, Diſp.5.q.3.punct.* 2.*n.*14.*verſ. Obijcies,*

Dvbitatio V.

VII. *Quomodo contritio ſit pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ ante Confeſſionem, explicatur.*

Dico octauò, magis explicans præcedentes aſſertiones: Licèt contritio ſit ſecundùm ſe actus internus ſpiritualis, & vt ſic præcisè & in tecto non ſit pars eſſentialis materialis Sacramenti Pœnitentiæ, quia Sacramenta nouæ legis conſtant ex rebus, & verbis ſenſibilibus: Tamen actus contritionis elicitus à pœnitente ante actualem Confeſſionem, vel in ipſa Confeſſione, vel etiam factâ Confeſſione, ante tamen abſolutionẽ, eſt pars eſſentialis materialis Sacramenti Pœnitentiæ; quia vt ſic fit quodammodò ſenſibilis; informat enim ſubſequentem, vel præcedentem Confeſſionem ſacramentalem, quæ eſt ſenſibilis. Sic bene Nugnus noſter *tom.2.in3.p.q.*84 *art.1.dub.4 concluſ.3.fol.8.col* 2 *mihi.* Bonacina nuperrimè relatus *n.*18. §. *Reſpondeo fieri.* quod antè docuerat D. Thomas 3. *p. q.* 90. *art.* 2. *ad primum.* Deducitur igitur ex hac aſſertione, quòd Cõtritio ſecundùm ſe, id eſt, ſecundùm ſua principia intrinſeca, & ſpecifica non habet ex hac parte præcisè quòd ſit pars Sacramenti Pœnitentiæ, id eſt, non eſt de eſſentia Contritionis, nec eſt prædicatum eſſentiale illius: quòd ſit pars Sacramenti patet euidenter; quia Contritio in quantum eſt actus interior, & ſecundùm ſe eiuſdem eſt ſpeciei in lege noua, & veteri; ſed in lege antiqua non erat pars Sacramenti: Ergo eſſe partem Sacramenti non eſt illius prædicatum eſſentiale, ſi conſideretur contritio ſecundùm ſua prædicata eſſentialia, & ſpecifica præcisè. Si verò conſideretur Contritio, ſecundùm ea, quæ habet ex Chriſti Domini inſtitutione, in quantum ordinatur ad Confeſſionem ſacramentalem & ſatisfactionem, vt ſic eſt pars Sacramenti dicens intrinſecum ordinem tranſcendentalem ad Confeſſionem, & ſatisfactionem, & efficitur pars actu Sacramenti, quatenùs coniungitur Confeſſioni, & per illam exteriùs ſignificatur. Ita colligitur apertè ex D. Thoma loco nuperrimè citat. Caiet. *ibi*: Nugno *tom. 2. in 3. p. quæſt. 90. art. 2. in expoſitione literæ. D. Thom. verſ.* Sed certè, *fol.*161 *mihi.*

Dvbitatio VI.

VIII. *An Contritio vt pars Sacramenti Pœnitentiæ, dicat ordinem ad ſatiſfactionem?*

Dico nonò: Licèt nunquam ſit futura ſatisfactio præcipuè in ſententia illorum, qui dicunt, pœnitentem non teneri ad acceptandam, & implendam Pœnitentiam à Confeſſore iniunctam. Contritio tamen vt eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ completi, & perfecti ſemper dicit ordinem ad illam: quia hoc habet ex inſtitutione Chriſti Domini. Quòd ſi pœnitens non habet propoſitum ſatisfaciendi in hac vita, ſed in alia. Tunc contritio iſtius eſſet imperfecta. Quoniam etiam tunc Sacramentum eſſet imperfectum ſi non ſit ſatisfactio, quæ eſt illius pars integralis. Vide Nugnum nuper relatum *ſolut. ad ſecundum argumentum, fol.*162. *col.*1. *mihi.*

Dvbitatio VII.

IX. *An in compoſitis moralibus materia debeat præcedere formam, ac in compoſitis naturalibus? Et magis explicatur quomodo ſatisfactio ſit pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ.*

Dico decimò: Quamuis in compoſitis phyſicis, & naturalibus materia ſemper formæ in genere cauſæ materialis præſupponatur, tamen in compoſitis moralibus artificialibus, qualia ſunt Sacramenta, non eſt neceſſe, quòd id, quod eſt materia, & pars integralis, præſupponatur formæ; & ſic ſatisfactio in Sacramento Pœnitentiæ eſt illius verè pars integralis, & materia proxima, licèt actu non ſit ſimul tempore cum forma abſolutionis, quando profertur. Probatur: nam validũ eſt Sacramentum Baptiſmi, ſi priùs baptizans proferat formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; & deinde ſtatim fiat ablutio, quæ eſt materia proxima Sacramenti Baptiſmi, vt benè docet Sotus *in* 4. *diſt.*3 *quæſt. vnic. art.* 8. §. Quando autem forma, *verſic.* At verò benè ait: quia prolatio formæ: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, refertur more humano ad actionem ſacramentalẽ, & humanam, & ad applicationem materiæ, nempe ad ablutiooem: Ergo etiamſi ſatisfactio iniuncta à Confeſſario adimpleatur poſt abſolutionem, quæ eſt forma Sacramenti Pœnitentiæ, non inde ſequitur, quòd non ſit illius pars proxima materialis, præcipuè cùm ſatisfactio iniuncta à Confeſſario non ſit pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ, ſed tantùm integralis, vt diximus aſſertione 5. & Sacramentum Pœnitentiæ poteſt eſſe verum Sacramentum ante ſatisfactionem impletam, licèt non integrum & perfectum niſi poſt illam adimpletam. Sicuti puer eſſet eſſentialiter verus

homo

homo ſi ſine manibus & pedibus naſceretur, non tamen integer eſſet verò poſtea, ſi per miraculum partes integrales manus, & pedes reciperet. Videatur pro hac aſſertione Bonacina *tom. 1. diſp. 5. de Sacramento Pœnitentiæ, quæſt. 3. puncto 2. n. 1. fine.*

X. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur; & explicatur, an ſit neceſſe quòd materia, & forma in Sacramento Pœnitentiæ ſint in eodem temporis inſtanti? Et quandonam intelligatur exiſtere Confeſſio Sacramentalis?*

Ad rationem in contrarium à principio poſitam reſpondetur, tantùm probare quòd Confeſſio non ſit pars eſſentialis materialis in Sacramento Pœnitentiæ cum toto illo rigore, quo materia inuenitur in compoſito phyſico naturali, in quo materia & forma ſunt ſimul in eodem inſtanti temporis. Cùm enim hæc compoſitio, quæ fit in Sacramento Pœnitentiæ ex cõfeſſione Sacramentali tanquam ex materia, & ex abſolutione tanquam ex forma ſit quodammodò compoſitio phyſica, & quodammodò moralis, ſufficit, quòd materia, & forma ſint ſimul moraliter, & ſucceſſiuè, & non requiritur quòd ſint ſimul in eodem inſtanti temporis. Ita rectè Nugnus noſter *tom. 2. in 3. p. in Addit. quæſt. 7 art. 1. dub. vnico, ſolut. ad ſecundum Argumentum fol. 159 col. 1. mihi.* Nam partes Sacramenti Pœnitentiæ ſe habent ad modum partium entium ſucceſſiuorum, quæ non ſunt ſimul in eodem inſtanti temporis, ſed ſucceſſiuè, quamuis verè componant, & verè ſint partes entis ſucceſſiui. Sic confeſſio ſacramentalis & abſolutio eſſentialiter componunt Sacramentum Pœnitentiæ, non tamen ſunt ſimul in eodem inſtanti temporis; ſed ſufficit, vt eſſentialiter componant Sacramentum, quòd confeſſio fiat cum ordine ad abſolutionem futuram, & abſolutio detur ex ordine ad confeſſionem præcedentem.

Quòd ſi facta confeſſione à pœnitente abſolutio à Confeſſore non detur, non erit verum dicere, quod fuit Sacramentum: quia hæc eſt natura entis ſucceſſiui, quod ſimpliciter dicatur eſſe cum dependentia alterius partis futuræ, licèt ſi poſteà non ponatur illa pars futura non ſit verum dicere, quòd fuerit tale ens ſucceſſiuum, & quia Sacramentum Pœnitentiæ ſe habet ad modum entium ſucceſſiuorum; ideò factâ confeſſione, ſi poſteà non daretur abſolutio, non diceretur fuiſſe Sacramentum Pœnitentiæ. Vide eundem Doctorem Nugnum *tom. 2. in 3. p. q. 82. art. 1. difficult. 4. fine, fol. 9. col. 1. mihi.*

Verum tamen quòd hoc Sacramentum dicitur eſſe, & exiſtere toto tempore confeſſionis, & toto tempore abſolutionis, quando fit confeſsio ſacramentalis ex ordine ad abſolutionem futuram; & quando fit abſolutio ex ordine ad Confeſsionem præcedentem. Idem Nugnus nuperrimè relatus.

ARTICVLVS III.

An Confeſſionis Sacramentum ſit de neceſſitate ſalutis.

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Dubitatio reſoluitur, & explicatur, an Sacramentum Pœnitentia ritè appelletur Sacramentum Confeſſionis, vel potiùs debeat dici Sacramentum Contritionis, Satisfactionis, vel Abſolutionis?*

3. *Quomodo Confeſſio Sacramentalis definiatur Phyſicè, & Metaphyſicè, explicatur, & probatur.*
4. *An ſit de fide Sacramentum Confeſſionis fuiſſe inſtitutum a Chriſto Domino?*
5. *Quonam tempore Sacerdos accipiat poteſtatem abſoluendi, & Ordinis? Et an poteſtas Ordinis, & poteſtas abſoluendi ſint tantùm vnus character?*
6. *Titulo Dubitationis reſpondetur.*
7. *An Sacramentum Confeſſionis ſit neceſſarium ad ſalutem, neceſſitate præcepti?*
8. *Quid ſit remitti peccatum per Sacramentum Confeſſionis in voto?*
9. *An votum, vt dicit propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum Confeſſionis, debeat eſſe explicitum, vel implicitum?*
10. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur quare Chriſtus Dominus non contulerit Eccleſiæ facultatem inſtituendi Sacramenta?*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm Sacramenta nouæ legis initium habent ab inſtitutione Chriſti; ſed ſicut legitur *Ioannis* 8. Chriſtus Dominus mulierem adulteram abſoluit abſque Confeſſionis Sacramento: Ergo videtur, quòd Confeſſionis Sacramentum non ſit de neceſſitate ſalutis. Lutherus diffitetur Confeſſionis Sacramentum eſſe neceſſarium ad ſalutem, imò vocat illud Tyrannidem, docétque eſſe nimis diſconueniens, Eccleſiæ nociuum, fuiſſéque cauſam multarum diſſenſionum. Ita refert Thom. Wald. *lib. 2. de Sacramentalibus, cap. 138.* Nugnus *tom. 2. in Addit. ad 3. p. q. 6. art. 1. dub. 1.*

II. *Dubitatio reſoluitur, & explicatur an Sacramentum Pœnitentiæ ritè appelletur Sacramentum Confeſſionis, vel potiùs debeat dici Sacramentum Contritionis, Satisfactionis, vel Abſolutionis.*

Dico primò: Sacramentum Pœnitentiæ ritè appellatur Confeſſionis Sacramentum: Quia vt patet diſcurrendo per alia Sacramenta, denominatio in Sacramentis fit à materia, non autem à forma, vt Sacramentum Baptiſmi dicitur Sacramentum Ablutionis, quæ eſt materia proxima in hoc Sacramento: Extrema Vnctio dicitur, & denominatur ita à materia proxima, quæ eſt Vnctio; Sacramentum Confirmationis dicitur Chriſma ſimiliter à materia. Ergo cùm materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ ſit Confeſſio Sacramentalis, ritè appellatur hoc Sacramentum Confeſſionis Sacramentum. Tum quia in *cap.* Ad abolendam, *De Hæreticis*: Sacramentum Pœnitentiæ, Confeſſionis Sacramentum appellatur; & ita communiter dicitur. Nugnus *tom. 2. in 3. p. q. 84 art. 1. dub. 5.*

Dico ſecundò: Sacramentum Pœnitentiæ non dicitur Sacramentum Contritionis, licèt contritio ſit pars materialis proxima huius Sacramenti, probè tamen dicitur Sacramentum Confeſſionis: quia non eodẽ modo contritio, & confeſſio ſunt materia huius Sacramenti. Nam magis proximè, & magis eſſentialiter pertinet ad hoc Sacramentum Confeſsio quàm Contritio: Quia Confeſſio eſt materia in recto, Contritio verò in obliquo. Dolor enim internus abſtrahendo à contritione & attritione eſt de neceſsitate & exiſtentia iſtius Sacramenti, ſed in obliquo: quia ſcilicet quidam ordo tranſcendentalis confeſsionis vocalis ad dolorem internum eſt de eſſentia huius Sacramenti, & niſi adſit iſte dolor, Sacramentum Confeſsionis eſt nullum: Ergo ritè Sacramentum Pœnitentiæ appellatur Sacramentum Confeſsionis in *cap.* ad abolendam, *De*

Hereticus. non autem contritionis propter rationem allatam. Videatur idem Doctor nouiſſimè relatus, *Dub.4 Concl.2.& 3.* Tùm quia contritio ſecundùm ſe non eſt ſenſibilis niſi in ordine ad confeſſionem externam · ergo cùm Sacramenta conſtent ex rebus, & verbis ſenſibilibus tanquam ex materia, & forma, vt docet D.Thom. *3.p. q.60. art.6. ad 2.* incongruè Sacramentum confeſſionis diceretur Sacramentum contritionis.

Neque rectè diceretur Sacramentum Satisfactionis. Quia Sacramentum Pœnitentiæ ante exhibitam ſatisfactionem iniunctam à Confeſſario, eſt verum, & eſſentialiter Sacramentum, licèt non integrum, & vndequaque perfectum: ergo Sacramentũ Confeſſionis minimè appellari poteſt Sacramentum Satisfactionis.

Dico tertiò: Nullo tamen modo hoc Sacramentum eſt appellandum Sacramentum abſolutionis, licèt abſolutio ſit forma & pars eſſentialis illius: quia hæretici vtuntur illo vocabulo ad ſignificandum non eſſe neceſſarium aliquem dolorem ex parte pœnitentis: Ergo etiamſi vox illa eſſet congrua, & conueniens, non eſt licitum noſtris temporibus vti illa, ne conuenire videamur cum hæreticis, negantibus eſſe neceſſarium dolorem, aut actum aliquem ex parte ipſius pœnitentis, ad remiſsionem peccatorum. Hoc pronuntiatum eſt contra Scotum in *4.diſt.14.quæſt.4.* vbi ait, hoc Sacramentum eſſe appellandum Sacramentum Abſolutionis. Sed meliùs Durandus *in 4 diſtinct.14.q.1. & 3.* appellat illud Sacramentum Confeſsionis, & Abſolutionis.

Dubitatio I.

III. *Quomodo Confeſſio Sacramentalis definiatur Phyſicè, & Metaphyſicè, explicatur, & probatur.*

Dicò quartò: Sacramenti Confeſſionis phyſica definitio hęc congruè aſſignari poteſt. Sacramẽtum Pœnitentiæ eſt *Confeſſio oris exterior ab interna contritione, vel attritione prouemens, facta ſub præſcripta verborum forma, ſub debita ſcilicet abſolutione.* Nam phyſica definitio entis artificioſi, quale eſt Sacramentum Pœnitentiæ, illa eſt, in qua rei definitæ materia ponitur in recto, & forma in obliquo; ſed in definitione allata, materia Sacramenti Pœnitentiæ, quæ eſt Confeſſio oris exterior, ponitur in recto, & forma in obliquo, quæ explicatur illis verbis: *ſub præſcripta verborum forma:* Ergo, &c.

Metaphyſica verò definitio huius Sacramenti dubio immediatè præcedenti, aſſertione 1. eſt à nobis aſſignata; vel ſub aliis verbis talis poſſet adduci. Sacramentum Confeſſionis eſt *Sacramentum nouæ legis, ad ſignificandam, & conferendam gratiam ſanantem, & ad remittenda peccata commiſſa poſt Baptiſmum.* Hæc definitio Metaphyſica Sacramenti Confeſſionis eſt congrua, quia in ea ponitur genus in illis verbis eſt *Sacramentum nouæ legis*; & in hoc conuenit Pœnitentia cum aliis Sacramentis; In aliis verò verbis ſubſequentibus ponitur differentia, per quam diſtinguitur ab aliis: Ergo hæc definitio Metaphyſica Sacramenti Confeſſionis eſt congrua, cùm conſtet ex vero genere, & ex propria differentia rei definitæ. Videatur Nugnus *Dub 4. vbi ſupra, poſt ſolutionem argumentor.*

Dubitatio II.

IV. *An ſit de fide Sacramentum Confeſſionis fuiſſe inſtitutum à Chriſto Domino?*

Dico quintò: Fides eſt, ita vt oppoſitum ſit hæreſis manifeſta, quòd hoc Sacramentum Confeſſionis fuit inſtitutum à Chriſto Domino. Ita definitur expreſsè in Concilio Trident. *ſeſſ.7. canone 1.* Fuit autem inſtitutum poſt Reſurrectionem, *Ioannis* 20. in illis verbis: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Sic determinatur expreſsè in Concil. Trid. *ſeſſ.14. cap.1.*

Dubitatio III.

V. *Quonam tempore Sacerdos accipiat poteſtatem abſoluendi, & Ordinis: & an poteſtas Ordinis, & poteſtas abſoluendi ſint tantùm vnus character?*

Dico ſextò: Sacerdotes, dum recipiunt Sacerdotalem Ordinem non ſimul recipiunt, & eodem actu poteſtatem conſecrandi Chriſti corpus, & poteſtatem completam abſoluendi à peccatis. Nam in illis verbis prolatis ab Epiſcopo: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia ſancta Dei pro viuis, & defunctis:* accipiunt ſolùm poteſtatem proximam conſecrandi Chriſti corpus, & radicalem abſoluendi à peccatis, quæ continetur in charactere Sacerdotali, non verò accipiunt poteſtatem proximam, & completam abſoluendi à peccatis, ſed hanc recipiunt, dum Epiſcopus dicit: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis,* &c. Quo tempore licèt non confeyratur nouus character, præcedens tamen extenditur & perficitur ad completam auctoritatem abſoluendi à peccatis conferendam. Vnde Parochus, qui priorem tantùm poteſtatem accepit ab Epiſcopo ordinante, & ob mortem deficiente, non poteſt à peccatis abſoluere ſuos Parochianos antequàm ſecunda poteſtas ei conferatur ab alio Epiſcopo: quia poteſtas abſoluendi à peccatis confertur in illis verbis: *Accipe Spiritum ſanctum: quorum remiſeris peccata, remittuntur eis:* Ergo, &c. Vide Bonacinam, *tom.1. tract. de Sacramento Pœnitentiæ, diſput.5. q.2. puncto 4. in 4. verſic.* Reſpondeo, Sacerdotes.

VI. *Titulo Dubitationis reſpondetur.*

Dico ſeptimò, directè reſpondens quæſito; Confeſſionis Sacramentum neceſſarium eſt ex neceſſitate medij in re, vel in voto illis, qui mortaliter peccarunt poſt Baptiſmum. Probatur: Illud eſt neceſſarium neceſſitate medij in re vel in voto, quo prætermiſſo in re, vel in voto, ſalus non obtinetur: Sed prætermiſſo Confeſſionis Sacramento, in re vel in voto ſalus non obtinetur, ab illis, qui lapſi ſunt poſt baptiſmum: ergo, &c. Tùm quia ex Concilio Trident. *Seſſ.14 cap.2. fine* conſtat Confeſſionis Sacramentum, ita neceſſarium eſſe lapſis poſt Baptiſmum, ſicut neceſſarius eſt Baptiſmus his, qui nondùm illum ſuſceperunt; ſed Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medij in re, vel in voto: ergo Confeſſionis Sacramentum eſt neceſſarium in re, vel in voto lapſis poſt Baptiſmum. Ita D.Thom. *3.p. in Addit. q.6. art.1.*

Dubitatio IV.

VII. *An Sacramentum Confeſſionis ſit neceſſarium ad ſalutem neceſſitate præcepti?*

Dico octauò: Confeſſionis Sacramentum neceſſarium eſt ad ſalutem neceſſitate præcepti. Probatur: quia quod eſt neceſſarium neceſſitate medij, eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti, modò medium ſit in noſtra poteſtate: ſunt enim aliqua media neceſſaria ad ſalutem quorum omiſſio nobis non imputatur ad culpam, quia non ſunt in noſtra poteſtate. Quale

medium

medium eſt prædeſtinatiu; prima gratia efficax, &c. ſed Sacramentum Confeſſionis ſuſcipere eſt in noſtra poteſtate, & eſt medium neceſſariũ ad ſalutem: ergo etiam eſt neceſſarium neceſſitate præcepti: Ita rectè Nugnus *tom. 2. in 3. p. in Addit. quaſt. 6. art. 1. dub. 2. concluſ. 2. fol. 235. mihi.*

DVBITATIO V.

VIII. *Quid ſit remitti peccata per Sacramentum Confeſſionis in voto?*

Dico nonò: Peccata remitti per Sacramentum Confeſſionis in voto, eſt illa remitti per contritionem per ordinem ad Confeſſionem futuram. Nam qui elicit actum contritionis, quo iuſtificatur, & peccata ei remittuntur, tenetur adhuc eadem peccata, quorum remiſſionem per actum contritionis obtinuit, ſubiicere ſuo tempore Confeſſionis Sacramento. Quia Paſſio Chriſti Domini, ſine cuius virtute nec originale, nec actuale peccatum dimittitur, in nobis operatur per Sacramentorum ſuſceptionem, vel actu, vel voto. Ergo peccata remitti per Sacramentum Confeſſionis in voto, eſt, illa remitti per contritionem quatenus dicit Ordinem ad Confeſſionis Sacramentum futurum. Videatur D. Thomas 3. *p. in Addit. q. 6. art. 1. in corpore.*

Sit exemplum ad veritatem hanc explicandam accommodatum: Quando res aliqua venditur, & traditur emptori ante pretij ſolutionem emptor acquirit dominium illius rei, & venditor illam tradit emptori per ordinem ad futuram ſolutionem; interim habitâ fide de ſolutione, quâ ſolutione factâ, contractus remanet perfectus, & completus. Ita qui contritionis actum elicit, obtinet remiſſionem peccatorum non ſimpliciter, & abſolutè, ſed per ordinem ad futuram Confeſſionem, cui Deus vult eadem illa peccata ſubiici; factâ autem Confeſſione pœnitens liber remanet ab obligatione. Ratio fundamentalis huius eſt: Quia Chriſtus Dominus ſuam paſſionem, cuius virtute remittuntur peccata per ſuſceptionem Sacramentorum nobis applicare voluit, vel in re ipſa ſuſcipiendo Sacramenta, vel in voto, per Ordinem ad ſuſceptionem futuram. Vt egregiè docet D. Thom. nouiſſimè relatus. Videatur etiam Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp. 17. ſect. 3. num. 7.*

DVBITATIO VI.

IX. *An votum, vt dicit propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum Confeſſionis debeat eſſe explicitum, vel implicitum?*

Dico decimò: Votum quatenus dicit propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum Confeſſionis, non debet eſſe neceſſariò explicitum, ſed ſufficit quòd ſit implicitum, & ſic per contritionem extra Sacramentum remittuntur peccata, quatenùs in ea continetur deſiderium implicitum ſuſcipiendi Pœnitentiæ Sacramentum. Probatur: Quia ad remiſſionem peccatorum ante Baptiſmum ſufficit votum implicitum Baptiſmi, vt ait D. Thomas 3. *p. q. 69 art 4. ad ſecundum argumentum.* Ergo etiam ad remiſſionem peccatorum poſt Baptiſmum ſufficit votum implicitum Sacramenti Pœnitẽtiæ, contentum in contritione. Tum quia quando quis nullam habens memoriam Confeſſionis dolet de peccatis, quatenus ſunt offenſa Dei ſummè dilecti, etiamſi non habeat expreſſum propoſitum confitendi peccata, remiſſionem peccatorum conſequitur; cùm per veram contritionem habeat vltimam diſpoſitionem ad gratiam. Ergo ad remiſſionem peccatorum non requiritur quòd in contritione contineatur deſiderium explicitum ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ. Et ita hanc ſententiam tenet D. Thom. *in 4. diſt. 17. q. 3 art. 5. quæſtiunc. 1.* quem ſequitur Suarez *tom. 4 in 3. p. diſp. 17. ſect. 3. n. 9.* Sed vt magis explicetur pronuntiatum immediatum,

Dico vndecimò: Duplex eſt votum, ſiue propoſitũ recipiendi aliquod Sacramentum; alterum implicitum, alterum explicitum. Implicitum eſt, quod ſolùm ratione quadam communi terminatur ad tale Sacramentum; vt quando quis habet contritionem, habet etiam propoſitum ſeruandi omnia præcepta, atque adeò ibi includitur votum cuiuſcumque Sacramenti neceſſarij, & etiam præcepti. Votum verò explicitum eſt quod in particulari terminatur ad tale Sacramentum explicitè cognitum, vt quando quis credens per fidem, Confeſſionem eſſe neceſſariam, formaliter, & explicitè deſiderat cõfiteri. Ad iuſtificationem per cõtritionem ſufficit votũ implicitum Confeſſionis. Quia facilè contingere poteſt vt ille, qui baptizatus eſt, antequàm ſciat eſſe Sacramentum Confeſſionis, peccet mortaliter, & habeat contritionem; tunc iſte iuſtificatur per ſolum votum implicitum Confeſſionis. Ergo, &c. Videatur Nugnus noſter *tom. 2. in 3. p. in Addit. q. 6. art. 1. dub. 2. Concluſ. 5. fol. 237. col. 1. mihi.*

X, *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur quare Chriſtus Dominus non contulerit Eccleſiæ facultatem inſtituendi Sacramenta?*

Ad rationem in contrarium quatenùs directè militat contra ſeptimam & octauam aſſertionem. Reſpondetur, quòd ad poteſtatem excellentiæ, quam ſolus Chriſtus Dominus habuit in vniuerſam Eccleſiam, pertinuit, quòd Filius Dei Chriſtus Dominus effectũ Sacramenti Pœnitentiæ, qui eſt remiſſio peccatorum, contulerit mulieri adulteræ ſine exterioris pœnitentiæ Sacramento: licèt non ſine interiori pœnitentia, quam ipſe in ea per gratiam eſt operatus: præcipuè quia tũc temporis Sacramentum Pœnitentiæ non erat ſub præcepto, cùm nondum fuiſſet inſtitutum: Nam, vt diximus Aſſertione quintâ, Chriſtus Dominus illud inſtituit poſt Reſurrectionẽ ſuam in illis verbis Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c. Ita egregiè reſpondet D. Thom. 3. *p. q. 84. art. 5. ad 3. arg.* Sed vt magis hæc ſolutio explicetur,

Dico quòd poteſtas excellentiæ, quam ſolus Chriſtus Dominus habuit; vt docet D. Thom. 3. *p. q. 64. art. 3.* eſt ſupernaturalis, & ſuprema quædam poteſtas in vniuerſam Eccleſiam; ratione cuius Chriſtus Dominus potuit ſpiritualem Rempublicam condere, ſcilicet Eccleſiam ſuam, & modum ordinare, quo erat regenda, & gubernanda, ſuperiores eligere, iuriſdictionẽ illis dare, & inſtituere Sacramenta; vt conſtat ex Euangeliis, Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Et Ioann. 3. inſtituit Sacramentum Baptiſmi: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. etiam Matth. 26. Sacramentum Euchariſtiæ: *Hoc facite in meam commemorationẽ*; & Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittũtur eis*, &c. Quibus in verbis Sacramentum Pœnitentiæ eſt inſtitutum. Denique de fide eſt ex Concil. Trident, *ſeſſ 6. canon. 1.* omnia Sacramenta à Chriſto Domino fuiſſe inſtituta. Videatur pro hac re D. Thomas 3. *p. q. 64 art. 3. in corpore.* Suarez *tom. 3. in 3 p. diſput 47. ſect. 1.*

Talem excellentiæ poteſtatem Chriſtus Dominus ſuis Miniſtris communicare potuit,& ſic potuiſſent inſtituere Sacramenta,& ſine ritu Sacramentorum,effectum Sacramentorum conferre. Quia verò Chriſto Domino hæc excellentiæ poteſtas conuenit in quantùm eſt Eccleſiæ caput,ne multa capita in Eccleſia eſſe viderentur, noluit illam aliis communicare. Quod ſi communicaſſet, ipſe nihilominus eſſet caput principaliter,alij verò ſecundario,& miniſterialiter. Ita egregiè D.Thomas: *3 p. q.64. art.4. in corpore, & ad tertium.* Nugnus *ibi Difficult.1.* contra Durand. *in 4. Diſt.2.*

Articvlvs IV.

An peccata ſint materia remota Sacramenti Confeſſionis.

Svmmarivm.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur in quo ſenſu Peccata dicantur materia in Sacramento Pœnitentia?*
3. *Quid ſit peccatum Originale, Mortale, & Veniale?*
4. *An peccatum originale, vel actuale commiſſum ante Baptiſmum ſit materia Confeſſionis?*
5. *Dubitatio reſoluitur quoad peccata mortalia.*
6. *An peccata venialia ſint materia Sacramenti Pœnitentia?*
7. *An peccatum dubium, vel aliàs confeſſum, poſſit eſſe materia Sacramenti Confeſſionis; & quomodo ſe debeat gerere Confeſſarius dum dubitat de materia ſufficienti ad abſolutionem?*
8. *An pœnitens certus ſe perpetraſſe peccatum, dubius tamen de illius grauitate, teneatur aliam materiam exhibere, dum non habet conſcientiam alterius peccati mortalis? & an peccata actualia mortalia, vel venialia ſemel dimiſſa poſſint eſſe materia nouæ confeſſionis?*
9. *An ſuper eandem confeſſionem poſſit reiterari abſolutio?*
10. *An conferatur gratia confitenti peccata iam remiſſa, vel de quibus iam habuit contritionem?*
11. *An forma abſolutionis, applicata peccatis iam remiſſis, ſit vera?*
12. *An ſit licitum confiteri ſcienter, de peccatis rite alias confeſſis, aliquam vna cōfeſſione, & alia in altera?*
13. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur an peccatum originale ſit materia in Sacramento Baptiſmi.*

Dvbitatio I.

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm nullus aſſerit quod peccatum originale ſit materia Sacramenti Baptiſmi, cum tamen tollatur per Baptiſmum: Ergo neque etiam dici poteſt, quod peccata actualia ſint materia Sacramenti Confeſſionis, etiamſi virtute talis Sacramenti deleantur.

II. *Explicatur in quo ſenſu peccata dicantur materia in Sacramento Pœnitentia.*

Dico primò, triplicem eſſe materiam; *in qua, ex qua,* & *circa quam.* Materia *in qua*, eſt ſubiectum, in quo recipitur forma. Materia *ex qua* eſt illa, quæ ſimul cum forma conſtituit rem, quæ materiæ aliquandò coincidit, vt materia equi eſt in qua recipitur forma equi, & ex qua cōponitur equus. Tertia materia eſt illa *circa quam* verſatur actio agentis, & in hoc ſenſu peccata dicuntur materia Sacram. Confeſſionis. Quia ſicut indigentia pauperis ſubleuanda, & deſtruenda, eſt materia circa quam miſericordiæ virtus verſatur. Ita peccata deſtruenda, & abolenda ſunt materia, circa quam verſatur Confeſſionis Sacramentum. Videatur Nugnus *tom.2. in 3. part: quæſt.84. art.2. in expoſ. art.*

III. *Quid ſit peccatum Originale, Mortale, & Veniale?*

Dico ſecundò, Peccatorum quoddam eſt Originale, quoddam Mortale, quoddam Veniale. Peccatum originale eſt *priuatio Iuſtitia originalis debita ineſſe ſingulis ex pacto facto à Deo cum Adamo.* Vide ſapientiſſimum Magiſtrum meum Aluarez *lib.6. de Auxiliis, diſp.44. num.24.* Peccatum mortale id eſt, *quod eſt contra legem, dignum æternâ pœnâ.* Veniale verò illud dicitur, *quod propriè non eſt contra, ſed præter legem dignum temporali pœnâ.* Vide D.Thom. *1.2. q.88. art.2.* Sanchez *lib.1. Oper. Moral. cap.1. n.2.*

IV. *An peccatum originale, vel actuale commiſſum ante Baptiſmum ſit materia Confeſſionis?*

Dico tertiò: Peccatum originale, aut etiam actuale propriâ voluntate commiſſum ante Baptiſmum nequit eſſe materia remota neceſſaria, vel ſufficiẽs iſtius Sacramenti. Quia peccatũ originale aut actuale commiſſum ante Baptiſmum non ſubijcitur iuriſdictioni, & iudicio Eccleſiæ, cùm homo dum ea incurrit non eſt ſubditus Eccleſiæ; fit enim ſubiectus Eccleſiæ per Baptiſmum: ergo peccatum originale, aut actuale cōmiſſum ante Baptiſmum nequit eſſe materia Sacramenti Pœnitẽtiæ: Antecedens patet ex illo 1. Corinth. 1. *Quid mihi de his, qui foris ſunt?* Conſequentia verò probatur; Nam illa peccata ſunt materia remota iſtius Sacramenti, quæ ſubduntur iuriſdictioni, & Iudicio Eccleſiæ, cùm hoc Sacramentum ſit inſtitutum per modum Iudicij: ergo, &c. Tum quia hoc videtur de fide definitum in Concilio Tridentino *ſeſſ 14 cap* 2. Vbi dicitur Pœnitentiæ Sacramentum inſtitutum eſſe ad reconciliandos fideles lapſos poſt Baptiſmum; & ita hanc aſſertionem docet Magiſter Sotus *in 4. diſt. 14 quæſt.1. art.2.*

V. *Dubitatio reſoluitur quoad peccata mortalia.*

Dico quartò: Materia remota propriè, principaliter, & neceſſaria ſunt peccata mortalia pœnitentis: Propriè quidem; quia de his propriè pœnitere dicimur, quæ noſtrâ voluntate commiſimus. Principaliter; quia ad deletionem peccati mortalis hoc Sacramentum eſt principaliter inſtitutum: Neceſſaria; quia peccatum mortale poſt Baptiſmum commiſſum, ſolùm deletur per Confeſſionis Sacramentum, vel in re, vel in voto. Sic egregiè D.Thom. *3. p. q.84. art.2. ad* 3.

VI. *An peccata venialia ſint materia Sacramenti Pœnitentia?*

Dico quintò: Peccata venialia ſunt quidem propriè materia remota Sacramenti Pœnitentiæ: quia materia remota propriè Sacramenti Confeſſionis eſt illa, circa quã verſatur materia proxima; id eſt, actus pœnitẽtis. Sed actus pœnitentis in Sacramento Confeſſionis verſari poſſunt circa peccata venialia. Ergo, &c. Non tamen principaliter: quia, vt diximus, Sacramentum Confeſſionis principaliter eſt inſtitutum ad delendum peccatum mortale: neque neceſſariò ſunt materia: quia abſolutè non tenemur de peccatis venialibus cõfiteri.

Nam

Nam Sacramentum Confeſſionis eſt neceſſarium poſt naufragium; eſt enim ſecunda tabula poſt naufragium; vt inquit D. Thom. 3. *p. q.* 84. *art.* 6. & D. Hieron. ſuper illud Iſaiæ 3. *Peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicauerunt*. Sed peccata venialia, non inducunt naufragium; non enim ſunt digna pœnâ æternâ; neque per illa amittitur gratia diuina: ergo, &c. Sunt tamen materia ſufficiens, vt docet Concilium Tridentin. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. Quia peccata venialia verè ſunt peccata poſt Baptiſmum commiſſa. Videatur. D. Thom. 3. *p. q.* 84. *art.* 2. *ad* 3. *arg.* Nugnus *tom.* 2. *in Addit. ad* 3. *p. quæſt.* 6. *art.* 3. *dub.* 2.

DVBITATIO I.

VII. *An peccatum dubium, vel aliàs confeſſum poſſit eſſe materia Sacramenti Confeſſionis, & quomodo ſe debeat gerere Confeſſarius dum dubitat de materia ſufficienti ad abſolutionem?*

Dico ſextò: Peccatum dubium non eſt per ſe ſufficiens materia Sacramenti Pœnitentiæ: Quando ſcilicet pœnitens dubius eſt de facto, id eſt, quando dubitat ſe admiſiſſe tale peccatum; quia materia Sacramentorum debet eſſe certa, vt in Baptiſmo aqua naturalis; in Euchariſtia, panis triticeus. Sed peccatum dubium non dicitur reuera peccatum, cùm dubitetur an ſit peccatum: ergo per ſe non poteſt eſſe materia ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ. Confeſſarius igitur non debet abſolutè, & ſimpliciter impendere abſolutionem pœnitenti, à quo non poteſt materiam certam extorquere. Quòd ſi manente dubio iudicauerit abſolutionem impendendam, impendat ſub conditione, ſi materia eſt ſufficiens, licèt ſub dubio in Confeſſione ſit expreſſa. Ita benè aduertit Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 18. *num.* 1. & 12.

DVBITATIO II.

VIII. *An pœnitens certus ſe perpetraſſe peccatum, dubius tamen de illius grauitate teneatur aliam materiam exhibere, dum non habet conſcientiam alterius peccati mortalis? & an peccata actualia mortalia, vel venialia ſemel dimiſſa, poſſint ſemper eſſe materia noua Confeſſionis?*

Dico ſeptimò: Si pœnitens ſciat ſe commiſiſſe tale peccatum, dubitat tamen de grauitate illius, an videlicet peccatum ſit mortale, non tenetur aliam materiam exhibere, modò non habeat conſcientiam alterius peccati mortalis. Quia iam exhibuit materiam certam ſufficientem ſiue illa ſit peccatum mortale, ſiue veniale. Ita benè Sanchez *lib.* 4. *oper. mor. cap.* 10. *num.* 70.

Dico octauò: Peccata actualia ſemel dimiſſa, ſiue ſint mortalia, ſiue ſint venialia, poſſunt eſſe materia ſufficiens nouæ Confeſſionis, quia ſicut eadem numero aqua, quæ eſt materia remota Baptiſmi, poteſt adhiberi in adminiſtratione plurium Baptiſmatum, ita eadem peccata poſſunt inſeruire pro materia plurium Sacramentorum Pœnitentiæ, modò adſit diſtincta materia proxima, id eſt, diſtinctus dolor, & diſtincta Confeſſio. Nam licèt tunc materia remota ſit eadem, idem puta peccatum actuale, ſemel & iterùm confeſſum, dolor tamen, & confeſſio, quæ ſunt materia proxima Sacramenti Confeſſionis ſunt diuerſa. Ita D. Thomas *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 2. *ad quartum*. Sotus *ibi q.* 4. *art.* 3. *prope finem. verſ. Addit tamen D. Thomas.*

DVBITATIO III.

IX. *An ſuper eandem Confeſſionem poſſit reiterari abſolutio?*

Dico nonò: Supra eandem tamen Confeſſionem non poteſt iterari Sacramentalis abſolutio, quod propriè fieret quando ſucceſſiuè idem peccatum eâdem Confeſſione accuſatum bis remitteretur per Sacramentalem Abſolutionem; hoc enim, inquam, fieri non poteſt: quia ſicut hoſtia conſecrata iterum nequit conſecrari, ita eadem prorſus Confeſſio poſt abſolutionem datam non poteſt iterùm ſucceſſiuè eſſe materia Sacramenti Pœnitentiæ. Ita egregiè Caietanus *tom.* 1. *Opuſc. tract.* 5. *de Confeſſ. quæſt.* 4. *ſolut. ad primum argumentum*. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 18. *ſect.* 1. *n.* 7.

DVBITATIO IV.

X. *An conferatur gratia à Deo confitenti peccata iam remiſſa, vel de quibus iam habuit contritionem?*

Dico decimò: Quicumque peccata ſemel ritè confeſſa ſubſequutà abſolutione, & ſatisfactione, iterùm confitetur, non ſolùm licitè ſuſcipit Sacramentum, ſed etiam fructuosè: Recipit enim hic augmentum gratiæ, & remiſſionem aliquantæ pœnæ, ſi tota priùs non eſt remiſſa. Similem etiam fructum habet prima Confeſſio, ad quam heri contritus, hodie acceſſit: quia Sacramenta dant effectum infallibiliter non ponentibus obicem, ſed homo iſte, de quo loquimur; non ponit obicem; ſupponimus enim confiteri cum vera attritione, & propoſito. Ergo fructuosè recipit Sacramentum, ſuſcipit enim augmentum gratiæ, & remiſſionem aliquantæ pœnæ debitæ peccatis dimiſſis, ſi adhuc debitor illius exiſtit. Tum quia ſacramentalis Abſolutio nedum ſe extendit ad remiſſionem culpæ, ſed etiam ad augmentum gratiæ, & remiſſionem pœnæ debitæ pro peccatis iam dimiſſis. Ergo ſi culpa eſt iam dimiſſa per contritionem, vel per priorem Confeſſionem, modò pœnitens per ſacramentalem Abſolutionem recipit augmentum gratiæ, & remiſſionem partis pœnæ, ſi tota priùs non eſt remiſſa: Sic probè Caietanus nuperrimè relatus *Solutione ad ſecundum*. Sotus *vbi ſupra*.

DVBITATIO V.

XI. *An forma Abſolutionis applicata peccatis iam remiſſis ſit vera?*

Dico vndecimò: Significatio formæ Sacramentalis abſolutionis datæ pœnitenti confitenti ſola peccata iam ritè confeſſa eſt veriſſima. Nam talis forma: *Ego te abſoluo*, habet hunc verum ſenſum, Ego tibi confero gratiam remiſſiuam peccati, quantum eſt ex ſe. Ergo veriſſima eſt per ſe, & ex ſe loquendo. Quòd ſi culpa per contritionem, & confeſſionem priorem, eſt iam remiſſa, ſufficit quòd augmentum gratię, & remiſſio pœnæ, ſi tota non eſt remiſſa, vi Sacramenti ex opere operato conferatur. Vide Nugnum *tom.* 2. *in* 3. *p. q.* 84. *artic.* 3. *dub.* 2. *ad primum argumentum*, *fol.* 15. *col.* 2. *mihi*. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſput.* 18. *ſect.* 2. *num.* 10.

Dvbitatio VI.

XII. *An ſit licitum confiteri ſcienter, de peccatis ritè aliàs confeſſis, aliqua in vna confeſſione, & alia in altera?*

Dico decimò: Pœnitens poteſt aliqua peccata, ſiue mortalia, ſiue venialia ſint ritè confeſſa, iterùm manifeſtare in cooſeſſione & alia reticere, imò licèt in tali caſo intendat generalem omnium confeſſionem facere, poteſt hodie partem confiteri, & ab illis abſolui, & cras aliam partem, & tunc abſolui, & ſic per totam hebdomadam, & hoc non eſt dimidiare culpabiliter confeſſiooem: quia huiuſmodi peccata ſemel ritè confeſſa oon ſunt materia neceſſaria in Confeſſione ſacramentali, ſed tantùm ſufficiens. Ita benè Magiſter Sotus *in 4. diſt. 18. quaeſt. 2. art. 5. §. At verò quando: verſ. Item ſi quis, fol. 874. mihi.* Liberum igitur eſt pœnitenni partem peccatorum ſemel ritè confeſſorum manifeſtare hodie, & partem cras in diſtinctis confeſſionibus ſiue confeſſiones fiant vni, & eidem Sacerdoti, ſiue diuerſis; non enim ſunt materia neceſſaria, vt diximus, ſed ſufficiens.

XIII. *Rationi in contrarium à principio reſpõdetur, & explicatur an peccatum originale ſit materia in Sacramento Baptiſmi.*

Ad tationem in contrarium quatenus directè militat contra quartum, & quintum pronũtiatum Reſpondetur negando antecedens. Verè enim & propriè peccatum originale eſt materia *circa quam* Sacrameoti Baptiſmi; per illum enim tollitur & deletur, quòd ſi tegulariter id non dicitur, ideò eſt, quia præſupponitur, & non eget diſputatione. Ita rectè Nugnus noſter *tom. 2. in 3. p. quaeſt. 84. art. 2. in expoſitione Ad ſecundum Argumentum.*

Articvlvs V.

An pœnitens teneatur in Confeſſione peccata venialia manifeſtare?

Svmmarivm.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Dubitatio reſoluitur, & explicatur, an peccata venialia ſint materia Confeſſionis.*
3. *An non habens peccata mortalia teneatur ſemel in anno confiteri, ſi venialia habeat?*
4. *An Eccleſia poſſit præcipere Confeſſionem peccatorum venialium?*
5. *An ſit valida Confeſſio venialium habita ſine dolore? Et: An qui confitetur peccata venialia, quæ non fecit, peccet?*
6. *An qui confitetur tantùm peccata venialia ſimplici Sacerdoti, ſi habeat peccatum mortale, cuius non recordatur, maneat abſolutus?*
7. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicatur, cur non teneatur confiteri venialia?*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Nam *in cap.* Omnis vtriuſque ſexus, *De pœnitentiis, & remiſſionibus*, præcipitur omnibus fidelibus, vt ſemel in anno omnia ſua peccata confiteantur. Sed peccata venialia ſunt verè & ſimpliciter peccata. Ergo pœoitens ſaltem ſemel in anno omnia peccata venialia confiteri tenetur.

II. *Dubitatio reſoluitur, & explicatur an peccata venialia ſint materia Confeſſionis?*

Dico primò, Certum eſt ſecundùm fidem, quòd peccatum veniale ſit materia ſufficiens Sacramenti Confeſſionis, ita vt poſſit homo verè coofiteri, & abſolui ab illo, ita determinatur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 5.* certum eſt etiam, quod ſtando in ſolo iure naturali, & diuino non tenetur homo confiteri de peccatis venialibus. Quia ſecundum fidem ſunt alia multa remedia ad peccata venialia tollenda. Sic in eodem Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cit. cap. 4.* Videatur Nugnus *tom. 2. in 3. part. in Addit. q. 6. art. 3. dub. 2. principio.*

Dvbitatio I.

III. *Annon habens peccata mortalia teneatur ſemel in anno confiteri, ſi venialia habeat?*

Dico ſecuodò: Habens ſolum peccata venialia præcepto Eccleſiaſtico non tenetur illa ſemel in anno confiteri: Quia habens peccata ſolùm venialia non tenetur confiteri ex præcepto diuino, cùm hoc præceptum nullibi reperiatur. Ergo neque etiam ex præcepto Eccleſiaſtico: cùm Eccleſia *in cap.* Omnis vtriuſque ſexus, *de pœnitent. & remiſſ.* non imponat præceptum confitendi, ſed tantùm determinet tempus adimplendi preceptum diuinum. Nugnus nuper cit. *verſ. ſed pro alia ſunt:* Sotus *in 4. diſt. 18. q. 1. art. 3. concl. 4.* Caietan. *tom. 1. opuſc. tract. 5. q. 1.* Contra Alenſ. *4. p. q. 77. mem. 1. art. 1. & 2.* & S. Bonauen. *in 4. diſt. 17. quaeſt. 1. art. 4.*

Dico tertiò, Tenetur tamen is, qui toto anno à peccato mortali abſtinuiſſet ſaltem ratione ſumendæ Euchariſtiæ ſuum proprium Sacerdotem adire, & dicere ſe non habere conſcientiam peccati mortalis; & ideò poſſet ſine præuia confeſſione ad diuinum epulum ſumendum accedere, cui eſſet fides adhibenda, quando cõtrarium euidenter non conſtaret. Quia in hoc foro, vt ait D. Thom. *quodlib. 1. art. 12.* vnicuique eredendum eſt tam pro ſe, quàm contra ſe loquenti: Vide Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp. 36. ſect. 2. n. 9.* Bonacin. *tom. 1. tract. de Sacramento Pœnit. diſp. 5. quaeſt. 5. ſect. 2. punct. 4. n. 8. fine,*

Dvbitatio II.

IV. *An Eccleſia poſſit præcipere confeſſionem peccatorum venialium?*

Dico quartò: Poteſt tamen Eccleſia præcipere confeſſionem peccatorum venialium. Nam Eccleſia poteſt præceptum dare de eo, quod quiſque poteſt vouere; Sed vnuſquiſque fidelium poteſt voto promittere, ſe venialia confeſſurum; vt docet Sotus *in 4. diſt. 18. q. 1. art. 3. immediatè ante 5. Concluſionem.* Sanchez *lib. 4. Oper. mor. cap. 5. num. 20.* ergo poteſt Eccleſia præcipere, vt qui ſolis venialibus peccatis tenetur, ea certis temporibus debeat confiteri: Tum quia venialium confeſſio delictorum eſt opus, & officium virtutis; eſt enim actus religionis Sacramenti pœnitentiæ vſus vtilis, & ſalutaris: ergo in vtilitatem fidelium poteſt id Eccleſia præcipere: Tum quia in Clem. *Ne in agro Dominico*, §. Sanè *De ſtatu Monachorum* eſt præceptum Monachis Benedictini inſtituti, vt ſingulis

quibuſque

quibuſque menſibus ad ſacram peccatorum confeſſionem accedant, qua lege tenentur Monachi ſiue lethalium, ſiue venialium tantum peccatorum ſint conſcij, vt docet Caietan. *tom.1. opuſcul. tract.5. de confeſſione quæſt.1.* Ergo id etiam Eccleſia poteſt præcipere alijs fidelibus, vt qui ſolis peccatis venialibus tenentur, ea certis temporibus confiteri debeant; & ita hanc ſententiam tenet Caietan. vbi ſuprà, Syluest. *verb. Confeſſio. num.14. quæſt.13. verſic. Nec hoc eſſet mutare.* Azor: *p.1. inſtit. moral. lib.7. cap.39. Dubio 4.*

Dico quinto, Eccleſia non poteſt præcipere confeſſionem omnium venialium. Quia Eccleſia ſimpliciter, & abſolutè poteſt præcipere confeſſionem venialium, quatenus poteſt iubere vſum, & ſuſceptionem ſacramenti Pœnitentiæ ad bonum aliquem finem conſeqoendum, vt ad placandum Deum in aliqua publica neceſſitate, ad maiorem gratiam recipiendam, ad obſeruationem diſciplinæ monaſticæ &c. ſed ad vſum, & ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ non eſt neceſſaria confeſſio omnium venialium. Ergo Eccleſia non poteſt illam præcipere. Ita bene Suarez *tom.4. in 3.p. diſput.22. ſect.8. num.7.*

Dvbitatio III.

V. *An ſit valida confeſſio venialium habita ſine dolore & an qui confitetur peccata venialia, quæ non fecit, peccet?*

Dico ſextò, Si quis tantùm venialibus teneatur, & ſine vllo prorſus dolore confiteatur, peccat mortaliter. Quia impedit ſcienter, ne Sacramentum Pœnitentiæ faciat quod poteſt, apponendo materiam in confeſſione, quod reuera non eſt materia proxima, peccata enim deteſtata, ſunt materia proxima ſacraméti Pœnitentiæ. Similiter ſi vnum tantùm veniale confitetur ſine vllo prorſus dolore, veniam, & gratiam non conſequitur, & mortaliter peccat, quia facit iniuriam Sacramento; confeſſio enim quæ eſt materia proxima Sacramenti pœnitentiæ debet eſſe doloroſa, vt docet egregiè D. Thomas: *3.p.q.84. art.2. corp.* Azor *p.1. inſt. mor. lib.4. cap.11. dub.1.*

Dico ſeptimò, Habens, exempli gratia, quatuor peccata venialia, quorum duo in confeſſione tantummodo deteſtetur, & veram habeat contritionem, vel attritionem, alia verò duo confiteatur, licèt illa non deteſtetur: hic non peccat mortaliter, & verum tunc conficitur Sacramentum. Quia quamuis iſte apponat in confeſſione illa duo peccata nó deteſtata, tanquàm materiam Sacramenti, non tamen tanquam materiam neceſſariam, & ex alia parte apponit ſufficientem materiam; nempe illa alia duo peccata venialia deteſtata, ſuper quæ poteſt cadere forma Sacramenti. Ergo cùm non ſit cauſa, vt impediatur nec Sacramentum, nec effectus Sacramenti, cùm ſufficientem materiam apponat, non peccabit lethaliter: Licèt venialiter delinquat apponendo partem materiæ in Sacramento Pœnitentiæ, quæ reuera non eſt ſufficiens. Videatur Nugnus *tom.2. in 3.p.q.6. art.4. in addit. dub.1. §. In his quatuor concluſionibus.* Lodouicus Beia *p.3. reſp. caſ. conſcientiæ, caſu 42. §. Colliges tertiò.*

Dico octauo, Qui ſolùm confitetur ſe peccaſſe, quod vnum peccatum veniale commiſerit, puta quod verbum otioſum dixerit, & in hoc ſcienter mentiatur, peccat mortaliter, & conſequenter Sacramentum Pœnitentiæ eſſet inualidum, Non quia in re minima mentitur, ſed quia ſcienter abſolutionem à peccatis ſuſcipit, cùm nullam Sacramenti materiam præſtet. Ita Nugnus nuperrimè relatus *concluſ. tertia.*

Dvbitatio IV.

VI. *An qui confitetur tantùm peccata venialia ſimplici Sacerdoti ſi habeat peccatum mortale, cuius non recordatur, maneat abſolutus?*

Dico nonò: Habens multa peccata venialia ſi confiteretur ſimplici Sacerdoti, ſi obliuiſceretur inculpabiliter alicuius mortalis, tunc Sacramentum eſſet validum, & formatum, ſi pœnitens cum vera ſupernaturali attritione confiteretur ſola peccata venialia. Quia licèt directè tunc abſolueretur à venialibus, indirectè tamen, & quaſi per accidens, & conſequenter ab illo mortali, cuius inculpabiliter obliuiſcitur, abſolueretur, cum obligatione tamen, quod ſi poſtea illius obliti recordaretur, iterum confiteatur illud habēti facultatem ab illo abſoluendi. Videatur Nugnus in conſimili caſu, *tom.1. in 3.p.q.69. art.10. dub.3. poſt tertiam concluſionem. verſ.* Propterea quod, *fol.223. col. 2. mihi:* Suarez *tom.4 in 3.p. diſp.20. ſect.2. num.13. fine.*

VII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicatur cur non teneamur confiteri venialia.*

Ad rationem in contrarium quatenus pugnat cum ſecundo noſtro pronunciato reſpondetur, quod in illo capitulo citato ſolùm conſtituitur præceptum, vt homo confiteatur ſemel in anno: quod autem confeſſio fiat de omnibus peccatis intelligendum eſt iuxta ſuam naturam, vt ſcilicet confiteamur de illis, de quibus tenebamur confiteri ſecundum ius diuinum. Iure verò diuino confiteri non tenemur ſacramentaliter venialia, tum quia Sacramentum Pœnitentiæ eſt ſecunda tabula poſt naufragium, & veniale peccatum, quia non ſeparat à Deo, non frangit innocentiæ nauim, atque adeo non eſt naufragium, tum quia non requirit infuſionem gratiæ, quæ fit per Sacramentum; licet ad eius remiſſionem aliquis motus gratiæ requiratur, vt docet D. Thom. *3.p q.87. art.4. ad ſecundum.* Videatur pro hac ſolutione Sotus in 4. *diſt.18. quæſt.1. art.3 poſt quartam concluſionem §. de ſecunda verò parte. verſ. Venialia iure diuino.* Nugnus *tom.2. in 3.p. in addit. q.6. art.3 dub 2. Ad ſecundum argumentum.* Azor *1.p. inſtit. mor. lib.7. cap.39. dubio 3.*

Articvlvs VI.

An dolor neceſſariò requiſitus in Sacramento Pœnitentiæ debeat confeſſionem præcedere?

Svmmarivm.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur an validè ſuſcipiat Sacramentum Pœnitentiæ, qui in recogitatione peccatorum dolet de peccatis, non autem tempore confeſſionis.*
3. *Dubitatio reſoluitur.*
4. *An Pœnitens qui non expreſſit omnia peccata incidens in amentiam, poſſit abſolui?*
5. *An dolor & confeſſio peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ debeant præcedere abſolutionem?*
6. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur; & explicatur quomodo dolor requiſitus in Confeſſione fiat ſenſibilis per ordinem ad confeſſionem præcedentem.*

I. *Pars*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm dolor, qui eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, debet eſſe ſenſibilis, ſed ſi non eliciatur ante cõfeſſionem, non fit ſenſibilis; cùm fiat ſenſibilis per confeſſionem quatenus actus internus fit ſenſibilis per externum: Ergo dolor, qui eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, debet præcedere confeſſionem, vt per illam fiat ſenſibilis; & ita hanc ſententiam tenuit Coninchus *de Pœnitentia, diſput. 4. dub. 4. num. 44.* vt refert Bonacina *tom. 1. tract. de Sacramento Pœnitentia, diſp. 5. q. 3. puncto 2. num. 18.*

II. *Explicatur an validè ſuſcipiat Sacramentum Pœnitentiæ, qui in recogitatione peccatorum dolet de peccatis, non autem tempore Confeſſionis?*

Dico primò, qui ante confeſſionem recogitauit peccata ſua cum dolore, & poſteà virtute illius præcedentis recogitationis, & doloris, confitetur peccata ſua, validè ſuſcipit Sacramentũ Pœnitentię, & ſic dolor tempore præcedens confeſſionem, ſufficit ad Pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipiendum: quia ſicut abſolutio datur aliquando etiamſi multis antè diebus præceſſerit confeſſio, quæ cenſetur moraliter præſens Cõfeſſario, quatenus Confeſſor abſoluens recordatur peccatorum in confeſſione receptorum; ita impendi poteſt abſolutio, licèt dolor præceſſerit confeſſioné, moraliter enim coniungitur confeſſioni, quæ fit virtute illius doloris, anteà eliciti, & illa confeſſio cenſetur doloroſa, virtute præcedentis doloris relati ad confeſſionem. Ergo, &c. Tum quia contingere poteſt, vt in actuali confeſſione ita homo attendat ad peccatorum explicationem, vt nullum internum dolorem tunc actu exerceat. Sed ſi tunc confeſſio fit virtute præcedentis recogitationis, & doloris, ſine dubio validum eſt Sacramentum, & confeſsio ſufficiens, quia moraliter illi coniungitur dolor, qui præceſsit & virtute ſuâ illam confeſſionem informat. Ergo dolor tempore præcedens ſi ex intentione pœnitentis formali, vel virtuali ad ſubſequentem confeſſionem referatur, eſt ſufficiens etiamſi in actuali peccatorum explicatione non iteretur: & ita hanc ſententiam tenet Sotus in *4. diſt. 17. q. 2. art. 3. §. Fateor me: verſic. Et reuerà pœnitentium vſus.* Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp. 20. ſectione 4. n. 29.*

III. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico ſecundò: Non eſt neceſſe vt dolor antecedat ipſam confeſsionem, ſed ſufficit vt tempore præcedat, vt probauimus aſſertione præcedenti, vel vt eliciatur in ipſamet confeſſione, vel etiam factâ confeſſione, antequàm pœnitens abſoluatur. Quia dolor eſt neceſſarius in confeſſione, vt confeſſio rationem habeat accuſationis, & non ſimplicis narrationis; ſed confeſſio habet ſufficientem rationem accuſationis per actum doloris in ipſamet confeſſione, vel ſubſequenté ipſam confeſſionem, cum quo ipſi abſolutioni ſubiicitur. Ergo dolor in ipſamet confeſſione, vel elicitus poſt factam confeſſionem eſt ſufficiens, &c. Ita Vaſquez *tom. 4. in 3. p. q. 67. diſp. 148 cap. §. Id quod diximus, verſ. de Sacramento verè Pœnitentia.*

DVBITATIO I.

IV. *An Pœnitens qui non expreſſit omnia peccata, incidens in amentiam poſſit abſolui?*

Dico tertiò: Conſequenter Confeſſor excipiens confeſſionem alicuius ſi coram ipſo pœnitens paulò poſt confeſſionem non completam in amentiam incidat, ita vt ampliùs non poſſit confiteri, poteſt illum abſoluere, dummodò moraliter credat pœnitentem in phreneſim verſum in eadem voluntate, & pœnitentia manſiſſe. Probatur, quia abſolutio in Sacramento Pœnitentiæ datur per modum cuiuſdam ſententiæ, ſed hæc ferri poteſt in confeſſionem delictorum, quæ antè præceſſit: Ergo Abſolutio ſacramentalis à Sacerdote impendi poteſt illi, qui dum confitetur peccata ſua incidens in amentiam, ampliùs non poteſt confiteri. Quia confeſſio facta ab iſto humano more cenſetur præſens abſolutioni, quæ tali pœnitenti poſt amentiam incurſam, ſtatim impenditur à Sacerdote. Videatur pro hac aſſertione Sotus *vbi ſuprà*, Vaſques nouiſſimè relatus.

DVBITATIO II.

V. *An dolor, & confeſſio peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ debeant præcedere abſolutionem?*

Dico quartò: Dolor & Confeſſio in Sacramento Pœnitentiæ præcedere debent abſolutionem. Vnde ſi eliciatur actus doloris à pœnitente poſt inceptam abſolutionis formam, vel poſt abſolutionem datam, nullum, & inualidum eſſet Sacramentum Pœnitentiæ: quia hoc Sacramentum adminiſtratur per modum iudicij reconciliatiui; Sed in iudicio reconciliatiuo, antequam abſolutionis ſententia obtineatur, præſupponitur cognitio cauſæ & dolor. Ergo in Sacramento Pœnitentiæ dolor, & confeſſio præcedere debent abſolutionem. Ita benè Bonacina *tom. 1. tract. de Sacramento Pœnitentia, diſp. 5. q. 3. puncto 2. n. 19.* Suarez *vbi ſuprà, num. 31.*

Dico quintò, ad maiorem claritatem. Verum tamen conficeretur Sacramentum Baptiſmi, ſi finita omnino prolatione formæ, quæ eſt, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; ſi paulò poſt adhiberetur, & fieret ablutio, quæ eſt materia proxima huius Sacramenti: quia cùm hoc Sacramentum non exerceatur per modum iudicij reconciliatiui, ſufficit ad eius conſiſtentiam, quòd concurſus materiæ, & formæ more humano cenſeantur ſimul: ſed more humano in adminiſtratione Sacramenti Baptiſmi materia, & forma cenſentur ſimul ſi prolatio formæ parum præcedat applicationem materiæ, vel è contra. Ergo, &c. Tum quia ſi quis oſculans crucem, priùs illam oſculetur, & ſtatim dicat, Ego oſculor crucem, more humano verum dicit, quia illud proximum tempus humano more cenſetur præſens. Ergo ſimiliter ſi Miniſter Baptiſmi prius dicat *Ego te baptizo in nomine Patris, & filij & Spiritus ſancti*, & finitâ omnino prolatione formæ ſtatim abluat, vel contrà, verum conficit Sacramentum. Quia tunc concurſus materiæ & formæ baptiſmi cenſentur ſimul. Ita egregiè Magiſter Soto, *vbi ſuprà.* Scotus *in 4. diſt. 6. quæſt. 3.*

Dico ſextò: Idem dicendum in Sacramẽto Vnctionis, vel Confirmationis: vt ſi Epiſcopus, qui eſt ordinarius Miniſter Sacramenti Confirmationis proferat in illius adminiſtratione priùs formam, quæ eſt, vt docet D. Thomas *3. p. q. 72. art. 4.* *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis*, &c. & poſt prolationem formæ applicet materiam, quæ eſt chriſma ex oleo, & balſamo per Epiſcopum conſecratum; vt docet idem D. Thom. *loco citato, arg. 2.* Vel è contrà priùs applicaret materiam, & poſtea proferret formam, verum, & validum conferret Sacramentum. Quia forma talis Sacramenti Confirmationis, vel Vnctionis prolata

à Mi

à Miniſtro rectè referri poteſt ad aliquantò poſt futurum applicationem materiæ, vel ad paulò antè præteritam: Nam ſicut ſi quis habens vas vino plenum in manu dicat, Ego bibo, etiamſi ſtatim aut paulò poſt bibat, verum apud alios cenſetur dicere. Ergo ſimiliter ſi priùs Miniſter Sacramenti Vnctionis proferat formam: *Per iſtam Vnctionem, & ſuam ſanctam, ac piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum*, &c. & ſtatim vngat infirmum, vel contrà, verum humano more ſignificat, & verum conficit Sacramentum. Videatur Sotus, & Vaſquez *locis citatis*, Ledeſma *in* 4. 1. *p. q.* 7. *art.* 8. *dub.* 5.

VI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, quomodo dolor requiſitus in Confeſſione fiat ſenſibilis per ordinem ad Confeſſionem præcedentem.*

Ad rationem in contrarium, quæ directè militat cōtra ſecundum pronuntiatum, Reſpondetur negando minorem. Nam dolor in confeſſione requiſitus elicitus poſt narrationem peccatorum, quatenus hic, & nunc informat præcedentem confeſſionem, eàmque efficit accuſatoriam, & doloroſam, & vt ſic fit ſenſibilis per ordinem ad confeſſionem præcedentem, quam informat, & eſt ſufficiens pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ. Videatur pro hac ſolutione Suarez *vbi ſuprà, n.* 31. *ad finem.* Bonacina *Aſſertione* 4. *relatus immediatè ante numerum* 19.

ARTICVLVS VII.

An forma Sacramenti Confeſſionis ſit hæc, *Ego te abſoluo*?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Dubitatio reſoluitur.*
3. *An ſit valida forma Abſolutionis dum dicitur:* Abſoluat te Deus: *vel*, Abſoluatur ſeruus Chriſti?
4. *An ſit valida Abſolutio collata in Confeſſione ſub forma deprecatiua?*
5. *An in Abſolutione ſacramentali neceſſaria ſit inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis?*
6. *An in Sacramento Baptiſmi neceſſaria ſit inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, & etiam in Sacramento Confirmationis, vel Extremæ Vnctionis, Dei commemoratio?*
7. *An in Sacramento Ordinis ſit neceſſaria inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, & quænam ſit forma Sacramenti Ordinis?*
8. *An poſſint variari verba Abſolutionis ſacramentalis, ita vt verum conficiatur Sacramentum?*
9. *An ſit validum Sacramentum Pœnitentiæ ſi in forma abſolutionis relinqueretur particula te?*
10. *An in Sacramento Confeſſionis requirantur neceſſariò verba, vel ſufficiant ſigna idem ſignificantia? & idem inquiritur in aliis Sacramentis nouæ legis?*
11. *Si Sacerdos formæ abſolutionis adderet alia verba, in quonam inſtanti pœnitens abſolueretur?*
12. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Videtur quòd hæc forma, *Ego te abſoluo*, non ſit ſufficiens. Nam in omni Sacramento debet per

formam ſignificari materia propria, vt patet in Baptiſmo: *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. ſignificatur ablutio, quæ eſt materia proxima Sacramenti Baptiſmi. In Extrema Vnctione ſignificatur per formam, *Per iſtā ſanctam Vnctionem*, &c. materia proxima, quæ eſt Vnctio. In forma Confirmationis exprimitur etiam materia huius Sacramenti: *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis.* Chriſma enim ex oleo, & balſamo conſecratum eſt materia in hoc Sacramento. Ergo ſola illa duo verba, *Abſoluo te*, non ſunt ſufficiens forma Sacramenti Pœnitentiæ, niſi addatur *à peccatis tuis*, vt ſignificetur ſaltem materia remota: Tum quia ſola illa duo verba, *Abſoluo te*, non faciunt completum ſenſum locutionis, nec determinatam ſignificationem. Nam ſignificatio illius verbi *Abſoluo*, eſt indifferens ad ſignificandam abſolutionem à cenſura, pœna, vel culpa. Ergo neceſſarium eſt addere illam determinationem *à peccatis tuis*: quia verba neceſſaria ad completam ſignificationem, & determinatum ſenſum formæ abſolutè ſunt de eſſentia formæ; & ita hanc ſententiam tenuit Gabriel *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 2. non ſufficere ſcilicet illa duo verba *Abſoluo te*, ſed neceſſarium eſſe addere illam determinationem *à peccatis tuis*.

II. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico primò: Illa duo verba *Abſoluo te* eſſe ſufficientia ad hanc formam Sacramenti pœnitentiæ perficiendam: Quia in his conſummatur ſignificatio huius formæ, & effectus eius; nam implicitè in ipſo verbo *abſoluo* ſuper hanc confeſſionem prolato continetur illa particula *à peccatis tuis*. Sic D. Thom. 3. *p. q.* 84. *art.* 3.

III. *An ſit valida forma abſolutionis dum dicitur* Abſoluat te Deus, *vel* abſoluatur ſeruus Chriſti?

Dico ſecundò: Sacerdos ſi abſoluendo vteretur his verbis: *Abſoluat te Deus, abſoluat te Chriſtus*. Sacramentum confeſſionis eſſe inualidum: Quia neceſſarium eſt neceſſitate Sacramenti; quod in forma Sacramenti pœnitentiæ expreſsè ſignificetur actus exercitus à Sacerdote, vt patet ex illis verbis Domini: *Quæcumque ſolueritis ſuper terram*, &c. Matth. 18. *Et quorum remiſeritis peccata*, &c. Ioan. 20. Sed in illis verbis *abſoluat te Chriſtus*, non expreſsè ſignificatur actus exercitus à Sacerdote. Ergo, &c. Tùm quia nuncante ſacramentalem formam præmittimus illam deprecationem: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat.* Ergo ſignum eſt in illis verbis *abſoluat te Chriſtus* non contineri ſufficientem formam. Nam Eccleſia non proferret ſucceſſiuè duas formas ſufficientes ſuprà eandem materiam. Ita egregiè D. Thom. nuperrimè relatus *ſolutione ad primum argumentum contra Sotum in* 4. *diſt.* 3. *q. vnica art.* 5. §. Percontaberis. *verſic. quæ vtique.*

Dico tertiò: Valida eſt abſolutio hoc modo collata, *Abſoluatur Seruus Chriſti in nomine patris*, &c. Nā his verbis exprimitur actio quatenus exercetur à Miniſtro per modum imperatiuum. Si quis verò dicat *abſoluat te Deus*, non validè abſoluit; quia oſtendit tantùm quod Deus facit, non autem oſtendit ſe hoc facere tanquam Iudicem, ſed potiùs tanquàm præconem; quod videtur eſſe contra illud Domini Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Nec videtur ſimilis ratio de Baptiſmo, qui validè adminiſtratur in ſententia Soti *loc. cit.* Nugni *tom.* 1. *in* 3. *p. q.* 66. *art.* 5. *difficult.* 1. *ſolut. ad* 3. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 19. *ſect.* 1. *n.* 24. ſi baptizans dicat, *baptizet te Deus.* Nam Baptiſmus non adminiſtratur per modum iudicij, ſicut pœnitentia. Tum quia actus Miniſtri, & effectus tali formâ verborum debet

B ſignifi

ſignificari, qualis colligitur ex Scriptura, & vſurpatur ab Eccleſia. Sed actus miniſtri in forma Sacramenti Pœnitentiæ debet ſignificari non deprecatiuo, ſed imperatiuo modo, vt patet ex illis verbis Domini: *Quacumque ſolueritis*, &c. Matth. 18. & *Quorum remiſeritis peccata*, Ioan. 20. Ergo iſta erit legitima forma in Sacramento Confeſſionis: *Ego te abſoluo: Abſoluatur Seruus Chriſti. Abſoluaris à me*, in qua modo imperatiuo ſignificatur actus Miniſtri hoc Sacramentum miniſtrantis; non autem iſta *Abſoluat te Chriſtus*, quia modo deprecatiuo actum Miniſtri explicat, & ita huius ſententiæ eſt Nugnus noſter *tom. 2. in 3. p. quaſt.* 84 *art.* 3. *dub.* 2. §. Multa dubiola: *concluſ.* 3. Valent. *tom.* 4. *diſp.* 7. *quaſt.* 1. *De pœnitentia, vt eſt Sacramentum, puncto* 3 §. Valeret tamen forma: 1258.

IV. *An ſit valida abſolutio collata in Confeſſione ſub forma deprecatiua?*

Dico quartò: Sicut forma Sacramenti extremæ Vnctionis modo deprecatiuo profertur, *Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum*, &c. Et ita debet eſſe deprecatoria; ſcilicet vt colligitur ex verbis Iacobi 5. *Oratio fidei ſaluabit infirmum*, vt rectè D. Thomas notauit *Opuſcul.* 22 *cap.* 1. & 2. Ita potuit Chriſtus Dominus Pœnitentiæ Sacramentum cum forma deprecatiua inſtituere, ſicut fecit in forma extremæ Vnctionis. Quia virtus infinita Dei non eſt alligata ad iuſtificandum hominem, & conferendam gratiam hoc, vel illo modo deprecatiuo, vel imperatiuo: De facto tamen illud inſtituit modo indicatiuo, & imperatiuo, & per modum iudicij, non autem deprecatiuo: Ergo de facto non eſt validum Sacramentum pœnitentiæ ſi adminiſtretur ſub forma modo deprecatiuo prolata, ſed proferri debet, vti eſt inſtitutum à Chriſto Domino; ſicut ſententia profertur à Iudice modo ſcilicet imperatiuo. Videatur D. Thomas *Opuſcul.* 22. *cit.* & 3. *p. quaſt.* 84. *art.* 3. *ad primum Argumentum* Nugnus, & Valent. *vbi ſupra*, Bonacin. *tom.* 1. *tract. de Sacramento pœnitentia diſp.* 5. *quaſt* 4. *puncto* 2. *num.* 8.

Dvbitatio I.

V. *An in abſolutione Sacramentali neceſſaria ſit inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis?*

Dico quintò: In forma Sacramenti pœnitentiæ non eſt neceſſarium adiungere inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis, dicendo ſcilicet *Abſoluo te à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Nam forma Sacramenti Pœnitentiæ colligitur ex illis verbis Chriſti Domini Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, ſed ibi Chriſtus Dominus non appoſuit inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis, ergo ex inſtitutione Chriſti forma Sacramenti pœnitentiæ neceſſariò non requirit, vt in ea fiat inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, D. Thom. 3. *p. quaſt* 84. *art.* 3. *ad tertium* Sotus *in* 4. *diſt.* 14. *quaſt.* 1. *art.* 3. §. Similiter Durandus. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 19. *num.* 19.

Dvbitatio II.

VI. *An in Sacramento Baptiſmi neceſſaria ſit inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, & etiam in Sacramento Confirmationis vel extremæ Vnctionis Dei commemoratio?*

Dico ſextò: Inuocatio tamen expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis eſt neceſſaria in Sacramento Baptiſmi. Quia in Baptiſmo fit primò ſolemnis profeſſio fidei, cuius præcipuus eſt articulus de Myſterio Trinitatis. Ita D. Thomas 3. *p. q.* 66. *art.* 5. Tū quia hoc expreſsè habetur ex inſtitutione formæ Baptiſmi, quam tradidit Chriſtus Dominus Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine patris, & filij & ſpiritus ſancti.* In Confirmatione ſimiliter commemoratio Sanctiſſimæ Trinitatis eſt de eſſentia formæ illius: *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti Amen.* quia Confirmatio confertur ad promptiùs proteſtandam, & confitendam fidem. Ergo neceſſarium eſt, vt in ipſius forma exprimatur principium fidei noſtræ præcipuum, quod eſt Sanctiſſima Trinitas. Sic egregiè D. Thomas 3 *p. q* 72. *art.* 4 Nugnus *ibi difficult.* 1.

Item in extremæ Vnctionis forma eſt de eſſentia commemoratio Dei; dicendo: *Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum.* Quia cùm forma hæc ſit deprecatoria, neceſſium eſt, vt in ea cauſa principalis conferens effectum exprimatur præſertim cùm per hoc Sacramentum peccatorum tollantur reliquiæ, quod ſpecialiter oſtendit miſericordiam Dei. D. Thomas *in Addit. ad tertiam partem quaſt.* 29. *art.* 9. Nugnus *ibi difficult. vnica, Concluſ* 4 Valentia *tom.* 4 *diſput.* 7. *q.* 1. *De pœnitentia vt eſt Sacramentum, puncto* 3. §. *quod autem obiicit.* Non tamen eſt de eſſentia huius formæ inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, quia hoc Sacramentum non eſt profeſſio fidei. Neque ex illius inſtitutione hoc nobis conſtat: Bonacina *tom.* 1. *tract. de Sacramentis. q.* 7. *quaſt. vnica de Sacramento extremæ Vnctionis, punct.* 3. *num.* 2.

Dvbitatio III.

VII. *An in Sacramento Ordinis ſit neceſſaria inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, & quanam ſit forma Sacramenti Ordinis?*

Dico ſeptimò: Inuocatio verò expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis non eſt de eſſentia Sacramenti Ordinis; forma autem Sacramenti Ordinis ſunt verba, quæ ab Epiſcopo proferuntur imperatiuo modo cum expreſſione poteſtatis, quæ confertur, vt in Ordine presbyteratus forma ſunt hæc verba: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia pro viuis, & mortuis.* D. Thomas: 3. *p. in Addit. quaſt.* 34. *art.* 4. Nam prætermiſsâ inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis non mutatur ſubſtantialiter ſenſus ſupradictæ formæ. Ergo illa inuocatio non eſt de eſſentia. Nugnus *q.* 34. *art.* 4. *cit. in expoſitione articuli.* Vbi ait illa verba *In nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti*, ponenda eſſe in forma Ordinis; non tanquam de eſſentia Sacramenti quia verum eſt Sacramentum ſine illis: ſed ſolum ex quadam conuenientia, & congruentia, vt principalis agens collationis, & poteſtatis Ordinis ſignificetur. Vnde peccatum eſſet illa omittere, & fortè graue, quia eſſet contra communem vſum totius Eccleſiæ. Ita Nugnus *loco citato*, Bonacina, *tom.* 1. *tract. de Sacramentis diſp.* 8. *de Sacramento Ordinis: q. vnica, puncto* 3. *n.* 12. contra Valentiam nuperrimè relatum, vbi inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis eſſe de eſſentia in forma Ordinis aſſerere videtur.

Dvbitatio IV.

VIII. *An poſſint variari verba abſolutionis Sacramentalis, ita vt verum conficiatur Sacramentum?*

Dico octauò: Validum eſt Sacramentum Pœnitentiæ,

tiæ, ſi loco verbi *Abſoluo*, dicatur *remitto*, vel *condono peccata*, vel *Sacramentum abſolutionis impendo.* Nam perindè eſſet, vt inquit Caiet. 3.*p. quæſt.*84.*art.*3. ac ſi diceret *ſacramentaliter te abſoluo.* Item ſi Confeſſarius abſoluendo Regem dicat *Abſoluo maieſtatem tuam*; vel ſi loco *ego* dicat *Nos*, vel ſi plures abſoluendo dicat *Vos abſoluo*; vt ſi plures in periculo naufragij exiſtentes, vnicâ Sacramentali formâ abſoluat, validum tunc eſt Sacramentum.

Idem dicendum quando conſtructio ex actiua in paſſiuam mutatur, modò idem ſenſus verborum permaneat, vt ſi dicatur *remittuntur tibi peccata*, vel *tu abſolueris*: Quia quoties remanet in forma ſacramentali idem ſenſus, & eadem ſignificatio, & mutatio eſt ſolùm accidentalis, validum fit Sacramentum. Sic Sotus benè *in 4 diſt.*14.*quæſt.*1.*art.*3.*fine*, §. *Tandem circa hanc formam*: Bonacin.*tom.*1. *tract. de Sacramentis diſp.*5. *de Sacramento pœnitentiæ. q.*4. *puncto* 2.*n.*3. 4. *&* 5.

Dico nonò: Mutatio talium verborum moraliter loquendo nunquam poteſt fieri abſque peccato, propter doctrinam Conciliorum & propter reuerentiam Sacramentis debitam, & vniuerſalem vſum Eccleſiæ: taléque peccatum ex genere ſuo mortale eſt, cùm ſit ſacrilegium: Tunc autem maximè erit graue peccatum, quando certa ſignificatio formæ in incertam, & dubiam mutatur; vt ſi loco *abſoluo* quis dicat *ego te muto à peccatis*; *ego tibi condono peccata*, *relaxo*: quia multi putant iſta verba non ſufficere: In verbo autem *Remitto* minus videtur eſſe periculi, quia in omni proprietate ſignificare poteſt actum iudicialem, & eſt conforme verbis Chriſti Domini: *Quorum remiſeritis peccata*, &c. Nugnus *tom.*2. *in* 3.*p. quæſt.*84. *art.*3. *dub.*2. §. *Multa dubiola*: *concluſ.*4 *&* 5. Suarez *tom.*4.*in* 3.*p.diſp.*19.*ſect.*1.*num.*24.

Dvbitatio V.

IX. *An ſit validum Sacramentum Pœnitentiæ, ſi in forma abſolutionis relinqueretur particula*, te.

Dico decimò: Validum non eſſet Sacramentum Pœnitentiæ ſi in forma omittatur particula *te*: Patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ.*14.*cap.*3. aſſerente formam Sacramenti Pœnitentiæ eſſe *te abſoluo.* Tum quia omiſſâ particulâ *te*, mutatur ſubſtantialiter ſignificatio formæ, nam forma abſolutionis fuit inſtituta per verba demonſtratiua, ſed ſublatâ particulâ *te*, non eſt demonſtratiua, cùm verbū *abſoluo* poſſit enunciari non ſolùm circa peccata alicuius præſentis, verùm etiam abſentis, quod fieri non poteſt. Videatur D. Thomas 3.*p.quæſt.*84 *art.*3. Caiet. *ibi*: Concilium Florentinum *in Decreto Eugenij IV.* aſſerens formam Sacramenti Pœnitentiæ eſſe *abſoluo te.* Suarez nouiſſimè relatus; Bonacin. *vbi ſuprà num.*10.

Dvbitatio VI.

X. *An in Sacramento Confeſſionis requirantur neceſſariò verba, vel ſufficiant ſigna idem ſignificantia, & idem inquiritur in aliis Sacramentis nouæ legis.*

Dico vndecimò: Neceſſarium eſt neceſſitate Sacramenti, quòd forma huius Sacramenti ſint ipſa verba formalia, & conſequenter non ſufficiunt ſigna idem ſignificantia. Ratio à priori huius aſſertionis eſt ipſa inſtitutio Chriſti Domini, quæ ſufficienter colligitur à poſteriori ex traditione Apoſtolica, & conſenſu totius vniuerſalis Eccleſiæ, & ita in Concil. Trident. *ſeſſ.*14. *cap.*3. ipſa verba formalia conſtituuntur in forma Sacramenti Pœnitentiæ: *Ego abſoluo te.* Videatur D. Thomas 3.*p.q.*84.*art.*3.*ad tertium.* Ibi Nugnus *dubio* 1. Suarez *tom.*4 *in* 3.*p.diſp.*19.*n.*3. *ſect.*1.

Dico duodecimò: Ad formas Sacramentorum nouæ legis requiritur vox humana, & verba propriè dicta, vno excepto Matrimonij Sacramento, in quo propria verba non ſunt eſſentialia; ſed ſufficiunt nutus, & ſigna ſignificantia contrahentium conſenſum, nam materia huius Sacramenti eſt traditio corporum ipſorum contrahentium; forma eſt acceptatio eorundem expreſſa per verba, vel ſigna. Probatur ex doctrina Concilij Florentini *in decreto ſuper vnionem Græcorum, & Armenorum*, vbi dicitur omnia Sacramenta conſtare rebus, & verbis, poſteà in particulari habetur in eodem Concilio formam Sacramenti Matrimonij eſſe verba regulariter. Ergo in formis aliorum Sacramentorum propria verba ſunt eſſentialia, in Sacramento verò Matrimonij ſunt neceſſaria verba, non propriè, ſed largâ quadam acceptione prout includunt nutus, & ſigna. Nam Concilium loquens de formis Sacramentorum, dicit ſimpliciter eſſe verba, ac infrà loquens de forma Matrimonij, dicit regulariter eſſe verba: Ergo in hoc Sacramento non ſemper propria verba requiruntur. Tum quia in Matrimonio noluit Chriſtus Dominus inſtituere ſpecialem ritum, ſed honorare ipſum naturalem cõtractum, & in eo altiorem Sacramenti rationem fundare, ſed ad exprimendum conſenſum in naturali contractu propria verba non ſunt neceſſaria, ſed ſufficiunt nutus, & ſigna. Ergo, &c. Ita benè Nugnus *vbi ſuprà, ad primum Argumentum, verſic. Similiter ad ſecundam confirmationem.* Suarez *nuper relatus n.*5. *fine.*

Dvbitatio VII.

XI. *Si Sacerdos formæ abſolutionis adderet alia verba, in quonam inſtanti pœnitens abſolueretur?*

Dico decimotertiò: Quando in Sacramento Pœnitentiæ adhibetur à Sacerdote tota hæc forma: *Ego te abſoluo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, pœnitens remanet abſolutus in eo inſtanti, in quo proferuntur illa duo verba, etiamſi addantur alia verba ſub intentione perficiendi Sacramentum: Quia pœnitens in eo inſtanti remanet abſolutus, in quo perficitur ſignificatio formæ Sacramenti Pœnitentiæ; ſed in illis duobus verbis perficitur ſignificatio formæ. Ergo, &c. Tum quia ſubſtantia, & eſſentia Sacramenti nõ pendet ex arbitrio Sacerdotis, nec ipſe poteſt ſuſpendere effectum formæ, ſed pendet ex inſtitutione Chriſti Domini. At ſignificatio formæ Sacramenti Pœnitentiæ eſſentialiter ex inſtitutione Chriſti Domini completur in illis duobus verbis: *Abſoluo te*, vt patet ex ſupradictis, Ergo etiamſi à Sacerdote addantur alia verba ſub intentione perficiendi Sacramentum, pœnitens remanet abſolutus in illo inſtanti, in quo forma in illis duobus verbis: *Abſoluo te*, ex inſtitutione Chriſti completur. Sic Suarez *vbi ſuprà n.*11. Bonacina *tom.*1. *tract. de Sacramentis, diſput.*5.*q.*4. *de Sacramento Pœnitentiæ, puncto* 1.*num.*3.

XII. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur.*

Ad rationem in contrarium quæ totis directè militat contra primam aſſertionem: Reſpondetur quòd in aliis Sacramentis, in quibus materia proxima eſt actus cauſatus ab ipſo Miniſtro, neceſſarium eſt, quòd ſignificetur in forma, quia voluit Chriſtus Dominus, vt

Miniſter ſignificaret id, quod agit. In præſenti verò Sacramento Pœnitentiæ, quia materia apponitur ab ipſo pœnitente, non eſt neceſſium, quòd ita expreſsè ſignificetur per formam appoſitam à Miniſtro: ſignificatur nihilominùs implicitè per illud verbum *abſoluo*, ſicut per verbum *baptizo* ſignificatur ablutio ſpiritualis. Ita benè Nugnus noſter *tom.2. in 3.p. q.84 art.3. dub.2.§. Multa dubiola. verſ.* ad tertium reſpondetur.

Ad ſecundum fundamentum reſpondetur, quod iſla verba *abſoluo te* ſuppoſitâ confeſſione, ſuper quam cadunt, habent ſatis determinatam ſignificationem; ſolet enim materia determinare formam, & forma materiam; cùm ergo hæc forma *ego abſoluo te*, ſit veluti ſententia prolata ſuper hanc accuſationem, ſatis determinatè ſignificat abſolutionem in tali cauſa, & materia, ergo ſignificat abſolutionem à peccatis etiamſi illud verbum *a peccatis* in forma non addatur. Sicut in iudicio humano non oportet in ipſa ſententia iterum exprimi culpam, ſed eo ipſo, quod auditâ accuſatione, & totâ cauſâ Iudex pronunciat hunc eſſe immunem, vel eſſe Reum talis pœnæ ſatis declarat mentem, & ſententiam ſuam, ergo ſimiliter in præſenti: Maximè cum verbum *abſoluo* abſolutè prolatum quaſi per antonomaſiam ſignificet internam abſolutionem à culpa, & iuxtà communem ſenſum, hæc ſit illius verbi ſignificatio. Ita rectè Suarez *vbi ſuprà ſect.1.num.21.*

Articvlvs VIII.

An ſenſus huius formæ Sacramenti Pœnitentiæ, *Ego abſoluo te*, ſemper ſit verus?

Svmmarivm.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur quot modis, pœnitens poſſit accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ?*
3. *An forma abſolutionis, prolata à Sacerdote, in proprietate ſermonis verificetur?*
4. *Dubitatio reſoluitur, & explicatur quomodo verificetur Abſolutio, quando à Sacerdote impenditur Pœnitenti pro peccatis alias rite confeſſis.*
5. *Quomodo verificetur ſenſus formæ abſolutionis; quando pœnitens recipit Sacramentum informe. Et: An ſaluetur, quando cadit ſupra Pœnitentem, habentem conſcientiam peccati mortalis?*
6. *Explicatur verus ſenſus formæ abſolutionis in caſu ſuperioris aſſertionis?*
7. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur. & explicatur Quale agens ſit Confeſſarius miniſtrans Sacramentum pœnitentiæ?*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm Sacerdos tantum concurrit ad abſolutionem à peccatis inſtrumentaliter; ſed cauſa inſtrumentalis præcipuè in moralibus non dicitur producere effectum. Ergo illa verba *ego, te abſoluo* non habent verum ſenſum cum proprietate, cùm Sacerdos proferens hæc verba ſit tantùm cauſa inſtrumentalis abſolutionis à peccatis; & ſolus Deus intus in anima operetur & verè cauſet abſolutionem à peccatis: & ita exiſtimant quidam ſenſum illorum verborum, *ego te abſoluo* eſſe hunc: Ego te abſolutum oſtendo, & declaro, quaſi Sacerdos non habeat propriè poteſtatem abſoluendi à peccatis, ſed ſolùm oſtendendi pœnitentes ſolutos à culpis: Sic Magiſter ſententiarum *in 4 diſt.* 18. Gabriel 161. *quæſt.1. artic.2.*

II. *Explicatur quot modis pœnitens poſſit accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ.*

Dico primò: Tripliciter poteſt contingere, quòd pœnitens accedat ad confeſſionis Sacramentum. Primò taliter quod non recipiat gratiam, ſed ſit ſacramentum tantùm informe. Secundò in alio extremo poteſt accedere cum contritione atque adeò iam habens gratiam. Tertiò poteſt accedere medio modo cum ſola attritione, ſupernaturali tamen. Videatur Nugnus *tom.2. in 3 p, quæſt.* 84. *art.3. Dubio 2. immediatè ante primam concluſionem.*

Dvbitatio I.

III. *An forma Abſolutionis, prolata à Sacerdote, in proprietate ſermonis verificetur?*

Dico ſecundò: Hæc verba, *Ego te abſoluo*, prolata à Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ in ſacramentali Confeſſione in proprietate ſermonis verificantur; ſignificant enim quòd re ipſa à Sacerdote remittitur culpa, & pœna æterna miniſterialiter & tanquam ab inſtrumento Dei: & aſſerere Miniſtrum, cùm dicit: *Ego te abſoluo*, non ſignificare, quòd ipſe reuerà abſoluat à culpa, & à pœna æterna, ſed tantummodò quòd oſtendat pœnitentem eſſe abſolutum à Deo, ac proinde nunquam eſſe efficax hoc miniſterium, niſi quando iam antè per contritionem perfectam pœnitens eſt abſolutus à Deo; quia tunc ſolùm verè, & efficaciter abſolutus oſtenditur; hoc, inquam, aſſerere eſt omnino falſum, erroneũ, & fortaſſis hæreſis manifeſta. Probatur: Nam in Concilio Tridentino *ſeſſ.*14 *cap.* 6. de Miniſtro huius Sacramenti, & Abſolutione, dicitur abſolutionem non eſſe ſolum nudum miniſterium, vel annuntiandi Euangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata, ſed ad inſtar actus iudicialis ab ipſo, velut à Iudice, ſententia pronuntiatur. Ergo ex Concilio Tridentino Sacerdos abſoluens in hoc Sacramento ſe habet vt Iudex, ſed in omni iudicio Iudex propriè dicitur abſoluere, ergo etiam in hoc Sacramento, peccata enim cum proprietate dicuntur vincula, iuxta illud Prouerb.5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium; & funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur.* Ergo cum proprietate ſignificant illa verba: *Ego te abſoluo*, remiſſionem, & abſolutionem à peccatis: Sicuti verba Chriſti Domini, Ioan.20. *Quorum remiſeritis peccata*, &c. in quibus poteſtas traditur Sacerdotibus abſoluendi à peccatis, in proprietate ſunt intelligenda. Ergo poſt Concilium Tridentinum aſſerere locutionem formæ abſolutionis impropriam eſſe, & non ſignificare remiſſionem culpæ, ſed ſolùm remiſſionem obligationis, ſiue reatus ad pœnam, eſt error, & fortaſſis manifeſta hæreſis. Tum quia hæc duo remittere debitum, ſeu peccatum, & oſtendere debitum, ſeu peccatum eſſe remiſſum, ſunt omnino diuerſa. Sed illa verba: *Ego te abſoluo*, expreſsè, & formaliter ſignificant quod remittitur debitum, & peccatum, iuxta inſtitutionem Chriſti Domini, Ioann.20. *Quorum remiſeritis peccata*, &c. Ergo non poſſunt ſolùm ſignificare quod oſtenditur debitum & peccatum eſſe remiſſum. Vtraq; enim verba: *Ego abſoluo te*, & illa Chriſti Domini: *Quorum remiſeritis peccata*, in proprietate ſunt intelligenda; niſi Eccleſia aliud doceat. Et ita hanc aſſertionẽ docet Nughus nuperrimè relatus: Suarez *tom.4. in 3.p. diſp.19. ſect.2.n.5* Valent. *tom.4 diſp.7. quæſt.1. de pœnit. vt eſt Sacramentum, puncto 3 §. Sed contraria ſententia.* Contra Abulenſem, qui *p.1. ſui defenſorij cap 5 & 6.* vult per verbum abſoluendi in forma Sacramenti Pœnitentiæ non ſignificari propriè remiſſionem culpæ, aut pœnæ, ſed ſolùm remiſſionem obligationis, ſiue reatus ad pœnam.

IV. Dubi

IV. *Dubitatio reſoluitur, & explicatur quomodo verificetur Abſolutio, quando à Sacerdote impenditur Pœnitenti pro peccatis ritè aliàs confeſſis?*

Dico tertiò: Senſus formæ Sacramenti Pœnitentiæ ſemper eſt verus: quia dicēte Sacerdote in ſacramentali Confeſſione, *Ego abſoluo te*, ſenſus huius formæ eſt; Sacramentum Abſolutionis tibi impendo, quod ex ſe remiſſiuum eſt peccatorum, non ſolùm in actu ſignato, ſed etiam in actu exercito. Sed iſte ſenſus ſemper eſt verus, vt ſtatim patebit inductione in ſequentibus pronuntiatis. Ergo tum quia licèt Deus ſit Auctor principalis, cui ſimpliciter tribuitur remiſſio peccatorum, non tamen excluditur quin Sacerdos ſit cauſa minus principalis, & quin verè, & propriè dicatur abſoluere à peccatis. Ergo ſenſus formæ Sacramenti Pœnitentiæ ſemper eſt verus: Nam Sacerdos dum profert hæc verba: *Ego te abſoluo*, idem eſt, ac ſi diceret ſacramentalem abſolutionem tanquam Dei Miniſter tibi impendo, quæ de ſe ſufficiens eſt ad remittenda peccata, & ad gratiam conferendam. Sed iſte ſenſus in hac forma, *Ego te abſoluo*, verificatur in omni euentu, vt ſtatim dicemus. Ergo ſemper eſt verus, & proprius. Videatur D. Thom. 3. *p. quæſt.* 84. *art.* 3. *ad primum.*

Dico quartò: Quando pœnitens accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ cum peccatis, & cum ſola attritione, tunc verus, & proprius eſt ſenſus formæ Sacramenti Confeſſionis: quia pœnitens re ipsâ remiſſionem obtinet peccatorum, quantum eſt ex vi ſacramentalis abſolutionis. Ergo tunc verè & propriè dicit Sacerdos: *Ego te abſoluo*: Nugnus *vbi ſuprà, concluſ.* 2 *propè finem.*

Dico quintò: Quando pœnitens accedit contritus, aut cum peccatis aliàs ritè confeſſis, licèt enim in tali euentu non obtineat remiſſionem peccatorum, cùm anteà fuerint dimiſſa per contritionem, aut Confeſſionem præcedentem, nihilominùs ſenſus formæ tunc eſt verus, & proprius: quia tunc perinde eſt dicere: *Ego te abſoluo*; ac dicere: Confero tibi beneficium abſolutionis, ſeu Sacramentalem Abſolutionem, quæ de ſe ſufficiens eſt ad delenda peccata. Vel ſenſus eſt, & ferè eſt idem cum præcedenti: Quantum in me eſt, & per ſe attinet ad virtutem Sacramenti, ego te abſoluo; hoc eſt, vt ait D. Thom. 3. *p. q.* 84 *art.* 3. *ad* 5. Sacramentum Abſolutionis tibi impendo, cuius virtute ſi in peccatis exiſteres, abſolutus fieres. Per accidens autem eſt quòd pœnitens ſit in gratia. Sed hic ſenſus eſt verus, & proprius. Ergo ita rectè Sotus *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 1. *art.* 3. §. Et per hoc ſoluitur, *&c. verſ.* Reſpondendum ergo.

Dvbitatio II.

V. *Quomodo verificetur ſenſus forma Abſolutionis quando pœnitens recipit Sacramentum informe, & an ſaluetur quando cadit ſupra pœnitentem habentem conſcientiam peccati mortalis?*

Dico ſextò: Quando pœnitens recipit Sacramentum informe, quamuis tunc non recipiat remiſſionem peccatorum; tamen ſenſus formæ, *Ego te abſoluo*, verus eſt, & proprius. Quia Sacerdos facit quod in ſe eſt, vt pœnitens maneat abſolutus, & de facto remiſſionem peccatorum conſequetur ſublato obice; & ſic ſenſus formæ verus eſt, & proprius. Nam quantum ad vim formæ attinet, etiam tunc quando ſuſcipitur Sacramentū, fieret abſolutio cum effectu, ſi pœnitens eſſet corde diſpoſitus. Sic egregiè Sotus nuperrimè relatus, §. *Quod ſi quis in contrarium.* Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 19. *ſect.* 2. *num.* 20.

Dico ſeptimò: Etiam quandò pœnitens indiſpoſitus cum conſcientia peccati mortalis accedit ad Sacramentū Pœnitentiæ adhuc verba formæ verificantur, & ſunt vera, & propria, re ipsâ enim Sacerdos quantum eſt ex ſe, abſoluit: quia ſicut Iudex remittens debitum, & ferens ſententiam, vt reus exeat è carcere, quantum eſt ex parte ſua, dicitur verè, & propriè remittere, & liberare reum, quamuis debitor, ſeu reus ex propria culpa velit in vinculis detineri. Ergo ſimiliter. Sic benè Nugnus *tom.* 2. *in* 3. *p. q.* 84. *art.* 3. *dub.* 2. *concluſ.* 2. *fine, immediatè ante paragraphum: Ad primum in oppoſitum.* Bonacin. *tom.* 1. *tract. de Sacramentis, diſput.* 5. *de Sacramento Pœnitentia, q.* 4. *puncto* 1. *n.* 9. *prope finem.*

VI. *Explicatur verus ſenſus forma Abſolutionis in caſu ſuperioris aſſertionis.*

Dico octauò: Ex ſupradictis pronuntiatis colligitur, falſum eſſe quod aliqui Doctores aſſerunt, quos tacito nomine refert Sotus *vbi ſuprà.* §. *Et per hoc. verſ. Alij dicunt:* quod quando pœnitens iam anteà contritus accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ, & ſua peccata confitetur, tunc ſenſum verborum abſolutionis eſſe, *Ego abſoluo te*, id eſt, libero te ab obligatione iterùm confitendi peccata, quæ modò confeſſus es, hoc, inquam, aſſerere falſum eſt: quia aliud eſt abſoluere à peccatis, & aliud eſt abſoluere ab obligatione confitendi peccata. Tum quia verba abſolutionis poſſunt verificari quando quis abſoluitur à peccatis iam confeſſis, & à peccatis venialibus; ſed tunc nulla aderat obligatio confitendi illa peccata. Peccatum enim ſemel ritè confeſſum non tenemur ex neceſſitate iterùm confiteri, & ſimiliter peccata venialia non ſunt materia neceſſaria in Sacramento Confeſſionis. Ergo illa reſolutio, & explicatio falſa eſt. Ita probè Sotus *loco citato.* Nugnus *vbi ſuprà*, §. *Sed adhuc contra principalem, verſic. Illa reſolutio videtur eadem.*

Dico nonò: Senſus igitur verus, & proprius ſacramētalis Abſolutionis, quando quis accedit ad Sacramentum Confeſſionis iam contritus, ille eſt, quem propoſuimus aſſertione 5. Item tunc eſt verus, & proprius ſenſus formæ, *Ego te abſoluo:* quia tunc Sacerdos verè, & propriè complet, quod pœnitens gerebat in voto. Legitima enim contritio habita à pœnitente ante Sacramentum Confeſſionis non confert gratiam iuſtificantem, niſi quatenus implicitè, vel explicitè ſacramentalis Abſolutionis votum includit. Ergo Sacerdos abſoluens pœnitentem iam contritum, verè, & propriè confert ſacramentalem Abſolutionem, cuius virtute fuerat abſolutus. Ergo tunc verus, & proprius eſt ſenſus formæ. Tum quia ſi exiſtens in gratia fuit baptizatus, vera & propria fuit baptizantis forma, *Ego te baptizo:* Quia baptizans compleuit illud, cuius virtute, & voto baptizatus fuerat, ab originali peccato ablutus, & abſolutus. Ergo ſimiliter, &c. Sic egregiè Sotus *in* 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 3. §. *Et per hoc ſoluitur. verſ. Ob idque, fol.* 689. *mihi.*

VII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur; & explicatur, Quale agens ſit miniſtrans Sacramentum Pœnitentia?*

Ad rationem in contrarium, quatenus directè militat contra ſecundum pronuntiatum, reſpondetur, quòd licèt in Confeſſione ſacramentali quantùm ad ſubſtantiam eius Sacerdos tantùm concurrat inſtrumentaliter, tamen quantùm ad iudicium morale examinandi reū, & iudicandi vtrùm pœnitens ſit ſufficienter diſpoſitus,

concurrit tanquam agens principale; & hoc ſufficit, vt cum proprietate poſſit proferre illa verba: *Ego te abſoluo.* Quoniam quantum ad hoc, quod eſt iudicare an pœnitens accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ ſit ſufficienter diſpoſitus, vel indiſpoſitus, concurrit ipſe Sacerdos principaliter per propriam ſcientiam. Sic rectè reſpondet Nugnus noſter *tom.2.in 3.p.q.84. art.3. dub.2.poſt ſecundam concluſionem,ſolutione ad ſecundum Argumentum.*

Articvlvs IX.

An valeat Abſolutio ſacramentalis, ſi pœnitens per literas peccata ſua tranſmittat ad Confeſſarium, deinde in præſentia abſoluatur.

Svmmarivm.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur an ſit valida forma Abſolutionis tradita ſub conditione de præſenti,vel de præterito, vel de futuro.*
3. *An valeat Abſolutio collata pœnitenti abſenti.*
4. *Dubitatio reſoluitur.*
5. *An ſit valida Abſolutio quando pœnitens nullum ſignum, aut verbum de peccatis commiſſis exprimit coram Confeſſario, licèt peccata in ſcriptis eidem tranſmiſerit?*
6. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in quarta Aſſertione.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Nam in Catechiſmo iuſſu Sanctiſſimi Pij V. pro Parochis edito in tractatu de Sacramento Pœnitentiæ ſic habetur; *Quare fit, vt nemini omnino neque per nuntium,neque per literas confiteri liceat.* Ergo non valet Abſolutio ſacramentalis ſi pœnitens peccata ſua per literas ad Confeſſarium tranſmittat,deinde in præſentia abſoluatur.

II. *Explicatur an ſit valida forma Abſolutionis tradita ſub conditione de præſenti,vel de præterito,vel de futuro.*

Dico primò: Abſolutio ſacramentalis valida eſt, quando aliqua conditio de præſenti, vel de præterito apponitur in forma, vt ſi dicatur: *Si non es abſolutus, Ego te abſoluo*, vel, *ſi ego poſſum te abſoluere,te abſoluo.* Quia conditio de præſenti, vel de præterito, non eſt propriè conditio,cùm non ſuſpendat actum. Nam tũc Sacerdos intendit abſoluere de præſenti,ſi res ita ſe habeat,ſicut exponitur in conditione.Ergo valida eſt abſolutio ſacramentalis tradita ſub conditione de præſenti, vel de præterito. Armilla *verb. Abſolutio,num.56.* Beia *p. 2.caſuum conſcientiæ , caſu 31. verſ. conditio nihilominùs.*

Dico ſecundò: Abſolutio ſacramentalis non eſt valida quando formæ additur conditio de futuro, vt ſi dicatur: *Si reſtitueris,ego te abſoluo.* Quia non eſt in poteſtate Sacerdotis nunc conferre Sacramentum,& in futurum eius effectum differre,ſcilicet quando ille reſtituerit. Tum quia vel Sacramentum Pœnitentiæ tunc eſt validum, ſtatim prolatâ formâ; vel eſt validum adueniente conditione; ſed non poteſt eſſe validum ſtatim prolatâ formâ,cùm Sacerdos non habeat intentionem tunc abſoluendi, & ſine intentione Miniſtri non fiat Sacramentum; neque eſt validum adueniente conditione, cùm adueniente conditione de futuro non adſit forma & materia,ſine quibus non poteſt validè confici Sacramentum. Ergo nullo modo Sacramentum eſt validum, quando formæ additur conditio de futuro. Caietan. *verbo Abſolutio ,cap.1.* Conradus noſter *tom. 1.in reſponſione caſuum conſcientiæ, quæſt.6.* Nauarrus *c. 26.Summa,num.12.* Suarez *tom.3.in 3. p.diſput.13. ſect. 3.§.At verò ſi conditio poſita.*

Dvbitatio I.

III. *An valeat Abſolutio collata pœnitenti abſenti?*

Dico tertiò: Abſolutio collata pœnitenti abſenti non eſt valida,quamuis pœnitens in articulo mortis exiſtat. Probatur: Quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.14.cap.2.* aſſignans differentiam inter Baptiſmum & Pœnitentiam,aſſerit Chriſtum Dominum velle eos,qui poſt Baptiſmum peccarunt, ſiſti ante hoc Tribunal,vt per Sacerdotis ſententiam poſſint liberari: ſed ſiſti ante Tribunal eſt actu ſe præſentem cõſtituere ante Tribunal, vt patet ex toto titulo: *ff. ſi quis cautionibus in iudicio ſiſtendi cauſa factis.* Ergo pœnitens debet actu ſe præſentem conſtituere in obtinenda abſolutione, conſequenter abſolutio non poteſt abſenti validè impendi: Tum quia Clemens VIII. in decreto ſuper hoc edito anno Domini 1602.20.die Iunij,quod videri poteſt apud Nugnum noſtrum *tom.2.in 3 p.quæſt.9.in Addit. ar.3. diffic.2.poſt primam concluſionem:* decernitur abſolutionem abſenti collatam eſſe inualidam, & afficiũtur excommunicatione ſummo Pontifici reſeruatâ, qui abſoluunt abſentem, vel dicunt, vel docent aliquem poſſe per literas,vel per Nuntium, Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente Abſolutionem obtinere, & additur in eodem Decreto oppoſitam ſententiam ad minus eſſe falſam, temerariam, & ſcandaloſam. Et ita hanc aſſertionem docet Sotus *in 4.diſt.18.quæſt.2.ar.6. §. Secundum membrum. verſic. Quapropter.* Conradus noſter *tom.2.quæſt.68.fin.* contra Nauarr. *Summa,cap.21.n.36.*

IV. *Dubitatio reſoluitur affirmatiuè.*

Dico quartò: Valida tamen eſt Abſolutio ſacramentalis, ſi pœnitens per literas peccata ſua tranſmittat ad Confeſſarium, deinde in præſentia eiuſdem Confeſſarij dicat ſe de omnibus illis accuſare, & ſic ab eodem Confeſſario in præſentia obtinet beneficium Abſolutionis: quia tunc tam Abſolutio,quàm Confeſſio cenſetur in præſentia pœnitentis,& Confeſſarij fieri, & nihil deſiderari videtur ad validitatem Confeſſionis, cùm pœnitens integrè ſe accuſet de omnibus peccatis. Ita benè Nugnus noſter *tom. 2. in 3. p.q.9. in Addit. ar.3. diffic.2.verſic.pro explicatione.* Quem ſequitur Bonacina *tom.1.tract. de Sacramentis,diſp.5.7.4. de Sacramento Pœnitentiæ,puncto 5.n.2.*

Dvbitatio II.

V. *An ſit valida Abſolutio quando pœnitens nullum ſignum,aut verbum de peccatis commiſſis exprimit coram Confeſſario,licèt peccata in ſcriptis eidem tranſmiſerit?*

Dico quintò: Si quis ſcriptum tradat Sacerdoti, in quo ſua peccata continentur: ſi Sacerdos legens, nihil

pœnitens

Digitized by Google

pœnitens voce, aut ſigno affirmet, poſtquàm ſcriptum legit, beneficium abſolutionis impendit, tunc non eſt valida Confeſſio: quia Cõfeſſio ſacramentalis eſt actus perſonalis, quo homo præſenti Sacerdoti loquitur. Ergo ſi pœnitens per traditas illas literas nihil neque voce, neque nutu affirmet, non eſt valida abſolutio. Si verò cùm ſingula peccata Sacerdos legit, pœnitens dicat ſe illa feciſſe, vel nutu capitis, ſi mutus ſit, annuat, tunc eſt vera confeſſio; quia loquutioni æquiualet. Sic probè Sotus *vbi ſupra, §. Si verò quis.*

Dico ſextò: In ſacramentali Confeſſione licèt ex parte accuſationis pœnitentis non ſit de eſſentia, vt fiat voce, ſed fieri poteſt ſcripto, annuente, dum legitur, ipſo pœnitente, ſigno, aut nutibus. Quia ad iudicialem accuſationem hoc ſatis eſt. In prolatione tamen ſententiæ, & abſolutionis requiritur vox humana, & verba propriè dicta, quia Chriſtus Dominus potuit inſtituere, & re ipſa ita inſtituit, vt forma abſolutionis ore proferretur, & non ſufficeret eam dare in ſcriptis, vel aliis ſignis. Quod autem Chriſtus Dominus inſtituerit formam abſolutionis ore proferri, colligitur apertè ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 6.* vbi dicitur Abſolutionem ſacramentalem eſſe ad inſtar actus iudicialis, quo à Sacerdote, veluti à Iudice, ſententia pronuntiatur. Tum quia in Sacramentis forma multò expreſſiùs ſignificat, quàm materia; & ideò in prolatione formæ requiruntur verba propriè dicta, quæ primum locum obtinent in ſignificando, non autem in materia, quæ non ita expreſsè debet ſignificare. Sic rectè Nugnus *tom. 2. in 3. p. q. 84. ar. 3. dub. 2. §. Ad primum igitur,* Suarez *tom. 4. in 3. p. diſput. 19. ſect. 1. num. 5. verſic. Nam hæc.*

VI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur; & magis explicantur dicta in quarta Aſſertione.*

Ad rationem in contrarium deſumptam in Catechiſmo iuſſu Sanctiſſimi Pij V. edito, quatenùs pugnat contra quartum noſtrum pronuntiatum, reſpondetur, quòd licèt abſolutio pœnitenti abſenti dari validè nullo modo poſſit; tamen non inde ſequitur quòd ſi pœnitens ſua peccata per literas ad Cõfeſſarium tranſmittat, poſteà in præſentia Sacerdotis dicat; *Accuſo me de omnibus peccatis per literas tranſmiſſis*, quòd Confeſſio non ſit valida: quia ſi pœnitens in præſentia tunc abſoluatur, confeſſio, & abſolutio fiunt præſentibus pœnitente, & Confeſſario, quod ſufficit, & requiritur ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ. Vnde ad argumentum in forma negatur conſequentia. Nam Sanctiſſimus Pius V. diffitetur poſſe impertiri pœnitenti abſenti abſolutionem; non autem negat poſſe abſolui pœnitentem, qui primò tranſmiſit ſua peccata per literas ad Confeſſarium, ſi poſteà in præſentia dicat accuſare ſe de omnibus illis peccatis per epiſtolam tranſmiſſis. Nam tunc in iſto ſecundo caſu ſimpliciter Confeſſio, & Abſolutio fiunt in præſentia Sacerdotis, non autem in primo caſu: Vnde non eſt eadem Ratio.

ARTICVLVS X.

An aliquis dolor internus ſit de eſſentia Sacramenti Confeſſionis.

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur an voluntas confitendi peccata, vel obtinendi Abſolutionem ſit de neceſſitate Sacramenti Confeſſionis.*
3. *Dubitatio reſoluitur.*
4. *An in Confeſſione ſufficiat dolor virtualis peccatorum, vel requiratur formalis?*
5. *An ad recipiendam Abſolutionem de peccatis venialibus ſufficiat dolor virtualis, vel requiratur formalis?*
6. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur diſcrimen inter Sacramentum Pœnitentiæ, & alia Sacramenta.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm Sacramenta ſolent eſſe valida, ſi interiora ſigna integrè perficiantur cum voluntate conficiendi Sacramentum, etſi ſint adulti recipientes cum voluntate illud recipiendi; neque eſt obligatio iterandi illa, etiamſi non habuerint effectum, vt patet in Sacramento Baptiſmi, qui non eſt iterandus, & verè recipitur, ſi in aqua naturali cum legitima forma, intentione Miniſtri, & voluntate illud ſuſcipientis, ſi ſit adultus, adminiſtretur; ſimiliter in Chriſmate, in Ordine, in Extrema Vnctione, &c. Ergo idem dicendum eſt in Sacramento Confeſſionis, ſufficere ſcilicet ad eius validitatem actum externum Cõfeſſionis, legitimam formam & intentionem Miniſtri abſoluentis, etiamſi non adſit dolor internus pœnitentis. Ita tenuêre aliqui Theologi, quos tacito nomine refert Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp. 20. ſect. 3. num. 7.*

II. *Explicatur an voluntas confitendi peccata, vel obtinendi abſolutionem, ſit de neceſſitate Sacramenti Confeſſionis?*

Dico primò: De neceſſitate Sacramenti Confeſſionis eſt voluntas confitendi peccata in hoc Sacramento, & obtinendi abſolutionem eorum; quia in omni ſuſcipiente Sacramentum, ſi vſum rationis habeat, requiritur voluntas, ſeu intentio recipiendi Sacramentum; hæc tamen voluntas non requiritur vt pars Sacramenti, ſed vt neceſſaria conditio ex parte ſubiecti: Nam intentio dandi, vel recipiendi Sacramentum, non eſt pars eius, licèt ſit de neceſſitate. Quæ voluntas, licèt ſit propter humanum motiuum, ſcilicet inanem gloriam, vel commodum temporale, ſufficit ad valorem Sacramenti: Nam in cæteris Sacramentis certum eſt ſufficere: Ergo & in iſto; tum quia illa voluntas ex illo fine non eſt peccatum mortale, ſed tantùm veniale, quod nõ repugnat ad valorem Sacramenti. Ergo confeſſio facta propter inanem gloriam, licèt non ſit actus virtutis, quia eſt peccatum veniale; tamen quia peccatum veniale non eſt obex gratiæ, erit valida, & abſolutio fructuoſa, ſi alium non habeat defectum. Sic benè Sotus *in 4. diſt. 18. quæſt. 1. ar. 3. propè finem. §. Tertio argumento,* &c. Contra Ang. *verb. Confeſſio 1. §. 4.* aſſerentem confeſſionem, quæ fit propter inanem gloriam, non eſſe validam, neque per illam impleri Eccleſiæ præceptum.

III. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico tertiò: Contritio, ſeu dolor aliquis internus eſt de eſſentia Sacramenti Confeſſionis: quia de ratione Confeſſionis Sacramẽtalis eſt vt ſit accuſatio ſui ipſius, vt conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 6.* alioquin Confeſſio eſſet ſimplex, & hiſtorica narratio, ſed non poteſt eſſe accuſatio ſui ipſius ſine aliquo dolore. Ergo. Ita Sanctus Thomas *3. p. quæſt. 90. ar. 2. in corp. fine.* Concilium Tridentinum *ſeſſione 14. Canone 4.*

Dvbitatio I.

IV. *An in Confeſſione ſufficiet dolor virtualis peccatorum; vel requiratur formalis?*

Dico tertiò: Ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur dolor formalis: quia ad Sacramenta conficienda requiritur illa materia, quæ fuit à Chriſto Domino instituta; ſed pro materia Sacramenti Pœnitentiæ à Chriſto Domino fuit inſtitutus dolor formalis, vt conſtat ex Concilio Tridentino *nuperrimè citato*; dũ enim aſſignat partes eſſentiales iſtius Sacramenti, mentionem facit doloris formalis, contritionis ſcilicet, quæ eſt dolor formalis. Tum quia ſi dolor virtualis ſufficeret ad valorem Sacramẽti Pœnitentiæ, ſufficeret etiam in Euchariſtia vinum virtuale, aut panis virtualis, conſequenter valida eſſet conſecratio in vua, & in tritico, cùm triticum ſit panis virtualiter, & vua ſit vinum virtualiter; ſed falſum eſt in Euchariſtia ſufficere vinum virtuale & panem virtualem. Ergo etiam falſum eſt ad Sacramentum Pœnitẽtiæ ſufficere dolorem virtualem: Videatur D. Thom. *vbi ſuprà*, quo in loco aſſignans partes eſſentiales Sacramenti Pœnitentiæ enumerat inter eas contritionem, quę eſt dolor peccatorum formalis, Concil. Trident. *ſeſſ. 14. cap 3. & canone 4. cit.* D. Antoninus 3. *p. tit. 14 cap* 19. §. 5. Capreol. *in 4. diſt. 16. q. 2. art.* 3 Suarez *tom. 4 in 3. p. diſp. 20. n. 8. ſect. 3.*

Dico quartò: Qui cum ſolo actu dilectionis Dei, quæ eſt dolor virtualis, accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiendum, illud non recipit: Quia Sacramentum Pœnitentię abſque propria materia, quam inſtituit Chriſtus Dominus, nullum eſt & inualidum. Sed in hoc Sacramento non dolor virtualis, qui eſt dilectio Dei, ſed dolor formalis, qui eſt contritio, vel attritio eſt pars eſſentialis materialis. Ergo ſine dolore formali non eſt validum Sacramentum Pœnitentiæ; & cõſequenter accedens ad hoc Sacramentum cum ſolo actu dilectionis Dei non recipit illud, cùm non exhibeat materiam, quam Chriſtus Dominus inſtituit. Et ita hanc aſſertionem docuit expreſsè D. Thomas *in 4. diſt. 23. q. 1. ar. 4. quæſtiuncula 2. in corpore:* vbi aſſerit cõtritionem, id eſt, dolorem formalem eſſe de eſſentia Sacramenti Pœnitentię: D. Thomam ſequitur Vaſquez *tom. 4. in 3. p. q. 92. ar. 2. dubio vnico, n.* 13. Videatur etiam pro hac aſſertione Concilium Florentinum *ſeſſ. vlt. in Decreto Eugenij*; & Tridentinum *ſeſſ. 14. cap.* 4 vbi contritio aſſignatur pars Sacramenti Pœnitentiæ.

Dico quintò: Qui verò accederet ad Sacramentum Pœnitentiæ cum dolore virtuali, qui eſt dilectio Dei ſuper omnia, poſſet excuſari à peccato ob ignorantiam, vel inaduertentiam. Nam hoc faceret bonâ fide, & implicat aliquem habere actum dilectionis Dei ſuper omnia, & grauiter peccare, non tamen reciperet Sacramentum Pœnitentiæ, vt probatum eſt aſſertione præcedenti, cùm non exhibeat materiam, quam Chriſtus Dominus inſtituit. Ita bene aduertit Bonacina *tom. 1. tract. de Sacramentis, diſp. 5. de Sacramento Pœnitentiæ, q. 3. puncto 2. n. 7.* Ad maiorem præcedentium pronuntiatorum intelligentiam

Dico ſexto: Quòd dolor, pœnitentia, & diſplicentia eſt duplex. Altera *actualis, & formalis*; quæ eſt quotieſcumque homo habet verum, & actualem dolorem, & diſplicentiam de peccatis commiſſis. Altera verò vocatur pœnitentia, dolor, ſeu diſplicentia *virtualis*, quæ nõ eſt formaliter, & actualiter diſplicentia de peccatis, ſed eſt formaliter alius actus, putà dilectio Dei ſuper omnia, tantæ virtutis, & vis, vt ex eo nata ſit ſequi diſplicentia actualis peccatorũ, ita vt ſi tunc occurreret memoria peccatorum ex vi illius actus, ſequeretur eorum formalis diſplicentia, & ſic actus dilectionis Dei ſuper omnia ex charitate procedens dicitur diſplicentia, & dolor peccatorum, virtualis tamen & implicitus. Prima igitur diſplicentia & dolor ad validitatem Sacramenti Pœnitẽtiæ requiritur; quia eſt vera pars eſſentialis huius Sacramẽti. Secunda verò diſplicẽtia & dolor virtualis non ſufficit, vt hoc Sacramentum ſit validum: nam non eſt materia, quam in hoc Sacramẽto Chriſtus Dominus exhibẽdam inſtituit. Videatur pro hac aſſertione Caiet. 3. *p.* 87. *ar. 1. §. Ad horum euidentiam.* Nugn. *tom. 2. in 3. p. q. 2. ar, 6. in addit. dub. 1. §. Pro ſolutione huius.*

Dvbitatio II.

V. *An ad recipiendam Abſolutionem de peccatis venialibus ſufficiat dolor virtualis, vel requiratur formalis?*

Dico ſeptimò: Quamuis homo non teneatur ad confitenda peccata venialia, tamen ſi velit aliqua confiteri, tenetur illorum, quorum intendit abſolutionem obtinere, dolorem formalem habere, vnde confeſſio venialium non eſſet valida, ſi fieret ſine vllo dolore formali, etiamſi pœnitens eliceret in Confeſſione actum dilectionis Dei ſuper omnia: quia aliquis dolor formalis eſt de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ, vt diximus aſſertione 4. ex D. Thom. *in 4. diſt. 23. queſt. 1. ar. 4. quæſtiunc. 2. in corp.* Videatur Viualdus *cap. de contritione, n. 9. verſ.* Quarta, &c.

Dico octauò: Pœnitens, qui multa peccata venialia exponit, in Confeſſione eorum tantùm recipit abſolutionem cum effectu, quorum fuit dolor formalis. Aliorum verò, quæ ſine tali dolore formali explicantur, minimè: quia eorum, quorum tantùm eſt dolor formalis, eſt vera accuſatio, & ita vera Confeſſio, quæ poſſit eſſe proxima, & immediata materia Abſolutionis ſacramentalis. Ergo eorum tantùm Abſolutionis ſententia recipitur cum effectu. Ita benè Vaſquez *tom. 4. in 3. p. q. 92. ar. 3. dub* 5. *n. 9. &* 10.

VI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur diſcrimen inter Sacramentum Pœnitentiæ, & alia Sacramenta.*

Nec efficit ratio in principio adducta. Negamus enim conſequentiam: nam non oportet ſeruare omnimodam ſimilitudinem inter hoc Sacramentum, & alia, quorum materia eſt merè exterior, & ſenſibilis, quia non conſiſtit in aliquo actu humano, qui ad ſuum eſſe, & ad formalem rationem ſuam requirat aliquem actum interiorem, qui coniunctus exteriori conſtituat ſenſibile ſignum tali Sacramento proportionatum; in hoc autem Sacramento Pœnitentię hoc inuenitur, quia materia eius neceſſaria in huiuſmodi humanis actibus poſita eſt, vt docet Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. canone* 4. vbi inquit ad integram, & perfectam peccatorũ remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, videlicet, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem. Videatur pro hac ſolutione Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp. 20. ſect. 3. n. 9. ad finem.*

Articvlvs XI.

An ad recipiendum hoc Sacramentum Pœnitentiæ, & eius effectum conſequendum neceſſaria ſit contritio, ita vt attritio non ſufficiat?

Svmmarivm.

1. *Pars affirmatiua probatur.*

2. *Dubitatio*

2. *Dubitatio reſoluitur.*
3. *An attritio ſupernaturalis requiratur in Sacramento Pœnitentia?*
4. *An Attritio naturalis ſufficiat ad valorem Sacramenti Pœnitentia?*
5. *An Attritio orta ex amiſſione bonorum temporalium, vel aliqua cauſa naturali fieri poſſit ſupernaturalis?*
6. *Explicatur quis dolor ortus ex pœna, qua debetur peccatis, ſit ſufficiens, vt validè Sacramentum conferatur?*
7. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia contritio ponitur communiter pars eſſentialis materialis huius Sacramenti; & docet Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *canone* 4 inquiens ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem, requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ Contritionem, Confeſſiooem, & Satisfactionem, ergo contritio eſt materialis pars eſſentialis in Sacrameoto Pœnitentiæ, & attritio non ſufficit; & ita hanc ſententiam tenent Doctores, aſſerentes Miniſtrum Sacramẽti Pœnitentiæ per Abſolutionem Sacramentalem; *Ego te abſoluo*, verè non abſoluere à culpa, ſed tantùm declarare pœnitentem mediâ contritione à Deo eſſe abſolutum, Doctores id docentes refert Sotus *in* 4 *diſt.* 20. *q.* 1. *ar.* 1. *§. de hac verò re*, inter quos eſt Magiſter Sentent. *in* 4. *diſt.* 18. 1. *p. diſtinctionis, cap.* 6.

II. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico primò: Ad valorem Sacramenti Pœnitentię, & eius effectum conſequendum non eſt neceſſaria cõtritio, quæ eſt dolor perfectus de peccatis voluntariè aſſumptus propter Deum cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi, vt docet D. Thomas *q.* 1. *ar.* 1 *in Addit. ad* 3. *p.* Probatur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. vbi de attritione, quam etiam dixerat contritionem imperfectam, inquit: & quamuis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentię impetrandam diſponit. Ergo contritio quæ eſt dolor perfectus, non eſt neceſſaria ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, & eius effectum cõſequendum, cùm ſola attritio ex Concilio Tridentino ſufficiat in Sacramento Pœnitentiæ ad iuſtificationem impij: tum quia D. Thom. 3. *p. q.* 80. *ar.* 4 *ad ſecundum*: conſtituens diſcrimen inter Baptiſmum, & Pœnitentiam, ex vna parte, & Euchariſtiam ex alia, inquit, Baptiſmus & Pœnitentia ſunt quaſi medicinæ purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati: Euchariſtia verò eſt medicina confortatiua, quæ nõ datur niſi liberatis à peccato. Ergo pœnitens accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ etiamſi nondum ſit per contritionem liberatus à peccato, dummodò ſit ſufficienter attritus, validè Sacramentum Confeſſionis ſuſcipit, & eius effectum cõſequitur. Ergo non eſt neceſſaria contritio, &c. Et ita hanc aſſertionem docet D. Thom. *in* 4 *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 5. *quaſtiuncula* 1 *in corp. fine.* Syluester *verb. Confeſſio* 1. *q.* 21. *n.* 24. Nugnus *tom.* 2. *in* 3. *p. q.* 9. *ar.* 1. Vaſquez *tom.* 4. *in* 3. *p. q.* 92. *a.* 1. *dub* 2. *num.* 2.

DVBITATIO I.

III. *An Attritio ſupernaturalis requiratur in Sacramento Pœnitentia?*

Dico ſecundò: Ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, & eius effectum conſeqoendum requiritur attritio vera, & ſopernaturalis, quæ ſic deſcribi poterit iuxta Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. quòd ſit deteſtatio peccati, quæ hominem ad gratiam ſuſcipiendam diſponit, ex ſe quidem, & ſolitariè ſumpta remotè, & inſufficienter; cum Sacramento autem, ſufficienter. Ita benè eam aſſignat Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſput.* 7. *ſect.* 1. *num.* 1.

Probatur modò noſtrum pronuntiatum: nam dolor & attritio ſufficiens, & neceſſarius ad effectum Sacramenti Confeſſionis conſequendum debet eſſe dolor, & attritio ſupernaturalis, cùm forma & effectus conſequendus ſit ſupernaturalis, nempe gratia iuſtificans. Ergo etiam dolor, & attritio vera, & ſupernaturalis erit neceſſaria ad ſubſtantiam, & eſſentiam Sacramẽti Pœnitentiæ. Antecedens patet. Nam diſpoſitio & forma, ad quam illa diſponit, debent eſſe eiuſdem ordinis; ſed forma, ad quam diſponit attritio in Sacramentu Confeſſionis eſt ordinis ſupernaturalis, nempe gratia iuſtificans. Ergo, &c. Conſequentia verò primi argumenti probatur. Nam ſacrum Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. dicit contritionem, ſeu attritionem eſſe partem huius Sacramenti, & quidem eſſentialem, & ſtatim *cap.* 4. declarans, hanc partem, inquit, cõtritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, eſſe donum Dei, & Spiritus ſancti impulſum non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm mouentis, quo pœniteos adiutus viam ſibi ad iuſtitiam parat. Sed Sacrum Concilium nihil diſtinguit inter diſpoſitionem ad effectum Sacramenti, & partem Sacramenti. Ergo ſentit eandem attritionem requiri ad conficiendum Sacramentum, quæ ad effectum conferendum ſufficiat; quæ ſcilicet ſit donum Dei, ordinis diuini, & ſupernaturalis. Tùm quia S. Thomas 3. *p. quæſt.* 84. *ar.* 1 poſtquam in ſolutione ad primum dixit materiam eſſentialem huius Sacramenti conſiſtere in actibus pœnitentis, ſubdit in ſolutione ad ſecundum, hos actus originem ducere ex inſpiratione interna; quia in hoc Sacramento materia non exhibetur à Miniſtro, ſed à Deo interiùs operante; hæc D. Thom. Sentit ergo ſanctus Doctor attritionem, quæ eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ, eſſe donũ Dei ordinis diuini & ſupernaturalis, cùm à Deo intùs operante originem ducat; & ita huius ſententiæ eſt S. Doctor nuperrimè relatus, Suarez *tom* 4. *in* 3. *p. diſput.* 20. *ſect.* 4. *n.* 6. Vaſquez *tom.* 4. *in* 3. *p. q.* 92. *ar.* 2. *dub. vnic. n.* 13. contra Bonacinam *tom.* 1. *tract. de Sacramentis, diſp.* 5. *quæſt.* 5. *de Sacramento Pœnitentiæ*, *ſect.* 1. *punct.* 3. *n.* 12. *& ſuprà in eodem tract. diſp.* 5. *quæſt.* 3. *puncto* 2. *n.* 9. tenentem ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ non requiri dolorem, & attritionem ſupernaturalem, ſed ſufficere naturalem; licèt ad effectum huius Sacramenti conſequendum fateatur exigi dolorem & attritionem ſupernaturalem, non tamen ad illius valorem, & eſſentiam.

DVBITATIO II.

IV. *An attritio naturalis ſufficiat ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ?*

Dico tertiò: Licèt dolor & attritio ob fœditatem peccati concepta, ſecundùm quod terminatur ad naturalem peccati turpitudinem, naturalis ſit: quia quælibet virtus acquiſita poteſt deteſtari peccatum ſibi contrarium, quatenus tale eſt, ſed hoc eſt deteſtari illod propter intrinſecam & ſpecificam turpitudinem: ergo in hac deteſtatione nihil eſt ſupernaturale; cùm quælibet virtus naturalis acquiſita poſſit deteſtari peccatum ſibi contrarium ob turpitudinem, quam habet in ſe: Tamen

ille

ille dolor, & attritio ob fœditatem peccati concepta quatenus ordinatur ab aliis actibus, puta à fide diuina, & à ſpe veniæ peccatorum conſequendæ ad ſuſceptionem ſacramenti Pœnitentiæ ratione iſtius ſupernaturalitatis & perfectionis ſupernaturalis eſt donum Dei, & ſufficiens diſpoſitio ad valorem Sacramenti, & gratiam conſequendam. Probatur ex Concilio Tridentino ſeſſ.14.cap.4. vbi habetur: attritio, quæ ex turpitudinis peccati conſideratione concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, eſt donum Dei, & Spiritus ſancti impulſus, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad iuſtitiam parat: ergo licèt conſideratio turpitudinis peccati, ſecundùm quod terminatur ad peccati fœditatem, naturalis ſit, tamen quatenus coniungitur cum ſpe veniæ peccatorum conſequendæ, & voluntate ſuſcipiendi Sacramentum, & medio illo gratiam, ſopernaturalis eſt, cùm vt ſic ex Cõc. Trid. ſit donum Dei, & Spiritus ſancti impulſus, & ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem: Hęc aſſertio colligitur apertè ex D. Thom. *3.p.quæſt.85. art.5.ad 3.argum.* & clarè eam docet Nugnus noſter *3.p. in Addit. quæſt.1. art.2.dub.2. §. Pro cuius explicatione aduertendum eſt, fol.184 col.2. fine.*

Dico quartò. Certiſſimum eſt qoòd Attritio, quæ concipitur ex gehennæ & pœnarum metu, vel ex damno ſpirituali amiſſionis beatitudinis, & gratiæ, vel ex aliquo æterno motiuo, quantùm ad omnia ſit ſupernaturalis, donum Dei, & ſufficiens diſpoſitio nedum ad valorem Sacramenti, ſed etiam coniuncta cum Sacramento ad gratiam conſequendam. Quia hæc attritio eſt de obiecto ſupernaturali; ergo nequit haberi ſine ſpeciali gratiæ Dei auxilio: ergo ſupernaturalis eſt quantùm ad omnia, obiectiuè ſcilicet & effectiuè: Tum quia hæc attritio concipitur propter pœnas ſupernaturales, vel propter amiſſionem ſupernaturalium bonorum ſpiritualium; ergo ſupernaturalis eſt quantùm ad omnia. Ita benè notauit Canus *in Relectione de Pœnitentia, part.3. quæſt.3.* Nugnus nouiſſimè relatus *ad finem illius Dubij, §. Et ſi arguas, verſ. Illam verò contritionem.*

Dico quinto: Etiam Attritio, quæ concipitur ex cõſideratione naturali turpitudinis peccati ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, indiget auxilio peculiari Dei; Quia vt ſic ſalutaris eſt, & pia, donum Dei, & Spiritus ſancti impulſus, entitas ſupernaturalis, diſpoſitióque ſupernaturalis, & eſt ab auxilio ſupernaturali. Sic probè Nugnus *vbi ſuprà, §. etſi arguas, verſ. cùm enim dolor iſte.* Valentia *tom.4.diſp.7. quæſt.8 de contrit. puncto 4.§. ex qua ſententia fol.1385. in princ.* Quamuis obiectiuè, ſecundùm quod terminatur ad fœditatem naturalem peccati ſit naturalis, & abſque auxilio Dei ſpeciali haberi poſſit, licèt non ſine generali: quia vt ſic præcisè eſt propter naturalem virtutis amorem: ergo vt ſic aliis conditionibus præciſis naturalis eſt, non indigens Dei ſpeciali auxilio, ſed tantùm generali ordinis naturæ. Videatur Nugnus *dub.2. vbi ſuprà, fine.*

DVBITATIO III.

V. *An attritio orta ex amiſſione bonorum temporalium, vel aliquâ aliâ causâ naturali, fieri poſſit ſupernaturalis?*

Dico ſextò: Etiam dolor, & Attritio, qui naſcitur ex timore detrimentorum temporalium, vt timore honoris, infamiæ, mortis, aut iacturæ, & amiſſionis bonorum temporalium, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ peccatorum conſequendæ ſufficit ad valorem Sacramenti, & ad iuſtificationem. Quia iſte timor & dolor bonus eſt, & cõiungi poteſt cum aliis actibus ſupernaturalibus, cum voluntate ſuſcipiendi Sacramentum, & medio illo gratiam: ergo, &c. & ita hanc aſſertionem docet Sotus *in 4.diſt.18.quæſt.3. ar.3. caſu 2. immediatè ante ſolutionem argumentorum.* Suarez *tom. 4 in 3.p.diſp.5. ſect.2. num.5.* Tum qoia ille timor, & dolor relatus ad ſuſcepoionem Sacramenti cum ſpe veniæ peccatorum conſequendæ, vt ſic non eſt merè naturalis, & humanus, ſed diuinus, & ſupernaturalis; ſicut ſperare à Deo bona temporalia ſub aliqua habitudine ad vitam æternam, vel ſupernaturalem Dei prouidentiam ad virtutem ſpei pertinet. Idem tenet Vega *lib.13. in Concil. Trident. cap.14.* Nauarr. *Summæ cap.1, de Contritione, num.11.* Contra aliquos Doctores, quos tacito nomine refert Sotus *loc. cit.* & Vaſquez *tom.4. in 3.p.quæſt.92. ar.1. dub.3. num 2. verſic. Hæc tamen ſententia.* Ad maiorem intelligentiam præcedentis huius pronuntiari

VI. *Explicatur quis dolor ortus ex pœna, quæ debetur peccatis, ſit ſufficiens, vt validè Sacramentum conferatur?*

Dico ſeptimò: Attritio, quâ quis dolet de peccatis ob timorem pœnæ, triplex eſſe poteſt. Prima eſt, quando homo dolet de peccatis ob timorem pœnæ excitatiuè: quatenus ſcilicet homo timore pœnæ arripit occaſionem dolendi de peccatis, & præſtandi bonum aliquod opus. Secunda eſt, qua quis dolet de peccatis ob timorem pœnæ tanquam ob finem proximum, non excludendo vltimum finem, id eſt, Deum, ad cuius gloriam hoc totum referri poteſt. Tertia eſt, quâ quis dolet ob timorem pœnæ, ſed cum tali affectu, vt ſi pœna non eſſet, non præcaueret peccatum. Prima Attritio bona eſt, quia per illam homo pertrahitur à Deo ad meliorem frugem; ita expreſsè determinatur in Concilio Tridentino *ſeſſ.6.cap.6.* Secunda ſimiliter bona eſt: quia conſentaneum eſt rationi, vt peccatum odio habeatur propter pœnam. Tertia verò mala eſt, & peccaminoſa, & conſequenter inſufficiens ad valorem Sacramenti, & ad gratiam conſequendam, quia iſta attritio includit actualem affectum ad peccandum: ergo mala eſt. Prima verò, & ſecunda, cùm ſint bonæ ſi ex motiuo ſupernaturali eliciantur, ſeu dirigantur ad finẽ ſupernaturalem, puta ad ſuſcipiendum Sacramentum cum ſpe veniæ peccatorum conſequendæ, & voluntate ampliùs non peccandi, ſufficiunt ad valorem Sacramenti, & ad gratiam medio illo conſequendam. Quia vt ſic auxilio Dei ſpeciali habentur, & ſunt ſimpliciter actus ſupernaturales ab auxilio ſupernaturali emanantes. Videatur Nugnus *tom.2. in 3.p. quæſt.1. in addit. ar. 2. dub.2. concluſ.1.2.& 3.*

VII. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur.*

Ad rationem in contrarium quatenus directè militat contra primum pronuntiatum reſpondetur, quòd dum inquiunt Concilia, & Doctores, contritionem eſſe materiam proximam, & partem eſſentialem ſacramenti Pœnitentiæ, nomine Contritionis intelligunt contritionem perfectam, quæ ſecundùm ſe eſt ſufficiens ad iuſtificationem; vel imperfectam, quæ eſt Attritio, quæ cum Sacramento ſufficit ad gratiam ſuſcipiendam, vt expreſsè habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ.14.cap.4.* Cùm enim ibi docuiſſet ſacrum Concilium, partes huius Sacramenti; quibus cõſtituitur cum forma, & dixiſſet alteram eſſe contritionem, id eſt, dolorem; explicans poſtea de qua contritione loqueretur; docet alteram eſſe contritionem perfectam, charitate formatam, & hanc ſine Sacramento in re iuſtificare:

Alteram

Alteram verò dicit contritionem imperfectam, quæ eſt Attritio, cum Sacramento ſufficienter diſponens ad impetrandam gratiam, cùm ſit donum Dei, & Spiritus ſancti impulſus; & ſic argumentum nihil concludit contra nos, cùm nomine Contritionis intelligatur dolor, qui ſi ſit perfectus, dicitur contritio perfecta, ſi verò ſit imperfectus, dicitur à ſacro Tridentino Concilio, imperfecta contritio, quę eſt Attritio ſufficiens cum Sacramento ad iuſtificationem: Videatur Nugn. *tom. 2. in 3. p. in addit. quæſt. 9. art. 1. dub. 3. §. Iſtam ſententiam, immediatè ante ſolutionem argumentorum.* Vaſquez *tom. 4. in 3. p. quæſt. 92. ar. 2. dubio vnico, num. 21. verſ. ſed clarius.*

ARTICVLVS XII.

An Attritio, vt ſit ſufficiens ad valorem ſacramenti Pœnitentiæ, debeat includere efficacem voluntatem non peccandi de cætero?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Reſoluitur Dubitatio.*
3. *An propoſitum virtuale præcauendi peccata futura ſufficiat ad valorem ſacramenti Pœnitentiæ?*
4. *An ad habendum propoſitum non peccandi requiratur quòd pœnitens credat ſe ampliùs non peccaturum in poſterum?*
5. *An attritio ſupernaturalis, cognita talis ſufficiat ad valorem ſacramenti Pœnitentiæ?*
6. *An non habens veram Attritionem ſupernaturalem, validum ſuſcipiat Sacramentum, licèt doleat ſe illam non habere?*
7. *An Attritio naturalis, credita inuincibiliter ſupernaturalis, ſit ſufficiens ad validitatem Sacramenti?*
8. *An ad valorem ſacramenti Pœnitentiæ ſufficiat Attritio particularis vnius, vel alterius peccati mortalis, vel requiratur Attritio vniuerſalis omnium?*
9. *An ſimiliter ad valorem ſacramenti Pœnitentiæ requiratur Attritio vniuerſalis de omnibus venialibus, vel ſufficiat particularis?*
10. *Explicatur quomodo Confeſſio aliquorum peccatorum mortalium, non tamen omnium commiſſorum, poſſit eſſe valida?*
11. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur magis, An accedens cum putato dolore recipiat validum ſacramentum Pœnitentiæ?*

I. *Pars negatiua probatur.*

QVia de eſſentia Confeſſionis ex parte pœnitentis ſolum eſt vt Confeſſio habeat veram rationem accuſationis integræ; ergo ſolus dolor requiritur, qui neceſſarius eſt, vt Confeſſio fiat per modum veræ accuſationis, ſed ad hoc ſufficit quælibet diſplicentia etiamſi ſit inefficax: ergo, &c. Sic docuit Paludanus *in 4. diſt. 17. quæſt. 8. à princip.* Vnde, inquit Paludanus, ſi peccator exponeret in Confeſſione, ſe non proponere efficaciter abſtinere à peccatis, licèt Sacerdos tunc non debeat illum abſoluere; quia abſoluere non debet, quē ſcit à Deo ligari, ſi tamen de facto talem abſoluat, intendens conferre verum Sacramentum, tenet abſolutio, & habebit effectum, quando peccator contereretur. Sicut ſi Sacerdos habet hoſtiam immundam, non debet conſecrare; ſed ſi conſecret factum tenet; quia eſt ſufficiens materia licèt polluta: Sic peccator confitens peccata ſine propoſito efficaci abſtinendi ab illis; eſt quidem materia ſufficiens in ſacramento Pœnitentiæ, licèt immunda, & ita Sacerdos non debet talem abſoluere: quòd ſi de facto abſoluit, Sacramentum erit validum, & Confeſſio vera quamuis informis, & ſine effectu: Videatur Syluest. *verbo Confeſſio 1. quæſt. 23. n. 27.* Vaſquez *tom. 4. in 3. p. quæſt. 92. ar. 2. dub. vnico, n. 3. verſic. Quoniam materia:* qui ita referunt ſenſiſſe Paludanum.

II. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico primò: Dolor, qui eſt attritio pars eſſentialis materialis ſacramenti Pœnitentiæ, debet eſſe efficax, vt Sacramentum ſit validum, vt videlicèt includat voluntatem abſolutam non peccandi in futurum. Probatur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 4.* Ad Confeſſionem, inquit Concilium, requiritur dolor, qui voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ; Sed dolor inefficax non excludit voluntatem peccandi, cùm aliquis aliquando de facto peccet, & habeat velleitatem non peccandi: ergo, &c. Hanc aſſertionē docuit Caiet. *in Summa, verbo Confeſſio ex parte confeſſi iteranda.* Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp. 20. ſect. 4. num. 7.*

DVBITATIO I.

III. *An propoſitum virtuale præcauendi peccata futura ſufficiat ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ?*

Dico ſecundò: Propoſitum implicitum, & virtuale quo quis ita deteſtatur peccata, vt ſi menti occurrerent peccata futura, firmum eliceret propoſitum, & voluntatem abſolutam illa præcauendi in futurum, eſt ſufficiens ad valorem Sacramenti, & ad effectum illius conſequendum. Probatur. Nam quis poteſt habere perfectam deteſtationem, & dolorem de peccatis, & quòd non recordetur futuri temporis, atque adeò, quòd non habeat formale, & explicitum propoſitum non peccandi: ergo validum erit Sacramentum, etiamſi non adſit formale propoſitum de cætero non peccandi. Tùm quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. cit. cap. 4.* loquens de attritione, quæ cum Sacramento eſt ſufficiens ad iuſtificationem, non tam expreſsè requirit formale propoſitum, ſed ſolum dolorem illum, qui voluntatem peccandi excludat: ſed qui bonâ fide verè deteſtatur peccatum quod confitetur, etſi non aduertat ad formale propoſitum non peccandi in futurum, re vera excludit voluntatem peccandi, cùm habeat virtuale propoſitum contrarium: ergo, &c. Et ita benè docet Nugnus *tom. 2. in 3. p. quæſt. 1. in addit. ar. 1. dub. 5. concluſ. 2.* Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp. 20. ſect. 4. n. 34.*

DVBITATIO II.

IV. *An ad habendum propoſitum non peccandi requiratur quòd pœnitens credat ſe ampliùs non peccaturum in poſterum?*

Dico tertiò: Ad habendum propoſitum efficax, & abſolutum in Confeſſione non peccandi ampliùs de cætero, non requiritur quòd pœnitens credat ſe non ampliùs commiſſurum peccata confeſſa; quia aliud eſt proponere non peccare in futurum, aliud ſibi perſuadere, & iudicare ſe perſeueraturum, nam illud prius eſt voluntatis pendens tantùm ex præſenti propoſito; & & ideò illud ſolum eſt neceſſarium. Hoc verò poſterius eſt intellectus, & pendet ex futuro euentu; & ideò

non ſolùm non eſt neceſſarium, verùm etiam conſulendum eſt ſtagilioribus hominibus, vt nihil de illo curent, aut cogitent. Sic benè Nugnus notauit nuperrimè relatus poſt primam conclusionem, Nauar. *Summa cap.1. de cantritione, num.*13. Valent.*tom.4.diſput.7. quæſt.*8. *punct.6.fine.*

Dvbitatio III.

V. *An Attritio ſupernaturalis, cognita talis, ſufficiat ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ?*

Dico quartò: Attritin vera, & ſupernaturalis, etiam vt talis cognita, eſt ſufficiens ad valorem Sacramenti, & ad iuſtificationem cum Sacramento. Quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.*14.*cap.*4. aſſerit, quòd attritio, quæ eſt donum Dei, & Spiritus ſancti impulſus, ſimul cum Sacramento diſponit hominem ad gratiam impetrandam: ergo attritin vera, & ſupernaturalis, etiamſi cognoſcatur attrírio, eſt ſufficiens cum Sacramento, &c. Nam pars & diſpoſitio Sacramenti non debet referri in exiſtimationem humanam, ſed re debet eſſe talis: ergo, ſi attritio ſit vera, & ſupernaturalis, etiamſi exiſtimetur talis, erit ſufficiens cũ Sacramento ad gratiam ſuſcipiendam. Sic Nugnus *tom.2. in 3.part. in addit. q.* 2.*art.* 3.*dub.*4 *§. Ad hoc dubium, verſic. Tertiò dico*, Vaſquez *tom.4.in 3.part.quæſt.92.art.1.dub.2.num.* 15.

Dvbitatio IV.

VI. *An non habens veram attritionem ſupernaturalem validum ſuſcipiat Sacramentum, licet doleat ſe illam non habere?*

Dico quintò: Ad pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipiendum non ſufficit actus, quo quis dolet non habere veram attritionem peccatorum. Quia huiuſmodi dolor non eſt attritio peccatorum; ſed dolor carentiæ attritionis; ſed ad Sacramentum pœnitentiæ ſucipiendum requiritur vera attritio: ergo, &c. Tum quia ſicut aliud eſt velle amare aliquem, aut deſiderare amare illum, & illum amare: ſic etiam aliud eſt dolere, quòd non doleam de peccatis, & dolere de illis; ſed diſpoſitio neceſſaria ad ſuſcipiendum Sacramentum pœnitentiæ eſt dolor ipſe de peccatis: ergo non eſt ſatis dolere, quòd non doleam, ſi reuerà non doleo de peccatis. Ita benè Vaſquez *loco citat.dub.*3 *num.6.* Bonacina *tom.*1. *tract.de Sacram.diſp.*5. *q.*5.*ſect.*1.*punct.*3.*n.* 7.cõtra Nauarr. *ſumm.c.1.de contritione,n.* 22.vbi aſſerit, quòd ſi aliquis aliàs non habet dolorem ſufficientem ad hoc Sacramentum, ſi dolet ſe non habere talem dolorem, ſufficienter erit diſpoſitus; ſed noſtrum pronunciatum verius eſt.

Dvbitatio V.

VII. *An Attritio naturalis, credita inuincibiliter ſupernaturalis, ſit ſufficiens ad validitatem Sacramenti?*

Dico ſextò: Confeſſio ex attritione humana facta etiamſi inuincibiliter vera, & ſupernaturalis putetur, & exiſtimetur, eſt nulla. Probatur, quia Concilium Trid. *ſeſſ.*14.*cap.*4. dicit illam attritionem, quæ eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, eſſe donum Dei: ergo ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur vera attritio ſupernaturalis. Tum quia Concilia dicunt vinum, v. g. eſſe materiam Euchariſtiæ, & nemo dicere poteſt acetum inuincibiliter putatum vinum aliquando ſufficere: ergo ſimiliter, &c. Tum quia ſicuti abſque vera exteriori confeſſione peccati non poteſt fieri hoc Sacramentum, ita nec ſine vera attritione interiori: ergo ſicut illa non ſuppletur per exiſtimationem, ita neque hæc. Et ita hæc aſſertio colligitur apertè ex doctrina Diui Thomæ 3.*part.quæſt.* 84. *art.*1.*in ſolut.ad primum, & ad ſecundum*: vbi inquit actus Pœnitentis, qui ſunt materia eſſentialis huius Sacramenti, originem ducere ex inſpiratione interna: quia in hoc Sacramento materia non exhibetur à Miniſtro, ſed à Deo interiùs operante. Videatur etiam Suarez *tom.4.in 3 part. diſp.* 20 *ſect.* 4.*num.*16 contra Bonacinam *tom.* 1.*tract. de Sacramentis diſp.5.quæſt.3.punct.* 2. *num.* 11. tenentem validum eſſe Sacramentum Pœnitentiæ, quando pœnitens bonâ fide accedit ad accipiendam abſolutionem cum ſola naturali attritione.

Dvbitatio VI.

VIII. *An ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ ſufficiat attritio particularis vnius, vel alterius peccati mortalis, vel requiratur attritio vniuerſalis omnium.*

Dico ſeptimò: Ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, & ad gratiam in hoc Sacramento ſuſcipiendam non ſufficit attritio particularis, ſed requiritur vniuerſalis attritio omnium peccatorum mortalium confeſſorum. Vt ſi quis deditus peccatis carnis accedat ad Confeſſionis Sacramentum, & doleat ſufficienti, & vera attritione de huiuſmodi peccatis, non tamen verè dolet de furtis, vel de aliis criminibus confeſſis, tunc nullum & inualidum eſt Sacramentum, & ſine fructu. Quia ſicut ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ Confeſſio debet eſſe integra de omnibus peccatis mortalibus; ita & attritio debet eſſe integra & vniuerſalis de eiſdem peccatis mortalibus: nam ſine attritione integra de omnibus peccatis mortalibus, Confeſſio non poteſt eſſe integra in ratione veræ accuſationis ſacramentalis: ergo vniuerſalis, vera & ſupernaturalis attritio requiritur omnium peccatorum mortalium, vt Sacramentum ſit validum, & cum fructu recipiatur. Tum quia impietas infidelitatis eſt ab illo, qui iuſtus & iuſtitia eſt, dimidiam ſperare ſalutem, vt aſſerit D. Auguſtinus *tom.4.de vera & falſa Pœnitentia, cap.* 6. *non longè à fine*, vt refert D.Thom.3.*part.quæſt.*86.*art.* 3.*in corpore ad finem.* Sed qui cum particulari, licèt verâ attritione aliquorum peccatorum mortalium, non tamen vniuerſali omnium culparum lethalium, ad Confeſſionem accedit, dimidiam ab eo, qui iuſtus & iuſtitia eſt, ſperat ſalutem: ergo nec validè Sacramentum, nec eius fructum recipit, cùm impiè, & ſacrilegè operetur. Videatur pro hac aſſertione D.Thom.*loco cit.* Suarez *tom.4.diſp.*20 *ſect.4.num.*23. Vaſquez *tom. 4 in 3.part.q.86.art.2. dub.7. n.21.* Bonacina *tom.* 1. *tract. de Sacramentis, diſp* 5.*quæſt* 5.*punct.* 3.*propoſitione* 3.*n.* 3.*§.Quartò quod non ſufficiat.*

Dvbitatio VII.

IX. *An ſimiliter ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiratur attritio vniuerſalis de omnibus venialibus, vel ſufficiat particularis?*

Dico octauò: Attritio tamen vniuerſalis de omnibus venialibus confeſſis non eſt neceſſaria ad valorem Sacramenti; ſed ſufficit particularis attritio vera de quibuſdam, licèt non de omnibus culpis venialibus confeſſis habeatur. Quia peccata venialia non omnia

ſunt

Google

ſunt materia neceſſaria in confeſſione, ſicut peccata lethalia: imò nulla venialia ſunt materia neceſſaria; nam poſſumus illa omittere, & non confiteri; ſed quòd aliquorum ex confeſſis venialibus debeat eſſe in confeſſione attritio vera ad valorem ſacramenti, patet, quia ad ſubſtantiam ſacramenti aliquis dolor verus, & ſupernaturalis ſimpliciter eſt neceſſarius. ergo ſi quis confiteatur tantùm venialia, vt confeſſio non ſit hiſtoriæ narratio, ſed accuſatio delicti de aliquibus ſaltem ex confeſſis, particularem, & veram debet habere attritionem; aliàs ſacrilegium eſſet ſine vllo dolore confiteri, & conſequenter inualidum eſſet ſacramentum. Ita benè annotauit Vaſquez *tom. 4. in 3. part. quæſt. 92. art. 3. dub. 5. num. 9. & loco nuperrimè cit.* Ad maiorem intelligentiam ſeptimæ aſſertionis,

Dvbitatio VII.

X. *Quomodo confeſſio aliquorum peccatorum mortalium, non tamen omnium commiſſorum, poſſit eſſe valida?*

Dico nonò, ſi contingat confeſſionem fieri cum vera attritione aliquorum peccatorum mortalium, non tamen omnium, quæ in confeſſione dicuntur. Vt ſi pœnitens tantùm habeat ſingulares attritiones peccatorum mortalium, prout ea ſigillatim confitetur, & de vno peccato doleat efficaciter, & cum abſoluto propoſito emendæ; de alio verò minimè, ſed per diſplicentiam tantùm inefficacem. Si talis pœnitens ſciens, & videns, vel ex ignorantia culpabili mortaliter talem attritionem veram omittat confeſſi peccati mortalis, quod eſt materia neceſſaria in ſacramento Confeſſionis, tunc ſacramentum erit inualidum. quia culpabiliter deeſt iſti confeſſioni materia eſſentialis, quæ eſt vniuerſalis attritio, vera, & efficax omnium peccatorum mortalium confeſſorum.

Tamen ſi omiſſio illa veræ attritionis omnium culparum lethalium quæ exponuntur in confeſſione, contingat ex ignorantia, & inaduertentia inculpabili, confeſſio non eſt ſimpliciter nulla, ſed abſolutè valida. quia ſicuti confeſſio illa, in qua peccatorum aliquod mortale omninò tacetur ob inculpabilem obliuionem, valida eſt, licèt materialiter non ſit integra; ita eadem ratione illa attritio vera & ſupernaturalis aliquorum peccatorum mortalium erit tunc ſufficiens ad veritatem ſacramenti, licèt in eadem confeſſione aliquod peccatum mortale abſque vera attritione inculpabiliter operiatur. Sic Petrus de Soto *lect. 8. de confeſſione.* Dominicus Sotos *in 4. diſt. 18. quæſt. 3. art. 3. poſt ſextam concluſionem.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 20. ſect. 4. num. 26. & 27.*

Dico decimò, tenebitur tamen pœnitens iterum confiteri illa peccata, quæ ſine vera attritione in confeſſione narrauit, ſi defectum commiſſum poſtea recognoſcat. Probatur; quia perinde eſt non confiteri aliquod peccatum debito modo eſſentiali, & ad veritatem ſacramentalis accuſationis neceſſario, id eſt, ſine vera, & ſupernaturali attritione, ac omninò illud per obliuionem naturalem non confiteri; ſed peccatum oblitum in confeſſione per obliuionem naturalem ſi ſit mortale, ſi poſtea in mentem veniat, tenetur pœnitens confiteri. ergo & peccatum mortale, licèt confeſſum, ſine vera tamen attritione, tenebitur pœnitens iterum confiteri; ſi defectum commiſſum poſtea recognoſcat. Suarez nuperrimè relatus.

XI. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur magis,*

Dvbitatio VIII.

An accedens cum putato dolore recipiat validum ſacramentum Pœnitentiæ?

Ad rationem in contrarium à principio poſitam reſpondetur, quòd de eſſentia confeſſionis ſacramentalis eſt, quòd ſit accuſatio in re ipſa doloroſa procedens ex attritione vera, includens propoſitum abſolutum præcauendi peccata in futurum. Vnde ſi peccator exponeret in confeſſione ſe non proponere efficaciter à peccatis abſtinere, Sacerdus eum abſoluere non debet; & ſi abſoluere tentaret, ſacramentum eſſet nullum. quia vera materia, quæ eſt verus dolor cum propoſito efficaci præcauendi de cætero peccata, in hoc ſacramento neceſſarius non apponeretur. Imò ſi peccator diligentiam humanam adhibuiſſet ad habendum verum dolorem, & reuera non eſſet verus, ſed tantùm putatus talis, adhuc ſacramentum eſſet inualidum. quia Deus in hoc ſacramento non exigit ab homine exiſtimatam peccatorum diſplicentiam, ſed re ipſa veram, & ſufficientem. Excuſaretur tamen à culpa propter diligentiam adhibitam & exiſtimationem, quam habet exiſtimans ſe habere verum dolorem.

Neque exemplum ibi adductum aliquid probat. fatemur enim quòd ſi Sacerdos conſecraret hoſtiam immundam, peccaret quidem, conſecratio tamen eſſet valida, ſi illa hoſtia eſſet verus panis triticeus. quia veram ſacramenti Euchariſtiæ materiam conſecraret, licèt immundam. Cæterùm confeſſio ſine vero dolore, & propoſito præcauendi de cætero peccata, non eſt ſufficiens materia ſacramenti Confeſſionis, & ſic non ſolùm delinqueret Sacerdos abſoluens peccatorem confeſſum ſine vllo dolore, & propoſito efficaci in futurum non peccandi, verùm etiam inualidum eſſet ſacramentum.

Neque valeret confeſſio ſine vllo dolore facta, etiamſi poſtea peccatorum iam confeſſorum apponeretur, & adueniret vera attritio. quia quod ab initio nullum eſt, tractu temporis non conualeſcit. Et ſi dicatur. nam ſatisfactio ſacramentalis poſt abſolutionem expleta eſt vera pars, & integrè Confeſſionis ſacramentum conſtituit. ergo. Similiter ſi poſt confeſſionem, & abſolutionem datam, verus dolor adueniat, & apponatur recedente fictione, integrum, & validum erit Confeſſionis ſacramentum. Reſpondetur negando conſequentiam; & ratio diſcriminis eſt. quia ſatisfactio etſi ad integritatem ſacramenti Pœnitentiæ pertineat, non tamen ad eſſentiam ſicut manus in homine; & ideo poſt abſolutionem exhiberi poteſt, & ſacramentum ſine illa poteſt conſtare, & habere effectum in remiſſionem culpæ. Cæterùm vera attritio pertinet ad eſſentiam ſacramenti Pœnitentiæ, & ſic eſſentialiter debet præcedere abſolutionem, vt ſimul cum confeſſione ſubiiciant verè pœnitentem clauibus Eccleſiæ, eſt enim dolor comes confeſſionis. Inde ſicut confeſſio debet præcedere abſolutionem, ſic & dolor, etſi dolor ſubſequi poſſet, & tunc efficeret ſacramentum, & fructuoſum; ſic etiam poſſet ſubſequi confeſſio, quod eſt abſurdiſſimum.

Articvlvs XIII.

An attritio, & contritio, qua ſunt partes eſſentiales ſacramenti Confeſſionis, differant ſpecie, & eſſentialiter?

Svmmarivm.

1. *Part negatiua probatur.*
2. *Explicatur cuius virtute eliciatur à pœnitente contritio, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam.*
3. *Quomodo actus contritionis diſponens ad gratiam prius intelligatur informis, quàm formatus, & an ſit meritorius ſi non gratia, ſaltim gloria.*
4. *An contritio quæ eſt vlima diſpoſitio ad gratiam includat actum formalem amoris diuini.*
5. *An attritio, quæ eſt diſpoſitio ſufficiens ad ſacramentum Pœnitentiæ, ſit actus pœnitentiæ infuſa, vel procedat ab auxilio Dei ſupernaturali.*
6. *An contritio ſemper includat ex ſe motiuum vniuerſale deteſtandi omnia mortalia.*
7. *An contritio ſimiliter ex ſe includat motiuum vniuerſale deteſtandi omnia venialia.*
8. *An contritio venialium contineat in virtute deteſtationem mortalium.*
9. *An attritio, quæ cum ſacramento eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, includat vniuerſale motiuum deteſtandi omnia mortalia.*
10. *An attritio alicuius peccati mortalis concepta ex aliquo motiuo ſpeciali ſe extendat ad omnia peccata mortalia.*
11. *Dubitatio reſoluitur.*
12. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Part negatiua probatur.*

NAm perfectum, & imperfectum non differunt ſpecie, & eſſentialiter, ſed ſolùm accidentaliter. Sicuti calor intenſus vt duo, & calor intenſus vt quattuor continentur in eadem ſpecie caloris, & differunt ſolùm accidentaliter ſicut perfectum, & imperfectum in eadem ſpecie. Sed attritio, & contritio differunt ſicut perfectum, & imperfectum. Attritio enim ſignificat in ſpiritualibus quandam diſplicentiam de peccaris commiſſis, ſed non perfectam. Contritio autem perfectam, vt docet D. Th. 3. *part. q.* 1 *in addit. art.* 2. *ad* 2. *arg.* ergo non differunt ſpecie, & eſſentialiter inter ſe, ſed ſolùm accidentaliter.

Dvbitatio I.

II. *Cuius virtute eliciatur contritio, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam?*

Dico primò. Prima contritio, illa ſcil. quæ elicitur ab homine peccatore prioritate naturæ ante iuſtificationem, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam, & remiſſionem peccatorum, de qua Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. non eſt actus elicitus ab habitu aliquo ſupernaturali infuſo, puta ab habitu pœnitentiæ infuſo, vel ab habitu charitatis, ſed ab auxilio ſupernaturali ſupplente vicem habitus pœnitentiæ infuſæ, vel charitatis. Probatur hæc aſſertio: nam prima contritio, quæ eſt diſpoſitio ad iuſtificationem, eſt prior ſaltem natura ipſa gratia, & conſequenter omnibus habitibus per ſe infuſis, qui tanquam proprietates ipſam gratiam tanquam eſſentiam conſequuntur. ergo nequit elici ab aliquo habitu infuſo. Antecedens eſt clarum. diſpoſitio enim ſemper eſt prior ſaltem natura eo, ad quod eſt diſpoſitio. Conſequentia verò probatur. nam quod eſt prius, produci effectiuè non poteſt ab eo quod eſt poſterius; ſed prima contritio eſt prior ſaltem natura gratia, & habitibus per ſe infuſis. ergo non poteſt elici ab habitu pœnitentiæ, qui eſt habitus per ſe infuſus. Quòd autem eliciatur ab auxilio ſupernaturali, probatur. nam eſt actus ſupernaturalis cùm per ſe, & ex ſui natura ſit diſpoſitio ad gratiam. ergo à principio effectiuo ſupernaturali produci debet ab auxilio, ſcilicet diuino, ſupplente vicem habitus pœnitentiæ infuſæ, & ita hanc aſſertionem docere videtur D. Thom. 1. *part. q.* 62. *art.* 2. *ad* 3. Nugnus *tom.* 2. *in* 3. *part. quæſt.* 85. *art.* 3. *dub.* 2. *concluſ.* 2. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſput.* 4. *ſect.* 7. *num.* 8. Bonacina *tom.* 1. *tract. de ſacramentis, diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 1. *punct.* 1. *n.* 4.

Dico ſecundò. Contritio verò ſecunda, illa ſcilicet, quæ eſt ab homine iuſto in gratia Dei exiſtente, eſt actus elicitus ab habitu pœnitentiæ infuſæ, quæ eſt in voluntate. Probatur. nam deteſtari peccatum, vt eſt offenſa Dei, pertinet ad virtutem pœnitentiæ, vt docet D. Thom. 3. *part. quæſt.* 85. *art.* 2. ſed contritio eſt deteſtatio peccati quatenus eſt offenſa Dei cum propoſito emendandi vitam, confitendi, & ſatisfaciendi, & ſpe veniæ diuinitus obtinendæ, vt docet Lopez 1. *part. Inſtruct. cap.* 6. *ferè in principio.* ergo. Videatur D. Thom. 3. *part. in addit. quæſt.* 1. *art.* 2. *ſolutione ad primum, fine.* Nugnus *tom.* 2 *in* 3. *part. quæſt.* 85. *art.* 2. *dub.* 1 *fol.* 37. *mihi, col.* 1. §. *ad ſecundum negatur minor.* Valentia *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt* 8. *de contrit punct.* 1. *fol.* 1363. §. *dico autem.* Toler. *ſumma lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 1.

Dvbitatio II.

III. *Quomodo actus contritionis diſponens ad gratiam prius intelligatur informis, quàm formatus, & an ſit meritorius ſi non gratia, ſaltem gloria?*

Dico tertiò, primus actus contritionis, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam, prius natura intelligitur informis, quàm formatus. Nam cùm talis primus actus ſit diſpoſitio ad gratiam, præcedit ordine naturæ ipſam gratiam. ergo vt ſic nondum intelligitur formatus; quia vt ſic non intelligitur eſſe ab homine grato, ſed ab homine tendente ad gratiam. Ita colligitur clarè ex doctrina D. Thom. 3. *part. quæſt.* 89. *art.* 1. *ad* 2. vbi formaliter habet hæc verba. *Actus primus pœnitentis ſe habet vt vltima diſpoſitio ad gratiam conſequendam.* ſcilicet contritio. Alij verò ſequentes actus pœnitentiæ procedunt iam ex gratia, & virtutibus. ergo. In via D. Thom. cùm primus ille actus, qui eſt contritio diſpoſitio ad gratiam conſequendam, non intelligatur procedere à gratia habituali, non intelligitur adhuc formatus, ſed informis, non enim intelligitur formatus niſi per gratiam. Videatur pro hac aſſertione Sotus *in* 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 2. *art.* 6. §. *dicendum ergo. verſic. ſed certè facilior, fol.* 732. *mihi, col.* 1. *in principio.* Suarez *tom.* 4. *in* 3 *part. diſp.* 4. *ſect.* 7. *num.* 12. Bonacina *loco cit. num.* 30.

Dico quartò. Iſte tamen primus actus contritionis, quæ eſt diſpoſitio ad iuſtificationem, licèt priùs natura intelligatur informis, cùm præcedat gratiam ordine naturæ, & phyſicè effectiuè non procedat à gratia, tamen in eodem inſtanti temporis actus ille contritionis, quæ eſt vltima diſpoſitio ad gratiam, intelligi poteſt, & eſt formatus, quatenus intelligitur eſſe hominis grati, & iuſti. quia in illo eodem inſtanti temporis, in quo homo conteritur, ei infunditur gratia, vt bene docet Sotus *in* 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 2. *art.* 6.

§. *At*

§. *At verò quamuis, verſic. Sed reſponſum hoc.* ergo cùm ſit ſimul in eodem inſtanti temporis cum gratia, & habitu charitatis, vt ſic dici poteſt; & eſt formatus, cùm vt ſic ſit actus hominis iuſti, & grati, licèt non ſit diſpoſitio ad gratiam, vt formatus, ſed vt intelligitur informis ordine naturæ præcedens ipſam gratiam: effectiuè tamen phyſicè eſt actus elicitus ab auxilio Dei ſupernaturali, quod ſufficit vt ſit diſpoſitio ad gratiam conſequendam; vt nos docuimus *aſſertione prima*, & docet D.Thom. *1. part. q. 62. art. 2. ad tertium argumentum, verſic. Tertia conuerſio, & 3. part. quæſt. 84. art. 1. ad ſecundum.* quem ſequitur Suarez nouiſſimè relatus *num. 12. ad finem.* Videatur etiam Sotus *in 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 6. §. contra hoc eſt argumentum, verſ. Reſpondetur.* vbi docet quomodo idem actus contritionis poſſit eſſe formatus, & informis.

Dico quintò, actus iſte contritionis vt formatus, vt ſcilicet eſt actus hominis grati, & iuſti, licèt non ſit meritorius gratiæ iuſtificantis, quia cùm hæc ſit principium meriti, non cadit ſub merito, eſt tamen meritorius, & quidem de condigno gloriæ. quia vt ſic eſt actus bonus ſupernaturalis hominis iuſti, & grati, & licèt effectiuè phyſicè non procedat à gratia habituali, habet tamen coniunctionem cum illa; tum, quia ſicut operationes Chriſti Domini meritoriæ præmij ſupernaturalis formabantur à gratia vnionis, licèt hæc non fuerit principium *quo* actionis ſupernaturalis: ita ſimiliter prima contritio, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam, per coniunctionem, quàm habet cum illa, & vt eſt hominis grati, & iuſti, erit meritoria gloriæ, quamuis gratia habitualis non ſit principium *quo* effectiuum illius. Et ita hanc aſſertionem docet D.Thom. *1. 2. quæſt. 112. art. 2. ad ſeptimum.* Laudatiſſimus Aluarez, Magiſter meus, *lib. 7. de auxilijs diuinæ gratiæ, diſp. 66. num. 4.* Videatur etiam pro ea idem *ſuper 1. p. diſp. 31. concl. 2.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 4. ſect. 7. num. 12. dub. 2.*

Dvbitatio III.

IV. *An contritio, quæ eſt vltima diſpoſitio ad gratiam, includat actum formalem amoris diuini?*

Dico ſextò, contritio, quæ eſt vltima diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem, non includit eſſentialiter formalem diuini amoris actum. quia deteſtatio peccati, vt eſt offenſa Dei, in qua conſiſtit ratio eſſentialis veræ contritionis, non tendit directè in Deum ſummè dilectum vt obiectum *quod*, ſed *quo*, id eſt, ſolum reſpicit illum vt rationem proximam deteſtandi peccatum. ergo contritio, quæ eſſentialiter eſt deteſtatio peccati, vt eſt offenſa Dei non includit eſſentialiter diuinum actum amoris formaliter: nam formalis amor diuinus reſpicit Deum, vt obiectum *quod* ſummè dilectum, & non *quo*, &c. Tum, quia poteſt in re ipſa aliquando eſſe contritio ſine formali amore re ipſa exhibito: ergo formalis amor non eſt de eſſentia contritionis. hanc aſſertionem inſinuauit apertè D.Thom. *in 4. diſt. 14. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. fine.* Palud. *ibi quæſt. 3.* Gabriel *quæſt. 1. art. 2. concl. 5.*

Dico ſeptimò, dum in ſacro Concilio Tridentino dicitur, perfectam contritionem informari charitate, non oportet intelligi de actu formali charitatis; ſed de infuſione gratiæ, & charitatis, per quam formatur contritio. quia in eodem momento & eſt contritio, quæ eſt vltima diſpoſitio ad gratiam, & infuſio gratiæ, & charitatis, & omnium habituum per ſe infuſorum. Tum, quia ſicut actus virtutum moralium acquiſitarum formantur per coniunctionem ad gratiam; ita & actus contritionis per infallibilem concomitantiam, & coniunctionem cum gratia, & charitate formatur à gratia, & charitate. Sic benè notauit Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 4. ſect. 2. n. 7.*

Dico octauò, virtute tamen in contritione, & deteſtatione peccati, vt eſt offenſa Dei, includitur votum formalis amoris Dei ſuper omnia, non quidem, quòd neceſſe ſit explicitè habere hoc propoſitum in particulari, ſed implicitè: quia cùm in contritione, quando homo conuertitur in Deum, ineſſe debeat propoſitum ſeruandi, & faciendi omnia, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, & actus formalis dilectionis Dei ſuper omnia, per ſe loquendo, ſit neceſſarius ad ſalutem, puta quando currit præceptum diligendi Deum ſuper omnia. ergo virtute in contritione, qua homo conuertitur in Deum, includitur votum formalis amoris Dei. Tum, quia ex naturali inconſideratione, ſæpè accidere poteſt ſine culpa, quòd homo quando conuertitur, & conteritur de peccato, vt eſt offenſa Dei, non eliciat actum dilectionis Dei ſuper omnia. ergo cùm talis actus ſit neceſſarius ad ſalutem, vt ſaltem debito tempore eliciatur in contritione, includitur implicitum ſaltem propoſitum illum eliciendi: vnde benè Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 85. art. 2. dub. 1. §. Ad ſecundum negatur maior, fol. 38. col. 2. mihi.* quòd licèt contritio, & dilectio diſtinguantur, quia habent diſtincta obiecta; tamen contritio eſſentialiter includit tranſcendentalem ordinem ad dilectionem. Videatur etiam Suarez nuperrimè relatus *num. 16.*

Dvbitatio IV.

V. *An attritio, quæ eſt diſpoſitio ſufficiens ad ſacramentum Pœnitentiæ, ſit actus pœnitentiæ infuſæ, vel procedat ab auxilio Dei ſupernaturali?*

Dico nonò, attritio, quæ eſt dolor imperfectus de peccato, conceptus ex metu gehennæ, & pœnarum, vel ob fœditatem peccati, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ conſequendæ, eſt quidem ſufficiens diſpoſitio ſimul cum ſacramento ad conſequendam gratiam, vt ſacrum Concilium aſſerit *ſeſſ. 14. cap. 4.* hæc tamen non eſt actus pœnitentiæ infuſæ, quia quandoque prius tempore producitur, quàm pœnitentia infuſa. Procedit tamen ab auxilio Dei ſupernaturali; quia vt ſic eſt donum Dei, & Spiritus ſancti impulſus. Ita benè docet ſapientiſſimus Magiſter meus Aluarez *lib. 6. de auxilijs diuinæ gratiæ, diſp. 11. num. 51.* Verum tamen eſt, quòd poſtquam aliquis eſt in gratia, etiam attritio producitur ab habitu pœnitentiæ, atque adeò ad illum reduci debet, & pœnitentia ſimpliciter appellari, vt rectè notauit Nugnus nuperrimè citatus *in fine illius dubij.*

Dvbitatio V.

VI. *An contritio ſemper ex ſe includat motiuum vniuerſale deteſtandi omnia mortalia?*

Dico decimò, contritio, quæ eſt dolor perfectus de peccatis, vt ſunt offenſa Dei, ſemper eſt vniuerſalis ſaltem virtualiter de omnibus peccatis mortalibus commiſſis, & nunquam per veram pœnitentiam retractatis. Probatur, quia motiuum contritionis eſt vniuerſale, & commune omnibus peccatis

mortalibus, nempe grauis offenſa, & iniuria facta Deo; ſed omnia, & ſingula peccata mortalia continent grauem offenſionem, & iniuriam Dei. ergo deteſtando vnum, virtute ſaltem deteſtatur homo & cætera; quatenus omnia, & ſingula continent grauem offenſionem, & iniuriam Dei, quam per contritionem homo deteſtatur. Vnde egregiè D. Thom. 3. *part. quæſt.* 86. *art.* 1. *in corpore*, ait, Non poteſt eſſe verè pœnitens, qui de vno peccato pœnitet, & non de alio. quia ſi peccatum diſplicet pœnitenti, quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum, ſequitur quòd de omnibus culpis mortalibus doleat, omnia enim peccata mortalia ſunt contra Deum ſuper omnia dilectum: & ita hæc aſſertio colligitur apertè ex doctrina D. Thom. *loco* immediatè *citato*. Pro maiori intelligentia huius aſſertionis

Dico vndecimò, duobus modis contingere poteſt vniuerſalis deteſtatio peccati, ſcilicet formaliter, vel virtualiter. Formaliter dicitur, quando ad talem deteſtationem antecedit in intellectu recogitatio peccatorum omnium, ſiue illa ſint diſtincta per expreſſam propoſitionem ſingulorum peccatorum, ſiue confuſa, ita tamen vt formalem diſtributionem contineat, vt cùm quis omnium peccatorum mortalium commiſſorum, & per veram pœnitentiam non retractatorum pœnitet, etiamſi per expreſſam propoſitionem ſingulorum in particulari non fiat in intellectu recogitatio. Virtualiter autem dolor vniuerſalis eſt, quando licèt peccatum, de quo cogitatur, particulare ſit, ratio tamen deteſtandi illud eſt ſufficiens, ad auertendam voluntatem ab omni peccato. Nam qui deteſtatur vnum peccatum mortale, puta furtum, propter timorem æternæ pœnæ, neceſſe eſt vt virtute deteſtetur omnia mortalia, quia per quodlibet peccatum mortale incurritur æternæ pœnæ reatus, & per vnum contrahitur non minus, quàm per omnia, quamuis quo ad grauitatem, & intenſionem pœnæ non ſit æqualitas, quo modo intelligi poteſt illud Iacobi 2. *Qui in vno offenderit, factus eſt omnium reus.* Tum, quia vbi eſt eadem ratio; eſt etiam idem effectus. ergo quando ratio deteſtandi aliquod peccatum eſt communis omnibus mortalibus peccatis, & omnino ſimilis, & eiuſdem rationis in illis, tunc licèt deteſtatio peccati ſit particularis formaliter, in obiecto materiali, nihilominus eſt vniuerſalis virtualiter, & ſimpliciter auertit voluntatem ab affecto omnis peccati mortalis: & quoniam ratio, & motiuum deteſtandi peccatum mortale per contritionem eſt grauis offenſio, & iniuria Dei, eadem, & ſimilis in omnibus culpis lethalibus. Ideo contritio, quæ eſt dolor perfectus de peccatis, vt ſunt Dei grauis offenſio, ſemper eſt vniuerſalis ſaltem virtualiter de omnibus peccatis commiſſis, & numquam per veram pœnitentiam retractatis. Hæc doctrina colligitur apertè ex doctrina D. Thom. 3. *part. quæſt.* 86. *art.* 3. *in corpore*, quem ſequitur Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſput.* 3. *ſect.* 8. *num.* 1. 2. *&* *ſequentibus.*

Dvbitatio VI.

VII. *An ſimiliter contritio ex ſe includat motiuum vniuerſale, deteſtandi omnia venialia?*

Dico duodecimò, licèt contritio, quæ eſt dolor perfectus peccati, vt eſt grauis Dei offenſio, ſemper ſit vniuerſalis ſaltem virtualiter de omnibus culpis lethalibus, vt patet ex rationibus allatis duabus præcedentibus aſſertionibus; non tamen ſemper eſt vniuerſalis virtualiter de omnibus venialibus. quia cum deteſtatione, quæ eſt contritio, dolor perfectus peccati, vt eſt offenſa Dei, poteſt eſſe actualis voluntas venialiter peccandi, tum, quia poſſunt remitti omnia mortalia per contritionem ſine venialibus. ergo. Sic deducitur ex D. Th. nuperrimè relato, & *ibi* ducet Nugnus *in expoſitione articuli in principio* §. *concluſio D. Thom. verſ. neque etiam.*

Dvbitatio VII.

VIII. *An contritio venialium contineat in virtute deteſtationem mortalium?*

Dico decimotertiò. Contritio tamen venialium virtute continet deteſtatationem omnium mortalium. quia qui efficaciter vult nõ retardari à fine conſequendo, à fortiori implicitè vult non auerti à tali fine; ſicut qui efficaciter fugit ægritudinem, fugit & mortem, quantum eſt ex vi illius actus, & qui odio habet remiſſionem virtutis, multò magis eius amiſſionem; ſed peccatum veniale impedit feruorem charitatis, & ſolùm retardat à fine conſequendo: mortale autem tollit charitatem, & totaliter auertit à fine, &c. ergo, &c. Tum, quia non poteſt remitti peccatũ veniale ſine mortali: quia etſi ad remiſſionem peccati venialis non requiratur noua infuſio gratiæ, requiritur tamen aliquis actus gratiæ, qui eſſe nequit in eo, qui ſubiacet peccato mortali. Videatur D. Thom. 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 4. *ad* 2. Nugnus *ibi concl.* 3.

Dvbitatio VIII.

IX. *An attritio, quæ cum ſacramento eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, includat vniuerſale motiuum deteſtandi omnia mortalia?*

Dico decimoquartò, etiam attritio vera, & efficax, quæ cum ſacramento eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, ſi habet vniuerſale motiuum, eſt virtualiter vniuerſalis omnium peccatorum mortalium, vt quando quis deteſtatur aliquod peccatum mortale ob metum gehennæ, & pœnæ æternæ, tunc virtualiter etiam odio habet omnia peccata mortalia. quia reatus pœnę æternæ non minus contrahitur per vnum peccatum mortale, quàm per omnia. ergo qui per attritionẽ deteſtatur vnum peccatum mortale, propter timorem æternę pœnæ, virtute deteſtatur omnia mortalia. Tum, quia hoc motiuum, nempè vitare pœnas æternas, eſt vniuerſale, totum in ſingulis, & totum in omnibus peccatis mortalibus, omnibus enim & ſingulis debetur reatus pœnæ æternæ. ergo qui per attritionẽ deteſtatur furtum, v.g. propter metum gehennæ, virtute vult vitare omnia peccata mortalia, quæ inferunt talis pœnæ reatum. hanc rationem, & aſſertionem inſinuat D. Th. 3. *p. q.* 86. *art.* 3. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 5. *ſect.* 1. *n.* 11.

Dvbitatio IX.

X. *An attritio alicuius peccati mortalis concepta ex aliquo motiuo ſpeciali, ſe extendat ad omnia peccata mortalia?*

Dico decimoquintò. Attritio alicuius peccati mortalis, quæ concipitur ex aliquo motiuo particulari, non eſt vniuerſalis, & conſequenter virtualiter non ſe extendit ad omnia peccata mortalia: vt ſi quis commiſit periurium, & adulterium, & alia peccata ſpecię diuerſa, & poſtea cogitans de ſolo adulterio, illud deteſtatur propter peculiarem, & ſpecificam turpitudinem eius. Hæc, inquam, attritio de ſolo adulterio ex motiuo particulari cõcepta neque formaliter,

neque

neque virtualiter ſe extendit ad periurium, & ad alia peccata ab iſto commiſſa. quia ratio ſpecifica turpitudinis non eſt eadem in culpis lethalibus ſpecie diſtinctis. ergo cùm hæc attritio ſit ex motiuo particulari, neque formaliter, neque virtualiter ſe extendet ad periurium, & ad alia peccata ſpecie diſtincta. Ita colligitur ex doctrina D.Thom. nuper cit. quam adducit & ſequitur Suarez *tom.4. diſp.3. ſect.8. num. 3. & 4.* His poſitis,

XI. *Titulus dubitationis reſoluitur.*

Dico decimoſextò, directè reſpondens quæſito; contritio, & attritio ſpecie, & eſſentialiter inter ſe diſtinguuntur. Probatur. nam aliud eſt obiectum formale contritionis, & aliud attritionis; contritio enim deteſtatur peccata quatenus ſunt offenſa, & malum Dei: attritio verò deteſtatur peccata ob metum gehennæ, aut aliarum pœnarum, aut ob turpitudinem ipſius peccati; ſed hæc ſunt diſtincta motiua, & obiecta ſpecificè, & eſſentialiter. Tum, quia contritio, & attritio habent effectus nimis differentes; contritio enim ex natura ſua habet cauſare gratiam, & eſt vltima diſpoſitio ad illam: attritio verò ex natura ſui ſolùm eſt quædam remota diſpoſitio ad gratiam, quamuis ex ordinatione diuina, ſcilicet quia Deus voluit in Sacramentis media attritione homines iuſtificare. Hæc ſit etiam cum ſacramento ſufficiens, & proxima diſpoſitio ad conſequendam gratiam; ergo: ſic benè docet Nugnus *tom. 2. in 3. p. q. 1. in addit. art. 2. dub. 1. concl. 2.*

XII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

Nec officit ratio à principio adducta in contrarium. Reſpondetur enim quòd perfectum, & imperfectum, quæ non habent diſtincta motiua, & obiecta, nec effectus eſſentialiter diſtinctos, tranſeat quòd non diſtinguantur intèr ſe ſpecificè: ſecus autem ſi habent diſtincta motiua & obiecta ſpecie diſtincta, quoniam tunc ex diſtinctis rationibus formalibus obiectorum ſpecificè, & eſſentialiter diſtinguentur, & ita contritio & attritio ſpecie, & eſſentialiter diſtinguentur, quia habent motiua & obiecta formaliter, & eſſentialiter diſtincta; vt oſtenſum eſt aſſertione immediatè præcedenti.

ARTICVLVS XIV.

An ad valorem confeſſionis ſacramentalis pro ſingulis peccatis ſingulæ contritiones requirantur?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur, quid ſit contritio formalis, quidve virtualis; & quid ſit contritio explicita, quidve implicita.*
3. *An ad valorem confeſſionis ſufficiat dolor virtualis peccatorum.*
4. *Titulo dubitationis reſpondetur.*
5. *An ad valorem ſacramenti Pœnitentiæ ſufficiat vt pœnitens habens plura mortalia, vnum formaliter ex motiuo vniuerſali deteſtetur, & alia virtualiter.*
6. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, quare ſit neceſſe in confeſſione omnia ſingillatim explicare, non autem de omnibus ſingillatim habere contritionem.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm ad delenda peccata in ſacramento Pœnitentiæ requiritur confeſſio ſingulorum peccatorum. ergo etiam requiri videtur ſingulorum peccatorum contritio; & ita hanc ſententiam tenere videtur D.Thom. *3. p. q. 2. in addit. art. 6.* vbi præcedentem rationem adducit: contritio, inquit, explicatur per confeſſionem, ſed oportet ſingula peccata mortalia confiteri. ergo & de ſingulis conteri.

DVBITATIO I.

II. *Quid ſit contritio formalis, quidve virtualis; & quid ſit contritio explicita, quidve implicita?*

Dico primò, quòd contritio, dolor, ſeu diſplicentia de peccatis eſt duplex. Altera formalis, & expreſſa, quæ eſt quotieſcumque homo habet verum, formalem, & actualem dolorem de peccatis: altera verò dicitur pœnitentia, & diſplicentia eminens virtualis, quæ non eſt formaliter dolor, & diſplicentia, ſed eſt formaliter alius actus, puta dilectio Dei ſuper omnia, quæ tantæ vis eſt, & virtutis, vt ſi tunc occurreret memoria peccatorum ex vi illius actus, dilectionis ſcilicet Dei ſuper omnia, ſequeretur formalis diſplicentia, & actualis dolor de peccatis. Videatur Caiet. *3. part. quæſt. 87. art. 1. §. Ad horum euidentiam.* Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 86. art. 2. dub. 1. §. Pro explicatione huius difficultatis.*

Dico ſecundò, contritio, dolor, ſeu diſplicentia de peccatis expreſſa & formalis, rurſus eſt duplex. Alius eſt explicitus dolor erga omnia peccata; vt quando quis cogitat de omnibus peccatis, & ſingulis culpis, & de omnibus illis habet formalem dolorem. Alius verò dicitur dolor formalis implicitus, vt quádo quis ſciens ſe habere peccata mortalia, vel cognoſcens ſe grauiter, & lethaliter Deum offendiſſe, dolet de omnibus illis in communi. Adhuc ille actus doloris formalis explicitus erga omnia, & ſingula peccata recogitata dupliciter poteſt fieri. Primò, quando recogitatis omnibus, & ſingulis peccatis, poſtea in communi habeat dolorem vnicum de omnibus. Secundò taliter, quòd ſicut habet ſingulas recogitationes circa ſingula peccata; ita ſimiliter habeat ſingulos dolores, & ſic patet, quòd dolor formalis explicitus, poteſt eſſe magis, & magis explicitus, dum meliùs recogitantur peccata. Vide pro hoc Nugnum *tom. 2. in 3. p. q. 2. in addit. art. 6. dub. 1. §. Pro ſolutione huius dubij.*

DVBITATIO II.

III. *An ad valorem confeſſionis ſufficiat dolor virtualis peccatorum?*

Dico tertiò, ad valorem ſacramentalis confeſſionis non ſufficit dolor eminens virtualis de peccatis, ſed neceſſariò requiritur ad eius ſubſtantiam, & valorem peccatorum dolor formalis, & actualis: quia ad ſacramenta conficienda requiritur illa materia, quæ fuit à Chriſto Domino inſtituta. Sed pro materia ſacramenti Confeſſionis à Chriſto Domino fuit inſtitutus dolor formalis. ergo non ſufficit ad eius valorem & ſubſtantiam dolor virtualis; ſed requiritur actualis, & formalis. Videatur Conc. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 3. & 4.* D.Thom. *3. part. quæſt. 90. art. 2. in corp. fine.* quo loco S. Doctor aſſignans partes eſſentiales ſacramenti Confeſſionis, ennmerat inter eas contritionem. quæ eſt dolor formalis, & actualis.

IV. *Titulo dubitationis reſpondetur.*

Dico quartò. Ad valorem, & ſubſtantiam ſacramentalis confeſſionis, pro ſingulis peccatis ſingulæ contritiones non requiruntur. Probatur. nam vnica enunciatione poteſt quis ſimul confiteri mille mortalia, dicendo in confeſſione: Percuſſi millies, vel centies fornicatus ſum. ergo. Similiter pœnitens accedens ad ſacramentum Confeſſionis, non eſt neceſſe quòd pro ſingulis peccatis ſingillatim ſingulas eliciat deteſtationes. Tum, quia difficile videtur, vt ille, e.g. qui commiſit mille peccata mortalia, mille contritionis actus eliciat. ergo non eſt credendum præceptum confeſſionis ita rigoroſè obligare. Sic bene Caietan. *tom.* 1. *opuſculorum tract.* 4. *quæſt.* 2. *&* 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 1. Nauar. *ſumma cap.* 1. *num.* 25. Vaſquez *tom.* 4. *in* 3. *part. quæſt.* 86. *art.* 2. *dub.* 7. *num.* 22.

Dico quintò, vt ſacramentum Confeſſionis ſit validum, non eſt neceſſe vt pœnitens per contritionem, vel attritionem doleat in ſpecie de omnibus, & ſingulis peccatis, puta vt decem adulteria à ſe patrata, centum furta, mille blaſphemiæ in ſpeciali ſibi diſpliceat, ſed ſatis eſt ſi doleat de omnibus culpis lethalibus in genere, & in communi. Vnde pœnitens qui ſe præparat ad confeſſionem, ſatisfacit ſi ante examen, aut facto examine, aut inter examinandam conſcientiam vnico acto contritionis, vel veræ & ſupernaturalis attritionis deteſtetur omnia ſua peccata in genere & in communi; quia ideò confeſſio pars ſacramenti Pœnitentiæ debet fieri in ſpeciali, quo ad omnia peccata mortalia, quia fit humano iudici, qui non poteſt iudicare niſi de cognitis: incognita autem ſibi vt iudici remanerent quæcumque non eſſent à pœnitente in ſe ipſis, & in ſpecie explicata, quæ ratio non habet locum in contritione, quæ Deo offert cor, qui non penſat quantum, aut quot, ſed ex quanto offertur. ergo. Ad valorem ſacramenti ſufficit contritio, vel attritio formalis quidem, ſed in communi, & in genere, qua pœnitens de omnibus culpis lethalibus confuſè doleat. Ita rectè Caietan. *tom.* 1. *opuſculorum tract.* 4. *quæſt.* 2. *cit.* §. *ſi igitur contritio.* Suarez *tom* 4. *in* 3. *part. diſp.* 4. *ſect.* 6. *num.* 14. Bonacina *tom.* 1. *tract. de ſacramentis, diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 1. *punct.* 5. *num.* 1. *fine*, contra Valentiam *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt* 8. *de contritione, punct.* 6. §. *ſecundò aſſero, fol.* 1597. *mihi*, aſſerentem ſuſcepturum ſacramentum Pœnitentiæ teneri contritionem, vel attritionem habere in ſpecie de omnibus, & ſingulis.

DVBITATIO III.

V. *An ad valorem ſacramenti Pœnitentiæ ſufficiat vt pœnitens habens plura peccata mortalia, vnum formaliter ex motiuo vniuerſali deteſtetur, & alia virtualiter?*

Dico ſextò, ſi quis commiſit periurium, adulterium, furtum, e.g. poſtea præparans ſe ad ſacramentalem confeſſionem, cogitans de ſolo periurio illud deteſtatur ex motiuo vniuerſali, puta propter pœnas gehennæ, licèt hæc attritio formaliter terminetur ad periurium, & virtute ad alia peccata mortalia; nihilominus hic dolor formaliter terminatus ad vnum peccatum mortale, & virtualiter ad alia, non eſt ſufficiens ad valorem ſacramenti, quia in ſacramentali confeſſione eſt neceſſaria contritio, vel attritio, quæ formaliter terminetur ad omnia peccata, de quibus fit confeſſio; nam huiuſmodi formalis pœnitentia eſt per ſe neceſſaria de peccatis commiſſis, & ad eorum veram accuſationem, licèt non oporteat, vt ad ſingula peccata ſpecialiter terminetur, ſed ſufficiat dolor formalis vniuerſalis de omnibus peccatis confuſè conceptis, qui virtute extendatur ad ſingula, pro vt de illis excuſatio ſit in virtute talis doloris. Ita bene Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſt.* 20. *ſect.* 4. *num.* 28. *ad finem.* Hæc aſſertio intelligi debet, ſi pœnitenti præparanti ſe ad confeſſionem, ambo peccata mortalia commiſſa in mentem venerint, tunc enim illa formaliter deteſtari tenetur, imò tunc ſi amborum recordatur, vnum ſine altero deteſtari non poteſt, vt dicemus *aſſertione ſequenti.* Quòd ſi vnius tantùm memoriam habeat, alterius verò naturaliter & inculpabiliter obliuiſcatur, tunc ad valorem, & ad effectum ſacramenti ſufficit, quòd formaliter ex motiuo vniuerſali deteſtetur illud, cuius memoriam habet, & virtute aliud, cuius inuincibiliter non recordatur, integra enim & adæquata pœnitentia peccatorum formalis, aut virtualis, ſi adſit obliuio naturalis omnium, ſufficit ad valorem, & ad effectum ſacramenti conſequendum. Tenebitur tamen hic oblitum peccatum mortale, ſi poſtea in mentem venerit, ſacramenti Confeſſionis clauibus ſubiicere, & de illo ſpecialiter dolere: vt optimè docet D. Thom. 3 *part. in addit. quæſt.* 2. *art.* 3. *ad* 2. *arg.*

Dico ſeptimò, qui plura peccata commiſit, & actu de illis cogitat, non poteſt formaliter deteſtari vnum per veram contritionem, non ſic deteſtando aliud. Itaque qui actu conſiderat duo peccata lethalia vt habeat veram contritionem, debet habere neceſſariò dolorem de vtroque expreſsè, & formaliter. Probatur, quia vera contritio, & vera pœnitentia eſt de omnibus peccatis mortalibus. impium eſt enim à Deo dimidiam ſperare ſalutem, vt dicit D. Ambroſius ergo qui actu conſiderat duo peccata lethalia, vt habeat veram contritionem, debet habere de vtroque dolorem expreſsè, & formaliter. Tum, quia vt ſit vera pœnitentia, & contritio, quando non eſt formaliter, & expreſsè de omnibus culpis lethalibus nondum dimiſſis, debet homo excuſari aliqua cauſa, quia ſcil. non potuit omnia ſimul peccata cogitare, ſed quando ſimul, & actu conſiderat duo, puta peccata mortalia, quæ commiſit, talis excuſatio eſſe non poteſt, ſiquidem voluntas fertur ad omne id, quod proponitur ab intellectu. ergo actu recogitans duo peccata mortalia, vt habeat de illis veram pœnitentiam, & contritionem, de vtroque formaliter & expreſsè debet per voluntatem habere dolorem. Tum, quia licèt peccata lethalia non habeant connexionem inter ſe vt ſint: tamen habent connexionem vt deleantur. ergo habent connexionem in ordine ad contritionem, quæ ſimpliciter dicit conuerſionem in Deum. Tum, quia ſi quis recogitans plura peccata poſſet de vno per veram contritionem dolere, & de altero non dolere, poſſet ſimpliciter ſimul & ſemel eſſe auerſus à Deo, & ſimpliciter conuerſus in Deum. Sed hoc eſt abſurdum. ergo, &c. Probatur maior: quia per veram contritionem ſimpliciter homo conuertitur in Deum, & per quodlibet peccatum mortale eſt auerſus à Deo. ergo. Tum, quia licèt abſolutè non teneatur homo deteſtari peccata mortalia quoties de illis cogitat, tamen ex ſuppoſitione, quòd efficaciter vult aliquod eorum deſtruere, & à ſe expellere medio confeſſionis ſacramento, vel extra ſacramentum per contritionem, neceſſe eſt vt de omnibus recogitatis peccatis formaliter doleat. Quòd ſi per obliuionem naturalem in confeſſione alicuius peccati mortalis obliuiſcitur; tunc ſufficit

forma

formalis contritio eorum, quorum recordatur, & virtualis reſpectu eorum, quæ in mentem poſt adhibitam ſufficientem diligentiam non venerunt. Videatur Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 2. in addit. art. 6. diffic. 2.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 4. ſect. 6. num. 17.* Bonacina *tom. 1. de ſacramentis, diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 1. puncto 4. num. 10.* inquiens, quòd qui plura habet peccata mortalia, & vnius tantùm recordatur, noo poteſt de illo, cuius recordatur, veræ contritionis actum elicere, quio etiam ſaltem virtualiter cætera deteſtetur, quia actus veræ contritionis includit virtualem dilectionem Dei ſuper omnia, vt nos ſuprà probauimus *dub. præcedenti, aſſertione* 8. Sed nullus poteſt Deum ſuper omnia diligere, niſi ſaltem implicitè deteſtetur ea, quæ grauiter Deum offeodunt, eique diſplicent. ergo, &c.

VI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

Dvbitatio IV.

Quare ſit neceſſe, in confeſſione omnia ſingillatim explicare, non autem de omnibus ſingillatim habere contritionem ſingillatim, & non ſit de omnibus habere contritionem?

Ad rationem in contrarium à principio adductam, quæ directè militat contra quartam aſſertionem, reſpondetur negando conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt, quia confeſſio fit per modum iudicij, in qua manifeſtanda ſunt ſingula crimina, vt reus abſoluatur, & iuxta illa puniatur. Tum, quia integritas confeſſionis peccatorum eſt de iure diuino, nullum verò ius apparet, quo fideles obligeotur ad ſingulas pro ſingulis peccatis contritiones, vnde non eſt eadem ratio de confeſſione, & de contritione.

Et ad D. Thomam reſpondetur quòd dum inquit *3. p. q. 2. in addit. art. 6. in corp.* oportet quòd de ſingulis peccatis, quæ quis in memoria habet, conteratur. Reſpondetur, inquam, quòd S. D. non ſignificat, aut denotat obligationem præcepti, vt teneatur homo in confeſſione ſingulis peccatis ſingulas adhibere contritiones, ſed tantùm voluit docere laudabile eſſe, & optimum conſilium, vt quis pro ſingulis peccatis ſingulas contritiones eliciat, vt plenam remiſſionem peccatorum, quoad culpam, & quoad omnem pœnam, quantum in ſe eſt, conſequatur. Ita benè explicat D. Thom. Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 2. in addit. art. 6. dub. 1. §. ad primum reſpondetur, verſ. Ad loca D. Thomæ* Videatur etiam Caietan. pro hac ſolutione *3. part. quæſt. 87. art. 1. §. Ad horum euidentiam.*

Articvlvs XV.

An contritio ſit neceſſaria neceſſitate medij, & præcepti ad ſalutem?

Svmmarivm.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur quódnam ſit obiectum contritionis materiale, quódque formale.*
3. *An peccatum dimiſſum ſit obiectum contritionis.*
4. *An deteſtari peccata futura ſit actus contritionis.*
5. *An peccatum originale, vel peccatum alienum, ſint obiectum contritionis.*
6. *Dubitatio reſoluitur.*
7. *An extra vſum ſacramenti homo iuſtificetur per contritionem formalem, vel virtualem; &, An hæc virtualis ſit ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medij.*
8. *Explicatur in quo caſu homo iuſtificetur, per virtualem pœnitentiam.*
9. *An iuſtificatus per contritionem virtualem teneatur ſtatim dolere de peccatis, illico illorum recordetur.*
10. *An iuſtificatus per dilectionem Dei, ſuper omnia teneatur actum veræ pœnitentiæ elicere in articulo mortis.*
11. *An extra vſum ſacramenti, contritio ſit neceſſaria, ratione medij, vel præcepti, ad ſalutem, in ſtatu legis naturæ, legis veteris, vel legis gratiæ.*
12. *An teneatur quis elicere actum contritionis, inſtante occaſione, ſeu neceſſitate moriendi pro Chriſto Domino.*
13. *Quid ſit neceſſarium neceſſitate medij, quidve neceſſitate præcepti.*
14. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Nam homo poteſt iuſtificari, & ſaluari ſine contritione, vt patet de eo qui ſuſcepto Pœnitentiæ ſacramento cum attritione ſi ſtatim moriatur, iſte iuſtificatur & ſaluatur ſine contritione. ergo contritio neque neceſſitate medij, neque præcepti, neceſſaria eſt ad ſalutem.

Dvbitatio I.

II. *Quódnam ſit obiectum contritionis materiale, quódve formale?*

Dico primò, contritio, quæ eſt dolor perfectus peccati, vt eſt offenſa Dei habet pro obiecto materiali peccatum commiſſum deſtruendum & expellendum, quia illud eſt obiectum contritionis, circa quod verſatur contritio; ſed contritio verſatur circa peccatum commiſſum, expellendum, & deſtruendum. ergo, &c. formale verò contritionis obiectum eſt peccatum, quatenus malum, & offenſa Dei. nam illud eſt obiectum formale contritionis, per quod actus contritionis diſtinguitur ab actibus aliarum virtutum; ſed ab illis diſtinguitur per hoc, quòd deteſtatur peccata, vt ſuot offenſa, & malum Dei. Actus enim aliarum virtutum non ſunt deteſtationes peccatorum, vt ſunt offenſa, & malum Dei. ergo, &c. Differt ſpecie contritio ab attritione; quia illa habet pro obiecto peccatum vt eſt malum, & offenſa Dei: hæc verò peccatum deteſtatur propter pœnas gehennæ, vel ob eius fœditatem.

Dvbitatio II.

III. *An peccatum dimiſſum ſit obiectum contritionis?*

Dico ſecundò, peccatum dimiſſum, & multò magis ſi neſcitur an ſit dimiſſum, poteſt eſſe obiectum contritionis, non vt dimiſſum. nam ſecundùm hanc rationem non facit hominem Deo inimicum, neque eſt offenſa, & malum Dei: ſed quatenus repræſentatur intellectui ſecundùm rationem, qua fecit hominem Deo inimicum. quia viri iuſti ſæpiùs cootritionis actum eliciunt ob memoriam peccatorum antea commiſſorum. ergo, &c.

Dico tertiò, de peccatis veoialibus contritio haberi poteſt, quia peccata venialia ſunt aliquo modo offenſa Dei, & aliquo modo efficiunt hominem Deo inimicum, diſponeodo ad peccatum mortale. Pecca-

tum futurum non poteſt eſſe oblectum contritionis; ſeu non poſſumus habere contritioois actum de peccato futuro, quia pœnitentia, & contritio propriè ſignificat tertactationem voluntatis, quæ ſolùm verſari poteſt eirca opus iam commiſſum. D.Th. 3. *p. in addit. quæſt. 2. art. 4.*

Dvbitatio III.

IV. *An deteſtari peccata futura ſit actus contritionis?*

Dico quartò, deteſtari peccatum futurum, licèt primariò non ſit actus contritionis, quia contritio eſt deteſtatio offenſæ Deo factæ: ſecundariò tamen deteſtatio peccati futuri eſt actus pœnitentiæ, & contritionis. quia ex eo, quòd quis firmiter doleat de peccatis præteritis; ſecundariò ſequitur quòd velit non peccare in futurum: primariò verò de peccato futuro magis eſt cautio, quæ eſt pars prudentiæ contritioni adiuncta. Ita D.Thom. 3 *part. in addit. quæſt. 2. art. 4.*

Dvbitatio IV.

V. *An peccatum originale, vel peccatum alienum ſint obiectum contritionis?*

Dico quintò, actus contritionis propriè non poteſt eſſe de peccato originali, quia contritio propriè eſt de peccato, quod propria voluntate contrahitur. At peccatum originale non propria voluntate eſt inductum, ſed ex origine vitiatæ naturæ. ergo, &c. D. Thom. 3. *part. in addit. q. 2. art. 2.* quòd ſi homo veniens ad vſum rationis adhuc habeat peccatum originale per dilectionem Dei ſuper omnia, in quo modo de facto includitur votum Baptiſmi, iuſtificabitur. Videatur Nugnus *quæſt. 2. cit. art. 2. §. Ad primum in oppoſitum, verſic. Ad primam probationem.*

Dico ſextò, peccatum alienum non poteſt eſſe obiectum contritionis, quia actus pœnitentiæ, & contritionis ordinatur ex natura ſua ad delendum peccatum: ſed dolor vnius hominis non ordinatur ex natura ſua ad delendum peccatum alterius. ergo talis dolor, qui concipitur de peccato alieno, non eſt propriè actus pœnitentiæ, & contritionis; ſed potiùs pertinet ad charitatem, qua tenemur proximum, & Deum diligere. Tum, quia in Chriſto Domino non fuit habitus virtutis pœnitentiæ, nec propriè actus contritionis, vt fatentur omnes Theologi, & tamen habuit maximum dolorem de peccatis alienis. ergo non pertinet ad pœnitentiam dolere de peccatis alienis, ſed potiùs ad charitatem. D.Thom. *loc. cit. art. 5.* Nugnus *ibi.*

VI. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico ſeptimò, contritio propriè accepta in lege noua non eſt neceſſaria ſimpliciter neceſſitate medij ad iuſtificationem, & ſalutem. Probatur, quia illud eſt neceſſarium neceſſitate medij, quo prætermiſſo etiam inculpabiliter, & inuoluntariè ſalus non obtinetur; ſed pœnitens in lege noua, qui Pœnitentiæ ſacramentum recipit, cum ſola attritione, & ſine contritione iuſtificatur, & conſequenter ſaluari poteſt. ergo contritio non eſt neceſſaria neceſſitate medij ad iuſtificationem, & ſalutem, ſed potiùs dicenda eſt neceſſaria ex ſuppoſitione, quòd aliquis iuſtificari velit extra vſum Sacramenti. hæc aſſertio habetur apertè ex doctrina Concilij Tridentini *ſeſſ. 14. cap. 4.*

Dvbitatio V.

VII. *An extra vſum Sacramenti homo iuſtificetur per contritionem formalem, vel virtualem? &, an hæc virtualis ſit ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medij?*

Dico octauò, extra vſum ſacramenti homo iuſtificatur per contritionem formalem, iuxta illud Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus ſuis, vita viuet, & non morietur.* Aliquando etiam iuſtificatur per contritionem virtualem, quæ eſt dilectio Dei ſuper omnia: iuxta verbum, quod dictum eſt à Domino Beatæ Mariæ Magdalenæ, *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. 7. Contritio igitur explicita, & formalis neceſſitate medij etiam extra ſacramentum non requiritur ad iuſtificationem; ſed ſatis eſt virtualis, quæ includitur in actu dilectionis Dei ſuper omnia ſimpliciter, vt benè Caiet. 3. *part. quæſt 87. art. 1. §. Ad ſecundum dubium.* Valent. *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 3. puncto 2. §. Cæterùm aliam ſententiam.* Ad maiorem intelligentiam præcedentis aſſertionis,

Dvbitatio VI.

VIII. *In quo caſu homo iuſtificetur per virtualem pœnitentiam?*

Dico nonò, iuſtificatio, & remiſſio peccati mortalis per virtualem pœnitentiam, ſcilicet dilectionem Dei ſuper omnia, ſolùm obtinetur in caſu naturalis obliuionis, vel inconſiderationis, quando peccata memoriæ non occurrerent, & homo cogitando de Deo ſuper omnia diligeret illum. nam præceptum formalis, & explicitæ pœnitentiæ non obligat niſi ſuppoſita conſcientia peccati mortalis. ergo cùm per pœnitentiam virtualem, dilectionem ſcilicet Dei ſuper omnia perfectè homo conuertatur in Deum, iuſtificabitur in iſto caſu abſque explicita, & formali pœnitentia. Ita colligitur clarè ex doctrina S.Thom. 3 *part quæſt. 87. art. 1. in corp. fine,* & docet Sotus *in 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 2. concl. 2. col. 2. fol. 744.*

Dico decimò, conſequenter quando homo cogitat de Deo, & peccatis ſuis, non poteſt pro ſua libertate actum dilectionis Dei ſuper omnia fructuoſum, & ſufficientem ad iuſtificationem elicere, ſi per pœnitentiam formalem non deteſtetur peccata cognita, & memoriæ occurrentia. Probatur. nam, per ſe loquendo, medium neceſſarium extra vſum ſacramenti ad iuſtificationem eſt pœnitentia, & contritio perfecta, vt patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. c. 4.* vbi poſt diffinitam contritionem, & pœnitentiam perfectam ſubdit, fuit autem omni tempore neceſſarius hic motus ad obtinendam peccati veniam. ergo quando poteſt commodè adhiberi, non dabitur effectus iuſtificationis ſine tali medio. At quando homo cogitat actu de ſuis peccatis, poteſt facilè elicere actum contritionis, & ad ea delenda adhibere remedium pœnitentiæ. ergo, &c. Tum, quia ſi peccata memoriæ occurrunt, non legitimè homo excuſatur exercendo ſolum actum amoris, quia amor non impedit peccatorum deteſtationem, imò ita mouet ad illam, vt vix homo poſſit continere dolorem, maximè quando intelligit peccata nondum fuiſſe remiſſa. ergo cùm formalis pœnitentia ſit, per ſe loquendo, neceſſaria ad remiſſionem peccatorum, vt docet D.Thom. 3 *part. quæſt. 86. art. 2.* homo cogitans de Deo, & peccatis, non poteſt pro ſua libertate elicere actum dilectionis Dei ſufficientem ad iuſtificationem, & remiſſionem peccatorum, ſi per pœnitentiam non deteſtetur peccata cognita,

cognita, & memoriæ occurrentia; cùm facilè tunc talem actum formalis pœnitentiæ adhibere poſſit. Videatur pro hac aſſertione Sotus nouiſſimè relatus. Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 9. ſect. 1. num.* 11. contra Medinam *tract. 1. de pœnitentia, quæſt.* 12. *art.* 2. vbi ait, licèt homo cogitet de Deo & de peccatis ſuis, poſſe pro ſua libertate habere actum dilectionis fructuoſum.

DVBITATIO VII.

IX *An iuſtificatus per contritionem virtualem teneatur ſtatim dolere de peccatis, illico illorum recordatur?*

Dico vndecimò, in caſu nonæ aſſertionis, qua homo iuſtificatur per pœnitentiam virtualem, ſcilicet dilectionem Dei ſuper omnia, non tenetur ſtatim dolere formaliter de peccatis mortalibus, quando venerint in memoriam. Probatur, vel iſte ſic iuſtificatus ſtatim ac memoriæ occurrerint peccata mortalia, tenetur elicere formalem contritionis actum iure naturali, vel iure diuino poſitiuo, ſed non tenetur iure naturæ. nam iure naturæ tenemur ad pœnitentiam formalem, vt iuſtificemur, & Deo reconciliemur; ſed hic, vt ſupponimus, eſt iam iuſtificatus, & reconciliatus Deo per pœnitentiam virtualem, ſeu per dilectionẽ. ergo, &c. Neque tenetur iure diuino poſitiuo, quia hoc ius nõ poteſt aſſignari. nã vbi Scriptura ſacra loquitur de neceſſitate pœnitentiæ, vt Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum cælorum*, & Lucæ 13. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis*, &c. ſermo eſt de peccatoribus; etenim *Lucæ* 15. dicitur iuſtos non indigere pœnitentia. ergo iuſtificatus per pœnitentiam virtualem non tenetur, recordans alicuius peccati mortalis de illo formaliter dolere ſtatim cùm venerit in mentem. Ita colligitur ex Soto *in 4. diſt.* 17. *q.* 2. *art.* 6. *concl.* 6. *fol.* 830. *col.* 1. *mihi*. Vaſquez *tom. 4. in 3. part. quæſt.* 86 *art.* 2. *dub.* 2. *num.* 10. & 11. Bonacina *tom.* 1. *de Sacramentis, diſp.* 5. *q.* 5. *puncto* 2. §. *Ex quo patet, verſic. Nihilominus.*

Dico duodecimò, tenebitur tamen hic iuſtificatus per pœnitentiam virtualem, nempè dilectionem Dei ſuper omnia ad pœnitentiam formalem, quando occurrit præceptum confeſſionis, & poſt ſufficientem indaginem peccata mortalia venerint in mentem. Probatur, quia hæc eſt differẽtia inter actum dilectionis Dei ſuper omnia, quo remittuntur peccata mortalia, & actum dilectionis, quo remittuntur peccata venialia. quòd actus dilectionis quo remittuntur mortalia, includit votum, & propoſitum formaliter dolendi de peccatis mortalibus quando currit præceptũ confeſſionis, & peccata memoriæ occurrerint poſt ſufficientem recogitationem: actus verò dilectionis, quo remittuntur venialia, non includit votum, ſeu propoſitum, aut obligationem formaliter dolendi de venialibus. nam præcepta eſt pœnitentia de mortalibus, vt fiat Deo compenſatio pro culpa graui contra eum commiſſa; non verò de venialibus, quia ſecundùm fidem alia multa remedia præter pœnitentiam formalem ſunt inſtituta ad peccata venialia tollenda, vt docet Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *c.* 4. Nugn. *tom.* 2. *in 3. p. in addit. q.* 6. *art.* 3. *dub.* 1. *principio*. ergo, &c. Videatur etiam Suarez *tom 4. in 3 p. diſp.* 11. *ſect.* 3. *n.* 8.

DVBITATIO VIII.

X. *An iuſtificatus per dilectionem Dei ſuper omnia teneatur actum verè pœnitentiæ elicere in articulo mortis?*

Dico decimotertiò, tenebitur etiam hic iuſtificatus per dilectionem Dei ſuper omnia actum veræ pœnitentiæ formalis elicere in periculo mortis corporalis, vel perpetuæ amentiæ, &c. nam cùm hoc præceptum pœnitentiæ formalis, quod habetur Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum cælorum*, ſit affirmatiuum, non obligat, niſi aliorum affirmatiuorum more, videlicet tempore peculiaris neceſſitatis, quale eſt periculum mortis, vel perpetuæ amentiæ. Videatur Sotus *in 4. diſt.* 17. *q.* 2. *art.* 6. *concl.* 6. *fol.* 830. *col.* 1. *mihi*. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 8. *puncto* 4. *aſſertione* 6. *fol.* 1388. *mihi.*

DVBITATIO IX.

XI. *An extra vſum ſacramenti contritio ſit neceſſaria ratione medij, vel præcepti ad ſalutem, in ſtatu legis naturæ, legis veteris, & legis gratiæ?*

Dico decimoquartò, per ſe loquendo, quouis tempore legis naturæ, legis veteris, & etiã in lege gratiæ, extra vſum ſacramenti pœnitentia formalis, vera ſcilicet & propria contritio fuit neceſſaria neceſſitate medij & finis ad remiſſionem peccatorum mortalium. Probatur ex illo Ezech 14 *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis vita viuet*, quaſi dicat ſãctus Vates, quandiu non egerit pœnitentiam, manebit in morte, vt benè expoſuit Sotus *in 4. diſt.* 15. *quæſt.* 1. *art.* 2. *concluſ.* 3. §. *Quæſtio hæc, verſic. cui conſonat, fol.* 742. *col.* 2. *mihi*. ergo neceſſitate medij, & finis, pœnitentia formalis vera, & propria contritio quouis tempore, per ſe loquendo, fuit neceſſaria, &c. Videatur D. Th. 3. *part. quæſt.* 86. *art.* 2. Sotus nuperrimè relatus: & ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. fuit autem, inquit Concilium, quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius.

Dico decimoquintò, per ſe loquendo, quouis tempore legis naturæ, legis veteris, & etiam legis gratiæ extra vſum ſacramenti, pœnitentia formalis, vera ſcilicet, & propria contritio, fuit neceſſaria ad remiſſionem peccatorum mortalium, non ſolùm neceſſitate medij, ſed etiam neceſſitate præcepti. Probatur. nam eſt vniuerſale principium inter Theologos, quòd omne id, quod eſt neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medij, eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti, ſi tamen poſitum ſit in noſtra poteſtate; ſed ſic eſt quòd contritio eſt actus poſitus in noſtra poteſtate. ergo dicendum eſt nedum neceſſitate medij, ſed neceſſitate præcepti, eſſe neceſſariam, per ſe loquendo, quouis tempore, etiam in lege gratiæ extra ſacramentum ad remiſſionem peccatorum mortalium. Videatur D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 79. *art.* 3. *ad ſecundum*. vbi dicit eſſe ſpeciale peccatum omiſſionis non pœnitere de peccato præterito. Nugnus *tom.* 2. *in 3. part. quæſt.* 2. *in addit. art.* 3. *dub.* 2. §. *Probatur etiam concluſio, fol.* 193. *col.* 1. *mihi.*

DVBITATIO X.

XII. *An teneatur quis elicere actum contritionis, inſtante occaſione, ſeu neceſſitate moriendi pro Chriſto Domino?*

Dico decimoſextò, per ſe loquendo, tenetur homo, qui eſt in peccato mortali, inſtante occaſione, ſeu neceſſitate moriendi pro Chriſto Domino præmittere contritionem peccatorum per formalem deteſtationẽ eorum, ſi non adeſt copia Cõfeſſoris; vnde ſi voluntariè hoc omittat, & ſine ea diſpoſitione moriatur; ſi

peccata

peccata commiſſa in mentem venerint, non ſaluabitur per martyrium. Probatur, quia occaſio martyrij non tollit obligationem contritionis extra ſacramentum; quia martyrium non eſt per ſe inſtitutum ad tollendum peccatum; ſed potiùs ex ſe ſupponit hominem bene diſpoſitum ad tranſitum ex hac vita. ergo quantum eſt in ſe, & per ſe loquendo petit, vt homo ſeruet omnia neceſſaria, & à Deo inſtituta ad gratiam, & remiſſionem peccatorum conſequendam: ſed pœnitentia formalis & contritio extra vſum ſacramenti, eſt præcepta pro remiſſione peccatorum. ergo per ſe loquendo, ſubiens martyrium ſi peccata memoriæ occurrerint per deteſtationem formalem, illa deteſtari tenebitur. Vide Suarez *tom. 3. in 3. part. diſp. 29. ſect. 3.* §. *Dico 1. fol. 337. col. 1. mihi.* Per accedens tamen, ſi ſcilicet per obliuionem naturalem, vel inconſiderantiam inculpabilem peccata in mentem non venerint, deteſtatio formalis peccatorum ad eorum remiſſionem non erit neceſſaria, ſed ſufficiet tunc virtualis, quæ eſt dilectio Dei ſuper omnia, vt diximus cum D. Thom. & Soto *aſſertione 9. citatis*, & docet etiam Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 9. ſect. 1. num. 6.* Pro maiori explicatione præcedentium aſſertionum, & totius difficultatis,

Dvbitatio XI.

XIII. *Quid ſit neceſſarium neceſſitate medij, quídve neceſſitate præcepti?*

Dico decimoſeptimò, illud dicitur neceſſariũ neceſſitate medij, quo prætermiſſo etiã inculpabiliter, & inuolũtariè ſalus nõ obtinetur; ſed quouis ſtatu prætermiſſa deteſtatione formali, & contritione extra ſacramentum etiam inuoluntariè, & inculpabiliter, ſi peccata nondum dimiſſa in mentem venerint, ſalus hominis non obtinetur. ergo, &c. Neceſſitate verò præcepti illud dicitur neceſſarium, quo culpabiliter prætermiſſo ſalus non obtinetur, ſed contritione culpabiliter prætermiſſa in quouis ſtatu, etiam in lege gratiæ, extra vſum ſacramenti non obtinetur ſalus, iuxta illud Chriſti Domini Luc. 13. *Si pœnitentiam non habueritis, ſimul omnes peribitis.* ergo, &c. Videatur Bonacina *tom. 1. tract. de Sacramentis, diſp. 5. quæſt. 5. puncto 2. num. 1. & 4.*

XIV. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

Ad rationem in contrarium à principio poſitam, reſpondetur probare noſtram ſeptimam aſſertionem; poſtquam enim homo eſt iuſtificatus per attritionem, & confeſſionem, non tenetur ad habendam contritionem illorum peccatorum, de quibus cum vera attritione eſt confeſſus. nam ex Chriſti Domini diſpenſatione in lege gratiæ, iam contritio non eſt medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, neque ſacramentum Confeſſionis iuſtificat in ordine ad contritionem, ſed ſecundùm ſe habet iuſtificare, ſiquidem potiùs contritio iuſtificat in ordine ad confeſſionem; ſic enim ex diuina acceptatione homo ſatisfacit pro peccato, ſcilicet ſi cum attritione vera, & ſupernaturali ad Pœnitentiæ ſacramentum accedat: neque eſt idem de illo, qui iuſtificatur per dilectionem Dei ſuper omnia ſine dolore, & ſacramento. quia dilectio remittit peccata in ordine ad contritionem, quia illam continet in voto, vt docent communiter Theologi; & ideo homo iuſtificatus per amorem ſine dolore, & ſacramento, tenetur ſuo tempore ad contritionem vel ex diſpenſatione Chriſti Domini in lege noua ad attritionem adiuncto Pœnitentiæ ſacramento. Sed quo tempore præceptum contritionis obliget, ſtatim dicemus dubio ſequenti. Videatur pro hac ſolutione Nugnus *tom. 2. in 3. p. in addit. q. 2. art. 3. dub. 4.* §. *Ex dictis manifeſtè ſequitur.*

Articvlvs XVI.

Quo tempore obliget præceptum contritionis?

Svmmarivm.

1. *Probatur obligare ſtatim poſt peccatum commiſſum.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, an peccator teneatur elicere actum contritionis ſtatim poſt peccatum commiſſum.*
3. *An teneatur homo conteri de peccato mortali, de quo iam habuit ſemel contritionem.*
4. *An præceptum contritionis obliget in die feſto.*
5. *An obliget in periculo mortis, vel in periculo perpetuæ amentiæ, vel magis quàm ſemel in anno præceptum contritionis? & , An illum non eliciens per multum temporis, teneatur id in confeſſione aperire.*
6. *An per accidens ex aliqua circumſtantia poſſit quis obligari ad eliciendum actum contritionis, pluſquam ſemel in anno.*
7. *An qui eſt in periculo probabili incidendi in peccatum mortale, teneatur elicere actum contritionis.*
8. *An qui obtinuit abſolutionem ſacramentalem in ſupradictis caſibus, poſtea teneatur ad præceptum contritionis.*
9. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in dubitatione.*

I. *Probatur obligare ſtatim poſt peccatum commiſſum.*

NAm infirmus tenetur ſtatim inquirere, & procurare media ad ſanitatem corporalem conducentia. ergo à fortiori peccator, qui grauiſſima laborat infirmitate ſpirituali, tenetur ſtatim adhibere media ad ſanitatem ſpiritualem animæ, quale medium eſt contritio. Tum, quia qui aliquid alteri abſtulit, vel iniuriam intulit, tenetur ſtatim quamprimum commodè poteſt rem ablatam reſtituere, & ſatisfactionem pro iniuria illata exhibere. ergo etiam peccator, qui per culpam lethalem honorem Deo abſtulit, illique iniuriam intulit, tenetur quamprimum honorem ablatum reſtituere, & pro iniuria ſatisfacere per contritionem. Et ita hanc ſententiam tenuit Alenſis *4. part. quæſt. 68. num. 2. art. 2.* §. *1.*

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

Dvbitatio I.

An peccator teneatur elicere actum contritionis ſtatim poſt peccatum commiſſum?

Dico primò, peccator actus contritionis ſub præcepto elicere non tenetur ſtatim poſt delictum; quia homines communiter non putant ſe reos nouæ culpæ ſi pœnitentiam non agant ſtatim poſt peccatum, neque ſolent ſe de huiuſmodi peccato accuſare. Tum, quia cùm præceptum pœnitentiæ ſit affirmatiuum, non obligat niſi aliorum affirmatiuorum more, videlicet tempore peculiaris neceſſitatis. Ita bene Sotus *in 4. diſt. 17. quæſt. 2. art. 6. concluſione 6.*

Dvbi

Dvbitatio II.

III. *An homo teneatur conteri de peccato mortali, de quo iam ſemel habuit contritionem?*

Dico ſecundò, de peccato mortali prima contritione contrito non tenetur homo nouum actum contritionis elicere; quia ſicut peccatum ſemel ritè confeſſum non tenetur homo iterum confiteri. ergo eadem ratione de peccato ſemel contrito non tenetur homo iterum conteri. Tum, quia Deus non iudicat bis in idipſum, vt dicitur *Nahum* 1. quòd intelligitur, vt egregiè explicat Caiet. *tom.1. opuſc. tract.17. q.1. §. Ad euidentiam*, tam quoad vindictam exteriorem, quam per Confeſſorem exercet, quàm quoad vindictam interiorem, quam per actum ipſius pœnitentis conterendo peccatum exercet. ergo pro peccato commiſſo ſufficit prima contritio, qua non placeat peccatori commiſſum à ſe peccatum, ſiue contritio fuerit de aliquo peccato, quod tunc in mentem venit, ſiue in generali, qua homo perfectè dolet de omnibus offenſis contra Deum commiſſis. Sic Caiet. nuperrimè relatus.

Dvbitatio III.

IV. *An præceptum contritionis obliget in die feſto?*

Dico tertiò, præceptum contritionis non obligat in die feſto, quia nullibi extat tale præceptum, quo teneamur contritionis actum in diebus feſtis elicere, ſicut extat præceptum audiendi Miſſam, & abſtinendi ab operibus ſeruilibus. Sotus nuper relatus *in 4. diſt.17. q.2. art.6 concl.3.* Valentia *tom.4. in 3. part. diſp.7. q.8. de contritione, puncto 4. aſſertione 3.*

Dvbitatio IV.

V. *An obliget in periculo mortis, vel in periculo perpetuæ amentiæ, vel magis, quàm ſemel in anno, præceptum contritionis? &, An illum non eliciens per multum temporis teneatur id in confeſſione aperire?*

Dico quartò, per ſe, & vi propria præceptum contritionis obligat in periculo mortis & perpetuæ amentiæ. Probatur, quia obligat tempore neceſſitatis: ſed in periculo mortis, & perpetuæ amentiæ eſt maxima neceſſitas contritionis, ſiquidem adeſt tunc periculum damnationis. ergo per ſe & vi ſua hoc præceptum in periculo mortis, & perpetuæ amentiæ obligabit. Sotus *in 4. diſt. 17. quæſt. 2. art. 6. concluſ. 6.*

Dico quintò, nedum in periculo mortis, & perpetuæ amentiæ per ſe, & vi propria præceptum contritionis ad deteſtandum peccata mortalia nondum contrita obſtringit, ſed etiam poſt aliquod tempus, vt ſi peccator toto vno integro anno maneat in peccato mortali, imò fortè octo, vel ſex menſibus peccato mortali affectus maneat, nullum eliciens actum contritionis, tenetur poſtea accedens ad ſacramentum Confeſſionis ſe accuſare de violatione huius præcepti. Probatur, quia præceptum confeſſionis determinatum eſt ab Eccleſia, vt fiat ſemel in anno, quia ita creditur obligare diuinum, vnde valde probabile eſt quòd etiamſi Eccleſia non determinaret illud tempus, tenerentur ad confitendum peccatores ſemel in anno; ſed præceptum contritionis ſtrictius eſt, ſiquidem eſt connaturale ſtatui gratiæ ſecundùm ſe, & ex alia parte eſt facilius ſaltem conari ad contritionem; ſiquidem ad dictum actum homo Confeſſario non indiget, & ex ſe ſolo auxilio tantùm freto ſupernaturali poteſt illum elicere. ergo ad illum tenetur pluſquam ſemel in anno. Itaque qui manet in aliquo peccato mortali per octo, & fortè etiam per ſex menſes, & non elicit aliquem actum contritionis, tenetur ſe in confeſſione poſtea accuſare de violatione præcepti contritionis: tum, quia licèt præceptum contritionis ſit affirmatiuum, & præcepta affirmatiua tantùm obligent tempore neceſſitatis, tamen non eſt expectanda neceſſitas extrema, ſed grauis, & ſpecialis ſufficit, qualis in vita ſæpè offertur. Sicuti præcepta fidei, ſpei, & charitatis, licèt ſint præcepta affirmatiua, obligant etiam extra tempus extremæ neceſſitatis. Tum, quia contritio per ſe eſt diſpoſitio ad gratiam in illo, qui peccauit mortaliter, ſed non eſt licitum velle eſſe ſine gratia per totam vitam vſque ad articulum mortis. ergo non eſt licitum ſic differre pœnitentiam. ergo contritionis præceptum ſemel in anno ſaltem obligabit, & pluſquam ſemel in anno, cùm ſit facilius ad adimplendum præcepto confeſſionis: ſic probè Nugnus noſter *tom.2. in 3. part. quæſt.2. in addit. art.3. dub.3. §. Pro enim intelligentia, verſic. Tertiò vt dicimus, fol.199. col. 1. mihi.*

Dvbitatio V.

VI. *An per accidens ex aliqua circumſtantia poſſit quis obligari ad eliciendum actum contritionis, plus quàm ſemel in anno?*

Dico ſextò, per accidens tamen præceptum contritionis ratione alterius circumſtantiæ obligat extra mortis articulum, & pluſquam ſemel in anno; vt quando quis ſuſcepturus eſt, vel adminiſtraturus aliquod ſacramentum, aduertens ſe habere conſcientiam peccati mortalis, tunc tenetur actum contritionis elicere. quia qui ſuſcepturus, vel adminiſtraturus eſt aliquod ſacramentum, debet illud dignè ſuſcipere, vel adminiſtrare. Sed non poteſt dignè illud ſuſcipere, vel adminiſtrare, niſi peccatum deleat per confeſſionem; vel ſaltem per contritionem, &c. excepta ſuſceptione ſacramenti Baptiſmi, & Pœnitentiæ, ad quam ſufficit attritio. quia hæc duo ſacramenta cùm ſint inſtituta ad conferendam primam gratiam, & ſint ſacramenta mortuorum, non ſupponunt gratiam in ſubiecto, ſed eam conferunt ſubiecto attrito. Videatur Caiet. *tom.1. opuſc. tract.17. quæſt. vnica, §. Quibus præmiſſis.* Bonacina *tom.1. tract. de Sacramentis, diſp.5. q.5. ſect.1. puncto 2. num.5. §. Primò quando.*

Dvbitatio VI.

VII. *An qui eſt in periculo probabili incidendi in peccatum mortale, teneatur elicere actum contritionis?*

Dico ſeptimò, per accidens, & ratione alterius circumſtantiæ præceptum contritionis obſtringit, quando quis eſt in probabili, & vero ſimili periculo incidendi in aliquod peccatum mortale ſi contritionis actum non eliciat de peccatis præteritis. Probatur ex illo D. Greg. *hom.11. in Ezech.* Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere trahit ad aliud. ergo vt euitet aliud peccatum, tenetur tunc peccator quando vehemens aliqua tentatio inſurgit contritionis actum elicere. Sic Nugnus *tom.2. in 3. p. q.2. in addit. art.3. dub.3. §. Circa caſus.*

Dvbitatio VII.

VIII. *An qui obtinuit abſolutionem ſacramentalem in ſupradictis caſibus, poſtea teneatur ad præceptum contritionis?*

Dico octauò, quando adeſt copia Confeſſarij, ſi pœnitens præſente Confeſſario abſolutionem ſacramentalem obrineat in caſibus ſuprà enumeratis, non tenetur ſub mortali ad contririonem. quia ſacramenmentum facit de attrito contritum. Tum, quia homo in tali euentu non ſe exponit periculo damnationis; cùm ſacramentum Pœnitentiæ ſuſceptum cum attritione iuſtificationem conferat. Ita Magiſter noſter Canus *Relectione de pœnit p.4.q.2.* Bonacina nuper relatus *num.5.* §. *Dixi quando*, &c. contra Valentiam *tom.4. diſp.7.quaſt.8.puncto 4 propè finem,*§.*Nunc autem, fol.1389.col.1.mihi.*

Dico nonò, in caſibus, in quibus præceptum contritionis per accidens, & ratione alterius circunſtantiæ obligat, ſi homo tunc non conteritur, non committit duo peccata, ſed vnom tantùm; vt quando quis exiſtens in culpa lethali, noo eliciens actum contritionis, celebrat in mortali. quia licèt tunc verè obliget contritionis præceptum, non tamen obligat ratiooe ſui, ſed tantùm ratione ſacramenti Euchariſtiæ. ergo talis homo ſulùm peccat, quia indignè recipit ſacramentum. Similiter exiſtens in probabili periculo incidendi in aliquod peccatum mortale, ſi non elicit actum contritionis, oon committit duo peccata, vnum contra præceptom contritionis, & alterum contra præceptum, contra quod ingruunt tentationes, quibus tunc ſuccumbit. quia vbi eſt vnum propter aliud, ibi eſt vnum tantùm: ſed præceptum contritionis in iſto caſu eſt ad euitandum nouum peccatum. ergo qui tunc omittit conteri, videtur committere vnum peccatum. Secus autem dicendum eſſet, quando præceptum contritionis obligaret ratione ſui. nam tunc duo peccata committeret, vnum contra præceptum contritionis quando ratione ſui tenetur homo illam habere; puta quando reperiretur in periculo mortis. Alterum contra aliud præceptum, quo tenetur, e.g. dignè ſacramenta Chriſti miniſtrare, vt ſi Sacerdos exiſtens in mortali conſtitutus in articulo mortis, non eliciens contritionis actum pœnitentis confeſſionem exciperet, illúmque abſolueret. Ita benè notauit Nugnus *tom.2.in 3.part.quaſt.2. art.3. in addit.dub.3.*§.*Circa caſus.* Bonacina *tom.1. tract.de Euchariſtia, diſp.4 q.6.puncto 1.n.33.*

IX. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in dubitatione.*

Ad rationem in contrarium, quatenus directè militat contra primam aſſertionem, reſpondetur quòd dato antecedente, negatur tamen conſequentia: & ratio diſparitaris eſt; quia vita corporalis ſemel amiſſa non poteſt ope humana recuperari; ſalus verò ſpiritualis ſemel amiſſa, poteſt toto vitæ tempore recuperari; poſito tamen diuino auxilio. Ita benè Nugnus noſter nuperrimè relatus, *ad quartum argumentum primæ ſententia.*

Ad aliud fundamentum ſimiliter reſpondetur, negando conſequentiam; fatemur enim quòd ille, qui intulit iniuriam alteri cum damno in exequutione, teneatur ſtatim ac quamprimum commodè poteſt, reſarcire iniuriam, rem ablatam reſtituere, & ſatisfactionem pro iniuria illata exhibere. Cæterùm peccator non intulit Deo iniuriam cum damno Dei de facto in ipſo in exequutione recepto; licèt quantum ad affectum peccans maximam iniuriam Deo inferat. Ideò quamuis præceptum reſtituendi Deo ſit ſtrictius, ſimpliciter loquendo, atque adeò grauius peccatum ſit non velle reſtituere Deo ſuo tempore, quàm non velle reſtituere proximo, tamen ſecundùm quid, ſcilicet quantum ad circumſtantiam temporis ſtrictius eſt præceptum proximo ſatisfaciendi propter rationem allatam.

Articvlvs XVII.

An Confeſſionis ſacramentum poſſit dari validum quoad ſubſtantiam, itaur non teneatur homo iterum confiteri eadem peccata, atque adeò ſit verum ſacramentum; & nihilominus quòd ſit confeſſio informis, id eſt, non conferens gratiam, & hoc defectu veræ attritionis neceſſariò requiſitæ in ſacramento?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur quid ſit ſacramentum informe.*
3. *Titulo dubitationis ſatisfit.*
4. *Declaratur quòd ſacramentum Pœnitentiæ poteſt eſſe validum quoad ſubſtantiam, & informe quoad effectum.*
5. *An ſit valida confeſſio, in qua quis conteritur aliquorum peccatorum mortalium, non tamen omnium, ex inaduertentia inuincibili, & tamen ſit informis.*
6. *An attritio orta ex propria malitia conuerſionis alicuius peccati ſe extendat ad peccata oblita, vel ad ea, quæ ſine vera attritione quis exponit in confeſſione.*
7. *An defectus inculpabilis integritatis materialis in confeſſione, impediat effectum ſacramenti.*
8. *An ſacramentum validum, ſed informe, conferat ſuum effectum, recedente poſtea fictione.*
9. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur quæ in hac dubitatione dicta ſunt.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm vel dolor neceſſariò requiſitus in ſacramento Confeſſionis, quam habet pœnitens accedens ad ſacramentum Confeſſionis, eſt vera attritio, vel non: ſi eſt vera attritio, erit ſacramentum validum, & formatum, ſi adſunt aliquæ conditiones requiſitæ, puta ſi confeſſio ſit integra; ſi Miniſter ſit proprius Sacerdos habens veram intentionem abſoluendi, & legitimam formam proferat, ſiquidem attritio vera, & ſupernaturalis eſt ſufficiens diſpoſitio ſimul cum ſacramento ad iuſtificationem ex ſacro Concilio Tridentino *ſeſſ.14. cap.* 4. Fit enim homo medio Confeſſioois ſacramento ex attrito contritus. Vel dolor ille, cum quo accedit pœnitens ad ſacramentum Pœnitentiæ, non eſt vera attritio, & tunc ſacramentum eſt inualidum. eſt enim vera attritio pars ſubſtantialis de neceſſitate huius ſacramenti. ergo ſi adeſt vera attritio, ſacramentum erit validum, & formatum; ſi abeſt, erit nedum informe, ſed etiam nullum. ergo ex defectu attritionis non poteſt dari ſacramentum validum, & informe; ſed ſemper

erit

erit vel validum, & formatum, ſi adeſt vera attritio; vel nullum,& inualidum, ſi abeſt, & ita hanc ſententiam tenuit Vaſquez *tom.4.in 3.p.q.92.art.2.dub.vnico, num.* 29. nullam ſcilicet confeſſionem eſſe validam in ſubſtantia,quæ non ſit cum effectu,& formata.

Dvbitatio I.

II. *Quid ſit ſacramentum informe.*

Dico primò, illud dicitur ſacramentum informe, quod eſt ſine gratia,& charitate;charitas enim conſequitur gratiam,& ratione ipſius,ſicut virtutes, & cætera dona dicuntur formata,ſi cum ipſa charitate coniungantur:dicuntur autem informia deficiente charitate; ita ſacramentum dicitur informe quoties non producit gratiam,quam charitas conſequitor. Videatur Nugnus *tom.2.in 3.p.q.9.in addit.art.1.dub.*1.

III. *Titulo dubitationis reſpondetur.*

Dico ſecundò,dari poteſt ſacramentum Pœnitentię verum, & validum, quoad ſubſtantiam, & informe quoad effectum.Probatur,quia gratia,& charitas ſunt effectus ſacramenti. ergo non pertinent ad eſſentiam ſacramenti,cùm effectus ſit poſterior cauſa, illámque ſupponat perfectam, & completam. ergo poteſt dari ſacramentum Pœnitentiæ informe, itaut ſacramentum ſit validum, ſed non operetur producendo' gratiam,& charitatem.Tum,quia nihil obſtat, quin dari poſſit ſacramentum informe, cùm poſſit aliquid eſſe in rerum natura,& non operari. plura enim requiruntur ad operandum, quàm vt aliquid in rerum natura exiſtat.Sic D.Th.*in 4.diſt.17.q.3.a.4.quæſtiunc.1.in corp.*

IV. *Declaratur quòd ſacramentum Pœnitentiæ poteſt eſſe validum quoad ſubſtantiam, & informe quoad effectum?*

Dico tertiò, falſum eſt aſſerere confeſſionem integram omnium peccatorum cum abſolutione ſuſcepta,etiamſi abſque dolore fiat,& propoſito non peccandi formali,vel virtuali,eſſe validam quoad ſubſtãtiam,licèt ſit informis,eo ſolo quòd peccator ſua peccata integrè Sacerdoti innoteſcit, & clauibus Eccleſiæ ſe ſubiicit:quia verus dolor formalis cõtritio, ſeu attritio ſupernaturalis, eſt pars'eſſentialis ſacramenti Pœnitentiæ. ergo vt ſit validum ſacramentum Pœnitentiæ,quoad ſubſtantiam'non ſufficit integra confeſſio cum abſolutione,& quòd peccator ſubiiciatur clauibus Eccleſiæ, ſi non habeat verum dolorem, attritionem ſaltem ſupernaturalẽ. nam dolor eſt de eſſentia,& abſoluta neceſſitate huius ſacramenti.Ita apertè docet D.Th. *in 4.diſt.23.q.1.art.1. quæſtiunc.2.in corpore.*

Dico quartò,ſacramentum Pœnitentiæ non eſt validum quoad ſubſtantiam, & informe quantum ad effectum, quandu in re ipſa fit ſine dolore,contritione, vel vera attritione, etiamſi defectus hic non percipiatur à pœnitente ſine peccato propter ignorantiam inuincibilem. quia ſicut ſi in aliis Sacramentis ex quacumque ignorantia deeſſet materia neceſſaria vt naturalis aqua in Baptiſmo, non eſſet ſacramentum verum, & validum quoad ſubſtantiam, & ita eſſet repetendum. ergo ſimiliter ſine ſufficienti dolore, contritione ſcilicet,vel vera attritione, quæ eſt materia neceſſaria huius ſacramenti, non erit validum quoad ſubſtantiam Confeſſionis ſacramentum, etiamſi defectus doloris ſine peccato, ignorantia inuincibili ſit ignoratus; & ſic ſacramentum erit nullum, & reiterandum, ſi defectum commiſſum pœnitens poſtea recognoſcat. Sic colligitur ex doctrina D. Th. nuperrimè relati: & docet benè Suarez *tom.4. in 3. part.diſp.20.ſect.5.n.6.* Vaſquez *tom.4. in 3.p.q.92.art.2. dubio vnico,n.*26.contra Nauarr.*ſumma c.9.num.*10.aſſerentem non teneri reiterare confeſſionem pœnitentem,etiamſi non habuerit attritionem, quæ adiuncta ſacramento in contritionem tranſeat, & conſequenter in eius opinione ſine vera attritione validum erit ſacramentum. & contra Bonacinam *tom.1. tract.de Sacramentis,diſp.5.q.6.ſect.1.punct.5.n.3.fol.*211.*mihi.* qui ait validum eſſe ſacramentum Pœnitentiæ, ſed informe, ſi bona fide ſine attritione ſupernaturali ſuſcipiatur.

Dvbitatio II.

V. *An ſit valida confeſſio,in qua quis habet attritionem aliquorum peccatorum mortalium,non tamen omnium, ex inaduertentia inuincibili,& tamen ſit informis?*

Dico quintò, ſi contingat confeſſionem fieri cum vera attritione peccatorum mortalium, non tamen omnium, etiam quæ in confeſſione dicuntur. Vt ſi habens quatuor peccata mortalia,puta blaſphemiam, furtum, adulterium, homicidium; & de blaſphemia doleat propter ſpecificam eius turpitudinem; furtum, & homicidium ſimiliter deteſtetur ex peculiari motiuo propter fœditatem propriam,quam habent cum abſoluto propoſito emendæ. Homicidij verò,vel non recordatur; vel ſi menti occurrit, & illud in confeſſione exponit, minimè de illo dolet cum abſoluto propoſito emendæ, ſed per diſplicentiam tantùm inefficacem, & hoc ex inaduertentia inuincibili. tunc ſacramentum Confeſſionis erit validum, licèt informe, vt dicemus *aſſertione ſequenti.* Probatur. nam confeſſio, in qua peccatum aliquod mortale ob inculpabilem obliuionem omninò tacetur, valida eſt ſi fiat cum vera attritione eorum, quæ menti occurrunt, & in confeſſione exponuntur. ergo ſimiliter confeſſio erit valida, ſi fiat cum vera attritione aliquorum mortalium, licèt ex inaduertentia inculpabili de aliquo peccato mortali, vel oblito, vel tunc confeſſo, pœnitens non habeat veram attritionem. Tum, quia iſte ex impotentia faciendi, ex obliuione ſcilicet naturali, & inuincibili excuſatur à debito habendi veram attritionem illius quarti peccati. ergo cùm aliàs ſupponat in confeſſione veram materiam proximam, nempe veram attritionem aliquorum peccatorum, verum erit quoad ſubſtantiam ſacramentum; licèt informe ex defectu vniuerſalis attritionis.

Dico ſextò, in caſu immediatè præcedentis aſſertionis, licèt ſacramentum ſit validum, quoad ſubſtantiam, eſt tamen informe quoad effectum ex defectu attritionis extenſiuo, non intenſiuo, ſeu ex defectu integritatis, non qualitatis ipſius attritionis proueniente ex inculpabili inaduertentia, vel ignorantia. Probatur. nam ſufficiens diſpoſitio ad effectum gratiæ impetrandum in hoc ſacramento, debet eſſe vniuerſalis attritio de omnibus peccatis mortalibus, quæ homo commiſit, & nunquam retractauit, quia ſine interiori pœnitentia, & dolore nullum peccatum mortale remittitur, etiam per ſacramentum: ſed qui deteſtatur aliqua peccata, habens illorum veram attritionem, ex peculiari tamen motiuo,neque formaliter,neque virtualiter dolet de aliis, quorum obliuiſcitur; vel quæ confitetur,ſine vera tamen attritione,licèt inculpabiliter ex inaduertentia naturali. ergo in iſto caſu etiam ſi ſit verum, & validum Confeſſionis ſacramentum, erit tamen informe ex defectu attritionis

extenſiuo, ſeu ex defectu integritatis ipſius attritionis.

Iſte caſus confeſſionis validæ, ſed informis, adductus *in hac 6. aſſertione*, & 5. immediatè præcedenti, eſt Patris Suarez *tom. 4. in 3. part. diſput. 20. ſect. 5. num. 7.* ſed iam ſuprà diximus eſſe potius ſpeculationem Metaphyſicam, quàm caſum moralem. Caſus igitur in quo dari poteſt confeſſio valida, ſed ſine effectu, præter illum adductum à nobis loco nuper allegato, iſte erit. Fieri poteſt quòd pœnitens habeat dolorem, ſeu attritionem ſupernaturalem, & confiteatur omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt, ad quorum recordationem aliqualem diligentiam adhibuit, quæ licèt ſecundùm ſe non erat ſufficiens: ipſe tamen ex ſua ignorantia licèt culpabili, ſufficientem iudicauit: in iſto caſu confeſſio eſſet valida, ſed informis; valida quidem, quia eſſet vera materia proxima ſacramenti Pœnitentiæ, nempe attritio ſupernaturalis, vera forma, & intentio miniſtri abſoluendi, vt ſupponitur; ergo verum & validum ſacramentum. Quod autem tunc ſacramentum non eſſet gratia formatum, probatur; quia pœnitens non adhibuit ſufficientem diligentiam in reminiſcentia omnium peccatorum, licèt ipſe ex ſua ignorantia culpabili quidém, putauerit eſſe ſufficientem; ergo ex defectu integritatis confeſſionis erit tunc ſacramentum Pœnitentiæ ſine effectu. Vnde in ſimili caſu non tenebitur pœnitens ad iterandam confeſſionem, ſed tantùm debet ſe accuſare de peccatis oblitis, & de negligentia, quam habuit in reminiſcentia peccatorum: ſic præclarè Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. in addit. q. 9. art. 1. dub. 1. §. eſt igitur primus caſus.* Videatur etiam Sayr. *tract. de Pœnitentia cap. 14 num. 2.* Ad maiorem intelligentiam præcedentium aſſertionum,

Dvbitatio III.

VI. *An attritio orta ex propria malitia conuerſionis alicuius peccati, ſe extendat ad peccata oblita, vel ad ea, quæ ſine vera attritione quis exponit in confeſſione?*

Dico ſeptimò. Attritio quæ oritur ex propria malitia conuerſionis alicuius peccati, non habet vniuerſalitatem ad alia peccata oblita, neque ad ea, quæ ſine vera attritione quis exponit in confeſſione. quia talis attritio non ſe extendit etiam virtualiter ad alia peccata diuerſa. Et licèt hæc attritio orta ex peculiari motiuo ſimul cum ſacramento ſit ſufficiens diſpoſitio ad gratiam reſpectu ſui obiecti, tamen ſi aliunde ſit aliud peccatum impediens, vel ſit oblitum, vel de quo pœnitens vera attritione in confeſſione non doleat, vt in caſu noſtro, non eſt tunc abſoluta diſpoſitio ad gratiam impetrandam, etiam ſi coniungatur cum ſacramento. quia attritio adæquata, & vniuerſalis ſaltem virtualiter, eſt adæquata, & abſoluta diſpoſitio in confeſſione ad iuſtificationem, quando pœnitens habet multa, & diuerſa peccata. ergo attritio particularis licèt ex ſe, & reſpectu ſui obiecti ſit ſufficiens diſpoſitio ſimul cum ſacramento ad gratiam conſequendam, tamen ſi aliunde ſit aliud peccatum impediens, indigebit conſortio alterius veræ attritionis, qua ille obex etiam tollatur, vt ſit adæquata, & abſolutè ſufficiens diſpoſitio omnium peccatorum, & ſic homo ſimul cum ſacramento iuſtificetur. Ita rectè dixerunt Paludanus *in 4. diſt. 14. quæſt. 1.* Alenſ. *4. part. quæſt. 74. membr. 1.* Suarez *tomo 4. in 3. part. diſput. 5. ſect. 1. num. 11. & 12.*

Dvbitatio IV.

VII. *An defectus integritatis materialis inculpabilis in confeſſione impediat effectum ſacramenti?*

Dico octauò, licèt defectus integritatis materialis confeſſionis quando inculpabilis eſt, nec ſubſtantiam, neque effectum ſacramenti tollat, quia integra confeſſio exterior, ſecluſa neceſſitate proueniente ex inſtitutione diuina, & præcepto huius ſacramenti, non eſt per ſe diſpoſitio, aut medium neceſſarium ad remiſſionem peccati. ergo quacumque ratione præceptum confeſſionis ſufficienter, & inculpabiliter impleatur quantum neceſſe eſt ad ſubſtantiam ſacramenti, ſufficiet etiam ad effectum. Tamen, ſi pœnitentia, interior contritio ſcil. vel attritio ſimul cum ſacramento reſpectu alicuius peccati mortalis nondum dimiſſi deſit, iſte defectus etiamſi ſit inculpabilis, licèt non ſit contra ſubſtantiam ſacramenti; impedit tamen eius effectum. quia pœnitentia interior, contritio ſcil. vel attritio ſimul cum ſacramento vniuerſalis formaliter, vel virtualiter ſe extendens ad omnia peccata, eſt per ſe medium neceſſarium, ſecluſa inſtitutione huius ſacramenti ad remiſſionem peccati, & ideo hac ratione poteſt confeſſionis ſacramentum eſſe informe ob defectum integritatis attritionis, ſeu pœnitentiæ interioris. Videatur Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 20. ſect. 5. num. 12.*

Dvbitatio V.

VIII. *An ſacramentum validum, ſed informe, producat ſuum effectum recedente poſtea fictione?*

Dico nonò, ſacramentum pœnitentiæ informe confert ſuum effectum, ſublato obice, ſeu fictione, id eſt, poſita vera attritione, ſeu dolore peccatorum, qui ſine culpa mortali prætermiſſus fuerat in ſuſceptione ſacramenti. Probatur. nam peccata manifeſtata in ſacramento informi, remittenda ſunt per aliquod ſacramentum Pœnitentiæ, vel in re, vel in voto, ſed non remittuntur per aliud, quàm per ipſummet ſacramentum informe iam ſuſceptum. pœnitens enim non tenetur peccata in tali confeſſione manifeſtata iterum confiteri, & poteſt habere propoſitum nunquam illa de nouo confitendi; ergo remittuntur per ipſum ſacramẽtum informe, poſita diſpoſitione neceſſaria ad fructum. Tum, quia omnis cauſa ſublato impedimento habet cauſare ſuum proprium effectum, ſed in caſu noſtro fuit poſita vera cauſa, ſi quidem fuit verum ſacramentum Confeſſionis, & propter impedimentum, & defectum integritatis attritionis non habuit ſuum proprium effectum, ergo ſi remouetur impedimentum per ſubſequentem vniuerſalem & veram attritionem omnium peccatorum, præcedens confeſſio habebit ſuum proprium effectum. Ita benè Nugnus noſter *tom. 2. in 3. p. q. 9. in addit. art. 1. dub. 5. concl. 1. & 2.*

Dico decimò, ſi poſt ſuſceptum Pœnitentiæ ſacramentum validum, ſed informe, nullum peccatum mortale eſt commiſſum, recedit fictio, & ſacramentum præteritum cauſat gratiam, poſita vera attritione omnium peccatorum tunc in confeſſione expoſitorum, quæ ſe extendat etiam ſaltem virtualiter ad oblita ſi quæ eſſent, & illorum pœnitens non recordaretur. Probatur, qui poſita vera, & vniuerſali attritione omnium peccatorum, ſufficienter tollitur obex, & fictio præcedens, ratione cuius ſacramentum fuit informe. Sicut enim ſacramentũ cũ vera attritione, & vniuerſali formaliter, vel virtualiter tunc produxiſſet effectum;

Digitized by Google

effectum, ita illum modò producit, poſita vera, & vniuerſali attritione omnium peccatorum, niſi nouum aliquod peccatum mortale ponat impedimentum. Sic probè Nugnus nupertimè relatus *concl. 3.* Bonacina *tom. 1. de Sacramentis, diſp. 5. quaeſt. 6. ſect. 1. punct. 5. num. 6.*

Dico vndecimò, ſi verò poſt ſuſceptum ſacramentum informe commiſſum eſt aliquod peccatum mortale, non ſufficit vera, & vniuerſalis attritio, ſed requiritur contritio, vel attritio ex motiuo vniuerſali cum alia confeſſione ad hoc, quòd recedat fictio, & conſequatur homo talem effectum. quia cùm vnum peccatum mortale non remittatur ſine alio, & præcedens ſacramentum non habeat efficaciam, nec ſufficientiam circa peccata poſt ipſum commiſſa (nullus enim abſoluitur niſi à peccatis præteritis.) ergo in caſu noſtro neceſſaria eſt talis diſpoſitio, quæ ſufficiens ſit ad delenda priùs commiſſa, & ſimul ad delenda commiſſa poſt ſuſceptum ſacramentum informe; ſed hæc diſpoſitio eſt contritio, vel Pœnitentiæ ſacramentum cum attritione ex motiuo vniuerſali ſuſceptum. ergo ſola attritio tunc non ſufficeret. Ita benè notauit Nugnus nouiſſimè citatus *concl. 3.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 20. ſect. 5. num. 15.*

IX. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur, quæ in hac dubitatione dicta ſunt.*

Ad rationem in contrarium à principio poſitam reſpondetur quòd vera attritio adæquata, & vniuerſalis peccatorum commiſſorum, & nondum dimiſſorum, eſt quidem ſufficiens diſpoſitio ne dum ad valorem ſacramenti Pœnitentiæ, ſed etiam ad effectum, & iuſtificationem, ſi cum ſacramento coniungatur. Tamen vera attritio particularis aliquorum peccatorum, non tamen omnium, etiam illorum, quæ in confeſſione dicuntur, poteſt eſſe ſufficiens ad valorem ſacramenti, non tamen ad eius effectum, & ſic dari poterit confeſſio valida, ſed informis ex defecto attritionis, non quidem intenſiuo, ſed extenſiuo, vt *aſſertione 5. & 6.* explicuimus. Vnde ad argumentum reſpondeo diſtinguendo antecedens, ſi attritio ſit adæquata, & vniuerſalis formaliter, ſeu virtualiter, confeſſio tunc eſt valida, & formata; ſi verò ſit attritio vera, partialis tamen ex motiuo particulari aliquorum peccatorum, non tamen omnium, & hoc ex inaduertentia, & ignorantia inuincibili, tunc poteſt eſſe validum ſacramentum Confeſſionis, ſed informe ex defectu non intenſiuo, ſed extenſiuo integritatis ipſius attritionis. Saluo ſemper meliori iudicio.

ARTICVLVS XVIII.

An ad obtinendam iuſtificationem per contritionem, ſecundùm ſe, extra ſacramentum Confeſſionis, requiratur recogitatio, & conſideratio omnium peccatorum mortalium, nondum dimiſſorum?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, an hac recogitatio ſufficiat ſi confuſa ſit.*
3. *An præceptum contritionis obliget ad examen conſcientiæ, ſicut & præceptum confeſſionis.*

4. *An qui multa peccata commiſit, iuſtificetur, ſi habeat tantum vnius contritionem, & ex inconſideratione aliorum non recordetur.*
5. *An cogitans de vno peccato extra confeſſionem, & per contritionem iuſtificatus, teneatur poſtea ad rigoroſum examen ſi accedat ad ſacramentū Pœnitentiæ.*
6. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicatur, cur in confeſſione ſit neceſſarium rigoroſum examen; & non ſi homo ſola contritione extra ſacramentum iuſtificetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm in vocali confeſſione ideo requiritur recogitatio, & conſideratio omnium peccatorū mortalium, quia pœnitens confiteri tenetur Confeſſario tanquam Medico, & iudici omnia ſua peccata nondū dimiſſa, vt hic ritè noſcat tanquam Medicus malam valetudinem ſpiritualem, & tanquam iudex bene diiudicet. Neutrum enim Confeſſarius commodè exercere poteſt, niſi diſtinctè pœnitentis mala, & peccata recognoſcat; ſed homo dum pœnitentiam agit, & per contritionem iuſtificatur extra ſacramentum eſt Medicus, & iudex ſui ipſius. ergo omnia ſua peccata debet recogitare, vt diſtinctè ea recognoſcat; & ſic commodè munus Medici, & iudicis erga ſe ipſum exercere valeat, & animæ ſuæ debitum ſanitatis remedium adhibere. Ita ſentire videtur Alenſis *4. p. q. 69. memb. 8. a. 2.* dum ibi docet neceſſarium eſſe ad contritionem, quòd homo habeat ſingulos dolores ſupra ſingula peccata.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

An hac recogitatio ſufficiat ſi confuſa ſit?

Dico primò, ad iuſtificationem obtinendam per contritionem ſecundùm ſe, & extra ſacramentum, requiritur ſaltem confuſa peccatorum commiſſorum conſideratio. Probatur, quia contritio eſt actus voluntatis; ſed voluntas non fertur in incognitum. ergo vt quis doleat de peccatis commiſſis, & per contritionem ſecundùm ſe iuſtificetur, requiritur ſaltem confuſa peccatorum commiſſorum recogitatio. Tum, quia nullus dolere poteſt de offenſa alteri facta, illique congruam pro offenſa ſatisfactionem exhibere, niſi aliqua ratione cognoſcat, in quo illum offenderit. ergo ad contritionem ſecundùm ſe vt quis iuſtificetur requiritur ſaltem confuſa peccatorum conſideratio, cùm homo per contritionem doleat de offenſa Dei, illique intendat ſatisfacere. Videatur Caiet. *tom. 1. opuſc. tract. 4. quaeſt. 2.*

DVBITATIO II.

III. *An præceptum contritionis obliget ad examen conſcientiæ, ſicut & præceptum confeſſionis?*

Dico ſecundò, præceptum contritionis ſecundùm ſe obligat ad faciendum aliquod conſcientiæ examen, vt recogitet homo peccata, quæ fecit, vt de omnibus illis conteratur, propter rationes allatas præcedenti aſſertione; non tamen obligat ad illud rigoroſum examen, quod requiritur ad ſacramentum Confeſſionis. quia rigoroſum examen ideò requiritur in confeſſione, quia confeſſio eſt quoddam iudicium exterius, in quo debet homo reddere rationem alteri homini; & ideò requiritur ſufficiens omnium peccatorum recogitatio, & rigoroſum examen. extra ſacramentum verò conſideratio peccatorum ſolùm exigitur, vt homo coram Deo, qui exactiſſimè omnia intelligit, ad eliciendum contritionis actum moueatur.

ergo licèt in ſacramento Confeſſionis, in qua iudex, & Miniſter eſt alter homo, requiratur omnium peccatorum recogitatio, & rigoroſum examen, tamen extra ſacramentum aliquod examen, & recogitatio ſufficiet, qua homo coram Deo, qui nouit omnia cordis intima, excitetur ad contritionem. Ita benè Nugnus noſter *tom.2.in 3.part.q.2.in addit.art.6.dub.1.concl.2.*

Dico tertiò, qui facto peccatorum examine recordatur vnius tantummodo peccati, iuſtificatur ſi de illo peccato contritionem eliciat, quamuis alia peccata commiſerit, quorum non recordatur. quia actus contritionis virtualiter, & implicitè includit deteſtationem omnium aliorum peccatorum, quorum pœnitens non recordatur. Ita optimè D. Thom. 3. *part. in addit. quæſt.2. art. 3. ad 2.* Ad maiorem intelligentiam huius aſſertionis,

Dvbitatio III.

IV. *An qui multa peccata commiſit, iuſtificetur ſi habeat tantùm vnius contritionem, & ex inconſideratione aliorum non recordetur?*

Dico quartò, is, qui multa peccata commiſit, & vnum tantùm conſiderat actu, licèt aliorum non ſit omnino oblitus, ſed ſolùm actualem inconſiderationem eorum habeat, poterit de peccato illo verè conteri, & per illam contritionem vltimò diſponi ad gratiā iuſtificantem. quia contritio vnius peccati, quaodo per actualem inconſiderationem aliorum non recordamur, eſt vniuerſalis deteſtatio virtualis omnium peccatorum, cùm cōtritio includat perfectiſſimum motiuum pœnitētiæ. Medina *tract.1. de pœnitentia, q.12. art.2.*

Dico quintò, quando homo actu cogitans de vno ſolo peccato commiſſo veram contritionem habuit, ſi poſtea eſt dubius, an alia peccata commiſerit, quæ memoriā exciderint, tunc ratione dubij, & conſequenter ratione periculi, tenebitur formaliter alia peccata deteſtari, quæ dubitat commiſiſſe ſaltem per generalem formalem contritionem. quia formalis pœnitentia de omnibus peccatis, per ſe loquendo, neceſſaria eſt; ſed illa contritio, quæ circa vnum tantùm peccatum formaliter verſatur, ſolùm eſt virtualis pœnitentia aliorum. ergo ſemper manet obligatio, ſaltem quando contritionis præceptum obligat ad formalem pœnitentiam eorum. Corduba *lib.1. q.15.*

Dico ſextò, qui de vno ſolo peccato actu cogitans, ſi veram contritionem habuit, & iuſtificatus eſt, non tenetur poſtea, per ſe loquendo, diſtinctè omnia peccata recogitare, & iterum conteri. quia, per ſe loquendo, diſtincta, & rigoroſa recogitatio peccatorum non eſt neceſſaria ante talem contritionem, cùm ſufficiat ſola peccatorum confuſa conſideratio. ergo neque etiam poſt elicitam contritionem diſtincta peccatorum recogitatio erit neceſſaria. Si verò eſt dubius, an alia peccata commiſerit, ſufficit, quòd confusè, & vniuersè ea recogitando per generalem contritionem de illis poſtea doleat. quia habemus præceptum de formali pœnitentia omnium peccatorum, non verò de diſtincta, & in particulari omnium peccatorum. Videatur pro hac aſſertione D. Thom. *quæſt. 28. de veritate, art.5. ad 3. & 4. argumentum.*

Dico ſeptimò. Cogitans de vno peccato mortali, ſi elicit actum veræ contritionis, & ſic iuſtificatur, licèt poſtea non teneatur ad examen rigoroſum, & diſtinctè omnia peccata recogitare, obſtringitur tamen poſtea ad faciendam aliqualem conſiderationem peccatorum, quia, per ſe loquendo, ex vi præcepti contritionis obligatur homo ad habendam aliqualem recogitationem peccatorum, licèt ex accidenti à tali conſideratione poſſit excuſari; vt in caſu noſtro, quando cogitans de vno ſolo peccato per actualem inconſiderationem alia non conſiderans, de illo ſolo elicit actum contritionis, & iuſtificatur, quia quod eſt per ſe tantùm regulariter, & moraliter neceſſarium, permittit quòd oppoſitum poſſit aliquando contingere. Sed aliqualis peccatorum conſideratio ex vi præcepti contritionis eſt regulariter, & moraliter neceſſaria. ergo ex accidenti aliquando contingere poteſt, vt quis de vno ſolo peccato cogitans, & alia per actualem inaduertentiam non conſiderans, eliciat actum veræ contritionis, & ſic iuſtificetur: obſtrictus tamen poſtea remanet ad faciendam aliqualem conſiderationem peccatorum, & iterum de illis formaliter conteri, licèt non diſtinctè, & in particulari de ſingulis, ſed confusè, & vniuersè de omnibus. Ita benè notauit Nugnus *tom.2. in 3.p. in addit. q.2. art.6. dub.1.§.2.*

Dico octauò. Cogitans de vno ſolo peccato, ſi elicit actum veræ contritionis, & ſic iuſtificatur, poſtea ſi poſt aliqualem recogitationem peccatorum nullum habeat morale dubium, an alia peccata commiſerit, non tenetur iterum conteri, etiam ſub conditione, ſed potiùs diligere. Probatur, quia qui poſt ſufficientem diligentiam nullius peccati mortalis conſcientiam habet, non tenetur ſub præcepto ad confeſſionem, vt ſuprà diximus. ergo ſimiliter qui cogitans de vno ſolo peccato mortali per contritionem iuſtificatur, ſi poſtea aliquali facta conſideratione peccatorum nullum morale dubium habet, an alia peccata commiſerit, non tenetur iterum conteri, etiam ſub conditione, ſed potiùs diligere. Sic probè Suarez *tom.4. in 3.p. diſp 4. ſect.6 num.16.*

Dvbitatio IV.

V. *An cogitans de vno peccato extra confeſſionem, & per contritionem iuſtificatus, poſtea teneatur ad rigoroſum examen, ſi accedat ad ſacramentum Pœnitentiæ?*

Dico nonò. Cogitans de vno ſolo peccato per contritionem iuſtificatus, ſi poſtea vult confiteri, neceſſarium eſt ſufficiens, & rigoroſum examen, cùm nullus poſſit ſua peccata cōfiteri, niſi facto ſufficienti examine conſcientiæ, quia iure diuino obligantur fideles ad omnia, & ſingula peccata mortalia confitenda, vt patet ex ſacro Concilio Tridentino *ſeſſ.14.c.5. & canone 7.* ergo etiam ex iure diuino tenemur ad ſufficiens examen conſcientiæ, quod eſt medium prærequiſitum ad omnia, & ſingula peccata mortalia conſideranda. Nam quo iure quis obligatur ad aliquod opus, eodem obligatur ad media neceſſaria ad tale opus. Ita egregiè Sotus *in 4. diſt.18. q.2. art.4. fine, §. Ad 3.*

Dico decimò. Iuſtificatus per contritionem etiam in lege noua, ſi contingat excuſari ab obligatione præcepti confeſſionis, nimirum, quia confiteri non poteſt ob inopiam Confeſſoris, tunc ſimpliciter excuſatur à rigoroſo examine, & recogitatione omniū peccatorū facienda. quia rigoroſa recogitatio peccatorum per ſe non præcipitur, ſed propter actum externum cōfeſſionis, qui tunc exerceri non poteſt, nec obligat propter inopiam Confeſſoris. ergo etiam in lege noua in iſto caſu non teneretur homo ad rigoroſum conſcientiæ examen; ſed ſufficeret aliqualis recogitatio peccatorum. Tum, quia ſicut qui non poteſt audire Miſſam, nec recitare Officium, quando aliàs teneretur, ſi poſſet, non tenetur habere illam attentionem ad Deum, quam habere deberet ſi Miſſam audire, aut horas recitare poſſet. ergo, &c. contra aliquos DD. tenentes

partem

partem affirmatiuam, quos tacito nomine refert Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 4. ſect. 6. num. 14.*

VI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

Dvbitatio V.

Cur in confeſſione ſit neceſſarium rigoroſum examen, & non ſi homo extra ſacramentum ſola contritione iuſtificetur?

Ad rationem in contrarium, quæ præcipuè militat contra ſecundam aſſertionem, reſpondetur, quòd rigoroſum illud examen, & recogitatio omnium peccatorum, ideò requiritur in confeſſione vocali, quia fideles iure diuino tenentur ad omnia, & ſingula peccata confitenda, vt *aſſertione 9.* probauimus, quod non contingit, neque eſt neceſſarium, quando homo ob inopiam Confeſſoris ſola contritione iuſtificatur. tunc enim ſufficit aliqua recogitatio peccatorum, & aliquale examen, quod poſſit mouere hominem ad habendum dolorem de peccatis; & licèt in infirmitate corporali clara morbi corporalis notitia ſit neceſſaria, vt ei congruum, & debitum remedium applicetur, varia enim infirmitatis corporalis genera exigunt diuerſa remedia; hoc tamen per ſe non eſt neceſſarium in infirmitate animæ, quæ poſita confuſa infirmitatis cognitione vnico contritionis actu, per ſe loquendo, ſanatur. Vnde licèt quando homo extra ſacramentum per contritionem iuſtificatur, ſit quodammodo Medicus ſui ipſius; tamen quia poſita confuſa peccatorum notitia homo ſufficienter poteſt moueri ad contritionem habendam, quæ eſt ſufficiens remedium ad remiſſionem peccatorum; ideò, per ſe loquendo, tunc non eſt neceſſarium rigoroſum, & exactum examen omnium peccatorum. Videatur pro hac ſolutione Nugnus *tom. 2. in 3. p. q. 2. in addit. art. 6. dub. 1. fine.* Bonacina *tom. 1. tract. de Sacramentis, diſp. 5. q. 5. ſect. 1. punct. 6. num. 3. verſic. Reſpondeo.*

Articvlvs XIX.

An ad veram contritionem, per quam peccata remittuntur, certa aliqua intentio requiratur?

Svmmarivm.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur quid ſit contritio magna intenſiuè, quidve appretiatiuè, & quomodo ambæ poſſunt dici magna, vel maxima.*
3. *Veritas aperitur, & explicatur, an requiratur quòd contritio ſit magna, vel maxima, vt homo iuſtificetur.*
4. *An ad veram contritionem requiratur intenſio moralis maxima appretiatiuè, & in quo conſiſtat.*
5. *An pœnitens eliciendo actum contritionis, teneatur facere comparationem peccatorum, cum alijs malis.*
6. *An pœnitens teneatur magis dolere de vno peccato, quàm de alio.*
7. *An omnia peccata ſint eodem modo æqualiter ſubiecta deteſtationi in ſummo.*
8. *An per maiorem contritionem intenſiuè remittatur magis de pœna debita ob peccata dimiſſa.*
9. *An ad veram contritionem requiratur duratio aliqua temporis.*
10. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, quomodo cōtritio poſſit eſſe ſumma quoad ſubſtantiam, non tamen quoad modum accidentalem.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Nam peccator per culpam lethalem ſummè offendit Deum. ergo in contritione, per quam homo conuertitur in Deum, ſumma requiritur intenſio, quam ille habere poteſt. qui enim perſonæ offenſæ non poteſt reddere condignum, meritò exigitur ab eo, vt reddat quantum poteſt ex toto conatu ſibi poſſibili. ergo, &c. ita ſenſit Adrianus *in 4. quæſt. 2. de pœnitentia.*

Dvbitatio I.

II. *Quid ſit contritio magna intenſiuè, quidve appretiatiuè, & quomodo ambæ poſſunt dici magna, vel maxima?*

Dico primò, dupliciter contritio dici poteſt magna, primò intenſiuè; ſecundò appretiatiuè. Dicitur magna, & ſumma contritio intenſiuè illa, quam homo magno, & toto conatu ſibi poſſibili, & feruore maximo elicit: ſicut calor dicitur magnus, & ſummus, quando eſt vehemens, & ſummus, etiam reddit ſubiectum ſatis, & ſummè calidum; & ex oppoſito calor dicitur paruus, quando eſt tenuis, & reddit ſubiectum parum calidum. Appretiatiuè verò, ſeu comparatiuè contritio dicitur magna, quādo quis deteſtatur magis peccatum, quàm aliquod aliud malum, vt ſi magis deteſtetur peccatum, quàm infirmitatem, vel amiſſionem bonorum. Maxima verò appretiatiuè dicitur contritio, quando quis deteſtatur peccata ſuper omnia mala, & ſuper omnia deteſtabilia. quia ſicut amor Dei dicitur maximus appretiatiuè, & comparatiuè, quando quis magis æſtimat Deum, quàm quodlibet aliud bonum; ita & dolor, ſeu contritio de peccatis dicitur maxima appretiatiuè, ſeu comparatiuè, quando quis dolet de peccatis ſuper omnia mala, & ſuper omnia deteſtabilia. Magna igitur contritio de peccatis intenſiuè dicitur illa, quæ magno conatu elicitur. Maxima intenſiuè, qua maximo feruore, & toto conatu poſſibili peccata deteſtamur. Magna appretiatiuè, ſeu comparatiuè contritio illa eſt, qua quis deteſtatur magis peccatum, quàm aliquod aliud malum. Maxima appretiatiuè, ſeu comparatiuè, qua quis deteſtatur peccata ſuper omnia mala, & ſuper omnia deteſtabilia. Videatur Nugnus *tom. 2. in 3. part. q. 3. in addit. art. 1. §. Pro explicatione nota in expoſitione art.*

III. *Veritas aperitur, & explicatur*

Dvbitatio II.

An requiratur, quòd contritio ſit magna, vel maxima, vt homo iuſtificetur?

Dico ſecundò, ad contritionem, & conſequenter ad iuſtificationem, non requiritur certa intenſio, & vt contritio ſit magna, vel maxima intenſiuè intenſione phyſica, ſed ſufficit quælibet contritio, licèt remiſſa, modò ſit vera contritio: quia ſicut peccatum mortale, etiamſi tepidè & paruo conatu committatur, deſtruit gratiam: ita contritio licèt remiſſa, ſufficienter inducit gratiam, & deſtruit peccatum. Tum, quia minima gratia, & charitas infuſa quantumcunque remiſſa, eſt ſufficiens ad excludendum formaliter peccatum, quia conſtituit abſolutè filium, & amicum Dei. ergo eodem modo, & eadem proportione, vera contritio quantum ad ſubſtantiam erit proportionata diſpoſitio ad infuſionem charitatis, & gratiæ, licèt non ſit magna, vel

maxima intenſiuè intenſione phyſica. Videatur Sotus *in 4.diſt.17.queſt.2.art.4.concl.2.* Suarez *tom.4.in 3.part. diſp.4.ſect.4.num.*10.

Dvbitatio III.

IV. *An ad veram contritionem requiratur intenſio moralis maxima appretiatiuè? & in quo conſiſtat?*

Dico tertiò. Ad veram contritionem quo ad ſubſtaotiam licèt non tequiratur intenſio magna, vel maxima phyſiea, & entitatiua, requiritur tamen intenſio quædam moralis maxima, qnæ conſiſtit in appetiatione, & æſtimatione Dei ſuper omnia bona, & in deteſtatione peccati ſuper omnia mala. Probatur, quia ſiquis appretiatiuè diligat creaturam pluſquam Creatorem, atque adeò appretiatiuè doleat de aliquo malo temporali magis, quàm de peccato, iam conſtitnit vltimum finem in creatura, & conſequenter peccat mortaliter. ergo vt homo verè conuertatur in Deum per contritionem, magis comparatiuè debet dolete de peccato, quàm de quocumque malo temporali. Sotus nouiſſimè relatus *concluſ.* 1. Nugnus *tomo 2.in 3. part. queſt. 3. in addit. art. 1. dub. vnic. concl.3.*

Dvbitatio IV.

V. *An pænitens, eliciendo actum contritionis, teneatur facere comparationem peccatorum cum alÿs malis?*

Dico quartò. Pœnltens in eliciendo coutritionis actu non teuetur faeere comparationem peccatorum cum aliis malis, ita vt deteſtari debeat peceatū magis, quàm amiſſionem vitæ, aut facultatum, aut honoris, &c. ſed ſufficit in genere, vt deteſtetur peccata ſuper omnia deteſtabilia in communi, cum propoſito vitandi omne peccatum ſuper omne deteſtabile in communi, aut etiam ſufficit, ſi malit quodlibet malum ſubiiſſe, quàm offendiſſe Deum, cum propoſito ſubeundi quodlibet malum, quàm offendendi Deum. Probatur, quia homo poteſt deteſtari peecata per actum contritionis, nulla facta comparatione aliorum malorum. ergo non eſt neceſſe deteſtari peceata facta comparatione aliorum malorum. Ita Nugnus noſter *tom. 2. in 3.part. in addit. queſt. 3. art.1. dub. vnico, §. in ſolutione ad 4. verſ. ad argumentum in oppoſitum.* Bonacina *tract. de ſacramentis, tom. 1. diſp. 5. queſt. 5. ſect. 1. punct.2.num.4.*

Dico quintò, conſequenter, licèt homo debeat eſſe diſpoſitus, quòd magis doleat de culpa, quàm de quacumque pœna etiam inferni, ita vt magis velit pati Illas pœnas, quàm iterum peccare mortaliter, non tamen eſt tentandus in huiuſmodi expreſſis, & formalibus comparationibus. Vnde Confeſſarij pœnitentes interrogare non debent in particulari de quibuſdam pœnis, vt ſi non ſe vindicarent, etiam ſi alapa, vel fuſte percuterentur; & multò minus debent eos interrogare in particulari ſi potius velint pati pœnas inferni, quàm iterum peccare: quia ad veram contritionem ſufficit propoſitum virtuale patiendi potius omnia mala, vt ſic, in genere, quàm offendendi Deum. ergo. Confeſſarius non debet deſcendere ad comparationes particulares, quia fieri poteſt, vt qui haber propoſitum in genere (quod ſufficit ad veram contritionem) patiendi potius omnia mala, quàm offendendi Deum, non habeat propoſitum patiendi mortem, vel aliud malum in particulari, ſi ad particularia veniatur, quod aduertit egregiè D.Thom. 3.*part. in addit. queſt.* 3. *art.*1.*ad* 4.*argumentum.*

Dico ſextò, licèt Confeſſarij deſcendere non debeant ad huiuſmodi expreſſas, & formales comparationes particulares, quia contingit aliquando, quòd quis habeat verum dolorem de peccatis, non aduertendo ad hæc ſingularia; tamen ſi de facto fiat talis comparatio, debet pœnitens potius velle pati pœnas inferni, quàm iterum peccare. quia, vt probè docet D. Thom. nouiſſimè relatus, magis debet homo dolere de ipſa culpa ſecundùm ſe, quàm de omni nocumento, & pœna, etiam infernali, & etiam quàm de ſeparatione ab ipſo Deo. Videatur etiam Nugnus *loc. cit.§. quarta concluſio. verſ. contingit enim aliquando.*

Dvbitatio V.

VI. *An pænitens teneatur magis dolere de vno peccato, quàm de alio?*

Dico ſeptimò, ſi pœnitens non faciat comparationem expreſſam & formalem Inter maius, & minus peccatum, nulla eſt culpa magis intenſiuè dolere de minori peccato, quàm de maiori peccato. Probatur. nam ſi quis primò doleat de peccato maiori per veram contritionem, iam ſatisfacit præcepto contritionis; ſed ſi poſtea magis intenſiuè doleat de minori, non peccat, ſed potiùs exercet actum optimum. ergo nullam faciendo expreſſam, & formalem comparationem, nullum eſt peccatum magis intenſiuè dolere de minori peccato, quàm de maiori: ſic Nugnus *tom.2. in.3.part. queſt.3.in addit. art.3.in expoſitione art. concluſ.2.*

Dico octauò, ſi verò pœnitens faciat comparationem expreſſam, & formalem, inter maius, & minus peccatum, tenetur magis intēſiuè deteſtari maius peccatum, quàm minus, & ſic magis tenetur deteſtari homicidium, quàm furtum, ſi formaliter inter iſta duo peccata comparationem faciat. quia vbi eſt maius motiuum deteſtationis, debet eſſe maior deteſtatio; ſed vbi eſt maius peccatum, eſt maius motiuum deteſtationis, motiuum enim deteſtationis eſt malitia, & offenſa Dei. ergo vbi eſt maius peccatum, debet eſſe maior deteſtatio. Sic habetur ex doctrina D.Th. *3.part.in addit. queſt.3.art.3.*

Dvbitatio VI.

VII. *An omnia peccata ſint eodem modo aqualiter ſubiecta deteſtationi in ſummo?*

Dico nonò, licèt omnia peccata mortalia appretiatiuè ſint in ſummo deteſtabilia, quia vnumquodque illorum ſuper omnia deteſtabilia deteſtari tenemur: intenſiuè tamen maius peccatum eſt minori deteſtabilius facta comparatione expreſſa, & formali inter maius, & minus peccatum; quia maius peccatum habet maius motiuum deteſtationis.

Sed dices. Nam quando perueniatur ad ſummum, non datur magis, & minus, ſed omnia peccata mortalia infinitè, & in ſummo appretiatiuè ſunt deteſtabilia. ergo inter illa non datur magis, & minus. Reſpondetur, quòd licèt omnia peccata ſint in ſummo deteſtabilia appretiatiuè, id eſt, ſuper omnia mala, quæ non ſunt peccata, & vt ſic inter illa non datur magis, & minus. Cæterùm phyſicè, & intenſiuè non ſunt deteſtabilia in ſummo ſi fiat expreſſa, & formalis comparatio inter ipſa peccata; vnum enim vt ſic eſt deteſtabilius alio. Videatur Nugnus *tom.2. in 3. part. q.3.art.3. in expoſitione articuli poſt octauam concluſionem, §. Ad argumentum.* Eſt exemplum ad hoc explicandum accommodatum in Chriſto Domino. Omnes actiones ſatisfactoriæ, vt ieiunium, oratio, atque charitas,

erant

erant infinitæ, infiniti ſcilicet valoris in genere moris, quatenus ſuppoſiti diuini actiones; phyſicè tamen, & intenſiuè, non erant infinitæ, ſed vna materialiter, altera erat perfectior, & ſic actus charitatis in eſſe phyſico perfectior erat in Chriſto, quàm actus ieiunij. quia illa à nobiliori principio, quo eliciebatur, nempè à charitate virtute per ſe infuſa; iſte verò à virtute temperantiæ, quæ ſecundùm ſe eſt inferior charitate: ſic in caſu noſtro licèt omnia peccata mortalia appretiatiuè ſint in ſummo deteſtabilia ſuper omnia mala; phyſicè tamen, & intenſiuè non tenemur illa in ſummo deteſtari, toto ſcilicet conatu poſſibili; ſed fieri poteſt quòd vnum magis deteſtemur, quàm aliud. Videatur Sotus *in 4. diſt. 17. quæſt. 2. art. 4. concluſ. 5. §. Secunda pars.* Vbi huius rationem aſſignat. quia, inquit, intenſio actus, & dolor ſenſualis non eſt de eſſentia contritionis.

Dvbitatio VII.

VIII. *An per maiorem contritionem intenſiuè, remittatur magis de pœna debita, ob peccata dimiſſa?*

Dico decimò, licèt maior contritio intenſiuè non exigatur ad remiſſionem grauiſſimi peccati, loquendo quoad culpam, quàm leuioris, & plurium, quàm vnius: quia per quemlibet contritionis actum confertur gratia, quæ eſt incompoſſibilis omnibus peccatis mortalibus, tametſi peccatum conſideretur quoad pœnam, perſpicuum eſt maius delictum maiorem pœnam mereri; conſequenter etiam maiorem ſatisfactionem exhibendam eſſe, & magis eſſe intenſiuè dolendum ſi pœnitens velit per actum contritionis pro tota pœna ſatisfactionem exhibere; quia per actum contritionis ne dum remittuntur omnia peccata, quoad culpam, & pœnam æternam, ſed etiam remittitur aliqua pœna temporalis debita pœnitenti poſt culpæ remiſſionem. ergo tantò magis remittitur de hac pœna, quantò magis intenſiuè fuerit contritio. ergo ſi pœnitens velit per actum contritionis pro tota hac pœna ſatisfactionem exhibere, magis intenſiuè de grauiori peccato debet dolere, quàm de minori. Vnde ſacra Scriptura ſæpè petit quantitatem pœnitentiæ, & intenſum dolorem, non præcipiendo, ſed conſulendo, vt pœna peccatis debita etiam integrè remittatur. Sic intelligitur illud Michææ 4. *Dole, & ſatage quaſi parturiens*, vt ſcilicet omnes effectus, & reliquiæ peccatorum tollantur. Videatur D. Thom. 3. *part. in addit. quæſt. 3. art. 3. in argumento, ſed contrà.* Nugnus *tom. 2. in 3. part. q. 86. art. 5. in expoſitione art. §. Aliud dubium, verſ. certum eſt enim.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 4. ſect. 4. num.* 11.

Dvbitatio VIII.

IX. *An ad veram contritionem requiratur duratio aliqua temporis?*

Dico vndecimò, ad veram contritionem non requiritur aliqua duratio temporis. quia ſicut conſenſus in peccatum mortale ſtatim quod fit, eſt peccatum mortale, fit in inſtanti: ergo actus contritionis, qui poteſt fieri in inſtanti, ſtatim quod fit, eſt vltima diſpoſitio ad gratiam. ergo ad veram contritionem non requiritur duratio temporis. Tum, quia homo tenetur habere veram contritionem, non tamen tenetur aliquo tempore durare in actu contritionis; ſed contritio non perficitur quantum ad ſuam eſſentiam duratione temporis, ſed ſola efficientia talis actus, quæ eſt in inſtanti. ergo, &c. Hæc aſſertio ſumitur ex doctrina D. Thom. 3. *part. quæſt. 89. art. 2. in corp.* & eam docet Sotus *in 4. diſt. 17. q. 2. art. 4. poſt 5. concluſionem, §. Poſtrema examinanda.*

X. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

Dvbitatio IX.

Quomodo contritio poſſit eſſe ſumma quoad ſubſtantiam, non tamen quoad modum accidentalem?

Ad rationem in contrarium quatenus directè militat contra ſecundam, & tertiam aſſertionem, reſpondetur quòd licèt peccator faciat maximam Deo offenſionem mortaliter delinquendo, & ſummè illum offendat conſiderata dignitate perſonæ offenſæ, non tamen ſemper peccat cum ſummo conatu entitatiuè, & phyſicè intenſiuo; & ſic non eſt neceſſe, quando conuertitur ad Deum per contritionem, quòd hæc ſit phyſicè & entitatiuè ſummè intenſa, ſed ſufficit, quòd in contritione, qua homo peccator diſponitur ad gratiam, ſit intenſio maxima moralis, quæ conſiſtit, vt diximus *aſſertione* 3. in appretiatione, & æſtimatione Dei ſuper omnia bona, & in deteſtatione peccati ſuper omnia mala, & ſic contritio appretiatiuè dicitur maxima quoad ſubſtantiam, & eſſentiam doloris. quia homo ſimpliciter dolet magis de peccato, quàm de alia quacumque re, & facit totum, quod in ſe eſt quantum ad ſubſtantiam, & modum eſſentialem operis, licèt non faciat totum, quod in ſe eſt quantum ad modum accidentalem.

Et per hæc patet ad aliud fundamentum tactum in ratione allata à principio. qui perſonæ offenſæ non poteſt reddere condignum, meritò exigitur ab eo, vt reddat quantum poteſt ex toto conatu. Reſpondetur hoc eſſe verum, quantum ad ſubſtantiam, & modum eſſentialem operis, non tamen hoc requiritur quantum ad modum accidentalem. Sic egregiè Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. quæſt. 3. art. 1. in addit. dub. vnico, poſt quintam concluſionem, §. Ad primum argumentum, verſ. Ex hoc etiam patet.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 4. ſect. 4. num. 2.*

Articvlvs XX.

An attritio poſſit fieri contritio?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur, quomodo attritio fiat contritio.*
3. *Veritas aperitur, & explicatur, quomodo attritio extrinſecè poſſit participare per relationem extrinſecam honeſtatem contritionis.*
4. *An attritio continuata in homine iuſtificato per actum charitatis, poſſit fieri contritio.*
5. *Quomodo homo vi ſacramenti fiat ex attrito contritus, explicatur.*
6. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicatur hac poſtrema aſſertio.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm ſacramenta nouæ legis faciunt ex attrito contritum ſine nouo actu: ille namque qui tantùm attritus vera attritione accedit, e.g. ad ſacramentum Pœnitentiæ, ſine nouo alio actu, iuſtificatur, & ex attrito fit contritus. ergo tunc actus qui erat attritio,

fit contritio. Patet conſequentia; quia impoſſibile eſt quòd homo ſit, & dicatur contritus ſine contritione. ſicut quòd ſit albus ſine albedine. & ita Scotus *in 4. diſt. 14. quæſt. 2.* exiſtimat eundem numero actum, qui eſt attritio, fieri contritionem.

Dvbitatio I.

II. *Quomodo attritio fiat contritio?*

Dico primò, aliud eſſe quòd attritio fiat contritio, & aliud eſſe quòd attritus fiat contritus. quia hoc ſecundum tantùm ſignificat mutationem ſubiecti tranſeuntis à forma imperfecta ad perfectam. primum verò ſignificat, quòd vna forma fiat alia forma; vnde hoc eſt impoſſibile, illud verò multoties contingit. nam quemadmodum album fieri nigrum eſt poſſibile: impoſſibile autem eſt quòd fiat nigredo albedo; ſic fieri poteſt vi ſacramenti, quòd homo qui ſolùm erat attritus, fiat contritus, tranſeundo à ſtatu imperfecto ad ſtatum gratiæ perfectum; non tamen fieri poteſt quòd attritio fiat contritio. Videatur Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 1. in addit. art. 3. dub. 1. §. Pro maiori tamen intelligentia.*

III. *Veritas aperitur, & explicatur*

Dvbitatio II.

Quomodo attritio extrinſecè poſſit participare per relationem extrinſecam, honeſtatem contritionis?

Dico ſecundò, propriè, & in rigore loquendo, attritio non poteſt fieri contritio. quia attritio, & contritio ſunt actus eſſentialiter differentes, habent enim diſtincta motiua ſpecie differentia. ergo vnus non poteſt fieri alius, ſeu tranſmutari in alium. Tum, quia idem actus doloris de peccatis ob pœnam inferni, vel turpitudinem culpæ, vel damnum ſpirituale, qui eſt attritio, nunquam fieri poteſt idem numero manens dolor de peccatis propter Deum, qui eſt contritio; ſunt enim hi diuerſi actus cùm habeant diuerſa obiecta, & motiua. Sic probè D. Th. *3 part quæſt. 1. art. 3. in addit.*

Dico tertiò, licèt actus attritionis eſſentialiter in entitate ſua talis non poſſit fieri contritio, tum propter rationes allatas *aſſertione præcedenti:* tum, quia ſicut vna qualitas in naturalibus non poteſt mutare ſuam ſpeciem eſſentialiter, & tranſire in aliam eadem numero manens; eſt enim aperta repugnantia, cùm ablata eſſentia omnino deſtruatur res. ergo ſimiliter attritio, cùm ſpecie diſtinguatur à contritione, eadem numero manens nequit fieri contritio. Tamen attritio poteſt extrinſecè participare honeſtatem contritionis per relationem extrinſecam. quia poteſt quis ex intentione ſatisfaciendi Deo pro culpa commiſſa imperare ſibi deteſtationem, vel dolorem propter pœnas inferni, aut ex odio offenſæ diuinæ, vt ſic imperare ſibi deteſtationem, ſeu odium ipſius malitiæ peccati propter turpitudinem eius. ergo tunc attritio ex iſta relatione extrinſeca participabit honeſtatem, & denominationem quandam extrinſecam contritionis. Sicuti actus temperantiæ imperatus à charitate non dicitur ſimpliciter, & intrinſecè fieri actus charitatis, ſed cum addito actus imperatus à charitate; ſic in propoſito ſolùm diceretur attritio imperari à contritione, & ſecundùm quandam participationem accidentaliter honeſtatem contritionis participare. Sic benè notauit Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 5. ſect. 3. num. 14.*

Dvbitatio III.

IV. *An attritio continuata in homine iuſtificato per actum charitatis poſſit fieri contritio?*

Dico quartò, dolor, qui eſſentialiter eſt attritio, licèt continuetur in homine iuſtificato, & per actum charitatis ordinetur in ipſum Deum, adhuc talis dolor non eſt contritio; quia ad rationem contritionis requiritur quòd ſit actus & dolor, ex natura ſua ordinabilis in Deum ſummè dilectum, in quantum Deus eſt auctor gratiæ; ſed dolor, qui eſt attritio, non eſt ordinabilis in Deum ſummè dilectum ex natura ſua, ſed communi ratione ſicut alij actus naturales, etiam ſupernaturales. ergo dolor, qui eſt attritio, licèt continuetur in homine iuſtificato, & per actum charitatis ordinetur in ipſum Deum, non eſt intrinſecè, & eſſentialiter contritio, licèt tunc ſecundùm quandam participationem accidentaliter, & extrinſecè honeſtatem contritionis participet. Ita rectè Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 1. art. 3. dub. 1. ſolutione ad ſecundum.*

Dvbitatio IV.

V. *Quomodo homo vi ſacramenti fiat ex attrito contritus?*

Dico quintò, homo vi ſacramenti nouæ legis dicitur fieri ex attrito contritus, non quia actualiter attritio vi ſacramenti fiat contritio; ſed quia talis homo habitualiter tunc remanet contritus. quia recipiens Sacramentum cum ſola attritione in habitu manet contritus. nam ſimul cum gratia recipit habitum pœnitentiæ, quæ eſt forma ſufficiens, ad ſic denominandum, licèt nunquam talis homo habuerit contritionem ſimpliciter, & actualiter. Sic benè Nugnus nouiſſimè relatus *ſolutione ad tertium.* Vaſquez *tom. 4. in 3. part. quæſt. 92 art. 1. dub. 2. num. 5.*

VI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicatur hac poſtrema aſſertio.*

Et per hæc patet ad rationem in contrarium, & quando arguitur. nam impoſſibile eſt, quòd homo dicatur contritus ſine contritione. Reſpondetur diſtinguendo actualiter, & formaliter concedo, habitualiter tantummodo negatur. & ſic homo accedens, e.g. ad ſacramentum Pœnitentiæ cum ſola attritione diſpoſitus dicitur fieri ex attrito contritus habitualiter, non autem actualiter. quia vi ſacramenti datur ei gratia, & conſequenter habitus pœnitentiæ, à qua habitualiter dici poteſt contritus. Videantur Nugnus, & Vaſquez cit.

Articvlvs XXI.

An poſſit homo iuſtificari abſque vllo contritionis actu?

Svmmarivm.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur, quid ſit actus contritionis actualis, quidve virtualis.*
3. *Quidnam ſit peccatum actuale, & quid habituale.*
4. *Quid homo amittat per peccatum, explicatur, & quid ſit macula, quæ remanet in anima tranſacto actu peccati.*

1. Titulo

5. *Titulo dubitationis reſpondetur.*
6. *An poſſit homo iuſtificari abſque actu contritionis, de potentia Dei abſoluta.*
7. *An macula, quæ in peccatore remanet tranſacto actu peccati, ſit tantum obligatio, vel reatus ad pœnam.*
8. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, quónam modo in Baptiſmo remittantur peccata tam originale, quàm actuale.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NOn enim eſt minor virtus Dei eirca adultos, quàm eirea pueros: ſed pueris Deus dimittit peccata ſine vllo contritionis actu. ergo etiam & adultis.

Dubitatio I.

II. *Quid ſit actus contritionis actualis, quídve virtualis?*

Dieo primò, actus contritionis eſt duplex, alius formalis, & actualis; alius verò virtualis. Actus contritionis, ſeu pœnitentia actualis, & formalis eſt quotieſcumque homo habet verum, & actualem dolorem, & diſplicentiam de peceatis commiſſis. Contritio verò, dolor, ſeu diſplicentia virtualis eſt formaliter alius actus à contritione formali, & eſt dilectio Dei ſuper omnia tantæ virtutis, & vis, vt ex ea nata ſit ſequi diſplicentia actualis peccatorum, ſi tunc venirent in mentem, & ſic actus dilectionis Dei ſuper omnia ex charitate procedens dicitur contritio, diſplicentia, & dolor peccatorum, virtualis tamen, & implicitus. Videatur Caietanus 3. *part. queſt.* 87. *art.* 1. §. *Ad horum euidentiam.*

Dubitatio II.

III. *Quidnam ſit peccatum actuale, & quid habituale?*

Dieo ſecundò, peccatum eſt duplex. Vnum dicitur actuale, quia conſiſtit in aliquo actu; alterum dicitur habituale, quia habitualiter perſeuerat, donec ſufficienter retractetur. Peceatum actuale eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam: ita D. Thom. 1. 2. *queſt.* 71. *art.* 6. Hæc diffinitio competit peccato actuali ſi ſumatur materialiter: formaliter verò peccatum actuale eſt priuatio debitæ rectitudinis: quia ſicut actus formaliter eſt bonus, quando eſt conformis rationi, ſuámque debitam rectitudinem habet; ita formaliter eſt malus, quando eſt contra rectam rationem, & debita caret rectitudine, conſequenter ratio formalis peccati conſiſtere videtur in priuatione debitæ rectitudinis; oppoſitorum enim eſt par ratio. Peccatum verò habituale eſt quædam macula, quam poſt ſe relinquit peccatum actuale. Probatur ex illo Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris.* Sed mundari, ablui, & lauari ſupponit maculam. ergo, &c. Macula, quæ remanet, tranſacto actu peccati, eſt priuatio nitoris animæ. quia ſicut gratia, & rectus ordo rationis metaphoricè dicitur nitor, & pulchritudo animæ: ſic priuatio recti ordinis rationis, & gratiæ quam homo incurrit propter peccatum, metaphoricè dicitur macula animæ. Hæc autem macula permanet in homine, donec peccatum præteritum non fuerit per pœnitentiam retractatum, & deletum. Videatur pro hoc D. Thom. 1. 2. *queſt.* 86. *art.* 1. & 2. Sotus *in* 4. *diſt.* 15. *queſt.* 1. *art.* 2. *non longè à fine, fol.* 750. *col.* 1. *mihi.* vbi rectè aſſerit, aliud eſt peccare, aliud eſſe in peccato. Peccare enim eſt actus contrarius charitati: eſſe verò in peccato eſt eſſe in macula. quæ nihil aliud eſt, quàm carentia gratiæ, quæ eſt lux, & nitor animæ. Ad maiorem huius rei intelligentiam,

Dubitatio III.

IV. *Quid homo amittat per peccatum, & quid ſit macula, quæ remanet in anima tranſacto peccati actu?*

Dico tertiò, in anima hominis duplex nitor, & pulchritudo reperitur. Vna quidem ex refulgentia luminis rationis naturalis, per quam homo in ſuis actionibus dirigitur. Alia ex refulgentia diuini luminis, ſcilicet gratiæ, per quam homo perficitur ad bene agendum. Per peceatum autem homo priuatur nitore recti ordinis rationis, & pulchritudine gratiæ. quia peccans mortaliter per inordinatum amorem adhærendo creaturis inordinatè conuertendo ſe ad ipſas, & auertendo ſe à Deo, peruertit rectum ordinem rationis, & inimicus Dei conſtitutus, amittit diuinam gratiam, & ſic maculatus dicitur in anima. nam ſicut in corporalibus (in quibus propriè eſt macula) quando aliquod corpus nitidum perdit ſuum nitorem, dicitur maculatum; ita anima amittendo per peccatum rectũ ordinem rationis, qui eſt eius nitor, & gratiam, quæ eſt eiuſdem pulchritudo auertendo ſe à Deo maculatur. Sic benè explicauit Sayr. *lib.* 2. *Clauis Regiæ, c.* 13 *n.* 4.

Dieo quartò, hæc macula, quę tranſacto actu peccati remanet in anima, non eſt aliquid poſitiuè in anima, ſecundùm D. Th. 1. 2. *q.* 86. *art.* 1. *ad* 3. Non tamen eſt ſola, & pura priuatio; ſed priuatio nitoris animæ in ordine ad cauſam, id eſt, peccatum, à quo cauſatur, & ideo diuerſa peccata diuerſas maculas inducunt. quia ſicut vmbra, quæ eſt priuatio luminis formaliter ſumpta per reſpectum ad lumen non ſuſcipit magis, & minus; ſed per reſpectum ad corpus, ex cuius interpoſitione inter lumen Solis, & terram cauſatur, ſuſcipit diuerſitatem; diuerſa enim corpora vt obiecta diuerſas cauſant vmbras; ita etiam licèt maculæ non ſint diuerſæ, quatenus denotant priuationes gratię ex actu peccati interpoſito, attamen ſecundùm peccatorum diuerſitatem, à quibus cauſantur, maiores, & minores maculæ ſunt. Ita egregiè D. Thom. nupertimè relatus *ad tertium argumentum.*

V. *Titulo dubitationis reſpondetur.*

Dieo quintò, contritio propriè accepta in lege noua, non eſt neceſſaria ſimpliciter neceſſitate medij ad iuſtificationem. quia ſola attritio cum ſacramento ſufficit, vt habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 4. extra verò ſacramentum in omni ſtatu contritio formalis, vel virtualis de potentia Dei ordinaria neceſſariò requiritur vt homo adultus iuſtificetur. Probatur, quia ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *c.* 6. & 7. requirit diſpoſitionem in homine adulto ad remiſſionem peccatorum obtinendam: ſed hæc diſpoſitio, vel eſt contritio actualis, vel dilectio Dei ſuper omnia; ergo de potentia ordinaria. Videatur D. Thom. 3. *part. queſt.* 86. *art.* 2. Nugnus *ibi dub.* 2.

Dubitatio IV.

VI. *An poſſit homo iuſtificari abſque actu contritionis de potentia Dei abſoluta?*

Dieo ſextò, de potentia Dei abſoluta poteſt homo adultus iuſtificari à peccato mortali abſque vlla pœnitentia,

pœnitentia, contritione ſcilicet actuali, vel virtuali; modò ceſſet actus peccati. Probatur, quia non implicat Deum infundere gratiam, & per illam delere peccatum ſine alia diſpoſitione. ergo de potentia Dei abſoluta, &c. Tum, quia nulla eſt implicatio in hoc quòd Deus infundat peccatori dormienti habitum gratiæ, & conſequenter habitum charitatis, & pœnitentiæ; ſed tunc manet omninò remiſſum peccatum, ſiquidem cum his habitibus eſſe non poteſt. ergo, &c. Caiet. 3. *part. quaſt. 86. art. 2. §. in eod. art.* Nugnus *vbi ſuprà, dub. 2. concl. 1. fol. 73. col. 2.*

Dico ſeptimò, non ceſſante vero actu peccati implicat hominem iuſtificari. Probatur. nam peccatum actuale actualiter perſeuerans eſt forma, ſeu principium, quo homo eſt, & denominatur peccator, & iniuſtus; ergo perſeuerante actualiter actu peccati, impoſſibile eſt hominem non denominari peccatorem, & iniuſtum, ſed implicat hominem eſſe ſimul iuſtum, & iniuſtum. ergo implicabit etiam hominem iuſtificari actu peccati actualiter perſeuerante. ita bene notauit Bonacina *tom. 1. tract. de Sacramentis, diſp. 5. quaſt. 5. ſect. 1. puncto 9. propoſitione 2.*

Dico octauò, licèt poſſit Deus abſoluta ſua potentia remittere peccatum ſine omni pœnitentia, & ſine infuſione gratiæ diuiſiuè, non tamen complexiuè, id eſt, poteſt Deus remittere peccatum infundendo gratiam ſine omni actu pœnitentiæ, etiam poteſt remittere peccatum per actum pœnitentiæ, etiamſi non infundat gratiam, non tamen poteſt remittere ſine omnibus iſtis. Probatur, quia peccatum includit priuationem ſanctitatis, & nitoris animæ, ſed priuatio non poteſt auferri niſi per formam aliquam poſitiuam. ergo licèt Deus poſſit remittere peccatum diuiſiuè ſine omni pœnitentia, vel ſine infuſione gratiæ, non tamen ſine omnibus iſtis complexiuè. ergo peccatum neceſſe eſt quòd remittatur vel dum homo conuertit ſe in Deum per contritionem, vel per infuſionem gratiæ, qua homo habitualiter conuerſus remanet in Deum. Videatur pro hac aſſertione Caiet. 1. 2. *quaſt. 113. art. 2. §. in eodem 2. art.* Bonacina & Nugnus *loc. cit.*

Dvbitatio V.

VII. ***An macula, quæ in peccatore remanet, tranſacto actu peccati ſit tantùm obligatio, vel reatus ad pœnam?***

Dico nonò, ex dictis, præſertim *aſſertione* 3. *&* 4. colligitur falſum eſſe ſecundùm opinionem aliquorum DD. aſſerere maculam poſt commiſſum peccatum, ex qua peccator quis dicitur; & in peccato manere nil aliud eſſe, quàm obligationem, ſeu reatum ad pœnam, itaut ex actu peccati præterito per pœnitentiam non retractato, homo denominatione extrinſeca ſolùm dicatur peccator; quia dignus remanet pœna æterna, ſi peccatum commiſſum fuit mortale; vel temporali, ſi fuit veniale. Retractato autem peccato, inquiunt hi Doctores, homo nec manet pollutus ſorde peccati, nec dignus pœna æterna, vel tota temporali, qua antea dignus erat, & ita in iſtorum ſententia poſt culpam commiſſam, macula peccati nihil aliud eſt, quàm reatus ad pœnam, & peccatum per pœnitentiam deleri nihil aliud eſt, quàm non imputari ad pœnam. deletur igitur per pœnitentiam quod attinet ad reatum pœnæ, non quod attinet ad culpam, quæ tranſit. hoc, inquam, aſſerere falſum eſt. quia ex hoc ſequeretur quòd in iuſtificatione impij non verè remittatur peccatum, ſed ſola obligatio ad pœnam, contra definitionem Concilij Tridentini *ſeſſ. 5. decreto de peccato originali, cap. 5.* quia iuxta illam ſententiam in peccatore tantùm remanet obligatio ad pœnam. Ita benè obſeruauit Nugnus *tom. 2. in 3. part. quaſt. 86. art. 2. dub. 2. poſt ſolutionem ad* 12. *argumentum, fol. 75. col. 2. mihi.* Videatur etiam Caiet. nuperrimè relatus contra Scotum *in 4. diſt. 14. q. 1.*

VIII. ***Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur***

Dvbitatio VI.

Quónam modo in Baptiſmo remittantur peccata tam originale, quàm actuale?

Ad rationem in contrarium, quæ directè militat contra quintã aſſertionem, reſpõdetur quòd in pueris non eſt niſi peccatum originale, quod non conſiſtit in actuali deordinatione voluntatis, ſed in quadam habituali deordinatione naturæ, & ideo remittitur eis peccatum cum habituali immutatione per infuſionem gratiæ, & virtutum, non autem cum actuali; ſed adulto, in quo ſunt actualia peccata, quæ conſiſtunt de deordinatione actuali voluntatis, non remittuntur peccata etiam in Baptiſmo ſine actuali immutatione voluntatis, quod fit per pœnitentiam actualem, & formalem, vel virtualem. ita egregiè D. Thom. 3. *part. quaſt. 86. art. 2. ad primum.*

Articvlvs XXII.

Vtrùm oporteat confeſſionem eſſe integram?

Svmmarivm.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur duplex integritas confeſſionis.*
3. *Explicatur quomodo in ſacramentis alia ſint neceſſaria neceſſitate præcepti, & alia neceſſitate ſacramenti.*
4. *Quótnam modis poſſit confeſſio non eſſe integra.*
5. *Veritas aperitur, & explicatur, an ſit de fide quòd integritas moralis ſit neceſſaria neceſſitate diuini præcepti, in hoc ſacramento.*
6. *An neſcientes grauitatem alicuius criminis, ſi id in confeſſione non explicent, teneantur poſtea, certiores facti de illius grauitate, reiterare confeſſionem.*
7. *An ſit contra integritatem confeſſionis, ex induſtria confiteri vni Confeſſario peccata mortalia, & alteri venialia.*
8. *An quando pœnitenti in confeſſione non occurrit certus numerus peccatorum, cuius poſtea recordatur, teneatur pœnitens in alia confeſſione hunc determinatum numerum explicare.*
9. *An miniſtrans ſacramentum Euchariſtiæ, vel audiens confeſſiones in peccato mortali, teneatur numerum perſonarum quas communicauit, vel confeſſus eſt, explicare in ſua confeſſione.*
10. *An omittentes diuinum Officium, teneantur in confeſſione dicere numerum horarum quas reliquerunt.*
11. *An impotens recitare maiorem diuini Officij partem, teneatur ad minorem: vel valens recitare maiorem, vel æqualem, ad hanc teneatur, licèt non poſſit minorem.*
12. *An fornicator teneatur in confeſſione explicare actus antecedentes, vel ſubſequentes fornicationem.*

13. *An*

13. *An habens propoſitum committendi peccata venialia quotquot ſe obtulerint, peccet mortaliter.*
14. *An mulier parata ad peccandum teneatur in confeſſione numerum perſonarum cum quibus deliquit aperire.*
15. *An committens plura adulteria cum vna fœmina, vel cum pluribus, teneatur in confeſſione explicare, ſe peccaſſe cum vna, vel cum pluribus.*
16. *An maritus peccet lethaliter peccato ſodomiæ, ſi antequam ſeminet in vaſe naturali, membrum virile immittat in vaſe prapoſtero, abſque animo committendi peccatum ſodomiæ? Et an peccet, cogitando de alijs fœminis in actu coniugali.*
17. *An vno ictu occidens plures, vel vno actu furans à pluribus, teneatur numerum perſonarum in confeſſione aperire.*
18. *An qui per multum temporis fœminam aliquam dilexit carnaliter, teneatur numerum delectationis moroſæ in confeſſione aperire.*
19. *Quidnam requiratur ad multiplicationem numericam peccatorum.*
20. *An intendens occidere inimicum, replicando hanc intentionem, committat plura peccata.*
21. *An detinens aliena, teneatur in confeſſione explicare numerum volitionum habitarum non reſtituendi.*
22. *An inualidè confiteatur qui maiorem numerum peccatorum mortalium, quàm reuera commiſerit, exprimit in confeſſione.*
23. *An pœnitens interrogatus à Confeſſario de peccato ritè confeſſo poſſit negare illud commiſiſſe.*
24. *An bona fide exprimens in confeſſione plura peccata quàm fecerit, inualidè confiteantur.*
25. *An infligens alteri vulnus, ſi ſtatim confiteatur, teneatur poſtea confiteri de morte ſequuta.*
26. *An adulter, qui confeſſus eſt adulterium, poſt euentum adulterinæ prolis inde genitæ, confiteri teneatur de prole.*
27. *An petens corpus à fœmina ad fornicandum parata, vltra fornicationis peccatum, peccatum inductionis, teneatur confiteri? & idem inquiritur de fœmina, inuitante hominem paratum ad peccandum.*
28. *An qui in confeſſionibus particularibus ritè confeſſus eſt, faciens poſtea confeſſionem generalem, teneatur omnia mortalia iterum ſingillatim explicare.*
29. *Quid ſit beſtialitas; & an committens peccatum beſtialitatis, teneatur in confeſſione explicare belluam, cum qua peccauit? Idem inquiritur ſi peccauit cum Dæmone.*
30. *An exponens ſe periculo peccandi teneatur confiteri ſpeciem illius peccati.*
31. *An diuinans teneatur in confeſſione exprimere ſpeciem rei, per quam diuinauit.*
32. *An ſimiliter cadens in hæreſim teneatur in confeſſione exprimere hæreſim, in quam lapſus eſt.*
33. *An qui gloriatur de peccatis commiſſis teneatur exprimere ſpeciem peccatorum, de quibus gloriatus fuit.*
34. *An qui gloriatur de aliquo peccato ad oſtentandam tantum ſuam dexteritatem qua illud commiſit, peccet mortaliter.*
35. *An qui ſe laudat de peccato mortali commiſſo aliqua delectatione moroſa committat duo peccata mortalia.*
36. *An laudans alium de peccato mortali peccet mortaliter.*
37. *An relinquens ex inaduertentia circunſtantiam aliquam neceſſariò explicandam in confeſſione, teneatur illius ſpeciem exprimere.*
38. *An omnia peccata mortalia quoad ſpecies morales, & quoad numerum ſint in confeſſione explicanda.*
39. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur magis quanam integritas in confeſſione requiratur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm infirmus, qui non poteſt exprimere niſi vnum peccatum, verè abſoluitur ab illo, & ab omnibus aliis; ſimiliter quando vrget periculum amiſſionis famæ alterius tertiæ perſonæ ex manifeſtatione in confeſſione alicuius peccati, poteſt pœnitens illud tacere. ergo non eſt de neceſſitate confeſſionis vt ſit integra. In hoc dubio fuit error Lutheri aſſerentis, quòd licèt confeſſio ſit vtilis, tamen non oportet quòd ſit de omnibus peccatis; circunſtantias verò peccatorum dixit nullo modo eſſe de neceſſitate, & integritate confeſſionis, de quo errore videatur Bellarminus *lib. 3. de pœnitentia, cap. 1.*

II. *Explicatur duplex integritas confeſſionis.*

Dico primò, duplicem eſſe confeſſionis integritatem; alteram Mathematicam, alteram verò moralem. Integritas Mathematica eſt quando homo confitetur aliqua peccata mortalia, nulla via relinquendo aliquod peccatum mortale, neque ſcienter, neque ex ignorantia, neque ex rationabili cauſa, neque etiam ſine cauſa. Integritas verò moralis illa eſt, quæ poteſt haberi modo humano; quando ſcilicet facta ſufficienti diligentia confitetur homo omnia peccata mortalia, quæ memoriæ occurrunt, attendendo ſimul ad alias circunſtantias, quæ occurrunt, vt ſcilicet non ſe conſtituat homo in notabili periculo mortis, vel infamiæ, non faciat iniuriam tertiæ perſonæ. Sic Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. quæſt. 9. art. 2. dub. 1. §. Pro explicatione.*

DVBITATIO I.

III. *Quomodo in ſacramentis alia ſint neceſſaria neceſſitate præcepti, & alia neceſſitate ſacramenti?*

Dico ſecundò, in ſacramentis conficiendis quædam ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, quædam verò neceſſitate ſacramenti. Illa ſunt neceſſaria primo modo, quæ poſita ſunt in præcepto aliquando diuino, aliquando Eccleſiaſtico, poteſt nihilominus fieri ſacramentum ſine illis. Illa autem ſunt neceſſaria ſecundo modo, ſine quibus non fit ſacramentum. Vnde ſequitur in ſacramentis omnia, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate ſacramenti, eſſe ſimul neceſſaria neceſſitate præcepti diuini, licèt non è contra.

DVBITATIO II.

IV. *Quótnam modis poſſit confeſſio non eſſe integra?*

Dico tertiò, dupliciter contingere poteſt confeſſionem non eſſe integram. Primò per ſe, formaliter, & culpabiliter, vt quando ex voluntate pœnitentis, & abſque rationabili cauſa dimidiatur. Secundò contingit confeſſionem non eſſe integram per accidens materialiter, & inculpabiliter, & tunc eſt quando non volontariè dimidiatur, puta, quia per obliuionem, vel inaduertentiam naturalem, & inculpabilem relinquitur aliqood peccatum, quod neceſſariò fuiſſet confitendum, & confeſſio ſic non integra valet: ſecus autem primo modo; quia tunc ex intentione,

intentione, ſeu voluntariè dimidiatur. Sic Caiet. *verb. confeſſio, conditione decima.*

V. *Veritas aperitur, & explicatur*

Dvbitatio III.

An ſit de fide quòd integritas moralis ſit neceſſaria neceſſitate diuini præcepti in hoc ſacramento?

Dico quartò, integritas mathematica in hoc ſacramento Confeſſionis non eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti. Probatur, quia Eccleſia multoties determinat quòd pœnitens etiam ſcienter non confiteatur omnia peccata mortalia. ergo ſignum eſt integritatem mathematicam omnium peccatorum non eſſe de neceſſitate ſacramenti, quia Eccleſia non poteſt diſpenſare in eo quod eſt de neceſſitate ſacramenti. Antecedens autem probatur, quia in Eccleſia eſt conſuetudo, vt ſuperior tantùm audiat peccata reſeruata, & abſoluat de illis; pro aliis verò remittat pœnitentem ad inferiorem Confeſſarium. ergo, &c. hæc aſſertio colligitur apertè ex doctrina D. Th. *3. part quæſt. 9. art. 2. ſolutione ad tertium.*

Dico quintò, fides eſt, itaut oppoſitum ſit hæreſis manifeſta, integritatem moralem eſſe neceſſariam in hoc ſacramento neceſſitate diuini præcepti; itaque hæreſis eſt aſſerere quòd ſit licitum ſcienter aliquod peccatum mortale omittere ſine rationabili cauſa. Ita expreſsè definitur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *canon.* 7. Si quis dixerit in ſacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure diuino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habetur etiam occulta, anathema ſit. quod antea docuerat D. Thom. nuperrimè relatus ſolutione ad ſecundum, vbi ioquit non eſſe confeſſionem, ſed confeſſionis ſimulationem, niſi quis de omnibus quæ memoriæ occurrerint, confiteatur.

Dvbitatio IV.

VI. *An neſcientes grauitatem alicuius criminis, ſi id in confeſſione non explicent, teneantur poſtea certiores facti de illius grauitate, reiterare confeſſionem?*

Dico ſextò, conſequenter ad tertiam aſſertionem. Pueri, & puellæ grandiores facti nouiter cognoſcentes eſſe mortale, quod aliàs ſcienter omiſerunt confiteri ex neſcientia grauitatis eius, non tenentur reiterare confeſſiones. quia per accidens, materialiter, & inculpabiliter fuerunt dimidiatæ, & non integræ, non autem per ſe, formaliter, & culpabiliter. Syl. *confeſſ.* 1. *q.* 3. *n.* 6. Nauarr. *ſumma c.* 9. *n.* 12.

Dico ſeptimò, quando pœnitens interrogatus à Confeſſario de numero peccatorum, ſi reſpondet, quòd non eſt ſolitus culparum numerum explicare; ſi talis pœnitens eſt rudis, & vulgaris homo de media plebe, neque de induſtria omiſit numerum peccatorum in confeſſione propalare, non eſt cogendus reiterare confeſſiones. quia per accidens ex ignorantia inuincibili eſſent tunc illæ præteritæ cõfeſſiones dimidiatæ. quia ignorantia in his, quæ aliquid difficultatis habet, excuſat. nec enim ſimplices poſſunt ſubtilitates omnes, etiamſi ſint fidei, intelligere. tota tunc culpa in Confeſſores eſt reiicienda, qui cùm audiunt pœnitentem accuſantem ſe de aliquo commiſſo ſcelere, non ab eo poſtulant quot vicibus illud perpetrauit: ſufficeret tunc quòd talis pœnitens ſe accuſaret de hac negligentia, & explicaret vices, quibus ſic confeſſus eſt. Item & numerum, quo illa peccata commiſit, quorum numerum omiſit explicare. quòd ſi talis pœnitens eſſet Clericus, aut ſcholaſticus, aut vir perſpicacis ingenij, & inter peritos conuerſatus, cogendus eſſet ad confeſſiones repetendas. quia in iſto non eſſet credibilis ignorantia inuincibilis, ſed ſatis craſſa, & vincibilis. Videatur Lopez noſter *1. part. inſtruct. cap.* 28. *fol.* 101. *mihi, col.* 1. *§. Diſtingo.* Lodouicus Beja 1. *part. Reſp. caſuum, caſu* 9. Idem tenet Nauarr. *tom.* 2. *conſil. lib.* 5. *de pœnitentia & remiſſione, conſil.* 32.

Dvbitatio V.

VII. *An ſit contra integritatem confeſſionis, confiteri ex induſtria, vni Confeſſario peccata mortalia, & alteri venialia?*

Dico octauò, non eſt contra integritatem confeſſionis, ſi quis habens peccata lethalia, & venialia, mortalia confitetur Confeſſario à quo non dignoſcitur; venialia verò, leuia, & communia Confeſſario ordinario, vt peccata grauia, & lethalia ignoret: quia nullum eſt præceptum quòd venialia, & mortalia vni, & eidem Confeſſario confiteamur. Sufficit enim ad integritatem confeſſionis quòd vni Confeſſario omnia mortalia confiteamur, quæ ſunt materia neceſſaria; venialia verò cùm ſint materia tantùm ſufficiens, alteri, ſi velimus, confiteamur. Nullum enim eſt peccatum ſic procedere, niſi fortè propter hoc talis pœnitens exponatur periculo grauiter iterum peccandi; vt bene aduertit Nugnus noſter *tom.* 2. *in* 3. *part. q.* 9. *art.* 2. *difficult. vnica poſt dubium primum, poſt ſolutionem ad octauum argumentum, verſ. Sed tamen noſtra ſolutio, medio, fol.* 315. *col.* 1.

Vnde nimis rigoroſè loquitur Syluester *confeſſ.* 1. *num.* 8. *quæſt.* 6. aſſerens quòd licèt hoc non ſit immediatè contra integritatem confeſſionis, eſt tamen peccatum mortale hypocriſis, & mendacij. quia, inquit, decipit Confeſſorem ordinarium; eſt enim hæc opinio nimis rigoroſa, & fundamentum eius non videtur ſubſiſtere: quia Confeſſarius ordinarius præſumere non debet, quòd talis pœnitens nunquam alteri confiteatur, cùm liberè poſſit vnicuique Confeſſario, ſi voluerit, confiteri. Videatur Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 21. *ſect.* 1. *num.* 12. *&* 13.

Dvbitatio VI.

VIII. *An quando pœnitenti in confeſſione non occurrit certus numerus peccatorum, cuius poſtea recordatur, teneatur pœnitens in alia confeſſione hunc determinatum numerum explicare?*

Dico nonò, licèt quando certus eſt numerus peccatorum, pro integritate confeſſionis debeat totus ille manifeſtari in confeſſione, tamen quando facta ſufficienti diligentia non occurrit numerus omnino certus, ſufficit explicare numerum illum, qui plus, minúſue parum diſtare videtur à numero certo. Vt dicendo, peccaui decies plus, vel minus peccato odij, vel alterius ſpeciei. quòd ſi poſtea facta confeſſione recordetur ſe bis, vel ter ſupra decies peccaſſe peccato odij, vel alterius ſpeciei in confeſſione expreſsè, non tenetur iterum confiteri ſe bis peccaſſe peccato odij, vel alterius ſpeciei. quia eo ipſo, quo in prima confeſſione expreſſit ſe decies plus, vel minus peccato odij peccaſſe,

peccaſſe, ſatis indicauit ſe duodecies peccaſſe. Sic rectè notauit Lopez noſter 1. *part. inſtruct. cap.* 31. *in princip. verſ Sed ſtatim conſurgit dubium.*

Dico decimò, ſecus autem dicendum eſt in iſto caſu, ſi poſtea pœnitens recordetur numeri notabiliter maioris, vt ſi confeſſus ſit ſe decies plus, vel minus peccato fornicationis peccaſſe, & poſtea recordatur ſe vigeſies, aut quindecim vicibus peccaſſe; nam tunc tenetur in alia confeſſione explicare numerum, cuius oblitus erat in prima confeſſione. quia numerus quinquenarius, vel denarius ſupra numerum in confeſſione explicatum, eſt numerus notabiliter maior, conſequenter non cenſetur ſufficienter explicatus in prima confeſſione. Lopez nuperrimè adductus, quem ſequitur Bonacina *tom.* 1. *tract. de Sacramentis, diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *puncto* 2. §. 3. *diffic.* 2. *n.* 6. *fol.* 177. *col.* 2. *mihi.*

Dixi vndecimò, qui confeſſus eſt numerum certum, & determinatum, non dicendo plus, vel minus, vt ſi dixit ſe decies ſurripuiſſe bona aliena, & poſtea facta confeſſione cognoſcit ſe duodecies furatum, tenetur in ſequenti confeſſione fateri duplex peccatum furti prætermiſſum in antecedente confeſſione. quia illa duo peccata furti, neque explicitè, neque implicitè in priori confeſſione fuerunt expreſſa. ergo in ſequenti erunt explicanda. Videatur Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 22. *ſect.* 5. *n.* 38. Bonacina *vbi ſuprà, n.* 9.

Dvbitatio VII.

IX. *An miniſtrans ſacramentum Euchariſtiæ, vel audiens confeſſiones in peccato mortali, teneatur numerum perſonarum quas communicauit, vel confeſſus eſt in ſua confeſſione explicare?*

Dico duodecimò, qui cum peccati mortalis conſcientia plures ſucceſſiuè communicauit, aut plurium confeſſiones excepit, tenetur in confeſſione numerum perſonarum, ſeu actuum, quantum poteſt explicare. quia tot ſunt numero peccata, quot ſunt actus, quando actio verſatur circa terminum definitum, & in eo conſummatur, & finitur. Sed actus communicandi, vel excipiendi confeſſiones habet ſuum terminum definitum, in quo perficitur & completur. ergo, &c. Ita bene innuit Syl. *verb. Clericus* 2. *num.* 2. *ad finem.* Azor. 1. *p. inſt. mor. lib.* 4. *c.* 4. *q.* 6. contra Henriq. *lib.* 5 *de pænitentia, c.* 5. *n.* 6. aſſerentem Sacerdotem ſic plures ſucceſſiuè communicantem vnicum tantùm committere peccatum; ſicut qui omittit vno die ſeptem horas canonicas; quia ſeptem preces horariæ ſunt vnius diei oratio; quod docet etiam Nauarr. *tract. de oratione, cap.* 7. *num.* 6. Sed noſtra aſſertio probabilior eſt; vnde ſit dictum 15.

Dvbitatio VIII.

X. *An omittentes diuinum Officium, teneantur in confeſſione dicere numerum horarum quas reliquerunt?*

Dico decimotertiò, qui tenentur recitare canonicas horas in confeſſione, ſi non ſoluunt penſum diuini Officij, tenentur exprimere quot horas omiſerint. nam ſingulæ horæ ſunt diſtinctæ orationes, diſtincta officia diſtinctis temporibus Deo ſoluenda, ad quorum ſingula obligamur ſub peccato mortali. ergo ſingulorum omiſſio eſt peccatum mortale. ergo in confeſſione explicandum eſt quot horæ ſint omiſſæ. Tabien. *verb. Hora quæſt.* 18. quem ſequitur Leſſ. *lib.* 2. *de iuſt. cap.* 37. *dub.* 9. *num.* 53.

Dvbitatio IX.

XI. *An impotens recitare maiorem diuini Officij partem, teneatur ad minorem: vel valens recitare maiorem, vel æqualem, ad hanc teneatur, licèt non poſſit minorem?*

Dico decimoquartò, infirmus impotens recitare ſingulis diebus totum diuinum Officium, qui aliàs tenetur ad hoc penſum perſoluendum, vel ratione beneficij, vel quia eſt inſignitus Ordinibus ſacris, ſi tamen ſit potens vnam, aut alteram horam commodè recitare; ſi talem horam prætermittit recitare, tenetur in confeſſione ſe accuſare de tali omiſſione. quia quando præceptum eſt de re diuidua, & pars commodè poteſt impleri, in qua ſaluatur ratio præcepti, tunc tenemur ad partem, etiamſi ad totum ſit impotentia; ſed obligatio, & præceptum recitandi horas precarias, eſt diuidua, cuius pars, puta vna hora, aut altera eſt integra præcepti materia. ergo infirmus impotens ad totum penſum diuini Officij perſoluendum, ſi valet vnam, aut alteram horam ſingulis diebus recitare, ad illam recitandam tenebitur, & illam omittens peccat lethaliter; ſicuti potens totum Officium, ſi omittit vnam, aut alteram horam, mortale committit peccatum. ergo tenetur. Hæc aſſertio colligitur ex Sanchez *lib.* 1. *in præcepta Decalogi, cap.* 19 *num* 9. quam antea docuit noſter Petrus de Ledeſma 2. *tom. ſummæ tract.* 9. *cap.* 4. *fol.* 1056. *difficult.* 3. inquiens infirmum ad eam partem diuini Officij recitandam teneri, quam commodè poteſt.

Dico decimoquintò, ſatis etiam probabiliter dici poteſt impotentem ad maiorem diuini Officij partem, non teneri ad minorem. Potentem verò ad maiorem partem ad eam teneri, vel ſi ſit potens ad æqualem partem, ad eam teneri, quamuis à minori, vel æquali parte perſoluenda excuſetur ratione impotentiæ. quia in iure id regulare eſt, vt maior pars ad ſe minorem trahat, *cap.* 1. *de his, quæ fiunt à maiori.* ergo impotens ad maiorem excuſatur etiam à minori, ad quam eſt potens. Ita Nauarr. *cap. quando, de conſecrat. diſt.* 1. *cap.* 11. *num.* 15. quòd verò potens ad maiorem teneatur, etiamſi ſit impotens ad minorem, probatur, quia ea, quæ aliqua lege perſoluere debemus, ſi in totum præſtare non poſſumus, debemus tamen partem, quando maior pars ſolui commodè poteſt. Sic Azor. 1. *part. inſtit. mor. lib.* 10. *cap.* 13. *dub.* 4. Leſſ. *lib.* 2. *de iuſtitia, cap.* 37. *dub.* 9. *num.* 54. quòd ſi ſit potentia ad æqualem partem, tenetur illam recitare, omiſſa alia, ad quam non eſt potentia. Probatur, quia tunc non eſſet aliqua ratio, ob quam hic excuſaretur. Ita Philiarcus *de offic. Sacerd. tom.* 2. *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 1. *ad finem.*

Dvbitatio X.

XII. *An fornicator teneatur in confeſſione explicare actus antecedentes, vel ſubſequentes fornicationem?*

Dico decimoſextò, qui poſt vnam fornicationem cum amica habitam, eam vigeſies oſculatur, non ad iterandam fornicationem, ſed ad maiorem delectationem, ſemel tantùm videtur peccare quoad neceſſitatem numerum peccatorum confitendi; quia omnia illa oſcula, & etiam tactus illiciti, & verba obſcœna habita in actu fornicatio, videntur ordinari ad fornicationem iam habitam, quoniam ſunt partes

ipſius concubitus Iniṡia, vel complementa, vel caoſæ. Numero igitur nun diſtinguuntur huiuſmodi oſcula, amplexus, verba, & tactus obſcœni, & impudici, qui antecedunt, vel ſubſequuntur turpem congreſſum, niſi aliunde ſpecie differant à concubitu. Ita benè obſeruauit Nauar. *ſumm. cap. 6. num.* 17. Pœnitens igitur non tenetur in confeſſione exprimere colloquia, oſcula, & alios huiuſmodi actus antecedentes, & immediatos ad coitum. Videatur etiam idem Nauar. *tom.2.conſil.lib.5.conſil.* 7.*num.*3. Azor. *part.*1. *Inſtruct. lib.* 4. *cap.*4.*dub.* 6. contra Bonacinam *tom.*1. *tract. de ſacramentis, diſp.*5. *quæſt.*5. *sect.* 2. *punct.*2.§.3. *diſſ*c.2.*num.* 13. aſſerentem tactus, oſcula, poſt finitam copulam ſubſequuta, eſſe in confeſſione explicanda. quia, inquit, huiuſmodi actus ſubſequentes ſunt principia alterius copulæ, & alterius peccati. Sed hoc negandum eſt: ſunt enim complementum præcedentis actus principalis, vt bene DD. cit. aſſerunt, quos ſequitur Henriquez *lib.* 5. *de pœnitentia,cap.*5.*num.*5.

Dvbitatio XI.

XIII. *An habens propoſitum committendi peccata venialia, quotquot ſe obtulerint, peccet mortaliter?*

Dico decimoſeptimò. Habens vnum peccatum mortale, puta fornicationis, & propoſitum committendi omnia venialia quotquot ſe obtulerint, vt integrè confiteatur, accedens ad confeſſionem ſacramentalem vtrumque debet neceſſariò explicare. Nam habens propoſitum committendi omnia venialia quotquot ſe obtulerint, ſolaque mortalia vitandi, peccat lethaliter, quamuis contemptus deſit. quod contingit non quidem ratione obiecti præciſè ſumpti; omnia enim venialia in vnum collecta non habent in ſe, & formaliter niſi venialem malitiam; ſed quia illius propoſiti obiectum in ſe continet apertiſſimum periculum peccandi lethaliter. Tum, quia ſancti, & Doctores paſſim docent venialia diſponere ad mortale. ergo habens propoſitum nullius venialis vitandi, eſt in proximo periculo admittendi mortale. ergo cùm ad integritatem confeſſionis requiratur explanatio omnium peccatorum mortalium, ſi habens peccatum fornicationis, & propoſitum admittendi omne veniale, vt integrè confiteatur, vtrumque neceſſariò debet in confeſſione manifeſtare. Ita innuit bene Magiſter Sotus *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 2. *art.* 1. *ad* 1. vbi docet contemptum omnium venialium forſan eſſe mortale ratione periculi. Neque Sotus loquitur de contemptu formali; vnius enim venialis contemptus formalis eſt mortalis. loquitur ergo de interpretatiuo, qualis eſt dum quis ita venialia paruipendit, vt nullum vitare proponat. Videatur etiam pro hac aſſertione Sanchez *lib.*1.*oper. mor.cap.*5.*n.*4.

Dvbitatio XII.

XIV. *An mulier parata ad peccandum teneatur aperire in confeſſione numerum perſonarum cum quibus deliquit?*

Dico decimooctauò. Mulier, quæ parata fuit quemcumque ad turpitudinem admittere, ſatis eſt, quod in confeſſione dicat, Tanto tempore fui huic turpitudini expoſita. verùm ſi perſonas nouerit, quæ peccatum aggrauant, tenetur quanto melius poterit huiuſmodi explicare. Præterea tenetur explicare quàm frequentiùs in hebdomada rem habuerit, quia multum intereſt, ſi raro, vel frequentiùs exercuerit, quamuis mente ſemper fuerit parata ad quoſcumque admittendos; quia, vt inquit Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.*2. *art.*4. *concl.* 2. aliud eſt mente peccare, aliud facto, cùm in opere peccatum ſemper augeatur. Videatur etiam Conradus noſter *tom.*1. *quæſt.* 48. *in addit. & quæſt.* 62. Nauarrus *cap.*6.*num.*15.

Dvbitatio XIII.

XV. *An committens plura adulteria cum vna fœmina, vel cum pluribus, teneatur in confeſſione explicare ſe peccaſſe cum vna, vel cum pluribus?*

Dico decimonono, qui tria adulteria, vel tres fornicationes cum eadem fœmina, vel cum tribus fœminis admiſit, ſatis eſt fateri ſe tria adulteria, vel tres fornicationes, admiſiſſe; quia fornicationis, vel adulterij deformitas non habet diuerſam repugnantiam cum recta ratione, ex hoc quod ſit cum eadem fœmina, vel diuerſis, eiuſdem tamen ſtatus, & conditionis. Sed, inquies, qui decem fœminas cognoſcit, cauſa eſt, vt decem fœminæ peccent, quod locum non habet in eo, qui decies ad eandem fœminam accedit. Reſpondetur hunc eſſe cauſam vt eadem fœmina decies peccet, ſicut ille decem fœminas ad peccandum induxit. Item cùm dicimus tam grauiter peccare, qui decies cum eadem fœmina rem habet, quàm qui decies cum decem fœminis. id intelligimus locum habere ſi in cæteris ſint pares, vt ſicut decem fœminas ad libidinem hic inuitauit, ſic ille inuitat decies eandem fœminam ad luxuriæ peccatum. Id bene expreſſit Ioan. Maior. *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 4. Nauar. *ſumma, cap.* 16. *num.*5. Lopez noſter *part.*1. *Inſtruct. cap.* 27. *verſ.ex prædictis.*

Dvbitatio XIV.

XVI. *An maritus peccet lethaliter peccato ſodomiæ, ſi antequam ſeminet in vaſe naturali, membrum virile immittat in vaſe præpoſtero, abſque animo committendi peccatum ſodomiæ? &, An peccet cogitando de alijs fœminis in actu coniugali?*

Dico vigeſimò. Maritus, qui antequam in naturali ſexu ſeminet, priùs membrum virile in vaſe innaturali ad maiorem delectationem citra animum ſodomiam complendi immittit, peccat lethaliter peccato ſodomiæ inchoatæ. quia medium improportionatum, & alterius ordinis luxuriæ aſſumit ad actum coniugalem; quòd ſi vir ſuperficie duntaxat vaſis præpoſteri vxoris refricaret ſua verenda, & ceſſante omni pollutionis periculo, adhuc eſt lethale, quamuis Nauarrus *tomo* 2. *conſil. lib.* 5. *de pœnitentia, & remiſſ. conſil.*7. *num.* 2. aſſerat non teneri virum, vt integrè confiteatur, explicare circumſtantiam ſodomiæ; ſed ſufficit quòd dicat habuiſſe in actu coniugali tactus illicitos, & ſic videtur ſolam venialem culpam in eo actu agnoſcere. Nauarr. ſequitur Ouandus *in* 4. *diſt.* 31. *quæſt. vnica propoſitione* 3. ſed omnino dicendum eſt eſſe lethalem culpam ſodomiæ inchoatæ, neceſſariò explicandam in confeſſione; vt rectè obſeruauit Sanchez *lib.* 9. *de matrimonio diſput.* 17. *num.* 4. Bonacina *tomo* 1. *tract. de matrimonio, quæſt.* 4. *puncto* 11. *num.*12. *fol.*108.

Dico

Digitized by Google

Dico vigeſimoprimò, eſt culpa lethalis neceſſariò explicanda in confeſſione ſi coniux in actu coniugali delectetur in alterius viri, aut fœminæ cogitatione carnaliter dilectorum. quia eſt delectatio moroſa in obiecto lethaliter malo. Syluest. *verb. debitum, quæſt.* 2. *fine.* D. Antoninus 4. *part. tit.* 1. *cap.* 10. §. 1. quòd ſi delectatio in nulla re turpi eſſet, ſed in ſola pulchritudine viri, aut fœminæ, ac poſſet eſſe in cogitatione alicuius pulcherrimæ picturæ, & illa delectari, vt ad actum coniugalem magis excitetur, nullam cenſeo eſſe lethalem culpam; quia tunc delectatio in nullum turpe obiectum fertur, & ad honeſtum finem dirigitur. Ita Sanchez *lib.* 9. *cit. num.* 6.

Dvbitatio XV.

XVII. *An vno ictu occidens plures laicos; vel furans vno actu à pluribus, teneatur numerum perſonarum in confeſſione aperire?*

Dico vigeſimoſecundò, qui vno ictu plures laicos occidit, aut infamauit, aut pluribus iniuriam intulit; & qui ſimiliter vno, & eodem actu ſurripuit à pluribus quantitatem notabilem, tenetur numerum perſonarum exprimere, non quia pluralitas perſonarum præciſè ſit circunſtantia mutans ſpeciem, ſed quia obiecta numero diſtincta, ſeu perſonæ numero differentes, quibus iniuria irrogatur, faciunt quòd vnus, & idem actus entitatiuè, & phyſicè habeat plures numero diſtinctas malitias morales, quia diſtinctæ perſonæ, ſeu obiecta numero, & materialiter diuerſa, Ita ſe habent, vt vnumquodque poſſit dare malitiam actui independenter ab alio. ergo vnumquodque dat ſuam malitiam actui numero diſtinctam. Confirmatur. nam coniugatus, qui cum vxore alterius adulterium committit vno, & eodem actu phyſico, duplicem malitiam iniuſtitiæ contrahit, vnam contra propriam vxorem, alteram contra maritum alterius. Item qui inducit vnum ad occidendum alium, duplicem malitiam committit intra latitudinem homicidij; vnam reſpectu eius, quem vult interfici, aliam reſpectu eius, quem ad occidendum inducit. ergo, &c. Ita bene Henriquez *lib.* 5. *de pœnitentia*, *cap.* 5. *num.* 4. Azor. *part.* 1. *inſtit. mor. lib.* 4. *cap.* 4. *quæſ.* 6. licèt Suarez neget diuerſitatem hanc numericam malitiarum ex ſola multitudine perſonarum, *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 22. *ſect.* 5. *num.* 36. Bonacina *tom.* 2. *tract. de legibus*, *diſp.* 2. *quæſt.* 4. *puncto* 2. *num.* 1.

Dvbitatio XVI.

XVIII. *An qui per multum temporis fœminam aliquam dilexit carnaliter, teneatur numerum delectationis moroſæ in confeſſione aperire?*

Dico vigeſimotertiò, qui ſæpiùs fœminam aliquam carnaliter dilexit, vel aliquem odio proſequutus eſt, debet numerum delectationis moroſæ, ſeu deſiderij carnalis, ſeu numerum actuum odij repetitorum & moraliter interruptorum explicare in confeſſione, modò recordetur numeri certi. Si verò facto examine non recordetur numeri certi, dicere poteſt ſe toties delectationem moroſam circa mulierem carnaliter dilectam, ſeu toties peccato odij peccaſſe plus, vel minus. quia numerus peccatorum eſt in confeſſione explicandus. Sed actus odij moraliter interrupti, ſeu cogitationis moroſæ, &c. ſunt numero diſtincti. ergo, &c. Nauarrus *ſumma cap.* 6. *num.* 16. Bonacina *tom.* 1. *tract. de Sacramentis*, *diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *puncto* 2. §. 3. *difficult.* 2. *num.* 5. Sed magna difficultas eſt, quomodo poſſit dignoſci numerus actuum voluntatis moraliter interruptorum. Vnde

Dico vigeſimotertiò, peccata hæc non multiplicantur numero donec prior voluntas per contrariam voluntatem interrumpatur, & poſtea ad priorem voluntatem iterum redeatur; quia quandiu interruptio non fit per contrariam voluntatem, id eſt, per pœnitentiam, ita explicat Lopez *part.* 1. *inſtruct. cap.* 31. *fine*, ſequens Cani ſententiam, in ea quis cenſetur moraliter perſeuerare. ergo moraliter non interrumpit voluntatem, donec habeat contrariam. ergo quamuis ſæpiùs eandem voluntatem repetat abſque prædicta interruptione, eandem voluntatem cenſetur moraliter habere, idémque numero peccatorum committere. Ideóque ſatisfacit confeſſioni ſi totum illud per modum vnius peccati confiteatur. Ita ſentit Magiſter Cano *relect. de pœnitentia*, *part.* 5. Additque ſi tempus, quo aliquis perſeuerauit in illo actu, multum fuerit, debere illud in confeſſione explicare, fortaſſe propter maiorem grauitatem eiuſdem peccati. Idem tenet Lopez *part.* 1. *inſtruct. cap.* 31. *verſic. Hinc iam patet.* Hoc aſſertum Magiſtri Cani non placet. nam qui voluntatem malam peccandi non retractauit, poteſt quidem dici habitualiter manere in illa voluntate, ſeu in ſtatu peccati, non tamen poteſt dici moraliter perſeuerare in actuali peccato: vt autem peccatum ſit vnum numero, non ſatis eſt durare in ſtatu peccati, ſeu in habituali voluntate, niſi aliquo modo duret actualis peccati commiſſio. Vnde

Dvbitatio XVII.

XIX. *Quidnam requiratur ad multiplicationem numericam peccatorum?*

Dico vigeſimoquartò, ad multiplicationem numericam peccatorum ſufficit quæcumque vel minima interruptio, ſeu ceſſatio, ſiue voluntaria ſit, ſiue ex quacumque diſtractione naturali, vel ſomno etiam modici temporis. Peccata igitur voluntatis in vniuerſum temporis interruptione multiplicantur numero. Vt ſi Titius velit Caium occidere, & deinde dormiet, vel nihil de Caij cæde cogitat ad alia diſtractus, & poſtea expergefactus, vel ad ſe ipſum reuerſus, iterum vult, & optat interitum Caij, duo homicidij peccata committit. quia peccatum non poteſt eſſe vnum, niſi continuatione aliqua: ſed in caſu noſtro nihil eſt, in quo illi duo actus continuentur. ergo tunc erunt plura, & non vnum peccatum. Tenebitur igitur pœnitens omnes iſtas multiplicationes vt poterit, in confeſſione explicare, vt ſit integra, & valida. Ita benè Nugnus noſter *tom.* 2. *in* 3. *part. quæſt.* 9. *art.* 2. *difficult. vnica*, §. *Sed nimis difficile*, *fol.* 315. Suarez autem *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 22. *ſect.* 5. *num.* 13. requirit longam interruptionem, & longam moram, vt numero huiuſmodi peccata diſtinguantur. Sed longa mora, & interruptio nihil facit ad diſtinctionem numericam actuum. nam ſi quiſpiam apertis oculis cernat, & deinde non videat, ac poſt paululum temporis iterum cernat, hîc ſunt duo actus numero diſtincti. ergo duæ ſunt voluntates numero diſtinctæ, ſi quippiam volo, ac deinde ceſſo, & poſt morulam temporis iterum idem volo. Vide Tab. *peccatum* 1. *quæſt.* 8.

Dvbitatio XVIII.

XX. *An intendens occidere inimicum, replicando hanc intentionem plura peccata committat?*

Dico vigeſimoquintò. Probabile etiam eſt aſſerere quòd qui intendit inimicum occidere, & ob id præparat enſem, ſuſcipit iter ad illum occidendum, vnum numero peccatum committit, quamuis ſæpiùs in via repetat intentionem occidendi: quia prior intentio non fuit reuocata, ſed virtualiter perſeuerat in illa actiune externa itineris ſuſcepti ad occidendum inimicum. Tum, quia actiones illæ externæ dici poſſunt habere rationem vinculi, quo plures actus interni ad eundem finem reperiri coniunguntur: virtualiter autem dicitur perſiſtere prior voluntas, quandiu homo aliquid facit virtute illius voluntatis, ſeu intentionis præcedentis, quamuis illa prior intentio, ſeu voluntas non ampliùs actualiter, & formaliter perſeueret: vt patet in exemplo poſito, & ita hanc aſſertionem tenet Nauar. *ſumma, cap.6. n.16.* Henriquez *lib.5. de pœnitentia, cap.5. num.* 5. Bonacina *tom.1. tract. de ſacramentis, diſp.5. quæſt.5. ſect.2. punct.2. §. 3. diffic. 2. num. 22. fol.* 180. Hoc aſſertum eſt ſatis probabile, ſed conſequenter loquendo ad aſſertionem 24.

Dico vigeſimoſextò. Vadens ad occidendum inimicum, ſi in eodem itinere diuertat voluntatem ad alia, & pòſt dum eſt in eodem itinere, iterum deliberat occidere eundem inimicum, tot numero peccata committit, quot ſunt nouæ voluntates deliberatæ occidendi inimicum; & idcirco qui multiplicat hos actus, debet hoc ipſum explicare in confeſſione, quia ad generationem noui actus mali, ſequitur certa aliqua malitia. ergo quoties multiplicantur actus mali intra eandem ſpeciem, malitiæ etiam numericæ multiplicabuntur. ergo erunt peccata diſtincta neceſſariò explicanda in confeſſione. Sic probè Nugnus noſter *tom.2. in 3. part. q.9. art.2. diffic. vnica, verſic. ſed maior difficultas, fol.* 315. *col.*2. Armill. *verb. peccatum, num.* 4. citans D. Thom. 2. *ſent. diſput.* 42. *quæſt.* 1. *art.*1. confirmat hoc pronunciatum. quia ſicut generationi actus virtutis correſpondet ſpeciale aliquod præmium. ergo ſimiliter nouæ generationi actus mali correſpondet ſpecialis pœna. ergo habet in ſe ſpecialem aliquam numero diſtinctam malitiam. ergo in confeſſione.

Dvbitatio XIX.

XXI. *An detinens aliena teneatur in confeſſione explicare numerum volitionum habitarum non reſtituendi?*

Dico vigeſimoſeptimò. Conſequenter aſſerendum eſt, quòd ſi quis multo tempore rem alienam, quam vero domino potuit reſtituere, detinuit, & poſitiuas volitiones non reſtituendi multiplicauit, non ſufficit dicere in confeſſione ſe per annum integrum non reſtituiſſe; ſed debet etiam de iſtis poſitiuis volitionibus ſe accuſare. quia ſunt peccata numero diſtincta: tamen quando facta ſufficienti diligentia talium volitionum non occurrit numerus, ſatisfaciet pœnitens explicando tempus, quo rem detinuit, quam potuit domino reſtituere: quia præceptum explicandi numerum peccatorum non obligat ad impoſſibile; ſed ad id, quod fieri poteſt à pœnitente. Propterea Confeſſarius in iſtis caſibus non debet eſſe nimis ſcrupuloſus cogendo pœnitentem ad exprimendum certum numerum. Sic bene Nugnus nuperrimè allegatus *verſ. ex dictis ſequitur, fol.* 316. *col.*1. Nauar. *ſumma, cap.6. num.*14.

Dvbitatio XX.

XXII. *An inualidè confiteatur qui exprimit in confeſſione maiorem numerum peccatorum, quàm reuera commiſerit?*

Dico vigeſimooctauò, quo maiorem numerum peccatorum mortalium in confeſſione exprimit quàm reuera commiſerit, peccat mortaliter, & conſequenter inualidè confitetur, quia decipit Confeſſarium in re graui, in materia ſcilicet neceſſaria confeſſionis: decipere autem aliquem in re graui, grauis eſt culpa, ergo, &c. Syl. *verb. confeſſio* 2. *num.* 9. *quæſt.* 8. valida tamen eſt confeſſio, quando pœnitens mentitur circa peccata venialia. Nam huiuſmodi mendacium non cenſetur in materia graui, cùm non ſit circa materiam neceſſariam confeſſionis. Nugnus noſter *tomo* 2. *in* 3. *part. quæſt.* 6. *art.*4. *dub. vnic. verſ. in his quatuor*, &c. licèt Caiet. 2.2. *quæſt.* 69 *art.*1. *& in ſumma verb. Confeſſio*, cenſeat in confeſſione mendacium circa venialia eſſe lethale.

Dvbitatio XXI.

XXIII. *An pœnitens interrogatus à Confeſſario de peccato ritè confeſſo poſſit negare illud commiſiſſe?*

Dico vigeſimononò, ſi peccatum mortale ſit ſemel ritè confeſſum, ſi pœnitens interrogatur à Confeſſariu num tale peccatum aliquando commiſit quod antea confeſſus eſt, non peccat mortaliter, per ſe loquendo, negans ſe commiſiſſe, nolens idem peccatum ritè aliàs confeſſum confeſſioni ſubiicere; quia peccatum ritè confeſſum non eſt materia neceſſaria in ſacramento Pœnitentiæ, nec pœnitens ob id præſumit ſe grauem iniuriam inferre ſacramento. Nauar. *ſumma, cap.*21. *num.*37. *fine*. Bonac. *tom.*1. *de ſacramentis, diſp.*5. *q.*5. *ſect.*2. *punct.*2. §. 2. *n.*8.

Dvbitatio XXII.

XXIV. *An bona fide exprimens in confeſſione plura peccata quàm fecerit, inualidè confiteatur?*

Dico trigeſimò, ſimplices, & rudes homines, qui nulla ratione credunt ſe mortaliter peccare, maiorem numerum peccatorum mortalium in confeſſione explicando, quàm re vera ſit per accidens, non delinquunt lethaliter, nec faciunt confeſſionem inualidam. quia neque mala fide hoc faciunt, neque animo Confeſſorem decipiendi; ſed quia in numero auctiori à ſe ipſis addito credunt totum numerum ſuarum culparum mortalium fuiſſe comprehenſum. Ita Lopez noſter *part.*1. *Inſtruct. cap.* 31. *q.*5. *verſ. ſi adhuc*, Nugnus noſter *loco nuper citato, concl.*2. *fine.*

Dvbitatio XXIII.

XXV. *An infligens alteri vulnus, ſi ſtatim confiteatur, teneatur poſtea confiteri de morte ſequuta?*

Dico trigeſimoprimò, qui pugione lethaliter percuſſit inimicũ, ſi ſtatim pœnitentia ductus confitetur, legitimo

legitimo Confeſſario ſe lethaliter percuſſiſſe inimicum, ſi poſt confeſſionem habitam vita fungitur inimicus, tenetur iterum confiteri opus mortis ſubſequutum. Similiter qui die procurauit efficaciter pollutionem ſubſequuturam in nocte in ſomno, ſi pœnitentia eius procurationis tactus, ante noctem confeſſus eſt dedita opera eam procuraſſe: ſi pollutio ſic procurata in ſomnis poſtea accidit, tenetur poſtea iterum confiteri, ſic culpabiliter, & ex procurata cauſa eam pollutionem ſibi in ſomnis eueniſſe. quia actus exteriores ſubſequutos ad interiores etiam poſt confeſſionem volitionum eorum tenemur confiteri, nõ enim ſufficienter exprimuntur in ſola confeſſione interiorum. Sic bene aduertit Lopez noſter *part. 1. inſtruct. cap. 31. verſic. Praterea quia.* quam ſequitur Bonacina *tom. 1. tract. de Sacramentis, diſp. 5. quaſt. 5. ſect. 2. punct. 2. §. 3. difficult. 3. num. 18. fol. 183. col. 2. fine.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 22. ſect. 3. num. 2.* quia, inquit, illa voluntas, quæ ad exequutionem perducitur, nunquam poteſt ſatis explicari ſine actu externo. Videatur etiam Henriquez *lib. 5. de pœnitentia, cap. 5. num. 7.*

Dvbitatio XXIV.

XXVI. *An adulter qui confeſſus eſt adulterium, poſt euentum adulterina prolis inde genita, confiteri teneatur de prole?*

Dico trigeſimoſecundò, adulter tamen, qui antè confeſſus eſt adulteria commiſſa, non tenetur poſtea euentum adulterinæ prolis inde genitæ confiteri. quia licèt adulteria commiſſa fuerint culpę lethales, tamen ipſa proles ſic genita non eſt peccatum. quare communiter DD. aſſerunt votum emiſſum ab adultero de erogando alicui templo centum aureos, ſi ex adultera ſit filius genitus, tenetur adulter ſubſequuta prole illud adimplere, licèt non obſtante tali voto debuerit ab adulterio abſtinere. quia ipſum adulterium malum lethale eſt; proles verò ſuſcepta peccatum non eſt. Videatur pro hac aſſertione Caiet. 2. 2. *quaſt.* 88. *art.* 2. *dub.* 4. Sanchez *lib.* 4. *in pracepta, cap.* 6. *num.* 12. *&* 13. Lopez nouiſſimè relatus.

Dvbitatio XXV.

XXVII. *An petens corpus à fæmina ad fornicandum parata, ſequuta fornicatione, vltra fornicationis peccatum, committat etiam peccatum inductionis, & teneatur confiteri. idem inquiritur de fæmina inuitante hominem paratum ad peccandum?*

Dico trigeſimotertiò, petens corpus à fœmina etiam parata ad fornicandum, ſequuta fornicatione, vltra ſuum fornicationis peccatum, committit etiam peccatum inductionis ad peccatum. quod eſt peccatum ſcandali generalis actiui. Scandalum actiuum, vt diffinit S. D. Thom. 2. 2. *quaſt.* 43. *art.* 1. eſt dictum, vel factum minus rectum præbens ruinæ occaſionem proximo; paſſiuum verò eſt illud, in quod quis occaſione accepta ab alterius dicto, vel facto labitur. Probatur, quia petens à meretrice in lupanari expoſita, vt peccet cum quodam tertio, & ſi non intenderet, vt peccaret, ſed oretenus id diceret, delinqueret mortaliter peccato ſcandali, ſeu inductionis ad peccandum: at non eſt minor culpa, ſed eiuſdem prorſus rationis petere, vt ſecum fornicetur. ergo duo committit peccata, qui inducit mulierem etiam paratam ad fornicandum; ſequuto effectu peccatum proprium fornicationis, & alterum peccatum fornicationis, ad quod induxit. nam qui eſt cauſa peccati, reus eſt illius peccati, cuius eſt cauſa; ſed inducens ad peccatum etiam paratum, eſt cauſa peccati. ergo, &c. Tum, quia quantumuis meretrix ſit parata ad fornicandum, hoc tamen numero peccatum, fornicario non petente, non exequeretur, niſi hic induceret. ergo, &c. Tum, quia vt inter alios DD. docet Suarez *tom. 3. in 3. part. quaſt. 65. art. 4. diſp. 18. ſect. 1. corollario 2.* mortale eſt petere ſacramentum à miniſtro parato, exiſtente tamen in mortali, & abſque vlla petentis neceſſitate. quia offertur ei aliqua materia, ea qua ipſe Confeſſarius etiam paratus hic, & nunc occaſionem peccandi ſumit. ergo ſimiliter fornicarius inducens meretricem paratam, &c. & ita hanc ſententiam tenet expreſsè Caiet. 2. 2. *quaſt.* 78. *art.* 4. *paulo poſt principium.* quem ſequitur Sanchez *lib. 1. in pracepta Decalogi, cap. 6. num. 14.* Bonacin. *tom. 2. tract. de legib. diſp. 2. quaſt. 4. puncto 2. num. 21. verſ. Ad hoc, fol. 140. col. 1.* contra Henriquez *lib. 5. de pœnitentia, cap. 5. num. 7.* & alios, quos citat Sanchez nuperrimè relatus *num.* 13.

Dico trigeſimoquartò, petens corpus à fœmina parata, in confeſſione non opus eſt hanc circumſtantiam declarare, inductionis ſcilicet fœminæ paratæ, licèt, vt diximus, ſpeciale peccatum ſit. quia cùm quis fornicationem propriam fatetur, ſatis explicat à communiter accidentibus ſe petiiſſe, ac fœminam inuitatam eſſe. At ſi non fornicaretur, ſed tantùm petiiſſet ab illa corpus, non ſatis fateretur, dicendo ſe cum fœmina deſideraſſe peccare, ſed inductionem exprimere teneretur. quia in deſiderio peccandi minimè exprimitur inductio ad peccandum, quæ eſt peccatum diſtinctum à deſiderio peccandi. Videatur Sanchez *loco nouiſſimè adducto.*

Dico trigeſimoquintò, ſi fœmina virum paratum primò inuitaret ad corpus ſuum, teneretur hanc inductionem fateri. quia ſolùm exprimendo in confeſſione ſuam fornicationem non ſatis explicaret inductionem ad peccandum à ſe factam; communiter enim viri petunt corpus à fœmina ad peccandum, ſed rarò fœminæ: licèt alij, vt eſt Henriquez cit. *aſſertione 33. fine.* Azor. *p. 2. inſtit. mor. lib. 12. c. 16. quaſ. 5.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 22. ſect. 4. num. 18.* negent; quia tunc, inquiunt, non datur ſcandalum, nec propria, & moralis inductio eſt ad malum; cùm voluntas conſortis parati ad malum ex ſe, & ſua ſponte expoſita ſit. Rea igitur erit propriæ fornicationis, non autem fornicationis viri parati ad fornicandum, ac proinde, aſſerunt, in confeſſione ſatis eſt, quòd exprimat ſuam fornicationem. & quidem ſatis probabiliter, ſi loquantur de conſorte ita parato, vt ſit quaſi in actuali, aut virtuali peccandi voluntate. Videantur DD. citati.

Dico trigeſimoſextò, certiſſimum eſt ſi fornicans conſortem habuit alioquin non paratum ad fornicationem, tunc reus eſt duarum fornicationum, & ſuæ, & fornicationis in conſorte. quia fuit cauſa vtriuſque, ac proinde in confeſſione neceſſe eſt confiteatur ſe vtriuſque reum extitiſſe. quia reuera vtriuſque fornicationis fuit cauſa. Ita Lopez noſter *1. part. inſtruct. cap. 73. verſic. Ex pradictis conſequenter.* Azor. nuper relatus, &c.

Dvbitatio XXVI.

XXVIII. *An qui in confeſſionibus particularibus ritè confeſſus eſt, faciens poſtea confeſſionem generalem, teneatur omnia mortalia iterum ſingillatim explicare?*

Dico trigeſimoſeptimò, faciens confeſſionem generalem peccatorum aliàs ritè confeſſorum, non tenetur ſingula peccata mortalia aliàs expiata iterum in confeſſione exprimere, quia pœnitens non tenetur confiteri magis huiuſmodi peccata mortalia ritè aliàs confeſſa, quàm venialia; ſed qui confitetur peccata ſolùm venialia, non tenetur omnia exprimere, ſed poteſt aliqua reticere. ergo qui generalem facit confeſſionem peccatorum mortalium ritè aliàs expiatorum, poteſt aliqua ex iſtis reticere. Ita ſuprà diximus cum Magiſtro Soto *in 4. diſt.* 18. *quaſt.* 2. *art.* 5. §. *At verò quando*, quem ſequitur Bonacina *tom.* 1 *tract. de ſacramentis, diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 2. §. 5. *difficul.* 2. *num.* 14.

Dvbitatio XXVII.

XXIX. *Quid ſit beſtialitas, & an committens peccatum beſtialitatis teneatur in confeſſione explicare belluam, cum qua peccauit. Idem inquiritur ſi peccauit cum Dæmone?*

Dico trigeſimooctauò. Committens peccatum beſtialitatis (beſtialitas eſt coitus hominis cum alio alterius ſpeciei ſuppoſito) in confeſſione non tenetur exprimere belluam, cum qua habuit copulam. ſufficit enim dicere ſe congreſſum fuiſſe cũ ſuppoſito alterius ſpeciei, quoniam licèt belluæ ſpecie differant, vna tamen eſt rationis turpitudo, nimirum copulam habere cum re alterius ſpeciei. Ita bene Caiet. 2. 2. *q.* 154. *art.* 1. quem ſequitur & adducit Azor. *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 22. *dub.* 3. Hinc infertur quòd coitus cum Dæmone ſuccubo, vel incubo, eſt eiuſdem ſpeciei cum beſtialitate. quoniam Dæmon licèt ſpecie differat à cæteris animantibus ſecundùm eſſe naturale, vna tamen eſt rationis turpitudo, nimirum coitus cum re alterius ſpeciei. Videatur Caietan. & Azor. *loco cit.* Bonacina *tom.* 1. *tract. de matrim. quaſt.* 4. *puncto* 12. *num.* 1. *fol.* 108. *col.* 2. *num.* 1.

Dvbitatio XXVIII.

XXX. *An exponens ſe periculo peccandi, teneatur confiteri ſpeciem illius peccati?*

Dico trigeſimononò. Pœnitens qui ſe expoſuit periculo committendi aliquod peccatum, tenetur fateri ſpeciem illius peccati, cuius periculo ſe expoſuit. quia omnia peccata in confeſſione ſunt exprimenda quoad ſpecies morales; ſed in moralibus ferè idem eſt exponere ſe periculo committendi aliquod peccatum, & illud committere. ergo ſicut exprimendum eſſet peccatum completum in confeſſione, ita exprimendum eſt peccatum, cuius periculo ſe pœnitens expoſuit. Ita benè Suarez *tom.* 5. *de cenſ. diſp.* 18. *ſect.* 3. *num.* 16.

Dvbitatio XXIX.

XXXI. *An diuinans teneatur in confeſſione exprimere ſpeciem rei, per quam diuinauit?*

Dico quadrageſimò, qui peccauit diuinando per aquam, vel per aſtra, quamuis non exprimat id per quod diuinauit, ſatisfacit integritati confeſſionis, dicendo ſe toties peccaſſe diuinando; quia diuinare per aquam, ſiue per aſtra, dicit ſolam differentiam in genere naturæ, non autem in genere moris: ſicut qui furatur ſericum, aurum, vel pannum, ſatis eſt quòd explicet rei pretium, non autem requiritur quòd exprimat materiam furti. Ita benè Magiſter Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quaſt.* 2. *art.* 4. *concl.* 6.

Dvbitatio XXX.

XXXII. *An ſimiliter cadens in hæreſim teneatur in confeſſione exprimere hæreſim, in quam lapſus eſt?*

Dico quadrageſimoprimò. Qui lapſus eſt in hæreſim, ſatisfacit in confeſſione dicendo ſe toties in hæreſim lapſum fuiſſe, quamuis non exprimat qualitatem hæreſis, vtrùm ſit hæreſis Lutheri, vel Caluini, vel alterius hæreſiarchæ. Nam hæreſes omnes ſunt eiuſdem ſpeciei. Apoſtata tamen licèt apoſtaſia non ſit peccatum diſtinctum ab hæreſi, vt docet Magiſter Bannes 2. 2. *quaſt.* 11. *art.* 1. *dub.* 1. tenetur in confeſſione circunſtantiam apoſtaſiæ aperire. quia hæc circunſtantia apoſtaſiæ notabiliſſimè aggrauat peccatum hæreſis. Ita Magiſter Bannes nuperrimè relatus *poſt ſolutionem ad* 4. *argumentum.* Sanchez *lib.* 2. *oper. mor. cap.* 7. *num.* 17. Bonacina *tom.* 1. *tract. de ſacramentis, diſput.* 5. *quaſt.* 5. *ſect.* 2. §. 3. *diffic.* 1. *num.* 5. *fol.* 176. *col.* 2.

Dvbitatio XXXI.

XXXIII. *An qui gloriatur de peccatis commiſſis, tenentur exprimere ſpeciem peccatorum, de quibus gloriatus fuit?*

Dico quadrageſimoſecundò, qui gloriatur de peccatis lethalibus commiſſis, tenetur ſtatim cùm confitetur exprimere obiectum mortale ſpecificum culparum, de quibus gloriatur, ſi dum gloriatur, complacentiam habet earum; quia eiuſdem ſpeciei eſt complacentia, & conſenſus interior, cuius eſt actus malus exterior. ergo ſi quis gloriatur de adulterio commiſſo, & in eo dum gloriatur, complacentiam habet, tenetur in confeſſione exprimere laudem ſuſcepiſſe de adulterio, in qua dum gloriaretur complacentiam habuit. Ita Lopez noſter 1. *part. Inſtruct. cap.* 5. *verſ. ſit igitur propoſitio.*

Dico quadrageſimotertiò, ſi quis verè, vel falsò ſe laudauit de peccato mortali verè admiſſo, vel non admiſſo, quamuis non adfuerit de tali peccato de quo ſe laudat, gaudium, complacentia, vel delectatio moroſa, ſed ſola vana iactantia, etiam fatendæ ſunt circunſtantiæ quibus illud peccatum eſt effectum: vt ſi ſit de percuſſione Clerici, ſit fatenda ordinis circunſtantia; vel ſi ſit de peccato cum coniugata, ſit fatenda coniugij circunſtantia. quia hoc peccatum de iactantia vana peccatorum ad eam ſpeciem reducitur, cuius eſt illud peccatum, de quo eſt iactantia, virtus enim contraria non tantùm peccatum contrarium, ſed etiam delectationes moroſas, & iactantiam, qua id peccatum tanquam bonum approbatur, cohibet. Ita bene Lopez nuperrimè relatus, quem ſequitur & citat Manuel 1. *p. ſummæ c.* 53. *concl.* 13. quòd ſi ſola eſſet iactantia de peccatis mortalibus in genere, ſufficeret dicere, Toties peccaui, laudem, & gloriam quærendo de peccatis mortalibus, licèt non ſpecificentur illa peccata mortalia, quæ fortè non fecit, vel aliàs quis confeſſus eſt. quia tunc non eſſet iactantia peculiaris alicuius turpitudinis,

ſed

genere, vt ſic peccatorum mortalium,& ita in- ...dus eſt Nauatr. *in ſumm prælud. 9. num. 4.*

Dvbitatio XXXII.

XXIV. *An qui gloriatur de aliquo peccato mortali ad oſtendendum tantùm ſuam dexteritatem qua illud commiſit, peccet mortaliter?*

Dico quadrageſimoquartò, licèt quando quis ſe ia- ...ar de opere, quod eſt peccatum mortiferum, peccet ...thaliter, ſiue verè, ſiue falsò de illo malo ſe laudet; ...uia ea iactantia de mala, & mortifera re, eius appro- ...tionem continet, vt docent probè Caiet. 2.2. q. 112. ...t. 2. Syl. *verb. Vana gloria, q. 2.* & conſequenter tene- ...t pœnitens, vt diximus *aſſerto præcedenti*, ſpeciem ...alitiæ, de qua ſe laudat, exprimere in confeſſione. Si ...men ſolùm narret peccatum aliquod mortiferum, ...t inde appareat eius dexteritas, ingenium, virilitas, ...ſque approbatione, vel affectu ipſius operis, non vi- ...etur hoc eſſe peccatum mortiferum, ſed tantùm ve- ...iale, conſequenter tunc in confeſſione non teneretur ...c ſpeciem peccati mortiferi, quod enarrauit, expri- ...ere. quia in iſto caſu non approbat peccatum mor- ...ferum quod enarrauit, ſed potiùs iactaret ſe de ſuo ...genio, dexteritate, & virilitate, quod eſt ſolùm ve- ...iale; iactantia enim per ſe, ſeu ex genere ſuo, eſt pec- ...tum veniale continens malitiam vanæ gloriæ: ve- ...ialium autem in confeſſione non tenemur expri- ...ere circunſtantias. Ideò, &c. Sic probè obſeruauit ...ſſ. *lib. 2. de iuſtitia, cap. 47. dub. 6. num. 42. verſ. Sex-* ...*m caſum.*

Dvbitatio XXXIII.

XXV. *An qui ſe laudat de peccato mortali commiſſo aliqua delectatione moroſa, committat duo peccata mortalia?*

Dico quadrageſimoquintò, quando quis ſe laudat ...e peccato mortifero admiſſo, vel non admiſſo, pro- ...er iactantiam vanam peccatorum lethalium, ſi adeſt ...iam delectatio moroſa in eo malo cogitato, eſt du- ...lex lethale. nam ſola vana iactantia de peccato mor- ...li verè admiſſo, vel non admiſſo, peccatum lethale ...t, vt probaui *aſſertione* 43. ergo ſi delectatio moroſa ...peraddatur in eo malo cogitato, duplex lethale ...ccatum erit, vtrumque in confeſſione neceſſariò ...licandum. Ita benè notauit Sanchez *lib. 1. oper.* ...*r. cap. 3. num. 5.*

Dvbitatio XXXIV.

XXXVI. *An laudans alium de peccato mortali peccet mortaliter?*

Dico quadrageſimoſextò, laudans alium de mortali, ſiue verè, ſiue falsò illum laudet, peccat lethaliter: quia hoc eſt velut illud peccatum lethale approbare. quòd ſi in præſentia illum laudat, vel coram eius conſanguineis, in quorum honorem vindicta ſumpta, de qua laudat, cedit, præter iactantiæ peccatum, eſt etiam aliud mortale ſcandali neceſſariò in confeſſione fatendum. nam ſufficiens occaſio iactantiam vanam de illo peccato ſumendi datur illis, & ſi verè admiſſum ſit, datur anſa gaudendi de illo.; ſi non ſit admiſſum, deſiderandi, vt admiſſum eſſet. Videatur Caiet. *verb. Iactantia.* Sanchez nuper adductus *num. 6. & 7.*

Dvbitatio XXXV.

XXXVII. *An relinquens ex inaduertentia circunſtantiam aliquam neceſſariò explicandam in confeſſione, teneatur exprimere illius ſpeciem?*

Dico quadrageſimoquartò, qui furatus eſt calicem, ſed in confeſſione ex inaduertentia naturali dixit ſe rem magni momenti ſurripuiſſe, non expreſſa circunſtantia rei ſacræ calicis, quando recordatur huius circunſtantiæ in ſecunda confeſſione, ſatisfacit integritati confeſſionis, dicendo ſe mortale ſacrilegium commiſiſſe, non exprimendo furtum. Similiter qui iurauit ieiunare in vigiliis ex præcepto ieiunandis, & ex obliuione inculpabili ſolùm expreſſit in confeſſione, in vigiliis ieiunium fregiſſe, ſatisfacit in alia confeſſione, dicendo ſe licitum iuramentum perfregiſſe, non exprimendo fractionem ieiunij, ad quod ex præcepto tenebatur. quia ſicut qui oblitus eſt alicuius peccati, ſatisfacit exprimendo in ſecunda confeſſione peccatum oblitum. ergo ſimiliter qui oblitus eſt alicuius ſimilis circunſtantiæ, ſatisfacit in ſecunda confeſſione. Ita Nauarr. *prælud. 9. num 4.* Bonacina *tom. 1. tract. de Sacramentis, diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. punct. 2. difficult. 1. num 4. fol. 177. col. 1.* Sanchez *lib. 4. oper. mor. cap. 11. num. 24.*

Dvbitatio XXXVI.

XXXVIII. *An omnia peccata mortalia quoad ſpecies morales, & quoad numerum, ſint in confeſſione explicanda?*

Dico quadrageſimooctauò, omnia igitur peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa per ſe neceſſariò explicanda ſunt in confeſſione quoad ſpecies morales, & ſingillatim quoad numerum, quantum moraliter fieri poteſt. Hæc aſſertio habetur expreſsè ex Concil. Trident. *ſeſſ. 14. can. 7.* vbi habetur omnia peccata explicanda eſſe in confeſſione, non ſolùm in ſpecie, verùm etiam ſingillatim, & illi, qui ſcienter aliquid reticent, nihil diuinæ bonitatis per Sacerdotem remittendum proponunt. *cap. 5. de pœnitentia, ſeſſ. 14. in Concil. Trident.* Tum, quia vnum peccatum mortale non remittitur ſine alio, impium enim eſt à Deo dimidiam ſperare veniam, ergo neque pœnitens poteſt ab vno abſolui, quin ab aliis abſoluatur; conſequenter non poteſt vnum confiteri, quin omnia, quoad ſpecies morales, & quoad numerum confiteatur; cùm ipſa confeſſio ordinetur ad abſolutionem obtinendam. Dixi *quantum moraliter fieri poteſt*; quia dantur aliqui caſus, in quibus pœnitens poteſt aliquod peccatum in confeſſione reticere, vt dicemus infrà.

XXXIX. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

Dvbitatio XXXVII.

Quænam integritas in confeſſione requiratur?

Ad rationem à principio poſitam, quæ directè militat contra hanc vltimam aſſertionem, & quintum huius dubij. Reſpondetur confeſſionem neceſſariò debere eſſe integram formaliter, non autem materialiter. formaliter dicitur integra confeſſio, quando explicantur omnia peccata mortalia, quæ moraliter explicari poſſunt, itaut nulla reticeantur abſque iuſta, & ſufficienti cauſa: excuſatur autem pœnitens ab integritate confeſſionis ex ignorantia, & obliuione natu-

rali, ex impotentia loquendi, & ex notabili ſua vtilitate. Materialiter autem dicitur integra confeſſio, quando explicantur omnia peccata mortalia ſimpliciter, quæ ſunt materia neceſſaria confeſſionis: iure diuino confeſſio debet eſſe formaliter integra, non autem materialiter. Vnde infirmus, quia non poteſt explicare in confeſſione ob impotentiam loquendi niſi vnicum peccatum; & ſimiliter qui ob maximam ſuam vtilitatem reticet aliquud mortale in confeſſione, facit quidem integram confeſſionem, formaliter quidem, & abſoluitur; ſacramentaliter, ſi adſint alia requiſita, licèt materialiter non integrè confiteatur. Et per hæc patet ſolutio ad argumentum à principio diſputationis poſitum.

ARTICVLVS XXIII.

An peccata neceſſariò ſint explicanda in confeſſione, quoad omnes circunſtantias?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur quid ſit circunſtantia, & quotuplex.*
3. *Quenam ſint circunſtantia mutantes ſpeciem.*
4. *Veritas aperitur, explicando, an circunſtantia minuentes peccata ſint in confeſſione explicanda.*
5. *Quomodo differant inter ſe furtum mortale, & furtum veniale.*
6. *An circunſtantia aggrauantes notabiliter explicanda ſint in confeſſione.*
7. *An ſit hæreticum aſſerere, quòd circunſtantia addentes nouam ſpeciem, non ſint aperienda in confeſſione.*
8. *An vir, perdens ſuam virginitatem per primam copulam carnalem, teneatur id in confeſſione exprimere; & idem inquiritur de fœmina; & vltrà quæritur, an fœmina ſit de hoc interroganda.*
9. *An virgo debeat notificare Confeſſario ſe eſſe virginem, cùm ſe accuſat de aliqua pollutione ſiue intentata, ſiue habita? &, an ad idem teneatur in delectationibus carnalibus moroſis habitis? &, an vir, deſiderans puellam, debeat in confeſſione aperire ſuum deſiderium fuiſſe erga virginem.*
10. *Quid ſit ſtuprum? &, an tenentur illud in confeſſione exprimere qui commiſit.*
11. *An corrumpens virginem precibus, vel dolis, committat peccatum ſtupri.*
12. *An ſit raptus dum fœmina conſentit in ſui violationem? & quid ſit propriè raptus.*
13. *An nupta vi oppreſſa committat adulterium, ſi ex metu mortis conſentiat.*
14. *An coniugati habentes delectationem moroſam, circa ſolutas, teneantur id in confeſſione exprimere? &, an ſimiliter qui votum caſtitatis emiſit ſolùm in opere externo, ſi habeat aliquam cogitationem carnalem, teneatur exprimere ſe voto caſtitatis eſſe obſtrictum.*
15. *An coniugatus ſe polluens teneatur exprimere in confeſſione ſe eſſe coniugatum.*
16. *An ſponſa de futuro accedens ad alium adulteretur? & idem inquiritur de ſponſo.*
17. *An in confeſſione, explicanda ſit circunſtantia perſonæ, circa quam habita fuit delectatio moroſa venerea.*
18. *An in amplexibus, oſculis, & tactibus, circumſtantia perſonarum, circa quas ſunt habita, ſint explicanda in confeſſione.*
19. *An delectatio capta ex aſpectu mulieris ſit peccatum mortale.*
20. *An turpiloquia, cantiones, auditiones turpium, &c. ſint peccata mortalia.*
21. *An peccans peccato ſodomiæ, debeat exprimere in confeſſione vtrùm id commiſerit cum fœmina, vel cum maſculo.*
22. *An vxoratus ſodomiam committens committat duo peccata, & an iſte abutens aliena coniuge præpoſterè, teneatur id exprimere in confeſſione.*
23. *An iuuenis pathicus, rem habens cum vxorato, ne dum committat peccatum ſodomiæ, ſed etiam adulterij? &, an committat præter ſodomiam, ſacrilegium, id faciens cum Religioſo, vel obſtricto voto caſtitatis.*
24. *An peccans ſodomiticè cum conſanguineo, teneatur hanc circumſtantiam in confeſſione aperire.*
25. *An committens ſodomiam cum virgine, vel cum duobus fratribus, vel cum cognatis ſpiritualibus, vel legalibus, teneatur has circunſtantias in confeſſione exprimere.*
26. *An concubitus ſodomiticus cum vxore de illius conſenſu habeat malitiam ſodomiæ & adulterij.*
27. *An coniugatus peccans cum coniugata vtramque circunſtantiam coniugij debeat in confeſſione aperire.*
28. *An mulier ſoluta peccans cum coniugato hanc circunſtantiam debeat confiteri.*
29. *Quid ſit inceſtus, & an committens inceſtum, teneatur exprimere in confeſſione gradum affinitatis, vel conſanguinitatis.*
30. *An Confeſſarij carnaliter cognoſcentes ſuas pœnitentes, teneantur id in confeſſione aperire.*
31. *An pater cognoſcens carnaliter filiam, ſolùm committat peccatum inceſtus.*
32. *An obſtrictus voto caſtitatis, ſi aliam tali voto obſtrictam cognoſcat, teneatur id exprimere? & etiamſi vltra votum habeat iuramentum.*
33. *An Sacerdoti profeſſo, ſi peccet carnaliter, ſufficiat dicere ſe eſſe Sacerdotem? & ſi ſit tantùm Sacerdos, ſatisfaciat, dicendo ſe habere votum caſtitatis.*
34. *An Religioſus profeſſus carnaliter peccans, ſatisfaciat dicendo ſe habere votum caſtitatis.*
35. *An Epiſcopus carnis peccatum perpetrans, teneatur exprimere in confeſſione, ſe eſſe Epiſcopum: & idem inquiritur de Prælato Religionis? & an ſatisfaciant dicendo ſe habere votum caſtitatis.*
36. *An Religioſus profeſſus habens ſpeciale votum non habendi mollitiem, id debeat in confeſſione explicare.*
37. *An acceſſus fidelis cum infideli, mutet circunſtantiam ſpeciei luxuriæ.*
38. *An accedens ad conſanguineam in primo gradu ſponſam de futuro, teneatur hanc circumſtantiam confiteri.*
39. *An dans res ſacras in pretium luxuriæ, committat ſacrilegium, & ſimiliter, ſi peccet dum ſecum res ſacras geſtat.*
40. *An committat ſacrilegium, qui copulam, vel pollutionem habet cum aliquo in Eccleſia? & explicatur quid intelligatur nomine Eccleſiæ; & etiam explicatur, an coniuges hanc copulam poſſint in Eccleſia habere licitè, vel in loco publico.*
41. *An coniunx habens votum caſtitatis, alteri petenti debitum reddens peccet? Idem inquiritur, ſi ambo votum caſtitatis emiſerunt.*
42. *An actu ſolo interno peccans carnaliter in Eccleſia, circunſtantiam loci teneatur exprimere.*
43. *An aſpectus, nutus, & huiuſmodi, in Eccleſia ſint ſacrilegia.*

44. *An*

44. *An relinquens Miſſam in die Dominico, in quo accidit feſtum alicuius Sancti, dupliciter peccet? & ſimiliter non ieiunans die, in quo tenetur ex voto ad ieiunandum, ſi in eodem accidat vigilia Eccleſiæ? & ſimiliter omittens officium, ad quod tenetur ratione ordinis, & beneficij.*

45. *An furans aliquid quod ſub excommunicatione præcipitur non ſurripiendum, duplicem malitiam incurrat? & ſimiliter furans aliquid ſacrum, vel in loco ſacro.*

46. *An occidens aliquem per venenum, vel per inſidias, &c. teneatur hanc circumſtantiam confiteri? & ſimiliter vir rapiens aliena, rapinam committat; vbi explicatur quid ſit rapina.*

47. *An occidens conſanguineum, vel affinem, teneatur hanc circumſtantiam in confeſſione exprimere.*

48. *An iniurians Principem, vel Superiorem, vel Sacerdotem, teneatur circumſtantiam perſonæ in confeſſione aperire.*

49. *An detrahentes, vel turpia loquentes coram pluribus, teneantur numerum perſonarum confiteri, necnon qualitatem ſermonis.*

50. *An conſuetudo peccandi ſit neceſſariò in confeſſione explicanda.*

51. *An peccans in die feſto, teneatur hanc circumſtantiam aperire? & explicatur, an in die feſto homo teneatur ad actum dilectionis Dei, vel contritionis.*

52. *Quibúſnam temporibus obliget præceptum dilectionis Dei.*

53. *Quódnam ſit tempus obligationis præcepti ſpei.*

54. *Quódnam ſit tempus obligationis præcepti fidei.*

55. *An in his temporibus non elicere actus illarum virtutum ſit peccatum mortale.*

56. *Rationi in contrarium patet ex dictis.*

I. *Pars negatiua probatur.*

COpula inter Confeſſarium, & pœnitentem eſt inceſtuoſa; vt habet Nauarr. *lib. 5. de heret. 2. tom. conſil. 2. num.* 6. ſed hæc circunſtantia, quæ eſt ſatis notabilis, & aggrauans infinitè, non eſt neceſſariò explicanda in confeſſione; vt probat Bonacina *tom. 1. de Sacramentis, tract. de matrimonio, quæſt.* 4. *puncto* 16. *n.* 7. *fol.* 115. *col.* 1. ergo circumſtantiæ etiam in infinitum aggrauantes, non ſunt neceſſariò in confeſſione exprimendæ.

DVBITATIO I.

II. *Quid ſit circunſtantia, & quotuplex?*

Dico primò, quòd circunſtantia eſt accidens actus humani; quia ſcilicet verè attingit ipſum, eſt tamen extra ſubſtantiam eius. Vnde vt ſic in quantum circunſtantia formaliter neque conſtituit ſpeciem, neque illam variat. tamen aliquando quod eſt circunſtantia vnius ſpecici conſtituit alteram ſpeciem, reſpectu cuius non poteſt appellari circunſtantia, vt quando coniugatus fornicatur, circunſtantia perſonarum conſtituit adulterium, quod eſt altera ſpecies à fornicatione communiter dicta. Videatur D. Th. 1. 2. *quæſt.* 7. *art.* 1. Nugnus *tom.* 2. *in* 3. *part. quæſt.* 9. *art.* 2. *dub.* 2. *fol.* 318.

Dico ſecundò, circunſtantias eſſe in quadruplici differentia. Aliæ ſunt impertinentes, quæ nec augent, nec minuunt peccatum, quales ſunt furari dextera, vel ſiniſtra; quas circunſtantias conſtat non eſſe explicandas in confeſſione. Aliæ ſunt augentes notabiliter, qualis eſt intenſio actus: vt ſi quis cum magna intenſione odij aliquem odio proſequatur. Aliæ ſunt notabiliter minuentes. talis eſt ſimiliter circunſtantia odij, quod ſtatim ac fuit elicitum, fuit animo depoſitum. Aliæ ſunt mutantes ſpeciem, quæ nouam ſpeciem adducunt, qualis eſt circunſtantia voti caſtitatis in peccato luxuriæ. hæ circunſtantiæ mutantes ſpeciem appellantur à DD. aggrauantes in infinitum, ſeu infinitè; eo quòd homo ratione malitiæ mortalis ab infinito bono auertatur. Videatur pro his diſtinctionibus Medina 1. 2. *quæſt.* 18. *art.* 3. Bonacina *tom.* 1. *de Sacramentis, quæſt.* 5. *diſp.* 5. *ſect.* 2. §. 3. *diffic.* 3. *num.* 2. *fol.* 280. *col.* 2. Nugnus nouiſſimè relatus.

DVBITATIO II.

III. *Quænam ſint circunſtantiæ mutantes ſpeciem?*

Dico tertiò, tunc circunſtantia mutat ſpeciem, ſeu aggrauat infinitè, quando importat ſpecialem repugnantiam cum ratione vltra propriam malitiam ipſius actus, & addit nouam ſpeciem in genere moris; vnde circunſtantia in percuſſione Clerici eſt aggrauans infinitè actum percuſſionis; quia vltra malitiam iniuſtitiæ addit ſpecialem malitiam ſacrilegij. Ita bene S. Thom. *in* 4. *diſt.* 16. *q.* 3. *art.* 2. *quæſtiunc.* 3. Ad maiorem explicationem huius,

Dico quartò. Alij verò aſſerunt illam circunſtantiam mutare de vna in aliam ſpeciem moralem, quando actio etiamſi alio reſpectu mala non eſſet, ratione tamen illius circunſtantiæ fieret mala; vt de ſanguinis, vel ſeminis effuſione in Eccleſia patet. quamuis enim illa effuſio extra Eccleſiam mala non eſſet, vtpote inter maritum, & vxorem habita, aut ex iuſta iudicis ſententia quis in ea occideretur, vel vulneraretur; quia tamen in loco ſacro fiunt, mala ſunt, & iniuſta. Ita Maior *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 4. Sayr. *de pœnitentia, cap.* 8. *num.* 14. *fine.* Hæ igitur circunſtantiæ, quæ faciunt actionem peccaminoſam, etſi alio reſpectu mala moraliter non ſit, dicuntur mutare ſpeciem, & aggrauare in infinitum, ſiue infinitè.

IV. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO III.

An circunſtantiæ minuentes peccata ſint in confeſſione explicandæ?

Dico quintò, circunſtantiæ minuentes peccata non ſunt neceſſariò exprimendæ, niſi ſpeciem mutent. Vnde ſi tantùm grauiter, vel leuiter minuát culpam intra eandem ſpeciem, non ſunt neceſſariò exprimendæ. Vt ſi quis precibus amici non audiat Sacrum: vel ſi quis peccat ex aliqua vehementi, vel ex aliqua communi, & ordinaria paſſione, non tenetur has circunſtantias leuiter, vel grauiter intra eandem ſpeciem minuentes culpam in confeſſione exprimere. quia in ſacro Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. generaliter aſſeritur omnes circunſtantias mutantes ſpeciem confitendas eſſe. ergo licet inferre circunſtantias grauiter, vel leuiter minuentes non eſſe neceſſariò explicandas in confeſſione, niſi ſpeciem mutent: alioquin ſacrum Concilium Tridentinum videretur defeciſſe in traditione doctrinæ adeò neceſſariæ. Ita Victoria *de Sacramentis, num.* 17. Henriquez *lib.* 5. *de pœnitentia, cap.* 7. *num.* 3.

Dico ſextò, quando verò circunſtantiæ minuentes culpam faciunt eſſe veniale id quod aliàs eſſet mortale, ſunt neceſſariò explicandæ: vt ſi quis furetur vnum obulum, non poteſt ſe accuſare ſimpliciter de furto, ſed tenetur hanc circunſtantiam neceſſariò in

confeſſione

confeſſione exprimere. nam furtum ſimpliciter ex ſuo genere eſt mortale, ſecundùm D.Thom.2.2 *q.66. art.6.* Paruitas autem materiæ in furto excuſat à mortali; vt idem D. Thom. *eodem loco ad 3.* ergo hæ circunſtantiæ minuentes culpam, quæ faciunt de mortali veniale, ſunt neceſſariò explicandæ; deciperet enim aliàs pœnitens in re graui Confeſſarium, accuſando ſe de mortali, cùm ſolùm veniale commiſerit, quod faceret, ſi ſe ſimpliciter accuſaret de furto, non exprimendo circunſtantiam minuentem, ſe obolum ſcilicet tantùm ſurripuiſſe. Ita Nugnus noſter *tom.2. in 3.part.quaſt.9. art.2. dub.2. concl.3.fol.319. col.1.* Ad maiorem explicationem huius aſſertionis,

Dvbitatio IV.

V. *Quomodo differant inter ſe furtum mortale, & furtum veniale?*

Dico ſeptimò, licèt furtum mortale in quantitate notabili, & furtum veniale in re leui, non diſtinguantur ſpecie ex parte conuerſionis. nam vtrumque reſpicit idem ſpecie obiectum; actus autem ſpecificantur ab obiecto. Tamen furtum in quantitate notabili, & furtum veniale in re parui momenti ſi conſiderentur ex parte auerſionis, ſiue in ratione grauis, & leuis offenſæ, aut ratione effectus, dicendum eſt differre pluſquam genere. quia furtum mortale priuat gratia, & charitate, mortémque animæ ſpiritualẽ affert. Veniale autem furtum non ita. ergo, &c. licèt Nauarr. *præludio 9.ſumma, num.6.* aſſerat furtum mortale in quantitate notabili, & furtum rei minimæ, differre ſpecie. quia putat ſolam circunſtantiam, quæ facit de veniali mortalem actum, ſine qua ille non eſſet talis, mutare ſpeciem in genere moris. Ita habet *cap.17.ſumma, num.3.* Sed noſtrum aſſertum eſt verius, propter rationem allatam, quam affert, & docet D.Thom.1.2.*quaſt.72.art.5.ad primum.* quem ſequitur Henriquez *lib.5. de pœnitentia, cap.7. num.2.* Bonacina *tom.2.tract.de legibus, diſp.2.quaſt.3.puncto 4.n.3. fol.131. col.1.*

Dvbitatio V.

VI. *An circunſtantia aggrauantes notabiliter explicanda ſint in confeſſione?*

Dico octauò, verum eſt aſſerere circunſtantias quæ aggrauant quodammodo culpam, non tamen in aliam ſpeciẽ mutant, nec ſunt aggrauantes notabiliter, & euidenter, non eſſe neceſſariò explicandas in confeſſione. quia fideles tenentur ad id, quod fuit à Chriſto Domino præceptum, & præſcriptum; ſed Chriſtus Dominus non præcepit, nec præſcripſit huiuſmodi circunſtantias explicare in confeſſione; cùm tale præceptum non habeatur in Scriptura, nec ex traditione Eccleſiæ. ergo, &c. Tum, quia nimis angerentur fideles ex tali obligatione, cùm pauci bene cognoſcant, & ritè intelligant, quænam ſint circunſtantiæ aggrauantes. Tum, quia hæc ſententia videtur magis vſu recepta, etiam ab hominibus probatæ, & timoratæ conſcientiæ; & ita hanc ſententiam tenere videtur D. Thom. *in 4.diſt.16. quaſt.3. art.2.* & alij multi grauiſſimi, quos citat Henriquez *lib.5. de pœnitentia, cap.7. num.6.* Circonſtantiæ verò, quæ notabiliter, & euidenter aggrauant peccatum, ſunt neceſſariò fatendæ: nam qui continuauit odium proximi toto anno, vel menſe, vel per duos menſes, habuit delectationem moroſam erga fœminam, non ſatisfacit dicendo, odio habui proximum, habui cogitationem moroſam erga fœminam, niſi etiam & tempus tam longum, quo hæc habuerit, explicet: ergo. Tum, quia qui mille aureos, vel aliud quid magnum furto ſurripuit, non ſatisfacit dicendo ſe tantam quantitatem furatum eſſe, quanta ſatis eſt ad conſtituendum peccatum mortale: quia furtum eiuſmodi per illam magnitudinem notabiliter, & euidenter aggrauat peccatum. ergo. Tum, quia qui tota nocte fœdè, & turpiter cum aliqua concubuit, & ſe multis modis fœdauit, & tamen ſemel carnis copulam cum ea habuit, videtur abſurdum aſſerere, hunc ſatisfacere dicendo in cõfeſſione ſe cum quadam fœmina ſemel coiſſe, quia hæc circunſtantia longi temporis notabiliter, & euidenter aggrauat peccatum. ergo. Ita bene Nugnus noſter *tom.1.in 3.part quaſt.9.art.2.dub.2.concluſ.2.* Marſil. *in 4. diſt.12.art.1.* Argumenta adducta pro prima parte huius aſſertionis habent verum de circunſtantiis, aggrauantibus quidem intra eandem ſpeciem, non tamen notabiliter, & euidenter. Petes,

Dvbitatio VI.

VII. *An ſit hæreticum aſſerere, quòd circunſtantia addentes nouam ſpeciem non ſint aperienda in confeſſione?*

Dico nonò, fides eſt, itaut oppoſitum ſit hæreſis manifeſta, quòd circonſtantiæ addentes nouam ſpeciem, vel aggrauantes ſpecificè, ſeu in infinitum, vel infinitè, ſunt explicandæ in confeſſione. Ita diffinitur expreſsè in Concilio Tridentino *ſeſſ.14. cap.5. & canon.7. de ſanctiſſimo pœnitentia Sacramento.* Tum, quia aliàs non confiteretur homo omnia peccata mortalia tacitis circunſtantiis mutantibus ſpeciem in genere moris. Nam, vt diximus *aſſertione 3.* circunſtantiæ mutantes ſpeciem in genere moris important ſpecialem malitiam, & repugnantiam cum ratione vltra malitiam ipſius actus. ergo, &c. Videatur Nugnus nuperrimè relatus. His poſitis ſequitur ſolutio plurimorum caſuum.

Dvbitatio VII.

VIII. *An vir perdens ſuam virginitatem per primam copulam carnalem, teneatur id in confeſſione exprimere; & idem inquiritur de fœmina, & vltrà quæritur, an fœmina ſit de hoc interroganda?*

Dico decimò, vir perdens ſuam virginitatem per primam copulam carnalem illicitam, non tenetur exprimere in confeſſione hanc circunſtantiam. nam ſi teneretur, hoc eſſet, quia committit ſtuprum, per quod perditur irrecuperabiliter virtus virginitatis; ſed hoc eſt falſum. ergo, &c. Probatur minor. nam ſtuprum ita definitur communiter quòd ſit concubitus viri cum fœmina virgine, quo virginalis carnis integritas corrumpitur; hoc eſt, quo virginis fœminæ ſignaculum violatur. Ita D.Thom.2.2.*quaſt.154. art.6.* Armill.*verb.Stuprum.* Tum, quia per primam copulam ſola fœmina eſt, quæ amittit quandam integritatem naturalem. Integritas autem naturalis, quæ eſt in viro, eſt minimæ conſiderationis. ergo, &c. Sic Caiet.2.2.*quaſt.154 art.6. Ad dubium ſecundum,* inquiens, ſi maſculus confitetur de luxuriæ peccato, non oportet quærere ſi erat virgo.

Dico vndecimò, fœminæ, quando primò exteriùs fornicantur cum viris, tenentur hoc explicare in confeſſione, quia committunt ſtuprum, quod eſt ſpeciale peccatum luxuriæ amittentes virginalis carnis integritatem. Nugnus *tom.2. in 3.part.quaſt.9. art.2.*

Digitized by Google

art.2.dub.3.concluſ.6 fol.321.col.1. Azor.*part.3. inſt.mor. lib.3. cap.11. dub.4.*

Dico duodecimò eſſe omninò falſum, & improbabile, aſſerere fœminam, quæ primum lapſum carnis externum cum viro confitetur, non teneri declarare in cõfeſſione, an in illo primo lapſu eſſet virgo, necne: quia concubitus cũ virgine opponitur ſpeciali virtutis virginitati, virginitas quippe ſpecialis virtus eſt, teſte D.Th.2.2.*q.152.a.3.corp.* ergo habet in ſe ſpecialẽ malitiam neceſſariò fatendam in confeſſione. Conſequentia patet. Probatur antecedens. nam nequit actus vitioſus ſpeciali virtuti opponi, quin ipſe habeat in ſe ſpecialem deformitatem, vtpote qui priuat ſpeciali illa bonitate, cui opponitur; ſed concubitus cum virgine opponitur ſpeciali virtutis virginitati; ergo habet in ſe ſpecialem malitiam neceſſariò fatendam in confeſſione. Tum, quia ratio ſtupri ſine raptu inueniri poteſt vt quando quis abſque violentia virginem deflorat, vt expreſsè docet D.Thom.2.2.*q.154. art.7. in fine corp.* Sed ſtuprum quod eſt violatio virginis, addit ſpecificam deformitatem ſupra luxuriæ genus: ergo fœmina quæ primum lapſum carnis externum cum viro confitetur, tenetur declarare ſe fuiſſe virginem, vt hæc ſpecifica deformitas à Confeſſario dignoſcatur, & ita hoc aſſertum apertè tenere videtur D.Th. *loc cit.* Caiet.*ſumma verb.Stuprum,* Valentia 2.2.*tom. 3. diſp.9.quæſt.3.puncto 3.§.Stuprum.*

Dvbitatio VIII.

IX. *An virgo debeat notificare Confeſſario ſe eſſe virginem, cùm ſe accuſat de aliqua pollutione ſiue intentata, ſiue habita? & an ad idem teneatur in delectationibus carnalibus moroſis habitis? & an vir deſiderans puellam, debeat in confeſſione aperire ſuum deſiderium fuiſſe erga virginem?*

Dico decimotertiò, cùm fœmina virgo ſe polluit voluntariè, aut cùm peccat ſolo mentis affectu, deſiderans pollutionem, aut procurans eam, non tamen habens, aut ſe delectans in pollutione quæ ei contingit in ſomno abſque culpa, non eſt neceſſe ad confeſſionem rectè peragendam exprimere quòd eſt virgo. quia hæc prædicta peccata non habent rationem ſtupri, cùm per hæc non perdatur carnis integritas. ergo non habent ſpecialem rationem luxuriæ. ergo circumſtantia virginitatis non eſt exprimenda. Sic Caiet. 2.2.*quæſt.154.art.6. ad tertium dubium.* quo loco aſſerit peccata prædicta eſſe peccata contra naturam. Pollutio igitur in virgine eſt peccatum mollitiei; ſimiliter deſiderium efficax habendi pollutionem, aut delectationem in pollutione proueniente in ſomno præterito, ſunt peccata contra naturam, ſed interna. hanc doctrinam Caiet. adducit, & ſequitur Azor. 3.*part. inſtit. mor. lib.3. cap.11. dub. 3.* Bonacina *tom.1. tract. de matrimonio, quæſt.4. puncto 17. num. 3. fol.116. col 2.*

Dico decimoquartò, fœminam virginem, quæ venereas delectationes moroſas habet circa aliquem adoleſcentem, vel quæ deliberatè deſiderat, aut ſtatuit copulam carnalem illicitam cum aliquo viro ſoluto, non teneri in confeſſione exprimere quòd eſt virgo. Idem de viro iuuene qui deliberatè deſiderat, aut ſtatuit habere copulam carnalem illicitam cum fœmina virgine, non debere in confeſſione dicere, quòd fœmina illa à ſe concupita ſit virgo. Aſſerit Sanchez *lib.7.de matrimonio, diſp.14.num.6.* Leſſ.*lib.2.de iuſt.c.10. dub.1. num.1.* Sed hoc eſt falſum: quia circumſtantia virginitatis in deſiderio, & in delectatione moroſa mutat ſpeciem a ſimplici fornicatione. ergo falſum eſt non teneri.

Dico decimoquintò, oppoſitam ſententiam eſſe veriſſimam, & omnino tenendam, teneri ſcilicet fœminam virginem, ne dum quando actu externo defloratur, ſed etiam quando delectationem moroſam, & deſiderium illicitum circa virum iuuenem habet. Similiter, & iuuenẽ deflorantem fœminam virginem conſentientem, ſeu habentem delectationem moroſam, & deſiderium illicitũ congrediendi cum fœmina virgine, teneri, inquam, virginitatis, & integritatis circumſtantiam confiteri: quia hæc circumſtantia virginitatis, & externæ integritatis vt mutat ſpeciem in opere, ita etiam & in ſolo conſenſu interno; peccatum enim mentis, & operis, eſt eiuſdem ſpeciei, vt docet D.Thom. 1.2.*quæſt.72.art.7.* & ita hanc ſententiam tenet Nauarr. *ſumma cap. 6. num. 7.* Rodriquez *1.part ſummæ, cap.207.num.1.* Azor.*part.3.inſt.mor lib.3. cap.11. dub.4.* Bonacina *tom.1. de Sacramentis, tract. de matrimonio, quæſt.4.punct.17. num.3.* Henriquez *lib.5. de pænitentia, cap.8.num.2.*

Dvbitatio IX.

X. *Quid ſit ſtuprum, & an teneatur in confeſſione exprimere qui illud commiſit?*

Dico decimoſextò, ſi puella virgo non conſentit in ſui violationem, ſed violenter clauſtrum virgineum aufertur ab ea, tunc propriè committitur ſtuprum à fornicatione ſpecie diſtinctum; ideóque in omnium opinione à ſtupratore talis circumſtantia ſtupri neceſſariò eſt aperienda in confeſſione: quia ſupra fornicationem additur iniuria in puellam, quia per vim integritas corporis, quæ maximi fieri ſolet, ei adimitur. ergo tunc ſtuprator ſupra fornicationem hanc iniuriam puellæ infert. ergo. &c. Propria igitur ratio ſtupri ſecundùm DD. modò allegandos, conſiſtit in hoc, quòd virginitati, ſeu clauſtro virginali vis adferatur, & conſequenter in ſtupro non eſt ſpeciale peccatum, niſi ſit ſpecialis iniuria, & vis illata puellæ. Videatur Leſſ. *lib.2. de iuſtitia, cap.10. dub. 1. num.6.* Sanchez *lib.7. de matrimonio, diſp.14.n.7.* vbi docet rationem ſtupri conſiſtere propriè in iniuſtitia admiſſa, auferendo violenter à virgine clauſtrum virgineum.

Dvbitatio X.

XI. *An corrumpens virginem precibus, vel dolis, committat peccatum ſtupri?*

Dico decimoſeptimò, corrumpens virginem precibus importunis, committit ſpeciale peccatum ſtupri neceſſariò fatendum in confeſſione. quia preces importunæ violentiæ æquiualent, vt docet Nauarr. *tom.2.conſil.lib.5. de raptoribus, conſil.3.num.1.* ergo præter malitiam fornicationis malitiam etiam ſtupri debet exprimere in confeſſione, corrumpens virginem precibus importunis.

Dico decimooctauò, ſtuprum eſt neceſſariò fatendum in confeſſione, ſi virgo dolis circumuenta, aut ignorans cognoſcatur. quia hæc copula dolis, ignorantia, & mendaciis habita cum virgine, non ſoli caſtitati aduerſatur, ſed etiam iuſtitiæ. Dolus enim, mendacium, & fraus ſunt medium contra iuſtitiam, vt bene docet Magiſter Bannes 2.2.*quæſt. 62. art. 2. dub.12. concl.1. col.1. fol.28. mihi.* ergo in iſto caſu apud omnes Doctores cognoſcens virginem dolis circunuentam,

uentam, tenetur in confeſſione exprimere ſpecialem ſtupri malitiam. Videatur Sanchez *lib. 7. de matrim diſp. 12. num. 33.*

DVBITATIO XI.

XII. *An ſit raptus dum fœmina conſentit in ſui violationem? & quid ſit propriè raptus?*

Dico decimononò, ſtuprum eſt violatio virginis, etiamſi fœminæ virginis nulla vis inferatur, vt probatum eſt *aſſertione 12. in hoc dubio*, & ſi parentibus, aut tutoribus renitentibus è domo virgo volens abducatur, & cognoſcatur, eſſet raptus reſpectu parentum, & tutorum neceſſariò in confeſſione explicandus; quia ſupra malitiam fornicationis eſſet malitia raptus; inferretur enim tunc notabilis iniuria, & vis parentibus, quæ conſtituit raptum qui eſt ſpecialis ſpecies luxuriæ. Videatur Syl. *verb. luxuria, num. 1.* Pro maiori explicatione huius aſſerti,

Dico vigeſimò, raptus ſpecies luxuriæ committitur, cùm perſona aliqua libidinis cauſa, vi abducitur, ſiue maſculus, ſiue fœmina, ſiue nupta, ſiue innupta, ſiue vis inferatur ſoli abductæ, ſiue his, quorum poteſtati ſubeſt, ſiue vtriſque. Tria igitur requiruntur ad raptum propriè. nimirum vis illata, abductio, & vt fiat cauſa concubitus, vel alterius libidinis. Vnde ſi nulla vis inferatur, ſed ipſa fœmina, ſeu adoleſcens ſpontè diſcedat cum amaſio, parentibus neſcientibus, non erit propriè raptus, ſed volũtaria fuga. Itaque requiritur vt vis inferatur vel ipſi, vel ſaltẽ his, ad quos pertinet, v.g. parentibus, marito, ſponſo, curatori, abducendo illam ipſis contradicentibus, & repugnantibus. Similiter non eſt propriè raptus, quando non eſt abductio de loco ad locum. nam qui virginem per vim ſtuprauit inuentam in aliquo loco, ſi eam non tranſtulit ad alium locum, non eſt propriè raptus. Item ſi non abducatur cauſa libidinis, ſed redigendi in ſeruitutem, non eſſet raptus, ſed furtum hominis, non tamen requiritur ad raptum, vt re ipſa concubitus ſit, ſed ſufficit vt eo fine fiat. Videatur D. Thom. 2. 2. *quæſt. 154. art. 7.* Nauarr. *tom. 2. conſil. lib. 5. de raptoribus, conſil. 1. num. 1.* Leſſ. *lib. 4. de iuſtitia, c. 3. dub. 9. n. 66.*

Dico vigeſimoprimò, virgo, quæ rapta eſt à iuuene parentibus contradicentibus & repugnantibus, ſi poſtea in loco, ad quem adducitur, timore compulſa conſenſit ſuæ deflorationi, non tenetur in confeſſione exprimere circunſtantiam virginitatis, neque raptus; bene iuuenis rapiens debet & ſtupri, & raptus circunſtantiam aperire. Probatur quoad primam partem; quia ratio ſtupri conſiſtit in violenta ablatione virginitatis: at virgo nullam virginitatem violenter aufert, ſed patitur violentiam ſibi auferri. ergo, &c. quòd non raptus, probatur. nam abducitur; & non adducit aliquem de loco ad locum cauſa libidinis. Iuuenis verò vtrumque tenetur aperire in confeſſione; quia violenter, vel ſaltem non habens voluntatem ſpontaneam virginis, aufert eius virginitatem; & quia cauſa libidinis adducit de loco ad locum perſonam violatam. Videatur Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 14. num. 13.*

DVBITATIO XII.

XIII. *An nupta vi oppreſſa committat adulterium ſi ex metu mortis conſentiat?*

Dico vigeſimoſecundò, licèt nupta vi oppreſſa abſolutè excuſetur à culpa adulterij, quia vbi non eſt voluntarium, ibi non eſt culpa: at abſoluta violentia tollit voluntarium. ergo nupta vi oppreſſa abſolutè excuſatur à culpa. Tamen ſi per metum ipſa conſentiret adulterio, etiam metu mortis cadente in virum conſtantem, rea eſſet culpæ adulterij; quia metu mortis non licet contra legem agere, quæ eſt iuris naturæ; eo quòd intrinſecam habet malitiam; ſed fidelitatem coniugij non ſeruare, eſt contra legem naturæ, & intrinſecè malum. ergo metu mortis non excuſat, &c. Ita præclarè Sotus *in 4. diſt. 36. quæſt. vnica, art. 1. verſ. & eadem ratione.*

Sed inſurgens contra has duas vltimas aſſertiones. nam virgo per metum conſentiens cooperatur malitiæ ſtupri. ergo erit rea eiuſdem, ſicuti nupta, quamuis per metum adulterio conſentiat, rea eſt malitia adulterij. Reſpondetur negando antecedens, non enim cenſetur cooperatio in malum, niſi vbi res eſt intrinſecè mala, non pendens à voluntate concurrentis. At malitia ſtupri pendet ex fœminæ voluntate, itaut illa concurrente tollatur; ipſa verò renitente ponatur. Inde eſt vt in virgine conſentiente per metum non inueniatur malitia huius circumſtãtiæ, ſtupri ſcilicet; ſed ſolùm malitia fornicationis. At in ſtupratore vtraque inuenitur, eo quòd non habeat in fornicatione, quam committit cum virgine, voluntatem ſpontaneam ipſius, ſed metu extortam. Cæterùm circunſtantia adulterij non pendet ex voluntate fœminæ, itaut illa ſpontaneè concurrente tollatur, & illa renitente ponatur. iniuſtitia enim adulterij eſt ſecundùm ſe, & intrinſecè mala independenter à voluntate coniugatæ. Vnde non eſt eadem ratio. Videatur pro hac ſolutione Sanch. *lib. 7. de matrim. diſp. 14. n. 13.*

DVBITATIO XIII.

XIV. *An coniugati habentes delectationem moroſam circa ſolutas, teneantur id in confeſſione exprimere? &, an ſimiliter qui votum caſtitatis emiſit ſolùm in opere externo, ſi habeat aliquam cogitationem carnalem, teneatur exprimere ſe eſſe voto caſtitatis obſtrictum?*

Dico vigeſimotertiò, coniugatus, ſimiliter coniugata, habens delectationem moroſam circa ſolutam, tenetur in confeſſione exprimere ſe eſſe coniugatum. quia coniugatus habens delectationem veneream circa ſolutam, non ſolùm peccat contra caſtitatem, verùm etiam contra fidem in matrimonio datam. coniugatus enim & coniugata non ſolùm corpus, ſed etiam internum affectum videtur coniugi obligaſſe. Similiter habens votum caſtitatis abſolutum ſi delectationem voluntarium habet de re venerea, tenetur explicare in confeſſione ſe tali voto eſſe obſtrictum. quia votum caſtitatis complectitur omnes internos affectus. peccaret igitur contra Religionem, & contra caſtitatem, ſi delectaretur de re aliqua turpi. ergo tenebitur hoc votum in confeſſione exprimere. Videatur Vaſquez 1. 2. *quæſt. 74. art. 4 diſp. 112. fine.* Sayr. *lib. 8. Clauis Regia, cap. 7. num. 20.*

Dico vigeſimoquartò, qui verò vouit caſtitatem ſolùm in opere externo; id eſt, emiſit votum abſtinendi ſolùm ab opere externo, non peccat contra Religionem, ſed ſolùm contra caſtitatem, quando interiùs delectatur; quando verò efficaciter habet deſiderium operis externi, peccat etiam peccato ſacrilegij: quia voluntas efficax deſumit malitiam ab opere externo; ſed opus externum habet malitiam ſacrilegij. ergo voluntas efficax operis externi habet malitiam ſacrilegij. Ita bene notanit

Bonacina

Digitized by Google

Bonacina *tom. 1. tract. de matrimonio, q. 4. punct. 8. n. 19. verſ. Dixi, fol. 101. col. 2.*

Dubitatio XIV.

XV. *An coniugatus ſe polluens teneatur exprimere in confeſſione ſe eſſe coniugatum?*

Dico vigeſimoquintò, coniugatus qui extra congreſſum coniugalem voluntariè ſecum per pollutionem emittit ſemen, tenetur in confeſſione exprimere ſe eſſe coniugatum. quia vltra peccatum contra naturam, agit contra fidem matrimonij. nam læditur matrimonium, cùm proditur ſemen viri debitum vxori: tùm, quia fides matrimonij integrum corporis dominium tradit quoad copulam coniugalem, & omnia ad illam ordinata; ſed ſemen potiſſimum eſt ordinatum ad copulam coniugalem. ergo coniux agit contra fidem matrimonij prodendo voluntariè ſemen extra copulam coniugalem. Videatur Sanchez *lib. 9. de matrimonio, diſp. 46. n. 19. & eodem lib. 9. diſp. 18. & lib. 10. diſp. 4. num. 9.* Azor. *part. 3. lib. 3. inſt. mor. cap. 23. quæſt. 1. fine.*

Dubitatio XV.

XVI. *An ſponſa de futuro accedens ad alium, adulteretur? & idem inquiritur de ſponſo?*

Dico vigeſimoſextò, ſponſa de futuro, quæ ſcilicet ſpopondit de futuro accipere aliquem in maritum, quamuis propriè accedendo ad alium non committat adulterium; eſt enim adulterium alieni tori violatio, vt docet D. Th. 2. 2. *q. 154. art. 8. in corp.* ſed accedens ad ſponſam de futuro minimè violat alienum torum, cùm hic non concedatur ſponſis ante matrimonium de præſenti: ergo adulterium tunc non admittitur, vt bene aduertit Lopez noſter 1. *part. inſtr. cap. 29. §. Ad hæc libet.* Rodriquez *ſumma 1. part. cap. 53. num. 3. fine.*

Dico tamen vigeſimoſeptimò, iſta ſponſalium circunſtantia neceſſariò in confeſſione fatenda eſt, quando ſe tenet ex parte fœminæ, id eſt, dum aliquis fornicatur cum ſponſa alterius de futuro; tunc enim tenetur fornicans, & ipſa ſponſa fateri hanc ſponſalium circunſtantiam; quia tunc eſſet duplex malitia, altera fornicationis, altera fractorum ſponſalium. ergo in confeſſione eſt fatenda hæc circunſtantia à ſponſa de futuro, quia fornicatur; & à fornicante cum ea, quia vltra fornicationem, eſt alia ibi iniuſtitiæ ſpecies; atrocem enim iniuriam irrogant ſponſo. Ita rectè Lopez & Rodriquez *loc.* immediatè *cit.* Tum, quia quamuis hic acceſſus non ſit verè adulterium, vt probaui *aſſertione præcedenti*, reducitur tamen ad ſpeciem adulterij; ſponſus enim de futuro licèt non habeat ſupra ſponſam ius perfectum, & in re, habet tamen ius imperfectum & ad rem; vt bene notat noſter P. de Ledeſma *de matrim. q. 45. art. 1. dub. vlt.* immediatè ante argumentorum ſolutionem.

Dico vigeſimooctauò, ex parte verò ſponſi de futuro, ſi ad aliam accedit, hæc circunſtantia non eſt neceſſariò aperienda in confeſſione. quia quamuis etiam contineat ea fornicatio iniuriam, ac circunſtantiam diuerſam ſpecie iniuſtitiæ aduersùs ius acquiſitum ſponſæ per ſponſalia; verùm cùm ea iniuria reputetur prudentum arbitrio leuis, in fornicatione ſponſi de futuro non excedit limites culpæ venialis, ac proinde non eſt neceſſariò fatenda: quod ſecus eſt in ſponſæ fornicatione, quæ atrox eſt ſponſi iniuria. Tum, quia ſicut fornicari cum fœmina ad furandum dimidium argenteum habet coniunctam furti circunſtantiam mutantem ſpeciem; quia tamen materia eſt leuis, eſt ſolùm culpa venialis, nec neceſſariò fatenda eſt. ergo ſimiliter, &c. Videatur Lopez noſter *loc. ſuprà alleg. & part. 2. Inſtruct. in materia de matrimonio, cap. 36. §. Aduertendum eſt tertiò,* Bonacina *tom. 1. tract. de matrimonio, quæſt. 1. puncto 10. num. 12. fol. 20. col. 1.* Sanchez *lib. 2. de matrimonio, diſp. 2. num. 6.*

Dubitatio XVI.

XVII. *An in confeſſione explicanda ſit circunſtantia perſonæ, circa quam habita fuit delectatio moroſa venerea?*

Dico vigeſimononò, in confeſſione explicanda eſt circunſtantia perſonæ, circa quam fuit delectatio moroſa venerea, vt ſuprà tetigi *aſſertione* 15. Nam delectatio moroſa de vxore alterius non ſolùm habet malitiam contra caſtitatem, ſed & contra iuſtitiam. Delectatio de conſanguinea non tantùm habet malitiam ſimplicis fornicationis, contra caſtitatem, ſed etiam inceſtus, contra pietatem, ſeu reuerentiam debitam parentibus & ſanguine, vel affinitate coniunctis. Delectatio de Moniali non ſolùm habet culpam, & malitiam fornicationis contra caſtitatem, ſed etiam ſacrilegij contra Religionem. Delectatio de rapta non ſolùm malitiam habet contra caſtitatem; ſed etiam contra iuſtitiam. ergo hæ circunſtantiæ ſunt in confeſſione aperiendæ. Tum, quia delectatio venerea non ſolùm eſt mala ex malo motiuo libidinis, ſed etiam eſt mala ex cauſalitate, quam ex natura ſua habet in opus externum. nam quando adeſt delectatio moroſa venerea in voluntate, ſequitur etiam delectatio in appetitu, in quo vim habet excitandi ardorem corporis, & conuocandi, & excitandi materiam libidinis ex diuerſis partibus, quæ omnia ex natura ſua, vſque ad perfectionem actus conſummati ordinantur. hanc aſſertionem docet Caiet. 2. 2. *q. 154. a. 4. verſ. in Reſponſione ad ſecundum.* Sotus *in 4. diſt. 18. q. 2. art. 4. poſt ſeptimam concluſionem, verſic. Quoniam verò cogitatio,* quos ſequitur Sanchez *lib. 1. in Decalogum, cap. 2. num. 11.* Leſſ. *lib. 4. de iuſt. cap. 3. dub. 15. num. 123. fine.* Bonacina *tom. 1. tract. de matrimonio, quæſt. 4. puncto 8. num. 19.* contra Vaſquez 1. 2. *quæſt. 74. art. 8. diſp. 112. cap. 2.* Sayr. *in Claui, lib. 8. cap. 7. num. 20.* Ad maiorem intelligentiam huius 29. aſſertionis,

Dico trigeſimò, quando delectatio venerea moroſa verſatur circa obiectum, & rem turpem cogitatam ſecundùm totam ſuam malitiam, vt dum quis delectatur de concubitu cogitato cum coniugata, conſanguinea Moniali, &c. tunc plenam, & integram operis externi malitiam, & ſpeciem ſortitur. ergo ſicut in actu externo ſunt fatendæ circunſtantiæ, ita & in delectatione venerea, & hoc certiſſimum eſt apud omnes. At ſi delectatio moroſa non feratur in obiectum ſecundùm totam ſuam malitiam apprehenſam, ſed ſecundùm partem, vt in fœminam apprehenſam, vt non ſuam, non vt eſt alij nupta, aut Monialis, aut conſanguinea: quatenus eſt obiectum delectabile; nimirum, quia fœmina pulchra, non tamen quatenus eſt iuncta matrimonio, aut quòd marito fiat iniuria; ſimiliter non quatenus Deo conſecrata, aut conſanguinea. Tunc probabile eſt talem delectationem veneream non habere integram operis externi malitiam, ſed ſolam apprehenſam, & ea ſola fatenda erit, & reducetur ad ſimplicis

fornicationis ſpeciem. quia tunc in illa delectatione venerea neque expreſsè, neque interpretatiuè approbatur iniuria in maritum, neque in Deum ſpeciatim contra virtutem Religionis, neque in reuerentiam, quæ debetur parentibus, ſed tantummodo contra caſtitatem. ergo, &c. Confirmatur, qui videt inimicum malè tractari, & vulnerari in loco ſacro, & delectatur illa inimici calamitate abſque conſideratione loci ſacri, peccat ſolùm peccato odij inimici, & non ſacrilegij, quamuis ſacrilegium ſit circunſtantia obiecti. ergo ſimiliter qui delectatur circa vxorem alterius, peccat ſolùm peccato luxuriæ, non autem iniuſtitiæ. Ita Azor. *part.1. inſt. mor. lib.4. cap.6.q.3.* Vaſquez, Sayr. & Sanchez *loc.cit.* Sed hæc conſideratio videtur potius ſpeculatio Methaphyſica, quàm doctrina moralis: & conſequenter in praxi non videtur tenenda. Vaſquez verò abſolutè loquitur in confeſſione, ſcil. delectationis moroſæ, circa ſpecies luxuriæ naturalis non eſſe neceſſarium explicare circunſtantias perſonæ imaginationi obiectæ, eo quòd hæc non mutet ſpeciem illius delectationis, quando abeſt deſiderium, & conſenſus in exequutionem operis: ſed hoc eſt falſiſſimum, & omnino tenendum eſt quod diximus *aſſertione præcedenti.* Nam delectatio moroſa venerea ex cauſalitate quam habet ex ſua natura, tendit, & ordinatur ad perfectionem actus conſummati, licèt non explicitè ex parte operantis, implicitè tamen virtualiter, & ex parte operis illam reſpicit.

Dvbitatio XVII.

XVIII. *An in amplexibus, oſculis, & tactibus, circunſtantia perſonarum, circa quas ſunt habitæ, ſint explicandæ in confeſſione?*

Dico trigeſimoprimò. Amplexus, tactus, & oſcola habita inter virum, & fœminam omnino ſolutos lege matrimonij, & ſponſalium inter ſe initorum propter ſolam delectationem ſenſibilem in appetitu ſenſitiuo conſurgentẽ ex ipſis, quamuis nec de fornicatione, nec de illius delectatione cogitetur, ſunt peccata lethalia. quia amplexus, tactus, & oſcula ob delectationem habita ſuapte natura, & intrinſecè, ordinantur ad copulam. ergo participant eandem ipſius malitiam. Ita benè D.Thom. *de malo q.15.art.2.ad* 14. neceſſariò igitur in talibus amplexibus, oſculis, & tactibus libidinoſis, perſonarum agentis, & patientis circunſtantiæ ſunt aperiendæ, ſicut in copula ipſa. Vt ſi tangens, vel tactum patiens ſit matrimonio, aut voto aſtrictus; ſi ſint conſanguinei, &c. quoniam eiuſdem ſunt malitiæ moralis, cuius eſt actus conſummatus copulæ ad quam ſuapte natura referuntur; quamuis tangens eam minimè intendat. Sic Caiet. 2.2.*q.*154.*art.*4.*dub.*1.§. *Ad euidentiam horum.* Armil. *verb. impudicitia, num.*1. quos ſequitur Sanchez *lib.9.de matrim. diſp.*46.*num.*18.

Dvbitatio XVIII.

XIX. *An delectatio capta ex aſpectu mulieris ſit peccatum mortale?*

Dico trigeſimoſecundò. Aſpectus mulierum, & delectatio, quæ capitur ex eo, licèt communiter ſit tantùm culpa venialis; quia delectatio ex viſu conſurgens ſuapte natura non ordinatur ad concubitum, ſicut delectatio, quæ percipit & conſurgitur ex tactu, oſculo, & amplexu. ceſſante igitur malo fine & periculo peccati mortalis, eſt tantùm culpa venialis. Si verò ex tali aſpectu conſurgit delectatio aliqualis venerea excitans maximè appetitum ſenſitiuum, tunc ratione delectationis notabilis venereæ, vel ratione rem turpem cogitatam appetendi, talis aſpectus eſt lethalis, & ſic in confeſſione aperiendæ ſunt circunſtantiæ perſonarum, ſicut in copula ipſa. quia hæc delectatio eſt eiuſdem malitiæ, cuius eſt actus conſummatus, ordinatur enim ad coitum, & ad actum conſummatum. Videatur Caietanus *ſumma verb. impudicitia.* Bonacina *tom.* 1. *tract. de matrimonio, quæſt.4.punct.9.num.*16.

Dvbitatio XIX.

XX. *An turpiloquia, cantiones, auditiones turpium, &c. ſint peccata mortalia.*

Dico trigeſimotertiò. Turpiloquia ſi fiant propter delectationem, quæ ex narratione eorum præcisè capitur abſque praua intentione, vel abſque affectu venereo, ob ſolum quoddam leue, & vanum ſolatium communiter ſunt peccata tantummodo venialia. quia tunc finis intentus, ex cuius malitia eſt metienda culpa, non excedit limites venialis culpæ. Ita Caiet. 2.2. *quæſt.*168. *art.3.ad primum dubium, fine.* Idem dicendum de cantione, auditionéque turpium, ac geſtibus turpibus effectis ob ſolum vanum quoddam ſolatium. Cæterùm ſi hæc omnia fiant animo oblectandi ſe rebus ipſis turpibus, narratis, cogitatis, & obiectis imaginationi ſunt peccata mortalia; quia illa cogitatio conſurgens ex re turpi, cogitata eſt mortalis. ergo à fortiori illam verbis turpibus, factis fouere erit lethale. Videatur D. Th. 2. 2. *quæſt.* 168. *art.*3. & *ibi* Caiet. tunc etiam quando turpia dicere, aut audire eſt peccatum mortale ob delectationem veneream inde perceptam fatendæ ſunt circunſtantiæ perſonarum, vt in delectationibus tactuum, & aſpectuum. quia eadem eſt ratio. Sic bene annotauit Sanchez *lib.9.de matrim. diſp.*46.*n.*46.

Dvbitatio XX.

XXI. *An peccans peccato ſodomiæ debeat exprimere in confeſſione vtrùm id commiſerit cum fœmina, vel cum maſculo?*

Dico trigeſimoquartò. Peccans enormiſſimo peccato ſodomiæ, quæ eſt coitus maris cum mare, aut fœminæ cum fœmina inter perſonas eiuſdem ſexus. (quia quamuis maſculus cognoſcendo fœminam extra vas naturale, dicatur committere ſodomiam, nihilominus hæc non eſt propriè ſodomia; ſed eſt peccatum diſtinctæ ſpeciei,) tenetur exprimere in confeſſione perſonam ſi fuerit mas, vel fœmina, cum qua patrata fuit ſodomia. Nam diſtinctæ ſpeciei eſt ſodomia propriè ſumpta, quando mas cum mare, vel fœmina cum fœmina congreditur, ac quando mas cum fœmina præpoſterè congreditur. quia alia deformitas eſt contra rectam rationem non ſeruare in copula debitum ſexum, & debitum inſtrumentum; alia verò non ſeruare debitum inſtrumentum ſeruato ſexu. At quando mas congreditur cum mare, aut fœmina cum fœmina, peccatur contra ſexum, & contra debitam partem naturalem. & quando mas congreditur cum fœmina præpoſterè, peccatur ſolùm contra debitum inſtrumentum, & partem naturalem, non autem contra ſexum. ergo in ſodomia propriè, & in ſodomia non ita propriè, ſunt deformitates diſtinctæ ſpeciei. ergo explicandæ. Ita præclarè Caiet. 2.2.*q.*154.*art.*11.§. *Ad quartum dubium, verſ. pro ſecunda autem obiectione*, quem ſequitur Azor. *p.3.inſt.mor.lib.3.c.*18.*dub.*1. Bonac. *tom.*1. *tract. de matrimonio, q.4 punct.*11.*num.*2. *&* 7.

Dico trigeſimoquintò, ſodomia quando committitur cum maſculo, vel cum fœmina votum caſtitatis habente, vltra malitiam ſodomiticam habet malitiam ſacrilegij neceſſariò fatendam in confeſſione, quoniam votum caſtitatis continet promiſſionem Deo factam abſtinendi ab omni libidine carnali. ergo ſimiliter ſi quis coit cum maſculo vim illi inferendo, vel abducendo violenter à domo paterna, non ſolùm hic coitus eſt ſodomiticus, ſed habet etiam aliam ſpeciem adiunctam aperiendam in confeſſione, nimirum violentiæ, vel raptus. quia ratio raptus, vel violentiæ addit nouam ſpecie diſtinctam malitiam. Sic probè obſeruauit Caiet. 2.2. *quæſt.* 154. *art.* 12. §. *Ad primum dubium.*

Dvbitatio XXI.

XXII. *An vxoratus ſodomiam committens committat duo peccata, & an ille abutens aliena coniuge præpoſterè, teneatur id exprimere in confeſſione?*

Dico trigeſimoſextò, vxoratus ſodomiam perpetrans duorum peccatorum malitias neceſſariò fatendas committit, criminis ſodomitici, & iniuriæ contra matrimonium. nam per matrimonium ita vnus coniux tradit alteri coniugi ſuum corpus, vt iniuria fiat matrimonio, ſiue tradatur ad copulam conſuetam, ſiue ad copulam inſolitam, licèt talis actus ſodomiticus non poſſit propriè dici adulterium, ſed habens malitiam, & iniuriam contra matrimonium. Videatur Caietanus nuperrimè relatus *verſic. Et eſt reductiuè*, quem ſequitur Azor. *lib.* 3. *cit. dub.* 6.

Dico trigeſimoſeptimò, coniugatus, qui præpoſterè abutitur aliena coniuge, circumſtantias perſonarum tenetur in confeſſione exprimere, quia vltra peccatum enormiſſimum ſodomiticum, malitia, & iniuria contra matrimonium ex parte vtriuſque agentis, & patientis, in iſto malo congreſſu reperitur. Tum, quia coniugatus rem habens cum aliena coniugata congreſſu naturali, tenetur declarare non ſolùm eſſe ſe coniugatum, ſed etiam illam, cum qua rem habuit, eſſe coniugatam. nam hic eſt duplex malitia adulterij. ergo ſimiliter cùm ibi ſit duplex malitia ex parte agentis, & parte patientis, & duplex iniuria contra matrimonium, tenebitur, &c. Videatur Nauarr. *ſumma c.* 6. *n.* 5. §. *Quartò infertur, fine.* Azor. *part.* 3. *lib.* 5. *inſt. mor. cap.* 20. *dub.* 5. *verſ. Tertiò rogabis.*

Dvbitatio XXII.

XXIII. *An iuuenis pathicus, rem habens cum vxorato, ne dum committat peccatum ſodomiæ, ſed etiam adulterij? &, an committat præter ſodomiam, ſacrilegium, id faciens cum Religioſo, vel obſtricto voto caſtitatis?*

Dico trigeſimooctauò, iuuenis pathicus rem habens cum vxorato, non ſolùm committit peccatum ſodomiticum igne in hac vita temporali, & in alia æterno puniendum; ſed iniuriam & malitiam committit contra bonum fidei coniugalis. nam quamuis propriè hic concubitus contra naturam non ſit adulterium, quia omnes ſpecies luxuriæ naturalis, inter quas adulterium, ſignificant propriè deformitatem in concubitu naturali, reductiuè tamen ad deformitatem, & ſpeciem adulterij ſpectat. ergo in confeſſione ne dum ſodomiam, ſed etiam malitiam contra bonum fidei coniugalis, tenetur exprimere, declarando, ſe huiuſmodi facinus cum vxorato perpetraſſe.

Dico trigeſimononò, ſi talis iuuenis hoc idem ſcelus cum Religioſo, ſeu cum viro ſimplici voto caſtitatis aſtricto perpetraret, vltra malitiam contra naturam ſodomiticam, propriè committeret ſacrilegium. quia ſacrilegium in materia luxuriæ non ſignificat deformitatem in tali materia determinatè, ſcilicet in concubitu naturali, ſed abſolutè in quacumque materia contra rem Deo dicatam agitur. ergo, &c. Pro his duabus aſſertionibus videatur D. Caiet. 2.2. *citat. quæſt.* 154. *art.* 12. §. *Ad primum dubium, verſic. Et ſi perſpicaciter.*

Dvbitatio XXIII.

XXIV. *An peccans ſodomiticè cum conſanguineo, teneatur hanc circumſtantiam in confeſſione aperire?*

Dico quadrageſimò, quando peccatum nefarium ſodomiæ commiſſum eſt cum aliquo conſanguineo in linea recta, explicandum eſt in confeſſione ſodomiam habitam fuiſſe cum conſanguineo, etiamſi gradus ſit valdè remotus. nam talis actus repugnat reuerentiæ debitæ conſanguineis, conſequenter habet malitiam inceſtuoſam, licèt non ſit propriè inceſtus. ergo cùm vltra malitiam ſodomiticam ſit etiam malitia inceſtuoſa, in confeſſione explicandum eſt, &c. Videatur D. Caiet. 2.2. *quæſt.* 154. *art.* 12. §. *Ad primum dubium, verſic. Quocirca concubitus*, &c. Bonacina *tom.* 1. *tract. de matrim. q.* 4. *puncto* 11. *num.* 8. *fol.* 108.

Dico quadrageſimoprimò, in confeſſione non eſt explicandus tertius, vel quartus gradus affinitatis, vel conſanguinitatis in linea tranſuerſa, quando peccatum nefarium commiſſum eſt cum affine, vel cõſanguineo in tertio, vel quarto grado lineæ trãſuerſæ: bene tamen eſt explicandus primus, vel ſecundus gradus; quia in primo, & ſecundo gradu affinitatis, & conſanguinitatis in linea collaterali coitus ſodomitici inter cognatos præter malitiam ſodomiticam, habent etiam ſpecialem deformitatem irreuerentiæ, & impietatis contra pietatem, & reuerentiam, quæ iure naturæ debetur iſtis cognatis. Aliis verò affinibus, & conſanguineis lineæ tranſuerſæ in tertio & quarto gradu cùm ſint valdè remoti, talis ſpecialis pietas, & reuerentia iure naturæ non debetur. Videatur Azor *p.* 1. *inſt. mor. lib.* 3. *cap.* 18. *dub.* 5. *& c.* 20. *eiuſdem libri dub.* 4.

Dvbitatio XXIV.

XXV. *An committens ſodomiam cum virgine, vel cum duobus fratribus, vel cum cognatis ſpiritualibus, vel legalibus, teneatur has circunſtantias in confeſſione exprimere?*

Dico quadrageſimoſecundò, non eſt neceſſariò in confeſſione explicandum ſodomiam commiſſam fuiſſe cum virgine, ſed ſufficit ſi dicatur patratam fuiſſe cum fœmina. nam per peccatum nefarium non violatur clauſtrum virginale. ergo non videtur committi ſpeciale peccatum ſtupri quod in confeſſione ſit explicandum. Bonacina nuper relatus *num.* 9.

Dico quadrageſimotertiò, ſi quis coëat cum aliquo, & poſtea cum fratre illius, ſufficit in confeſſione exprimere duo peccata nefaria. nam nulla affinitas oritur ex actu præpoſtero, & extra vas debitum. Item ſi ſodomia commiſſa eſt cum perſona cognata cognatione ſpirituali, vel legali,

non eſt neceſſariò explicanda circunſtantia cognationis: vt ſi quis congreſſus eſt cum perſona à ſe baptizata, vel leuata ex Baptiſmo, vel cum adoleſcente ſibi iu filium adoptaro. quia nulla eſt lex ſpecialis, quæ eos coitus prohibeat, præter legem naturalem in genere prohibente ſodomiticum peccatum. Azor. *c.* 18. *cit. dub.* 4. Bonacina *vbi ſuprà n.* 8.

Dvbitatio XXIV.

XXVI. *An concubitus ſodomiticus cum vxore, de illius conſenſu, habeat malitiam ſodomiæ & adulterij?*

Dico quadrageſimoquattò. Concubitus extra vas ordinarium habitus in præpoſtero ab vxorato cum propria vxore, etiam ex conſenſu ipſius, noo solùm habet malitiam neſandiſſimi ctimiois contra naturam, ſed etiam habet malitiam, & ioiuriam contra fidem matrimonij, quam ſibi couiuges mutuò debenr ſeruare. Nam coniuges obligaotur ſe, & ſua corpora ne alij vſui inoaturali tradantur. Grauius igitur eſt hoc flagitium ioter coniuges propter fidem, quam ſibi mutuò debeor ſeruare, quàm ſi inter ſolutos contingeret: explicanda ergo eſt in confeſſione circunſtantia, quòd fuerir peccatum cum vxore propria commiſſum. Ita præclarè obſeruauit Sotus *in* 4. *diſt.* 31. *quæſt.* 1. *art.* 4. *fine, verſic. Appendix.* quem ſequitur Azor. *part.* 3. *lib.* 3. *inſtit. moral. cap.* 20. *dub.* 5. *verſ. tertiò rogabis.* Videatur etiam Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 18. *num.* 4. *&* 5.

Dvbitatio XXV.

XXVII. *An coniugatus peccans cum coniugata, vtramque circunſtantiam coniugij debeat in confeſſione aperire?*

Dico quadtageſimoquintò. Si coniugatus coëat cum cooiugata, dicere teoetur in confeſſione ſe coiſſe cum coniugata, & ſe etiam eſſe vxoratum vitum, & non ſatis eſt dicere ſe eſſe coniugatum. quia per vnum actum iniuſtitiam, & iniuriam inferr tum matito vxoris quam cognoſcir, tum ſuæ propriæ vxoti, cui fidem coniugalem, & iuſtitiam non ſeruat, & ita reus eſt duorum adulteriorum, & ita hoc adulterium communiter à DD. appellatur *Adulterium duplex*, quando coniugatus cognoſcir carnaliter ſolutam, vel è contra coniugara ſolutum, dicitur adulterium ſimplex. Ita benè Syl. *verb. Adulterium, num.* 1.

Dvbitatio XXVI.

XXVIII. *An mulier ſoluta peccans cum coniugato, hanc circunſtantiam debeat confiteri?*

Dico quadrageſimoſextò. Mulier ſoluta peccans cum vxorato, adulterij crimeo incurrir: nam ſpecies luxuriæ ne dum ex parte ſœminæ, ſed etiam ex parte viri deſumuotur. ergo mulier ſoluta congrediens cum coniugato incurrit crimen adulterij. Tum, quia mulier ſoluta fornicando cum vxorato facit iniuriam, & iniuſtitiam vxori illius. ergo in confeſſione tenetur hoc exprimere, conditionem ſcil. viri cum quo rem habuit, quia ne dum peccat contra virturem caſtitatis, ſed etiam contra iuſtitiam coniugalem. Videatur Caiet. 2. 2. *q.* 154 *art.* 8. *verſ. ad hoc dicitur quòd*, &c.

Dvbitatio XXVII.

XXIX. *Quid ſit inceſtus, & an committent inceſtum, teneatur exprimere in confeſſione gradum affinitatis, vel conſanguinitatis?*

Dico quadrageſimoſeptimò. Inceſtus eſt congreſſus cum perſona cognata iotra gradus, in quibus non poteſt celebrari matrimonium: omnes inceſtus ſuot eioſdem ſpeciei; quia gradus affinitatis, & conſanguinitatis, cognatioois legalis, vel ſpiritualis, differunt tantùm ſecundùm magis, & minus; ſicut maior quantitas rei allatæ in furto reſpectu minoris quantitatis; ſed magis, & minus non variant ſpeciem. ergo. hoc dictum colligitur apertè ex D. Th. 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. *ad* 2. & illud docet apertè Caiet. *ibi in principio comment. §. Ad hoc dicitur.* Nugnus *tom.* 1 *in* 3. *part. quæſt.* 9. *art.* 2. *dub.* 3. §. *ex dictis ſequitur.* Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 22. *ſect.* 3. *num.* 12.

Dico quadrageſimooctauò, licèt omnes inceſtus ſint eiuſdem ſpeciei, circunſtantiæ tamen ipſius notabiliter, & euidenter aggrauantes, ſunt in confeſſione explicandæ: vt ſi ſit inceſtus in primo gradu conſanguinitatis & affinitatis, quia circunſtantia notabiliter, & euidenter aggrauãs per ſe cenſetur addere malitiam moralē, quamuis non mutet ſpeciem peccati, vt ſi quis coiuiſſet cum matre, vel cum ſorore propria, cum ſocru, vel nuru, vel priuigna, vel nouerca, vel cum ſorore ſuæ vxoris. quia conſanguineis, & affinibus in primo gradu debetur maior honor, pietas, & reuerentia, quàm cæteris. Habens copulam cum matre ſatisfacit dicendo in confeſſione ſe copulam cum conſanguinea in primo gradu habuiſſe. Angelus *verb. Confeſſio n.* 3. Bonacina *tom.* 1. *tract. de ſacramentis, diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *diffic.* 3. *propoſ.* 3. *n.* 10. *verſ. Addo explicandos eſſe* Sà *verb. confeſſ. n.* 19.

Nec obſtat contra hanc aſſertionem ſacrum Concilium Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 5. vbi agens de circunſtantiis, ait eſſe præceptum confitendi illas quæ ſpeciem mutant; ergo cùm de aggrauantibus tacet, virtute negare videtur tale præceptum extendi ad illas: non officit, inquam. nam quòd ſacrum Conciliom expreſſerit circunſtantias mutantes ſpeciem, & has notabiliter aggrauantes tacuerit, id ſolùm fecit, vt quod eſt certum doceret, & quod eſt controuerſum inter DD. nō definiret. Ita benè obſeruauit Nugnus noſter *tom.* 2. *in* 3. *p. q.* 9. *in addit. art.* 2. *dub.* 2. §. *Ad primū in oppoſitum.*

Dvbitatio XXVIII.

XXX. *An Confeſſarij carnaliter cognoſcentes ſuas pœnitentes, teneantur id in confeſſione aperire?*

Dico quadtageſimononò. Confeſſores qui ſuas pœnitentes carnaliter cognouerunt, iſtam circunſtantiam in confeſſione explicare tenentur: quia præter immane ſacrilegium, quod committunt, perpetrant etiam ſpeciale peccatum quod ad inceſtum reducitur. nam eſt contra reuerentiam ſacramento debitam, & per illud etiam tollitur reuerentia, quam filij ſpirituales debēt adhibere Confeſſori: tum, quia ex ſacramento Pœnitentiæ oritur quædam cognatio ſpiritualis, non tamen ad effectum impediendi matrimonium. Videatur Turrecremata *quæſt.* 1. *in ſumma, art.* 2. *num.* 4. Lopez *p.* 1. *Inſtr. c.* 35. §. *ſecundò reſpondendo.* Tabiena *verb. circunſtantia, fine.* hos ſequitur Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio, diſp.* 55. *n.* 4. contra Sà *ſumma, verb. Confeſſio num.* 26. negantem eſſe circunſtantiam neceſſariò fatendam.

Dico

Dico quinquageſimò, Parochus habens copulam cum ſua parochiana committit ſpeciale peccatum, etiamſi eam non baptizauerit. nam peccat contra proprium officium, eo quòd illi ſpecialiter incumbat cura procurandæ ſalutis ſuorum parochianorum, & teneatur ex officio oues ſibi ſubiectas bonis moribus imbuere. Tenebitur igitur Parochus rem habens cum propria parochiana hanc circunſtantiam neceſſariò explicare, quia quotieſcumque circunſtantia repugnat proprio ſtatui, debet in confeſſione explicari: vt ſi ille, qui non defendit domum à latronibus, ſit iudex eiuſdem ciuitatis, tenetur hanc circunſtantiam exprimere. quia tunc ratione circunſtantiæ perſonæ eſt actus in ſpecie iniuſtitiæ commutatiuæ. ergo ſimiliter cùm Parochus ex officio teneatur oues ſibi ſubditas bonis moribus imbuere, tenebitur. Videatur Nugnus *tom.2.in 3.part.quæſt.9.art.2.dub.3.concl.4.*

Dvbitatio XXIX.

XXXI. *An pater cognoſcens carnaliter filiam, ſolùm committat peccatum inceſtus?*

Dico quinquageſimoprimò, pater copulam habens cum filia, præter grauiſſimum peccatum inceſtus, admittit etiam ſpecialem malitiam contra proprium officium, quo tenetur curam habere de filiis, vt bonis moribus imbuantur, & ideò hanc circunſtantiam curæ paternæ tenetur exprimere neceſſariò in confeſſione, propter rationem adductam *aſſertione immediata*. Videatur Bonacina *tom.1. tract. de matrim.q.4.puncto* 16.*propoſitione* 5.*fine.*

Dvbitatio XXX.

XXXII. *An obſtrictus voto caſtitatis, ſi aliam tali voto obſtrictam cognoſcat, teneatur id exprimere? & etiamſi vltra votum habeat iuramentum?*

Dico quinquageſimoſecundò, obſtrictus voto caſtitatis ſi carnaliter congrediatur cum fœmina, vel cum viro habente votum caſtitatis, tenetur vtramque circunſtantiam fateri. Duplex enim tunc eſt ſacrilegium, tum ex parte agentis, tum ex parte patientis. Si quis verò habens duo vota caſtitatis, imò ſi millies quis votum caſtitatis à ſe factum repetiit, carnaliter cognoſcat fœminam ſolutam, nullo voto caſtitatis adſtrictam, non tenetur in confeſſione votum caſtitatis repetitum exprimere; ſed ſatisfacit dicendo, ſe feciſſe contra votum caſtitatis carnaliter cognoſcendo fœminam: quia omnia ea vota eodem prorſus modo ad vnam Religionis ſpeciem pertinent. Ita bene Medina 1. 2. *quæſt.* 72. *art.* 6. *verſic. Sed dices.* Rodriquez *part.* 1. *ſummæ cap.*23.*concl.*2. *num.*2.*fine.* Azor. *part.*3.*inſt.mor. lib.*3.*cap.*27.*dub.*12.

Dico quinquageſimotertiò, diuerſa tamen malitia eſt neceſſariò in confeſſione detegenda, ſi votum, & iuramentum de eadem re quis violauerit. nam, quamuis votum, & iuramentum ad eandem Religionis virtutem pertineant, diuerſa tamen ratione illam reſpiciunt. nam votum ob fidem datam Deo ſeruandam; iuramentum autem ne Deus adducatur in teſtem falsò. Ita Henriquez *lib.*5.*de pœnitentia c.*5.*num.*6. Sanchez *lib.*7. *de matrim. diſp.*27.*num.*26.

Dvbitatio XXXI.

XXXIII. *An Sacerdoti profeſſo, ſi peccet carnaliter, ſufficiat dicere ſe eſſe Sacerdotem? & ſi ſit Sacerdos tantùm, ſatisfaciat, dicendo ſe habere votum caſtitatis?*

Dico quinquageſimoquartò, Sacerdos, & profeſſus fornicans non ſatisfacit in confeſſione, dicens ſe Sacerdotem eſſe tacita Religionis profeſſione. quia etiamſi concedamus huiuſmodi acta non eſſe diſtinctæ ſpecici, tamen multo grauior notabiliter, & euidenter videtur Monachi fornicatio, quàm Sacerdotis: nam ſtatus Ordinis ſacri non habet ſuaptè natura caſtitatem adnexam, ſed ex ſolo Eccleſiæ ſtatuto, vt docent D.Thom.2.2.*quæſt.*88. *art.*11. *in fine corp.* Votum autem Religionis ſuaptè natura continet caſtitatem, & eſt perfecta mors ſpiritualis. Videatur P. de Ledeſma *de ſacram.* vbi *de ſacramento pœnitentiæ, cap.* 19. circa circunſtantiam perſonæ *dub.*1.*&* 2.

Dico quinquageſimoquintò, ſi fornicetur Religioſus Sacris initiatus vtramque circunſtantiam eſſe exprimendam: quia cùm vtraque contineat ſpeciale impudimentum matrimonij, neceſſariò etiam inducit ſpecialem obligationem ad caſtitatem; ergo. Ita benè notauit Coninchus *diſp.*10. *de ſacram. Ordinis, dub.*13. *num.*131.

Item Sacerdos non profeſſus non ſatisfacit, ſi dicat ſe eſſe voto caſtitatis ligatum, tacito ſacerdotio: quia quamuis dicamus, quod non ita facile eſt admittendum, Ordinem ſacrum Sacerdotij non addere nouam, & ſpecificam deformitatem ſupra votum caſtitatis, eam tamen addit notabiliter, & euidenter aggrauantem ratione conſecrationis ad myſteria diuina.

Sacerdos tamen non profeſſus non tenetur Sacerdotij circunſtantiam fateri, ſed ſatisfacit ſe ſacri Ordinis eſſe, dicens: quia ſacerdotium nullam aliam obligationem ad caſtitatem affert, quàm eam, quæ conſurgit ex voto emiſſo in ſubdiaconatu. Ita Lopez noſter 1.*p.inſtr.c.*19.*col.*9.§.*Præterea huic affinis eſt.*

Dvbitatio XXXII.

XXXIV. *An Religioſus profeſſus carnaliter peccans, ſatisfaciat confeſſioni, dicendo ſe habere votum caſtitatis?*

Dico quinquageſimoſextò, ſi fornicetur Religioſus profeſſus, tenetur ſe Religioſum eſſe explicare, & non ſatis eſt, vt votum caſtitatis explicet: quia dato, & non conceſſo quòd id votum non differat eſſentialiter, & ſpecificè à voto ſimplici, addit tamen circunſtantiam ſtatus Religioſi notabiliſſimè aggrauantem. Videatur D.Th.2.2.*q.*184.*art.*8. Azor.*p.*3.*lib.*3.*inſt.mor.c.*27.*q.*10. Medina *lib.*1.*ſummæ c.*14.§.28. Aragon.2.2.*q.*88.*art.*7.*ad finem.* Coninchus *diſp.*7.*de integritate confeſſ.dub.*4. *n.*20.

Dvbitatio XXXIII.

XXXV. *An Epiſcopus carnis peccatum perpetrans, teneatur exprimere in confeſſione, ſe eſſe Epiſcopum, & idem inquiritur de Prælato Religionis; & an ſatisfaciant dicendo ſe habere votum caſtitatis?*

Dico quinquageſimoſeptimò, fornicationem Epiſcopi nondum conſecrati, ſed tantùm electi, & confirmati, non excedere malitiam ſimplicis fornicationis, nec continere circunſtantiam fatendam;

quia huiuſmodi fornicatio nulli obligationi ſpeciali ad caſtitatem aduerſatur. Sanchez *lib.7.de matrim. diſp.27.num.33.*

Epiſcopo verò conſecrato fornicanti non ſatis eſt fateri ſe contra votum caſtitatis deliquiſſe: quia taceret circunſtantiam notabiliter aggrauantem, imò potiùs mutantem ſpeciem propter ſingulare præceptum Eccleſiæ, & inhabilitatem ad matrimonium, quam ſacer Ordo inducit. Videantur DD. *aſſertione immediatè præcedenti* adducti. Addit etiam Nugnus *tom.2. in 3. part. quæſt.9. art.2. dub.3. concl.2. in principio*, quòd Epiſcopus pœnitens Epiſcopatus circunſtantiam in quocumque peccato mortali tenetur explicare. quia, inquit, ratione proprij ſtatus Epiſcopus tenetur ad perfectionem vitæ Chriſtianæ habendam, &c. & ideò ratione ſui ſtatus Epiſcopus tenetur circunſtantiam Epiſcopatus quando confitetur peccata mortalia, exprimere.

Dvbitatio XXXIV.

XXXVI. *An Religioſus profeſſus habens ſpeciale votum non habendi mollitiem, id debeat in confeſſione explicare?*

Dico quinquageſimooctauò. Religioſus profeſſus, vel Clericis in Sacris conſtitutus, vel quicumque votum caſtitatis emiſit, ſi poſtea ſpecialiter vouit ſe non habiturum mollitiem, ſatis fatetur ſe profeſſum, vel Clericum in Sacris conſtitutum, vel ſe habere votum caſtitatis, tacito eo ſecundo voto abſtinendi à peccato mollitiei: aut dicere contra votum non polluendi ſe deliquiſſe. quia multiplicatio votorum de eadem re nouam non addit actui malitiam; vt ſuprà dixi *aſſertione 52.* Sic Llamas *in methodo curationis animarum, part.3. cap.4. §.29.*

Dico quinquageſimunonò. Si tamen is, de quo ſuprà, vltra mollitiem admitteret aliud peccatum in ea voto caſtitatis aduerſum, vt delectationis moroſæ in fœminæ cogitatione, aut concupiſcentiæ ipſius; aut tactum cum tertia perſona, non ſatis eſſet explicare votum abſtinendi à pollutione; ſed aut ſimul eſſet votum caſtitatis explicandum, aut ſolùm id caſtitatis votum. quia in peccato adiuncto non explicaretur circunſtantia violationis voti. Sic benè notauit Sanchez *lib.7. de matrim. diſp.27. n.36.*

Dvbitatio XXXV.

XXXVII. *An acceſſus fidelis cum infideli mutet circunſtantiam ſpeciei luxuriæ?*

Dico ſexageſimò. Habet circunſtantiam luxuriæ mutantem ſpeciem, ac neceſſariò fatendam acceſſus fidelis cum infideli. quia ne dum talis acceſſus eſt contra virtutem caſtitatis, ſed etiam eſt contra Religionis Chriſtianæ decus, ac proinde ſacrilegam eſſe talem copulam, & pertinebit ad ſacrilegium. Idem dicendum de copula fidelis cum hæretica ob dedecus, & iniuriam Chriſtianæ Religionis. Sanchez *lib.7. de matrimonio, diſp.5. num. 12. & 13.* Azor. verò *part.3. lib.3. in moral.* fatetur, *cap. 29. dub.3.* talem acceſſum non continere circunſtantiam mutantem ſpeciem, ſed tantùm grauiter augentem peccatum.

Dvbitatio XXXVI.

XXXVIII. *An accedens ad conſanguineam in primo gradu ſponſæ de futuro, teneatur hanc circunſtantiam confiteri?*

Dico ſexageſimoprimò, ſi quis acceſſum habeat cum conſanguinea in primo gradu ſponſæ de futuro contra publicæ honeſtatis impedimentum, dirimens in eo caſu matrimonium, tenetur hanc circunſtantiam in confeſſione detegere; quia talis acceſſus etſi non propriè, reductiuè tamen ad inceſtum pertineret: ex ſponſalibus enim propriè non oritur affinitas, ſed quoddam coniunctionis genus, & affinitatis, licèt non propriè. Ita præclarè aduertit noſter Petrus de Ledeſma *de matrimonio, quæſt.55. art.4. dub.1.* in dubio, quod mouet circa ſolutionem *ad 2. §. nihilominus tamen*, quem ſequitur Sanchez nuperrimè relatus *num.11.*

Dvbitatio XXXVII.

XXXIX. *An dans res ſacras in pretium luxuriæ committat ſacrilegium? & ſimiliter ſi peccet, dum ſecum geſtat res ſacras?*

Dico ſexageſimoſecundò. Sacrilegium vt eſt ſpecies luxuriæ, tunc committitur, quando res ſacra violatur, ſiue res illa ſit perſona Deo dicata, per votum caſtitatis, ſiue locus conſecratus, ſiue ſit alia res ſacra. Vnde ſi quis daret rem ſacram, v.g. Agnum cereum, benedictum, vel aliquas reliquias Sanctorum, vel aliquos benedictos calculos ob aliquem actum luxurioſum cum aliquo habitum, duplicem malitiam committeret neceſſariò fatendam in confeſſione contra virtutem caſtitatis, & contra Religionem, quoniam tunc ſpecialiter fit iniuria rei ſacræ, quæ conuertitur ad vſus profanos, quod tamen ſpecialiter eſt prohibitum. Non tamen committeretur ſacrilegium ab eo, qui copulam habet cum fœmina, dum habet res ſacras, puta reliquias, vel Agnum benedictum ad collum appoſa. quia non agit ſpecialiter contra rem ſacram, vt res ſacra eſt, ſed tantùm res illa ſacra comitatur actum luxurioſum. Videatur pro hac aſſertione D.Th. 1 2. *quæſt.154. art.10.* Syl. *verb. luxuria num.8.* Azor. *part.3. inſt. mor. lib.3. cap.27. dub.4. & 5.*

Dvbitatio XXXVIII.

XL. *An committat ſacrilegium qui pollutionem, aut copulam habet cum aliquo in Eccleſia? &, An coniuges hanc copulam poſſint in Eccleſia habere licitè, vel in loco publico?*

Dico ſexageſimotertiò. Sacrilegium committit neceſſariò explicandum in confeſſione, qui copulam habet cum aliquo in Eccleſia abſque neceſſitate, vel pollutionem; quia tunc ſpecialis fit iniuria loco ſacro. Syl. *verb. debitum, num. 5.* Nomine Eccleſiæ, ſeu loci ſacri in hac materia intelligitur Eccleſia conſecrata, vel benedicta, cœmeteria, & Oratoria constructa auctoritate Epiſcopi, & deputata ad diuinum cultum: non tamen nomine Eccleſiæ in hac materia veniunt Monaſteria, Dormitoria, cubicula Religioſorum, & Oratoria priuata, non conſtituta auctoritate Epiſcopi. quia quamuis hæc loca ſint ſacra, ita vt gaudeant immunitate Eccleſiæ; non tamen ita ſunt ſacra, vt copula, vel pollutio in his habita ſpecialem ſacrilegij malitiam habeat. Videatur Syl. *verb. Eccleſia 2. num.1. & verb. Immunitas 1. quæſt.1.* Azor. *part. 3. lib. 3. inſt. mor. cap. 27. dub. 13. & 14.* Pro maiori huius rei explicatione,

Dico ſexageſimoquartò, illud ſpatium Eccleſiæ dicitur locus ſacer, quod ſpectat ad interius corpus Eccleſiæ à tecto interiori vſque ad pauimentum. Vnde

non

non eſt ſacrilegium, quando ſemen, vel copula, vel ſanguinis effuſio ſit ſupra tectum Eccleſiæ; nec ſi habeātur hæc extra parietes Eccleſiæ, modò illi parietes non inſeruiant pro muro cœmeterij. quia tunc eſſet ſacrilegium, cùm cœmeterium ſit locus ſacer. Nec eſt ſacrilegium, quando hæc fiunt in aliquo loco ſubterraneo Eccleſiæ, & in cauerna, quæ fabricata eſt ſub pauimento, modò locus ille ſubterraneus non ſit ſepultura. Nec ſi habeantur hæc in turri Eccleſiæ, ſeu campanili; quia turris non ſpectat ad interius Eccleſiæ corpus. Idem dicendum de Sacriſtia, & cameris Eccleſiæ adhærentibus. Contrarium dicendum eſt de Choro, & Capellis. nam Chorus, & Capellæ ſpectant ad interius Eccleſiæ corpus. Nec ſi habeantur in porta Eccleſiæ extra limen, id eſt, extra lineam, quam attingunt valuæ, modò limen non ſpectet ad cœmeterium. Nec ſi fiant hæc in Eccleſia deſtructa auctoritate Superioris; nam Eccleſia ſic deſtructa non gaudet priuilegiis Eccleſiæ conceſſis, nec etiam gaudet, ſi abſque auctoritate ſuperioris fuerit deſtructa abſque ſpe reædificationis. Committitur tamen ſacrilegium per ſanguinis, & ſeminis effuſionem voluntariam, quando habetur hæc effuſio in Capella de nouo addita Eccleſiæ, aut in aliqua parte, ſecundùm quam prior Eccleſia extenſa eſt, etiamſi ea non benedicatur, quia ſemper pars addita efficitur vnum cum priori. Comprehenduntur etiam nomine loci ſacri clauſtra Religioſorum, id eſt, ſpatium illud inter parietes, & columnas ſub fornicibus cōſtitutum, ſi ſint benedicta, religioſiſque ſepeliendis deſtinata. quia benedictionem, & deputationem habent ad diuina. Videatur Nugnus noſter *tom. 1. in 3. part. quæſt. 83. art. 2. dub. 2.* Sanch. *lib. 9. de matrim. diſp. 15.*

Dico ſexageſimoquintò, quod dictum explicabit 63. aſſertionem. In caſu neceſſitatis concubitus coniugalis non eſt illicitus in Eccleſia, vt ſi coniuges detinerentur ad longum tempus obſeſſi in Eccleſia, nec in aliquo loco non ſacro poſſent illum habere; ſecus verò ſi ad breue tempus. quia alia præcepta Eccleſiæ in caſu magnæ neceſſitatis non obligant. Syl. *verb. Debitum, quæſt. 3. num. 5.* Sayr. *lib. 5. de cenſuris, c. 16. num. 19.* Nauarrus verò *ſumma cap. 16. num. 13.* & alij negant talem concubitum eſſe licitum, cùm poſſint coniuges in Sacro detenti, aliis viis reſiſtere; ſed opinio affirmans eſt verior. nam, moraliter loquendo, aſſueti illi actui videntur eſſe in magna neceſſitate ineuitabili.

Dico ſexageſimoſextò, improbabiliſſimum eſt aſſerere fornicationem, ſiue ſeminis effuſionem occultè admiſſam in loco ſacro non habere malitiam lethalem ſacrilegij, atque ita loci circunſtantiam non eſſe neceſſariò tunc confitendam; quia per talem culpam ex natura facti, & per ſe polluitur Eccleſia, licèt non teneamur abſtinere à celebratione in ea, dum occulta manſerit. Tum, quia abſque nouo actu, nouáque culpa incipit Eccleſia eſſe polluta, vbi primum de præterita culpa conſtiterit per famam, aut fornicantium confeſſionem, iuxta *cap. ſignificaſti, de adult.* Videatur Palud. *4. diſt. 31. quæſt. 3. art. 2. num. 14.* D. Anton. *3. part. tit. 1. cap. 20. §. 2.* Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 15. num. 11.* contra Vaſquez *1. 2. quæſt. 72. art. 6. diſp. 98. cap. 4. num. 6.*

Dico ſexageſimoſeptimò, extra caſum neceſſitatis culpa eſt lethalis, & graue ſacrilegium vti matrimonio in loco ſacro, tam petendo debitum, quàm reddendo. quia tunc nec petitur, nec redditur debitum in loco opportuno, ſicut ſi in publico exigatur. Circunſtantia igitur loci ſacri ex parte vtriuſque eſt confitenda. Sic bene Sotus *in 4. diſt. 32. quæſt. vnica, art. 3. concluſ. 3.*

Dvbitatio XXXIX.

XLI. *An coniunx habens votum caſtitatis, alteri petenti debitum reddens peccet? Idem inquiritur, ſi ambo votum caſtitatis emiſerunt?*

Dico ſexageſimooctauò, vt magis explicem præcedentem aſſertionem. quamuis debitum coniugale extra caſum neceſſitatis ſit illicitum & ſacrilegum in loco ſacro exercere, tum ex parte petentis, tum ex parte coniugis reddentis propter circunſtantiam ſe tenentē ex parte actus. tamen ſi illicitè petitur ob ſolam circunſtantiam petentis, vt quando alter coniux obſtrictus voto caſtitatis petit ab altero debitum; tunc coniux reddens licitè reddit, imò reddere tenetur. quia petens cum huiuſmodi circunſtantia tenente ſe ex parte petentis, licèt illicitè petat, non tamen iniuſtè, quia non amiſit ius petendi, cùm adhuc ratione matrimonij retineat ius petendi, nec illud amiſit per votum caſtitatis. ergo. Alter coniux reddens iuſtè reddit, & ſi non redderet, faceret contra ius petentis. Sic noſter Conradus *tom. 1. reſponſ. caſuum, quæſt. 81. verſic. Præterea ſupra diximus.* quem ſequitur Bonacina *tom. 1. tract. de matrim. q. 4. punct. 3. n. 3.*

Dico ſexageſimononò, quando vterque coniux poſt matrimonium vouit caſtitatem, habita priùs licentia; at non mutuo conſenſu, ſed ſeorſum, & independenter ab altero, ſi licentia fuit abſolutè ad vouendum, neutri licet debitum petere propter votum caſtitatis vtriuſque, at vtrique petenti eſt reddendum; quia vterque ſacrilegè aduerſùs votum exigens debitum, ius iuſtitiæ, vt ſibi reddatur, retinet. Videatur Sotus *in 4. diſt. 38. quæſt. 2. art. 1. verſic. Aliud verò, concl. 3.* Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 37. n. 4.* Lupez noſter *1. p. inſtruct. cap. 46. § Verùm quando, fine.*

Dico ſeptuageſimò, quando verò vterque coniux communi conſenſu, & voluntate caſtitatem vouit, tunc neuter ſub culpa mortali poteſt reddere, aut petere debitum; quia tunc vterque cedit iuri ſuo, & liberat alterum à ſeruitute, ac proinde neuter ratione matrimonij tenetur reddere, & rurſus voto caſtitatis obligatur continere. ergo, &c. Ita Sotus *in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 4. verſic. Id autem.* Syl. *verb. votum 5. quæſt. 2. fine.* Votum autem mutuo conſenſu emiſſum eſt quoddam genus mutui contractus, Facio, vt facias; Voueo, vt voueas. Sotus *lib. 7. de iuſt. quæſt. 3. art. 1. verſic. Argumentum autem.* Lopez nuper relatus.

Dvbitatio XL.

XLII. *An actu ſolo interno peccans carnaliter in Eccleſia, loci circumſtantiam teneatur exprimere?*

Dico ſeptuageſimoprimò, ſi in Eccleſia exiſtens deſideret concubitum coniugalem, aut fornicarium, exercendum tamen extra Eccleſiam, nullius ſacrilegij reus eſt, nec illa circunſtantia neceſſariò eſt confitenda, quia quod repugnat loci conſecrationi, ipſúmque polluit, eſt ſeminis effuſio; ſed hæc non eſt exercenda in Eccleſia: ergo nulla eſt circunſtantia ex parte loci. Tum, quia tota ratio huius ſacrilegij eſt eo quòd locus ſacer violetur, quod non inuenitur in ſolo deſiderio extra Eccleſiam conſummandi: ſecus autem ſi habeatur, ſi quis habuit deſiderium, ſeu intentionem habendi copulam in Eccleſia. Nam hæc intentio eſt eiuſdem rationis cum actu externo. Lopez *part. 1. Inſtruct. cap. 33. §. Cæterùm, quia de copula.* licèt Syl. *verb. confeſſio 1. num. 11.* contrarium ſentiat,

eſſe ſcilicet fatendam circunſtantiam loci ſacri. nam, inquit, actus interior, & exterior ſuot eiuſdem ſpeciei. Sed ad hoc reſpondetur quòd cùm actus internus non fertut in obiectum, cùm eadem circunſtantia actus exterui non eſt eiuſdem ſpeciei.

Dvbitatio XLI.

XLIII. *An aſpectus, nutus, & huiuſmodi, in Eccleſia ſint ſacrilegia.*

Dico ſeptuageſimo ſecundò, aſpectus, nutus, verba inhoueſta, tactus turpes in Eccleſia abſque pollutionis periculo non habent circunſtaotiam ſacrilegij aperiendam neceſſariò in confeſſione, quia iſtis omnibus nec violatut Eccleſia, nec eſt violationis periculum, cùm ceſſet pollutio, eiúſqua periculnm. Violatur autem Eccleſia, quando actus in ea admiſſus directè aduetſatur ſanctitati, aut immunitati loci, id eſt, illis, ad quæ locus ſanctificatus eſt, vt ſi ibi poſſe diuina celebrari, aut mortuos ſepeliri impediat, vel auferat immunitatem illuc coofugientium, aut ſecuritatem rerum ibi in cuſtodiam depoſitarum. Videatur Caiet. *in opuſculis*, *tom.*1. *tract.* 17. *reſponſionum*, qui eſt 31. *reſp.*12. *dub.*2. Sanchez *lib.* 9. *de matrimonio*, *diſp.* 15. *num.*40.& 41.

Dvbitatio XLII.

XLIV. *An relinquens Miſſam in die Dominico, in quo accidit feſtum alicuius Sancti, dupliciter peccet? & ſimiliter non ieiunans in die, in quo habeat votum ad ieiunandum, ſi in eodem accidat vigilia Eccleſiæ? & ſimiliter omittens officium, ad quod tenetur ratione ordinis, & beneficij.*

Dico ſeptuageſimotertiò, qui die Dominico, in quem accidit dies feſtus alicuius Sācti, vt D. Petri, vel Diui Martini, Sacrum non audit, ſatisfacit in confeſſione dicendo ſe ſemel Miſſæ Sacrum iu diej feſto culpabiliter prætermiſiſſe. nam huiuſmodi omiſſio eſt vnum nnmeto peccatum, nec habet circunſtantiam mutantem ſpeciem, quamuis opponatur duplici præcepto Eccleſiæ: diuerſitas enim peccatorum non deſumitut ex diuerſitate præceptorum & obligationum eiuſdem rationis. Ita benè Nugnus *tom.*2. *in* 3. *part. quæſt.* 9. *art.*2. *dub.* 3. *ad finem.* contra Nauarr. *ſumma cap.*6. *num.*4.

Dico ſeptuageſimoquartò, qui ieiunium prætermiſit aliquo die Quadrageſimæ, in quo teoebatur ieiunare, noo ſolùm ex præcepto Eccleſię, verùm etiam ex voto, vt ſuppouo, non ſatisfacit in confeſſione dicendo ſe ieiunij præceptum ſemel fregiſſe. nam commiſit duo peccata, vnum contra temperantiam, ſeu contra præceptum Eccleſiæ; alterum contra Religionem. Peccata autem contra temperantiam, & contra Religionem, ſunt ſpecie diuerſa, conſequenter in confeſſione ſunt explicanda. Sic benè Nauarr. *ſumma loc. nuper cit. verſ. quinto*, &c. Bouacin. *tom.*1. *de Sacramentis*, *diſput.* 5. *quæſt.* 5. *sect.* 2. *puncto* 2. §. 3. *difficult.* 3. *num.*24.

Dico ſeptuageſimoquintò, omiſſor Officij diuini, ad quod ratione Ordinis ſacri, ac ſimul beneficij aſtringitur, non ſatisfacit diceudo in confeſſione, ſi vna die prætermiſit horas precarias, ſe ſemel Officium diuinum omiſiſſe; ſed tenetur fateri circunſtantiam duplicis obligationis, Ordinis ſcilicet, & beneficij; quia duplex illa obligatio ad diuerſas virtutes pertinet; ratione ordinis ſpectat ad religionis virtutem, ratione beneficij ad iuſtitiæ virtutem. confert enim Eccleſia beneficij redditus co onere, vt illud poſſidens recitet preces canonicas, aliàs cos non faciat ſuos. Ita præclarè Sanchez *lib.*9. *de matrimonio*, *diſput.*15. *num.*6. contra Henriquez *lib.*5. *de pœnitentia*, *cap.*5. *num.*6.

Dico ſeptuageſimoſextò, ſi coniugatus cum coniugata peccet, noo ſatis eſt fateri dicendo ſe adulterium admiſiſſe. quia licèt vtraque malitia aduerſetur vni virtuti iuſtitiæ, at eſt duplex iniuſtitia reſpectu vtriuſque coniugis peccantium, ac proinde in vtroque eſt duplex malitia confitenda diuerſa non ſpecie, ſed numero. Sic Lopez noſter 1. *part. inſtruct. cap.*35. §. *Cæterùm quia.*

Dvbitatio XLIII.

XLV. *An furans aliquid quod ſub excommunicatione præcipitur non ſurripiendum, duplicem malitiam incurrat? & ſimiliter furans aliquid ſacrum, vel in loco ſacro?*

Dico ſeptuageſimoſeptimò, ad maiorem præcedentium aſſertionum intelligentiam, ſi contra latrones pro latrocinio non committendo feratur excommunicatio, furtum committentes poſt latam excommunicatiouem in latrocinium vnicam furti malitiam incurrunt; quia actus lege diuina prohibitus, ſi lege humaua ſub pœna excommunicationis prohibeatur reſpectu eiuſdem virtutis, qua lege diuina cauetur, non trahitur ad nouam ſpeciem. ergo latrones furtum lege diuina, naturali, & humana ſub pœna excommunicationis committentes, vnicam furti malitiam committunt; quia reſpectu eiuſdem virtutis, iuſtitiæ ſcilicet ſeruandæ, lege diuina, naturali, & humana furtum prohibetur. Videatur pro hac aſſertione Corduba *ſumma quæſt.*11. Henriquez *lib.*5. *de pœnitentia*, *cap.*5. *num.*6.

Dico ſeptuageſimooctauò, quando quis furatur rem ſacram ex loco ſacro, vel rem ſacram ex loco non ſacro, vel quando rem non ſactam ex loco ſacro; tunc non ſolùm furtum in confeſſioue tenetur fateri, ſed etiam circunſtantiam rei ſacræ, vel loci ſacri, ſi ſurripit rem non ſacram ex loco ſacro; quia vltra malitiam iniuſtitiæ peccatur etiam contra immunitatem, & ſanctitatem loco ſacro debitam. quando res non ſacra ex loco ſacro ſurripitur à latrone, ſimiliter quando res ſacra vndecunque accipitur, peccatur contra immunitatem, & ſanctitatem debitam rei ſacræ. Nugnus *tom.* 2. *in* 3. *part. quæſt.*9. *art.*2. *dub.*3. *in principio.*

Dvbitatio XLIV.

XLVI. *An occidens aliquem per venenum, vel per inſidias, &c. teneatur hanc circunſtantiam confiteri? & ſimiliter vir rapiens aliena, rapinam committat; vbi explicatur quid ſit rapina?*

Dico ſeptuageſimononò, qui occidit aliquem per venenum ipſi propinatum occultè, aut per inſidias, aut proditionem, in confeſſione hanc circunſtantiam exprimere tenetur. quia non tantùm committit homicidium, ſed etiam reus eſt proditionis hominis innocentis; quæ ſpecialem deformitatem addit ad rectam rationem. Similiter, ſi quis vi rapiat aliena,

teuetur

tenetur hoc explicare in confeſſione. quia rapina conſtituit alteram ſpeciem diſtinctam à furto: furtum enim eſt occulta acceptario rei alienæ inuito domino; rapina verò committitur, quando ſciente domino, ſed inuito, res aliena violenter ſurripitur, & ſic damnum, & iniuria domino infertur. Nugnus nouiſſimè relatus §. *Septima circunſtantia.* Azor. *part.3. inſt. mor. lib.2.cap.18.verſic.Tertiò notandum.* Obſeruandum hîc, quòd ad conſtituendam rapinam, quæ eſt ablatio rei alienæ per violentiam, non requiritur violentia abſoluta quæ fit alio inuito omninò, & diſſentiente; ſed ſufficit violentia conditionata, & ſecundùm quid, quæ accidit, quando quis per vim, & metum conſentit. Videatur D.Thom.2.2.*q.66.art.*4.

Dubitatio XLV.

XLVII. *An occidens conſanguineum, vel affinem, teneatur in confeßione exprimere hanc circunſtantiam?*

Dico octogeſimò, ſi quis occidat aliquam perſonam ſanguinis cognatione, vel affinitate coniunctam, v.g. Si quis occidat aliquem ex ſuis parentibus, aut occidat fratrem ſuum, aut ſororem, aut nepotem, aut alium cognatum, aut affinem ſuum, vt ſocerum ſuum, aut nurum ſuam, quæ homicidia dicuntur parricidia, & ſont ſpecie diſtincta ab homicidiis, nõ ſatis fatetur dicendo, Commiſi homicidium; ſed tenetur exprimere circunſtantias conſanguinitatis, vel affinitatis; quia ſunt non ſolùm contra iuſtitiam proximi, ſed etiam contra pietatem, qua honorare debemus perſonas nobis carnis propinquitate coniunctas. Videatur Nauarr.*ſumma cap.14.num.*11.Azor.*loc.cit.*

Dubitatio XLVI.

XLVIII. *An iniurians Principem, vel Superiorem, vel Sacerdotem, teneatur circumſtantiam perſonæ in confeßione aperire?*

Dico octogeſimoprimò, quando quis grauem aliquam iniuriam intulit Principi, vel Superiori, tenetur in confeſſione aperire circunſtantiam perſonæ, & non ſatisfacere dicendo ſe iniuriam alteri intuliſſe. quia hoc peccatum ſpecialem habet malitiam ob reuerentiam ſpecialiter debitam Principi, & Superiori. Idem dicendum, explicandam ſcilicet eſſe circunſtantiam perſonæ, quando iniuria fuit illata Sacerdoti; Sacerdotibus enim peculiaris etiam debetur reuerentia. Henriquez *lib.5.de pœnitentia,cap.6.num.3.*

Dubitatio XLVII.

XLIX. *An detrahentes, vel turpia loquentes coram pluribus, teneantur numerum perſonarum confiteri, necnon qualitatem ſermonis?*

Dico octogeſimoſecundò, qui coram pluribus detrahunt, aut de rebus turpibus loquuntur, tenentur in confeſſione exprimere numerum perſonarum quibuſcum detractionis peccatum, & turpiloquium commiſerunt. quia ſocij plura peccata numero commiſerunt, ita etiam detrahentes coram pluribus plura peccata numero contraxerunt; peccata enim præſentium perſonarum detrahentibus imputantur. Ita bene Sanchez *lib.1.oper. mor.cap.6.num.*8.Sayr. *de pœnitentia,cap.9.num.*11.

Dico octogeſimotertiò, qui de rebus turpibus loquuntur cum delectatione, non ſolius narrationis, ſed rerum per verba repræſentatarum, non ſatisfacere dicendo ſe de rebus turpibus cum delectatione ſermonem coram pluribus, aut coram tot perſonis habuiſſe, ſed tenentur exprimere conditionem perſonarum aſtantium, vtrùm ſcilicet eſſent coniugatæ, vel ſolutæ, vel caſtitatis voto aſtrictæ. Similiter exprimere tenentur qualitatem ſermonis, vtrùm ſcilicet ſermo eſſet de rebus turpibus circa coniugatos, vel circa ſolutos, vel de nefando vitio. quia delectatio venerea ſumit malitiam ab obiecto, & à motiuo, à quo ſumitur. Sic notauit Bonacina *tom.1. de Sacram. diſp.5. quæſt.5.ſect.2.puncto 2.§.3.difficult.3.num.21.verſic.Addo eos,fol.184.col.1.fine.*

Dubitatio XLVIII.

L. *An conſuetudo peccandi ſit neceſſariò in confeßione explicanda?*

Dico octogeſimoquartò, conſuetudo peccandi eſt neceſſariò fatenda in confeſſiona, quia etſi non mutet ſpeciem peccatorum, aggrauat tamen notabiliter, tum quia conſuetudo peccandi conſtituit hominem ſecundùm præſentem ſtatum in quodam morali periculo, & facilitate peccandi, & neceſſariũ eſt vt Confeſſor hanc conſuetudinem ſciat, vt de diſpoſitione, & obligatione pœnitentis certus reddatur: tum, quia Confeſſarius, qui Medici, & iudicis vices gerit in ſacramento Pœnitentiæ, non cognita conſuetudine peccandi, non poſſet pœnitenti congrua remedia pro eius ſalute exhibere. Videatur Syl. *verb. Confeßio* 1. *num.9.* contra Bonacinam *tom.1.de Sacramentis,diſp.5. ſect.2.punct.2.§.3.difficult.3.num.*21.Suarez *tom.4. in 3. part.diſp.22.ſect.4.num.*15.

Dico octogeſimoquintò, ſi verò Confeſſarius iuſta de cauſa pœnitentem interroget de conſuetudine peccandi, vt pœnitentis diſpoſitionem intelligat, pœnitens tenetur conſuetudinem explicare, ſecundùm omnium DD. ſententiam; quia conſuetudo peccandi arguit infirmum emendationis propoſitum. Sic benè aduertit Suarez & Bonacina *locis* nuper *adductis*: Syl. autem loco adducto abſolutè, & per ſe loquendo, fatetur conſuetudinem peccati eſſe neceſſariò explicandam in confeſſione propter rationes adductas, quod eſt certiſſimum; Syluestrum ſequitur Henriquez *lib.5.de pœnitentia,cap.8.num.*1.

Dubitatio XLIX.

LI. *An peccans in die feſto, teneatur hanc circumſtantiam aperire? & ſimiliter, an in die feſto homo teneatur ad actum dilectionis Dei, vel contritionis?*

Dico octogeſimoſextò, qui committit aliquod peccatum in die feſto, non tenetur hanc circunſtantiam exprimere. quia circunſtantia diei feſti non ſuperaddit peccato diſtinctam ſpecie malitiam, cùm non ſit ſpecialiter prohibitum in die feſto fornicari, vel furari, vel aliud peccatum committere: contra Alex. *part.3.quæſt.32.membro 5. art.* 2. exiſtimantem peccantem in die feſto duplex peccatum committere; vnum ſcilicet ratione commiſſæ culpæ, puta fornicationis, vel furti; & alterum contaminando feſtum, & proinde, ait, tenetur vtrumque confiteri. Oppoſita tamen ſententia eſt communior, & verior peccantem in die feſto nõ committere duplex peccatum. quamuis enim ſacrilegium committi poſſit, aut ratione voti, puta ſi Monachus, vel Sacerdos fornicatus fuerit; aut ratione

loci

loci ſacri, ſcilicet ſi in loco ſacro furtũ committatur. Non tamen extat præceptum ratione temporis; vnde nec ſacrilegium erit, quodcumque peccatum in die feſtu perpertatum ſit. Videatur Caiet. 2.2.q.122.*art*.4. Nugnus *tom*.2. *in* 3.*part*.*quæſt*.9. *art*.2. *dub*.3. §.*Oppoſita tamen ſententia*,*fol*.325.*col*.1.

Dico octogeſimoſeptimò, neque in die feſto tenetur ad actum dilectionis Dei, neque ad actum contritionis, contra Angelum *verb*. *Feria*,*num*. 41. quia ſub præcepto ſanctificandi Sabbata, non cadit dilectio Dei, aut contritio, aut vitatio aliorum peccatorum; ſed ſolus actus exterior cadit ſub hoc præcepto. Caiet. *loc*.*cit*. & *verb*.*feſtum*, quem ſequitur Sayr. *lib*.7. *Clauis Regia*,*cap*.3. *num*. 6. Pro maiori duarum harum aſſertionum,

Dubitatio L.

LII. *Quibúſnam temporibus obliget præceptum dilectionis Dei?*

Dico octogeſimooctauò, præceptum diligendi Deum cùm ſit affirmatiuum, non omni tempore obligat, ſed certis temporibus. Primò hoc præceptum obligat cùm ad annos diſcretionis homines venerint, quia tunc lex hæc diuina promulgatur, ac ad ſui impletionem inuitat. Bannes 2.2.*quæſt*.22.*art*.1.*dub*.2. Secundum tempus obligationis huius præcepti eſt, cùm adultus baptizatur; quia tunc tenetur per Dei amorem animum ſuum firmare ad Deo fideliter inſeruiendum. Ita Sotus *lib*.2.*de iuſtitia*,*quæſt*.3.*art*.10.*col*.2. *verſ*. *Reſponſio horum*.

Dico octogeſimononò, tertium tempus obligationis huius præcepti eſt, cùm quis contritionem habere tenetur; quia cùm contritio ſit dolor ſupernaturalis peccatorum propter Deum ſuper omnia dilectum, includit neceſſariò dilectionem Dei ſupernaturalem, ex qua proficiſcitur. Nauarr. *ſumma cap*.11.*n*.8. Quartum tempus eſſe videtur, cùm quis ſingulari beneficio à Deo afficitur. nam lex amicitiæ tunc exigere videtur, vt homo Deum benefactorem ſuum redamet. Sot. *loc*. *cit*. Metina *lib*. 1. *ſummæ cap*.14. §. 2. *fol*.79. *fine*. Quintum tempus eſt, cùm graues odij Dei tentationes inſtant, & periculum illis ſuccumbendi adeſt, niſi ſic tentatus actus amoris eliciat. Saochez *lib*.2.*oper*.*mor*. *cap*. 35. *num*.9. *verſ*. *Vltimum tempus*.

Dubitatio LI.

LIII. *Quibúſnam temporibus obliget præceptum ſpei?*

Dico nonageſimò, tempus obligationis præcepti ſpei eſt cùm primùm rationis vſum puer aſſequitur, quia tunc tenetur ſe in Deum conuertere, omnia in ipſum referendo, quod abſque actu ſpei præſtare nequit Bannes 2.2. *quæſt*. 21. *art*. 1. *dub*. 2. Item quando aliquis graui deſperationis tentatione vexatus in ſuccumbendi periculo eſt, niſi actu ſpei contrario animum confirmet. Bannes *loco citato*; quia eodem præcepto ſpei tenetur homo ſperare, & non deſperare. ergo ſi tunc elicere actum ſpei eſt per ſe medium ad non deſperandum, obligabit præceptum ſpei ad non deſperandum. Ita Bannes *loco citato*, noſter Petrus de Ledeſma *ſecundo tomo ſummæ*, *tract*. 2. *cap*. 4. *concl*. 3. quus ſequitur Saochez *lib*. 2. *oper*. *mor*. *cap*.33. *num*. 3.

Dubitatio LII.

LIV. *Quónam ſit tempus obligationis præcepti fidei?*

Dico nonageſimoprimò, tempus obligationis præcepti fidei primum eſt cùm alicui fides ſufficienter proponitur vt infideli; tunc enim præceptum hoc per ſe ad credendi actum obligat. quia nulla eſt ratio, ob quam aliud tempus ad credendum expectandum ſit; quia cùm fides ſit medium neceſſarium ad ſalutem, rationi diſſonum eſt, vt eius receptio ampliùs differatur. Videatur Azor. *tom*. 1.*lib*.8.*inſt*.*mor*.*c*.27.*q*.8. Secũdum tempus eſt, quando quis grauem aliquam contra fidem tentationem patitur, tunc enim tempus eſt reſiſtendi contrariis fidei actibus, ac in fide ſe muniendi; quia per elicitum actum fidei talibus tentationibus obuiari commodè poteſt. Videatur Valentia 2. 2. *diſp*.1. *quæſt*.2.*puncto* 5. *quæſt*.2. Sanchez *lib*.2. *oper*.*mor*. *cap*.1. *num*.3.

Dubitatio LIII.

LV. *An in his temporibus non elicere actus illarum virtutum ſit peccatum mortale?*

In hiſce igitur temporibus enumeratis tribus immediatè præcedentibus aſſertionibus ſecundùm DD. allegatos non elicere actum amoris ſpei, & fidei, ſpeciale peccatum eſt exprimendum in confeſſione. Nullum tamen extat præceptum, quo diebus feſtiuis hos actus elicere obligemur: quia diuinum ſanctificandi feſta præceptum ſolam feſtorum ſanctificationem abſtinendo à ſeruilibus præſcribit, licèt Scotus *in* 4. *diſt*.27.*quæſt*.*vnica*, §.*Quantum ad ſecundum*, aſſerat præceptum ſanctificandi feſta obligare ad internam Dei dilectionem. Sed oppoſitum verius, & communius eſt. Videatur D.Thom. 2.2.*quæſt*.122.*art*.4. & *ibi*. Caiet. & *in ſumma verb*.*feſtorum violatio*.

LVI. *Rationi in contrarium patet ex dictis.*

Ad rationem poſitam à principio militans contra noſtras has aſſertiones, patet quid dicendum ex noſtra 49. aſſertione.

Articulus XXIV.

An aſſignari poſſint aliquæ cauſæ, excuſantes pœnitentes ab integritate confeſſionis, ſeu ab explicandis omnibus peccatis mortalibus quoad numerum, & quoad ſpecies, & quoad circunſtantias infinitè aggrauantes?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Veritas aperitur, & explicatur, an ex ignorantia, vel obliuione quis excuſetur ab integritate confeſſionis, & ad quid tunc pœnitens teneatur.*
3. *An excuſetur ab integritate confeſſionis pœnitens, qui antequam compleat confeſſionem abſoluitur à Confeſſario? & ad quid tunc pœnitens teneatur.*
4. *An Confeſſarius excuſetur ab integritate confeſſionis ſi narrando aliquod peccatum alteri Confeſſario, reuelet peccatum alterius in confeſſione auditum.*

5. *An propter aliquam impotentiam, ſeu neceſſitatem, pænitentes excuſentur ab integritate confeſſionis.*

6. *An infirmus, imminente periculo mortis, debeat abſolui, antequam confiteatur omnia peccata, & ſimiliter ſi laborat morbo contagioſo.*

7. *An pænitentes integrè confiteri teneantur, ſi in explicatione integra peccatorum aliquod ſcandalum, vel malum inde exoriretur.*

8. *An pœnitens poſſit reticere aliquod peccatum, ſi credat ſuum Confeſſarium habiturum fore de ipſo in futurum malam opinionem.*

9. *An qui ob aliquam cauſam ex enumeratis, integrè confiteri non poteſt, ad euitandam tamen infamiam, vel proprium damnum, niſi confiteatur, teneatur ſub mortali confiteri vt poteſt; & idem inquiritur ſi ex dilatione confeſſionis, aliorum ſcandalum graue timeatur.*

10. *An dimidiare confeſſionem licitum ſit, ſi per multum temporis non ſperetur commoditas alterius Confeſſarij, integréque confitendi.*

11. *An habens tantùm vnum peccatum mortale, de quo (ſi illud exprimat in confeſſione) timet infamiam; teneatur de venialibus inſtante præcepto confiteri.*

12. *An irretitus peccatis reſeruatis, teneatur confiteri habenti facultatem communem in reſeruata, & non reſeruata; niſi habeat copiam Confeſſarij habentis facultatem abſoluendi à reſeruatis, & currat præceptum confeſſionis? &, an habens vnum peccatum mortale reſeruatum, & venialia, teneatur hæc confiteri.*

13. *An habens iuſtam cauſam, reticendo aliquod peccatum in confeſſione, poſſit plura reticere? &, an non valens confiteri actum externum, teneatur confiteri actum internum.*

14. *An qui ex iuſta cauſa reticuit peccatum, teneatur ſtatim oblata occaſione illud confiteri.*

15. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, an præceptum Chriſti Domini de integritate confeſſionis ſit conſentaneum rationi.*

I. *Pars negatiua probatur.*

INtegritas in confeſſione quoad omnia peccata mortalia explicanda, non ſolùm eſt de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, *cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnitentijs, & remiſſionibus*; ſed etiam eſt de iure diuino incluſo in ipſa inſtitutione ſacramenti Pœnitentiæ, Chriſtus enim Dominus dum ſacramentum Pœnitentiæ inſtituit, abſolutè dixit, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, Ioann. 20. quibus verbis Chriſtum Dominum patet voluiſſe obligari fideles ad confeſſionem omnium mortalium, quorum pœnitens habet conſcientiam. ergo nullus poteſt dari caſus, quo pœnitens excuſetur ab explicandis, &c. Patet conſequentia: nam quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti iure diuino, quomodocunque omittantur, etiamſi ſine culpa faciunt ſacramentum nullum; at integritas omnium peccatorum mortalium eſt de neceſſitate ſacramenti iure diuino. ergo, &c.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

Dvbitatio I.

An ex ignorantia, vel obliuione quis excuſetur ab integritate confeſſionis, & ad quid tunc pænitens teneatur?

Dico primò, pœnitens ob ignorantiam, vel obliuionem naturalem excuſatur ab integritate confeſſionis: quia Chriſtus Dominus ſimpliciter & abſolutè præcipit confeſſionem integram formaliter, & per ſe, non verò materialiter, & per accidens. Sed qui ob ignorantiam, & obliuionem naturalem obliuiſcitur in confeſſione aliquorum peccatorum mortalium explicando alia, quæ ſibi occurrunt, facit confeſſionem integram formaliter, licèt non materialiter. ergo, &c. Tenebitur tamen hic poſtea peccata oblita lethalia confiteri, ſi menti occurrerint, non tamen ſtatim, & quamprimum, ſed quando ex vi alterius obligationis tenebitur confiteri. Ita Magiſter Victoria *ſumma num.* 137. Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 6. art. 5. difficult. 6.*

Dvbitatio II.

III. *An excuſetur ab integritate confeſſionis pænitens qui antequam compleat confeſſionem, abſoluitur à Confeſſario, & ad quid tunc pænitens teneatur?*

Dico ſecundò, excuſatur pœnitens ab integritate confeſſionis, cui Sacerdos ſubitò contulit abſolutionem, antequam pœnitens integrè ſua fateretur peccata: ſatisfaciet poſtea hic pœnitens exprimendo poſtea in alia confeſſione peccata, quæ in præcedenti per accidens, & inculpabiliter non expreſſit; nec tenetur iterum priora peccata per ſe ritè confeſſa repetere, quia cùm ibi adſit per ſe debita materia, & forma cum intentione Miniſtri, non eſt cur pœnitens inculpabiliter priuetur fructu Sacramenti, cùm per ipſum non ſteterit integrè confiteri: videatur Bonacina *tom. 1. de Sacramentis, diſp. 5. q. 5. ſect. 2. puncto 2. §. 4. n. 3. & 4.*

Dvbitatio III.

IV. *An Confeſſarius excuſetur ab integritate confeſſionis ſi narrando aliquod peccatum alteri Confeſſario reuelet alterius peccatum auditum in confeſſione?*

Dico tertiò, excuſatur ab integritate confeſſionis Confeſſarius qui culpam erroris à ſe facti in alterius abſolutione, non poteſt integrè confiteri, niſi reuelans alteri Confeſſario peccatum alterius auditum in confeſſione; quia arctius eſt præceptum de ſigillo, quàm de integritate confeſſionis. Caiet. *verb. Confeſſio condisione* 10. Sotus *Relect. ſecreti, memb. 3. quæſt. 4. concl. 5. dub. 5.* Nauarr. *ſumma cap. 7. num. 4. fine.* Henriquez *lib. 5. de pœnitentia, cap. 12. num. 7.*

Dvbitatio IV.

V. *An propter aliquam impotentiam, ſeu neceſſitatem pænitentes excuſentur ab integritate confeſſionis?*

Dico quartò. Mutus, aut vir ignoti idiomatis, ſi tempore præcepti explicet quod poteſt, abſoluendus eſt. Lopez 1. *part. inſtruct. cap. 27. §. Porrò ab hoc loco.* Item ſi in procella maris, aut graſſante peſte, vel irruente ſubito prælio, aut ſi domus, aut turris plena viris flagrant incendio, nec poſſunt homines inde exire; tunc Confeſſarius audiat ſimul multos alia voce aliquod peccatum confitentes, & ſimul abſoluat. quia in articulo neceſſitatis ſatis eſſe videtur apud Deum ſi faciat pœnitens quod in ſe eſt. Sicuti muti, & ſurdi, qui in confeſſione nequeunt ſe ſatis explicare per nutus, & ſigna, ſoliti ſunt confiteri, eo modo quo poſſunt. Syl. *verb. Confeſſio* 1. *n.* 23. Quando

multi

multi ſimul confiteutur in aliquo periculo, vel articulo mortis conſtituti, ſatis eſt vt Confeſſarius omnibus dicat, Ego vos abſoluo. Henriquez *lib. 5. de pœnitentia, cap. 12. num. 3. in commento litt. L.*

Dvbitatio V.

VI. *An infirmus imminente periculo mortis debeat abſolui antequam confiteatur omnia peccata, & ſimiliter ſi laborat morbo contagioſo?*

Dico quintò, quando ægrotus patitur paroxiſmos, & adeſt periculum quòd decedat abſque abſolutione, Confeſſarius non debet expectare integram omnium peccatorum confeſſionem; ſed audito vno mox poteſt, & debet illum abſoluere. quia propter periculum mortis confeſſio tunc non eſſet integra per accidens, & inculpabiliter. Imò Medina *lib. 2. ſumma cap.* 8. addit, quòd ſi infirmus fatigaretur nimis, poſſet abſolui antequam dicat omnia peccata, quem adducit, & ſequi videtur Henriquez *lib. 5. de pœnitentia, cap. 12. n. 3. in commento litt. M.* Bonacina *tom. 1. tract. de Sacramentis, diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. puncto* 2. § 4. *n.* 19.

Dico ſextò, ſi pœnitens inchoata confeſſione ob probabilem mortis metum abſoluatur antequam integram, & perfectam faciat confeſſionem, ſed poſtea obtenta abſolutione, ſtatim non moritur, debet ſi per tempus illi concedatur, proſequi confeſſionem, vt integrè ſua peccata fateatur. nam omnia peccata mortalia ſubiicienda ſunt confeſſioni quantum moraliter fieri poteſt; perfecta verò confeſſione, impendenda eſt noua abſolutio, modò pœnitens nouum attritionis actum eliciat. nam forma non poteſt iterari ſuper eadem materia proxima. Nugnus *tom. 2. in 3. part. q. 9. art. 2. dub. 1. §. Circa ea, quæ diximus, fol.* 316. *col.* 2.

Dico ſeptimò, quando infirmus laborat morbo contagioſo, & Confeſſarius non poteſt ipſum etiam à longè abſque periculo audire diutiùs immorando in peccatis audiendis, poteſt auditis aliquibus peccatis abſolutionem ſtatim impendere. nam præceptum confeſſionis integrè faciendæ, vel audiendæ non obligat cum tanto graui incommodo proprio, & periculo. Ita præclarè D. Thom. *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 3. quæſtiuncula 4. ad quintum.*

Dvbitatio VI.

VII. *An pœnitentes integrè confiteri teneantur, ſi in explicatione integra peccatorum aliquod ſcandalum, vel malum inde exoriretur?*

Dico octauò, iuuenis, ſeu fœmina ſi confitendo peccatum aliquod timeat Confeſſarium ſcandalizandum, aut ſe ab eo ſollicitandam, tenetur abſtinere à confeſſione talis peccati, ſi non habet copiam alterius Confeſſarij, & adſtringitur ad confeſſionem faciendam ratione vitandi ſcandali, quod probabiliter timetur ex dilatione, aut omiſſione confeſſionis. quia, vt inquit S. Bernardus *lib. de præcepto, & diſpenſatione*, quod propter charitatem introductum eſt, contra eandem charitatem exerceri non debet. ergo cùm præſenti caſu charitas obliget ad graue damnum proximi vitandum, hæc lex confeſſionis integrè habendæ, quæ poſitiua eſt, non obligat cum tanto proximi diſpendio. Sic bene Sotus *in 4. diſt. 18. q. 2. art. 5. §. Circa 3. argum.* Syl. *verb. Confeſſio* 1. *n.* 19.

Dico nonò, eadem ratione dicendum eſt, ſi pœnitens timeat probabiliter Confeſſorem non ſeruaturum ſigillum, & ex confeſſione talis peccati, vel circunſtantiæ infinitè aggrauantis ſumpturum occaſionem ad infamandum proximum, nec teneor, nec licitè poſſum tale peccatum, & circunſtantiam explicare in confeſſione, propter eandem rationem. quia eſſet hoc contra charitatem & iuſtitiam. Ita probè Sotus nouiſſimè relatus, quem ſequitur, & adducit Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 23. ſect. 2. §. Secundò eſt.*

Dvbitatio VII.

VIII. *An pœnitens poſſit reticere peccatum aliquod ſi credat ſuum Confeſſarium habiturum fore de ipſo in futurum malam opinionem?*

Dico decimò, ſi Parochus, vel alius Confeſſarius, cui pœnitens ſua peccata confitetur, habiturus ſit in futurum prauam de pœnitente opinionem ob peccatum aliquod graue in confeſſione auditum, non poteſt tunc pœnitens dimidiare confeſſionem tale peccatum mortale reticendo. quia hoc incommodum quaſi per ſe, & immediatè ſequitur ex confeſſione, & nihilominus hoc non obſtante Chriſtus Dominus præcepit confeſſionem. hoc aſſertum colligitur apertè ex doctrina Magiſtri Soti *in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. §. Ad quartum argumentum, verſic. At ſi nullum timetur*, quem adducit & ſequitur Bonacina *tom. 1. tract. de Sacramentis, diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. puncto* 2. § 4. *n.* 12. *verſic. Qui verò non probabiliter.*

Dico vndecimò, licèt pœnitens poſſit in confeſſione reticere aliquod peccatum, vel circunſtantiam infinitam aggrauantem, quando ex illius manifeſtatione probabiliter timet ſibi, vel alteri extra confeſſionem graue periculum grauis infamiæ, vel alterius ſimilis incommodi temporalis, vel ſpiritualis: ſi tamen tantùm dubitat, aut leuiter ſuſpicatur tale periculum, non poteſt illud tale peccatum, vel circunſtantiam reticere in confeſſione. quia cùm præceptum integrè confitendi poſſideat, in dubio iudicandum eſt in ipſius fauorem. Cano *relect. de pœnitentia, part.* 5. Henriquez *lib. 5. de pœnitentia, cap. 12. num.* 5. Bonacina *loc. cit.*

Dico duodecimò, ad euitandum aliquod graue detrimentum proprium, vel alienum, licet, vt diximus præcedentibus aſſertionibus, omittere in confeſſione aliquod graue peccatum mortale, vel circunſtantiam mutantem ſpeciem. Imò quotieſcumque occurrit præceptum confeſſionis, ſi non habet homo copiam alterius Confeſſarij, cui integrè abſque tali periculo poſſit confiteri, tenetur ſic confiteri, ſiue præceptum ſit diuinum, ſiue Eccleſiaſticum, vt in articulo mortis, & quando vrget neceſſitas confeſſionis, & etiam in confeſſione annuali: quoniam in iſtis caſibus tenetur homo confiteri, atque adeò ſi non poteſt omnia peccata confiteri, cùm non ſuppetat ei copia alterius Confeſſarij, tenetur illa peccata confiteri, quæ abſque proprio, vel alieno detrimento poteſt. Sic benè Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 9. art. 2. dub. 1. §. Sed circa hoc eſt dubium.*

Dico decimotertiò, idem dicendum, quando eſt neceſſitas ſuſcipiendi Euchariſtiam, aut aliud quodcumque ſacramentum; tunc enim ſi pœnitens habeat aliud peccatum mortale, tenetur confiteri. Similiter quando eſt neceſſitas faciendi ſacrum, & ſine graui ſcandalo, aut alio incommodo prætermitti id non poteſt. nam tunc etiam eſt præceptum præmittendi confeſſionem quando eſt cōſcientia peccati mortalis,

&

& poteſt impleri dicto modo. Nugnus nouiſſimè relatus; Suarez *tom.4.in 3.part.diſp.23.ſect.2.num.6.*

DVBITATIO VIII.

IX. *An qui ob aliquam cauſam ex enumeratis integrè confiteri non poteſt: ad euitandam tamen infamiam, vel proprium damnum, niſi confiteatur, teneatur ſub mortali confiteri vt poteſt? Et idem inquiritur, ſi ex dilatione confeſſionis, aliorum ſcandalum graue timeatur?*

Dico decimoquartò, quando eſt neceſſitas vitandi aliquam infamiam propriam, vel aliud ſimile incommodum, quod quis timet, oiſi confiteatur eo modo quo poteſt, tunc licèt ſit ſufficiens ratio, vt homo poſſit licitè ſic confiteri, quia præceptum integritatis confeſſionis obligat quoties ſeruari poteſt abſque graui incommodo; oon tamen obligatur ſaltem ſub mortali ſic confiteri; quia illud incommodum temporale eſt, & proprium, & poteſt homo cedere iuri ſuo. Ita notauit Henriquez *lib.5.de pœnitentia,cap.12. num.5.*

Dico decimoquintò, ſecus autem dicendum eſt ſi ſcandalum aliorum ex dilatione, vel omiſſione confeſſionis probabiliter, timeatur; tunc enim non ſolùm licebit, ſed etiam neceſſarium erit eo modo confiteri iuxta qualitatem ſcandali. Idem dicendum ſi ex maoifeſtatione alicuius peccati in coofeſſione, vel circunſtantiæ infinitè aggrauantis, aliquod graue damnum, vel incommodum aliis obueniret. quia ex charitate tenemur ſcandalum, & graue alienum damnum euitare. Videatur Syl. *verb.Confeſſ.1.quæſt.3. & quæſt.19.* Nauarr. *ſumm.cap.7. num. 6.* Suarez nuper relatus *num.7.*

DVBITATIO IX.

X. *An dimidiare confeſſionem licitum ſit, ſi per multum temporis non ſperetur commoditas alterius Confeſſarij, integréque confitendi?*

Dico decimoſextò, licèt confeſſio non ſit in præcepto, nec ſcandalum ex dilatione, vel omiſſiunis confeſſionis probabiliter timeatur, eſt tamen magna vtilitas Confeſſoris, vt ſi illa occaſio non confitendi aliquod peccatum mortale duret per aliquor menſes, tunc licèt non ſit præceptum, vel ſcandalum, melios eſt ſic confiteri, quàm differre confeſſionem. quia nulla apparet ratio, vt ob nequitiam Sacerdotis pœnitens tanto fraodetur commodo ſpirituali, quandoquidem per ipſum non ſtat, quo minùs omnia peccata confiteretur, vt docet optimè Magiſter Sotus *in 4.diſt.18.quæſt.2. art.5. §.Circa tertium argumentum, verſic. At verò.*

Dico decimoſeptimò, quando poſt breue tempus ſperatur commoditas alterius Confeſſarij, integréque confitendi, debet homo differre confeſſionem; quia tunc nulla rationabilis cauſa cogit ad aliom confeſſionis modum. Ita Magiſter Sotus nuperrimè adductus. Suarez *vbi ſuprà.* Probabiliter etiam dici poteſt bonum eſſe ſic confiteri: quia difficile eſt habere cootritionem, & ſemper adeſt aliquod periculum mortis. Sic probè Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. quæſt. 9. art. 2. dubio 1. §. Sed circa hoc eſt dubium, fine, fol. 317. col. 2.*

DVBITATIO X.

XI. *An habens tantùm vnum peccatum mortale, de quo (ſi illud exprimat in confeſſione) timet infamiam, teneatur de venialibus, inſtante præcepto, confiteri?*

Dico decimooctaoò, pœnitens, qui vnum ſolum habet peccatum mortale, de quo probabiliter, ſi in confeſſione illud explicet, timet graue periculum, vel incommodum, ſi præter illud peccatum mortale habet alia venialia; ſi currit præceptum diuinum, vel Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis, vel ſumendi Eucharistiam, vel eſt maxima neceſſitas Sacrum faciēdi; tenetur peccata venialia confiteri, tacito peccato mortali, de quo graue periculum timet. quia ſic fieret ex attrito contritus, atque adeò ſecuriùs accederet ad Euchariſtiam, & Sacrum faciendum, & tutius præceptum diuinum, & Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis adimpleret. Ita nonnulli DD. quos tacito nomine refert Nugnus noſter *tom.1.in 3.part.q.80.art.4.diffic.2.§.Circa primum autem, fol.433.col.2.* Hæc aſſertio indiget explicatione. Vnde

Dico decimonono, cùm quis habet vnum ſolum peccatum mortale, ex cuius confeſſione timet periculum; ſi præter illud peccatum mortale habet peccata venialia, per ſe loquendo, ante Sacrum faciendum, vel ante ſumptionē Euchariſtiæ, non tenetur confiteri de veoialibus, vt indirectè ſaltē abſoluatur ab illo mortali. quia nō eſt præcepta confeſſio aote Sacrum faciendum, vel ante ſumptionem Euchariſtiæ, peccatorum venialium; ſed mortalium. vnde cùm tunc non poſſit confiteri peccatum illud mortale, non obligatur ad confeſſionem venialium. Sic benè Nugnos noſter nuper allegatus.

Dico vigeſimò, per accidens tamen fieri poteſt, vt communicaturus, vel Sacrum facturus, teneatur præmittere confeſſionem venialium, tacito illo peccato, de quo timet graue incommodum: vt ſi accederet huiuſmodi communicaturum, vel Sacrum facturum non exiſtimare ſe eſſe contritum, ſed tantùm attritum; tunc teneretur non communicare, nec Sacrum facere, niſi vel ad probabilem exiſtimationem ſuæ contritionis perueniret, vel priùs confiteretur illa venialia tacito mortali, quod non poteſt propter periculum in confeſſione explicare. quia ex naturali lege ac diuina obligatur homo ſanctè tractare, & accipere ſacramenta, quæ ſancta ſunt. Ita notauit Suarez *tom.3. in 3. part. diſp.66.ſect.4.§.Tertius, magiſque receptus, verſ.Reſpondetur,* quem ſequitur Bonacina *tom.1.tract.de Sacramentis, diſp.4 quæſt.5.puncto 1.n.31.verſ.Qui verò habet.*

DVBITATIO XI.

Sed an quando occurrit præceptum annuæ confeſſionis, teneatur homo confiteri de venialibus, ſi non habet aliud mortale, tacito illo lethali commiſſo, de quo timet graue incommodum, iam ſuprà reſponſum eſt *aſſertione* 12. affirmatiuè, teneri ſcilicet fidelem tunc ſic confiteri. quia ſic impletur tunc ſubſtantialiter illud præceptum, & poteſt fieri ſine iniuria ſacramenti, vel alio iocommodo graui. ergo debet fieri: ſic rectè Nugnus *loco adducto aſſert.* 12. Item Nugnus *ſuprà q.6.art.3.dub.2. verſ.In hac quodlibetica.* vbi docet quòd qui noo haberet peccata mortalia, teneretur confiteri de venialibos, vt adimpleret præceptum confitendi ſemel in anno. ergo à fortiori, qui habet culpam lethalem, quam timet confiteri ob graue incommodum, & habet alia venialia, tenebitur, tacito illo mortali, de quo timet, confiteri veoialia, ſi occurrat præceptum annuæ confeſſionis.

Dvbitatio XII.

XIII. *An irretitus peccatis reſeruatis, teneatur confiteri habenti facultatem communem, reſeruata, & non reſeruata, niſi habeat copiam Confeſſarij habentis facultatem abſoluendi à peccatis reſeruatis, & curat præceptum confeſſionis? &, An habens vnum peccatum mortale reſeruatum, & venialia, teneatur hæc confiteri?*

Dico vigeſimoprimò. Sacerdos celebraturus ex neceſſitate, & quicumque pro euitando ſcandalo Euchariſtiam ſumpturus, ſi habet peccata mortalia non reſeruata, & præterea aliqua reſeruata, ſi habeat copiam Confeſſarij habentis facultatem abſoluendi à non reſeruatis, non videtur habere iuſtam cauſam, qua ſe eximat à confeſſione præmittenda, ante ſumptionem Euchariſtæ, cùm ex iuxta cauſa poſſit directè abſolui à peccatis non reſeruatis, & indirectè à reſeruatis. Ita bene Nugnos *tom.1.in 3 p.quæſt.80.art.4.diffi.2. § circa primum.* Suarez *tom.3. in 3. part. diſp. 66. ſect.4. §.quartus caſus eſt.*

Dico vigeſimoſecundò. In caſu præcedentis aſſertionis tenebitur talis Sacerdos celebraturus, vel quiuis alius ex neceſſitate ſumpturus Euchariſtiam, omnia peccata tam non reſeruata, quàm reſeruata, confiteri illi Confeſſario ſolùm habenti facultatem directè abſoluendi à non reſeruatis; quia confeſſio integrè facienda eſt ex iure diuino: non fieret autem integra, ſi liberum eſſet pœnitenti abſque iuſta cauſa tunc peccata reſeruata reticere. Tum, quia Confeſſarius tunc realiter abſoluitur etiam à reſeruatis, quamuis indirectè. ergo pœnitens debet etiam reſeruata confiteri. Conſequetur igitur tunc iſte pœnitens abſolutionem directè & per ſe à non reſeruatis, indirectè verò, & per accidens à reſeruatis etiam habentibus excommunicationem annexam cum onere præſentandi ſe Superiori quando poterit pro abſolutione reſeruatorum, vel cenſurarum, aliàs reincidit in excommunicationem. Sic rectè Nugnus noſter *tom.2. in 3.p. q.9. art.2. dub.2. ſecunda partis, verſ. inter omnes illas, fol.328.col.1.*

Dico vigeſimotertiò, Sacrum facturus, vel Euchariſtiam ſumpturus ex graui neceſſitate, puta ad euitandum maximum ſcandalum, ſi habet ſolùm vnum peccatum mortale reſeruatum, & aliqua venialia, ſi non poteſt peccatum reſeruatum confiteri Sacerdoti approbato habenti facultatem reſeruatorum per ſe non tenetur præmittere confeſſionem venialium, vt directè ab illis abſoluatur, & indirectè ab illo reſeruato. quia per ſe non eſt obligatio ſubiiciendi clauibus peccata venialia ante Sacrum faciendum, vel ante ſumptionem Euchariſtiæ; ſed confitendi mortalia, & tunc iſte tenebitur ad actum contritionis; ſic ille, qui ex tali neceſſitate tenetur celebrare, vel ſumere Euchariſtiam, & non habet copiam Confeſſarij, per accidens tamen fieri poteſt, vt excommunicaturus teneatur præmittere confeſſionem venialium, vt ſi communicaturus putet ſe non eſſe contritum, ſed ſolùm attritum, tenetur confiteri venialia, & etiam illud reſeruatum Confeſſori non habenti facultatem reſeruatorum. quia hoc pacto ſaltem indirectè obtinet remiſſionem peccati mortalis reſeruati, & fit capax gratiæ ſacramentalis, & Sancta ſanctè tractaret. Videatur Nugnus *tom.1. in 3.part. q.80. art.4.diffic.2.§. circa primum,* Suarez & Bonacina *aſſertione* 20. relati.

Dvbitatio XIII.

XIII. *An habens iuſtam cauſam reticendi aliquod peccatum in confeſſione poſſit plura reticere? &, An non valens confiteri actum externum, teneatur confiteri actum internum?*

Dico vigeſimoquartò, qui habet iuſtam cauſam reticendi in confeſſione aliquod peccatum, in confeſſione non poteſt plura reticere. Similiter habens iuſtam cauſam reticendi actum externum, non verò internum: vt ſi furtum commiſit, & iuſtam habeat cauſam reticendi furtum externum, tenetur ſaltem in confeſſione dicere ſe voluntatem ſurripiendi habuiſſe, ſi nullum impendeat periculum ex manifeſtatione voluntatis ſurripiendi. Similiter, qui ſolum habet peccatum reſeruatum, poteſt in neceſſitate communicandi confiteri actum internum, & ab eo abſolui; imò tenetur ſi putaret ſe tantùm eſſe attritum, vt Sanctum ſanctè ſuſciperet, quamuis pœnitens adhuc retineret obligationem præſentandi ſe coram legitimo ſuperiore pro reſeruatione. Ratio huius aſſerti eſt, quia confeſſio integrè facienda eſt quantum moraliter fieri poteſt. Ita benè obſeruauit Bonacina *tom. 1.tract. de ſacram.diſp.5.q.5.punct.2.§.4.n.20.*

Dvbitatio XIV.

XIV. *An qui ex iuſta cauſa reticuit peccatum, teneatur ſtatim oblata occaſione illud confiteri?*

Dico vigeſimoquintò, qui peccatum aliquod ex iuſta cauſa conticuit in confeſſione, non tenetur ſtatim oblata opportunitate illud confiteri: quamobrem differre poteſt confeſſionem illius peccati, donec ex vi alterius obligationis iterum confiteri teneatur, quia tunc ſic confeſſus ſatisfecit integritati morali confeſſionis. Ita Nugnos noſter *tom.2.in 3.part. q.6. art.5. diffic.6.* licèt Magiſter Sot. *in 4.d.81.q.2.art.5.§. circa tertiũ argument. verſ. quid ſi ſciſciteris,* teneat quòd ſtatim.

Dico vigeſimoſextò. Sacerdos, qui vrgente neceſſitate celebrauit non præmiſſa confeſſione peccati mortalis, tenetur quamprimum confiteri. quia id ſtatuitur in Concilio Tridentino *ſeſſ.13. cap. 7. fine.* laicus verò, qui ſine præmiſſa confeſſione ſuſcipit Euchariſtiam, non tenetur ſtatim confiteri; quia præceptũ poſitiuum ſolùm extenditur ad eos, quorum facit mentionem. Sed Concilium Trident. *loc.cit.* non facit mentionem laicorum, ſed Sacerdotis celebrantis in neceſſitate ſine præmiſſa confeſſione. ergo, &c. Sic Nugnus noſter *tom.1.in 3 p.q.80.art.4.diffic.4.* licèt Nauarr. teneat obligari etiam laicos ſtatim, &c.

XV. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

Dvbitatio XV.

An præceptum Chriſti Domini de integritate confeſſionis ſit conſentaneum rationi?

Ad rationem in contrarium à principio poſitam reſpondetur, præceptum Chriſti Domini poſitiuum de integritate confeſſionis eſſe conſentaneum rationi, nec adeò ſtrictè obligare, vt pœnitens, quoad integritatem materialem teneatur illud ſeruare; iugum enim Chriſti Domini ſuaue eſt, & onus ipſius leue. Sufficit igitur quòd quando adeſt rationabilis cauſa reticendi aliquod peccatum in confeſſione, quòd tunc integritas formalis ſeruetur: non autem poſtulat à nobis Chriſtus Dominus extante rationabili cauſæ

inte

integritatem materialem in confeſſione.licebit igitur ad euitandum aliquod graue detrimentum proprium, vel alienum,omittere in confeſſione aliquod mortale peccatum,vt diximus cum S.Thom. Soto, Nugno,& aliis,locis adductis,&c.

ARTICVLVS XXV.

De confeſſione ſacramentali coram præſente Confeſſario facienda, & de abſolutione ab eodem præſente impetranda.

HAnc difficultatem ſuprà ex parte examinauimus. Quoniam verò ſuborti ſunt proximis præteritis temporibus nonnulli rumores circa veritatem confeſſionis, & abſolutionis ſacramentalis, operæpretium erit iterum hunc tractatum breuiter hic diſcutere, & ea quæ ſparſim diximus, hic vnitè colligere,& maioris claritatis gratia in ſex dubitationes ſequentes diſtinguere. Erit

I. An pœnitens peccata ſua ſacramentaliter præſenti Confeſſario confeſſus, poſſit ab eodem abſente abſolutionis formam obtinere.

II. An pœnitens peccata ſua per litteras,ſeu internuntium abſenti Sacerdoti ſacramentaliter confiteri, & ab eodem præſenti abſolutionem impetrare poſſit.

III. An pœnitens morti vicinus, qui abſente Sacerdote in præſentia teſtium contritionis ſigna exhibuit,& Pœnitentiæ ſacramentum petiit,& poſtea ſenſibus fuit priuatus, poſſit à ſuperueniente Sacerdote ex relatione teſtium illud ſciente ſacramentaliter abſolui.

IV. An pœnitens præſenti Confeſſario initio Quadrageſimæ peccata ſua confeſſus dilata abſolutione in feſtum Paſchæ, ſi ante illud morti proximus In præſentia teſtium contritionis ſigna oſtenderit, & ſacramentum Pœnitentiæ petierit, poſtea priuatus ſenſibus,poſſit à ſuperueniente eodem Sacerdote illud ex relatione teſtium ſciente ſacramentaliter abſolui.

V. An pœnitens peccata ſua abſenti Sacerdoti per litteras, ſeu internuntium confeſſus poſſit ab eodem abſente ſacramentaliter abſolui.

VI. An per decretum Sanctiſſimi Clem.VIII. die 20. Iunij 1602. factum damnata ſit propoſitio ad minus vti falſa, temeraria & ſcandaloſa, quòd liceat per litteras,ſeu internuntium Confeſſario abſenti ſacramentaliter peccata confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, itaut vtraque pars propoſitionis diuiſiuè,& non copulatiuè fuerit damnata.

DVBITATIO I.

An pœnitens peccata ſua ſacramentaliter præſenti Confeſſario confeſſus,poſſit ab eodem abſente abſolutionis formam obtinere?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur in quo ſita ſit vis ſacramenti Pœnitentiæ, &, An verba ſcripta ſint propriè verba,& abſolutio ſcripta propriè abſolutio.*
3. *Veritas aperitur,& explicatur, An alia omnia ſacramenta poſſint confici per ſcripturam.*
4. *An ſit erroneum dicere quòd abſolutio in ſcriptis ſit valida.*
5. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, An Pœnitentia ſacramentum importet actionem faciendam coram pœnitente.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm ex Concilio Florentino, & Tridentino ſacramenta tribus perficiuntur,materia,forma, & Miniſtro; ſed in hoc caſu eſt vera materia, videlicet peccata confeſſa à pœnitente ipſi Sacerdoti præſenti; eſt vera forma, ſcilicet abſolutio miſſa à Confeſſario; eſt legitimus Miniſter, ſcilicet Sacerdos habens iuriſdictionem. ergo eſt verum ſacramentum. Confirmatur. nam omnia ſacramenta quæ non poſſunt fieri in abſentia conferentis ipſum ſacramentum important aliquam actionem, quæ in abſentia fieri non poteſt, vt Baptiſmus ablutionem, Extrema vnctio vnctionem;ſed ſacramentum Pœnitentiæ non importat huiuſmodi actionem,cùm abſolutio non ſit actualiter tangens,ſicuti ablutio,& vnctio.ergo,&c.

DVBITATIO I.

II. *In quo ſita ſit vis ſacramenti Pœnitentiæ? &, An verba ſcripta ſint propriè verba, & abſolutio ſcripta propriè abſolutio?*

Primò obſeruandum eſt ſic definiri in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. de Pœnitentia, cap. 3. *Docet præterea ſancta Synodus ſacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſoluo.* In qua definitione eſt maximè ponderandum, à Concilio definiri formam ſacramenti Pœnitentiæ eſſentialiter eſſe verba illa: *Ego te abſoluo.* Dixit quidem verba, vt ſi illa deſint, neutiquam forma eſſentialiter conſiſtere poſſit. Dixit autem verba Miniſtri, id eſt, Sacerdotis Confeſſarij, vt ſignificaret à ſolo Miniſtro prolata, & non ab alio eſſe eſſentialiter formam prædicti ſacramenti.

Secundò eſt obſeruandum quòd verba Sacerdotis ſcripta non ſunt ſimpliciter verba, ſed ſecundùm quid,& analogicè,quia ſunt ſigna verborum;ſicut vrina dicitur analogicè ſana,& ſecundùm quid, quia eſt ſignum ſanitatis,quæ eſt in animali, & ideo dici non poteſt,quòd illa verba ſcripta, *Ego te abſoluo*, ſint verè & eſſentialiter forma ſacramenti Pœnitentiæ, & quòd Abſolutio ſcripta ſit Abſolutio ſacramentalis: nec enim Chriſtus Dominus virtutem conferendi gratiam contulit epiſtolæ mortuæ, aut ſcripturæ, ſed miniſtro per verba,ſeu formam, quæ ſit actus vitalis, ſeu vitæ coniunctus, vnde ſi vt Sacerdos mutus etiamſi ſit præſens, & ſcribat illa verba, *Ego te abſoluo*, non conficeret ſacramentum, neque eius abſolutio eſſet ſacramentalis,vt communis Eccleſiæ vſus tenet. His poſitis,

III. *Reſoluitur,& explicatur*

DVBITATIO II.

An alia omnia ſacramenta poſſint confici per ſcripturam?

Dico primò, pœnitens præſenti Confeſſario confeſſus non poteſt ab eodem abſente abſolutionem obtinere. Probatur primò, ex definitione prædicta Concilij: quia abſolutio facta ab abſente Sacerdote per litteras, aut internuntium, non ſit eius verbis, ſed aut verbis internuntij, aut verbis ſcriptis, quæ non ſunt eius verba, ſed ſigna eorum, vt dictum eſt.

Secundò probatur, in omnibns ſacramentis, excepto matrimonio (de quo eſt alia ratio, vt dicetur *art.5.*) verba ſcripta non poſſunt eſſe forma, ſed neceſſariò requituntur verba conficientis ſacramentum. ergo idem eſt dicendum in ſactamento Pœnitentiæ. Antecedens eſt ita certum, vt dicat Magiſter Soto *in 4.diſt.4.queſt. vnic.art.4.* eſſe de fide. nam in Euchariſtia verba Conſecrationis ſcripta applicata pani à Sacerdote, cum intentione conſecrandi, nullum conficerent ſacramentum, ſimiliter in Baptiſmo, Confirmatione, Vnctione, & Ordine. Conſequentia patet, quia ita verba conſtituuntur ſurma in ſacramento Pœnitentiæ, ſicut in aliis.

Probatur tertiò. Hæc, *Ego te abſoluo*, ſignificant præſentiam pœnitentis: ſicuti illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, ſignificant præſentiam panis. Nam ſicut pronomen *hoc* ſignat ad ſenſum; ita etiam pronomen *tu*, & *te*; ſed in abſentia panis nibil efficiunt illa verba, *Hoc eſt corpus meum*; ergo neque etiam hæc verba, *Ego te abſoluo*, in abſentia pœnitentis aliquid efficerent.

Dices eſſe diſcrimen inter pronomen *hoc*, & pronomen *te*, quòd illud ſemper ſignat ad ſenſum; ſed hoc poteſt quandoque ſignare ad intellectum, vt quando profertur ſententia in aliis iudiciis in abſentia rei, & ponitur ptonomen *te*, ſed reſpondetur quòd pronomen *te*, in ſacramenti Pœnitentiæ forma ſemper ſignat ad ſenſum: quia verba huius formæ ſunt practica effectiua abſolutionis realiter, & ſignificant quod ipſa realiter efficiunt abſolutionem, quod in abſentia verificati non poteſt: at in aliis iudiciis verba non ſunt practica effectiua abſolutionis realiter, & ideo non eſt neceſſe quòd pronomen, *te*, ſignet ad ſenſum, ſed ſolùm ad intellectum iudicis dirigentis verba ſententiæ ad rem abſentem.

Probatur quartò. Sacerdos non poteſt abſoluere niſi pœnitentem viuum, & diſpoſitum, aliàs eſſet ſactilegus; ſed impoſſibile eſt quòd in abſentia cognoſcat pœnitentem eſſe viuum & diſpoſitum, quia ſubitò mori poteſt, & dum abſuluitur, eſſe poteſt in actuali complacentia peccati mortalis. ergo, &c.

DVBITATIO III.

IV. *An ſit erroneum dicere quòd abſolutio in ſcriptis ſit valida?*

Dico ſecundò, etiam ſecluſo decreto à Sanctiſſimo Clemente VIII. die vigeſima menſis Iunij 1602. edito, abſolutio ab abſente Sacerdote collata non ſolùm eſt nulla, & in nullo caſu licet, ſed dicere quòd facta teneat, & liceat ſaltim in aliquo caſu, eſt ſententia erronea. Probatur ex definitione ſacri Concilij Tridentini *ſeſſ.14.cap.3. citato*, vbi decernitur formam ſacramenti Pœnitentiæ in illis Miniſtri verbis ſitam eſſe, *Ego te abſoluo*; ſed quando Sacerdos eſt abſens, non ſunt illa verba, ſed ſcriptura. ergo non ſolùm nullum conficitur ſacramentum, ſed contrarium aſſerere meretur prædictam cenſuram etiam ſecluſo decreto ſanctiſſimi Clementis VIII.

Sed inſurges contra hanc aſſertionem. nam S. Anton. 3. *part.tit.14.§.9. & tit.17.cap.12. & cap.21.§.3.* & Syl. *verb.Confeſſor 3.num.1.* tenent quòd in caſu in quo Sacerdos pœnitentem in præſentia abſoluit ignoranter à caſu reſeruato, & poſtmodum agnouit caſum eſſe reſeruatum, & iam pœnitens receſſit, poteſt eundem pœnitentem abſentem abſoluere. ergo in aliquo caſu licet abſolutio à Sacerdote in abſentia pœnitentis facta.

Reſpondetur quòd Sanctus Antoninus loquitur dubitatiuè, neque aliquid determinatè docet: Syluester autem ait, quòd petita, & obtenta auctoritate abſoluendi à caſu à quo abſoluere nequiuit ſecundùm Directorium, & alios peritos, vocato illo cautè de quibuſdam confeſſis interroget, quaſi pleniùs informandus, & deinde ſi aliqua crimina perpetrauit, & ſic eum denuo abſoluat ab omnibus tunc & priùs auditis, vel ſi inde magnum ſcandalum timeatur, abſoluat abſentem ſi ab vltima confeſſione creditur perſeuerare in gratia, vel in hoc caſu ſecundùm alios committat ſummo Sacerdoti Chriſto. hæc formaliter Syluester: vbi videtur iſte Doctor recitatiuè, & dubitatiuè loqui, nihil reſoluens ex propria ſententia. Cæterùm hi DD. neque ſic loqui auſi fuiſſent ſi eorum tempore extitiſſet tam expreſſa de hac re ſacri Concilij Tridentini definitio.

V. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

DVBITATIO IV.

An Pœnitentiæ ſacramentum importet actionem faciendam coram pœnitente?

Ad rationem in contrarium à principio poſitam reſpondetur negando minorem, quia abſolutio miſſa à Confeſſario, aut ſcripto, & per epiſtolam, aut per internuntium, non eſt forma, vt probatum eſt: tum etiam, quamuis eſſet forma, non applicatur debito modo, neque etiam Miniſter impendit illam pœnitenti debito modo, ſicut ſi aliquis intendat conſecrare panem nimis diſtantem, redditur forma falſa, quia non applicatur debito modo.

Ad confirmationem reſpondetur quòd quamuis ſacramenta Pœnitentiæ non ita clarè importent actionem, quæ ſit actualiter tangens pœnitentem, ſicut prædicta ſactamenta; importat tamen in ipſa forma actionem terminatam ad pœnitentem præſentem ex vi illius pronominis te, quod præſentem pœnitentem requirere totiùs Eccleſiæ conſenſu eſt comprobatum.

DVBITATIO II.

An pœnitens peccata ſua per litteras, ſeu internuntium abſenti Sacerdoti ſacramentaliter confiteri, & ab eodem præſente abſolùtionem impetrare poſſit?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur titulus quæſtionis.*
3. *Recolitur quæ ſit materia ſacramenti Pœnitentiæ; & in quo differat materia ſacramenti Pœnitentiæ à materia ſacramenti Baptiſmi, explicatur.*
4. *An ſit de iure diuino confeſſionem ſacramentalem faciendam eſſe præſenti Sacerdoti.*
5. *Quæſtio reſoluitur, & explicatur, An pœnitens per litteras, vel internuntium tantùm ſua peccata confiteri poſſit, & nullo actu ipſius intercedente abſolui.*
6. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm ſicut eſt ex inſtitutione diuina, quòd confeſſio fiat præſenti Sacerdoti; ita eſt ex eadem inſtitutione diuina modus confitendi ſecretò ſoli Sacerdoti: ſed confeſſio ſactamentalis poteſt nihilo

Digitized by Google

nihilominus fieri publicè; ergo confeſſio ſacramentalis poteſt etiam fieri abſenti Sacerdoti.

Confirmatur *ex c. qualis 20. q. 5.* vbi expreſsè determinat Leo Magnus Pontifex, confeſſionem factam per ſcriptum eſſe recipiendam. ergo, &c.

II. *Explicatur titulus quæſtionis.*

Obſeruandũ eſt primò, quòd quando pœnitens per litteras, ſeu internuntium miſit peccata ſua abſenti Confeſſario, ſi poſtea in præſentia ipſius dicit, quòd ſe accuſat de omnibus illis, poteſt ſacramentaliter à præſenti Confeſſario abſolui, neque de hoc poteſt eſſe aliqua dubitatio; poteſt tamen à nonnullis verti in dubium, quando per litteras, ſeu internuntium facta eſt à pœnitente abſenti Sacerdoti Confeſſario, & poſtea nullo alio pœnitentis actu intercedente à præſenti Confeſſario conferatur abſolutio prædicto pœnitenti.

III. *Recolitur quæ ſit materia ſacramenti Pœnitentiæ, & in quo differat materia ſacramenti Pœnitentiæ à materia ſacramenti Baptiſmi, explicatur?*

Secundò eſt obſeruandum ex Concilio Florentino *tract. de Confeſſione*, materiam ſacramenti Pœnitentiæ eſſe actus pœnitentia, contritionem, oris confeſſionem, & ſatisfactionem; & quamuis Concilium Trid. *ſeſſ. 14. de ſacramento Pœnitentiæ, c. 3.* explicet huiuſmodi pœnitentis actus eſſe contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem; certum tamen eſt Concilium Tridentinum per confeſſionem intellexiſſe oris confeſſionem, quam Concilium Florentinum ſtatuerat, cùm Concilium ſubſequens deſtruere non poſſit, quod per Concilium antecedens fuerat antè de fide decretum; cùm autem confeſſio per litteras, vel internuntium miſſa non ſit oris confeſſio, nullo modo cenſenda eſt materia huius ſacramenti.

Tertiò eſt obſeruandum ex S. Th. *in additionib. ad 3. part. q. 9. art. 3. ad 2.* eſſe diſcrimen inter materiam ſacramenti Baptiſmi, & Pœnitentiæ, quòd materia Baptiſmi eſt omnino ab exteriori, & nobis ab alio exhibetur, & ideo Baptiſmus dari non poteſt niſi in aqua. Cæterùm actus pœnitentis, ſeu confeſſionis eſt ab intra, & à nobis, & ideo confeſſio ſolùm fieri poteſt in omnibus actibus qui ab intrà procedunt, qui ſunt vitales, vitæ immediatè coniuncti, & vitaliter producti, & affectum pœnitentis manifeſtantes, & ideo confeſſio ſacramentalis fieri poteſt verbis, nutibus, & ſignis, qui ſunt actus vitales: ſi autem per litteras, ſeu internuntium fiat, cùm non ſit actus pœnitentis vitalis, nequit eſſe ſacramentalis. Petes,

Dubitatio I.

IV. *An ſit de iure diuino, confeſſionem ſacramentalem faciendam eſſe præſenti Sacerdoti?*

Quartò eſt obſeruandum confeſſionem ſacramentalem iure diuino ex inſtitutione Chriſti Domini faciendam eſſe præſenti Sacerdoti, vt conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. de ſacram. Pœnitent. c. 2.* vbi conſtituitur diſcrimen inter Baptiſmum, & Pœnitentiam, quòd miniſter Baptiſmi non eſt iudex, ſicuti eſt miniſter Pœnitentiæ, ex quo infert Concilium pœnitentes debere ex inſtitutione Chriſti ante Tribunal Confeſſarij tanquam reos præſentialiter comparere, ſic enim ait: nam eos, ſcilicet baptizatos, ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminauerunt, non iam repetito Baptiſmo ablui, cùm id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat, ſed ante hoc Tribunal tanquam reos ſiſti voluit: verbum autem *ſiſti* præſentialiter *comparere* ſignificat, vt expreſsè dicit Vlpianus *l. 2. §. ſi quis iudicio, ff. ſi quis cautionibus.* Id etiam confirmari poteſt ex Conc. Trid. *can. 6. eiuſdem ſeſſionis*, ſic decernente: *Si quis negauerit confeſſionem ſacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe iure diuino, aut dixerit modum ſecretè confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſeruauit, & obſeruat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inuentum eſſe humanum, anathema ſit.* His poſitis,

V. *Veritas aperitur, & explicatur*

Dubitatio II.

An pœnitens per litteras, vel internuncium tantùm ſua peccata poſſit confiteri, & nullo actu ipſius intercedente abſolui?

Primum dictum, non poteſt pœnitens per litteras, ſeu internuntium peccata ſua abſenti Sacerdoti ſacramentaliter confiteri. Probatur primò, confeſſio per litteras, ſeu internuntium abſenti Sacerdoti facta non eſt materia ſacramenti Pœnitentiæ, cùm non ſit oris confeſſio, neque actus pœnitentis vitalis. ergo non eſt ſacramentalis.

Secundò probatur, confeſſio ſacramentalis iure diuino ex inſtitutione Chriſti Domini facienda eſt præſenti Sacerdoti, vt conſtat ex obſeruatione quarta. ergo confeſſio facta per litteras, ſeu internuntium abſenti Sacerdoti, non eſt ſacramentalis.

Tertiò probatur ex Catechiſmo Romano iuſſu Sanctiſſimi Pij V. edito, *in tract. de ſacramento Pœnitentiæ*, vbi ſic dicitur: *Quare fit vt nemini omnino, neque per nuntium, neque per litteras confiteri liceat.* Si enim nemini omnino ſic confiteri licet, in nullo caſu huiuſmodi confeſſio licita erit, immo verò nulla exiſtet.

Quartò probatur ex *can. quem pœnitet, de Pœnitentia, diſt. 1.* vbi ſic dicitur: *Quem pœnitet, omnino pœniteat, repræſentet vitam ſuam Deo per Sacerdotes, præcepit enim Dominus mundandis vt oſtenderent ſe Sacerdotibus, docens corporali præſentia confitenda peccata, non per nuntium, non per ſcriptum manifeſtanda*, &c. ergo hanc concluſionem docet D. Th. *in additionibus ad 3 p. q. 9. art. 3.* Sotus *in 4. diſt. 18. q. 2. art. 7.* Caiet. *in ſumma verb. Confeſſio, condit. 11.* Cano *p. 5. de pœnit. & lib. 8. de locis.* Victoria *in ſumma §. 174.* Tabiena *verb. Confeſſio 2. §. 37.* Henriquez *in ſumma lib. 2. de pœnit. cap. 2. §. 7.*

Dico ſecundò, pœnitens abſenti Sacerdoti per litteras, ſeu internuntium confeſſus, nullo alio pœnitentia actu intercedente, non poteſt à præſenti Sacerdote abſolui. Probatur, quia, vt conſtat ex dictis, prædicta confeſſio neque eſt ſacramentalis, neque materia ſacramenti Pœnitentiæ. ergo ſuper illam non poteſt cadere abſolutio præſentis Sacerdotis: ſed ſi fiat, nulla erit.

Dico tertiò, propoſitio aſſerens quòd pœnitẽs peccata ſua per litteras, ſeu internuntium abſenti Sacerdoti ſacramentaliter confiteri poteſt, & ab eodem Sacerdote præſente nullo alio pœnitentis actu intercedente abſolui, etiam ſecluſo decreto prædicto Clemẽtis VIII. eſt proxima errori. Probatur, quia ex Concil. Florentino oris confeſſio eſt materia ſacramenti Pœnitentiæ, & ex Concilio Trid. confeſſio ſacramentalis iure diuino, & ex inſtitutione Chriſti præſenti Sacerdoti eſt facienda. ergo aſſerere confeſſionem per litteras, vel internuntium factam abſenti Sacerdoti, eſſe ſacramentalem, & poſſe informari forma abſolutionis, eſt errori proximum.

V I. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur.*

Ad tationem à principio poſitam reſpondetut quòd, vt dicit Concilium Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 5. modus confitendi ſecretò ſoli Sacerdoti, ita ſuit inſtitutus à Chriſto Domino, vt non vetuerit Dominus, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ vtilitatem delicta ſua publicè confiteri poſſit, erat tamen tunc præſens Sacerdos, qui abſolutionem conſerebat: at quòd confeſſio fiat præſenti Sacerdoti, ita eſt inſtitutum à Chriſto Domino, vt contrarium Chriſtus Dominus prohibuerit, inſtituens formam abſolutionis, *Ego te abſoluo*, in qua præſentia Sacerdotis ſignificatur, & ideo ſecretus modus confitendi, quamuis ſit nimis conueniens, non tamen eſt neceſſarius, quia nullo modo ſignificatur in forma huius ſacramenti.

Ad confirmationem reſpondetur quòd illud capitulum intelligendum eſt de confeſſione facta per ſcriptum præſenti Sacerdoti, dum illud offert pœnitens Sacerdoti, dolens de his omnibus in eo exaratis. Ita gloſſa *ibidem*. Videatur etiam Nauarrus *cap.* 21. *ſumma, num.* 36.

DVBITATIO III.

An pœnitens morti vicinus, qui abſente Sacerdote, in præſentia teſtium, contritionis ſigna exhibuit, & Pœnitentiæ ſacramentum petiit, ac poſtea ſenſibus fuit priuatus, poſſit à ſuperueniente Sacerdote, ex relatione teſtium, illud ſcientium ſacramentaliter abſolui?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Quæſtio reſoluitur, & explicatur, an in iſto caſu poſſit pœnitens abſolui, ſi tantùm vnum peccatum Sacerdoti præſenti propalauit.*
3. *Auctoritatibus à principio poſitis reſpondetur.*
4. *Explicatur quomodo diuerſimodè accipiatur in ſacris canonibus nomen pœnitentia, & per hoc rationi à principio magis clarè reſpondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

EX Concilio Arauſicano, *cap. qui recedunt* 26. *q.* 6. & ex Concilio Carthaginenſi IV. *ibidem cap.* 15. *qui in infirmitate*, & ex Leone I. *epiſt.* 91 *ad Theodorum ibidem, cap. his qui in tempore.* In primo loco dicitur quòd infirmus ſubitò obmuteſcens baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu. In ſecundo decreto dicitur: Is qui in infirmitate pœnitentiam petit, ſi caſu ad eum inuitatus Sacerdos venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel ſi in phreneſim conuerſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia. In tertio decreto dicitur: His, qui in tempore neceſſitatis, & in periculi vrgentis inſtantia præſidium pœnitentiæ, & munus reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda, &c. Quòd ſi ita aliqua ægritudine grauati ſunt, vt quod paulo antè poſcebant, ſub præſenti non valeant ſignificare teſtimonio, eis fidelium, & circunſtantium teſtimonium prodeſſe debebit, ſimul tamen pœnitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur. ergo pœnitens morti vicinus, qui abſente Sacerdote in præſentia teſtium, &c.

II. *Reſoluitur & explicatur*

DVBITATIO I.

An in iſto caſu poſſit pœnitens abſolui ſi tantùm vnum peccatum Sacerdoti præſenti propalauit?

Dico primò, non poteſt pœnitens morti proximus, quia abſente Sacerdote in præſentia teſtium contritionis ſigna exhibuit, & ſacramentum Pœnitentiæ petiit, ac poſtea ſenſibus fuit priuatus, à ſuperueniente Sacerdote ex relatione teſtium illud ſciente ſacramentaliter abſolui. Probatur, quia hæc petitio pœnitentis, & ſignorum contritionis exhibitio, non eſt confeſſio ſacramentalis; quia non eſt confeſſio alicuius peccati, imò neque adhuc eſt confeſſio explicita peccatorum in genere. ergo non poteſt abſolutione ſacramentali informari. Conſequentia probatur, quia vbi nulla eſt materia, nulla forma abſque ſacrilegio applicari poteſt: at in hoc caſu nulla eſt materia remota, & conſequenter neque proxima; ergo abſque ſacrilegio nulla forma applicari poteſt.

Probatur ſecundò. De fide eſt quòd abſolutio ſacramentalis ipſius Sacerdotis eſt actus iudicialis, & Sacerdos eſt iudex in ſacramento Pœnitentiæ, vt conſtat ex *can.* 9. *& cap.* 5. *ſeſſ.* 14. *Concilij Tridentini*, ſed in hoc caſu cùm nullum proferatur peccatum, non poteſt Sacerdos vllum iudicium ferre. ergo.

Dico ſecundò, quamuis de iure diuino ſit quòd confeſſio ſacramentalis ſit integra omnium peccatorum mortalium in ſpecie, & omnium circunſtantium, quæ mutant ſpeciem; tamen in caſu neceſſitatis ſi pœnitens vicinus morti vnum tantùm confiteatur peccatum, poteſt ſacramentaliter abſolui: non tamen poteſt abſolui pœnitens vicinus morti, ſi tantùm Pœnitentiæ ſacramentum petiit, & ſigna contritionis exhibuit; quia in hoc ſecundo caſu nullum eſt peccatum in ſpecie, ſuper quo poſſit Sacerdos ſuum ferre iudicium: at in primo poteſt ſuum ferre iudicium. nam aliquod peccatum in ſpecie expreſſit, vt ſuppono. Per accidens autem eſt, quòd non confiteatur omnia ſua peccata, quia vel phreneſi, vel morte præuentus, non potuit omnia confiteri.

III. *Auctoritatibus à principio propoſitis in contrarium reſpondetur.*

Dico tertiò, *can. qui recedunt* 26. *quæſt.* 6. Concilium Arauſicanum per pœnitentiam non intelligit abſolutionem ſacramentalem à peccatis, ſed in vtraque parte capitis loquitur de pœnitentia, id eſt, de pœna peccatoribus ad ſtatum pœnitentium admiſſis, vel admittendis iniuncta.

Probatur, quia in prima parte poſtquam dixit, *qui recedunt de corpore pœnitentia accepta*, &c. ſtatim ſubdit, *quòd ſi ſuperuixerint, ſtent in ordine pœnitentium, vt oſtenſis pœnitentia fructibus legitimam communionem, cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant.* ergo Concilium loquitur de pœnitentia, id eſt, de pœna, &c. Probatur conſequentia. nam ſi pœnitentia accepta eſſet abſolutio ſacramentalis, impertinens fuiſſet dicere, quòd ſi infirmi ſuperuixiſſent, ſtarent in ordine pœnitentium, & complerent pœnitentiam illam, quia abſolutio ſacramentalis non induceit

cit hanc pœnitentiam, & pœnam publicam pœnitentium.

In ſecunda parte Concilium Arauſicanum loquitur de eadem pœnitentia, de qua ſermonem fecit in prima parte: ſed in prima parte, vt probatum eſt, non loquitur de pœnitentia, quæ eſt abſolutio ſacramentalis; ergo neque in ſecunda parte. ergo, &c. Videatur alia ſolutio apud Aluarez 1.2. *q.19. art.6. diſp.*80. *in difficultate appendice arg.* 15. *ad decimum.*

Dico quartò, *can. his qui in infirmitate* 26. *quaſt.* 6. etiam Concilium Carthaginenſe per pœnitentiam non intellexit abſolutionem ſacramentalem, ſed pro pœnitentia intellexit pœnam peccatoribus ad ſtatum pœnitentium admiſſis iniunctam. Probatur, quia etiam in hoc capite decernitur, quòd ſi infirmus ſuperuixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui pœnitentiam dederit, probauerit: at abſolutio ſacramentalis non obligat pœnitentem poſtquam conualuerit ſubdi ſtatutis pœnitentiæ legibus, quæ pertinent ad forum exterius; ergo per pœnitentiam non intellexit Concilium Carthaginenſe abſolutionem ſacramentalem.

Dico quintò, *cap. his qui in tempore*, ſanctiſſimus Leo magnus per pœnitentiam non intellexit abſolutionem ſacramentalem, ſed pro pœnitentia intellexit pœnam quandam, ſeu pœnitentiam priuatam peccatoribus illis pœnitentibus à Sacerdote iniungendam. Probatur, quia poſtquam Leo Magnus *Epiſtola* 91. citata dixit, vt ſimul pœnitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur, immediatè ſubdit, *ſeruata tamen regula Canonum paternorum circa eorum perſonas, qui in Deum à fide diſcedendo peccauerunt.* quibus verbis præcipit Pontifex ne hæreticis in illo caſu extremæ neceſſitatis beneficium pœnitentiæ, & reconciliationis impenderetur, niſi priùs iuxta ſacros Canones hæreſim ſuam abiuraſſent. ergo non loquitur de abſolutione ſacramentali. nam in articulo mortis etiam hæretici, ſi verè pœniteant, ſunt ſacramentaliter abſoluendi, etiam ſi publicè hæreſim non abiurauerint, quia videlicet ob imminentem mortis articulum eam abiurare minimè potuerunt.

Secundò probatur. nam in citata epiſtola ſummus Pontifex ſtatim in initio exponit de quibus pœnitentibus inſtituendus eſſet ſermo, ait enim: Sed vt quoquomodo inſtruatur ambiguitas conſulentis, quid de pœnitentium ſtatu Eccleſiaſtica habeat regula non tacebo: ergo quando poſtea dicit quòd ægritudine aggrauatis pœnitentiæ & reconciliationis beneficium eſt concedendum, de illis eſt intelligendus, & de pœnitentia in foro exteriori, & non interiori.

Et per hæc patet ad illas tres auctoritates ex ſacris Canonibus à principio adductas. Ad primam enim ex *can. qui recedunt* 26. *quaſt.*6. patet reſponſum ex *aſſertione* 3. ad ſecundam ex *cap. is qui*, dictum eſt *in aſſertione* 4. ad tertiam ex cap. *his qui in tempore*, reſponſum eſt *aſſertione quinta.*

Dvbitatio II.

IV. *Quomodo diuerſimodè accipiatur in ſacris Canonibus nomen* Pœnitentiæ? *& per hoc rationi à principio magis clarè reſpondetur?*

Pro maiori tamen huius difficultatis intelligentia obſeruandum eſt, quòd in ſacris Canonibus hoc nomen *Pœnitentia* quatuor modis præcipuè accipitur. Primò pro pœna peccatoribus ad ſtatum pœnitentium admiſſis, vel admittendis iniuncta, quæ publicè, vel priuatim iuxta qualitatem delictorum iniungebatur ab Epiſcopo, vel Presbytero. ita accipitur 26. *quaſt.*7. *can. his qui, & cap. pœnitentibus, & cap. Sacerdos.* vbi dicitur: Sacerdos pœnitentiam imploranti abſque perſonarum acceptione pœnitentiam ſecundùm leges iniungat. Ait *ſecundùm leges*, quia ſacri Canones pœnitentiam hanc, ſiue pœnam peccatoribus debitam taxant, vt *can. latorem* 26. *quaſt.*1. ſtatuitur pœna ei qui matrem occidit, & Hoſtienſis *in ſumma de pœnit. & remiſſ.* §. *Qua pœna colligit ex iure* 46. Canones pœnitentiales, quos Nauarr. *in manuali cap.* 26. *num.*17. probat ad forum exterius pertinere, & non ad interius. Secundò ſumitur *Pœnitentia* pro remiſſione, ſiue abſolutione ab huiuſmodi pœna, ita videtur vſurpari *in can. de pœnitentibus, de conſecratione diſt.*3. Tertiò ſumitur pro abſolutione ſacramentali à peccatis, ita videtur accipi *can. ſi Presbyter* 26. *quaſt.*6. vbi dicitur, *ſi Presbyter pœnitentiam morientibus abnegauerit, reus erit animarum, quia Dominus dicit*, Quacunque die conuerſus fuerit peccator ad pœnitentiam, vita viuet, & non morietur; & quòd intelligatur in hoc canone nomine *Pœnitentiæ* abſolutio ſacramentalis, colligitur ex verbis immediatè ſequentibus. Vera enim confeſſio (inquit ibi canon) in vltimo tempore eſſe poteſt. Quartò ſumitur *Pœnitentia* pro pœnitentia, ſeu ſatisfactione, quæ pœnitenti pro peccatis ſuis à Confeſſario poſt confeſſionem ſacramentalem tribuitur, ita vſurpatur *in can. ab infirmis* 26. *quaſt.*7. vbi habetur: *Ab infirmis in periculo mortis poſitis pura eſt inquirenda confeſſio peccatorum; non tamen illis imponenda eſt quantitas pœnitentiæ, ſed innoteſcenda, &c. vt ſi à periculo mortis diuinitus ereptus conualuerit, pœnitentiæ modum à Sacerdote ſibi impoſitum diligenter obſeruet.* In tribus illis locis à principio huius difficultatis adductis ſacri Canones loquuntur de pœnitentia primo, aut ſecundo modo explicata, vt dixi 3. 4. & 5. *aſſertione.*

Dvbitatio IV.

An pœnitens, præſenti Confeſſario initio Quadrageſimæ peccata ſua confeſſus, dilata abſolutione in feſtum Paſchæ, ſi ante illud morti proximus, in præſentia teſtium, contritionis ſigna oſtenderit, & ſacramentum Pœnitentiæ petierit, & deinde priuetur ſenſibus, poſſit à ſuperueniente eodem Sacerdote illud ex relatione teſtium ſciente ſacramentaliter abſolui?

Svmmarivm.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur an in Sacramentis nouæ legis debeant coniungi materia & forma.*
3. *Explicatur an pœnitens confeſſus initio Quadrageſimæ, poſſit in die Paſcha abſolui, ſi tantùm exhibeat ſigna contritionis de peccatis initio Quadrageſimæ confeſſis.*
4. *Titulus quaſtionis reſoluitur.*
5. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur ſupradicta.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Fvit antiqua conſuetudo in Eccleſia, vt priùs fieret confeſſio Sacerdotibus initio Quadrageſimæ, abſolutio verò differretur vſque in feriam quintam in Cœna Domini, in qua abſoluebantur pœnitentes à Confeſſariis. ergo, &c.

DVBITATIO I.

II. *An in Sacramentis nouæ legis debeant coniungi materia, & forma?*

Dico primò, materiam & formam Sacramẽtorum nouæ legis debere ſaltem moraliter concurrere, vnde qui quinque abhinc diebus abluiſſet puerum, & hodie formam Baptiſmi conferret, nullum Sacramentum efficeret: quia materia & forma tunc in hoc ſacramento Baptiſmi moraliter non ſimul coniungerentur; ſic etiam philoſophandum eſt in præſenti caſu, confeſſionem ſcilicet pœnitentis factam initio Quadrageſimæ præſenti Confeſſario fuiſſe veram confeſſionem ſacramentalem, & partem ſacramenti Pœnitentiæ, & ſi tunc fuiſſet collata abſolutio, conficeretur ſacramentum, quia materia & forma huius ſacramenti coniungerentur ſimul: at dilata abſolutio in feſtum Paſchæ iam, moraliter loquendo, non coniungitur ſimul cum illa confeſſione. ergo non conficeretur Sacramentum, ſi tunc proferretur forma.

DVBITATIO II.

III. *An pœnitens confeſſus initio Quadrageſimæ poſſit in die Paſcha abſolui, ſi tantùm exhibeat ſigna contritionis de peccatis initio Quadrageſimæ confeſſis?*

Dico ſecundò. Pœnitens qui initio Quadrageſimæ confeſſus eſt præſenti Confeſſario ſua peccata, & ab eo non fuit abſolutus, ſi poſtea in die Paſchæ eidem Sacerdoti confiteatur, & ſe accuſet de omnibus ſuis peccatis tunc confeſſis, poterit ſine dubio ab eodem Sacerdote ſacramentaliter abſolui: quia confeſſio, & abſolutio iam eſſent moraliter ſimul. Cæterùm in abſentia Sacerdotis petere ſacramentum Pœnitentiæ, & oſtendere ſigna contritionis & confeſſionis coram teſtibus, non eſt confeſſio ſacramentalis etiam in virtute præcedentis confeſſionis; quia confeſſio ſacramentalis ex inſtitutione diuina debet fieri præſenti Sacerdoti, vt ſuprà probatum ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. Tum, quia per pœnitentiæ Sacramenti petitionem, & oſtenſionem ſignorum contritionis in præſentia teſtium nullum peccatum in ſpecie declaratur: ergo cùm non ſit ſacramentalis confeſſio, nequit à Sacerdote ſuperueniente abſolutione ſacramentali informari.

Dico tertiò, ſi pœnitens huiuſmodi morti vicinus ab eodem præſente Sacerdote, cui initio Quadrageſimæ confeſſus fuerat peccata, petat ſacramentum Pœnitentiæ in feſto Paſchæ, niſi accuſet ſe de peccatis, quæ illi in confeſſione expoſuerat, non poteſt ab eodem ſacramentaliter & abſolutè abſolui; quia petere tantùm ſacramentum Pœnitentiæ, & oſtendere ſigna contritionis, vt diximus, non eſt confeſſio ſacramentalis, ſicuti eſſet accuſare ſe de illis peccatis, iam ſibi confeſſis, & cognitis.

IV. *Titulus quæſtionis reſoluitur.*

Dico quartò, conſequenter in caſu præſenti pars negatiua eſt omnino ſequenda: quia abſolutio collata in die Paſchæ non poteſt, moraliter loquendo, eſſe ſimul cum confeſſione facta initio Quadrageſimæ. Neque decreta illa tria initio quæſtionis tertiæ poſita poſſunt intelligi de ſacramento Pœnitentiæ in hoc caſo: quia, vt ſæpe diximus, petitio ſacramenti Pœnitentiæ, & oſtenſio ſignorum contritionis facta in præſentia teſtium abſente Sacerdote, non eſt confeſſio ſacramentalis.

Dico quintò, dicere quòd in præſenti caſu poteſt pœnitens à Sacerdote abſolui, etiam ſecluſo decreto Clementis VIII. videtur falſum, quia, vt dictum eſt ex Concilio Tridentino, confeſſio ſacramentalis debet fieri præſenti Sacerdoti, & de peccatis in ſpecie: ſed petitio ſacramenti Pœnitentiæ, & oſtenſio ſignorum contritionis in abſentia Sacerdotis, non ſit præſenti Sacerdoti, neque de peccatis in ſpecie. ergo non poteſt dici quòd ſit confeſſio ſacramentalis, & quòd poſſit abſolutione ſacramentali à Confeſſario præſente informari.

V. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur ſuprà dicta.*

Ad rationem in contrarium poſitam ab initio, reſpondetur, quòd huiuſmodi pœnitentes abſoluebantur à Sacerdotibus in die Cœnæ, quia ea die de nouo ſe accuſabant de omnibus peccatis initio Quadrageſimæ confeſſis ipſiſmet Sacerdotibus: aliàs nullo alio pœnitentium actu intercedente non poterant abſolui: & ſi abſoluebantur, abſolutio erat nulla, quia materia & forma ſacramenti Pœnitentiæ tunc non poterant eſſe ſimul.

DVBITATIO V.

An pœnitens peccata ſua abſenti Sacerdoti per litteras, ſeu internuntium confeſſus, poſſit ab eodem abſente abſolui?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Quæſtio reſoluitur, & explicatur, An aſſerens contrarium, incurrat excommunicationem, & id ſit temerarium & ſcandaloſum.*
3. *Rationibus in contrarium reſpondetur, & explicatur, An matrimonium per Procuratorem initum ſit verum ſacramentum.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Sacramentum Matrimonij confert gratiam ipſis contrahentibus, ſicut ſacramentum Pœnitentiæ eam confert ſuſcipientibus: ſed ſacramentum Matrimonij poteſt inter abſentes celebrari per Procuratores, nec requiritur eorum præſentia, vt conſtet de eorum debita diſpoſitione, ſed ſufficit probabilitas, quæ per litteras haberi poteſt; ergo idipſum fieri poteſt in ſacramento Pœnitentiæ. Secundò probatur. nam Chriſtus Dominus inſtituit ſacramentum Pœnitentiæ ad modum iudicij, ſeu actus iudicialis, vt conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 6. *& can.* 9. ſed actus iudicialis fieri poteſt inter abſentes: iudex namque poteſt per litteras ferre ſententiam in reum abſentem, & per litteras poteſt confeſſionem rei recipere. ergo idem poterit fieri in ſacramentali confeſſione.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO I.

An aſſerens contrarium incurrat excommunicationem, & id ſit temerarium, & ſcandaloſum?

Pars verò negatiua eſt omnino tenenda iam definita à Sanctiſſimo Domino Clemente VIII. die 20. Iunij

Iunij, anno à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti 1602. in generali Congregatione S. Romanæ,& vniuerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico in monte Quirinali coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente diuina prouidentia Papa VIII. Decretum Clementis VIII. eſt tenoris ſequentis: *Sanctiſſimus D.N. auditis votis Patrum Theologorum, & ſeeum Eminentiſſimis & Reuerendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus maturè ac diligenter conſiderata, hanc propoſitionem, ſcilicet licere per litteras, ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus vti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnauit, ac prohibuit præcepitque ne deinceps iſta propoſitio publicis priuatiſque lectionibus, concionibus, & congreſſibus doceatur, néve vnquam tanquam aliquo caſu probabili defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur. Quòd ſi quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam diſputatiuè (niſi forſan impugnando) vel ad praxim directè, ſeu indirectè deduxerit, præter excommunicationem lata ſententia, quam ipſo facto incurrat, à qua non poſſit, præterquam in articulo mortis, ab alio quacunque dignitate fulgente, etiam S.R. Eccleſia maiori Pœnitentiario, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolui, alijs etiam pœnis arbitrio infligendis ſubiaceat.* Hæc formaliter diffinita ſunt in decreto Clementis VIII. ergo,&c.

III. *Rationibus in contrarium reſpondetur, & explicatur*

Dvbitatio II.

An matrimonium per Procuratorem initum ſit verum ſacramentum?

Ad rationem primam in contrarium reſpondetur. Primò ſecundùm probabiliorem ſententiam, quam defendunt Caiet. *tom.1. opuſc. tract.12. de contr. matrim. quæſt.2.* Victoria *in ſumma de matrim num.234.* Canus *lib.8. de locis Theol. cap 5. ad tertium.* Viguerius *Inſtitutionum cap.19. §.7. verſ.4.* Petrus Ledeſma *quæſt.42. de matrim. art.1. dub.7. concluſ.1.* matrimonium per Procuratores initum inter abſentes, non eſſe verum ſacramentum, ſed ciuilem contractum: fit autem ſacramentum, quando contrahentes præſentes ratificant matrimonium per Procuratores contractum.

Reſpondetur ſecundò, etiam ſecundùm probabilem ſententiam, quæ aſſerit matrimonium per Procuratores initum inter abſentes, eſſe verum ſacramentum, quod matrimonium non ordinatur per ſe primò ad remittenda peccata, ſicut ordinatur ſacramentum Pœnitentiæ, & ideo non ſequitur matrimonium eſſe nullum, quando contrahitur ab his, qui ſunt in complacentia peccati mortalis. nam tunc non ſolùm in ratione contractus, ſed etiam in ratione ſacramenti validum eſt, etiamſi contrahentes peccent mortaliter: at verò, quia ſacramentum Pœnitentiæ ordinatur per ſe primò ad remittenda peccata, quando pœnitens eſt in complacentia peccati mortalis, nullum ſuſcipit ſacramentum, atque propterea ſacramentum matrimonij poteſt fieri inter abſentes, non verò ſacramentum Pœnitentiæ.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur negando conſequentiam. nam in iudicio ſacramenti Pœnitentiæ inſtituit Chriſtus Dominus quòd confeſſio rei fieret præſenti Sacerdoti, & abſolutio ſacramentalis daretur præſenti pœnitenti, vt dictum eſt: quia pœnitens non poteſt abſolui ab vno delicto, & non ab alio, & ideo implicat, quòd abſoluatur, quando eſt actualiter peccans, quod contingere poteſt, ſi abſolueretur abſens: at in aliis iudicijs poteſt reus abſolui ab vno delicto, etiamſi non abſoluatur ab alio, & iden poteſt abſolui abſens, quia non inconuenit quòd abſoluatur ab illo delicto quando aliud committit.

Dvbitatio VI.

An per decretum Sanctiſſimi Domini Clementis VIII. die 20 Iunij 1602. factum, damnata ſit propoſitio, ad minus vti falſa, temeraria, & ſcandaloſa, quòd liceat per litteras, ſeu internuntium, Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere; itaut vtraque pars propoſitionis diuiſiuè, & non copulatiuè fuerit damnata?

Svmmarivm.

1. *Probatur illam propoſitionem copulatinè damnatam eſſe.*
2. *Quæſtio deciditur.*
3. *Auctoritatibus in contrarium reſpondetur, & magis explicatur, an poſſit abſolui infirmus, dicens tantùm, Peccaui, ſi actus contritionis oſtendat.*

I. *Probatur illam propoſitionem copulatiuè damnatam eſſe à Clemente VIII.*

NAm in Rituali Romano propoſito à Sanctiſſimo Domino Paulo V. vniuerſæ Eccleſiæ, vt in eadem ab omnibus Epiſcopis & Parochis obſeruetur in breui ſubdatum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 17. Iunij 1614. in quo *pag.54.* dum præſcribitur ordo miniſtrandi ſacramentum Pœnitentiæ, ſic dicitur: *Quòd ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægro deficiat, nutibus & ſignis conetur, quoad eius fieri poterit, peccata pœnitentis cognoſcere, quibus vtcumque vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiamſi confitendi deſiderium ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenderit, abſoluendus eſt.* ergo æger, qui in phreneſim incidit, vel rationis vſum amiſit, ſi ex relatione teſtium conſtiterit ipſum petiiſſe ſacramentum Pœnitentiæ, & contritionis ſigna oſtendiſſe, debet à ſuperueniente Sacerdote abſolui; ergo ſimiliter qui confeſſus eſt per litteras, ſeu internuntium abſenti Sacerdoti, poterit ab eodem poſtea præſente abſolui. ergo propoſitio illa non diuiſiuè, ſed tantùm collectiuè fuit à Clemente VIII. damnata in decreto eit.

Confirmatur hoc idem ex Sacerdotali ad conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, impreſſo Venetiis 1579. vbi *in tract.3. part.1. cap.26.* ſic dicitur, ex ſancto Antonino in ſuo Confeſſionali, *defecerunt de infirmo in extremis conſtituto ſi petijt Sacerdotem vt confiteretur, & oſtendit ſe velle facere omnia quæ debet, & interea factus eſt mutus, vel phreneticus, & periculum eſt in mora, debet præſupponi contritus, & faciento aliquo confeſſionem generalem pro eo, ſicut fit in populo, Sacerdos faciat abſolutionem ab omni ſententia, & peccato, & poteſt iniungere circumſtantibus aliquid pro eo faciendum, vel hæredibus, aut conſanguineis pro eius anima, ſi volunt acceptare: deinde debet dari Euchariſtia à proprio Sacerdote ſæculari, quamuis non ſit confeſſus, quia non potuit.* hæc in hoc Sacerdotali,&c. ergo iuxta hoc Sacerdotale infirmus petens ſacramentum Pœnitentiæ, & oſtendens ſe velle facere omnia, quæ debet, ſi poſtea amittat vſum rationis, debet à præſenti Sacerdote ſacramentaliter abſolui;

abſolui : ergo decretum Clementis VIII. non intelligitur diuiſiuè, ſed complexiuè, quòd ſcilicet non licet per litteras, ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere : vnde illa particula, *&*, non eſt ſumenda diuiſiuè, ſed copulatiuè. Damnat igitur Clemens VIII. in ſuo decreto illam ſententiam, quæ affirmat ſacramentum Pœnitentiæ poſſe perfici, & conſummari inter abſentes, non verò damnare videtur illam ſententiam, quæ affirmat confeſſionem poſſe fieri in abſentia, dummodo abſolutio detur in præſentia, & ita hanc ſententiam tenere videtur Bonacina *tom. 1. tract. de Sacramentis, diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. puncto* 2. *num. 9. &* 10.

II. *Quæſtio deciditur.*

Dicendum eſt in propoſitione damnata à Sanctiſſimo Clemente VIII. particulam, *&*, ſumendam eſſe diuiſiuè. Probatur primò. nam quando vtraque pars propoſitionis copulatiuè reuocatur in controuerſiam, ſi ſummus Pontifex damnat propoſitionem hypotheticam, cenſetur vtramque partem diuiſiuè damnare, vt videmus in propoſitionibus hypotheticis damnatis in Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. can. 4. & 9. & ſeſſ. 13. de Euchariſtia, can. 4. & 9. & ſeſſ. 24. de matrim. can. 2. 3. & 9.* At in præſenti caſu non erat tantùm controuerſia de toto copulato, ſed etiam de vtraque parte copulatiuæ ſeorſim ſumptæ, & præſertim de confeſſione facta per litteras, ſeu internuntium Confeſſario abſenti, ex qua tot incommoda, pericula, & ſcandala oriuntur, quot ſuboriuntur ex abſolutione per litteras tranſmiſſa pœnitenti abſenti. ergo, &c. Probatur ſecundò, nam aliàs neutra pars illius propoſitionis eſſet determinatè damnata, & conſequenter, ſicut aduerſarij volunt, quòd ſit ſolùm damnata ratione ſecundæ partis : ita liceret aliis dicere, quòd ſit damnata ratione primæ partis, non ſecundæ. Probatur tertiò, quia ex hoc ſequeretur, quòd poſt decretũ Clementis VIII. vtraque pars illius propoſitionis diuiſiuè ſumpta eſſet probabilis, & liceret confiteri ſacramentaliter per litteras, ſeu internuntium abſenti Sacerdoti, & ab eodem præſente abſolutionem obtinere, non ſolùm in aliquo caſu, ſed abſolutè, & ſimpliciter. Et ſimiliter liceret Sacerdoti pro libito abſolutionem per litteras tranſmittere pœnitenti, qui ſua peccata eidem præſenti Sacerdoti confeſſus eſt, quod negant aduerſarij. ergo non ſolùm tota propoſitio hypothetica damnata eſt, ſed vtraque eius pars diuiſiuè, atque particula, *&*, ſumitur copulatiuè quoad totam propoſitionem, & diuiſiuè, quoad vtramque eius partem.

III. *Auctoritatibus in contrarium reſpondetur, & magis explicatur*

Dubitatio I.

An poſſit abſolui infirmus, dicens tantùm, Peccaui, *ſi actus contritionis oſtendat?*

Ad auctoritatem autem illam adductam ex Rituali Romano reſpondetur negando illatas conſequentias: eſt enim caſus valde diuerſus is de quo agitur in Rituali. nam nos in noſtris aſſertionibus loquuti ſumus de infirmo, qui omnino expers eſt rationis, à quo Sacerdos neque nutibus, neque ſignis extorquere poteſt peccata ab eo commiſſa, & ideo hic nullo modo ſacramentaliter eſt abſoluendus. At Rituale ſermonem facit de infirmo, cui ſolùm vox & loquela deficit, & à quo nutibus, & ſignis poteſt Confeſſarius cognoſcere, & deprehendere eius peccata, quibus cognitis vel in genere, vel in ſpecie, vel etiam ſiue per ſe, ſiue per alios deſiderium confitendi oſtenderit, poterit à præſenti Sacerdote abſolui.

Sed contra hanc reſponſionem arguitur : nam in illo Rituali Sanctiſſimi Pauli V. per illa verba, *vel etiamſi confitendi deſiderium, ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenderit, abſoluendus eſt*, videtur exponi quòd moribundus priuatus ſenſibus, qui ante aduentum Confeſſarij petiit confeſſionem, poſſit abſolui ſacramentaliter à ſuperueniente Sacerdote ex ſola relatione teſtium circumſtantium. ergo æger qui in phreneſim incidit, vel rationis vſum amiſit, ſi ex relatione teſtium conſtiterit ipſum petiiſſe ſacramentum Pœnitentiæ, & ſigna contritionis oſtendiſſe, debet à ſuperueniente Sacerdote ſacramentaliter abſolui, etſi neque voce, neque ſignis, neque nutibus, Sacerdos, neque in ſpecie, neque in genere illius peccata dignoſcere poſſit.

Reſpondetur, quòd illa diſiunctiua conditionalis, *vel*, etiam ſi confitendi deſiderium, ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenderit, abſoluendus eſt, non habet vim diſiunctiuæ pro alio caſu pœnitentis, quàm pro illo, qui in Rituali deſcribitur, cùm intelligi debeat de illo infirmo de quo erat ſermo, nempe de infirmo ſola loquela priuato, à quo Sacerdos per nutus, & ſigna poterat peccata dignoſcere, & ideò non poteſt intelligi in caſu quo moribundus ſit expers rationis. Quod & magis confirmatur. nam ſi Rituale veniret, intelligendum etiam de hoc caſu illi diſiunctiuæ conditionali, *vel, etiamſi*, addita fuiſſet dictio excluſiua *ſolùm*, ſeu *dumtaxat*, ſeu *tantùm*. quaſi diceret, quòd infirmus ſiue loquela ſola, ſiue etiam ratione priuatus ex eo ſolùm quòd confitendi deſiderium, ſiue per ſe, ſiue per alios oſtendiſſet, abſoluendus eſſet : quia tamen non fuit addita illa excluſiua, neceſſariò venit intelligendum, quòd vt Sacerdos infirmum huiuſmodi abſoluat, neceſſe eſt quòd & ipſius peccata per nutus, & ſigna, & ipſius dolorem per confitendi deſiderium, ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenſum agnoſcat : vnde ſenſus illorum verborum hic erit.

Quibus vtcumque vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam cognito; ſi prædictus infirmus confitendi deſiderium, ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenderit, abſoluendus erit, itaut Confeſſarius in primo peccata pœnitentis huiuſmodi cognoſcens, & in ſecundò eius dolorem deprehendens, ipſum abſoluat. Ita ſapientiſſimus Magiſter meus Frater Petrus Ioannes de Heredia, olim Prouincialis Terræ S. Ordinis Prædicatorum.

Eſt tamen maximè obſeruandum, quòd cùm dicitur quòd peccata ſint ſaltim in genere cognita, non eſt intelligendum quòd Confeſſarius cognoſcat nutibus illis pœnitentem eſſe peccatorem, vel peccaſſe, hoc enim non ſufficit vt abſoluatur, ſed neceſſe eſt, quòd cognoſcat Sacerdos pœnitentem perpetraſſe aliquod peccatum ſaltem in genere, vt quòd rem cum muliere habuerit, licèt peccati huiuſmodi ſpeciem minimè intelligat.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd Sacerdotale ex S. Antonino non eſt intelligẽdum in illis verbis de abſolutione ſacramentali, ſed de abſolutione generali à cenſuris, & peccatis, quam tale Sacerdotale tradit, & ſuper infirmum iniungendum fieri præcipit *tract. 4. cap. 9.* Et quòd hæc abſolutio non ſit ſacramentalis, ſed generalis, probatur : quia confeſſio antè facta eſt generalis confeſſiu, vt dicitur ibi, & faciente aliquo confeſſionem generalem pro eo : non verò eſt ſacramentalis, vt inſinuatur apertè ibi, quamuis non ſit confeſſus, quia non potuit. At nos in caſu huius

dubita

dubirarionis,& præcedentium, loquimur de abſolutione ſacramenrali.

Probabile tameo eſt quòd ſi pœnitens morti vicinos per ſe profert hoc verbum generale, *Peccaui*, & ſigna contritionis oſtendit in præſentia Sacerdotis, poſſit ſacramentaliter abſolui ab eodem præſente Sacerdore, quia confeſſio generalis, & ſigna illa contritionis hic & nunc prolata ab infirmo in præſentia Sacerdotis, habentur pro confeſſione particulari. Ita probabiliter diximus *dub.*18. *aſſertione* 2.& dicemus infrà.

Articvlvs XXVI.

An pœnitens excuſetur ab integritate confeſſionis, ſi manifeſtando in confeſſione ſuum peccatum, vel aliquam circumſtantiam ſui criminis neceſſariò fatendam, perſonam complicis in particulari Confeſſario reuelet?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Dubitatio reſoluitur.*
3. *An pœnitens, inſtante præcepto, teneatur integrè confiteri Confeſſario, in caſu tituli, ſi altera perſona ſit concors in crimine.*
4. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in his duabus poſtremis aſſertionibus.*
5. *Explicatur, quidnam ſit lex naturalis & diuina; quotuplex ſit, & quid ſit lex diuina naturalis, & diuina poſitiua.*

I. *Pars negatiua probatur.*

QVia ex præcepto diuino integrè facienda eſt confeſſio; ergo ſi ſpecies peccati non poteſt pœnitens aliter in confeſſione explicare, niſi manifeſter complicem, poteſt, imò teneiur, illum manifeſtare, ſi non habet copiam alterius Confeſſarij cui ſit ignotus complex. Ita tenet Bonacina *tom.*2. *tract. de reſtit. diſp.*2. *quaſt.*4. *puncto* 4 *num.*2.

II. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico primò, quando pœnitens ex complicis manifeſtatione ſibi, vel complici, vel tertiæ perſonæ probabiliter timet graue damnum in vita, vel in fama extra confeſſionem, tunc pœnitens debet confeſſionem omittere, modò non ſit illi neceſſaria; ſi verò eſt illi neceſſaria, nec poteſt eam facere Confeſſario complicem ignoranti, debet iſtam circumſtantiam reticere, explicatis aliis peccatis: nam lex confeſſionis non obligat cum tanto detrimento ad explicandas omnes peccatorum circumſtantias. Hanc aſſertionem præter DD. adductos ſuprà, docet Arragon. 2. 2. *quaſt.* 73. *art.* 2. *verſic. Multa in iſto articulo.*

Dico ſecundò, certiſſimum eſt quòd ſi talis pœnitens poteſt confiteri alteri Confeſſario perſonam complicis ignoranti, non debet Confeſſario cognoſcenti tertiam perſonam ſuum peccatum, ſeu circumſtantiam ſui criminis in confeſſione aperire; quia ex iuſtitia tenemur ſeruare famam proximi, quando abſque proprio incommodo poſſumus; ſed quando adeſt alter Confeſſarius ignorans perſonam complicis, abſque proprio incommodo, poſſumus illi confiteri. ergo, &c. Ita bene Nugnus *tom.*2. *in* 3. *part. quaſt.*9. *art.*2. *dub.*2. *fine* §. Quod autem controuertitur in hac parte, eſt,

Dvbitatio I.

III. *An pœnitens inſtante præcepto teneatur integrè confiteri Confeſſario in caſu tituli ſi altera perſona ſit concors in crimine?*

Dico tertiò, quando altera perſona verè eſt concors eiuſdem peccati, vt ſi quis fornicatur cum vnica ſorore, quam habet, quæ cognoſcitur à Confeſſario, & non adeſt alius Confeſſor ignorans pœnitentem habere hanc vnicam ſororem, cum qua inceſtum pœnitens commiſit: tunc poteſt pœnitens peccatum ſuum confiteri Confeſſario ſcienti perſonam complicis, præcipuè ſi confeſſio ſit in præcepto: quia illa tertia perſona videtur cedere iuri ſuo, eo ipſo, quo eſt concors eiuſdem criminis, ſi quidem ſcit aliam perſonam aliquando acturam pœnitentiam, & integrè ſuum peccatum explicaturam. Tum, quia complices ſua culpa in illud periculum ſe immiſerunt: tum, quia Confeſſor eodem confeſſionis ſigillo tenetur celare culpas aliarum perſonarum, quo ipſius pœnitentis, ob idque aperire perſonam complicis in confeſſione non eſt illam infamare, cùm ipſa implicitè ſaltim ceſſerit iuri ſuæ famæ, quam habebat in mente Confeſſarij, quod fecit eo ipſo, quòd fuit concors eiuſdem criminis. Ita optime Soto *in* 4. *diſt.* 18. *quaſt.*2. *art.*5. §. *Ad quartum argumentum, fine.*

Dico quartò, quando peccatum fit ſine culpa illius tertiæ perſonæ, non poteſt pœnitens talem circumſtantiam in confeſſione explicare, ob cuius explicationem Confeſſarius venit in cognitionem criminis illius tertiæ perſonæ: vt ſi quis confiteatur infamaſſe Patrem, aut Prælatum de tali crimine, tamen dicendo verum: quia in hoc ſecundo caſu tertia iſta perſona non cedit iuri ſuo, ſiquidem non peccauit in actu alterius; neque ſua culpa, quam commiſit cum ipſo pœnitente, ſe in tale periculum immiſit: tum, quia in iſto caſu tertia illa perſona habet ius bonæ famæ in mente Confeſſarij, & non ceſſit huic iuri, peccando cum pœnitente; ergo non poteſt pœnitens in iſto caſu explicare talem circumſtantiam, ex cuius manifeſtatione illa tertia perſona caderet à iure bonæ famæ, quam habet in mente Confeſſarij, poſt enim talem circumſtantiam explicatam pro iniqua, & mala reputaret Confeſſor illam tertiam perſonam. Videantur pro hac aſſertione Sotus, & Nugnus *locis citatis*, Bannes *ſuper* 2. 2. *D.Thom. quaſt.*33. *art.* 8. *dub.* 8. *in prima parte illius.* §. *Primum fundamentum.* Arragon. 2. 2. *q.*73. *art.*2. *in Commentario* §. *mihi ex his ſententijs.*

IV. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in his duabus poſtremis aſſertionibus.*

Ad rationem in contrarium reſpondetur probare noſtram tertiam aſſertionem; quatenus verò militat contra quartam, reſpondetur quòd de duobus malis minus eſt eligendum, *c. duo mala, diſt.*13. ſed maius malum eſt aperire peccatum proximi ſecretum, quod eſt contra ius naturæ, dictans cuſtodiendam eſſe famam proximi, quàm integram confeſſionem facere, quod eſt de iure diuino poſitiuo. igitur oportet potius tacere circumſtantiam complicis, quàm ipſum manifeſtare, cùm ipſius fama lædatur apud Confeſſarium cui notus eſt complex.

Neque

Neque ſolutio iſta eſt contra noſtram tertiam aſſertionem: nam, vt diximus in caſu tertiæ aſſertionis, complex peccati etſi non explicitè, implicitè tamen ceſſit iuri ſuæ famæ, quam habebat apud Confeſſarium, eo ipſo, quo fuit concors eiuſdem criminis cum illa tertia perſona, vnde fama ipſius apud mentem Confeſſarij non læditur ipſo inuito. Cæterùm in caſu quartæ aſſertionis cùm illa tertia perſona non peccauerit in actu alterius, non ceſſit iuri ſuæ famæ, quam habet in mente Confeſſarij; læderetur igitur eius fama ipſo inuito in mente Confeſſarij, ſi deueniret Confeſſor ex confeſſione alicuius pœnitentis in cognitionem culpæ illius, pro mala enim & iniqua reputaret Confeſſor illam tertiam perſonam, noto in confeſſione eius crimine. Pro maiori intelligentia huius ſolutionis, explicatur,

Dvbitatio II.

V. *Quidnam ſit lex naturalis, & diuina; & diuina quotuplex ſit; & quid ſit lex diuina naturalis, & diuina poſitiua?*

Obſeruandum eſt quòd lex naturalis eſt ipſamet conuenientia, ſeu diſconuenientia rei cum recta ratione, vnde diſconuenientia, quam habet mendacium, vel adulterium cum ipſa ratione, eſt ipſa lex naturalis, qua prohibetur mendacium, vel adulterium. Item conuenientia, quam habet conſeruatio famæ proximi cum recta ratione, eſt lex naturalis dictans ſeruandam eſſe famam proximi.

Lex verò diuina ſubdiuiditur in diuinam naturalem, & diuinam poſitiuam. Lex diuina naturalis eſt illa, qua præcipitur idem, quod præcipitur à lege naturali, vt ſunt ea, quæ in præceptis Decalogi continentur: lex diuina poſitiua eſt illa, qua præcipitur aliquid, quod lege naturali non eſt ſancitum, vt eſt præceptum præmittendæ confeſſionis ante ſumptionem Eucharistiæ ab habente conſcientiam peccati mortalis: quod præceptum dicitur diuinum poſitiuum, quatenus iure naturæ non præcipitur confeſſio ante ſumptionem Euchariſtiæ.

Nam lege diuina naturali ſufficeret contritio ante ſumptionem Euchariſtiæ. Cæterùm iure diuino poſitiuo non ſufficit contritio ſi copia habeatur Confeſſoris ante ſumptionem Euchariſtiæ, ſed debet præmitti ſacramentalis confeſſio, iuxta illud Apoſtoli Pauli 1. Corinth. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*, id eſt, per ſacramentalem confeſſionem, vt apertè habetur in ſacro Concilio Tridentino *ſeſſ.13. de Euchariſtia, cap.7.*

Sed vt clariùs explicetur, quid ſit lex diuina naturalis, quid lex diuina poſitiua: dico quòd lex diuina naturalis illa eſt, quæ ſic à Deo eſt data, quòd rationi hominis naturaliter eam inſculpſit, ita vt ratio hominis eam dictet. Huiuſmodi ſunt decem Decalogi præcepta: ita enim Deus ordinauit ea, vt naturale lumen rationis attingat, & cognoſcat talia præcepta eſſe, & eſſe obſeruanda.

Lex verò diuina poſitiua eſt, quæ data eſt à Deo, ſed lumen humanum eam non attingit, niſi priùs per reuelationem aliquam ei manifeſtetur. huiuſmodi ſunt præcepta ſacramentorum, & fidei, ſunt enim incognita homini ſecundùm naturam, nec ei innoteſcunt niſi per diuinam manifeſtationem. Videatur Tol. *ſumma lib.8.cap.17.num.2.* D.Thom. 1.2.q.90. Syl. *verb. Lex, in ſumma.*

Articvlvs XXVII.

An pœnitens, qui animo non deſerendi occaſionem proximam peccandi, acceſſit ad ſacramentum Pœnitentiæ, & in hoc animo perſeuerans, integrè alia ſua peccata confeſſus eſt, teneatur poſtea hanc confeſſionem iterare?

Svmmarivm.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur quid ſit occaſio proxima peccandi.*
3. *Dubitatio deciditur.*
4. *An cenſeatur occaſio proxima peccandi, ſi per illam frequenter quis ad culpam non trahitur.*
5. *Explicatur quid ſit occaſio proxima peccandi.*
6. *An ſit abſoluendus pœnitens ſtante occaſione peccandi.*
7. *An domi tenens fœminam, ſi tantùm ter, vel quater in anno peccet cum illa, ſit abſoluendus, ni dimittat eam.*
8. *An habitus pro concubinario, licèt re vera non ſit, poſſit abſolui, antequam eyciat fœminam creditam concubinam.*
9. *An Confeſſarius poſſit in aliquo caſu abſoluere concubinarium, abſque eo quòd dimittat concubinam.*
10. *An incidenti ſæpiùs in peccatum mollitiei ſit deneganda abſolutio, vel differenda ſaltim.*
11. *An extante aliqua rationabili cauſa, non tollendi occaſionem peccandi, pœnitentes, nolentes illam dimittere, ſint abſoluendi.*
12. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur ſupradicta.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm *cap. conſultationi, de frigid.* permittuntur coniugari, quorum coniugium eſt occultè irritum, habitare tanquam fratres cum tactuum periculo, & occaſione proxima peccandi ratione ſcandali, & propriæ infamiæ vitandæ. ergo non tenetur pœnitens occaſionem proximam peccandi deſerere. ergo ſi aliàs integrè confeſſus eſt, non tenebitur poſtea hanc confeſſionem reiterare.

Dvbitatio I.

II. *Quid ſit occaſio proxima peccandi?*

Dico primò, moralc proximum periculum, ſeu moralis proxima occaſio peccandi tunc contingit, quando ex ſuo genere occaſio talis eſt, vt frequenter homines ſimilis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel experimento conſtet in hoc homine talem effectum habere. quia ſicut is proximo periculo damni temporalis incurrendi exponitur, qui aggreditur opus eo tempore, & loco, & talibus circumſtantiis, vt vix illud damnum effugere valeat. ergo ſimiliter illa dicetur proxima occaſio peccandi, quando illa poſita frequenter homines ad peccatum mortale inducuntur, & vix illud lethale malum effugere valent: videatur Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt.8. art.4. dub.4. verſic. Tandem aduertendum, fol.274. col.2.* Sanchez *lib. 1. oper. mor. cap.8. num.1.*

III. *Dubitatio deciditur.*

Dico ſecundò, pœnitens, qui animo non deſerendi occaſionem voluntariam proximam peccandi, acceſſit ad ſacramentum Pœnitentiæ, & in hoc animo perſeuerans etiamſi umnia alia ſua peccata confiteatur, confeſſionem irritam fecit, & poſtea eam reiterare tenetur. Probatur. nam confeſſio eſt iteranda ex defectu pœnitentis, quando non habet debitum dolorem de peccatis; ſed pœnitens, de quo loquimur, non haber debitum dolorem de peccatis. ergo, &c. Probatur minor. nam qui in peccato vult perſeuerare, non habet de illo debitum dolorem, ſed qui occaſionem proximam peccandi deſerere non vult, vult in culpa perſeuerare. nam eiuſdem malitiæ eſt permanere in occaſione proxima voluntaria peccandi, atque peccatum illud admittere, in cuius periculo homo illud admittendi reperitur: eodem enim præcepto, quo quis crimen vitare tenetur, obligatur quoque ad proximam illius occaſionem vitandam. ergo, &c.

DVBITATIO II.

IV. *An cenſeatur occaſio proxima peccandi ſi per illam frequenter quis ad culpam non trahitur?*

Dico tertiò, non dicitur occaſio proxima peccandi illa, quæ etiamſi fortè aliàs ſæpiùs induxerit ad tale peccatum, ſi ea cautio adhibeatur, aut res ita mutatæ ſunt, vt modò non ſoleat inducere ad peccatum: quia in tantum dicitur occaſio proxima ad peccandum, in quantum frequenter inducit ad peccatum. ergo ſi ea cautio adhibeatur, & res ſic ſint mutatæ, vt non ſoleat frequenter trahere ad culpam, non dicetur occaſio proxima peccandi: videatur Sanchez nuper relatus *num.* 2.

DVBITATIO III.

V. *Quid ſit occaſio proxima peccandi?*

Dico quartò, occaſionem proximam peccandi aliquando eſſe voluntariam, aliquando verò non eſſe voluntariam, moraliter loquendo; non eſt voluntaria, quando non poteſt dimitti ſine graui infamia, vel ſcandalo, vel alio graui incommodo, poteſt enim tantum incommodum, & tanta difficultas adeſſe in occaſione dimittenda vt efficiat occaſionem non voluntariam. Eſt autem voluntaria occaſio proxima peccandi, quando abſque graui infamia, ſcandalo, vel alio graui incommodo dimitti poteſt: videatur Nugnus *loc. cit. §. Tandem aduertendum, verſic. Sed hæc difficultas.* Henriquez *lib. 4. de pœnitentia, cap.* 24. *num.* 4. *medio.*

DVBITATIO IV.

VI. *An ſit abſoluendus pœnitens ſtante occaſione peccandi?*

Dico quintò, pœnitens, regulariter loquendo, non eſt abſoluendus quandiu perſiſtit in proxima occaſione peccandi, & illam dimittere non vult; quia quandiu pœnitens perſiſtit in proxima occaſione peccandi, non cenſetur habere ſufficientem dolorem, ac propoſitum vitandi peccata in futurum; ſed qui non habet dolorem ſufficientem, ac propoſitum vitandi peccata in futurum, non poteſt abſolui. ergo pœnitens, qui proximam occaſionem

peccandi non vult dimittere, regulariter loquendo, non eſt abſoluendus. Ita benè Lopez noſter 1. *p. inſtr. cap.* 78. Azor *p.* 3. *inſtit. mor. lib.* 3. *c.* 6. *dub.* 2.

DVBITATIO V.

VII. *An domi tenens fœminam, ſi tantùm ter, vel quater in anno peccet cum illa, ſit abſoluendus, ni dimittat eam?*

Dico ſextò, qui domi retinet concubinam, ſeu ancillam cum qua frequenter peccare ſolet, non eſt abſoluendus, niſi concubinam, vel ancillam illam dimittat. quia exiſtit in occaſione proxima voluntaria peccandi, cùm poſſit concubinam, ſeu ancillam illam abſque graui ſcandalo, & infamia dimittere. Syl. *verb. Confeſſ.* 1. *quæſt.* 25.

Dico ſeptimò, qui cum ancilla, ſeu alia tertia perſona ratò, vt ter, vel quater in anno peccauit, repentina libidine correptus, & in confeſſione proponit, & ſperat fore, vt non ampliùs relabatur, abſolui poteſt: quia non eſt in proxima peccandi occaſione, cùm non frequenter delinquat. Graſſius *lib.* 1. *deciſionum cap.* 28. *num.* 13.

DVBITATIO VI.

VIII. *An habitus pro concubinario, licèt re vera non ſit, poſſit abſolui antequam eijciat fœminam creditam concubinam?*

Dico octauò, ſi à populo aliquis credatur concubinarius, etiamſi re vera non ſit niſi eiiciat fœminam, quæ creditur concubina, non eſt abſoluendus: quoniam non ſolùm ab omni malo, ſed etiam ab omni mali ſpecie cauendum eſt, iuxta Apoſtol. 1. *ad Theſſalon.* 5. *& c. cùm ab homine, de vita, & honeſt. Clericorum.* Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 74. *principio, §. Idémque,* &c. Nauarr. *ſumma cap.* 16. *num.* 20. 21.

DVBITATIO VII.

IX. *An Confeſſarius poſſit in aliquo caſu abſoluere concubinarium abſque eo quòd dimittat concubinam?*

Dico nonò, fieri poteſt, vt Confeſſarius aliquando poſſit abſoluere concubinarium, vt quando non poteſt dimitti concubina ſine graui infamia, vel ſcandalo, vel alio graui incommodo, quia poteſt tantum incommodum, & tanta difficultas adeſſe in occaſione relinquenda, vt efficiat occaſionem non voluntariam. ergo in iſto caſu poſſet abſolui concubinarius: ſi haberet ſufficientem dolorem, & firmum propoſitum in futurum vitandi peccata, quod propoſitum iudicabitur eſſe firmum, ſi per aliquod tempus abſtinuiſſet à malo: videatur Bonacina *tom.* 1. *tract. de Sacramentis, quæſt.* 4. *puncto* 14. *num.* 31. *§. Dixi regulariter.*

Dico decimò, filiusfamilias, qui de domo patris non expellit concubinam, vel aliam, cùm qua peccare ſolet, poteſt abſolui modò habeat firmum propoſitum non peccandi ampliùs in futurum, & non ampliùs ſolum cùm ſola verſandi; quia hæc non dicitur occaſio proxima voluntaria reſpectu filiifamilias, qui non eſt ſui iuris: videatur Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 22. *verſ. At verò.* Sà *verb. Abſolutio, num.* 13. Armill. *verſ. Periculum.*

Dvbitatio VIII.

X. *An incidenti ſæpiùs in peccatum mollitiei ſit deneganda abſolutio, vel differenda ſaltim?*

Dico vndecimù. Confeſſatius non cogitur adoleſcenti denegare abſolutionem, qui ſæpiùs in mollitiem incidit ex carnis fragilitate; quia vir fragilis incidens per annum in varia genera peccatorum, ex variis occaſionibus tamen abſoluitur; quia nullam occaſionem propinquam babet, quam ſtatim debeat vitare, & tamen tenetur vitare omnia mortalia. ergo, etſi propenſus in mollitiem teneatur vitare illud vnum, ſi non habet occaſionem proximam incidendi in illam, poteſt abſolui, etiamſi ſæpiùs, &c. fragilitas enim peccandi non cenſetur occaſio proxima voluntaria, cùm adoleſcens non poſſit illam expellere: poteſt tamen Confeſſarius aliquando differre abſolutionem, non in caſu neceſſario, ſed vtili, vt pœnitens cum maiori propoſito proponat euitare huiuſmodi turpia peccata, Medina *lib.* 1. *cap.* 13. Henriquez *lib.* 4. *de pænitentia*, *cap.* 24. *n.*4.*in commento lit. M.*

Dico duodecimò. Deneganda tamen eſt abſolutio pœnitenti, quando poteſt occaſionem mollitiei expellere, eámque non expellit ſi frequenter illa occaſione poſita, hoc turpe ſcelus admittit, vt quando ex aſpectu alicuius fœminæ cum qua verſatur, vel alloquitur, ſolet frequenter incidere in turpes cogitationes illiſque conſentire, & ſæpiùs frequentes voluntarias pollutiones admittere; quia hic cenſetur eſſe in proxima occaſione voluntaria peccandi, cùm poſſit illam euitare, & non abſcindit. ergo eſt illi deneganda abſolutio, niſi recedat à cohabitatione,& colloquutione illius fœminæ,vel niſi proponat numquam ſe illam aſpecturum, ſéque cum ea non ampliùs verſaturum: hoc bene aduertit Bonacina *tom.* 1. *tract. de matrim. quæſt.*4. *punct.* 14. *num.* 14. *verſ. verum tamen eſt.*

Dvbitatio IX.

XI. *An extante aliqua rationabili cauſa non tollendi occaſionem peccandi, pænitentes, nolentes illam dimittere, ſint abſoluendi?*

Dico decimotertiò. Probabile eſt non eſſe denegandam abſolutionem adoleſcentibus, qui verſantur inter mulieres emendo, vendendo, familiaritérque tractando, cum quibus ſæpè peccant voluntate, verbis, aut tactibus impudicis, & aliquando etiam copula, licèt non ſtatuant abſtinere ſe perpetuò ab occaſione peccandi, quam illa familiaritas ipſis præbet, ſi ſubeſt aliqua iuſta, & rationabilis cauſa non abſtinendi ab ea; quia cùm occaſio, quæ ex hoc præbetur ad peccandum, neque ſit ex ſe peccatum mortiferum, neque ſit talis naturæ, vt ferè ſemper faciat peccare lethaliter eos, qui ea vtuntur, non videtur babere rationem occaſionis propinquæ, maximè ſi ſubeſt iuſta, & rationabilis cauſa non abſtinendi ab ea, cùm non poſſit illa dimitti abſque graui aliquo incommodo. Ita rectè aduertit Beja 1.*part.reſp. caſ. caſu* 39.*verſ.Tum verò.*

Dico decimoquartò. Artifex ſi omni confeſſione accuſat ſe de fraudibus, & mendaciis in arte, quam exercet, ſi illa ex ſe, & ſui natura eſt licita, ſi eam non poteſt abſque notabili incommodo ſui, vel familiæ deſerere, poteſt abſolui, modò ipſum pœniteat de peccatis præteritis, cum firmo propoſito non committendi ampliùs, Dei ſuffultus gratiâ, huiuſmodi peccata; quia cùm adſit rationabilis cauſa illam artem non dimittendi, maximum ſcilicet in commodum ſui, & familiæ, non videtur occaſio proxima voluntaria delinquendi: abſolutè igitur tali artifici non erit iniungendum, vt dictam artem, quæ ex ſe, & ſui natura eſt licita, deſerat, ſed ſolùm, vt illa malè non vtatur, & firmiter proponat nunquam ampliùs quempiam decepturum, & redditurum quidquid illicitè acquiſiuit. Videatur Rodriquez 1.*part. ſumma cap.* 49. Paludanus *in* 4.*ſent.diſt.*17.*q.*1.Beia *loc. cit.*

XII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur ſuprà dicta.*

Ad rationem in contrarium deſumptam ex *cap.conſultationi,de frigid. & maleſic.* reſpondetur probare noſtras aſſertiones 9.10.11.13. *&* 14.quoniam Papa Lucius III. *in dicto cap.* loquitur de occaſione proxima non voluntaria, permittuntur enim coniugati, quorum coniugium eſt occultè nullum, habitare in eadem domo, tamquam fratres ratione ſcandali, & propriæ infamiæ vitandæ; quia, vt inquit D. Baſilius *in conſtitutionibus Monaſt. cap.* 4. qui vrgenti aliqua cauſa, & neceſſitate ſe periculo obiicit, vel permittit ſe eſſe in illo, cùm tamen aliàs nollet, non iam dicitur amare periculum, quàm inuitus illud ſubire; & ideò magis prouidebit Deus ne in illo pereat. Occaſio igitur proxima voluntaria eſt omnino tollenda, vt pœnitens abſoluatur; occaſio verò moraliter non voluntaria, non eſt ſufficiens cauſa denegandi abſolutionem ſi pœnitens habeat rationabilem cauſam non ſeparandi ſe ab ea, ſi maximum dolorem habet de peccatis præteritis, firmum propoſitum non peccandi in futurum, & credulitatem, qua credit ſe cum Dei auxilio non peccaturum, quando ſe in ea occaſione inuenerit. Videatur pro hac ſolutione D. Thom. 2.2. *quæſt.* 10. *art.*9. *in fine Corporis.* Caietanus & Armil. *verb. peric.* Suarez *tom.*4. *in* 3. *part. diſput.* 32. *ſect.*2. *ad finem.*

Articvlvs XXVIII.

Quo tempore obliget præceptum auricularis confeſſionis?

Svmmarivm.

1. *Probatur nullam eſſe obligationem ad auricularem confeſſionem.*
2. *Dubitatio dilucidatur.*
3. *An iure diuino teneamur confiteri, ante ſumptionem Eucharistiæ? & non præmittens confeſſionem duplex peccatum committat.*
4. *An ſimiliter duplex peccatum committat excommunicatus, ſumens Eucharistiam.*
5. *An confeſſio ſacramentalis debeat præcedere miniſtrationem aliorum ſacramentorum.*
6. *An miniſtrans alia ſacramenta teneatur ſaltim ad contritionem, ſi ſit in peccato mortali.*
7. *An transferens Euchariſtiam de loco ad locum, ſi ſit in peccato mortali, teneatur priùs confiteri, vel conteri.*
8. *An Diaconus, ſi miniſtret alijs ſacramentum Euchariſtiæ, teneatur confiteri, vel conteri, ſi ſit in peccato mortali.*
9. *An Parochus aſſiſtens matrimonio, in peccato mortali, teneatur confiteri, vel conteri.*

10. *An contrahentes matrimonium, peccent mortaliter, ſi ſint in peccato mortali.*
11. *An exercentes functiones Ordinum minorum, vel ſubdiaconatus, vel Diaconatus, peccent mortaliter, illas exercentes in peccato mortali.*
12. *An Epiſcopus conferens primam Tonſuram, vel benedicens ſacras veſtes, Abbatiſſas, & huiuſmodi, ſi hæc faciat in peccato mortali, peccet mortaliter? Similiter ſi conficiat Chriſma, vel benedicat oleum.*
13. *An iudex Eccleſiaſticus, ſiue Concionator, ſua officia exequentes, ſiue Sacerdos aquam benedicens, peccent mortaliter, ſi in peccato mortali exiſtant.*
14. *An Clericus, tangens res ſacras in peccato mortali, peccet mortaliter? &, An laicus tangens Sacra peccet mortaliter.*
15. *An exiſtens in periculo peccandi vt periculum euitet, teneatur ad confeſſionem? &, An ſimiliter ſi adſit periculum obliuiſcendi peccata, ad idem teneatur.*
16. *An conſtituti in aliquo periculo vitæ, teneantur confiteri ſub præcepto, ſi poſt confeſſionem annualem, iterum peccauerint.*
17. *An infirmus, qui poſt viaticum peccauit, teneatur denuo ad confeſſionem, & ad communionem.*
18. *Titulo dubitationis reſpondetur.*
19. *An eodem tempore, quo quis tenetur ad confeſſionem, teneatur etiam ad communionem.*
20. *Quot dies complectatur tempus Paſchatis, obligans ad præceptum communionis.*
21. *An pueri deuenientes ad vſum rationis, teneantur ad præceptum confeſſionis; & niſi confiteantur ligentur cenſuris, ſi hoc ſub tali pœna præcipiatur.*
22. *An pueri, ante 14. vel 12. annum, violenter manus iniicientes in Clericos, ſint excommunicati.*
23. *An ſit aliqua pœna contra transgreſſores præcepti confeſſionis impoſita.*
24. *An interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, ſit priuatus vſu ſacramentorum.*
25. *An pueri poſt ſeptennium teneantur obſeruare Eccleſiæ leges.*
26. *An ſummus Pontifex teneatur ad præceptum annuæ confeſſionis.*
27. *An præcepto Eccleſiaſtico confeſſionis ſatisfiat, ſi quis in alio anni tempore, quàm in Paſchate, confiteatur? Et quomodo computandus ſit annus, obligans ad præceptum confeſſionis.*
28. *An qui in præſenti anno non eſt confeſſus, nec communicauit, teneatur quamprimum anno ſequenti confiteri, vel communicare.*
29. *Explicatur quomodo circumſtantia, vel conditio temporis, appoſita alicui præcepto, obliget.*
30. *An qui diſtulit confeſſionem anni præteriti vſque ad præſens, ſatisfaciat præcepto annuæ confeſſionis, ſemel confitendo.*
31. *An non confeſſus, conſtitutus in periculo mortis, ſi euadat tale periculum, teneatur quamprimum confiteri.*
32. *An non faciens confeſſionem integram, ſatisfaciat præcepto Eccleſiaſtico.*
33. *An faciens confeſſionem informem, ſed validam, adimpleat præceptum annuæ confeſſionis.*
34. *An qui communicat in peccato mortali, ſatisfaciat præcepto communionis in Paſchate? &, An lex præcipiens aliquem actum, præcipiat etiam ſubſtantiam, & modum illius.*
35. *An non adimplens præceptum annuæ confeſſionis toties peccet, quoties poſtea offert ſe occaſio confitendi, niſi confiteatur.*
36. *An præuidens ſe non habiturum copiam Confeſſarij, quando aderit præceptum, teneatur præuenire tempus confeſſionis.*
37. *An ſimiliter præuidens impedimentum, ad recitandum Officium, teneatur præuenire eiuſdem recitationem.*
38. *An præuidens, Miſſam in die feſto audire non poſſe, teneatur alio die audire.*
39. *An debitor debeat præuenire ſolutionem dum cognoſcit, poſt terminum præfixum, impotentem ad ſoluendum fore.*
40. *An teneatur anticipare communionem, qui præuidet, in Paſchate ſe impediendum à communione.*
41. *An qui commiſit aliquod peccatum de nouo, poſt confeſſionem & communionem annualem, nondum elapſo anno, in quo communicauit & confeſſus eſt, teneatur illud peccatum infra illum annum confiteri.*
42. *An faciens inualidam confeſſionem incurrat cenſuras, contra non adimplentes præceptum annualis confeſſionis, ſi quæ feruntur.*
43. *An qui confitetur, & non communicatur, vel econtra; ſi contra non confitentes & non communicantes in anno, lata ſit cenſura, incidat in illam.*
44. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, An ad adimplendum præceptum annuæ confeſſionis ſufficiat contritio vbi non adeſt copia Confeſſarij.*

I. *Probatur nullam eſſe obligationem ad auricularem confeſſionem.*

NAm in lege Euangelica, quæ eſt lex gratiæ, non debet eſſe ſtrictior via ſalutis, quàm ante legem Euangelicam: ſed ante legem Euangelicam poterant homines ſaluari ſine confeſſione exteriori, & ſine dependentia ab aliquo Miniſtro. ergo modò non debet eſſe aliqua obligatio ad talem confeſſionem auricularem. Confirmatur: nam ſola contritio omni tempore ſine confeſſione exteriori ſufficit ad remittenda omnia peccata, atque adeò ad conſequendam ſalutem. ergo non eſt ſignabile tempus, quo confeſſio exterior ad conſequendam ſalutem obliget.

II. *Dubitatio dilucidatur.*

Dico primò, iure diuino omnes fideles poſtquam deuenerint ad vſum rationis ſi cognoſcant ſe eſſe in peccato mortali, tenentur confiteri in articulo, & periculo mortis. quia præceptum diuinum confeſſionis, quod conſtat ex Concilio Trid. *ſeſſ. 14. cap. 4.* & ex illo Iacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra*, & ex illo Ioannis 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*; obligat tempore neceſſitatis: ſed in articulo, & periculo mortis eſt maxima neceſſitas; ergo præceptum diuinum confeſſionis obligat omnes fideles, poſtquam deuenerint ad vſum rationis ſi cognoſcant ſe eſſe in peccato mortali in articulo, & periculo mortis.

Dvbitatio I.

III. *An iure diuino teneamur confiteri ante ſumptionem Euchariſtiæ: & non præmittens confeſſionem, duplex peccatum committat?*

Dico ſecundò, iure diuino tenemur etiam confiteri quotieſcumque debemus ſumere ſacramentum Euchariſtiæ. nam 1. *Corinth.* 11. habetur, *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, &c. ex quo loco deſumitur hoc argumentum. Accedens ad Euchariſtiam debet ſeipſum probare: hæc autem probatio fieri debet per confeſſionem vt Eccleſiaſtica conſuetudo declarat, inquit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 13. cap. 7.*

ergo, &c. Videatur D.Thom. *in 4. diſt. 16. in expoſitione textus*. Syl. *verb. Euchariſtia 3. n. 16. q. 14.*

Dico tertiò. Qui ſuſcipit Euchariſtiam non præmiſſa confeſſione peccati mortalis, ſi confeſſio tunc temporis per ordinem ad communionem tantùm eſt facienda, vnum peccatum committit; quia vbi eſt vnum propter aliud, eſt vnum tantùm: ſed præceptum confeſſionis in propoſito caſu eſt per ordinem ad communionem dignè ſuſcipiendam. ergo qui tunc omittit confeſſionem, committit tantùm vnum peccatum. Secus autem dicendum eſt, ſi alio titulo tenetur confiteri, vt ſi præcepto annuæ confeſſionis teneatur confiteri. tunc enim duplex peccatum committit: nam vnum peccatum omiſſionis committit contra præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis, alterum commiſſionis per indignam Euchariſtiæ ſumptionem. Sic benè Nugnus *tom. 1. in 3. part. quaſt.* 88. *art. 4. diffic. 3. fol. 434. col. 2.*

Dvbitatio II.

IV. *An ſimiliter duo peccata committat excommunicatus, ſumens Euchariſtiam?*

Dico quartò. Excommunicatus ſumens Euchariſtiam ſciens ſe teneri vinculo peccati, & cenſura, duplex peccatum committere videtur; quia facit contra obligationem cenſuræ, qua excommunicatus repellitur à participatione ſacramentorum, & quia facit contra Religionem, indignè recipiens in lethali culpa Euchariſtiam. Ita videtur tenere Henriquez *lib. 5. de Pœnitentia, cap. 7. num. 2.* Bonacina *tom. 1. pract. de ſacramentis, diſput. 5. quaſt. 6. punct. 1. num. 34.* Contrarium tamen verius mihi videtur. quia communicare in peccato mortali, & in excommunicatione eſt vnus actus malus eidem honeſtati Religionis contrarius. ergo communicare indignè in peccato mortali, & in excommunicatione, non dicit duas malitias ſpecie diſtinctas, ſed vnam, licèt grauiorem, ex circunſtantia excommunicationis, quæ plurimum actum illum aggrauat. Tum, quia peccatum non ideo pertinet ad nouam ſpeciem, quia prohibetur ſub excommunicatione, ſed quia prohibetur ex diuerſo motiuo: ſed in caſu noſtro prohibetur Euchariſtia exiſtentibus in culpa lethali, & excommunicatis ſub eodem motiuo, vt ſcilicet Sancta ſanctè ſumamus. ergo, &c. Ita benè notauit Suarez *tom. 3. in 3 p. diſp. 66. ſect. 1. §. dices ergo*, &c.

Dvbitatio III.

V. *An confeſſio ſacramentalis debeat præcedere miniſtrationem aliorum ſacramentorum?*

Dico quintò. Obligatio confeſſionis iure diuino non extenditur ad tempus ſuſceptionis, vel etiam collationis cuiuſcumque alterius ſacramenti; quia non inuenitur talis obligatio in iure poſitiuo diuino, nec Eccleſiaſtico, neque in iure naturæ, ius enim naturale ob reuerentiam, quæ debetur ſacramentis, tantùm requirit, quòd homo ſit in gratia, ad quam habendam ſufficit contritio. ergo, &c. Dum verò quis initiatur ſacris Ordinibus, & communicaturus eſt, debet confiteri propter communionem. Videatur Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. quaſt. 6. art. 4. dub. 1. concluſ. 2.* Henriquez *lib. 8. de Euchariſtia, cap. 46. in commento lit. X.*

Dico ſextò, licèt iure diuino obligatio confeſſionis non extendatur ad tempus collationis ſacramentorum; Miniſter tamen deputatus, & ſpecialiter conſecratus ad adminiſtrationem ſacramentorum, tenetur ſub culpa lethali conari, & curare, vt in gratia per contritionem conſtituatur, antequam adminiſtret ſacramenta; quia irreligiosè talis Miniſter tractaret ſacramenta, ac peccata, quæ ſunt contra Religionem in re graui, cùm Religio ſit excellentiſſima virtus, ſunt ex genere ſuo mortalia, vt docet D. Thom. 2. 2. *quaſt. 99.* ergo Miniſter deputatus & ſpecialiter conſecratus ad adminiſtrationem ſacramentorum, lethaliter delinqueret ſi non conaretur, & curaret, vt in gratia per contritionem conſtituatur antequam adminiſtret ſacramenta. Videatur D. Thom. *3. p. quaſt. 64. art. 6.*

Dvbitatio IV.

VI. *An miniſtrans alia ſacramenta, teneatur ſaltim ad contritionem ſi ſit in peccato mortali?*

Dico ſeptimò. Sacerdos Miniſter deputatus, & conſecratus ad adminiſtrationem ſacramentorum, habens conſcientiam peccati mortalis, ſi aduertit ſe ſolùm eſſe attritum, debet contritionis actum elicere; ſi verò aduertat ſe non poſſe actum contritionis elicere, debet Pœnitentiæ ſacramentum recipere antequam adminiſtret ſacramenta; quia debet aſſumere media, quibus ad gratiam ſanctificantem diſponatur, ne ſacramenta indignè pertractet. ita bene Nugnus noſter *tom. 1. in 3. p. q. 64. art. 6. diffic. 3. verſ. ad ſecundū argumentum.*

Dico octauò. Sacerdos habens conſcientiam peccati mortalis, tenetur antequam Euchariſtiam adminiſtret præparare ſe ad gratiam per confeſſionem, vel ſaltem per contritionem, cùm non ſit neceſſaria confeſſio, quando Sacerdos adminiſtraturus eſt aliis Euchariſtiam: ſecus autem quando ſuſcepturus eſt Euchariſtiam, vt diximus *aſſertione 5.* Probatur, quia non eſt actio minus ſacra, & religioſa hoc ſacramentum iam factum diſtribuere, quàm vnctionem, v. g. efficiendo miniſtrare. ergo, ſicut Sacerdos adminiſtraturus efficiendo ſacramentum Extremæ vnctionis, ſi habet conſcientiam peccati mortalis, debet ſe præparare ad gratiam, vel per confeſſionem, vel ſaltem per contritionem; ſimiliter miniſtrando ſacramentum Euchariſtiæ, &c. Rodriquez *1. p. ſumma, cap. 68. num. 10.* Suarez *tom. 3. in 3. part. diſp. 72. ſect. 4. verſ. quartò ex parte Miniſtri.* licèt Nugnus *tom. 1. in 3. part. quaſt. 64. art. 6. diffic. 1. concluſ. 2.* teneat probabile eſſe pro vtraque parte peccatum eſſe lethale, & non eſſe culpam lethalem, ſacramentum iam confectum porrigere alteri in peccato mortali: ſed pars affirmatiua verior mihi videtur, & tenenda.

Dvbitatio V.

VII. *An transferens Euchariſtiam de loco ad locum, teneatur priùs confiteri, vel conteri ſi ſit in peccato mortali?*

Dico nonò. Sacerdos habens conſcientiam peccati mortalis, ſi de vno altari ad aliud transfert Euchariſtiam, non obſtringitur præcepto confeſſionis, vel contritionis antequam ſanctiſſimam Euchariſtiam transferat. Nam hæc non eſt adminiſtratio ſacramenti, neque videtur materia ſufficiens ad peccatum mortale. Videatur Bonacina *tom. 1. de ſacramentis, diſput. 1. quaſt. 3. puncto 2. §. 1. num. 13.*

Dvbi

Dvbitatio VI.

VIII. *An Diaconus ſi miniſtret alijs ſacramentum Euchariſtia, teneatur confiteri, vel conteri, ſi ſit in peccato mortali?*

Dico decimò, Diaconus ex neceſſitate adminiſtrans Euchariſtiam, ſi exiſtit in peccaro mortali, renetur ſub peccato mortali antequam adminiſtret præcepto coofeſſioois, vel contritionis, vt in gratia conſtitutus Saocta ſanctè miniſtret: nam hoc faceret ex officio, quatenus ratione ſuæ conſecrationis immediatè inſeruit Sacerdoti, & participat officium Sacerdotij. Ita noſter Petrus de Ledeſma *de ſacramentis in communi, cap. 6. verſic. La ſexta*, &c.

Dvbitatio VII.

IX. *An Parochus aſſiſtens matrimonio in peccato mortali teneatur confiteri, vel conteri?*

Dico vndecimò, Sacerdos exiſtens in peccato mortali non tenetur confiteri, vel conteri, ſi in neceſſitate miniſtret Baptiſmum ſine ſolemnitate; quia tunc non adminiſtrat ex officio, & vt Miniſter conſecratus. Idem dicendum de Diacono, ſubdiacono, vel laico baptizando in neceſſitate, D.Th. *3. p. q. 64. art. 6. ad* 3. Sylu. *verb. Baptiſmus 3. n. 5. §. Quartò, vtrùm malus Miniſter.*

Dico duodecimò, Sacerdos culpæ mortalis reus, non renetur ad confeſſioné, neque ad contritionem, ſi aſſiſtere debet matrimonio, & conſequenter nec peccat lethaliter lethalis culpæ reus aſſiſteos, quia non eſt Miniſter conficieus ſacramentum, & benedictio, qoam præſtat, eſt ſacramentale quoddam. Sic beuè Lopez noſter *part. 2. inſtruct. de Sacram. in genere*, Sanchez *lib. 2. de matrim. diſp. 6. num. 5.*

Dvbitatio VIII.

X. *An contrahentes matrimonium peccent mortaliter ſi ſint in peccato mortali?*

Dico decimotertiò, contrahentes matrimonium, qui ſunt Miniſtri conficientes mattimonij ſacramentum, vt docet Lopez 2. *part. inſtruct. de matrim. cap. 35.* & communiter alij, non tenentur ad confeſſionem, vel contritionem, nec peccant lethaliter ſi culpa lethali affecti, miniſtranr ſibi hoc ſacramentum, ea ratione qua miniſtrant: quia non ſunr Miniſtri conſecrati ad id munus, ſed ſolùm illis conceſſum eſt ex quadam neceſſitate, quia oportuit materiam, & formam huius ſacramenti in ipſo conrracto conſtitui: contractus autem fieri non poterat niſi per contrahenrium conſenſus; ea verò ratione qua ſacramentum ſuſcipiunt, peccarent mortaliter, ſi in culpa lethali exiſtentes contraherent matrimonium; quia opponerent obicem recipiendæ gratiæ per ſacramentum. Ita benè Sotus *in 4. diſt. 1. quæſt. 5. art. 6. fine*, contra Sayr. *de ſacramento Pœnitentia, cap.* 27. *num.* 8. vbi aſſerit quòd contrahentes matrimonium peccant mortaliter, ſi illud contrahendo in mortali exiſtant, cùm ipſi huius ſacramenti Miniſtri ſint: ſed verius eſt, quod diximus cum Soto, non enim ſunt contrahentes Miniſtri conſecrati, ſed ex quadam neceſſitate.

Dvbitatio IX.

XI. *An exercentes functiones Ordinum minorum, vel Subdiaconatus, vel Diaconatus, peccent mortaliter illas exercentes in peccato mortali?*

Dico decimoquartò, qui debet exercere functiones Ordinum minorum, ſi ſit reus culpæ lethalis, non obſtringitur præcepto naturali diuino ad confeſſionem, vel ad contritionem ſub culpa lethali, etiamſi miniſtrare debeat in Ordinibus minoribus ex officio. quia exercitium Ordinum minorum, ex officio non videtur materia adeò grauis, vt peccati mortalis reus conſtituatur, qui illud indignè præſtat cum peccato mortali: peccabit tamen hic venialiter, quia indignè operatur rem ſacram in materia leui. ergo non obſtringitur præcepto diuino naturali ſub culpa lethali ad confeſſionem, vel contritionem, exercens functiones Ordinum minorum, etiam ex officio. Ita bene Nugnus noſter *tom. 1. in 3. part. quæſt. 64. art. 6. difficult. 1. concluſ. 3.*

Dico decimoquintò, idem dicendum eſt de exercente functionem ſubdiaconatus; quoniam officium Subdiaconi eſt etiam quodammodo remotum, & diſtans à ſacramento, & à ſacrificio Miſſæ, atque adeò non videtur res grauis. Idem etiam aſſerendum eſt de exercente functionem Diaconatus, non peccare ſcilicet lethaliter Diaconum reum peccati mortalis exercentem ſuum officium legendo ex officio in Eccleſia ſolemniter Euangelium; quia hæc functio non eſt immediatè ſanctificatrix, conſequenter, qui eam exercet, non tenetur ſub mortali eſſe in gratia: ſic Sotus *in 4. diſt. 1. quæſt. 5. art. 6. §. Quocirca dubium eſt.* Nugnus verò de Diacono loquens, aſſerit illum peccare lethaliter, ſi reus culpæ lethalis ſolemniter exercet functionem ſuam. quia, inquit, officium Diaconi eſt immediatum, atque adeò quaſi vltima diſpoſitio ad Sacerdotium: vltima verò diſpoſitio in naturalibus reducitur ad naturam formæ. ergo ſimiliter officium Diaconi reducitur ad officium Sacerdotis, atque adeò erit res grauis, & conſequenter peccatum mortale exercere illud in culpa mortali. hæc Nugnus, & quidem probabiliter.

Dvbitatio X.

XII. *An Epiſcopus conferens primam Tonſuram, vel benedicens ſacras veſtes, Abbatiſſas, & huiuſmodi, ſi hæc faciat in peccato mortali, peccet mortaliter? Similiter ſi conficiat Chriſma, vel benedicat oleum?*

Dico decimoſextò, Epiſcopus conferens primam Tonſuram, aut benedicens ſacras veſtes, conſecrans vaſa, templa, virgines, & Abbatiſſas, ſi eſt reus culpæ lethalis antequam exerceat huiuſmodi functiones, ſub peccato mortali non obſtringitur ad confeſſionem, vel contritionem. Neque exercere talia opera in mortali, eſt mortale: quia functiones Ordinum cum conſcientia peccati mortalis exercere, per ſe loquendo, non eſt culpa lethalis, præciſa adminiſtratione ſacramentorum facta à Miniſtro, tanquam ad illam deputato & conſecrato. ergo, &c. Nugnus nuper relatus *difficult. 1. concluſ. 2.* quem ſequitur Bonacina *tom. 1. de ſacramentis in genere, diſp. 1. q. 3. puncto 2. §. 1. num.* 8.

Dico decimoſeptimò, Epiſcopus, qui conficere vult Chriſma, vel benedicere vult oleum, ſi habet conſcientiam peccati mortalis, antequam huiuſmodi functiones exerceat, vt licitè, & ſine peccato mortali, hæc munia operetur, obſtringitur præcepto cõfeſſionis, vel contritionis, quia iſtæ actiones videntur graues, & quodammodo ſacramentales, quatenus per eas ſacratur materia ſacramenti.

Nugnus *vbi ſuprà, concluſ.3.diffic.2.* Medina *cod. de pœnitentia, tract.1.quæſt.6.*

Dico decimooctauò. Probabilius tamen, & verius dicendum eſt quòd, per ſe loquendo, & ſecluſo contemptu in huiuſmodi actionibus exercendis, non interuenit peccatum mortale, ſed tantùm veniale, ſi Epiſcopus illas exercens ſit lethalis culpæ reus: nam D.Th.3.*p.q.64.art.6.* ſolùm de miniſterio ſacramentorum dicit eſſe peccatum mortale, illud exercere in ſtatu peccati mortalis. ergo, &c. Tum, quia conficere Chriſma, vel benedicere oleum, non eſt actio habens in ſe ſanctitatem, quia hoc non eſt adminiſtrare ſacramentum, per quod homo ſanctificetur. ergo, &c. Nam Miniſter conſecratus ad aliquam actionem tunc exercendo illam extra gratiam peccat mortaliter, quando actio in ſeipſa habet ſanctificationem, qualis eſt actio adminiſtrandi ſacramenta, quibus homines ſanctificantur; ſed conficere Chriſma, & benedicere oleum, non eſt actio habens in ſe ſanctificationem, qua homines ſanctificantur. ergo, &c. Videatur pro hac aſſertione D.Thom. *loc. cit.* 3. *part. quæſt.* 64. *art.* 6. Magiſter Sotus *in* 4. *diſt.*24. *quæſt.*1. *art.*4.5. *Ad ſecundum, diſt.*2.*q.*3.

Dvbitatio XI.

XIII. *An iudex Eccleſiaſticus, ſiue Concionator ſua officia exequentes, ſiue Sacerdos aquam benedicens, peccent mortaliter, ſi in peccato mortali exiſtant?*

Dico decimononò. Conſequenter iudex Eccleſiaſticus reus culpæ lethalis, ſi iudicium, & ſententiam dicit, vel alios actus iuriſdictionis exercet, ſimiliter Concionator verbum Dei prædicans in mortali, vel Prælatus corrigens ſubditum exiſtens in culpa lethali. Item Sacerdos benedicens aquam benedictam in peccato mortali, non peccant homines lethaliter exercendo huiuſmodi functiones extra gratiam, & per conſequens antequam illas exerceant, non tenentur præcepto diuino ad confeſſionem, neque ad contritionem. quia huiuſmodi functiones non ſunt immediatè ſanctificatrices: ergo qui eas exercet, non tenetur ſub mortali eſſe in gratia. Videatur Sotus nuperrimè relatus, *& in* 4.*diſt.*1. *quæſt.*5. *art.*6. quem ſequitur Suarez *tom.*3. *in* 3. *part. diſp.*16.*sect.*3.

Dvbitatio XII.

XIV. *An Clericus tangens res ſacras in peccato mortali, peccet mortaliter? &, An laicus tangens Sacra, peccet mortaliter?*

Dico vigeſimò. Clericus affectus culpa lethali non obſtringitur ad confeſſionem, vel ad actum contritionis eliciendum, antequam tangat res ſacras, vt corporalia, calices, &c. quia tangendo huiuſmodi res ſacras, reus peccati mortalis, non peccat mortaliter, cùm non ſit materia grauis, neque huiuſmodi functiones ſunt immediatè ſanctificatrices: quamuis aliqui DD. quos tacito nomine refert Syl. *verb. Clericus*, *num.*2. *fine*, oppoſitum tenuerint: immò quamuis laici attingere non poſſint calicem, patenam, & alia ornamenta, quæ immediatè attingunt Corpus Chriſti, & ſacros Agnos Dei, *can. ſacratas*, *diſt.* 23. peccatum tamen, per ſe loquendo, ſi tangant has res ſacras, non videtur mortale, ſed veniale, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, quia non videtur materia grauis. Videatur Azor. 1. *part. inſtit. mor. lib.*9.*c.*9.*dub.*3. Bonac. *tom.*1. *tract. de ſacramentis in genere, diſp. quarta, quæſt. vltima, punct.*9.*n.*10.

Dvbitatio XIII.

XV. *An homo exiſtens conſtitutus in periculo peccandi, vt periculum euitet, teneatur ad confeſſionem? &, An ſimiliter ſi adſit periculum obliuiſcendi peccata, ad idem teneatur?*

Dico vigeſimoprimò. Iure diuino tenetur homo confiteri quotieſcumque cognoſcit in ſe ipſo graue, & ſpeciale periculum, iterum peccandi mortaliter. quia tunc eſt neceſſitas grauis confeſſionis. Ita benè Nugnus *tom.* 3. *in* 3. *part. quæſt.* 6. *art.* 4. *dub.*1.*concl.*3.

Dico vigeſimoſecundò, quando eſt ſpeciale, & graue periculum, quòd obliuiſcetur homo multorum peccatorum mortalium, ſi per multum temporis differat confiteri, iure diuino tenetur ad confeſſionem, ante determinationem Eccleſiæ, vnde ante elapſum annum tenebitur fidelis ſua peccata cõfiteri. Probatur. Nam iure diuino tenetur homo ad faciendam integram confeſſionem. ergo, ſi differendo illam per annum, vel per multos menſes, exponitur periculo obliuiſcendi multorum peccatorum mortalium, non debet illam differre per annum, neque etiam per multos menſes. hanc aſſertionem docet Marſilius *in* 4. *quæſt.* 12. quem ſequitur Nugnus *loco nuper adducto*, *concl.* 4. licèt Soto *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.*1. *art.*4. *concl.*4. §. *quocirca*, oppoſitum ſatis probabiliter teneat, ſatis eſt enim, inquit, vt homo ſtatuto tempore Eccleſiæ, diligentiam faciat ad recordandum; & hoc verius, & communis apud DD. mihi videtur.

Dico vigeſimotertiò, ſtando in ſolo iure naturali, & diuino, non tenetur homo confiteri de peccatis venialibus. quia ſecundùm fidem ſunt alia multa remedia ad peccata venialia tollenda. Ita docet ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *de pœnitentia cap.*5. Quòd ſi homo dubius eſt de aliquo mortali, iure diuino in caſibus ſuprà expoſitis tenetur ad confeſſionem, vel ad contritionem. Probatur, quia in dubiis tutior pars eſt eligenda, quando poſſeſſio ſtat pro lege, & non fauet dubitanti. ergo quando quis ſcit commiſiſſe aliquod peccatum, quod dubitat eſſe mortale in caſibus ſuprà poſitis, tenebitur ad confeſſionem, vel ad contritionem. Videatur Nugnus *tom.* 2. *in* 3. *part. quæſt.* 6. *art.*4. *dub.*1.*concl.*1.

Dvbitatio XIV.

XVI. *An conſtituti in aliquo periculo vitæ teneantur confiteri ſub præcepto ſi poſt confeſſionem annualem iterum peccauerint?*

Dico vigeſimoquartò, magis explicans aſſertionem primam huius dubij, ſuſcipientes periculoſas nauigationes iure diuino tenentur ad confeſſionem: ſimiliter milites quando inſtat prælium; item fœmina, quæ primò paritura eſt, aut quæ aliàs peperit cum magna difficultate, ſeu vitæ periculo. Item infirmus grauiter laborans, qui peccauit mortaliter poſt confeſſionem, tenetur adhuc confiteri; quia præceptum diuinum confeſſionis obligat in graui neceſſitate: ſed in caſibus prædictis imminet grauis neceſſitas, & periculum damnationis. ergo, &c. Videatur Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 1. *art.*4.

Bonacina

Bonacina *tom.* 1. *tract. de Sacramentis*, *diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 4. *num.* 13.

DVBITATIO XV.

XVII. *An infirmus qui poſt viaticum peccauit, teneatur denuo ad confeſſionem, & ad communionem?*

Dico vigeſimoquintò, infirmus verò qui in articulo mortis, quando tenetur, communicauit, ſi ſumpta ſemel Euchariſtia peccauit poſtea mortaliter, non tenetur iterum communicare, licèt infirmus grauiter laborans ſi peccauit poſt confeſſionem teneatur adhuc confiteri, vt diximus *aſſertione præcedenti.* Ratio huius eſt; quia Euchariſtia non eſt inſtituta per ſe ad delenda peccata mortalia, ſicut inſtituta fuit pœnitentia. ergo vſus Euchariſtiæ non ita obligat, ſicut obligat vſus confeſſionis: tum, quia ſacramentum Confeſſionis eſt magis neceſſarium. ergo, &c. Henriq. *lib.* 8. *de Euchariſt. c.* 5. *num.* 3. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 69. *ſect.* 3. *concl.* 4. §. *Secundum modum.*

XVIII. *Titulo dubitationis reſpondetur.*

Dico vigeſimoſextò, omnes fideles baptizati præcepto Eccleſiaſtico habentes peccata mortalia poſt Baptiſmum, aut in ipſa ſuſceptione Baptiſmi, tenentur ſemel in anno confiteri; patet ex *c. omnis vtriuſque ſexus, de pœnitentijs, & remiſſionibus.*

Dico vigeſimoſeptimò, pueri compotes vſus rationis, in ea ſcilicet ætate, in qua cognoſcunt ſe grauiter peccare, in qua diſcernont bonum à malo, honeſtum à turpi, quod quidem in pleriſque contingit ad finem ſeptennij, vel ad octauum ætatis annum, tenentur ex præcepto Eccleſiaſtico ad confeſſionem faciendam, ſi habent conſcientiam peccati mortalis. quia omnes fideles ex præcepto Eccleſiaſtico tenentur ſemel in anno confiteri ſua peccata mortalia. ergo tenentur etiam pueri compotes vſus rationis, cùm etiam ipſi in numero fidelium recenſeantur. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 1. *art.* 3. Nauarr. *ſumma cap.* 21. *num.* 88.

DVBITATIO XVI.

XIX. *An eodem tempore, quo quis tenetur ad confeſſionem, teneatur etiam ad communionem?*

Dico vigeſimooctauò, quamuis puer ſtatim ac peruenit ad vſum rationis, ſi eſt capax peccati mortalis, teneatur ſemel in anno confiteri, non tamen ſtatim, ac habet ſufficiens iudicium, & diſcretionem, obligatur ad communionem ſaltem ſemel in anno Paſchate, ſed poſt vnum, vel duos annos, prout prudens Confeſſarius conſuluerit, & iudicauerit: quia cùm ſacramentum Euchariſtiæ ſit excellentius, & dignius ſacramento Confeſſionis, maior ætas, & iudicium requiritur ad cognuſcendam ipſius excellentiam, & ad diſcernendum cibum à cibo: tum, quia cùm ſacramentum Euchariſtiæ non ſit tantæ neceſſitatis, quantæ eſt ſacramentum confeſſionis, non tam citò obligabit præceptum Euchariſtiæ, quàm præceptum confeſſionis. ergo, &c. Videatur Nugn. *tom.* 1. *in* 3. *p. q.* 80. *art.* 11. *diffic.* 2.

DVBITATIO XVII.

XX. *Quot dies complectatur tempus Paſchatis obligans ad præceptum communionis?*

Dico vigeſimononò, tempus Paſchatis in quo obligat præceptum communionis, complectitur quindecim dies, ſcilicet à Dominica in Ramis palmarum incluſiuè, vſque ad Dominicam in Albis etiam incluſiuè: itaque quocumque die iſtorum homo communicet, ſeruat præceptum Eccleſiaſticum; quia iſte eſt vſus totius Eccleſiæ, & ita fertur declaraſſe Eugenium quartum; & fortè eſt traditio Apoſtolica. Tum, quia ferè impoſſibile eſt in ipſo die Paſchatis præbere communionem omnibus fidelibus. Videatur Syl. *verb. Euchariſtia* 3. Caiet. *verb. Communio.* Azor. 1. *part. inſtit. mor. lib.* 7. *cap.* 41. *dub.* 2.

DVBITATIO XVIII.

XXI. *An pueri deuenientes ad vſum rationis teneantur ad præceptum confeſſionis: & niſi confiteantur, ligentur cenſuris, ſi hoc ſub tali pœna præcipiatur?*

Dico trigeſimò, licèt pueri ſtatim, quòd veniunt ad vſum rationis, obligentur præcepto Eccleſiaſtico, ac diuino ad ſemel in anno confitendum, & peccent mortaliter non adimplendo illud: nam cùm neceſſitas præcepti confeſſionis tam diuini, quàm Eccleſiaſtici ex neceſſitate ad ſalutem oriatur, cùm primùm homo neceſſitatem incurrit, tenetur etiam ad confeſſionem tum ſemel in anno, tum & in articulo mortis. Tamen vſque ad annum ætatis duodecimum Eccleſia per cenſuras neminem ad confeſſionem cogit; quia licèt nouerit antea etiam pueros poſſe peccare, vt *cap. pueris, de delictis puerorum*, decernitur; ſuis tamen cenſuris non vult ante duodecimum, vel quartumdecimum cogere, ſed relinquit eos ſub diuino iure. Ita obſeruauit Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 1. *art.* 3. §. *de verbo autem illo*, quem ſequitur Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 36. *ſect.* 8. *num.* 5.

Dico trigeſimoprimò, conſequenter ſi in aliqua Parochia in communi excommunicantur, qui non ſunt confeſſi, non comprehenduntur pueri ante annum duodecimum, quia in pueris relinqui ſolet illud, quod prouectioris ætatis humanæ leges ducunt ſeueriùs puniendum, *cap.* 1. & 2. *de delictis puerorum.* Ita benè Nugnus noſter *tom.* 1. *in* 3 *part. quæſt.* 6. *art.* 5. *dubio* 1. agens de præcepto Eccleſiaſtico confeſſionis, §. *Reſpondetur tamen.*

DVBITATIO XIX.

XXII. *An pueri ante* 14. *vel* 12. *annum, violenter manus inijcientes in Clericos, ſint excommunicati?*

Dico trigeſimoſecundò, pueri tamen ante duodecimum, vel decimumquartum annum afficiuntur excommunicatione ſi manus violentas iniiciant contra Clericum, & ſint doli capaces, *cap.* 1. & *vlt. de ſententia excommunicationis.* Nam ibi ſermo eſt de pœna, quæ ipſo facto incurritur: noſtræ verò aſſertiones 30. & 31. poſſunt explicari de pœna Eccleſiaſtica incurrenda, & imponenda, qualis eſt illa, quæ continetur *in cap. omnis vtriuſque ſexus*, contra tranſgreſſores præcepti annuæ confeſſionis, quam DD. citati negant eſſe ferendam contra pueros præceptum annuæ confeſſionis non adimplentes ante duodecimum annum. Videatur pro hac aſſertione Sylu. *verb. Homicidium* 3. *quæſt.* 1. *dicto* 5. & *quæſt.* 2. *dicto* 3. vbi ait pueros occidentes alios eſſe irregulares, & ſi populo Sacris intereſſe interdictum ſit, etiam pueri doli capaces comprehenduntur. Syl. *verb. Interdictum* 2. *num.* 18. videatur etiam pro hoc dicto

H 4 Sanchez

Sanchez *lib.1. oper.mor. cap.12. num.7.& 8.* Bonacina *tom.1. de Sacramentis, diſp.5. quæſt.5. ſect. 2. puncto 4. num. 3.*

Dubitatio XX.

XXIII. *An ſit aliqua pœna contra tranſgreſſores præcepti confeſſionis impoſita?*

Dico trigeſimotertiò, iure communi nulla pœna eſt impoſita tranſgreſſoribus huius præcepti annuæ confeſſionis, quæ ipſo facto incurratur. nam *cap. omnis vtriuſque ſexus*, ſolùm dicit, vt arceantur ab ingreſſu Eccleſiæ, & priuentur Eccleſiaſtica ſepultura: vtrumque autem horum requirit ſententiam à iudice latam, vt ex ipſis verbis *arceatur, & priuetur*, conſtat: per conſtitutiones autem ſynodales, & ex conſuetudine Epiſcopatuum adiungi ſolet pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, videatur Cano *in relectione de pœnitentia part.5.* Suarez *tom.4. in 3.p. diſp.36. ſect.8. num.2.* Nugnus *tom.2. in 3. part. quæſt.6. art. 6. difficult. vltima.*

Dubitatio XXI.

XXIV. *An interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ ſit priuatus vſu ſacramentorum?*

Dico trigeſimoquartò, interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ per ſententiam iudicis ob tranſgreſſionem præcepti annuæ confeſſionis, vel ob aliud delictum, non eſt priuatus vſu ſacramentorum, ſed vſu diuinorum Officiorum, & ſepulturæ: ergo quando non celebrantur diuina Officia, poterit in Eccleſia recipere ſacramenta. Sic benè Syl. *verb. ſuſpenſio, quæſt. 5. num.5. §. Si verò ſuſpenſio ſit à diuinis Officijs.* Henriquez *lib.13. de excommunicatione, & ſuſpenſione, cap.32. num. 2. in textu.* Bonacina *tract. de cenſuris, diſp.5. puncto 5. num.12.*

Dubitatio XXII.

XXV. *An pueri poſt ſeptennium teneantur obſeruare Eccleſiæ leges?*

Dico trigeſimoquintò, pueri dum ad vſum rationis peruenerint, quod communiter ſeptennio completo accidere ſolet, tenentur nedum præcepto annuæ confeſſionis ſemel in anno, vt probatum eſt, ſed etiam omnibus Eccleſiæ legibus, præter ieiunij, & Euchariſtiæ legem, quia enim pueri vſum rationis habent, legalis obligationis ſunt capaces. ergo ſicuti lege naturali obligantur, ita & Eccleſiaſtica: & ita loquens de præcepto audiendi Sacrum, tenet Sylu. *verb. Miſſa 2. quæſt. 1.* de præceptis abſtinendi à carnibus, & latrociniis, tenet Sanchez *lib. 1. oper. mor. c. 12. num.6.* Angles Floribus *1. part. quæſt. 6. de ieiunio, diffic. 6. fine*, licèt Sotus *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 11. ad finem corporis*, teneat pueros non teneri ad præcepta Eccleſiaſtica, vſque ad annum duodecimum, & D. Anton. *2. part. tit. 9. cap. 8. §. 2.* dicat pueros non teneri præceptis Eccleſiaſticis vſque ad decimum & dimidiatum annum, & aliquantulum vltrà, & fœminas vſque ad nonum, & dimidiatum annum, & aliquantulum vltrà: & Henriquez *lib. 8. de Euchariſtia, cap. 4.* initio ait pueros non ſtatim, ac rationis vſum habent, obligati præceptis Eccleſiæ; & conſuetudinem habere, vt parum poſt rationis vſum lacticinia eis in diebus vetitis dentur. Idem Henriquez *lib. 3. de excomm. c. 49. num. 2. in comment. litt. N.*

Dubitatio XXIII.

XXVI. *An ſummus Pontifex teneatur ad præceptum annuæ confeſſionis?*

Dico trigeſimoſextò, ſummus Pontifex obligatur ad præceptum annuæ confeſſionis obſeruandum quoad vim directiuam, non tamen quoad vim coactiuam, quod eſt dicere, ipſum nõ debere puniri, etiamſi faciat contra legem; teneri nihilominus, ſimpliciter loquendo, ad ſeruandam talem legem; quia ratio naturalis dictat, quòd caput conformetur corpori ſuo: itaque ſi ſummus Pontifex haberet mortale peccatum, & non confiteretur per annum integrum, peccaret mortaliter contra hoc præceptum confeſſionis, ſic benè Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 6. art. 5.* agens de præcepto Eccleſiaſtico confeſſionis, *dubio 3.* videatur etiam Azor. *part. 1. inſtit. mor. lib. 7. c. 29. dub. 11.*

Dubitatio XXIV.

XXVII. *An præcepto Eccleſiaſtico annuæ confeſſionis ſatisfiat, ſi quis in alio anni tempore, quàm in Paſchate confiteatur? Et quomodo computandus ſit annus obligans ad præceptum confeſſionis?*

Dico trigeſimoſeptimò, qui in Natiuitate Domini, aut in alio die, confitetur, ſatisfacit præcepto annuæ confeſſionis, nec poſtea tenetur ex vi iſtius præcepti in Quadrageſima, vel in Paſchate confiteri, cùm iam adimpleuerit præceptum; fieri tamen poteſt, vt alio titulo confiteri teneatur, vt ſi ſuſcepturus ſit Euchariſtiam, aduertens ſe conſcientiam habere lethalis culpæ. Nam *in cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* vbi habetur præceptum annuæ confeſſionis, tantùm dicitur, quòd confeſſio fiat ſemel in anno. Nugnus *loco nuperrimè adducto, dubio 4.* Henriquez *lib. 4 de pœnitent. cap. 4 num. 1.*

Dico trigeſimooctauò, annus in quo ſemel ex præcepto Eccleſiaſtico facienda eſt confeſſio, iuxta determinationem Eccleſiæ computandus eſt ab vno Paſchate ad ſequens Paſcha; nam quamuis annus profanus incipiat à prima die Ianuarij, attamen annus præfixus ad iſtius præcepti obſeruationem ex communi vſu, & praxi, videtur inchoandus ab vno Paſchate ad ſequens Paſcha, ſeu ab vna Quadrageſima ad aliam Quadrageſimam. Videatur D. Antoninus *3. part. tit. 14. cap. 29. §. 3.* Azor. *1. part. inſtit. mor. lib. 7. cap. 18. dub. 6.* quamuis alij aſſerant annum in prædicto decreto *cap. omnis vtriuſque ſexus*, eſſe computandum ab eo tempore, in quo quis ſemel eſt confeſſus: vnde ſi aliquis eſt confeſſus hoc anno prima die menſis Aprilis, annus computatur ab ea die vſque ad primam diem menſis Aprilis anni proximi ſequentis, & ſic quo die anni quiſque ſemel confiteri cœperit, toto deinde ſuæ vitæ tempore debet ſemel confiteri intra annum à die qua confiteri cœpit. Ita Sotus *in 4. diſt. 18. q. 1. art. 4. concl. 1.* Nugnus *loco adducto dubio 4.*

Dubitatio XXV.

XXVIII. *An qui in præſenti anno non eſt confeſſus, nec communicauit, teneatur quamprimùm anno ſequenti confiteri, vel communicare?*

Dico trigeſimononò, qui non eſt confeſſus anno præterito, tenetur hoc anno quamprimum confiteri, ex præcepto annuæ confeſſionis; quia annus non

præfigitur

præfigitur ad finiendam, ſed ad ſollicitandam adimpletionem præcepti confeſſionis: tum, quia hoc præceptum non eſt purè Eccleſiaſticum, & humanum, ſed determinat præceptum diuinum, quod quidem tranſacto anno magis obligat, ſi quidem tunc maior eſt neceſſitas; ergo tenebitur homo ſi non eſt confeſſus, &c. Victoria *in ſumma num.* 137. *& num* 147. Sotus nuperrimè relatus §. *Grauior tamen.* quamuis Syl. *verb. Euchariſtia* 3. *quæſt.* 15. *num.* 17. §. *Tertium, qui noluit*, oppoſitum tenuerit.

Dico quadrageſimò, idem dicendum eſt de eo, qui non communicauit in Paſchate, quòd ſcilicet teneatur elapſo tempore Paſchatis, quamprimum commodè poteſt, eodem anno communicare, propter eandem rationem; quia præceptum hoc communicandi ſemel in anno in Paſchate non tantùm eſt Eccleſiaſticum, ſed etiam eſt determinatio, & explicatio diuini præcepti; ſed diuinum præceptum non habet illud tempus determinatum, vt tranſacto tempore Paſchatis non obliget. ergo, &c. Tum, quia nimis mihi videtur probabile, quòd Eccleſia imponendo hoc præceptum, ſimul voluerit determinare, & explicare, quòd etiam ad hoc obliget ipſum diuinum præceptum ſecundùm ſe. Ita benè obſeruauit Nugnus *tom.* 1. *in* 3. *part. q.* 80. *art.* 11. *difficultate* 2. §. *Nihilominus.* quamnis Syl. & Sotus *locis citatis*, tenuerint partem negatiuam, & alij multi videndi apud Henriquez *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 1. *litt. G.*

Dvbitatio XXVI.

XXIX. ***Quomodo circumſtantia, vel conditio temporis appoſita alicui præcepto obliget?***

Dico quadrageſimoprimò, dupliciter præcipi poteſt aliquid faciendum tali tempore. Primò ob circumſtantiam, & conditionem, ſeu honorem talis temporis. Secundò abſolutè, & ſimpliciter, non ſpectata circumſtantia, & conditione temporis, ſed ne diutiùs differatur: quæ præcipiuntur primo modo, elapſo tempore determinato ceſſat eorum obligatio, & ſic obligatio diuini Officij ſingulis diebus recitandi, obligatio de Sacro audiendo diebus feſtiuis, obligatio ieiunandi in vigilia talis Sancti, &c. ceſſat elapſo tempore determinato: quia tales obligationes præcipiuntur tali die, & tempore, ob circumſtantiam determinati temporis, in honorem videlicet talis Sancti, vel talis diei: quæ verò præcipiuntur ſecundo modo, id eſt, abſolutè, & ſimpliciter, non ſpectata propriè circumſtantia temporis, ſed potiùs, ne diutiùs exequutio differatur, elapſo tempore determinato non ceſſat eorum obligatio; quia terminus non fuit appoſitus ad finiendam obligationem, ſed ad ſollicitandam adimpletionem obligationis: ita in caſu noſtro præceptum confeſſionis, & communionis abſolutè & ſimpliciter cùm latum ſit non ſpectata propriè circumſtantia & conditione temporis, ſequitur adimplendum quamprimum elapſo termino: videatur D. Thom. *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 3. *art.* 1. *quæſtiuncula* 3. Azor. 1. *part. lib.* 7. *cap.* 28. *quæſ.* 8.

Dvbitatio XXVII.

XXX. ***An qui diſtulit confeſſionem anni præteriti vſque ad præſens, ſatisfaciat præcepto annuæ confeſſionis, ſemel confitendo?***

Dico quadrageſimoſecundò, qui diſtulit confeſſionem anni præteriti vſque ad præſentem annum, vnica confeſſione non ſatisfacit præcepto confeſſionis anni præteriti, & anni præſentis. Probatur à ſimili. nam qui tenetur ſingulis annis ſoluere nummum aureum, ſi anno præterito non ſoluit, non ſatisfacit ſuo muneri, & obligationi, ſi hoc anno vnum tantummodo nummum ſoluere intendat. ergo ſimiliter, qui anno præterito non eſt confeſſus, non ſatisfaciet vnica confeſſione, ſed ad duas tenebitur vt ſatisfaciat obligationi præteriti, & præſentis anni, modò vtroque anno habeat peccata mortalia neceſſariò ſubiicienda confeſſioni. Neque obſtat quòd vnico actu poſſumus aliquando duobus præceptis ſatisfacere. nam hoc habet verum quando præcepta non reſpiciunt plures actus per ſe faciendos: at in caſu noſtro requiruntur duæ confeſſiones diſtinctæ; vna debita pro anno præcedenti, & altera, quia etiam vrget neceſſitas confeſſionis pro anno præſenti: videatur Nugnus *tom.* 1. *in* 3. *part. quæſt.* 6. *art.* 5. *diffic.* 5. §. *Ex dictis ſequitur.*

Dico quadrageſimotertiò, eſt etiam probabilis oppoſita ſententia: nam vſu receptum videtur, vt qui multis annis præcedentibus non eſt confeſſus, vnicam in ſequentibus annis faciat confeſſionem. Videatur Bonacina *tract. de ſacramentis in genere*, *diſp.* 5. *q.* 5. *puncto* 4. *num.* 31. §. *Ad rationem.*

Dvbitatio XXVIII.

XXXI. ***An non confeſſus conſtitutus in periculo mortis, ſi euadat tale periculum, teneatur quamprimum confiteri?***

Dico quadrageſimoquartò, qui non eſt confeſſus in periculo mortis, cùm haberet conſcientiam peccati mortalis, non tenetur poſtea quamprimum confiteri: quia præceptum confeſſionis in articulo mortis obligat, vt occurratur periculo damnationis. ergo ſublato periculo mortis, cùm non adſit periculum damnationis, non tenebitur, qui euadit periculum mortis, quamprimum confiteri, ſi quando aderat periculum, non eſt confeſſus. Tum, quia ſicuti pauperi non tribuens eleemoſynam in extrema neceſſitate exiſtenti, non tenetur tranſacta neceſſitate tradere. ergo ſimiliter, &c. Tum, quia præceptum confitendi in mortis articulo latum videtur ob circumſtantiam, & conditionem talis temporis. ergo ſublato periculo imminentis damnationis non obligabit ſtatim, & quamprimum, &c. Henriquez verò tenet oppoſitum *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 5. Quia, inquit, magis obſtringit ius diuinum, quàm præceptum Eccleſiaſticum: ſed qui non obſeruat præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis, tenetur quamprimum elapſo termino confiteri; ergo, &c. Sed ad hanc rationem facilis eſt ſolutio ex rationibus allatis pro noſtra aſſertione.

Dvbitatio XXIX.

XXXII. ***An non faciens confeſſionem integram, ſatisfaciat præcepto Eccleſiaſtico?***

Dico quadrageſimoquintò, qui per obliuionem naturalem, vel aliam iuſtam cauſam in confeſſione prætermiſit aliquòd peccatum, cuius recordatur poſt ſumptionem Euchariſtiæ, aut poſt Paſcha, non tenetur ex vi præcepti annuæ confeſſionis, illud peccatum quamprimum confiteri, aut confiteri intra illum annum, ſi nondum annus ſit elapſus; quia iam ſatisfecit præcepto annuæ confeſſionis, cùm re ipſa ſemel in anno validè confeſſus eſt: ſi verò recordetur ante communionem alicuius peccati lethalis, per ſe loquendo, peccatum oblitum tenetur confiteri antequam ad communionem accedat; quia nullus poteſt

ad

ad Euchariſtiam accedere, niſi confeſſionem peccatorum mortalium, quorum habet conſcientiam, præmittat. Syl. *verb. Confeſſio 1. quæſt. 1. num. 2. §. Quintum addunt.*

Dico quadrageſimoſextò, qui facit confeſſionem imperfectam, puta non confitendo omnia ſua peccata mortalia ex malitia, aut ex ignorantia craſſa, aut ſine debito dolore, aut non obtenta abſolutione, non adimplet præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis; quia præceptum confeſſionis eſt præceptum diuinum, quod determinatum eſt ab Eccleſia ad tale tempus, vt patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 5.* ſed, qui facit confeſſionem imperfectam, non implet præceptum diuinum, cùm pœnitentes debeant ex Chriſti inſtitutione omnia ſua peccata perfectè poſt diligentem examinis inquiſitionem Confeſſario aperire. ergo qui confeſſionem facit imperfectam, non adimplet præceptum Eccleſiæ. Sotus *in 4. diſt. 18. q. 3. art. 3. concluſ. 3.*

DVBITATIO XXX.

XXXIII. *An faciens confeßionem informem, ſed validam, adimpleat præceptum annuæ confeßionis?*

Dico quadrageſimoſeptimò, faciens confeſſionem informem, ſed validam, ſatisfacit præcepto annuæ confeſſionis. quia Eccleſia præcipit ſumptionem ſacramenti Pœnitentiæ; ſed qui facit confeſſionem informem validam, recipit ſacramentum Pœnitentiæ, cùm recipiat verum, & validum ſacramentum. ergo faciens confeſſionem informem, ſatisfacit præcepto confeſſionis. nam præceptum Eccleſiæ obligat ad ſubſtantiam actus, non verò ad modum. Nugnus noſter *tom. 2. in 3. p. q. 6. art. 5. diffic. 6. §. Ex dictis.*

DVBITATIO XXXI.

XXXIV. *An qui communicat in peccato mortali, ſatisfaciat præcepto communionis in Paſchate? &, An lex præcipiens aliquem actum, præcipiat etiam ſubſtantiam, & modum illius?*

Dico quadrageſimooctauò, ſi quis manifeſtè vellet ſe communicare in peccato mortali, verè non adimplet præceptum annuæ communionis in Paſchate; quoniam hoc ſacramentum eſt cibus animæ, ſed non adimpletor præceptum naturale ſumendi cibum corporale, quando taliter ſumitur, quod non poteſt prodeſſe, ſed potiùs obeſſe. ergo ſimiliter non adimpletur præceptum ſumendi hoc ſacramentum, niſi ſumatur tanquam cibus qui prodeſſe poſſit animæ, cuius eſt cibus, & non obeſſe. hanc ſententiam tenet Durandus *in 2. diſt. 28. quæſt. 4.* Nugnus *tom. 1. in 3. part. quæſt. 80. art. 1. dub. vltimo, §. Oppoſita tamen,* contra Emanuel Sà *verb. Euchariſtia, num. 25.* licèt noſtram aſſertionem dicat eſſe probabilem. Pro maiori intelligentia huius aſſertionis,

Dico quadrageſimononò, lex præcipiens aliquem actum, tantùm præcipit ſubſtantiam illius, & non modum, ſi modus non ſit eſſentialis illi actui: vnde audiens in die feſto Sacrum extra gratiam, & ieiunans in Quadrageſima, quando præcepto Eccleſiaſtico ieiunare tenetur, etiamſi ſit in peccato mortali, ſatisfacit præcepto, Sacrum audiendi, & ieiunandi; quia exiſtere in gratia non eſt modus eſſentialis ſecundùm ſe adimplendi talia præcepta. Cæterùm lex præcipiens aliquem actum, requirit nedum adimpletionem ſubſtantiæ actus, ſed etiam modi, ſi modus ſit eſſentialis actui ſecundùm ſe. Probatur. nam, quia attentio eſt eſſentialis modus orationi, & formalis integritas eſt eſſentialis modus ſecundùm ſe confeſſioni, non ſatisfaceret penſu recitandi precarias horas, nec præcepto annuæ confeſſionis, ſi quis ſine attentione perſolueret diuinum Officiũ, & ſine integritate formali peccatorum confiteretur. ergo ſimiliter in caſu noſtro non ſatisfacit præcepto communionis annuæ in Paſchate, qui manifeſtè in peccato mortali exiſtens communicat, quia modus communicandi in gratia eſt eſſentialis, ſecũdùm ſe, actui ſumptionis Euchariſtiæ. nam præceptum ſuſcipiendi ſacramentum Communionis in Paſchate obligat ad confeſſionem illum, qui peccauit mortaliter. ergo obligat ad debitam diſpoſitionem, atque adeò non adimpletur ab illo, qui videt ſe eſſe manifeſtè in peccato lethali: videatur pro hac aſſertionẽ D. Thom. *1. 2. quæſt. 100. art. 9.* Nugnus nouiſſimè relatus.

DVBITATIO XXXII.

XXXV. *An non adimplens præceptum annuæ confeßionis toties peccet, quoties poſtea offert ſe occaſio confitendi, niſi confiteatur?*

Dico quinquageſimò, qui vno anno prætermiſit confeſſionem, non toties peccat mortaliter, quoties elapſo anno non confitetur oblata opportunitate: ſed tantùm manet ille obſtrictus eodem illo peccato, quod admiſit non confitendo intra annum, idque tandiu, quandiu elapſo anno confeſſionem differt. Probatur à ſimili. nam qui iurauit ingredi Religionem tali tempore determinato, ſi elapſo illo tempore non ingreditur Religionem, manet continuò in eodem peccato mortali, quod admiſit non ingrediendo Religionem tempore ſtatuto quoad vſque ingrediatur Religionem. ergo ſimiliter. Ita colligitur ex Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 9. de confeſſione, puncto 4. propè finem. §. Neque tamen idcircò,* contra Bonacinam *tom. 1. de Sacramentis, diſp. 5. q. 5. ſect. 2. punct. 4. n. 30.* aſſerente, quòd qui prætermiſit confeſſionem, toties peccat mortaliter, quoties elapſo anno non confitetur oblata opportunitate confitendi; quod videtur ſatis rigidum.

DVBITATIO XXXIII.

XXXVI. *An præuidens ſe non habiturum copiam Confeſſarij quando aderit præceptum, teneatur præuenire tempus confeßionis?*

Dico quinquageſimoprimò, qui præuidet fore, vt nõ ſit habiturus copiã Confeſſarij in articulo mortis, aut ſequenti tempore præſentis anni, tenetur præuenire confitendo antequam adueniat mortis articulus, vel antequam elabatur annus in quo tenetur confiteri. nam qui cognoſcit, quòd in fine diei non poteſt recitare Horas canonicas, tenetur recitare antea. ergo ſimiliter cùm iſte cognoſcat ſe non poſſe confiteri in fine anni, vel in articulo mortis, tenetur antea confiteri. Ita benè Syluester *Confeſſio 1. quæſt. 2.*

DVBITATIO XXXIV.

XXXVII. *An ſimiliter præuidens impedimentum ad recitandum Officium, teneatur præuenire eiuſdem recitationem?*

Dico quinquageſimoſecundò, qui verò præuidet, vt

vt veſperi nequeat recitare Veſpetas, aut Completorium ob febtim, aut grauem infirmitatem, ob impedimentum non voluntarium, non tenetur illas horas manè recitare: quia licèt totus dies ſignetur tanquam tempus omnium horarum illins diei, atque adeò ſi ſolùm attendamus ad ſubſtantiam pręcepti, poſſent omnes horæ manè recirari, tamen quantum ad conuenientiam, & vt deuotiùs, & meliùs adimpleatur præceptum, quædam horæ ſignanter ab Eccleſia manè recitandæ, quædam vetò veſpeti; ergo eſſet nimis rigoroſum obligare homines ad tecitandas omnes preces horarias manè, quando futurum impedimentum, quod præuidetur, eſt ratione alicuius infirmitatis: quòd ſi impedimentum præuiſum eſſet omnino voluntarium, etiamſi eſſet legitimum, & neceſſarium; teneretur tunc homo præuenite recitando manè omnes Horas canonicas: quia tunc impedimentum non recitandi eſſet omnino voluutarium. Ita bene obſeruauit Nugnus noſter *tom.2. in 3. part. quæſt. 6. art.5. difficult.7.§.Vnde ad argumentum*, Sotus, Manzias, quos citat, & ſequitur Henriquez *lib.4. de pœnitentia, cap.3. num.3.litt.E.in commento, cap.4.& num.7.* licèt Bonacina *tom.5.de Sacramentis, diſp.5. quæſt.5.lect.1.puncto 4.n.21. §.Reſpondeo,* fateatur non videre quare infirmitas potius tunc excuſet, quàm legitimum aliud impedimentum: ſed diſparitas mihi viderut ſufficienter aſſignata; quia infirmitas eſt impedimentum naturale, & inuoluntatium: aliud autem impedimentum aſſumptum eſt omninò voluntatium, ideo illa excuſat, hoc autem non ita.

Dvbitatio XXXV.

XXXVIII. *An præuidens Miſſam in die feſto, audire non poſſe, teneatur alio die audire?*

Dico quinquageſimotertiò, qui præuidet ſe ita impediendum in dic feſto, vt non puſſit Miſſam eo die audire, non tenetur in alio die non feſto anticipare adimpletionem huius præcepti. quia antè diem feſtum præceptum audiendi Sacrum non obligat; ſi verò in die feſto præuidet fore, vt non præueniat oppottunè ad Eccleſiam, ſciens, aut dubitans non eſſe celebrandum aliud Sacrum, vel ſciens, aut dubitans ſe non reſpecturum Miſſam, ſi eam differat vſque ad meridiem, manè tenetut præuenire, & oppottunè venire ad Eccleſiam, vt adimpleat præceptum audiendi Sactum. quia tunc extat ptæceptum, & manè non audiens, & non opportunè veniens ad Eccleſiam, exponit ſe periculo non adimplendi præceptum. Hentiquez *lib.4.de pœnitentia, c.3.n.3.litt.E.*

Dvbitatio XXXVI.

XXXIX. *An debitor debeat præuenire ſolutionem, dum cognoſcit poſt terminum præfixum impotentem ad ſoluendum fore?*

Dico quinquageſimoquartò, qui debet aliquid debitori ſoluere, ſi aduertat ſe non poſſe elapſo præfixo termino ſoluere, tenerut præuenire ſolutionem. Probatur à ſimili. nam, qui aduertit ſe præfixo termino non poſſe ſoluere creditoribus, quia profeſſurus eſt Religionem aliquam, tenetut ante præfixum terminom, antequam profeſſionem emittat, ſoluere quod debet ex bonis, quibus dum profitetur, eſt renunciaturus. Similiter ſi quis ob obligationem voti nondum obligantis timet probabiliter futurum impedimentum perpetuum, tenetur præueniendo tempus adimplere votum, pnta Religionem intrare, ſi vouit fieri Religioſum; quia voti impletio cùm ſit promiſſio acceptata à Deo, tranſit quaſi in vim contractus, & iuſtitiæ. ergo multo magis tenebitur debitot ſoluere, & præuenire ſolutionem ſi aduertat ſe non poſſe elapſo præfixo termino ſoluere. Videatur Henriquez *lib.4.de pœnitent.cap.4.num.7.*

Dvbitatio XXXVII.

XL. *An teneatur anticipare communionem, qui præuidet in Paſchate ſe impediendum à communione?*

Dico quinquageſimoquintò, ſi quis præuideat futurum, vt intra quindecim paſchales dies Euchariſtiam accipete non poſſit, debet præuenire tempus, & ad ſacram Communionem accedere, ſi ſimul cognoſcat ſe non poſſe communicare multis diebus poſt illud tempus determinatum ab Eccleſia. Probatur, quoniam aliàs hic ſe expuneret periculo violandi præceptum diuinum communicandi, ſiquidem illud non habet tempus determinatū, & obligat multoties in vita; ergo, qui aduertit per multum temporis ſe non poſſe communicare poſt illud tempus determinatum ab Eccleſia, ne ſe exponat periculo violandi præceptum diuinum, debet præuenite tempus, &c. Ita optimè obſeruauit Nugnus *tom. 1. in 3. part. quæſt. 80. art.11.dubio penultimo.§.Secundò dico.*

Dico quinquageſimoſextò, ſi iſte talis, de quo dicto dubio præcedenti aduertit, quòd, etſi non poſſit communicare in illis quindecim diebus, poterit tamen Euchariſtiam accipere poſt illud tempus determinatum, intra quindecim alios, vel 20. vel 30. ſequentes dies; non tenebitur anticipare communionem; quia cùm tempus præcepti diuini communicandi non ſit ita certò determinatum, nullum adeſt tunc periculum, quòd non adimpleatur, ſi tranſeant pauci illi dies poſt annum ſine communione: videatur idem Nugnus nouiſſimè adductus.

Dico quinquageſimoſeptimò, qui præuidet ſe ita impediendum in Paſchate, vt intra illos quindecim dies non poſſit communicare, vi præcepti Eccleſiaſtici non tenetur communionem anticipatè ſumere; qoia ante prædictum tempus præceptum Eccleſiaſticum communionis non obligat. Tum, quia nullus obligatur ad anticipandum actum præceptum, niſi per talem actum poſſit ſatisfacere obligationi præcepti; ſed tunc communione anticipata non implet quis obligationem huius præcepti Eccleſiaſtici. ergo, ex vi eius ad hoc non obligatur. Maior eſt clara, quia lex non obligat, niſi vt impleatur. Minor probatur, nam ſi quis in eo caſu anticipaſſet communionem, & poſtea paſchali tempore non occurriſſet impedimentum, quod timebat, teneretur illo tempore communicare, quia hoc præcipit lex, & tunc impleri poteſt, cùm factum non ſit. ergo, &c. Hæc aſſertio clarè colligitur ex his, quæ docet Nugnus nupertimè relatus *in fine illius dubij*, & eam docet apertè Suarez *tom.3.in 3.p.diſp.70. ſect.2. dub.3.*

Dico quinquageſimooctauò, vi præcepti Eccleſiaſtici tenetur in Hebdomada ſancta communicare, qui aduertit ſe non poſſe ſequentibus diebus communionē accipere, ob ſuperuentura impedimenta; quia cùm tunc temporis præceptum Eccleſiaſticum obliget ad communionem, & poteſt fidelis illud adimplere, omnino tenebitur ea Hebdomada adimplere communicando. Ita benè Bonacina *tom.1. tract.de Sacramentis in genere, diſp.4.q.7.puncto 2.num.15.*

Dvbi

Dubitatio XXXVIII.

XLI. *An qui commiſit aliquod peccatum de nouo poſt confeſſionem & communionem annualem, nondum elapſo anno, in quo communicauit, & confeſſus eſt, teneatur illud peccatum, infra illum annum confiteri?*

Dico quinquageſimononò, qui poſt confeſſionem, & communionem commiſit aliquod peccatum mortale nondum elapſo anno in quo priùs confeſſus eſt, tenetur illud peccatum confiteri, vt ſatisfaciat præcepto annuæ confeſſionis, quo præcipitur omnia peccata mortalia confiteri. Hoc aſſertum non pugnat contra aſſertionem 45. huius dubij. nam ibi loquuti ſumus de peccatis naturaliter obliuis in confeſſione, hîc autem ſermo eſt de peccatis mortalibus poſt confeſſionem commiſſis, nondum elapſo anno, in quo quis priùs confeſſus eſt. Probatur modò hæc concluſio. nam Eccleſia vi ſui præcepti Eccleſiaſtici annuæ confeſſionis omnia peccata mortalia intra annum Eccleſiaſticum commiſſa,& nondum remiſſa per Pœnitentiæ ſacramentum,neque directè,neque indirectè obligat fideles confiteri intra ipſum annum ſaltem in fine illius;ergo.Sic Henriq. *lib.4.de pœnit.cap.4. n.2.*Suar.*tom.4.in 3.p.diſp.36.ſect.3.n.9.& ſect.4.ſequenti,num.7.*licèt oppoſitum, vt probabile,tenuerit Bonacina nuper allatus *num.33.*

Dubitatio XXXIX.

XLII. *An faciens inualidam confeſſionem incurrat cenſuras,contra non adimplentes præceptum annualis confeſſionis, ſi quæ feruntur?*

Dico ſexageſimò,qui non facit confeſſionem perfectam,voluntariè prætermittens aliquod peccatū mortale ſine cauſa,aut debito,carens dolore incurrit cenſuras, ſi quæ infligerentur contra eos, qui non ſunt confeſſi,quia cenſetur contumax contra Eccleſiá,cùm non adimpleat præceptum,ob cuius violationē impoſita eſt cenſura:tum,quia ſi Eccleſia præciperet Sacerdoti ſub pœna excommunicationis ipſo facto, vt aliquem baptizaret conferendo ſacramentum, etiamſi exteriùs faceret neceſſaria ſine intentione baptizandi, incurreret pœnam excōmunicationis, ſæpe enim Eccleſia punit exteriorem actionem propter interiorem defectum, quatenus malitia redundat in exteriorem actū.ergo,etiamſi homo exteriùs integrè confiteatur, & abſoluatur, ſi non habet internum debitum dolorem, non adimplet præceptum annuæ confeſſionis, etſi ſit præceptum ſub pœna excommunicationis,ipſo facto contra tranſgreſſores præcepti Eccleſiaſtici ſemel in anno confitendi, incurret excommunicationem.Ita bene Nugnus *tom.2.in 3.p.q.6.a.6. diffic.vltim.* Suarez *loc cit.ſect.8.n.4.*Henriquez tamen negat *lib. 4. de ſacramento Pœnitentiæ, cap.5.num.1.* quia, inquit,Eccleſia eos,qui ſic obedire incipiunt,non intendit duro excommunicationis gladio ferire. Sed quod diximus eſt verius.

Dubitatio LX.

XLIII. *An qui confitetur, & non communicatur, vel econtra; ſi contra non confitentes & non communicantes in anno,lata ſit cenſura,incidat in illam?*

Dico ſexageſimoprimò, ad incurrendam pœnam iuris, vel cenſuras per edicta Epiſcoporum poſitas contra tranſgreſſores præcepti annuæ confeſſionis, & communionis ſemel in anno in Paſchate, ſatis eſt confeſſionem, aut communionem emiſiſſe; quia de vtroque ſacramento agit *cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnitentijs,& remiſſionibus*; & regulariter edicta Epiſcoporum.Nugnus *loco* nuper *adducto, §.Tertiò iſta pœna,*Henriquez relatus *num.1.ad finem*,contra Medinam *C.de confeſſione q.5.*aſſerentem pœnam *c.omnis*,non imponi contra omittentes confeſſionem, ſed communionem.

Dico ſexageſimoſecundò,licèt pœna iuris communis *c.omnis vtriuſque ſexus*, non incurratur ipſo factoà violantibus hoc præceptum, vt diximus *aſſertione 33.* ſed per particulares iudices eſt imponenda; quia non latæ,ſed ferendæ ſententiæ: regulariter tamen in Eccleſiis particularibus eſt poſita pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda ante iudicis condemnationem.quid,ſi non conſtet,verum ſit,vel non ſit poſita talis excommunicatio?Reſpondetur eſſe præſupponendum quòd ſit poſita; quia hoc eſt ita regulare,vt oppoſitum cenſeatur omnino per accidens,moraliter loquendo,ſolùm enim ex obliuione contingere ſolet. Videatur Nugnus *difficultate illa vltima cit. q. 6. art.6. in 3.part.tom.2.*

XLIV. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur,& explicatur*

Dubitatio XLI.

An ad adimplendum præceptum annuæ confeſſionis ſufficiat contritio vbi non adeſt copia Confeſſoris?

Ad rationem à principio poſitam,quæ militat contra multas aſſertiones in hoc dubio poſitas,reſpondetur quòd neceſſitas confeſſionis in lege Euangelica potius iuuat ad iuſtificationem,quàm illam arctet, & difficiliorem reddat, ſiquidem per ſacramentum Pœnitentiæ, ex opere operato vi ſacramenti fit homo ex attrito contritus; vnde argumentum factum nihil concludit.

Ad confirmationem reſpondetur negando antecedens. nam ſuppoſita Chriſti Domini inſtitutione, & ordinatione in lege Euangelica non datur vera contritio ſine ordine ad confeſſionem: vnde ſi adeſt copia Confeſſoris,non adimplet quis præceptum annuæ confeſſionis,etiamſi haberet ſummam contritionem ſuorum peccatorum. quòd ſi fidelis degens in partibus infidelium Miniſtrum Pœnitentiæ ſacramenti non haberet, vtique per contritionem, ſi exiſteret in peccato mortali, iuſtificaretur, in ipſa tamen contritione includeretur ordo ad confeſſionem, vnde poſtea nactus copiam Confeſſoris, teneretur ſua peccata legitimo Confeſſario exponere, vt præceptum annuæ confeſſionis adimpleret.

Articulus XXIX.

An ſummus Pontifex poſſit cum aliquo diſpenſare, vt ſemel in anno non confiteatur? &,An aliquæ cauſæ aſſignari poſſint, quibus excuſentur fideles à confeſſione annuali?

SVMMARIVM.

1. *Vtraque pars dubij negatiuè probatur.*
2. *Explicatur quotuplex ſit ius diuinum naturale.*

3. An

3. *An ſummus Pontifex diſpenſans in his, quæ ſunt de iure diuino, propriè dicatur diſpenſare.*
4. *An ſummus Pontifex poſſit diſpenſare de auriculari confeſſione.*
5. *Explicatur magis, An ſummus Pontifex poſſit diſpenſare in his, quæ ſunt de iure diuino.*
6. *Prima pars tituli dubitationis reſoluitur.*
7. *An poſſit dari caſus, in quo ſummus Pontifex poſſit declarare, præceptum diuinum confeſſionis non obligare.*
8. *Secunda pars tituli dubitationis reſoluitur, & explicatur, An habens peccata ſolùm venialia, teneatur implere præceptum annuæ confeſſionis.*
9. *An ſummus Pontifex poſſit præcipere confeſſionem venialium.*
10. *An Monachi, qui ex præcepto ſpeciali, quolibet menſe confiteri tenentur, teneantur ad confeſſionem venialium, ſi non habeant mortalia.*
11. *An impotens, nedum moraliter, ſed etiam phyſicè, ad confeſſionem, excuſetur à præcepto annuæ confeſſionis? & , An teneatur per interpretem confiteri, ſi ſit in articulo, vel periculo mortis.*
12. *An qui tantùm per ſcripturam poteſt confiteri, teneatur ſic confiteri.*
13. *An habens lubricam memoriam, teneatur peccata ſua ſcribere, vt ſuo tempore confiteatur integrè.*
14. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur, & probatur quòd vt ſummus Pontifex poſſit diſpenſare in præcepto annuæ confeſſionis, ſufficere non conſtare euidenter, tale præceptum eſſe de iure diuino.*
15. *Explicatur neceſſitas ſacramenti Confeſſionis.*

I. *Vtraque pars dubij negatiuè probatur.*

PArs negatiua quoad primam partem probatur. Prçceptum confeſſionis annualis eſt determinatio præcepti diuini, & explicatio illius, itaut probabiliter credatur, quòd teneatur homo præcepto diuino confiteri ſemel in anno; ſed ſummus Pontifex non poteſt in his, quæ ſunt de iure diuino, diſpenſare, inferior enim non diſpenſat in his, quæ ſunt præcepta à Superiore. ergo ſummus Pontifex non poterit cum aliquo diſpenſare, vt ſemel in anno nõ confiteatur, cùm ad hoc prçcepto diuino teneamur. Quoad ſecundam partem pars negatiua probatur; quia pœnitentia, cujus pars eſt confeſſio, eſt ſacramentum neceſſitatis, ſicut Baptiſmus: ſed nulla cauſa poteſt aſſignari excuſans nos à ſuſceptione Baptiſmi ſi ſalutem aſſequi velimus, iuxta illud Chriſti Domini Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* ergo nulla cauſa poterit aſſignari excuſans fideles à confeſſione, ſi Regnum Dei poſſidere voluerint.

DVBITATIO I.

II. *Quotuplex ſit ius diuinum naturale?*

Dico primò, duplex eſſe ius diuinum naturale, aliud abſolutum, vt de non fornicando, non mentiendo, & in hoc nullo modo poteſt ſummus Pontifex diſpenſare, quia nullus excogitari poteſt caſus in quo ſit rationabilis cauſa diſpenſandi. Aliud verò eſt ius diuinum naturale fundatum in actu, vel contractu humano, & in hoc poteſt ſummus Pontifex aliquando diſpenſare; quia ad regimen, & bonam animarum gubernationem aliquando conducit diſpenſatio in his, quæ ſunt de iure diuino naturali, in quibus admiſcetur aliquid obligationis humanæ, non enim credibile videtur ſummam, & infinitam Dei prouidentiam priuare homines remedio ad ſalutem animarum adeò conducente: tum, quia experientia docet concedi diſpenſationem à Romano Pontifice in voto, & iuramento, quæ ſunt adimplenda ex obligatione iuris naturæ, & diuini. Videatur D. Thom. 2. 2. q 88. *art.* 10. *ad* 1.

DVBITATIO II.

III. *An ſummus Pontifex diſpenſans in his, quæ ſunt de iure diuino, propriè diſpenſare dicatur?*

Dico ſecundò, ſummus Pontifex dum diſpenſat in voto & iuramento, in matrimonio rato, & non conſummato, vel in aliis, quæ ſunt de iure diuino naturali, non propriè dicitur in his diſpenſare: quia inferior nequit legẽ Superioris tollere. Clem. *ne Romani, de elect. & cap. Inferior, diſt.* 21. Tum, quia diuina voluntas, à qua lex diuina naturalis proficiſcitur, eſt prorſus immotabilis. ergo in illam minimè cadere poteſt immutatio, & diſpenſatio: tum, quia diſpenſare propriè cum aliquo in iure diuino eſt remouere ab aliquo iuris diuini obligationem; ſed hoc eſt dumtaxat eius, qui præceptum dedit. ergo cùm ſummus Pontifex ius diuinum naturale non condiderit, non poteſt propriè cum aliquo in illo diſpenſare. Videatur D. Th. *loc. cit.* Soto *lib. 7. de iuſtitia, & iure, quæſt. 4. art.* 1. Valent. *tom.* 3. *diſp. 10. quæſt. 13. de ſtatu Epiſcoporum, punct. 5. fine.* §. *Reſpondeo eodem argumento.*

Dico tertiò, ſummus Pontifex impropriè poteſt diſpenſare in his, quæ ſunt de iure diuino, puta in voto, iuramento, & in matrimonio rato, declarando ſcilicet aliquem non teneri in hoc, vel illo caſu ſeruare votum, vel iuramentum, cauſa legitima ſuppetente; vel diuinam voluntatem non eſſe, vt quis præcepto, iuramento, vel voto in tali, vel tali caſu aſtringatur: nam ſummus Pontifex in Eccleſia ſummam habet auctoritatem ad interpretandum diuinum ius; ergo poteſt talibus circumſtantiis occurrentibus declarare aliquem non teneri voto, vel iuramento à ſe nuncupato: & hoc eſt diſpenſare impropriè in his, quæ ſunt de iure diuino in voto, & iuramento, declarare ſcilicet, & interpretari tale ius diuinum occurrentibus talibus circumſtantiis non obligare. Ita bene colligitur ex D. Th. Soto, Valent. *loc. cit.* & ex Suarez *tom.* 3. *in 3. part. diſp. 43. ſect. 4.* §. *Tertia ſententia eſſe poteſt.*

DVBITATIO III.

IV. *An ſummus Pontifex poſſit diſpenſare de ſacramentali confeſſione?*

Dico quartò, ſummus Pontifex non poteſt diſpenſare vt aliquis ſaluetur ſine confeſſione ſecundùm quod obligat ex vi ſacramenti, id eſt, ex inſtitutione diuina, qua ſacramentum Pœnitentiæ inſtitutum eſt. nam ſacramentum Pœnitentiæ, cuius pars eſt confeſſio, eſt ſacramentum neceſſitatis, ſicut Baptiſmus, vt docet D. Thom. 3. *part. in additionibus, quæſt. 6. art. 6.* Sed in Baptiſmo nullus diſpenſare poteſt. ergo neque etiam in confeſſione aliquis diſpenſare poterit, nec propriè, nec impropriè, cùm nullus excogitari poſſit caſus, in quo ſit rationabilis cauſa diſpenſandi in confeſſione, quatenus obligat ex vi ſacramenti, & ita hanc concluſionem docet S. Thomas *loco citato.*

DVBITATIO IV.

V. *An ſummus Pontifex poſſit diſpenſare in his, quæ ſunt de iure diuino?*

Dico quintò, magis explicans aſſertum primum, & ſequentia, ea, quæ ſunt iuris diuini, ſunt in duplici differentia: quædam ſunt, quæ non ponuntur

in exequutione, neque obligant niſi medio aliquo actu noſtro, à quo ſemper dependent in indiuiduo. huiuſmodi ſunt votum, iuramentum, matrimonium ratum, & in his poteſt ſummus Pontifex diſpenſare impropriè, vt diximus; quia ex ea parte, qua dependent à noſtra voluntate, ſunt ei inferiora. Tum, quia licèt in communi ſit lex diuina naturalis, vt quilibet homo ſeruet votum, nunquam tamen in indiuiduo tenetur aliquod votum ſeruare, niſi ipſe priùs omittat illud. ergo ſuper hæc, quæ ita ſunt iuris diuini, vt dependeant à noſtra voluntate, poterit ſummus Pontifex impropriè ſaltem diſpenſare, quia vt ſic ſunt ei inferiora: alia verò ſunt iuris diuini, quæ obligant ſine dependentia ab aliquo actu noſtro, & in his non poteſt ſummus Pontifex diſpenſare, & huiuſmodi eſt præceptum confeſſionis, quatenus obligat ex vi ſacramenti ex inſtitutione diuina; quia cùm hæc nullo modo dependeant ab actu noſtro, nullo modo ſunt Romano Pontifice inferiora, ſunt enim purè iuris diuini, quod ſuperius eſt ad ſummum Pontificem. Videatur pro hac aſſertione S. Doctor *loco citato, in prima aſſertione, & 2.2. quæſt.89.art.9.ad* 1.

VI. *Prima pars tituli dubitationis reſoluitur.*

Dico ſextò, poteſt tamen ſummus Pontifex diſpenſare in præcepto Eccleſiaſtico annuæ confeſſionis, vt ſcilicet plus differatur, quàm eſt inſtitutum ab ipſa Eccleſia. quia præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis non ita eſt determinatio præcepti diuini, & explicatio illius, vt euidenter conſtet eſſe de iure diuino. ergo cùm ex alia parte conſtet euidenter eſſe de iure Eccleſiaſtico, poterit ſummus Pontifex in illo diſpenſare. Ita ſanctiſſimus Præceptor *3. part. in addit. quæſt. 6. art. 6. in corpore.*

Dubitatio V.

VII. *An poſſit dari caſus in quo Sum. Pontifex poſſit declarare, præceptum diuinum confeſſionis non obligare?*

Dico ſeptimò, quamuis ſummus Pontifex abſolutè non poſſit diſpenſare cum aliquo in præcepto diuino confeſſionis, vt dixi *aſſertione* 4. & 5. probabiliter etiam dici poteſt, ſignari poſſe aliquem caſum, in quo Rom. Pontifex tale ius diuinum interpretari, & declarare poterit, & non obligare ſtantibus talibus circumſtantiis: nam contingere poteſt, vt aliquis vir prudens, & doctus, zelo fidei feruens, ſit in aliquo Regno neceſſarios ad totius Regni conuerſionem, in quo tamen per multos annos non poſſit confiteri ex inopia alterius Sacerdotis, tunc in iſto caſu videtur poſſe ſummum Pontifex declarare, & interpretari diuinum præceptum confeſſionis non obligare, quia bonum vniuerſale totius Regni præponderat bono particulari vnius.

Dico octauò, ſi vir iſte, de quo præcedenti aſſertione, aliquando ex fragilitate lethaliter deliquerit, ſi cognoſcat in ſeipſo magna contritionis ſigna, & non ſentiat periculum iterum lethaliter peccandi, poterit ſic celebrare, & iuſtificatur ſuppoſita attritione prudenter exiſtimata contritione. Nam qui accedit ad ſacramentum Eucharistiæ, credens ſe in gratia exiſtere, cùm verè ſit in peccato mortali, ſi habet actum attritionis, primam gratiam recipit, & iuſtificatur. ergo celebrans in neceſſitate, prudenter putans ſe habere contritionem, cùm re vera ſit ſolùm attritio, non habens copiam Confeſſoris, recipiet primam gratiam, & iuſtificabitur: ſi verò vir, de quo ſuprà, non cognoſcit in ſe ſigna magnæ contritionis, vel ſentit periculum, iterum & ſæpe peccandi lethaliter, non poteſt ſic manere non obſeruando per multos annos diuinum præceptum confeſſionis; nec ſummus Pontifex poſſet tunc præceptum diuinum interpretari, & declarare non obligare, quia magis tenetur tunc ille proſpicere proprio bono ſpirituali, quàm bono ſpirituali totius Regni, nec ſummus Pontifex vti poteſt ſua auctoritate, & facultate cum diſpendio damnationis æternæ alterius. Ita optimè notauit Magiſter Nugnus *tom.2.in 3.part. quæſt 6. articulo 6. in expoſitione articuli, § ad primum argumentum.*

VIII. *Secunda pars tituli dubitationis reſoluitur, & explicatur*

Dubitatio VI.

An habens peccata ſolùm venialia teneatur implere præceptum annuæ confeſſionis?

Dico nonò, pœnitens habens peccata mortalia, & venialia, tenetur confiteri vi præcepti annuæ confeſſionis peccata venialia, tacitis mortalibus, ex quorum manifeſtatione probabiliter timet graue periculum infamiæ, vel grauis nocumenti, ſibi, vel aliis extra confeſſionem. Probatur. nam ſi iſte non confiteatur, negabitur ei Euchariſtia in Paſchate, & excommunicabitur. ergo tenetur confiteri venialia, vt adimpleat præceptum tacitis mortalibus, ex quibus timet ſibi, vel aliis graue periculum ne excommunicetur, vel interdicatur, &c. Nugnus *loc. citato difficul.* 1. *§. ſed tamen oppoſita.*

Dico decimò, habens ſolùm peccata venialia excuſatur à præcepto annuæ confeſſionis; quia habens peccata ſolummodo venialia, non tenetur confiteri ex præcepto diuino. ergo, neque etiam tenetur ex præcepto Eccleſiaſtico, cùm Eccleſia non imponat præceptum confitendi, ſed determinat tempus adimplendi præceptum diuinum; deberet tamen hic habens ſola venialia coram proprio Sacerdote comparere tempore Paſchatis, vt euitet ſcandalum, & non excommunicetur, vel interdicatur. Nam qui confeſſionis atteſtationem deferunt, ſolent ab Eccleſia excommunicari, vel non interdici, & ita hanc aſſertionem docet Caietanus *quæſt.* 2. *de confeſſione.* Nugnus *tomo* 2. *in* 3. *part. quæſt.* 6. *art.* 3. *dub.* 2. Azor. *lib.*7. *part.* 1. *inſtit. moral. cap.* 28. *dub.* 3. Neque hoc aſſertum decimum pugnat cum præcedenti: nam licèt homo ſecundùm probabiliorem ſententiam non teneatur ſemel in anno confiteri quando tantùm habet ſola venialia, ſiquidem non tenetur confiteri niſi de mortalibus; tamen ille, de quo loquuti ſumus *aſſertione* 9. cùm ſit extra gratiam, in peccato mortali magis eget confeſſione, quàm alius, qui ſola habet venialia, atque adeò quaſi per accidens obligatur ad confitenda venialia, vt ab iſtis directè abſoluatur, & de mortalibus, quæ non poteſt confiteri ob graue illud periculum infamiæ, & grauis incommodi: conſequenter, & indirectè conſequatur remiſſionem, vt ſic dignè præceptum communionis in Paſchate adimplere valeat.

Dubitatio VII.

IX. *An ſummus Pontifex poſſit præcipere confeſſionem venialium?*

Dico vndecimò, poteſt Eccleſia, ſiue Romanus Pontifex præcipere, vt qui ſolis venialibus peccatis tenentur, ea confiteri certis temporibus debeant. Nam quiſque poteſt voto promittere ſe venialia confeſſurum peccata, etiamſi nulla ſit lethalis peccati labe pollutus. ergo Eccleſia poterit dare præceptum de eo, quod vouere quis poteſt: tum, quia venialium confeſſio delictorum eſt opus & officium virtutis, eſt enim actus Religionis vtilis, & ſalutaris ſacramenti vſus. ergo poterit Eccleſia id officij aliquando præcipere. Sylu. *Confeſſio* 1. *quæſt.* 13. Caiet. *in opuſc. tom.* 1. *tract.* 5. *quæſt.* 1. quamuis alij oppoſitum tenuerint, videndi apud Azor. *loc. cit. dub.* 4.

Dubitatio VIII.

X. *An Monachi, qui ex præcepto ſpeciali quolibet menſe confiteri tenentur, teneantur ad confeſſionem venialium, niſi habeant mortalia?*

Dico duodecimò, Monachi tum atro, tum candido amictus genere vtentes, debent confeſſionem etiam venialium facere vnoquoque menſe: nam in *Clem. ne in agro Dominico*, §. *ſanè, de ſtatu Monachorum*, ſimpliciter, & abſolutè præcipitur, vt Monachi ſingulis menſibus confiteri teneantur: at vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. at in Clement. illa non diſtinguitur de peccatis venialibus, aut mortalibus. ergo, &c. & ſic Monachi in aliquo menſe abſque vlla cauſa legitima venialium confeſſionem omittentes, lethalem culpam incurrunt. Ita Caiet. *loco nupertimè adducto*. Oppoſitum tamen tenuit Sotus quoad vtramque partem, cùm inquit: Peccata venialia non ſint materia neceſſaria confeſſionis, nec venialium. Confeſſio videtur tes tanti ponderis, & momenti, vt illius omiſſio ſit culpa lethalis. Videatur Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 1. *art.* 3. §. *Neutiquam tamen.*

Dubitatio IX.

XI. *An impotens, nedum moraliter, ſed etiam phyſicè ad confeſſionem excuſetur à præcepto annua confeſſionis? & An teneatur per interpretem confiteri, ſi ſit in articulo, vel periculo mortis?*

Dico decimotertiò, excuſatur homo ab adimpletione huius præcepti annuæ confeſſionis, non tantùm ob impotentiam phyſicam, & abſolutam, ſed etiam ob impotentiam moralem, & difficultatem extraordinariam: vt ſi quis non haberet copiam Confeſſoris, niſi longum iter arriperet. Quanta verò debeat eſſe iſta difficultas, arbitrio prudentis iudicandum eſt: quia nec piiſſimus Chriſtus Dominus, nec Eccleſia ſuo præcepto obligat fideles cum tali graui incommodo morali impotentia, & difficultate extraordinaria. Nugnus *tom.* 2. *in additionibus ad* 3. *part. quæſt.* 6. *art.* 6. in expoſitione articuli, *verſic. Agendum eſt etiam.* Henriquez *lib.* 4. *de pœnitentia, cap.* 4. *num.* 4.

Dico decimoquartò, excuſatur à præcepto annuæ confeſſionis, qui non poteſt ſua peccata confiteri ſub ſecreto ſigilli confeſſionis, vt ſi Confeſſarius vitio ſurditatis laboret, aut pœnitens in naui cum aliis exiſtens peccata ſua nequeat explicare, niſi ab aliis audiatur. Similiter, qui non poteſt niſi per interpretem confiteri, excuſatur ab iſto præcepto, etiamſi nullum aliud malum timeat: quia talis confeſſio non eſſet ſecreta, ſimpliciter loquendo; ſed nullus tenetur ad confeſſionem publicam, vt dicitur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *de pœnitentia, cap.* 5. ergo, &c. Poteſt tamen quis in tali caſu ſic confiteri, ſi velit, ex præcepto tamen Eccleſiaſtico non tenetur. Caiet. *in ſumm. verb. Confeſſ.* 9. Sotus *in* 4 *diſt.* 14. *q.* 2. *art.* 6. *concl.* 2.

Dico decimoquintò, non ſolùm præceptum Eccleſiaſticum excuſat, & non obligat pœnitentes ad confitenda peccata publicè, vel per interpretem. quia eſt res difficillima, ad quam Eccleſia vel non poteſt, vel non vult obligare, vt homò ſcilicet ſuas cogitationes extra confeſſionem manifeſtet; ſed nec etiam præceptum diuinum aſtringit fideles ad faciendam iſtam confeſſionem, extra periculum & articulum mortis: quia iure diuino non obligantur fideles ad confeſſionem publicam, vt patet ex *c. omnis vtriuſque ſexus*, & ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14 *cap.* 5. ſed confeſſio, quæ fit aliis audientibus, vel per interpretem, non eſt ſecreta, ſed potiùs publica, quatenus contrà diſtinguitur à ſecreta. ergo extra periculum, & articulum mortis non tenentur fideles, &c. Sotus *loc. cit. verſ. Legem naturæ.*

Dico decimoſextò, iure diuino homo conſtitutus in articulo, ſeu periculo mortis, ſi nequit obtinere abſolutionem à peccatis, niſi publicè, vel per interpretem confiteatur, ſi non poteſt actum contritionis elicere, aut dubitat de ſua contritione, tenetur publicè, vel per interpretem confiteri, ſaltem ea, quæ cum minore infamia poteſt explicare: quòd ſi omnia mortalia, quæ habet, ſint notabilis infamiæ, poterit in tali caſu confiteri de ſolis venialibus: quia homo tunc tenetur quantum poteſt adhibere media ad ſalutem propriam neceſſaria, & cauere debet ne ſe periculo damnationis æternæ exponat; ſed non adhiberet media ad ſalutem propriam in iſto caſu, ſi non confiteretur peccata ſaltem ea, quæ cum minore infamia poteſt explicare, vel ſaltem venialia, ſi omnia mortalia eſſent notabilis infamiæ. ergo, &c. Videatur Syl. *verb. Confeſſ.* 1. *q.* 15. Nugnos *tom.* 2. *in* 3. *part. q.* 6. *art.* 6. *difficult.* 2. hos ſequitur Bonacina *tom.* 1. *tract. de Sacram. diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 2. *punct. vlt. num.* 5.

Dubitatio X.

XII. *An qui tantùm per ſcripturam poteſt confiteri, teneatur ſic confiteri?*

Dico decimoſeptimò, excuſatur homo à præcepto annuæ confeſſionis, ſi non poteſt aliter confiteri, quàm per ſcripturam, vt ſi pœnitens careat lingua, vel Confeſſarius ſit ſurdus, aut pœnitens non poſſit nutibus, aut alia via, quàm per ſcripturam explicare peccata ſua; ſi commodè, & ſine periculo non poteſt confiteri per ſcripturam, vt ſi timeret probabiliter ſcripturam illam perdere ex incuria, aut quòd Sacerdos è manu pœnitentis illam ſurripiat, & aliis oſtendat: quia nemo tenetur ad confeſſionem cum ſuo graui incommodo, & cum periculo, vt peccata ab aliis cognoſcantur. Ita benè Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 6. §. *His autem poſtrema adhibetur.*

Dico decimooctauò, ſi verò pœnitens commodè, & ſine periculo poteſt per ſcripturam confiteri coram Sacerdote, tenetur per ſcripturam confiteri

quoties inſtat præceptum confitendi, poteſt enim ſcribere ſua peccata coram Sacerdote, & ſtatim perfringere chartam, in qua ſcripta erant peccata: nam qui tenetur ad obſeruandum aliquod præceptum, tenetur etiam ad media ordinaria ſaltem, & commoda conducentia ad talem obſeruantiam ergo ſi pœnitens commodè poteſt abſque periculo, & damno per ſcripturam confiteri, tenebitur. Caiet. *verb. Confeſſio, conditione* 11. Nugnus *loco cit. diffic.* 3. Henriquez *lib.4 de pœnit.c.4.n.4 fine.*

Dvbitatio XI.

XIII. *An habens lubricam memoriam teneatur peccata ſua ſcribere, vt ſuo tempore confiteatur integrè?*

Dico decimononò. Qui lubricam habet memoriam, non tenetur peccata ſcribere, vt ſuo tempore confiteatur. quia non eſt medium ordinarium, & fieri poteſt vt ſcriptura deperdatur cum periculo infamiæ. Tum, quia non tenemur maximam & ſummam diligentiam adhibere, vt peccatorum reminiſcamur, ſed moralem: tum, quia non extat præceptum diuinum retinendi memoriæ peccata, ſed dum adeſt tempus confeſſionis, tenemur ea confiteri, quorum recordamur, facto debito examine. Tabiena *verb. confeſſio* 2. *num.* 45. Henriquez *lib.* 4. *de pœnit. cap.* 4. *num.*8. Benè tamen eſt ſatis probabile quòd ſi quis ita lubricam, & debilem haberet memoriam, vt multorum peccatorum mortalium obliuiſceretur, culparum præcipuè lethalium, reſtitutionis bonorum temporalium, & ſatisfactionis famæ læſæ, teneretur iſte iure diuino præuenire tempus annuæ confeſſionis; quia iure diuino tenemur ad faciendam confeſſionem integram omnium peccatorum mortalium, culparum maximè lethalium, reſtitutionis bonorum alienorum, & ſatisfactionis famæ læſæ. ergo ſi homo differendo confeſſionem per annum multorum peccatorum mortalium obliuiſceretur, tenetur tunc præuenire tempus annuæ confeſſionis. Sic probabiliter docuit Nugnus *tom.* 2. *in* 3 *part.queſt.*6.*art.*5.*dub.* 1.*concl.*4.

Licèt alij etiam rationabiliter tenuerint oppoſitum: quia, inquiunt, poſtquam Eccleſia *in cap. omnis vtriuſque ſexus*, fecit prudentialem determinationem temporis, prout habet poteſtatem à Chriſto circa tempus, & modum de vſu ſacramentamentorum, vt ait Sacr. Concilium Tridentinum *ſeſſ.*21.*cap.*2. non debent ſcrupuloſi putare ſe frequentiùs obligari, &c. quia, vt aſſerit idem Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. non tenentur confiteri, niſi quæ facta diligentia occurrunt memoriæ. Ita Sotus *in* 4. *diſt.*18.*q.*1.*art.*4 *poſt* 7. *concluſionem*, § *quocirca.* Henriquez nuperrimè relatus *lit. S.& T.*

XIV. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur, & probatur quòd vt Sum. Pontifex poſſit diſpenſare in præcepto annuæ confeſſionis, ſufficere non conſtare euidenter, tale præceptum eſſe de iure diuino?*

Ad rationem à principio poſitam quatenus pugnare videtur contra 6. aſſertionem, reſpondetur quòd vt Summus Pontifex poſſit diſpenſare in præcepto annuæ confeſſionis, ſufficit quòd non euidenter conſtat eſſe de iure diuino, quòd confeſſio non differatur vltra annum. Probatur. nam aliqui tenent quòd ſi Eccleſia nullum tale tempus determinaret, peccator tunc, per ſe loquendo, poſito, quòd eſſet probabiliter contritus, non eſſet obligandus ad confeſſionem extra articulum, & periculum mortis. Ita docuit Coninchus *diſp.*5. *de neceſſitate confeſſionis, dub.*2.*n.*38. Sed meliùs alij aſſerunt, quòd ſi Eccleſia tempus confeſſionis non determinaſſet, tunc facienda eſſet confeſſio iuxta prudentis iudicium, quatenus confeſſio non diceretur nimium differri: nimium autem differri videretur, ſi vltra quatuor, vel quinque annos differretur. Videatur Sotus *in* 4.*diſt.*18 *quæſt.* 1.*art.*4.*poſt* 7. *concluſionem*, §. *ſed arguitur rurſum.* Bonacina *tom.* 1. *de ſacramentis*, *diſp.*5. *quæſt.*5.*ſect.*2 *punct.*4.*num.*17.

XV. *Explicatur neceſſitas ſacramenti confeſſionis.*

Ad alind argum. reſpondetur quòd ſicut Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medij ad ſalutem vel in re, vel in voto, vt docet D. Th. 3.*p.q.*68 *art.*2.*in corpore*, in re quando actualiter ſuſcipitur in voto, ſicut cùm quis deſiderat Baptiſmum, ſed aliquo caſu præuenitur morte antequam Baptiſmum ſuſcipiat, & talis ſine Baptiſmo actuali ſalutem conſequi poteſt propter deſiderium Baptiſmi, quod procedit ex fide per dilectionem operante; ſine verò Baptiſmo in re, vel in voto, nullus poteſt ſaluari, iuxta verbum Domini Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Idem ſimiliter dicimus in lege Euangelica baptizatis, ſi poſt ſuſceptum Baptiſmum lethaliter deliquerint, eſſe neceſſarium neceſſitate medij pro ſalute conſequenda ſacramentum Pœnitentiæ, vel actu ſuſceptum, vel ſaltem voto, quando articulus neceſſitatis, non contemptus, ſacramentum excludit: quia Paſſio Chriſti, ſine cuius virtute nec originale, nec actuale peccatum dimittitur, in nobis operatur per ſuſceptionem ſacramentorum, vel actu ſuſceptorum, vel ſaltem voto. Sic optimè D. Thom. 3.*p. in addit. q.*6. *art.* 1. Et quoniam præceptum diuinum, & Eccleſiaſticum confeſſionis non obligat cum magno incommodo grauis damni, vel infamia, poterit ſignari aliquis caſus, ob quem ab obligatione confeſſionis quis excuſetur, & tunc ad ſalutem ſufficiet contritio cum ordine ad Pœnitentiæ ſacramentum.

Articvlvs XXX.

An pœnitens teneatur ſatisfactionem ſibi impoſitam acceptare, & acceptatam implere?

Svmmarivm.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur, quid ſit ſatisfactio.*
3. *An remiſſa culpa per pœnitentiam, poſſit remanere, vel remanent pœna ſoluenda, ſiue in hac, ſiue in altera vita? &, An iuſtus pro temporali pœna ſoluenda, poſſit reddere æquiualens; & ſi reddat æquiualens, an iſta ſatisfactio ſit de toto rigore iuſtitiæ.*
4. *An ſatiſfactio ſit pars ſacramenti Pœnitentiæ, & per illam remittatur pœna, ex opere operato.*
5. *An ſatisfactio ſacramentalis remittat tantùm pœnam, vel per ipſam etiam aliquam gratiã conſequamur.*
6. *Titulo dubitationis reſpondetur.*
7. *An pœnitens poſſit rogare Confeſſarium, vt minuat pœnitentiam, ſibi ab eo impoſitam, vel ante abſolutionem acceptam adire alium Confeſſarium, qui minorem illi pœnitentiam imponat.*
8. *An acceptans pœnitentiam ſibi impoſitam peccet mortaliter, ſi non adimpleat.*

9. *An*

9. *An qui tantùm confitetur venialia, teneatur ſub mortali, adimplere pœnitentiam impoſitam.*
10. *An qui non implenit pœnitentiam, præfixo tempore implendam, illo elapſo, adimplere teneatur.*
11. *An pœnitens teneatur, quamprimum commodè poteſt, pœnitentiam à Confeſſario impoſitam, adimplere.*
12. *An per ſuſceptionem indulgentiæ liberetur pœnitens à pœnitentia ſibi iniuncta.*
13. *An vnus homo poſſit pro alio ſatisfacere.*
14. *An Confeſſarius poſſit pœnitenti iniungere pœnitentiam adimplendam per alium à pœnitente.*
15. *An iuſtus poſſit alteri mereri primam gratiam, vel pro alio ſatisfacere.*
16. *An ſatisfactio vnius hominis iuſti pro ſe, vel pro alys ex natura rei, vel ex acceptatione diuina, habeat valorem.*
17. *An pro alio ſatisfaciens mereatur ſibi gratiam, vel vitam æternam.*
18. *An pœnitentia in peccato mortali valeat.*
19. *Explicatur magis, an pœnitentia ſacramentalis exhibita in peccato mortali, adueniente gratia, ſuum ſortiatur effectum.*
20. *An ſint conſulenda bona opera exiſtenti in peccato mortali.*
21. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur magis, An pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam iniunctam à Confeſſario.*

I. *Pars negatiua probatur.*

PEccàtor non tenetur ſatisfacere in vita præſenti, ſed poteſt remittere ſatisfactionem in Purgatorio. ergo non tenetur illam acceptare. Probatur antecedens, quando ſunt duo media ad aliquem finem, noo renemur determinatè ad vnum, ſed poſſumus eligere, quod maluerimus; ſed ad ſatisfactionem pro pœnis debitis peccatis ſunt hæc duo media in præſenti vita, & in Purgatorio. ergo. Quòd neque teneatur ſi aeceptet illam adimplere, probatur. Illa acceptario non eſt votum, neque promiſſio, neque aliquid aliud, qood poſſit grauiter obligare. ergo etiamſi aeceptet, non tenetur adimplere, & ita hanc ſententiam tenuit Scotus *in 4. diſt. 28. quæſt. 1. art. 1.* Caietan. *tom. 1. opuſc. tract. 6. quæſt. 6.*

Dubitatio I.

II. *Quid ſit ſatisfactio?*

Dieo primò, ſatisfactio eſt compenſatio pœnæ temporalis debitæ ob iniuriam Deo illatam, conſiſtens in operibus pœnalibus, & laborioſis taxatis à Confeſſario. Dicitur *compenſatio pœnæ temporalis*, vt ſignificetur pœnitentiam ſacramentalem iniungi in ſatisfactionem pro reatu pœnæ temporalis remanente poſt culpam iam delatam. Dicitur *debita ob iniuriam Deo illatam*, quia cùm homo per peccatum inferat Deo iniuriam, dignus eſt aliqua pœna, in cuius ſatisfactionem imponitor pœnitentia in confeſſione. Dicitur *conſiſtens in operibus pœnalibus, & laborioſis*, vt oſtendatur quænam opera iniungantur in ſatisfactionem. Videarur pro hac diffinitiooe D. Th. *3. p. q. 15. art. 3. in addit.*

Dubitatio II.

III. *An remiſſa culpa per pœnitentiam, poſſit remanere, vel remaneat pœna ſoluenda, ſiue in hac, ſiue in altera vita? &, An iuſtus pro pœna temporali ſoluenda; poſſit reddere æquiualens? Etſi reddat æquiualens, An iſta ſatisfactio ſit de toto rigore iuſtitiæ?*

Dico ſecundò, fides eſt, itaor oppoſitum ſit hære-

ſis manifeſta, quòd remiſſa culpa per pœnitentiam poſſit remanete, & remaneat multoties debitum pœnæ ſoluendæ, ſiue in iſta vita, ſiue in futura. Ita ſancitum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 8.* & diffinitur expreſsè *Canone 12.* ſub iſtis verbis: *Si quis dixerit totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo, anathema ſit.* Tam magna tamen aliquando poteſt eſſe contritio, vt interdum totam pœnam dimittat. Nauarrus *in Manuali cap. 16. num. 21.*

Dico tertiò, fides eſt quòd iuſtus poteſt verè, & propriè pro pœna temporali relicta poſt remiſſionem culpæ ſatisfacere, & de facto ſatisfacit. Ita diffinitur expreſsè in Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. de ſanctiſſimo Pœnitentiæ ſacramento, Canone 13.* Et probatur ratione: quia cùm iſta pœna ſit temporalis, poteſt pro illa fieri ſatisfactio, tum quia homo verè meretur vitam æternam. ergo à fortiori poteſt ſatisfacere pro iſta pœna.

Dico quartò, pro iſta pœna ſatisfacit iuſtus reddendo æquiualens. Probatur, ſicur iſta pœna ex parte qua reſpicit Deum, habet quandam infinitatem, ita illud opus quod facit iuſtus ad ſatisfaciendum pro pœoa; conſideratur ſimul prout eſt à Deo, & ab homine, & vt ſic habet quandam extrinſecam infinitatem. ergo erit æquiualens pro iſta pœna: non tamen iſta ſatisfactio pro iſta pœna eſt de rigore iuſtitiæ; quia ſic ſatisfaciens non reddit ex propriis, ſed ex receptis ab ipſo creditore, qui eſt Deus. Videatur Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 13. art. 1. diffic. vnica, concl. 3. & 4.*

Dubitatio III.

IV. *An ſatisfactio ſit pars ſacramenti pœnitentiæ, & per illam remittatur pœna ex opere operato?*

Dico quintò, ſatisfactio eſt vera pars ſacramenti Pœnitentiæ. Probatur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 3. de pœnitentia.* vbi dicitur contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem eſſe partes pœnitentiæ, quatenus ad plenam perfectámque remiſſionem peccatorum, ex diuina ordinatione requiruntur. Non tamen ſatisfactio eſt pars eſſentialis ſacramenti Pœnitentiæ; quia iſtud ſacramentum verè eſt tale ante ſatisfactionem, vt docent communiter Theologi *in 4. diſt. 16.* Cano *in relectione de pœnitentia, part. 5.* eſt tamen ſatisfactio pars integralis ſacramenti Pœnitentiæ, quia cùm ſatisfactio ſit vera pars iſtius ſacramenti, & non ſit pars eſſentialis, relinquitur quòd ſit pars integralis. Ita docuit D. Thom. *in 3. part. quæſt. 90. art. 2.*

Dico ſextò, per ſatisfactiooem certum eſt remitti pœnam aliquam ex opere operato, atque adeò per ſatisfactionem ſacramentalem remittitur maior pœna, quàm correſpondeat operi ſatisfactorio ſecundùm ſe, quia maior pœna remittitur quando recipitur ſacramentum, & imponitur opus ſatisfactorium, & pœnitens in gratia exiſtens exequitur illud ſibi impoſitum à Confeſſario, quàm ſi non reciperetur ſacramentum, & haberet quis contritionem extra ſacramentum, & pro ſatisfactione exequeretur propria voluntate, aliquod opus ſatisfactorium; nam hæc ſatisfactio vi operis remittit pœnam, ſacramentalis verò ſatisfactio vi ſacramenti, ex opere operato. Videatur Nugnus *tom. 2. in 3. part. q. 13. art. 5. diffic. 1. §. Tota ergo difficultas.*

Dvbitatio IV.

V. *An ſatisfactio ſacramentalis remittat tantùm pœnam, vel per ipſam etiam aliquam gratiam conſequamur?*

Dico ſeptimò, licèt in ſacramento Pœnitentiæ contritio, & confeſſio ordinentur principaliter ad remittendum peccatum, & conſereodam grariam; ſatisfactio verò ad remittendam pœnam. Tamen etiam ratione ſatisfactionis aliqua gratia gratum faciens ex opere operato conſertur. Probatur, quia ſatisfactiu ſacramentalis eſt vera pars integralis ſacramenti Pœnitentiæ; ergo cùm ſacramenta nouæ legis cauſent gratiam, nulla eſt ratio quare iſta pars non cauſet illam: non tamen ipſa ſatisfactio facit ex attrito contritum, quia hoc conuenit ſacramentis nouæ legis quantum ad principaliorem partem: & ita hanc aſſertionem docuit D.Thom. *3.p. quæſt.90.art.2. ad 2.* Sotus *in 4. diſt.17.q.1.art.2.*

VI. *Titulo dubitationis reſpondetur.*

Dico octauò. Directè reſpondens quæſtioni, pœnitens tenetur pœnitentiam tolerabilem, & humanæ fragilitati accommodatam acceptare, acceptatámque adimplere; quia pœnitens tenetur parere iudici rectè iudicanti; ſed iudex in hoc ſacramento eſt Confeſſarius, qui pœnitentiam iniungit. ergo, &c. Tum, quia ſatisfactio eſt pars integralis ſacramenti Pœnitentiæ, atque adeò ſi ſacramentum fiat ſine illa, erit imperfectum, & quaſi monſtruoſum, ſicut ſi generetur homo ſine manibus, ſed iſta eſt res grauiſſima contra virtutem Religionis; ergo pœnitens tenetur ad ſatisfactionem acceptandam, & adimplendam. Cano *in relectione de pœnitentia, p.5.* contra Nauarr. *ſumma, c.16.n.20.*

Dvbitatio V.

VII. *An pœnitens poſſit rogare Confeſſarium, vt minuat pœnitentiam, ſibi ab eo impoſitam? vel, ante abſolutionem acceptam, adire alium Confeſſarium qui minorem illi pœnitentiam imponat?*

Dico nonò, pœnitens tamen cui nimia videtur pœnitentia impoſita, poteſt rogare Confeſſarium, vt eam mitiget, quantum poteſt; quia ſicuti hoc fieri poteſt abſque culpa à reo in foro externo, ita etiam fieri poſſe videtur in foro ſacramenti Pœnitentiæ: immò Confeſſarius in tali euentu debet pœnitenti annuere quantum poteſt. Videatur Bonacina *tom. 1. de ſacramentis, diſput. 5. quæſt. 5. ſect. 3. punct. 4. num. 2.*

Dico decimò, pœnitens poteſt abſque peccato mortali ante acceptam abſolutionem, ſi Confeſſarius nolit pœnitentiam moderari, dicere, ſe malle alteri Sacerdoti confeſſionem facere, quàm adeò grauem pœnitentiam acceptare, quia hic non habet affectum ad peccatum mortale, cùm intendat alteri legitimo Sacerdoti confiteri, & ſicut ab initio non tenebatur ei confiteri, ab eóque petere, & obtinere abſolutionem, ita neque tenetur eam obtinere inchoata, aut perfecta, & abſoluta confeſſione. ergo tunc non tenetur Confeſſario obedire. ergo abſque peccato mortali, &c. Videatur Suarez *tom. 4. in 3. part. diſput. 38. ſect. 7. n.4.* Conincbus *diſp. 10. de ſatisfactione, dub. 9. num. 80. §. & idem videtur.*

Dvbitatio VI.

VIII. *An acceptans pœnitentiam ſibi impoſitam, peccet mortaliter ſi non adimpleat?*

Dico vndecimò, pœnitens peccat mortaliter non adimplendo pœnitentiam grauem acceptatam, ſiue grauis illa pœnitentia fuerit illi iniuncta pro mortalibus, aliàs non confeſſis, ſiue etiam pro venialibus. Ratio eſt, quia faciens contra obligationem, in re graui, peccat mortaliter. Nugnus *tomo 2. in 3. part. quæſt. 13. art. 2. difficult. 1. concluſione 2. & 4.*

Dico duodecimò, qui verò non adimplet pœnitentiam leuem, non peccat mortaliter, etiamſi pœnitentia iniuncta fuerit pro peccato mortali nunquam aliàs confeſſo. Idem dicendum de omittente partem leuem, magnæ pœnitentiæ. Probatur hæc aſſertio ex generali regula peccatorum, quæ licèt ex genere ſuo ſint mortalia: ex leuitate tamen materiæ venialia fiunt. Tum, quia licèt integritas ſacramenti non ſeruetur, tamen eſt in re extrinſeca, & ſecundaria, in parte ſcilicet integrali, non autem eſſentiali. Tum, quia licèt cauſa ſit grauis, tamen materia præcepti non eſt ſufficiens ad tantam obligationem, vt obliget ſub culpa lethali. Ita benè conſiderauit Sotus *in 4.diſt.20.q.2. art.2. concl.2. verſ. Adiectum eſt*; quem ſequitur Suarez *tom.4. in 3.p.diſp.38.ſect.7. num.5.*

Dvbitatio VII.

IX. *An qui tantùm confitetur venialia, teneatur ſub mortali adimplere pœnitentiam impoſitam?*

Dico decimotertiò. Probabiliter dici poteſt eum, qui ſolùm confitetur peccata venialia, non teneri vnquam ſub peccato mortali pœnitentiam iniunctam implere. quia in omni præcepto materiæ leuitas excuſat à mortali; ſed pœnitentia impoſita, & iniuncta pro venialibus, ferè ſemper à prudenti Confeſſario leuis iniungitur. ergo, &c. Ita Viualdus abſolutè loquens tenuit, aſſerens pœnitentiam quæ pro venialibus tantùm datur, non tenetur quis ſub mortali adimplere, *de ſatisfactione, num. 26.* & Nauarrus eodem modo loquitur, Pœnitentia, inquit, quæ ob veniale imponitur, non obligat ad mortale communiter, niſi contemptus interuenerit. Videatur Viualdus *de ſatisfactione, n.26. fine.* Nauarr. *in Manuali c.21.n.43.*

Dico decimoquartò. Quamuis hæc aſſertio 13. ſit probabilis ob grauium virorum auctoritatem, Viualdi & Nauarri, & aliorum, quos citat Viualdus *loco cit.* Probabilius tamen eſt iuxta noſtrum aſſertum vndecimum, aſſerere pœnitentem peccare mortaliter non adimplendo pœnitentiam grauem, etiam quando ſola venialia confitetur, aut mortalia, à quibus iam antè fuerat directè abſolutus: quia etiam in eo caſu Sacerdos habet veram poteſtatem iniungendi pœnitentiam ſacramentalem, & conſequenter obligandi pœnitentem ad eius impletionem; ergo, ſi pœnitentia iniuncta ſit grauis, peccat lethaliter pœnitens voluntariè omittens illam: excuſatur tamen à mortali ſi iniuncta pœnitentia ſit leuis, vt diximus *aſſertione* 12. ſiue ſit impoſita pro mortali, ſiue pro veniali; quia non ex cauſa, ſed ex quantitate pœnitentiæ ſumitur in præſenti grauitas materiæ. Videatur Sotus *loc. cit.* Henriquez *lib. 5. de pœnitentia, cap. 20. num. 3. in textu,*

&

& in commento lit. L. & M. Pœnitentiam leuem non adimpleret ille, ſi omitteret tres, vel quatuot orationes Dominicas, ſiue eæ ſint tota pœnitentia iniuncta, ſiue ſolùm aliqua eius pars. Videatur Coninchus *diſp. 10. de ſatisfactione, dub. 9. num.* 80. Vnum etiam *Miſerere* cenſetur pœnitentia leuis, vide Nugnum *tom. 2. in 3. part. quæſt. 15. art. 1. difficult. 3. §. Ad argumentum reſpondetur.* licèt iſte ſuſtineat omittentem pœnitentiam leuem lethaliter peccare, propter integritatem ſacramenti, ſed mitiùs cum Soto, Henriquez, & aliis quòd ſolùm venialiter.

Dvbitatio VIII.

X. *An qui non impleuit pœnitentiam præfixo tempore implendam, illo elapſo, adimplere teneatur?*

Dico decimoquintò, pœnitens, cui tempus adimplendæ pœnitentiæ præfixum fuit à Confeſſario, debet intra tempus præfixum pœnitentiam implere, alioquin grauiter peccat valdè diu pœnitentiæ adimpletionem differendo: quia faceret contra obligationem in re graui, vt patet à ſimili de obligatione adimplendi votum; ſi verò intra tempus præfixum pœnitentiam non adimpleuerit, tenetur adhuc elapſo eo tempore pœnitentiam adimplere: quia præceptum Confeſſarij cadit directè circa ſubſtantiam operis, in tempus verò tanquam in circumſtantiam accidentalem. Caietanus *verb. Satisfactio. §. Primo, in fine*, Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 38. ſect. 7. num. 6.*

Dico decimoſextò, quando Confeſſarius imponit pœnitentibus pro pœnitentia, vt ieiunent diebus Veneris, vel Sabbati vnius menſis, vel anni, pœnitentes, qui aliquo illorum dierum non ieiunarent, tenerentur alio poſtea die ieiunare; quia pœnitentia à Confeſſariis, regulariter loquendo, non iniungitur pœnitentibus ad celebrandum, aut ſanctiùs tranſigendum certum aliquod tempus, ſicut inſtituuntur feſta, & ieiunia ab Eccleſia, ſed vt pœnitentes ſatisfaciant Deo pro pœnis eis debitis, & auertantur à peccatis futuris; quæ cauſæ tranſacto præſcripto tempore adhuc perſeuerant. ergo in pœnitentibus manebit eadem obligatio: videatur Caietanus 1. 2. q. 88. *art.* 12. *ad finem*, quem ſequitur, & adducit Nauarr. *in manuali cap.* 12. *num.* 54.

Dico decimoſeptimò, quando Sacerdos præſcripſit certum tempus pœnitenti ad pœnitentiam adimplendam, ſi illud tempus præſcriptum mutetur, impletionem pœnitentiæ non nihil differendo, modò non ſit nimia dilatio, non eſſet peccatum mortale; quia eſt materia leuis: quanta autem dilatio requiratur ad peccatum mortale, non facile poteſt diffiniri, ſed iudicio prudentis ex circumſtantiis ſpectandum eſt. Videantur Suarez, & Coninchus *loc. cit.*

Dvbitatio IX.

XI. *An pœnitens teneatur quamprimum commodè poteſt pœnitentiam à Confeſſario impoſitam adimplere?*

Dico decimooctauò, quando Confeſſarius non præfixit tempus adimplendæ pœnitentiæ, pœnitens quamprimum commodè poteſt, adimplere tenetur. quòd ſi valdè diu iudicio prudentis viri pœnitens pœnitentiam grauem differat adimplere abſque iuſta cauſa, grauiter peccaret. qoia faceret contra voluntatem Confeſſarij, & finem ſacramenti in re graui; ſecus ſi non multum differat, vel pœnitentia non ſit grauis. Videatur Sayr. *de ſacramentis Pœnitentiæ, cap. 38. num.* 8. Bonacina *tom. 1. diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 3. puncto 4. num. 5.*

Dvbitatio X.

XII. *An pœnitens liberetur à pœnitentia ſibi iniuncta per ſuſceptionem indulgentiæ?*

Dico decimonouò, pœnitens cui à Sacerdote iniunctum fuit pro ſatisfactione ſacramentali, vt, e.g. recitet circulum Roſarij Beatiſſimæ V. Mariæ, vel aliquod aliud opus ſatisfactorium, non excuſatur ab eo recitando per ſuſceptionem indulgentiæ plenariæ. Probatur primò, quia obligatio adimplendi pœnitentiam impoſitam in ſacramento Pœnitentiæ à Confeſſario eſt iuris diuini, vt colligitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 3. &* 8. Secundò, quia truncaretur ſacramentum pœnitentiæ quadam ſui integrali parte, qualis eſt nimirum iure diuino ſatisfactio ipſius pœnitentis. Tertiò probatur ex communi conſenſu, & vſu Eccleſiæ; ſiquidem nec in pleniſſimis etiam indulgentiis ſolet negligi à Confeſſariis, & pœnitentibus ſacramentalis ſatisfactio, & pœnitentia, imò expreſsè ab ipſis Pontificibus ſolet tunc etiam requiri. Quartò, quoniam alioquin per vſum indulgentiarum, quæ variæ paſſim in promptu extant, poſſet aliquis licitè ſubterfugere per totam vitam omne ſtudium ſatisfaciendi, quod videtur abſurdum. Quintò, quia nemini eſt infallibiliter certum ſe re vera conſequi beneficium indulgentiæ. ergo tenetur per propriam ſatisfactionem dare operam, vt ſe liberet à reatu pœnæ iudicio Dei debitæ. Sextò, quia pœnitentiæ à Confeſſario ferè ſemper imponuntur non dum vt ſatisfactoriæ; ſed vt medicinæ præſeruatiuæ à peccatis in futurum. Quamobrem ſi pœnitenti luxurioſo iniunctum ſit ieiunium pro remedio, & præſeruatione peccatorum; pœnitens non ſatisfacit ſuſcipiendo indulgentiam plenariam, cùm indulgentia non ita inſeruiat ad præſeruandum ab huiuſmodi peccato, ſicut ieiunium. Videatur pro hac aſſertione Paluda. *in 4. diſt. 20. quæſt. 4. art. 5.* Nugnus *tom. 5. in 3. part. quæſt. 13. art. 2. dubio penultimo, §. Duo tamen ſunt.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 20. puncto 3. verſic. Sunt autem circa.* Satis etiam probabiliter dici poteſt, pœnitentem poſtquam acceptauit pœnitentiam in punitionem ſuorum peccatorum ſibi à Sacerdote iniunctam, poſſe poſtea adueniente indulgentia liberari ab illa ſoluenda, & eximere ſe ab omni opere ſatisfactorio pro pœna ſuorum peccatorum iniuncto: vt infrà dicemus.

Dvbitatio XI.

XIII. *An vnus homo poſſit pro alio ſatisfacere?*

Dico vigeſimò, ſatisfactio iniuncta à Confeſſario non poteſt per alium adimpleri, ſed per ipſummet pœnitentem adimplenda eſt; quia obligatio perſonalis implenda eſt per ipſum, qui huiuſmodi obligatione tenetur: ſed obligatio pœnitentiæ iniunctæ à Confeſſario eſt perſonalis, vt patet in aliis actibus pœnitentis, qui ſunt perſonales, & nequeunt per alium ſuppleri. ergo, &c. Sotus *in 4. diſt. 19. q. 19. art. 4. concluſ. 2.*

Dico vigeſimoprimò, præcedens aſſertum intelligitur de ſatisfactione ſacramentali iniuncta ipſi pœnitenti à Confeſſario. quia pœnitens tenetur adimplere, qood ſibi præceptom eſt à Confeſſario. ergo pœnitens tenetur pœnitentiam per ſe ipſum adimplere, ſi ſibi præcepta eſt à Confeſſario: ſi verò loqua-

mor de ſatisfactione, quæ non eſt iniuncta à Confeſſario, & aliàs debetur pro pœna temporali, homo iuſtus poteſt pro alio ſatisfacere: nam *ad Galat. 6.* dicitur, *Alter alterius onera portate.* ergo, poteſt homo iuſtus pro pœna temporali alteri debita ſatisfacere. Ita optimè D.Thom. 3. *part. in addit. quæſt.* 13. *art.* 2. Sotus *in 4. diſt.* 19 *q.* 2. *art.* 4. *concl.* 1.

Dico vigeſimoſecundò, ſi pœnitentia iniuncta à Sacerdote non conſiſtat in actione perſonali, qualis eſt ieiunare, aut orationes recitare, aut ſeipſum verberibus, aut flagellis petere, ſed in illis operibus, quæ per alium tanquam per merum inſtrumentum fieri poſſunt, qualis eſt traditio eleemoſynæ, quæ per alium fieri poteſt cum eadem bonitate, tunc pœnitens talem pœnitentiam poteſt per alium adimplere; quia mens Confeſſarij tunc eſt præcipere eleemoſynam in ſatisfactionem pœnitenti, &c. tanquam cauſæ principali; vnde parum refert quòd det illam pauperibus per alium tanquam per merum inſtrumentum.

Dubitatio XII.

XIV. *An Confeſſarius poſſit iniungere pœnitenti pœnitentiam adimplendam per alium à pœnitente?*

Dicò vigeſimotertiò, Confeſſarius poteſt iniungere pœnitenti pro pœnitentia aliquod opus, e. g. ieiunium faciendum per alium, vel ſub diſiunctione per ſe, aut per alium, & tunc pœnitens ſatisfacit præcepto Confeſſarij faciendo, vt alter ieiunet, ſe, præter opus præſcriptum à Confeſſario, quia ſic adimplet præceptum Confeſſarij. Syl. *verb. Satisfactio, num.* 3. Viualdus *de ſatisfactione num.* 12. *verſic. Secunda quando.* Henriquez *lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 4. *de pœnitentia.*

Dico vigeſimoquartò, quando Sacerdos iniungit confitenti aliquod opus per alium exercendum, e. g. ieiunium, vel vt curet aliquam peregrinationem per alium fieri, illud opus externum prout ab alio fit, non habet propriè rationem pœnitentiæ ſacramentalis, nec vt ſic eſt pars ſacramenti; ſed hoc conuenit ſoli illi actioni quam exercet pœnitens, procurando per donationem eleemoſynæ, vel alia ratione, vt alter illud opus faciat: nam illud ſolum opus habet rationem pœnitentiæ ſacramentalis, quod ex præcepto, & obligatione virtute clauium impoſitum eſt, ſed ſola procuratio illius operis fit hoc modo. ergo illa ſola procuratio habet rationem pœnitentiæ ſacramentalis: quæ petitio, & procuratio eſt opus pœnale, atque adeò ſatisfactorium. Ita benè obſeruauit Nugnus *tom.* 2. *in* 3. *part. quæſt.* 13. *art.* 2. *in expoſitione textus, verſic. Pro maiori autem intelligentia.* Coninchus *diſp.* 10. *de ſatisfactione, dub.* 8. *num.* 66. Sotus *in* 4. *diſt.* 19. *quæſt.* 2. *art.* 4. *poſt ſecundam concluſionem* §. *Hinc ſubſequitur.*

Dubitatio XIII.

XV. *An iuſtus poſſit alteri mereri primam gratiam, vel pro alio ſatisfacere?*

Dico vigeſimoquintò, licèt homo iuſtus non poſſit mereri alteri primam gratiam de condigno, bene tamen poteſt pœnam alteri debitam in veritate perſoluere per condignam, & æquiualentem ſatisfactionem. Ratio diſcriminis eſt: nam meritum dicit eſſe perſonale; itant præmium eſſentiale correſpondens merito ſolùm ſit tribuendum perſonæ merenti, ex diuina namque ordinatione huiuſmodi præmium reſpicit ſolùm perſonam merentem. Cæterùm ſatisfactio ex ipſa præordinatione diuina, & ex virtute, & vnione charitatis, hoc habet, quòd poſſit aliis directè, & per ſe communicari, & ſic homo iuſtus poteſt, &c. ſic ſapientiſſimus Magiſter meus Aluarez *in MSS. ſuper* 1. 2. *quæſt.* 114. *art.* 6.

Dubitatio XIV.

XVI. *An ſatisfactio vnius hominis iuſti pro ſe, vel pro alijs, ex natura rei, vel ex acceptatione diuina valorem habeat?*

Dico vigeſimoſextò, quòd Deus per peccatum contra ipſum commiſſum acquirit propriè ius nos puniendi, itaut quòd poſſimus per noſtra opera ſatisfacere pro pœnis peccatis noſtris debitis, non tam proueniat ex natura rei, quàm ex liberali Dei promiſſione, atque acceptatione: ſicut igitur ſtatuit, vt poſſimus pro nobis ſatisfacere, ita potuit abſolutè ſtatuiſſe, vt poſſemus etiam ſatisfacere pro aliis, & quòd ita ſtatuerit, videtur eſſe communis fidelium ſenſus: nam omnes credunt vnius ſatisfactionem alteri poſſe prodeſſe, quod ſine tali Dei ordinatione fieri non poſſet, videatur Aluarez *loc. cit.*

Dico vigeſimoſeptimò, præcedens aſſertio, & vigeſimum primum dictum intelliguntur, dummodo ambo exiſtant in gratia, & qui ſatisfacit, & pro quo ſatisfacit: nam ſatisfactio fit per opus Deo gratum, neque vllum opus eſt gratum Deo, niſi perſona priùs ſit grata, & eadem ratione neque quippiam acceptat in ſolutionem illius, quod quis ſibi debet, niſi ille etiam ſit ſibi gratus, etenim acceptare pro illo eſt opus beneuolentiæ in illum: peccatores verò Deus odio habet. ergo non proderit illis ſatisfactio ab aliis pro illis exhibita. Ita benè Magiſter Sotus *in* 4. *diſt.* 19. *quæſt.* 19. *quæſt.* 2. *art.* 4. *poſt concluſionem primam, verſ. At verò intelligitur.*

Dubitatio XV.

XVII. *An pro alio ſatisfaciens mereatur ſibi gratiam, vel vitam æternam?*

Dico vigeſimooctauò, quando aliquis pro altero ſatisfacit, ipſe per eam quidem actionem ſibi meretur vitam æternam, & augmentum gratiæ, quia meritum de condigno ſolùm tribuitur perſonæ merenti: non tamen pro ſe ſatisfacit. quia omnem ſatisfactionem, quam actio illa habet, alteri ſatisfaciens donat, & à ſe alienat: vide Coninchum *diſp.* 10. *de ſatisfactione dub.* 7. *n.* 55. §. *Et confirm. verſ. Vnde dicti.*

Dubitatio XVI.

XVIII. *An pœnitentia facta in peccato mortali valeat?*

Dico vigeſimononò, Pœnitentia impoſita à Confeſſario expleta à pœnitente in ſtatu peccati mortalis, valet quidem, vt ſatisfacit præcepto ipſius Confeſſarij: quia Confeſſarius non impoſuit pœnitentiã adimplendam in ſtatu gratiæ, ſed abſolutè non præſcripto modo, & ſicut aliis præceptis ſatisfacit, qui ea implet in peccato mortali, quia ponit ipſam ſubſtantiam operis; ita etiam ſatisfacit huic. quare non tenetur pœnitens poſtea repetere: vnde ſequitur etiam ſufficere ad integritatem ſacramenti, quia hæc nihil aliud exigit, quàm vt ſatisfiat præcepto Confeſſarij: videatur D.Thom. 3. *part. in addit. q.* 14. *art.* 2. *ad ſolut. ad* 2. Syl. *verb. ſatisfactio, num.* 7.

Dico

Dico trigeſimò, pœnitens, qui pœnitentiam ſibi iniunctam à Sacerdote adimplet in peccato mortali, delinquit quidem, quia ponit obicem effectui ſatisfactionis, quæ eſt pars ſacramenti, illámque indignè tractat: non tamen peccat lethaliter, ſed tantùm venialiter, quia nullus ferè conſueuit ſe de hoc peccato in confeſſione accuſare. ergo ſignum eſt communiter non cenſeri peccatum lethale: tum, quia gratia, quæ confertur in ſatisfactione, de qua diximus *aſſertione* 7. eſt minima; & quæ non reſpondet principaliter ſacramento. ergo non erit materia grauis ponere obicem ſacramento, quantum ad iſtam partem. ergo erit ſolùm veniale. Ita probè docuit Nugnus *tom.* 2. *in* 3.*part.quæſt.*14.*art.*2.*difficult.*2.§.*Nihilominus.* Suarez *tom.*4.*in* 3.*part.diſp.*38.*ſect.*8 *num.*7.

Dico trigeſimoprimò, ſatisfactio illa præcedens expleta extra charitatem, poſtquam pœnitens charitatem habuerit, valebit quidem quoad expiationem pœnæ debitæ, quando peccator redibit ad cor: quia eſt pars integralis ſacramenti Pœnitentiæ, ſicut confeſſio informis, & Baptiſmus informis, incipiunt valere, & cauſant gratiam ſacramentalem recedente fictione. nam ſacramenta non ſunt opus hominis, vt ait D.Thom.3.*part.in addit.quæſt.*14.*art.*3.*ad ſecundum.* ſed opus Dei; ſed etiam ſatisfactio in quantum ſacramentalis, non eſt opus hominis, ſed Dei.ergo expleta ſatisfactio in culpa lethali recedente fictione per contritionem, operabitur remiſſionem pœnæ debitæ pro peccatis dimiſſis. Ita benè Caiet. *in ſumm. verb.ſatisfactio*, §.*Quantum*, *&* *tom.*1. *opuſc. tract.de ſatisfactione, quæſt.*2. Nugnus *tom.*2. *in* 3.*part. quæſt.*14.*ſuper art.*3. Henriquez *lib.* 5. *de pœnitentia*, *cap.*10. *num.* 7. contra Valentiam *tom.*4. *diſp.*7.*quæſt.*14.*puncto* 3.*verſ. mihi tamen*, & alios.

Dvbitatio XVII.

XIX. *An pœnitentia ſacramentalis exhibita in peccato mortali, adueniente gratia ſuum ſortiatur effectum?*

Dico trigeſimoſecundò, conſequenter eſſe differentiam inter pœnitentiam ſacramentalem expletam extra charitatem in peccato mortali, & reliqua opera bona in ſtatu peccati mortalis facta: quòd pœnitentia ſacramentalis, cùm ſit opus Dei, ex ſe viuum eſt, licèt quodammodo mortificatum ob indiſpoſitionem, & ſtatum peccatoris, ſublato obice peccati mortalis reuiuiſcit ad ſuum effectum: nam ſicut opera meritoria effecta in ſtatu gratiæ, ſi mortificentur reuiuiſcunt poſtea adueniente gratia. ergo multo magis pœnitentia ſacramentalis cùm ſit opus Dei, licèt quodammodo ſit mortificata ob indiſpoſitionem culpæ lethalis, reuiuiſcit ad ſuum effectum adueniente ſtatu gratiæ. Reliqua verò opera bona in ſtatu peccati mortalis facta non reuiuiſcunt adueniente gratia: nam vndequaque mortua ſunt, & fuerunt ſemper.

Dvbitatio XVIII.

XX. *An ſint conſulenda bona opera exiſtenti in peccato mortali?*

Dico trigeſimotertiò, quòd licèt opera bona facta in peccato mortali non reuiuiſcant adueniente gratia, neque quantum ad meritum, neque quantum ad ſatisfaciendum pro pœna temporali; quia iſta opera ſemper mortua fuerunt. ergo impoſſibile eſt illa reuiuiſcere, vel ad meritum, vel ad ſatisfaciendum pro pœna temporali: ſunt tamen conſulenda. quia ſecundùm ſe ſunt bona, & deſeruiunt multoties ad adimplenda præcepta, atque adeò vt homo non peccet mortaliter de nouo. Et quia etiam aliquando Deus inſpirat, & reſpicit ad illa bona, vt conuertat peccatorem: non quia illa bona facta in peccato mortali ſint diſpoſitiones, propriè loquendo, ſed ſola miſericordia Dei. Videatur pro hac, & præcedenti aſſertione Magiſter Sotus *in* 4.*diſt.*19.*quæſt.*1.*art.*5.§. *Circa hoc autem adſtruitur.* Nugnus *tom.*2. *in* 3.*part. quæſt.*14. *art.*2.*diffic.*2.§.*Et ſi quæras.*

XXI. *Rationibus in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur magis,*

Dvbitatio XIX.

An pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam iniunctam à Confeſſario?

Ad rationem in contrarium à principio poſitam, quæ directè militat contra octauam aſſertionem; reſpondetur negando antecedens, tenetur enim pœnitens acceptare pœnitentiam ſibi impoſitam à Confeſſario, & in hac vita illam adimplere, & ſi ſit grauis, ſub peccato mortali illam exequi tenetur: & quia tenetur obedire Confeſſario tanquam legitimo iudici in foro conſcientiæ, & ratione reuerentiæ, quæ debetur ſacramento, ne remaneat imperfectum abſque ſua parte integrali, quæ eſt ſatisfactio ſacramentalis iniuncta à Confeſſario.

Ad aliud reſpondetur, quòd illa acceptatio eſt promiſſio in re grauiſſima, vnde ſi materia ſit grauis, erit peccatum mortale pœnitentiam non adimplere, vt diximus *aſſertione* 11. Si verò ſit leuis pœnitentia iniuncta, illam omittere erit veniale: nam in omni præcepto materiæ leuitas excuſat à culpa lethali, vt probatum eſt *aſſertis* 12.*&* 13.

Articvlvs XXXI.

An Confeſſarius teneatur ſub mortali pœnitentiam pœnitentibus iniungere?

Svmmarivm.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Reſoluitur dubitatio.*
3. *An Confeſſarius peccet mortaliter, pœnitentiam non imponendo? &, An impoſita per modum conſily ſit ſacramentalis.*
4. *An in aliquo caſu poſſit Sacerdos pœnitentiam pœnitenti non iniungere.*
5. *An ſcrupuloſo ſæpius accedenti ad Confeſſarium, debeat toties quoties iniungi noua pœnitentia.*
6. *An pœnitens poſſit abſolui, ſi credatur pœnitentiam nullam admiſſurum? &, An ſi Sacerdos diuinitus admoneretur, ei remiſſa peccata quoad omnem pœnam, teneatur illam imponere.*
7. *An Confeſſarius poſſit iniungere pœnitentiam ſub diſiunctione.*
8. *Quódnam opus debeat eſſe illud, quod in pœnitentiam iniungitur.*
9. *An actus virtutum ſint opera pœnalia.*
10. *An opus pœnale internum poſſit iniungi à Confeſſario in pœnitentiam.*
11. *An poſſit iniungi, pro pœnitentia, opus bonum, ad quod tenemur ex præcepto, vel ex voto.*

12. An

12. *An ſi Confeſſarius imponat pœnitenti vt in die feſto audiat duas Miſſas, has audiendo ſatisfaciat pœnitentia, & precepto Eccleſia.*
13. *An ſimiliter ſi Confeſſarius imponat pœnitenti audire Sacrum ſingulis diebus, pœnitens ſatisfaciat pœtentia & precepto Eccleſia in die feſto, audiendo tantùm vnam.*
14. *An pœnitens cui impoſitum eſt pro pœnitentia audire Sacrum qualibet ſeptimana, ſi tantùm die feſto audit, ſatisfaciat pœnitentia, & precepto Eccleſia.*
15. *An eleemoſyna iniuncta in pœnitentiam, ſi detur extremè indigenti, pœnitens ſatisfaciat.*
16. *An pro pœnitentia poſſint iniungi, nedum opera pœnalia in particulari, ſed etiam in generali.*
17. *An poſſit abſolui pœnitens in articulo, vel periculo mortis conſtitutus, audita tantùm confeſſione generali.*
18. *An Confeſſarij imponendo paruas pœnitentias in particulari, in aliquo caſu excuſari debeant.*
19. *An pro peccatis occultis debeant imponi pœnitentia publica? &, An ſi imponantur pro peccatis publicis, ſint contra ſigillum confeſſionis.*
20. *An pœnitentia magna, vel parua imponenda ſint arbitrio Confeſſarij.*
21. *An tempore Iubilei, vel indulgentiarum, mitiores, ſeu leuiores pœnitentia à Confeſſariis imponi poſſint.*
22. *An pœnitentia imponenda ſit ante abſolutionem.*
23. *An Confeſſarius poſſit obligare pœnitentem, vt ante abſolutionem pœnitentiam adimpleat? &, An adimpleta ante abſolutionem, tunc habeat ſuum effectum, ex opere operato.*
24. *An pœna temporalis, relicta poſt abſolutionem, poſſit tolli, vel minui, antequam pœnitentia ſacramentalis adimpleatur.*
25. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in prima aſſertione.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm aliquando ex ſignis maximæ contritionis Confeſſarius aduertit pœnitentem Deo integrè ſatisfeciſſe pro pœna temporali ſibi debita; ergo tunc Confeſſarius non poteſt obligare pœnitentem ad pœnitentiam acceptandam, & illam adimplendam, cùm ipſi probabiliter conſtet pœnitentem Deo integrè ſatisfeciſſe.

II. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico primò, Confeſſarius, per ſe loquendo, tenetur ſub culpa lethali ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam pœnitentibus iniungere. quia Confeſſarius, per ſe loquendo, curare tenetur, vt ſacramentum Pœnitentiæ ſit integrum: ſed ad integritatem ſacramenti Pœnitentiæ pertinet ſatisfactio, cùm ſatisfactio ſacramentalis ſit pars ſacramenti Pœnitentiæ, vt docet D. Thom. *3. part. quæſt. 90. art. 2.* ergo, per ſe loquendo, tenetur Confeſſarius pœnitentiam pœnitentibus iniungere: tum, quia ex capite *omnis vtriuſque ſexus*, & ex Concilio Trident. *ſeſſ. 14. cap. 3. & 8. de ſacramento Pœnitentia*, habetur quòd Sacerdotes Domini debent quantum Spiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares ſatisfactiones iniungere: ergo, &c. Quòd autem ſub culpa lethali, per ſe loquendo, pœnitentiam iniungere Confeſſor teneatur, probatur, quia in re graui peccaret contra ſuum officium. Videatur Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 13. art. 2. difficult. 1. verſic. Ex dictis ſequitur.*

DVBITATIO I.

III. *An Confeſſarius peccet mortaliter pœnitentiam non imponendo? &, An impoſita per modum conſilij ſit ſacramentalis?*

Dico ſecundò, Confeſſarius debet pœnitentiam iniungere, non per modum conſilij, ſed per modum præcepti, & aliter impoſita non eſt ſacramentalis. Probatur, quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14 cap. 8.* ait Sacerdotem teneri iniungere pœnitentiam, quod verbum non ſignificat conſilium, ſed præceptum. Tum, quia Concilium illud probat ex eo quòd Sacerdos habet claues, non ſolùm ad ſoluendum, ſed etiam ad ligandum. ergo debet ita imponere pœnitentiam vt liget, ſiue obliget ad eam implendam; ſed conſilium, quia omninò liberum relinquit homini, vt aliquid faciat, aut non faciat, nullo modo poteſt dici ligare. ergo cùm Sacerdos liget hominem ad pœnitentiam implendam, & acceptandam, non debet illam imponere per modum conſilij, ſed præcepti.

Quòd autem pœnitentia impoſita per modum conſilij non ſit ſacramentalis, probatur: nam vt Sacerdus imponat pœnitentiam ſacramentalem, debet ligare, quia vi clauium debet illam imponere; ſed qui non præcipit pœnitentiam, non ligat. ergo non imponit pœnitentiam ſacramentalem. Videatur D. Thom. *3. part. in addit. quæſt.* 18 *art.* 3. Nugnus *ibi dubio* 2. § *Tertia ſententia*, contra Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 38. ſect. 3. num. 2.*

Additque Nugnus peccare mortaliter Sacerdotem imponendo pœnitentiam omninò liberam, taliter, quòd pœnitens poſſit adimplere, & non adimplere illam; quia curare tenetur Sacerdos, quòd ſacramentum Pœnitentiæ ſit integrum quotieſcumque eſt poſſibile. Videatur etiam pro hoc idem Nugnus *loc. cit. aſſertione prima.* Henriquez verò ait teneri quidem Confeſſarium ſub mortali in re graui pœnitentiam aliquam iniungere pœnitenti de præcepto. Suarez *in 3. part. tom. 4. loc. cit. num.* 1. aſſerit hanc obligationem in Confeſſario eſſe quidem ex genere ſuo grauem, cùm ad integritatem ſacramenti, & Religionem Deo debitam pertineat.

Dico tertiò, magis confirmans duas præcedentes aſſertiones, quamuis Superior communiter poſſit rem grauem præcipere ſub veniali: Confeſſarius tamen non poteſt grauem pœnitentiam iniungere ſolùm ſub veniali; quia cùm non agat hîc nomine ſuo, ſed neceſſariò agit prout poſtulat inſtitutio ſacramenti, quæ exigit vt pœnitens ligetur, & ſi pœnitentia eſt grauis, ſub lethali obligatur illam adimplere. Ita tenet Coninchus *diſp. 10. de ſatisfactione, dubio 8. num. 65 § Ex his patet*, & antè Nugnus *tom. 2. in 3. part. q. 13. art. 2. difficult. 2. concl. 2.* contra Medinam *tract. 2. quæſt. 45.* quem ſequitur Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 38. ſect. 7. num. 5.*

DVBITATIO II.

IV. *An in aliquo caſu poſſit Sacerdos pœnitentiam pœnitenti non iniungere?*

Dico quartò, interdum poteſt Sacerdos abſoluere nulla impoſita ſatisfactione, vt quando pœnitens eſt impotens, vt ſi ſit propinquus morti, & præſertim ſi nihil præcipere poſſit; quia cùm hæc pars non ſit eſſentialis, non eſt omittendum ſacramentum propter incapacitatem pœnitentis in tanta neceſſitate: immò ſi pœnitens ſit proximus morti ſui compos, ſed non

ſpectur

ſperetur fore vt pœnitentiam poſſit adimplere, etiam tunc Sacerdos non tenetur illam imponete ; quia nullus obligatur ad opus ſimile : vtiliter tamen & prudenter aget in iſto caſu Confeſſarius non iniungendo grauem, ſed leuem aliquam pœnitentiam, vt percuſſionem pectoris, aut breuem otationem, aut inuocationem nominis IESV, aut aliquid præſtandum infirmo, ſub condirione, ſi valetudinem recuperauerit : quia Sacerdos curate tenetur, vt ſactamentum ſit perfectum quoad omnes partes, etiam integrales, quantum fieri poteſt. Ita Caietan. *verb. Satiſfactio*, & *tom. 1. opuſc. quæſt. 2. art. 1.* Nauarr. *ſumma cap. 26. num. 21.* quos ſequitur Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 38. ſect. 3. num. 4.*

DVBITATIO III.

V. *An ſcrupuloſo ſæpiùs accedenti ad Confeſſarium, debeat toties quoties iniungi noua pœnitentia?*

Dico quintò, quando ſcrupuluſus intta eandem horam frequenter accedit ad Confeſſatium aliquid noui ſemper confitens, in iſto etiam caſu Sacerdos poteſt iniungere pœnitentiam iam aliàs iniunctam: nam opus aliàs debitum poteſt in ſatisfactionem ſacramentalem iniungendi. Ita Henriquez *lib. 5. de pœnitentia, c. 10. num. 6.* quem ſequitur Bonacina *tom. 1. de Sacramentis, diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 3. puncto 2. num. 3.* Sed hoc diſplicet : nam in iſto caſu cùm ſint numero diſtincta ſacramenta, diſtinctæ etiam ſatisfactiones ſunt à Confeſſario imponendæ, vt ſacramenta ſint integra : Sacerdos enim quantum poteſt, curate debet vt vnumquodque Pœnitentiæ ſacramenitnm ſit integtum, habens impoſitam proptiam ſatisfactionem partem Ipſius integralem : quòd verò in caſu, de quo loquimur, ſint diſtincta numero ſacramenta, patet, nam ſont diſtinctæ numero materiæ, diſtinctæ formæ, diſtinctæque intentiones abſoluendi. Neque ratio adducta ſuffragatur, quia etſi verum ſit opus aliàs debitum poſſe iniungi à Confeſſario in ſatisfactionem, vt ieiunium in Quadrageſima : non tamen poteſt Sacerdos opus impoſitum pto pœnitentia in vna confeſſione, illud idem numero iniungere pro ſecunda alia diſtincta confeſſione : cùm vnumquodque ſacramentum, vt ſit integrum, & perfectum, ſuas proprias debeat habete partes integtales. Saluo ſemper meliori iudicio.

DVBITATIO IV.

VI. *An pœnitens poſſit abſolui ſi credatur pœnitentiam nullam admiſſurum? &, An ſi Sacerdos diuinitus admoneatur ei remiſſa peccata quoad omnem pœnam, teneatur illam imponere?*

Dico ſextò, poteſt pœnitens abſolui nulla lniuncta pœnitentia quando probabiliter crediiut nullam admiſſurus pœnitentiam. Ratio eſt, ne ſacramentum, quod in medicinam, & fauotem pœnitentis eſt inſtitutum, vertatur in ipſius laqueum, & ruinam. Ita Henriquez *lib. 5. de pœnitentia, cap. 10. num. 6.* Sed hoc aſſertum non probatur : nam pœnitens qui habet animum nullam pœnitentiam acceptandi, non cenſetur diſpoſitus ad tecipiendum abſolutionis beneficium. Ita bene ob ſeruauit Nugnus *tom. 1. in 3. part. quæſt. 18. art. 3. difficultate 2. verſic. Vnde ad primam probationem.*

Dico ſeptimò, ſi miraculosè Sacerdoti fieret diuinitus reuelatio, quòd ſint pœnitenti remiſſa peccata etiam quantum ad omnem pœnam, in iſto caſu Sacerdos non tenetetur ſatisfactionẽ aliquam imponere, quia qoi iam integrè ſatisfecit, non videtur obligandus ad nouam ſatisfactionem. ergo ſi Sacerdoti fuetit miraculosè teuelatum pœnitenti eſſe remiſſa peccata, etiam quantum ád omnem pœnam, tunc non tenetetut, &c. quia ſatisfactio iniuncta, vel iniungenda à Confeſſario ordinatur per ſe ad remittendam pœnam ; vnde quando tota pœna eſt remiſſa, vel eſt impoſſibile quòd remittatur per ſatisfactionem, eſt ſacramentum perfectum ſine tali ſatisfactione. Nuguus *loc. cit. difficult. 1.*

DVBITATIO V.

VII. *An Confeſſarius poſſit iniungere pœnitentiam ſub diſiunctione?*

Dico octauò, Confeſſarius poteſt pœnitenti iniungere pœnitentiam ſub diſiunctione, & ſic poterit pœnitenti dicere : Vel ieiunes die Sabbati, vel recites circulum Roſarij Beatiſſimæ Virginis ; quia Confeſſarius tenetur pœnitentiam iniungere, vt ſatisfactio præſtetur Deo ; ſed pœnitens poteſt Deo ſatisfacere per pœnitentiam ſibi impoſitam ſub diſiunctione. ergo. Ita Bonacina *tom. 1. de Sacramentis, diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 3. puncto 2. num. 7.*

DVBITATIO VI.

VIII. *Quódnam opus debeat eſſe illud quod in pœnitentiam iniungitur?*

Dico nonò, opus quod in ſatisfactionem imponitur, debet eſſe opus bonum pœnale ; quia ſatisfactio, aut qui ſatisfacit aliquod bonum proptium, ſcilicet delectabile, vel vtile, ſubtrahit à ſe ipſo. ergo neceſſariò importat aliquam pœnalitatem. Tum, quia pœna Purgatorij compenſatur ſatisfactione præſentis vitæ; ſed conueniens eſt, quòd vna pœna compenſetur altera pœna. ergo opus ſatisfactotium debet eſſe pœnale. Tum, quia in ſacro Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. de ſacramento Pœnitentia, Canone 13.* decernitur ſatisfactionem præſtari poſſe ieiuniis, orationibus, & eleemoſynis ; ſed hæc ſunt bona opera pœnalia. ergo, &c. Et ita hanc aſſertionem docuit D. Thom. *3. part. addit. quæſt. 15. art. 1.*

DVBITATIO VII.

IX. *An actus virtute ſint opera pœnalia?*

Dico decimò, quòd licèt actus virtutis ſecundùm ſe maximè delectabilis ſit, vt docet Philoſophus *3. Ethicorum*, quia eſt conformis tectæ rationi, tamen ſecundùm quòd contradicit ſenſualitati, eſt homini pœnalis : vt ieiunium, oratio vocalis, oratio etiam mentalis, ſecundùm quod important caſtigationem corporis, ſunt opera pœnalia. Similiter eleemoſyna eſt opus pœnale, quatenus quis priuat ſe, dando eleemoſynam, pecuniis, quæ ſunt bonum vtile illas habenti : videatur Nugnus *tom. 2. quæſt. 15. art. 1. difficult. 1. verſic. Secundò notandum eſt.*

Dico vndecimò, opera pœnalia, quibus Deo in hac vita pro pœna temporali ſatisfacimus in vniuerſum, ad tria genera reducuntur, ad ieiunium ſcilicet, eleemoſynam, & orationem. quia iſtis tribus generibus operum, quaſi priuamus, & abdicamus nos tribus etiam bonorum generibus, ad quæ referuntur omnia, nempè bonis corporis per ieiunium, donis fortunæ

per

per eleemoſynam, & quodammodo bonis animæ per orationem: non quia oratio omnino illa detrahat, ſed quia illa per orationem Deo ſubiicimus, & eatenus quodammodo nos illis priuamus: videatur D. Thom. *loco citato, quæſt.* 15. *art.* 2. *&* 3. Valentia *tom.* 4. *diſput.* 7. *quæſt.* 14. *puncto* 3. *verſic. Tertiò ſequitur.*

Dvbitatio VIII.

X. *An opus pœnale internum poßit iniungi à Confeſſario in pœnitentiam?*

Dico duodecimò, quamuis communiter à Confeſſariis iniungi ſoleat pro pœnitentia opus externum pœnale; quia hoc à rudibus præſertim hominibus certiùs poteſt impleri: tamen hoc non eſt abſolutè neceſſarium, quia etiam actio merè interna per ſe eſt apta ad ſatisfactionem pro peccatis, & ſic à Confeſſario poterit iniungi in ſatisfactionem aliqua meditatio, aut aliqua propoſita vitandi peccata, vt aliquoties per diem certo tempore pœnitens cor ſuum ad Deum eleuet, breuiter cogitando eum vbique eſſe præſentem, & videre omnes noſtras non modò actiones, ſed etiam cogitationes. Item quanta Dominus Ieſus pro noſtris peccatis paſſus eſt, quàm ſeuerè ea poſtea vindicabit, & ſimilia, quia hæc ſunt opera bona pœnalia, cùm fiat cum fatigatione corporis propter attentionem; & quamuis iſti actus ſint interni, & per ſe inſenſibiles, nihilominus ſunt ſenſibiles per accidens, quatenus exteriùs imponuntur, & acceptantur, quod ſufficit vt ſint pars ſacramenti. Videatur Nugnus *loc. cit. aſſertione* 10. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 38. *ſect.* 6. *num.* 2.

Dvbitatio IX.

XI. *An poßit iniungi pro pœnitentia opus bonum, ad quod tenetur ex præcepto, vel voto?*

Dico decimotertiò, poſſunt etiam pro pœnitentia iniungi ea, ad quæ pœnitens aliàs præcepto diuino, aut humano, eſt obligatus. v. g. vt audiat ſingulis diebus feſtis Sacrum, vt Sacerdos legat quotidie horas Canonicas; quia per huiuſmodi opera pro peccatis noſtris verè ſatisfacimus. Tum, quia quodcumque opus meritorium, etiamſi aliàs ſit debitum, habet virtutem augendi gratiam. ergo nulla ratio ſignari poteſt cur eandem non habeat remittendi pœnam; ergo poterit Confeſſor opera bona aliàs debita pro pœnitentia iniungere. Tum, quia per opus martyrij etiam occurrente præcepto, poſſumus pro pœnis nobis debitis ſatisfacere. ergo poterit Confeſſor opera aliàs debita, bona tamen, in ſatisfactionem iniungere. Ita optimè Sotus *in* 4. *diſt.* 19 *quæſt.* 1. *art.* 2. §. *Medio ergo, nos modo*, quem ſequitur Coninchus *diſp.* 10. *de ſatisfactione, dub.* 8. *num.* 68. Henriquez *lib.* 5. *de pœnitentia, cap.* 19. *num.* 5.

Dico decimoquartò, licèt aliquis vnica ſolutione ſatisfacere non poſſit pluribus creditoribus, quibus tantumdem debetur: pœnitens tamen ſatisfacere poteſt vnico opere bono obligationi, qua tenetur ex pœnitentia, & ex voto, vel ex alio præcepto. quia eſt maxima differentia inter debita realia iuſtitiæ commutatiuæ, & debita legalia, vt voti, legis, pœnitentiæ iniunctæ, &c. quòd in illis æqualitas rei ad rem attenditur, & ideo cùm vnum debitum nequeat pluribus ſatisfactionibus eſſe æquale, nequit vnica ſolutione pluribus debitis ſatisfieri; debita verò legalia ex legiſlatoris intentione pendent: intentio autem legis, voti, & pœnitentiæ poſſunt in vnum, & idem opus tendere: vnde licèt vnica ſolutione non poſſimus pluribus creditoribus ſatisfacere, quibus tantumdem debetur, vnico tamen bono opere poſſumus pluribus ſatisfactionibus legalibus ſatisfacere. Ita benè obſeruauit Medina *C. de ſatisfact. quæſt.* 4. *verſic. Corollariè ſequitur.* Sanchez *lib.* 1. *oper. mor. cap.* 14. *num.* 5.

Dico decimoquintò, communiter tamen Confeſſarius ex vſu Eccleſiæ debet iniungere pœnitenti pro ſatisfactione aliqua opera, ad quæ aliàs non obligabatur; quia ſicut iniunctio aliorum operum vix affert nouum grauamen, ita vix habet rationem punitionis: pœnitentia autem debet etiam iniungi in punitionem peccatorum præteritorum. Videatur Sotus *loco citato.* §. *Si verò aſſertio ſecunda.* Coninchus nuper relatus.

Dico decimoſextò, quando pœnitenti abſolutè imponitur aliquid pro pœnitentia ſacramentali, quando aliud ex mente Confeſſoris non colligitur, is minimè ſatisfacit per opus aliàs debitum, vt per ieiunium voto, aut præcepto, ſed intelligitur de voluntario: quia cùm ſatisfactio potiſſimum per opera voluntaria fiat, nec opus id ſit alligatum diei, in qua aliud præceptum, mens Confeſſarij in ſatisfactionem opera imponentis, de operibus voluntariis eſt in dubio ſint et pretanda. Ita benè Victoria *ſumma*, vbi *de ſatisfactione, num.* 205. Sayr. *in Claui Regia, lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 22.

Dvbitatio X.

XII. *An ſi Confeſſarius imponat, vt die feſto audiat duas Miſſas, has audiendo ſatisfaciat pœnitentiæ, & præcepto Eccleſiæ?*

Dico decimoſeptimò, ſi Confeſſor imponat pœnitenti in ſatisfactionem, vt duplicem Miſſam audiat in die feſto, pœnitens ſatisfacit tam obligationi præcepti Eccleſiaſtici, quàm confeſſionis duas Miſſas audiendo; quia Confeſſarius ex modo imponendi pœnitentiam videtur vnam Miſſam aliàs debitam ex præcepto Eccleſiæ impoſuiſſe, & aliam aliunde non debitam, conſequenter contentus videtur vna Miſſa, præter eam, quæ ex Eccleſiæ præcepto audienda eſt in die feſto.

Dvbitatio XI.

XIII. *An ſimiliter ſi Confeſſarius imponat pœnitenti, audire Sacrum ſingulis diebus, pœnitens ſatisfaciat pœnitentiæ & præcepto in die feſto, vnam tantùm audiendo?*

Dico decimooctauò, ſi Confeſſor dicat pœnitenti, vt vno menſe ſingulis diebus vnum Miſſæ Sacrum audiat, pœnitens videtur ſatisfacere auditione vnius Sacri in die feſto; quia ex modo loquendi Confeſſarij imponentis hanc pœnitentiam rationabiliter creditur noluiſſe Confeſſorem aliter grauare pœnitentem, niſi vt ſingulis diebus intra menſem contentis Sacrum audiat: videatur pro his duabus aſſertionibus Sanchez *lib.* 1. *oper. mor. cap.* 14. *num.* 6. Bonacina *tom.* 1. *de Sacramentis, diſp.* 5. *quæſt.* 5. *puncto* 2. *num.* 12.

Dvbitatio XII.

XIV. *An pœnitens cui impoſitum eſt pro pœnitentia audire Sacrum qualibet ſeptimana, ſi tantùm die feſto audiat, ſatisfaciat pœnitentiæ & præcepto Eccleſiæ?*

Dico decimononò, ſi iniungat vt pœnitens audiat vnum Sacrum ſingulis ſeptimanis, Confeſſor intelligendus eſt præter illa, ad quæ ex præcepto, aut voto obligatur, quia ſemper credendum eſt, quoties ex verbis Confeſſarij contrarium non colligitur, ipſum iniungere pro pœnitentia opus ad quod pœnitens aliàs non obligatur. Idem dicendum mihi videtur, ſi Confeſſarius imponeret auditionem Sacri in die feſto, nec mentem ſuam explicaret an de Sacro neceſſitate præcepti debito, an de ſolo voluntario, intelligeret: quia regula generalis ex communiter accidentibus, & ex ſatisfactionis natura deſumpta eſt, vt in dubio pœnitentia impoſita intelligatur de operibus voluntariis. Videatur Sotus *in 4. diſt. 19. quæſt. 2. art. 1. col. penult. §. Sit verò aſſertio* 2. Nauarr. *ſumma cap. 26. num. 24.*

Dvbitatio XIII.

XV. *An eleemoſyna iniuncta in pœnitentiam, ſi detur extremè indigenti, pœnitens ſatisfaciat?*

Dico vigeſimò, ex hac regula excipitur eleemoſyna in pœnitentiam iniuncta: nam ſatisfacit pœnitens, ſi eam pauperi grauiter, aut extremè indigenti largiatur, cui aliàs ex eleemoſynæ præcepto debita erat. Ratio eſt, quia cùm eleemoſyna pauperis indigentiam ſubleuari reſpiciat, quo maior eſt indigentia, potiori ratione eleemoſyna dici poteſt. ergo prudenter credi poteſt mentem Confeſſarij fuiſſe, vt per huiuſmodi eleemoſynam, & præcepto, & pœnitentiæ ſatisfieret: tum, quia eſt probabilis ſententia ſatisfieri præcepto eleemoſynæ mutuando pecunias, ac proinde ſatisfiet præcepto pœnitentiæ eas pauperibus extremè indigentibus dandò. Ita præclarè Sotus, Victoria *locis cit.* Viualdus *in Candelabro aureo, de ſatisfactione, num. 10.*

Dico vigeſimoprimò, ſi tamen eleemoſyna eſſet alio titulo debita, vt ex voto, non ſatisfieret illa pœnitentiæ iniunctæ, quia cùm Sacerdotes pœnitentias imponunt pœnitentibus, eas ſolent intelligere, quæ non ſint alioquin debitæ. ergo, &c. Idem dicendum eſſet ſi eſſet debita ratione reſtituendi incerta, quia ea non eſt eleemoſyna, ſed iuſtitiæ debitum. Videatur Azor. *1. part. inſtit. mor. lib 11. cap. 14. dub. 1. fine.* Satisfacit tamen pœnitens, ſi eleemoſynam iniunctam conferat extremè indigenti, quamuis Confeſſarius non declaret mentem ſuam; quia ita planè eſt intentio Confeſſarij, ne pœnitens eleemoſynarum multitudine nimis grauetur, vt diximus *aſſertione præcedenti*, cum Soto, Victoria, & Viualdo, quos ſequitur Henriquez *lib. 5. de pœnitentia, cap. 21. num. 3. litt. Q.* Beia *part. 3. caſuum, caſ. 7.*

Dico vigeſimoſecundò, ſimiliter idem in voto dicendum eſt: vnde ſi quis aliquid vouit, nec contrariam intentionem habet, cenſetur ſe ad opus voluntarium obligare, quod eſt propriiſſima voti materia, nec ſatisfaceret etiam in dubio per opus aliàs debitum; quia votum, quando de contraria intentione non conſtat, intelligitur in dubio de opere ſupererogationis. Ita Sayr. *lib. 6. Clauis Regiæ, cap. 3. num. 22.* At ſi quis eleemoſynam voueret, ſatisfaceret dando extremè indigenti: propter rationes allatas *aſſertione* 20. Nam vouens eleemoſynam dare pauperi, indigentiam illius ſubleuare intendit. ergo vouens dare eleemoſynam, illi magis dare intendit, qui maiori indigentia laborat. ergo ſatisfacit dando extremè indigenti. Sic benè Azor. nuper relatus, quem ſequitur Sanchez *lib. 1. oper. mor. cap. 14. num. 7. fine.* quamuis id neget Sayrus nouiſſimè adductus.

Dvbitatio XIV.

XVI. *An pro pœnitentia poſſint iniungi, nedum opera pœnalia in particulari, ſed etiam in generali?*

Dico vigeſimotertiò, Confeſſarius pro pœnitentia non ſolùm poteſt iniungere pœnitenti opera pœnalia in particulari, vt aliquod ieiunium, orationem, circulum Roſarij Beatiſſimæ V. aliquam eleemoſynam; ſed etiam opera pœnalia in generali: vt ſi Confeſſor dicat: Quidquid boni feceris, & mali patienter ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ; quia talia opera pœnalia in generali per huiuſmodi iniunctionem fiunt pars ſacramenti, & eleuantur ad ſatisfactionem ex opere operato pro peccatis in illa confeſſione manifeſtatis, quia de illis tantùm fertur iudicium, & ita poſtquam illa plenè fuerint remiſſa, ille effectus ceſſabit. Tum, quia vſu in Eccleſia receptum eſt, vt modicæ pœnitentibus ſatisfactiones in particulari iniungantur; quia id in quo deficiunt pœnitentiæ in particulari iniunctæ, ſuppleri poteſt per bona opera generaliter iniuncta, quæ communiter, & vtplurimum à fidelibus præſtantur. Tum, quia ſicut peccatum in communi poteſt eſſe materia ſufficiens huius ſacramenti. ergo ſatisfactio in communi illius poterit eſſe pars integralis. Ita præclarè D. Thom. *quodl. 3. art. 28.* quem ſequuntur Petrus Soto *lect. 2. de ſatisfactione.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 38. ſect. 6. num. 6.* Bonacina *tom. 1. de Sacramentis, diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 3. punct. 2. num. 13.*

Dvbitatio XV.

XVII. *An poſſit abſolui pœnitens conſtitutus in articulo, vel periculo mortis, audita tantùm confeſſione generali?*

Dico vigeſimoquartò, conſtitutus in articulo mortis, ſi adeſt periculum, quòd ſine beneficio abſolutionis moriatur, ſi præceſſit generalis confeſſio, vel infirmus protulerit hoc verbum generale, *Peccaui*, in præſentia ipſius Sacerdotis, vel aliquod ſignum hoc ipſum ſignificans fecerit infirmus, dummodo probabiliter colligat Sacerdos hoc facere cum intentione confeſſionis, tunc poteſt, & debet Sacerdos illum abſoluere, etiamſi non potuerit propter periculum mortis interrogare pœnitentem de aliquo particulari peccato, & tunc abſolutio impenſa erit ſacramentalis: idque eſt ſatis probabile, practicè loquendo, & opere ſequendum. Probatur, quia quando quis extra periculum mortis confitetur, etiam ipſa confeſſio generalis eſt vera pars confeſſionis ſacramentalis, vt docet D. Thom. *in 4. diſt. 22. q. 2. art. 1. ad primum.* ergo ſi prolata confeſſione generali, vel hoc verbum, *Peccaui*,

omnino infirmus turbetur mente, taliter quòd non poſſit aliquod particulare peccatum ſignificare, neque verbis, neque ſignis, illa ſufficiet, vt ſit confeſſio integra moraliter. ergo poterit tunc Sacerdos ſacramentaliter illum abſoluere. Probatur prima conſequentia, in qua ſiſtit difficultas; quia confeſſio vnius, vel alterius peccati, per ſe loquendo, tantùm eſt pars confeſſionis; ſed propter impoſſibilitatem efficitur integra confeſſio. ergo idem erit dicendum de ipſa confeſſione generali. Tum, quia idcirco eſt neceſſarium, quòd pœnitens proferat confeſſionem in particulari, vt Sacerdos poſſit iudicare de conſcientia illius, & adhibere illi remedia ad non peccandum, & ad ſatisfaciendum; ſed in præſenti caſu non procedit iſta ratio, quia ſupponimus infirmum eſſe conſtitutum in vltimo vitæ, ita vt Sacerdoti non ſuppetat tempus, niſi dicendi, *Ego abſoluo te.* ergo, &c. Tum, quia non magis explicatur conſcientia pœnitentis Confeſſario, ſi pœnitens dixerit aliquod peculiare peccatum, puta: Habui cogitationem otioſam, dixi mendacium, quàm ſi dixerit, *Peccaui.* ergo ſi tunc poteſt ſacramentaliter abſolui, multo magis niſi dixerit, *Peccaui.* Et ita hanc ſententiam tenere videtur D. Thomas nouiſſimè relatus, & apertè docet illam Nugnus *tomo* 2. *in* 3. *part. quaſt.* 9. *art.* 2. *difficult.* 2. *verſic. oppoſitam tamen ſententiam.* Partem tamen negatiuam tenuit Magiſter Sotus *in* 4. *diſtinct.* 18. *quaſt.* 2. *art.* 5. *verſic. Alij verò cordatiùs.*

Dvbitatio XVI.

XVIII. *An Confeſſarij imponentes paruas pœnitentias in particulari, in aliquo caſu excuſari debeant?*

Dico vigeſimoquintò. Explicando magis clarè & diſtrictè aſſertum 23. tres ſunt gradus bonorum operum pœnalium, quibus Deo ſatisfacimus. Primus, & præcipuus ille eſt, quando illa bona, quæ agimus, ſunt ſpeciatim, & in particulari iniuncta à Confeſſore, hæc enim opera ſunt maximè ſatisfactoria. Secundus gradus eſt eorum operum, quæ Confeſſor iniungit generatim, & ſub conditione, dicendo: Si quid boni feceris, & mali patienter ſuſtinueris; & hæc etiam ſunt multum ſatisfactoria virtute clauis, & magis, quàm ſint illa, quæ propria voluntate ex deuotione facimus, quia hæc nullo modo ſunt ſacramentalia, & ideo cæteris paribus minus habent de ſatisfactione. Ita benè declarat Caietanus *in opuſculis tomo* 1. *tract.* 6. *quaſt.* 1. *de ſatisfactione.* Hinc fortè poſſunt excuſari à peccato Confeſſores imponendo paruas pœnitentias in particulari; quia omnes hac clauſula iam vtuntur: Quicquid boni feceris, & mali patienter ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum tuorum. homines autem, vtplurimum in hoc Mundo bona multa faciunt, & mala plurima ſuſtinent, quæ ſic applicata rationem habent ſatisfactionis ſacramentalis, quo fit, vt fructuoſa maximè ſint hæc verba, *Quicquid boni feceris*, &c. & declaranda pœnitenti, vt ſciat leuem pœnitentiam ſibi ideo imponi, quia omnia bona opera totius ſuæ vitæ in ſatisfactionem pœnæ peccatis ſuis debitæ iniunguntur. Ita probè obſeruauit Beia *part.* 3. *caſuum, caſu* 1. §. *colligitur tandem, verſ. Hinc fortè.*

Dvbitatio XVII.

XIX. *An pro peccatis occultis debeant imponi pænitentia publica, & an ſi imponantur pro peccatis publicis, ſint contra ſigillum confeſſionis?*

Dico vigeſimoſextò. Propter peccata occulta non debet à Confeſſario imponi pœnitentia publica, illa ſcilicet, quæ ita fit coram aliis, vt ex illa colligi poſſit Sacerdotem propter graue crimen illam impoſuiſſe: quia pœnitentiæ publicæ ſunt improportionatæ peccatis occultis, & contra bonam famam pœnitentis: pro peccatis verò publicis poſſunt imponi pœnitentiæ publicæ. quia ita aliquando expedit ad Eccleſiæ ſatisfactionem, & exemplum aliorum. Tum, quia ita colligitur apertè ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 8. *de reformatione*, vbi expreſsè aſſerit pro talibus peccatis publicas pœnitentias eſſe iniungendas, & ex adiunctis apertè colligitur Sacrum Concilium loqui etiam de foro pœnitentiali. hanc aſſertionem docet D. Thomas *in* 4. *diſt.* 17. *quaſt.* 3. *art.* 4. *quaſtiuncula* 4. *ad* 4. Sotus *in* 4. *diſt.* 19. *quaſt.* 2. *art.* 5. §. *ſed neque iſta pœnitentia.*

Dico vigeſimoſeptimò. Imponere pœnitentias publicas pro peccatis publicis, non eſt contra ſigillum confeſſionis, nec reuelare confeſſionem; quia quidquid hîc fit vnde alij poſſint colligere pœnitentem aliqua grauia peccata eſſe confeſſum, hoc fit non modò conſentiente, ſed etiam operante ipſo pœnitente. Neque refert quòd hoc faciat pœnitens coactus præcepto Confeſſarij, quia hic tenetur id ei præcipere, & nolenti acceptare negare abſolutionem: quando peccatum eſt publicum cum aliorum ſcandalo, & ſi pœnitentia publica pœnitenti non iniungeretur, ſcandalum aliàs non ceſſaret. Videatur D. Thom. *loco* nouiſſimè *adducto, & in* 4. *diſt.* 14. *quaſt.* 1. *art.* 5. *quaſtiuncula* 1. *ad* 1. D. Anton. 3. *part. tit.* 14. *c.* 17. §. 6.

Dico vigeſimooctauò, ſi pœnitens habeat rationabilem cauſam ad non acceptandam huiuſmodi pœnitentiam publicam, & illa non ſit neceſſaria ad ſedandum aliquod ſcandalum, non eſt obligandus, ſed tunc tantùm debet induci ad talem pœnitentiam acceptandam, quando ad tollendum ſcandalum, vel ad ſatisfaciendum Eccleſiæ in crimine publico, & notorio iudicatur neceſſarium, vel quando eſt valdè expediens, abſque graui incommodo pœnitentis illam acceptare; inconſultè tamen faceret Confeſſarius, ſi ad ſedandum ſcandalum, aut ob aliam cauſam non eſſet neceſſarium talem pœnitentiam iniungere: quia pœnitenti eam reluctanti, negando ei abſolutionem aliqua iniuria quodammodo inferretur, quia tam duræ curationes, cùm ſint valdè periculoſæ, nunquam ſunt adhibendæ, quando aliter ſalus obtineri poteſt. Videatur Magiſter Sotus nuper relatus *aſſertione* 26. Palud. *in* 4. *diſt.* 14. *quaſt.* 6. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 38. *ſect.* 6. *num.* 3. Coninchus *diſput.* 10. *de ſatisfact. dub.* 8. *num.* 75.

Nauarrus verò *ſumma cap.* 8. *num.* 10. *verſic. vndecimò*, negat tales pœnitentias publicas poſſe imponi, & Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 8. *de reform.* & alia iura, quæ de illis loquuntur, intelligenda exiſtimat in foro exteriori, eſſe ſcilicet imponendas, non autem in foro ſecreto ſacramentali. Nauarrum ſequitur Beia *p.* 3. *caſuum, caſu primo,* §. *infertur præterea.*

Dubitatio XVIII.

XX. *An pœnitentiæ magnæ, vel paruæ imponendæ ſint arbitrio Confeſſarij?*

Dico vigeſimononò, Confeſſarius poteſt, & tenetur iuxta ſuum prudens arbitrium iniungere pœnitentiam conſiderata peccatorum grauitate, & qualitate pœnitentis; quia cùm in iure non ſit determinata quantitas pœnæ iniungendæ, poterit igitur Confeſſarius cùm ſit iudex fori pœnitentialis, eam iniungere iuxta ſuum prudens arbitrium. Ita præclarè D.Th. 3.*part.in addit.quæſt.*18.*art.*4. Sotus *in* 4.*diſt.*19. *quæſt.*2.*art.*5.*verſic.Adijcitur tandem.*

Dico trigeſimò, Sacerdos ex rationabili cauſa propter impotentiam, vel fragilitatem pœnitentis poteſt diſſimulare, & leuiorem ſatisfactionem imponere; quia in hoc ſacramento magis intenditur ſalus pœnitentis, & eius emendatio, quàm ſatisfactio pro pœna: tum quia cauſa Dei ſemper manet integra. nam ſi hic peccatur plenè non ſatisfecerit, in Purgatorio ſoluet, vſque ad nouiſſimum quadrantem. Videatur D.Thom. nuperrimè relatus, Sotus *in* 4. *diſt.*20.*quæſt.*2.*art.*3.*concl.*2.

Dubitatio XIX.

XXI. *An tempore Iubilei, vel indulgentiarum mitiores pœnitentiæ à Confeſſarijs imponi poſſint?*

Dico trigeſimoprimò, nomquam Sacerdos grauiter errabit imponendo pœnitentibus remiſſiores, & leuiores pœnitentias, attenta eorum impotentia, vel fragilitate, vel debilitate corporis, vel animi, ſpiritúſque languore, & tepore, quia Sacerdotes ſemper debent in mitiorem partem inclinare, & condeſcendere pœnitentibus. nam in hoc minus periculi eſt, quàm ſi grauioribus pœnitentiis homines deterreant, vel in deſperationem inducant: tum, quia miſericordia eſt præferenda rigori, & melius eſt propter miſericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem: ſi Deus benignus, vt quid Sacerdos eius auſterus vult apparere? Ita 16 *quæſt.*7. *can.alligant autem onera.* Tum, quia Sacerdos in ſatisfactionem imponit pœnitenti generatim opera pœnalia, per illa verba, *Quicquid boni feceris, & mali patienter ſuſtinueris*, quæ ex opere operato vi clauium ſunt ſatisfactoria, vt diximus *aſſertione* 23. Videatur pro hac aſſertione Sotus *in* 4.*diſt.*20. *nuperrimè cit.* Beia *part.* 3. *caſuum, caſu* 1. §. *Colligitur tandem Confeſſorem, verſic. Hinc fortè poſſunt*, Suarez *tom.*4.*in* 3.*part. diſp.*38.*ſect.*4.*n.*4. Obſeruat etiam Bonacina *tom.*1. *de Sacramentis, diſp.*5. *quæſt.* 5. *ſect.*3. *punct.* 2. *num.* 16. quòd tempore Iubilei, aut indulgentiarum poteſt Sacerdos mitiorem pœnitentiam præſcribere pœnitenti; quia per indulgentias tollitur debitum ad pœnam debitam pro peccatis dimiſſis.

Dubitatio XX.

XXII. *An pœnitentia imponenda ſit ante abſolutionem?*

Dico trigeſimoſecundò, non eſt de neceſſitate ſacramenti pœnitentiæ, quod ſatisfactio imponatur à Sacerdote ante abſolutionem; taliter quòd ſi non apponatur, ſacramentum ſit nullum. Probatur, quia ſatisfactio non eſt de eſſentia huius ſacramenti, neque de neceſſitate, ſed tantùm de integritate, atque adeò erit verum ſacramentum, etiamſi nunquam apponatur ſatisfactio: tum, quia in ſacramentis, quæ ſunt compoſita quædam artificioſa, non requiritur ſimultas metaphyſica, ſed ſufficit ſimultas moralis, qua ratione ſi aliquis proferat formam Baptiſmi, & ſtatim baptizandum abluat, verum conficitur ſacramentum; ſed ſi ſtatim poſt abſolutionem iniungatur pœnitentia, materia, & forma ſunt ſimul moraliter. ergo verum conficitur ſacramentum. Caiet. *verbo ſatisfactio, in ſumma.*

Dico trigeſimotertiò, Confeſſor, per ſe loquendo, poteſt ſatisfactionem iniungere tam ante, quàm poſt abſolutionem ſacramentalem. quia cùm ſatisfactio ſit pars integralis ſacramenti Pœnitentiæ, tam integratur hoc ſacramentum per eam impoſitam ante ea, quàm pòſt. Syl. *verb.Confeſſor.*4 *num.* 1. Conſultius tamen eſt, vt detur ante abſolutionem. quia actus pœnitentis, hoc eſt, confeſſio, contritio, & ſatisfactio, cùm ſint materia proxima huius ſacramenti, conueniens eſt, vt præcedant ipſam abſolutionem, quæ eſt ſacramenti Pœnitentiæ forma, ſemper enim materia antecedit formam. Beia *part.*3, *caſuum, caſu* 3. *verſ. Crediderim eſſe multo melius.*

Dubitatio XXI.

XXIII. *An Confeſſarius poſſit obligare pœnitentem, vt ante abſolutionem pœnitentiam adimpleat? &, An adimpleta ante abſolutionem tunc habeat ſuum effectum ex opere operato?*

Dico trigeſimoquartò, Confeſſarius non poteſt, per ſe loquendo, obligare pœnitentem ad pœnitentiam adimplendām ante abſolutionem, ſi pœnitentia conſideretur, vt eſt compenſatio pro reatu pœnæ temporalis: nam reatus pœnæ temporalis non tollitur ante deletam culpam: hæc autem non deletur ante abſolutionem. ergo, &c. Si verò Sacerdos timeat pœnitentem non adimpleturum pœnitentiam, niſi eam cogat adimpleri ante abſolutionem, aut ſi cognoſcat pœnitentiam ſæpiùs prætermiſiſſe præcedentium peccatorum expoſitorum in aliis confeſſionibus, poteſt Confeſſarius eam præcipere ante ſacramentalem abſolutionem; quia tunc pœnitentia cenſetur vt medicina, & vt curatio pro pœnitente; ſed Confeſſarius tanquam iudex, & medicus habet ius præcipiendi ea, quæ ad curationem, & medicinam pœnitentis iudicauerit expedire. ergo, &c. Ita bene Bonacina *tom.*1.*de Sacramentis, diſp.*5.*q.*5. *ſect.*3. *punct.*2. *num.*30.

Dico trigeſimoquintò, hæc autem pœnitentia adimpleta antequam pœnitens abſoluatur, ſtatim non habet effectum ſuum ex opere operato ante abſolutionem ſacramentalem, quia remiſſio pœnæ, quæ per ſatisfactionem obtinetur, eſt effectus ſecundarius coniunctus alteri effectui principali, qui eſt remiſſio culpæ; ſed remiſſio culpæ non obtinetur ex opere operato ante abſolutionem. ergo neque remiſſio pœnæ ex opere operato ante abſolutionem ſacramentalem obtinebitur.

Dico trigeſimoſextò, ſi quis pœnitentiam adimpleat antequam abſoluatur, etiamſi ſit in ſtatu gratiæ per contritionem priùs habitam, adhuc illa ſatisfactio ſacramentalis non habebit ſuum effectum remittendi pœnam temporalem ex opere operato, niſi poſt abſolutionem datam, & completum ſacramentum per formam. Probatur, quia potior pars eſt contritio in ſacramento Pœnitentiæ, quàm ſit ſatisfactio: ſed contritio non habet

effectum ex opere operato ſi præcedat. ergo nec ſatisfactio, ſed tantùm ex opere operantis ante conſummationem ſacramenti, conſummato verò ſacramento ex opere operato.

Dvbitatio XXII.

XXIV. *An pœna temporalis relicta poſt abſolutionem, poßit tolli, vel minui, antequam pœnitentia ſacramentalis adimpleatur?*

Dico trigeſimoſeptimò, ſi poſt abſolutionem datam remaneat in pœnitente alicuius pœnæ temporalis reatus, iſte reatus ſine dubio non tollitur, nec minuitur ratione ſatisfactionis impoſitæ, & acceptatæ, donec integrè, vel ex parte, ſatisfactio impoſita exhibeatur: quia ſicut ſacramentum non habet effectum ſuum ex opere operato, donec re ipſa ſuſcipiatur, ita neque pars eius integralis, quæ eſt pœnitentia impoſita à Sacerdote, non habebit effectum ſuum remittendi totam, vel diminuendi pœnam temporalem, niſi donec integrè, vel ex parte exhibeatur.

Non tamen negamus, imò fatemur, quòd ex opere operantis pœna temporalis relicta poſt abſolutionem datam poteſt remitti, vel minui per alia opera ſatisfactoria, antequam pœnitens adimpleat pœnitentiam ſacramentalem ſibi à Sacerdote iniunctam; quia impoſitio pœnitentiæ Confeſſarij non abſtulit vim ſuam aliis operibus ſatisfactoriis. Videatur Suarez *tom. 4. in 3. partem, diſput. 38. ſectione 2. num. 4. & 5.*

X X V. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in prima aſſertione.*

Ad rationem à principio poſitam, quatenus militat contra primam aſſertionem, reſpondetur, quòd Sacerdos difficillimè valet cognoſcere ex ſignis maximè contritionis, pœnitentem integrè ſatisfeciſſe. meliùs igitur & tutiùs aget, per ſe loquendo, imponendo aliquam ſatisfactionem cuicumque pœnitenti, ne ſe exponat periculo relinquendi Pœnitentiæ ſacramentum quoad ſatisfactionem imperfectum.

Articvlvs XXXII.

An Confeſſarius poſſit commutare, vel minuere pœnitentiam, ab alio Confeſſario impoſitam?

Svmmarivm.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Dubitatio reſoluitur.*
3. *An non habens facultatem abſoluendi à reſeruatis, poſſit commutare pœnitentiam, impoſitam pro reſeruatis.*
4. *An extra confeſſionem poſſit Confeſſarius commutare pœnitentiam ab alio impoſitam.*
5. *An vt pœnitentia commutetur, pœnitens debeat iterum confiteri peccata, ob quæ fuit iniuncta.*
6. *An pœnitens, qui obliuiſcitur pœnitentiæ ſibi iniunctæ, teneatur iterum confiteri, vt præcepto pœnitentiæ iniunctæ ſatisfaciat.*
7. *An pœnitens poſſit pœnitentiam iniunctam in æqualem, vel maiorem, propria auctoritate, commutare.*
8. *An facta commutatione pœnitentiæ, liberum ſit pœnitenti, eligere primam, vel ſecundam.*
9. *An pœnitens impotens ad adimplendam pœnitentiam, & non valens adire Confeſſarium, qui iniunxit, poſſit per ſe ipſum operari opera pœnalia, ita vt per illa maneat liber & à pœnitentia, & à pœnit debitis pro peccatis.*
10. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

QVia par in parem non habet imperium, *can. placuit, de pœnit. diſt. 6.* vbi prohibetur ne vllus Sacerdos commiſſum alteri pœnitentem ad pœnitentiam ſuſcipiat, niſi de illius conſenſu, vel pro ignorantia illius prioris, de quo in textu, etſi de de pœnitentia publica ſit ſpecialis ſermo, eadem tamen ratio de priuata, & ſacramentali cenſetur. ergo, &c.

II. *Dubitatatio reſoluitur.*

Dico primò. Abſque cauſa rationabili non poteſt Confeſſarius impoſitam ab altero pœnitentiam commutare. quia ſicut ad diſpenſationem legum humanarum iuſta cauſa requiritur, ita multo magis iuſta & rationabilis cauſa requiritur ad commutationem ſatisfactionis, quæ eſt pars ſacramenti à Chriſto Domino inſtituti: iuſta autem cauſa commutandæ pœnitentiæ eſt neceſſitas, vel notabilis vtilitas, vel difficultas pœnitentis in præſtanda pœnitentia; vel obliuio pœnitentiæ, aliàs iniunctæ. hæc aſſertio eſt certiſſima, & colligitur apertè ex doctrina Magiſtri Soti *in 4. diſt. 20. quæſt. 2. art. 3. §. in calce autem, verſic. ad dubium ergo dicendum.*

Dico ſecundò. Confeſſarius poteſt commutare ex iuſta & rationabili cauſa pœnitentiam ab alio Confeſſore æquali iniunctam, & multo magis ab inferiori. Probatur, quia Confeſſarius æqualis eandem habet facultatem, quam qui abſoluit, & maiorem ſuo inferiori; ſed Confeſſarius poteſt pœnitentiam à ſe iniunctam aliquando commutare. ergo etiam alter æqualis, & multo magis ſuperior poterit. Syl. *verb. Confeſſio 1. quæſt. 27. num. 31.*

Dico tertiò. Non ſolùm æqualis, ſed etiam inferior Confeſſor poteſt ex iuſta cauſa pœnitentiam à ſuo ſuperiore impoſitam minuere, vel commutare. Probatur, quia Confeſſor inferior poteſt circa pœnitentem ſibi ſubiectum, quod illi expedit. ergo cùm aliquando expediat pœnitenti pœnitentiam commutari, ſequitur Confeſſarium poſſe eam commutare, vel minuere, quamuis iniuncta fuerit à ſuperiore, & ita hanc aſſertionem tenuit noſter Victoria *in ſumma num.* 211. Viualdus *de ſatisfactione n. 311 concl. 3.*

Dico quartò. Confeſſor æqualis, vel inferior dum in foro interiori commutat pœnitentiam pœnitenti, non dicitur propter hoc exercere auctoritatem, & iuriſdictionem circa Confeſſarium æqualem, vel ſuperiorem, ſed circa pœnitentem ſibi ſubiectum, in quem habet iuriſdictionem. quia talis pœnitens petens commutari, vel minui ex iuſta cauſa pœnitentiam ſibi iniunctam ab æquali, vel ſuperiore, cùm non habeat peccata reſeruata, vt ſuppono, eſt ſibi ſubiectus. ergo ſuam iuriſdictionem tunc commutans pœnitentiam exercet circa pœnitentem, non autem, &c. Sic benè notauit Valentia *tom. 4. diſput. 7. quæſt. 14. puncto 4. verſic. cæterùm hoc argumentum.*

Dvbitatio I.

III. *An non habens facultatem abſoluendi à reſeruatis poſſit commutare pœnitentiam impoſitam pro reſeruatis?*

Dico quintò, qui non haber facultatem abſoluendi à reſeruatis, poteſt non ſolùm pœnitentiam pro non reſeruatis, verùm etiam pro reſeruatis iam legitimo Confeſſori confeſſis impoſitam à Superiore commutare, iuſta cauſa interueniente, de qua diximus *aſſertione prima*, quia cùm adempta ſit reſeruatio à peccatis reſeruatis per abſolutionem Superioris, Confeſſarius inferior commutans iuſta de cauſa pœnitentiam iniunctam pro peccatis reſeruatis, non exercet iuriſdictionem in Superiorem, vt diximus *præcedenti aſſerto*; ſed in pœnitentem ſibi expoſitum, & ſubiectum non habentem ampliùs caſus Superioris reſeruatos. ergo, &c. Tum, quia licèt votum caſtitatis, & religionis ſit Pontifici reſeruatum, ſi poſtea commutatur ab eodem in materiam non reſeruatam, vt ſolet in confeſſiones menſtruas, poteſt poſtea remanente voto in materia non reſeruata, Epiſcopus, vel alius Confeſſor vi Iubilei diſpenſare in ea materia non reſeruata, & in aliam commutare: quia votum illud non eſt per ſe Pontifici reſeruatum, niſi ratione ſolius materiæ reſeruatæ, vt docet Syln. *verb. votum 4. quæſt. 7. fine*, quem ſequitur Sanchez *lib. 8. de matrimonio, diſp. 9. num. 20. & diſput. 15. num. 6.* ergo, &c. Similiter ſublata, & adempta reſeruatione per Superiorem à peccato reſeruato, poterit Sacerdos inferior ab illo abſoluere, ſi pœnitens ei illud confiteatur, & commutare primam pœnitentiam impoſitam à Superiore in aliam. Tum, quia Superior præſumitur rationabiliter velle quod expedit ſaluti pœnitentis iuxta fragilem ipſius naturam. ergo ſi ſalus, vel fragilis natura pœnitentis poſtulet pœnitentiam commutari, conſentaneum eſt vt commutetur non ſolùm à Superiore, verùm etiam ab inferiore, cùm ſemel caſuum reſeruatio per Superiorem fuerit adempta, & ſublata; ſic probè Sylu. *verb. Confeſſio 1. quæſt. 27. num. 31.* quem ſequitur Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 14. punct. 4. verſic. Verùm autem*, Bonacina *tom. 1. de Sacramentis, diſp. 5. q. 5. ſect. 3. punct. 3. n. 6.* quamuis Nauarr. *in manuali, cap. 26. num. 22.* Beia 3. *part. caſuum caſu 1. verſic. Hac tamen opinio*, & alij oppoſitum tenuerint, inferiorem ſcilicet, vel æqualem non poſſe pœnitentiam commutare impoſitam ob ea peccata, à quibus abſoluere non potuiſſet.

Dvbitatio II.

IV. *An extra confeßionem poßit Confeſſarius commutare pœnitentiam ab alio impoſitam?*

Dico ſextò, Confeſſor extra confeſſionem pœnitentiam ab alio impoſitam commutare non poteſt. Probatur, quia in foro pœnitentiali eadem eſt poteſtas ligandi, & ſoluendi; ſed Sacerdos non poteſt ligare, ſeu imponere pœnitentiam extra confeſſionem. ergo non poterit illam minuere, ſeu commutare extra forum ſacramentale: tum, quia cùm ſatisfactio ſit ſacramentalis, & ſic actus iuriſdictionis clauium in foro pœnitentiali. non poterit ergo extra confeſſionem commutari. Ita Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. quæſt. 13. art. 2. dub. 3. verſic. Dubium igitur*, Syl. nuperrimè relatus. Valentia verò *loco adducto tom. 4. diſp. 7. quæſt. 14. puncto 4. fine, verſic. Eſt tamen notandum*, aſſerit eſſe quidem

neceſſarium, vt peccata, pro quibus impoſita fuit pœnitentia, illi pateſiant aliquo modo, qui eſt eam commutaturus, quamuis non eſt quidem opus, vt ei manifeſtentur per ſacramentalem confeſſionem; ita etiam tenet Nauarr. *cap. 26 ſumma num. 22.* Beia *part. 3. caſuum, caſu 1. verſic. Hac tamen opinio*, Emanuel Sà *ſumma verbo ſatisfactio, num. 5.* Rodriquez *1. part. ſumma cap. 56. concluſ. 7. num. 8.* Item Henriquez *lib. 5. de pœnitentia, cap. 22. num. 1.* ait quòd Confeſſarius poteſt audita confeſſione, quamuis non repetita, eorum peccatorum, pro quibus pœnitentia fuit iniuncta, commutare ex graui cauſa, aut minuere pœnitentiam ab alio impoſitam.

Dvbitatio III.

V. *An vt pœnitentia commutetur, pœnitens debeat iterum confiteri peccata ob quæ fuit iniuncta?*

Dico ſeptimò, vt Confeſſarius poſſit mutare pœnitentiam, quam pœnitens non fecit, & cuius non recordatur, & efficere de nouo illam ſacramentalem, & quod virtute clauium, & ex opere operato prodeſſet pœnitenti, neceſſarium eſt, vt pœnitens ſecundò ei confiteatur peccata, ob quæ illa fuit iniuncta. Probatur, quia hæc mutatio debet fieri per actum iudicialem in hoc foro pœnitentiali; ſed hoc iudicium fieri nequit niſi proponantur peccata, ob quæ impoſita fuit pœnitentia, actus enim iudicialis debet fieri cognita cauſa, circa quam verſatur. ergo vt Confeſſarius poſſit mutare pœnitentiam, quam pœnitens non fecit, & cuius non recordatur, & efficere illam de nouo ſacramentalem virtute clauium ex opere operato operantem, neceſſarium eſt, vt pœnitens ſecundò ei confiteatur peccata, &c. Ita optimè Magiſter Sotus *in 4. diſt. 20. q. 2. art. 3. in fine, §. In calce autem, verſ. Tertiò additur.* Sylu. *verb. Confeſſio 1. q. 27. n. 31 fine*, Coninchus *diſp. 10. de ſatisfact. dub. 12. n. 101.* Bonacin. *tom. 1. de Sacramentis, diſp. 5. q. 5. ſect. 3. punct. 3. n. 9. verſ. Ego verò.*

Dico octauò, idem dicendum eſt quando pœnitens eumdem Sacerdotem accedit, vt pœnitentiam mutet. quia ipſe non poteſt ſecundò circa eamdem cauſam ferre iudicium, niſi per confeſſionem ſecundò ad eum eadem peccata deferantur: quòd ſi pœnitens interim dum primum iudicium cenſetur adhuc moraliter durare, hanc mutationem petit, nimirum priuſquam à Confeſſario diſceſſerit, aut ſaltem eodem die, vel ſecundùm Sotum, & Viualdum modò citandos, etiam ſequentibus duobus diebus, in iſto caſu non eſt neceſſe repetere eadem peccata, ob quæ impoſita fuit pœnitentia; quia cenſetur, moraliter loquendo, idem durare iudicium: ſic Magiſter Sotus nouiſſimè relatus, *verſic. Tandem ipſe idem Sacerdos.* Viualdus *de ſatisfactione, num. 31.* Videatur etiam pro his duabus aſſertionibus D. Thom. *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 3. quæſtiunc. 5.*

Dico nonò, DD. citati *aſſertione 6.* aſſerentes non eſſe neceſſarium, vt Confeſſarius poſſit commutare pœnitentiam ab alio iniunctam, vt ei confiteantur peccata, ob quæ illa fuit impoſita, intelligi poſſunt, quando ab initio pœnitentia imprudenter à Confeſſario eſt iniuncta, itaut moraliter ſit impoſſibilis, vt ſi pauperi Confeſſarius imprudens impoſuiſſet in ſatisfactionem eleemoſynam, vel debili ieiunia, vel nobili, & delicato longas pedeſtres peregrinationes, aut ſi initio fuerit prudenter iniuncta poſtea mutatis circumſtantiis eſt pœnitenti facta moraliter impoſſibilis, vel quia eam ſine graui incommodo explere non poteſt, quia tunc nulla

poteſtate opus eſt, qua illa in aliam, ſed ſolùm prudenti iudicio, quo cauſa cognita iudicetur hîc, & nunc, vel ex toto, vel ex parte non obligare. Ita benè notauit Sotus *in 4. diſt. 20. quæſt. 2. art. 3. §. in calce autem quæſtionis, verſic. Tertiò additur.* Coninchus *diſput. 10. de ſatisfactione, dubio 12. num. 97. & 98.* Et tunc hæc commutatio pœnitentiæ non eſſet ſacramentalis, quæ ſcilicet virtute clauium, & ex opere operato prodeſſet pœnitenti ad remiſſionem pœnæ debitæ; quia hæc, vt diximus *aſſertione* 7. fieri nequit ſi Sacerdos in foro pœnitentiali nouerit peccata, ob quæ fuit iniuncta pœnitentia, quæ in aliam commutatur. Videatur Beia *part. 3. caſuum, caſu 1. §. Confeſſor tamen Papa, verſic. niſi fortè pœnitens vellet.*

Dvbitatio IV.

VI. *An pœnitens, qui obliuiſcitur pœnitentiæ ſibi iniunctæ, teneatur iterum confiteri vt præcepto pœnitentiæ iniunctæ ſatisfaciat?*

Dico decimò. Quando pœnitens oblitus eſt totius pœnitentiæ aliàs iniunctæ, an conſiſteret in ieiunio, vel oratione in magna, vel parua quantitate, non tenetur iterum peccata confiteri, vt pœnitentia commutetur. Probatur, quia illa repetitio confeſſionis, neque eſt neceſſaria ad remiſſionem peccatorum, quæ iam abſolutè remiſſa ſunt, & pœnitens nulla lege cogi poteſt ad confitendum iterum illa peccata, de quibus eſt ſemel integrè confeſſus, & legitimè abſolutus, vt ait D. Thom. *quodlib. 1. art. 12. in 4. diſtinct. 16. quæſt. 3. art. 3. quæſtiunc. 5. ad quartum.* Neque tenetur pœnitens ad repetitionem confeſſionis in iſto caſu propter remiſſionem pœnæ temporalis peccatis debitæ; quia hæc alia ratione etiam in hac vita obtineri poteſt. Neque tenetur ad iterum confitendum ob præceptum Confeſſarij, quia Confeſſarius non præcipit confeſſionem iterari, ſed præcepit aliud opus, à cuius executione pœnitens excuſatur propter impotentiam, cùm impoſſibile ſit, vt aliquis adimpleat id, cuius non recordatur. ergo, &c. Hanc ſententiam tenet Magiſter Soto *in 4. diſt. 20. quæſt. 2. art. 2. verſic. ad tertium.* Caietanus *in ſumma, verb. confeſſio iteranda, §. ex ſatisfactionis.* Beia *loc. cit. §. quod verò non.*

Dico vndecimò, ſi pœnitens citra culpam oblitus eſt pœnitentiæ ſibi iniunctæ, liber eſt à præcepto Confeſſarij, ſatisfactionem adimplendi; reus tamen manet eam in Purgatorio ſoluendi: ſi verò ſua culpa, vt quia nimis diu pœnitentiam diſtulit, tenetur hoc peccatum confiteri: quòd ſi obliuio accidiſſet poſt datam pœnitentiam, & crederet Sacerdotem eſſe memorem, tenetur ipſum adire ſi commodè poteſt, & ab eo petere, quid iniunxiſſet, præſertim quando pœnitentia eſſet grauis, vt ſatisfaciat integritati confeſſionis. Videatur Soto nuperrimè relatus, Caiet. *vbi ſuprà.* Nugnus *tom. 2. in 3. part. q. 18. art. 3. dub. 3.* Coninchus *diſp. 10. de ſatisfactione, dub. 9. num. 86.* Quòd ſi in iſto caſu pœnitens credat Confeſſarium non eſſe memorem pœnitentiæ ſibi ab eo iniunctæ, non tenetur eidem, vel alteri Confeſſario eadem iam ritè confeſſa peccata confiteri, vt diximus *aſſertione præcedenti,* contra Bonacinam *tom. 1. de ſacramentis, diſp. 5. q. 5. ſect. 3. punct. 3. num. 10.*

Dvbitatio V.

VII. *An pœnitens poſſit pœnitentiam iniunctam in æqualem, vel maiorem propria auctoritate commutare?*

Dico duodecimò, licèt ſit ſatis probabile, quòd votum à vouente propria auctoritate in opus æquale, aut melius poſſit commutari, vt docet Caietan. 2. 2. *quæſt. 88. art. 12.* paulo poſt principium, & Sotus *lib. 7. de iuſtitia quæſt. 2. art. vlt. & quæſt. 4. art. 3.* Pœnitens tamen pœnitentiam ſibi à Confeſſario iniunctam, non poteſt propria auctoritate in æquale, aut in melius commutare; quia commutatio voti in æquale, aut in melius non ſemper eſt actus iuriſdictionis, ſicut eſt commutatio pœnitentiæ. Tum, quia in voto attenditur id quod magis vergit in honorem Dei; in pœnitentia verò non ſolùm hoc ſpectatur, verùm etiam quod magis conducit pœnitenti iuxta prudentis Confeſſarij iudicium. Videatur Henriquez *lib. 5. de pœnitentia, c. 20. n. 5. ad finem.*

Dvbitatio VI.

VIII. *An facta commutatione pœnitentiæ liberum ſit pœnitenti eligere primam, vel ſecundam?*

Dico decimotertiò, facta commutatione pœnitentiæ ſacramentalis legitimè à ſecundo Sacerdote, liberum eſt pœnitenti eligere, quam pœnitentiam, primam ſcilicet, an ſecundam voluerit adimplere; quia commutatio fit in fauorem pœnitentis: pœnitens autem cedere poteſt iuri & fauori ſuo. Probatur ſecundò à ſimili. Nam facta commutatione voti etiam à Superiore, liberum eſt vouenti ſeruare primum votum, vt Sayr. docet *lib. 6. in Claui Regia, cap. 12. n. 22.* & Sanchez *lib. 4. oper. mor. cap. 55. num. 26. & 27.* ergo ſimiliter, &c. Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp. 10. n. 7. fine.*

Dvbitatio VII.

IX. *An pœnitens impotens ad adimplendam pœnitentiam, & non valens adire Confeſſarium, qui iniunxit, poſſit per ſe ipſum operare opera pœnalia, ita vt per illa maneat liber & à pœnitentia, & à pœnis debitis pro peccatis?*

Dico decimoquartò, clariùs explicans vndecimam aſſertionem, qui ratione obliuionis, aut aliter factus eſt impotens implere pœnitentiam ſibi iniunctam à Confeſſario, ſiue id factum ſit cum peccato ipſius, ſiue ſine, non tenetur eius loco alia opera ſatisfactoria facere, & quamuis ea faceret, ſi poſtea fieret potens implere pœnitentiam, eodem modo teneretur eam implere, ac ſi illa non feciſſet. Probatur à ſimili, ſicut Sacerdos eo quòd perdidiſſet ſuum Breuiarium, eſſet factus impotens perſoluere penſum diuini Officij, non teneretur alias preces eius loco recitare, nec eas recitando tolleret obligationem perſoluendi preces horarias, ſi fortè poſtea aliud Breuiarium reperiret. ergo ſimiliter, &c. Ita colligitur apertè ex Magiſtro Soto *in 4. diſtinct. 20. quæſt. 2. art. 2. §. ad tertium.* Syluest. *verſic. quare ad argumentum,* quem ſequitur Coninchus *diſp. 10. de ſatisfactione, dub. 12. n. 103. verſ. infertur quartò.*

Dico

Dico decimoquintò, ex conſilio tamen poterit tunc pœnitens, qui oblitus eſt pœnitentiæ ſibi iniunctæ, ſi non poteſt adire primum Confeſſarium, pœnitentiam ſecundùm proprium arbitrium adimplere, aliqua opera ſatisfactoria efficiendo, habita ratione pœnitentiæ, quæ pro huiuſmodi peccatis imponi ſolet: nam cùm iſte non teneatur iterum confiteri alteri Confeſſario peccata aliàs ritè confeſſa, vt probauimus *aſſertione* 12. ex D.Thom. conſultiùs operabitur ne pœnas ſibi debitas pro peccatis dimiſſis, luat in atrociſſimis Purgatorij tormentis, ſi in hac vita ſecundùm proprium arbitrium aliqua opera ſatisfactoria adimpleat, quibus ſibi pœna debita dimittatur. Hæc tamen ſatisfactio non eſſet ſacramentalis cum vi elauium, neque ex opere operato operaretur remiſſionem pœnæ, ſed ex opere operantis, vt diximus *aſſerto 9. fine*. Sic benè Nugnus noſter *tom.2.3. part. quæſt.18. art.3. dubio 3. in additionibus*.

Vnde malè inuehit contra Nugnum Bonacina *tom 1. de Sacramentis, diſp.5.q.5. ſect.3. punct.3. n.11.* dum aſſerit non eſſe audiendum Nugnum dum docet, pœnitentem, qui non poteſt ampliùs accedere ad primum Confeſſarium, poſtquam oblitus eſt pœnitentiæ iniunctæ poſſe pœnitentiam adimplere ſecundùm proprium arbitrium: imò audiendus eſt, & laudandus. Nam cùm non poſſit adire priorem Sacerdotem, nec teneatur iterum confiteri peccata aliàs ritè confeſſa, prudenter operabitur in hac vita ex opere operantis per opera pœnalia ſecundùm proprium arbitrium aſſumpta ſatisfaciendo pœnis ſibi debitis pro peccatis dimiſſis, ne maneat reus eas in Purgatorio ſoluendi.

X. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

Ad rationem in contrarium à principio poſitam, quæ mihi at contra *ſecundam, tertiam, quartam, & quintam aſſertiones*, reſpondetur quòd *can. placuit, de pœnitentia diſt.6.* loquitur de pœnitentiis publicis, in quibus per eiuſmodi murationem politica externa valdè turbaretur: ſecus eſt de hoc foro pœnitentiali interno; vnde negamus eamdem militare rationem in pœnitentia publica, & priuata: imò ratio eſt diuerſiſſima. nam in publica pœnitentia attenditur exemplum aliorum, & peccatoris correctio, & ideò non pertinet ad forum conſcientiæ purum, & ſolum, ſed ad forum quod appellant mixtum: at in pœnitentia priuata, & ſacramentali, quæ eſt fori conſcientiæ, non aliud attenditur, quàm punire peccatum, & pro eo Deo ſatisfacere: quod æquè bene fieri poteſt per pœnitentiam à ſecundo Sacerdote commutatam aliqua iuſta cauſa in aliam prorſus æqualem.

ARTICVLVS XXXIII.

An per confeſſionem ſacramentalem remittantur peccata, non ſolùm quoad culpam, ſed etiam quoad omnem reatum pœnæ?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Reſoluitur prima pars dubitationis.*
3. *An homo ſemper poſſit à peccatis reſurgere, & ad Deum ſe conuertere, itaut omnibus, omni tempore, ad id Deus det ſufficientem gratiam, & auxilium.*
4. *Quomodo intelligendum ſit, quòd omnes omni tempore habent auxilium ſufficiens, vt poſſint ſe conuertere.*
5. *Dubitatio reſoluitur, quoad ſecundam partem.*
6. *An remiſſa culpa, remaneat pœna temporalis perſoluenda.*
7. *An pœna æterna, peccato mortali debita, in iuſtificatione commutetur in temporalem? & , An hæc remaneat æqualis in omnibus.*
8. *An in ſacramento Pœnitentiæ remittatur peccatum, nedum quoad culpam, & pœnam æternam; ſed etiam quoad temporalem, quæ poſt remiſſam culpam, remaneret luenda.*
9. *An per attritionem, cum ſacramento in re, remittatur tota pœna temporalis.*
10. *An per Baptiſmum remittatur omnis pœna temporalis.*
11. *An poſſit vnum peccatum mortale remitti ſine alio.*
12. *Quid ſit peccatum mortale.*
13. *Quomodo opponantur gratia, & peccatum.*
14. *An ſit probabile vnum peccatum ſine alio, poſſe remitti.*
15. *An poſſit remitti culpa, abſque eo quòd remittatur reatus pœna æterna.*
16. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur quònam ſit fundamentum pœnæ æternæ, quòdve pœnæ temporalis.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Nam omnis reatus pœnæ fundatur in culpa, culpa enim eſt ratio, & fundamentum, propter quod aliquis reus pœnæ conſtituitur. ergo cùm culpa totaliter remittatur per ſacramentum Pœnitentiæ, & etiam per contritionem, ſequitur etiam per ſacramentalem confeſſionem, vel per contritionem remitti omnem pœnam.

II. *Reſoluitur prima pars dubitationis.*

Dico primò, confeſſio ſacramentalis, ſeu Pœnitentiæ ſacramentũ ſufficiens eſt ad delenda peccata mortalia, licèt grauia, & multa, toties quoties homo peccauerit, & legitimè ad confeſſionem ſacramentalem acceſſerit, & pœnitentiam ſuſceperit. Probatur, quia certum eſt de fide, omnia ſacramenta nouæ legis ex opere operato conferre gratiam habitualem; ſed gratia habitualis incompoſſibilis eſt cum omni peccato mortali, & delet omnia peccata mortalia, niſi ponatur obex. ergo per confeſſionem ſacramentalem, ſeu per Pœnitentiæ ſacramentum legitimè ſuſceptum delentur omnia peccata mortalia, licèt grauia, & multa, toties quoties homo peccauerit, & pœnitentiam ſuſceperit. Ita præclarè S.Th. *3. part. quæſt.86. art.1.*

Dico ſecundò, non obſtat contra hanc aſſertionem quod ait Apoſtolus *Hebr.* 12. quòd Eſau non inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquiſiſſet eam, quia Eſau non verè pœnituit. quod patet ex eo quod dixit, *venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Nec etiam officit quòd 2. *Machab.* 9. de Antiocho dicitur, *Orabat ſceleſtus ille Deum, à quo non erat miſericordiam conſequuturus*, nam Antiochus ſimiliter non verè pœnituit: dolebat enim de culpa præterita, non propter offenſam Dei, ſed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur. Neque militat contra veritatem præcedentis aſſerti, quod dicitur Matth. 12. *Qui dixerit contra Spiritum ſanctum verbum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Nam ibi blaſphemia in Spiritum ſanctum dicitur irremiſſibilis, quia non ita facile remittitur, quia tale peccatum non habet in ſe cauſam excuſationis, vel quia pro tali peccato punitur

aliquis & in hoc ſæculo,& in futuro. Neque pugnat illud Ioannis 1. cap.5. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.* Nam nomine *peccati ad mortem* intelligitur peccatum cum quo ex hac vita homo decedit, & in inferno damnatur, propter finalem impœnitentiam. Videatur D.Thom. nuperrimè relatus *ſolutione ad primum,& ad tertium,&* 2.2.q.14.*art.*3.

Dvbitatio I.

III. *An homo ſemper poſſit à peccatis reſurgere,& ad Deum ſe conuertere, itaut omnibus omni tempore ad id Deus det ſufficientem gratiam,& auxilium?*

Dico tertiò, homo ſemper poteſt à peccatis reſurgere, ſéque ad Deum conuertere, etiamſi ſæpiùs, & ſæpiſſimè peccauerit; quia Deus quantum eſt ex parte ſua non denegat auxilia ſufficientia ad reſurgendum cuilibet peccatori. Nam cùm Dens velit omnes homines ſaluos fieri, vt ait Apoſtolus 1. *ad Timoth.* 2. ſequitur ipſum dare auxilia ſufficientia, quibus homines ſaluari poſſint, alioquin non diceretur velle omnes homines ſaluare; tum, quia etiam peccatores excæcati, & obdurati habent præceptum agendi pœnitentiam. ergo ſimpliciter loquendo poſſunt illam agere. Patet conſequentia, quia impium eſt dicere, vt ait D.Ambroſius, quòd Deus aliquid impoſſibile præcipiat. hæc aſſertio colligitur apertè ex D. Thom. *cit.* 3. *part. quæſt.*86.*art.*1.*in corp.* & eam docet Nugnus *ibi dub.*1. *concl.*1.

Dico qnartò, non ſolùm veram pœnitentiam eſſe ſufficientem ad omnia peccata tollenda, ſed etiam in hac vita ſemper eſſe hominibus paratam ſufficientem gratiam ad talem pœnitentiam agendam, nullámque eſſe admittendam exceptionem vel in culpis, vel in perſonis, quantumuis peccauerint. quia quandiu homo hìc viuit; ſemper eſt in ſtatu viatoris; ſed de ratione viæ eſt vt in ea ſemper poſſit ad terminum accedi: ergo repugnat huic ſtatui, quòd homo priuetur poteſtate accedendi ad terminum. ergo, & quòd priuetur auxiliis neceſſariis ſufficientibus, ſine quibus poteſtatem proximam non habet; licèt habeat obedientialem potentiam, & capacitatem. Ita præclatè Magiſter Sotus *in* 4.*diſt.*15.*quæſt.*1. *art.*1. §. *Circa hanc autem veritatem.* vbi ait quòd Deus cuicumque homini, etiam ſceleratiſſimo, offert auxilium ſpeciale quod per ſe cuicumque ſufficit, vt reſurgat. quem ſequitur Suarez *tom.*4.*diſp.*8.*ſect.*2.*num.*6.

Dvbitatio II.

IV. *Quomodo intelligendum ſit, quòd omnes omni tempore habent auxilium ſufficiens vt poſſint ſe conuertere?*

Dico quintò, cùm dicitur omnes habere gratiam, & auxilium ſufficiens, vt omni tempore conuerti, & piè agere poſſint, non de omni omninò tempore ſermo eſt: nam quædam tempora, & momenta ſunt, quibus homo eſt ita diſpoſitus, vt ex hypotheſi talis diſpoſitionis non poſſit tunc conuerti, & piè agere; vt, v.g. cùm dormit: item quando nihil cogitat, neque cogitare ex certa intentione poteſt de conuerſione, aut de pia actione; quia tunc in aliis occupatus, neque audit, neque obiicitur eius imaginationi quidquam, quod ad conuerſionem, aut actionem piam pertinet. D.Th. 3.*cont.Gent.c.*159.*&* 160.

Dico ſextò, quando aſſerimus omnes habere auxilium ſufficiens ſpeciale ſupernaturale, vt omni tempore conuerti, & piè agere, ac vitare peccatum poſſint, intelligendum eſt de omni tempore, quo de ea re cogitare in mentem veniat, aut liberè venire poſſet: neque verò id ita vt oporteat, quouis tali tempore actu excitari, aut ſtimulari diuinitus ad id faciendum, ſed quia Deus ita opportunè ad id excitat, ſtimulat, & ſufficienter adiuuat, vt nullum ſit tale tempus, quo non queat homo adiuuante Deo id facere beneficio excitationis præſentis, aut paulo antè habitæ. nam nemo eſt, qui actu ſemper ſine vlla intermiſſione exitetur, ſtimuletur, & adiuuetur ad bonum. ergo,&c. Videatur D.Thom. *loc.cit.* Aluarez *de auxiliis diſp.*112.*num.*9. Valentia *tom.*2. *diſp.*8. *quæſt.*3. *puncto* 4.§. *Quod ergo aſſerimus, eſt.*

V. *Dubitatio reſoluitur quoad ſecundam partem.*

Dico ſeptimò, directè reſpondens quæſito remiſſo peccato mortali, quoad culpam per ſacramentalem confeſſionem, neceſſe eſt de potentia Dei ordinaria remitti etiam reatum pœnæ æternæ; quia peccator recipit remiſſionem peccati mortalis in ſacramento Pœnitentiæ per gratiam, per quam ex iniuſto fit iuſtus, & hæres vitæ æternæ, iuxta illud Apoſtoli ad Romanos 8. *Si filij,& hæredes*; ſed impoſſibile eſt aliquem eſſe hæredem vitæ æternæ, & eſſe dignum pœna æterna. ergo impoſſibile eſt remitti peccatum mortale in ſacramento Pœnitentiæ, & remanere reatum pœnæ æternæ. Ita docet Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.*6. *cap.*14. quod antè aſſeruit D.Th. 3.*part.quæſt.*86.*art.*4.

Dvbitatio III.

VI. *An remiſſa culpa remaneat pœna temporalis perſoluenda?*

Dico octauò, remiſſa culpa ſæpiſſimè reſtat adhuc aliqua pœna temporalis perſoluenda. Probatur; quia Scriptura multis locis docet Deum culpas iam remiſſas pœnis temporalibus puniiſſe. 2.*Regum* 12. Dauid ob commiſſum adulterium, & homicidium remiſſa culpa punitur morte filij, aliis grauiſſimis pœnis. & ſimiliter *cap.*2.*Regum* 24. ob numeratum populum, & aliis multis locis ſimiles pœnæ leguntur inflictæ: tum, quia hic fuit ſemper ſenſus ab initio totius Eccleſiæ, quæ reſurgentibus à peccatis ſemper graues pœnas præſcripſit, vt patet ex D. Cyprian. *lib. de lapſis*, & Tertull. *lib. de Pœnitentia.* D.Gregor. *hom.*20. *in Euang.* ſuper illud Luc.3. *facite fructus dignos pœnitentiæ*, ſic D.Thom. *loco citato.*

Dvbitatio IV.

VII. *An pœna æterna peccato mortali debita, in iuſtificatione commutetur in temporalem? &, An hæc remaneat æqualis in omnibus?*

Dico nonò, ex parte auerſionis peccato mortali debetur reatus pœnæ æternæ; quia iuſtum eſt, vt qui peccauit contra bonum æternum, in æternum puniatur: ex parte verò conuerſionis ad bonum commutabile conſequitur mortale peccatum reatus alicuius pœnæ, quæ tamen non eſt æterna, ſed temporalis: quia iſta conuerſio eſt finita, & limitata; quia tamen peccator conuertendo ſe ad commutabile bonum, voluntati ſuæ plus indulſit, quàm debuit, iuſtum eſt quòd aliquid contra voluntatem ſuam patiatur. D.Thom. relatus.

Dico

Dico decimò, pœna æterna quæ debebatur impio ob culpam lethalem, dicitur à DD. commutari in temporalem dum iuſtificatur; quia Deus ab æterno præfiniuit pœnas luendas pro diuerſitate ſtatus peccati, ita ut pro peccato mortali non deleto iniungatur pœna æterna; pro peccato verò mortali deleto per pœnitentiam, Deus præfixit pœnam temporalem, niſi pro illa plenè homo ſatisfecerit in hac vita; poſt iuſtificationem igitur impij dicitur pœna commutari in temporalem, quia deleto peccato mortali, debetur ex inſtitutione diuina pœna temporalis luenda in Purgatorio, niſi homo in hac vita plenè pro ea ſatisfecerit. Videatur pro hac re S. D. *in 4. diſt. 14. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 2.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 10. ſect. 3. num. 15. & 16.* Bonacina *tom. 1. de Sacramentis, diſp. 5. quæſt. 6. ſect. prima, punct. 4. num. 2. verſic. Reſpondeo negando conſequentiam.*

Dico vndecimò, reatus pœnæ temporalis, qui dimiſſo peccatu remanet, non ſemper eſt æqualis in omnibus per pœnitentiam iuſtificatis; quia recta ratio dictat, vt qui maiorem habet contritionem, maiorem etiam pœnæ remiſſionem obtineat: tum, quia ſicut magis diſpoſito maior gratia infunditur; ita magis diſpoſito per contritionem maior pœnæ quantitas videtur relaxari: imò tanta poteſt eſſe contritio, vt totam pœnam exhauriat, & auferat. Ita colligitur apertè ex D. Thom. *3. part. quæſt. 86. art. 4. ſolutione ad tertium, fine, & in addit. ad tertiam part. quæſt. 18. art. 1. ad tertium.* quem ſequitur Henriquez *lib. 4. cap. 14. n. 1.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 3. punct. 4. in princ.* Coninchus *diſp. 2. de effectu pœnit. dub. 12. n. 116.*

Dvbitatio V.

VIII. *An in ſacramento Pœnitentiæ remittatur peccatum nedum quoad culpam, & pœnam æternam, ſed etiam quoad temporalem, quæ poſt remiſſam culpam remaneret luenda?*

Dico duodecimò, etiam Sacerdos Miniſter ſacramenti Pœnitentiæ inſtrumentaliter vi clauium, & abſolutionis ſacramentalis non ſolùm remittit peccatum quoad culpam, & pœnam æternam, ſed etiam aliquam pœnam temporalem dimittit, id eſt, aliquid de illa pœna, quæ in Purgatorio debetur, remittit. nam forma abſolutionis ſacramentalis ſignificat generatim ſolutionem vinculorum peccati, ſiue ſecundùm culpam, ſiue ſecundùm pœnam æternam, ſiue ſecundùm pœnam temporalem. ergo Miniſter ſacramenti Pœnitentiæ inſtrumentaliter vi clauium, & abſolutionis ſacramentalis remittit peccatum quoad culpam, quoad pœnam æternam, & quoad aliquid pœnæ temporalis. hoc aſſertum docuit D. Th. *3. part. in addit. quæſt. 18 art. 2.* & Nuguus *ibi.*

Dico decimotertiò, magis explicans præcedentes aſſertiones, licèt quid minus ſit remittere pœnam temporalem, quàm remittere culpam, & pœnam æternam commutare in temporalem, culpa tamen, & pœna æterna ſemper remittitur ſi ſacramentum ſit validum, & formatum: pœna verò temporalis non ſemper tota, ſed ſæpiſſimè aliqua remanet poſt abſolutionem ſacramentalem. Ratio huius eſt; quoniam pœna æterna conſequitur ad auerſionem à Deo, & eſt quaſi connaturalis peccato, atque adeò conſiſtit in indiuiſibili quantum ad rationem remiſſionis. nam, vel tota remittitur, vel nihil eius dimittitur: pœna verò temporalis ſequitur conuerſionem ad bonum commutabile, quæ ſecundùm ſe eſt maior, vel minor, atque adeò, & ipſa pœna eſt diuiſibilis quantum ad remiſſionem: vnde contingere poteſt, quòd remittatur vna pars, & non altera, ſic præclarè Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. quæſt. 86. art. 4. in expoſitione eiuſdem art. ſolutione ad tertium argumentum.* Tum, quia hoc ſacramentum non eſt inſtitutum, vt hanc pœnam temporalem ſemper totam remittat, ſed vt ſecundùm diſpoſitionem pœnitentis illam diminuat: cæterùm cùm ſit per ſe inſtitutum, vt peccator reconcilietur Deo, & ad hoc neceſſaria ſit remiſſio peccati mortalis, ſecundùm omnem rationem culpæ, & pœnæ æternæ; ideo, &c. Videatur D. Thom. *3. part. q. 86. art. 4. ad tertium argumentum.*

Dvbitatio VI.

IX. *An per attritionem cum ſacramento in re remittatur tota pœna temporalis?*

Dico decimoquartò, quamuis per contritionem perfectiſſimam aliquando tota pœna temporalis dimittatur, tamen per excellentiſſimam attritionem ſimul cum ſacramento Pœnitentiæ ſatis probabile eſt, nunquam remitti totam pœnam temporalem, ſed partem illius, ſeruata proportione. Probatur, quia remiſſio pœnæ ſecundùm ſe correſpondet contritioni, quæ eſt ſuperioris ſpeciei reſpectu attritionis, atque adeò & ipſa remiſſio pœnæ eſt Superioris ſpeciei reſpectu attritionis. hoc aſſertum colligitur ex doctrina D. Thom. *loco nuperrimè adducto, & in additione ad 3. partem, quæſt. 18. art. 2. ad tertium,* & illud docet Nugnus nuper *relatus ſolut. ad 4.* Henriquez *lib. 4. cap. 14. num. 1.*

Dvbitatio VII.

X. *An per Baptiſmum remittatur omnis pœna temporalis?*

Dico decimoquintò, licèt per ſacramentum Pœnitentiæ non remittatur ſemper omnis pœna temporalis, per Baptiſmum verò ſemper remittitur. Ratio differentiæ eſt; quia homo per Baptiſmum regeneratur ad nouam vitam, & totus renouatur, conſequenter liber eſſe debet ab omni pœna: per pœnitentiam verò ſanatur quidem à peccato, ſed non regeneratur, conſequenter neque remittitur omnis pœna. Ita probè S. Thom. *3. part. quæſt. 86. art. 4 ſolut. ad 3.*

Dvbitatio VIII.

XI. *An poſſit vnum peccatum mortale remitti ſine alio?*

Dico decimoſextò, de potentia Dei ordinaria impoſſibile eſt per pœnitentiam vnum peccatum mortale remitti ſine alio mortali. Probatur, nullum peccatum mortale remittitur ſine gratia, ſed gratia remittit omne peccatum mortale; ergo ſemper, quando remittitur vnum peccatum mortale, remittuntur omnia lethalia. Probatur minor, quia omne peccatum mortale aduerſatur gratiæ, & excludit illam: vnum tamen peccatum veniale poteſt remitti ſine alio, ſi quidem peccata venialia non contrariantur gratiæ. ergo poterit vnum remitti ſine alio. D. Thom. *quæſt. 86. art. 3. 3 part. cit.*

Dico decimoſeptimò, etiam de potentia Dei abſoluta loquendo, non poteſt vnum peccatum mortale remitti ſine alio. Probatur. nam peccatum mortale per nullam pœnitentiam remitti poteſt, nec intelligi poteſt remitti, ſi non adeſt infuſio gratiæ, vt aſſerit D. Thom. *1. 2. quæſt. 113. art. 2. in corp.* ergo per nullam pœniten

pœnitentiam poteſt remitti vllum peccatum mortale ſine aliis. Antecedens eſt D. Thom. *loc.cit.* Conſequentia probatur. quoniam gratia diuina omnibus peccatis mortalibus æquè opponitur, & æquè omnia excludit: ſed remiſſio culpæ lethalis fit per infuſionem gratiæ. ergo vno remiſſo omnia neceſſe eſt remitti, & ita hanc aſſertionem videtur docere S. Th. 1.2.*cit.* Sotus *in 4. diſt.* 15. *quæſt.* 1. *art.* 3. §. *Concluſionem præſentem*, Caiet. 1.2. *quæſt.* 113. *art.* 2. §. *In eodem ſecundo art.* Valentia *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 3. *de effectu pœnitentiæ, puncto* 3. Henriquez *lib.* 4. *de ſacramento Pœnitentiæ, c.* 13. *in commentario litt. O.*

Dubitatio IX.

XII. *Quid ſit peccatum mortale?*

Dico decimooctauò, peccatum mortale, ſeu macula culpæ lethalis eſt priuatio gratiæ, ſeu priuatio nitoris animæ, quæ habetur ex gratia. eſt enim gratia nitor animæ ſanctum concilians amorem: priuatio autem non poteſt tolli niſi per formam oppoſitam. nam impoſſibile eſt quòd cæcitas in homine tollatur, niſi per viſum, qui eſt forma oppoſita cæcitati, ſed peccatum mortale, ſeu macula peccati, eſt priuatio gratiæ, vt docet S. Thom. 1.2. *q.* 86. *art.* 2. *in corp.* ergo impoſſibile eſt quòd tollatur macula peccati abſque infuſione gratiæ. Videatur D. Thomas 1.2. *quæſt.* 113. *art.* 2. *citato.*

Dubitatio X.

XIII. *Quomodo opponantur gratia, & peccatum?*

Dico decimononò, licèt gratia, & peccatum in homine ſecundùm ſe conſiderato, non ſint oppoſita immediatè: nam inter vtrumque poteſt mediare ſtatus hominis in puris naturalibus, in quo homo conſideratur cum ſola rectitudine ad finem naturalem: tamen reſpectu hominis ordinati ad vitam æternam per donum gratiæ, peccatum, & gratia opponuntur immediatè: ſicuti cæcus, & videns ſecundùm ſe non opponuntur immediatè; nam inter hæc duo extrema datur medium, abſolutè loquendo, etenim lapis nec eſt cæcus, nec videns, ſed eſt non videns; cæterùm in homine, vel in catulo poſt nonum diem, cæcus, & videns opponuntur immediatè. Suppoſito igitur, quòd homo eſt ordinatus à Deo ad vitam æternam, non poteſt auferri ab illo macula peccati, niſi per donum gratiæ: quia priuatio non poteſt tolli niſi per formam immediatè oppoſitam. Ita præclarè S. Thom. *quæſt.* 28. *de veritate, art.* 2. *ad* 4. & *art.* 9. *ad* 13.

Dubitatio XI.

XIV. *An ſit probabile, vnum peccatum ſine alio poſſe remitti?*

Dico vigeſimò, ſi probabilis eſt ſententia Magiſtri Nugni, peccatum ſcilicet eſſe quamdam maculam poſitiuam exiſtentem in anima: probabiliter etiam dici poteſt ſecundùm placitum huius Doctoris quòd per abſolutam potentiam Dei poſſit vnum peccatum ſine alio remitti: nam peccatum eſt quædam macula poſitiua exiſtens in anima, quæ magis intenditur, atque extenditur per nouum peccatum mortale; ſed nulla eſt implicatio contradictionis, quòd Deus tollat iſtam nouam intentionem, vel extenſionem manente macula per primum peccatum cauſata. ergo nulla eſt implicatio contradictionis, quòd vnum peccatum auferatur ſine altero: tum, quia licèt priuatio, formaliſſimè loquendo, conſiſtat in indiuiſibili, tamen ratione entitatis, ad quam ſequitur, poteſt eſſe maior, vel minor: ergo poteſt remitti vnum peccatum de potentia Dei abſoluta, etiamſi alterum peccatum non remittatur: tum, quia quamuis poſtquam quis ſemel peccauit mortaliter per ſecundum peccatum, non producatur noua macula in anima, producitur tamen nouus modus eiuſdem maculæ realiter, formaliter ab illa diſtinctus. ergo poteſt ab illa ſeparari per potentiã Dei abſolutã. Ita Nugn. noſter *tom.* 2. *in* 3. *p. q.* 86. *art.* 3. §. *Sit concluſio.* Sed verius, & probabilius eſt quod diximus *aſſertione* 18. in hoc dubio, peccatum ſcilicet mortale eſſe priuationem gratiæ; ſeu priuationem nitoris animæ: conſequenter vnum peccatum mortale, impoſſibile eſt, ſine alio poſſe remitti, etiam per diuinam omnipotentiam: nam vel peccatum mortale remittitur per infuſionem gratiæ, quæ aduerſatur omni peccato mortali: vel per pœnitentiam, ad quam pertinet deſerere peccatum mortale, in quantum eſt contra Deum, quod quidem commune eſt omnibus peccatis mortalibus; vbi enim eſt eadem ratio, & idem effectus: vnde non poteſt eſſe verè pœnitens, quem de vno peccato mortali pœnitet, & non de alio. Impoſſibile eſt ergo quòd vnum peccatum mortale, ſine alio remittatur. Ita præclarè D. Thomas 3. *part. quæſt.* 86. *art.* 3. *corpore.*

Dubitatio XII.

XV. *An poſſit remitti culpa abſque eo quòd remittatur reatus pœnæ æternæ?*

Dico vigeſimoprimò, de potentia Dei ordinaria, vt ſuprà diximus, remiſſo peccato mortali per pœnitentiam, neceſſariò remittitur etiam reatus pœnæ æternæ. Cæterùm Deus per potentiam abſolutam poteſt remittere culpam non remittendo pœnam æternam, prout pœna æterna dicit ſolam priuationem gloriæ, & paſſionem pœnarum ſenſus. Probatur. nam homines remiſſa offenſa in ratione culpæ poſſunt rigidè debitas pœnas exigere, v. g. mortem homicidæ. ergo & Deus poteſt remittere culpam non remittendo pœnam æternam, &c. Tum, quia obligatio ad pœnam æternam eſt aliquid diſtinctum à culpa, & eius effectus. ergo ablata culpa manere poterit.

Dico vigeſimoſecundò, ſi pœna æterna conſideretur, prout de facto iam exiſtit in damnatis, qua ratione includit inimicitiam cum Deo vermem conſcientiæ, & talem ſtatum, in quo & voluntas ſit obſtinata in malo, & intellectus apprehendat Deum, vt inimicum, & perpetuo illum odio habeat, Deus non poteſt eam infligere ſublata culpa. quia hac ſublata, homo non eſt ampliùs iniurius Deo, nec illum odio habet, nec ampliùs voluntas eius eſt obſtinata in malo, nec intellectus apprehendit Deum, vt inimicum; ergo, vt ſic implicat, quòd ſublata culpa non remittatur etiam pœna æterna. Videatur Henriquez *lib.* 4. *c.* 13. *n.* 4. Bonacina *tom.* 1. *de Sacramentis, diſput.* 5. *q.* 6. *ſect.* 1. *puncto* 4. *propoſ.* 1. Suarez *tom.* 4. *diſp.* 10. *ſect.* 2. *num.* 8. Coninchus *diſp.* 2. *de effectu pœnitentiæ, dub.* 13. *n.* 118.

XVI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

Dubitatio XIII.

Quódnam ſit fundamentum pœnæ æternæ, quódve temporalis?

Ad rationem in contrarium, quæ directè militat contra

contra aſſertum decimum, reſpondetur ſundamentum reatus pœnæ æternæ eſſe culpam nondum deletam, ſed adhue habitualiter perſeuerantem, per quam homo temanet inimicus Dei, & dignus pœna ætetna: fundamentum verò reatus pœnæ temporalis eſſe culpam, quæ præceſſit, & pro qua nondum eſt ſatisſaćtum; cùm ergo recipiens ſacramentum Pœnitentiæ, aut eliciens actum contritionis poſt peccatum commiſſum, non ſemper plenè ſatisſaciat pro peccato dimiſſo, dicendum eſt dimiſſa culpa non ſemper remitti totum pœnæ temporalis reatum: videatur D. Thom. *3. part. quæſt. 86. art. 4. ad primum argumentum.*

Reſpondetur ſecundò, ex doctrina eiuſdem S.D. *eodem loco*, culpam mortalem duo includere, auerſionem ſcilicet à Deo, cui correſpondet pœna æterna, & conuerſionem ad bonum commutabile, cui correſpondet pœna finita, & temporalis, per pœnitentiam tollitur quidem auerſio, & peccatum quoad omnem malitiam motalem, & conſequenter pœna æterna; remanet tamen ſæpiſſimè inordinata conuerſio ad bonum commutabile, & conſequenter pœna temporalis luenda.

Non eſt tamen intelligendum, quòd poſt deletam culpam maneat in homine inordinata conuerſio quantum ad ſuam moralem malitiam, quoniam hæc eſſentialiter includitur in peccato, atque adeò tollitur ſicut & peccatum ipſum, ſed ſolùm eſt intelligendum, quòd maneat illa inordinata conuerſio, quaſi materialiter quoad habitum, & quoad aliquem effectum ortum ex illa: vt qui per auaritiam Deum offendit diligendo plus res temporales, & diuitias, quàm diuinam bonitatem, ſi poſtea conuertitur ad incommutabile bonum per pœnitentiam, remittitur ei culpa quoad omnem rationem malitiæ, & licèt pœnitens abhorreat, & auertatur actualiter ab illo bono commutabili, ſæpè tamen remanet in eo quædam habitualis inordinatio, & inclinatio ad diuitias commutabile bonum, per pœnam temporalem ordinanda, & extinguenda: fieri tamen poteſt, vt tanta ſit pœnitentis contritio, vt nihil huius inordinationis remaneat, & tunc vi maximè contritionis tota pœna æterna & temporalis remittitur. Videatur Caietanus *3. part. quæſt. 86. art. 4.*

ARTICVLVS XXXIV.

An poſt ſacramentalem confeſſionem, ſeu per ſacramentum Pœnitentiæ, remittantur peccata venialia?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *An per Baptiſmum remittantur omnia peccata, tam mortalia, quàm venialia, nedum quoad culpam, ſed etiam quoad pœnam.*
3. *An omnia ſacramenta noua legis remittant ex opere operato omnia peccata venialia, vel ſaltim aliqua.*
4. *An in ſuſceptione ſacramenti remittantur peccata venialia, ſi homo habeat complacentiam virtualem illorum.*
5. *An peccata venialia in confeſſione oblita, remittantur vi ſuſcepti ſacramenti.*
6. *An peccata venialia, ex induſtria relicta in confeſſione, remittantur per ſuſceptionem ſacramenti.*
7. *Explicatur magis, an in infuſione gratiæ fiat remiſſio omnium venialium.*
8. *An ad remittenda peccata venialia requiratur aliquis bonus effectus pœnitentis.*
9. *Dubitatio reſoluitur.*
10. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, quomodo quodlibet ſacramentum, ex ſui inſtitutione, ſpeciales effectus producat.*

I. *Pars negatiua probatur.*

QVia per ſacramentalem abſolutionem, ſeu per ſuſceptionem pœnitentię, non remittuntur omnia peccata venialia; ſed non eſt maior ratio de vno, quàm de alio. ergo nullum remittitur. Maior probatur, ſacramentum Pœnitentiæ non remittit totam pœnam debitam venialibus. ergo, neque omnia venialia. Antecedens ab omnibus conceditur cum D. Th. *3 p. q. 87. art. 3. ad 3.* Conſequentia verò probatur; quia cauſa potens ſupra id quod maius eſt, à fortiori potens ſupra id quod minus eſt in eodem genere. Minor verò probatur, quia ſacramentum Pœnitentiæ non habet maiorem contrarietatem cum quibuſdam peccatis venialibus, quàm cum aliis, & dicere quòd tantùm remittit peccata venialia, quæ huic ſacramento contrariantur, videtur fictitium. ergo, &c.

DVBITATIO I.

II. *An per Baptiſmum remittantur omnia peccata, tam mortalia, quàm venialia, nedum quoad culpam, ſed etiam quoad pœnam?*

Dico primò, certum eſt ſecundùm fidem, itaut oppoſitum ſit erroneum, quòd ſacramentum Baptiſmi remittit omnia peccata venialia, & mortalia, quantum ad culpam, & quantum ad totam pœnam, dummodo homo non habeat talium peccatorum complacentiam. Probatur ex Conc. Trid. *ſeſſ. 5. decreto de peccato originali, canone 5.* vbi dicitur; *In renatis nihil odio habet Deus, quia nihil in eis damnationis eſt.* & poſtea ſubditur renatos eſſe innocentes, immaculatos, innoxios, itaut nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur. Probatur vlteriùs hæc aſſertio ratione S. Th. *3. p. q. 69. art. 1.* nam Baptiſmus eſt quædam generatio ſpiritualis; ſed in generatione non ſolùm producitur ſubſtantia, ſed etiam comproducuntur accidentia, & quæ præexiſtebant ante generationem, omnia corrumpuntur. ergo per Baptiſmum totaliter deſinunt eſſe peccata, quoad culpam, & quoad totam pœnam: & ita hanc aſſertionem docuit D. Th. *3. p. cit. q. 69. art. 1. 2. & 7.*

Dicu ſecundò, ſi recipiens Baptiſmum habeat complacentiam alicuius, vel aliquorum peccatorum venialium, non recipit remiſſionem illorum, neque quoad culpam, neque quoad pœoam. Idcirco dixi *in aſſerto præcedenti, dummodo homo non habeat talium peccatorum complacentiam.* Probatur. nam impoſſibile eſt peccatum ſimul fieri, & deleri; ſed qui habet complacentiam alicuius peccati, committit illud. ergo, &c. neque quoad pœnam. Patet. nam fieri non poteſt quòd dimittatur pœna debita alicui peccato veniali, niſi ipſum peccatum veniale priùs remittatur. ergo, &c.

DVBITATIO II.

III. *An omnia ſacramenta noua legis remittant ex opere operato omnia peccata venialia, vel ſaltem aliqua?*

Dico tertiò, ſacramentum Pœoitentiæ, & omnia

alia

alia ſacramenta nonæ legis, habenr virtutem ad remittenda aliqua peccata venialia ex opere operaro. Probatut. nam omnia ſacramenta nouæ legis habent virtutem ad remittendum peccatum mortale, & hoc pet ſe ſecundùm ratiooem genet icam; ſed peccata venialia ſunt magis remiſſibilia. ergo etiam habent virtutem ad temittenda peccata venialia, atque adeò quando dignè ſuſcipiuntut, ſemper remittunt aliqua de facto. D. Thom. 3. *part. quaſt.* 87. *art.* 3.

Dico quartò, ptætet ſactamentum Baptiſmi, nullum ſacramentum remittit infallibiliter omnia peccata venialia, ſed plura, vel pauciora, ſecundùm ſuam perfectionem, & ſecundùm ſuam diſpoſitionem, qua quis accedit ad tale ſacramentum, & iſto modo ſe habet pœnitentia reſpectu peccatorum venialium, quæ homo non confitetur. Probatur, qoia peccata venialia poſſunt eſſe ſimul cum ipſa gratia, atque adeò cum ipſa infuſione gratiæ. ergo ex co quòd infunditut gratia in ſactamentis, non ſequitur quòd remittantur omnia peccata venialia. Tum, quia nullum ſacramentum otdinatut in particulari ad remittenda peccara venialia, tanquam ad proprium effectum. ergo infallibiliret nullum ſacramentum remittit omnia peccata venialia; ſic benè Nugnus noſter *tom.* 2. *in* 3. *part. quaſt.* 87. *art.* 3. *difficult.* 1. licèt Sotus *in* 4. *diſt.* 15. *quaſt.* 2. *art.* 3. aſſerat omnia ſacramenta per ſe infundendo gratiam remittere omnia venialia, ſecluſo merito actus ſuſcipientis: videatur *loc. cit.* §. *Dubium tamen eſt, verſic. Et eſt argumentum.* quem ſequitur Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 12. *ſect.* 1. *num.* 10. Bonacina *tom.* 1. *de Sacramentis, diſp.* 5. *quaſt.* 6 *puncto* 1. *n.* 2. Henriquez *lib.* 4. *de pœnitentia, cap.* 15. *n.* 4. Vnde propter auctoritatem horum grauiſſimorum DD.

Dico quintò, ptobabile eſt etiam aſſerere, omne ſactamentum nonæ legis ex opere operato, ſi dignè ſuſcipiatur, remittere attrito attritione ſupernaturali omnia venialia quoad culpam; niſi obicem inuenerit, complacentiam ſcilicet actualem, vel virtualem eorumdem. Probatur. nam, quia per ſacramenta remittuntur omnia mortalia etiam oblita, ſi inuincibiliter quis illorum non recordatur, & niſi ponatur obex. ergo etiam remittuntur omnia venialia, quæ ſunt magis remiſſibilia, modò adſit debita & ſufficiens diſpoſitio: tum, quia non eſt maior ratio cur potiùs aliqua venialia remittantur, & non omnia, modò non ponatur obex: & ita hoc aſſertum docent auctores allegati *in præcedenti.*

Dvbitatio III.

IV. *An in ſuſceptione ſacramenti remittantur peccata venialia, ſi homo habeat complacentiam virtualem illorum?*

Dieo ſextò, certiſſimum tamen eſt quòd per nullum ſacramentum remittunrur venialia, quæ quis committit in ſuſceptione ſacramenti, aut quorum qois habet actualem complacentiam: nam impoſſibile eſt peccatum ſimul fieri, & deleri. Immò neque etiam per ſuſceptionem ſacramentorum remittuntur peccata venialia, quorum habet homo complacentiam virtualem; nam ex communi ſententia Theologorum eſt condirio generalis ad hoc qoòd peccatum aliquod remitratur, qoòd homo non habeat intentionem formalem, neque etiam virtualem, illud iterum committendi. ergo peccata venialia, quorum pœnitens habet complacentiam virtualem per ſuſceptionem ſacramenti, ei non remittuntur.

Dico ſeptimò, contingere poteſt quòd quis accedat ad ſacramentum cum deſiderio recipiendi illud, & illius effectum, & ſine aliqua actuali complacentia peccatorum venialium, & nihilominus, quòd habeat virtualem complacentiam ad aliquod veniale, puta ad mendacium iocoſum, & tunc certum eſt, quòd non remittitur tale peccatum veniale. ergo non ſufficit, vt pœnitens non habeat complacentiam actualem ad peccata venialia in ſuſceptione ſacramenti, vt remittantur ei; ſed requiritur etiam quòd non habeat virtualem eorum complacentiam. Confirmatur. nam qui antequam accedat ad ſacramentum Pœnitentiæ, v. g. habuit intentionem proferendi mendacium officioſum, quam intentionem non retractauit poſtea accedens ad ſacramentum illius intentionis, non recordatur, atque adeò illius non habet complacentiam actualem, ſed tantùm virtualem, & virtute illius poſt ſuſceptum ſacramentum profert mendacium: tunc certum eſt, quòd illa determinatio dicendi mendacium, quæ eſt peccatum veniale cauſata ex intentione antecedenti, non remittitur per illud ſacramentum. ergo non tantùm obeſt ad remiſſionem venialium in ſuſceptione ſacramenti complacentia illorum actualis, ſed etiam officit complacentia virtualis; ſic præclarè Nugnus *tom.* 2. *in* 3. *part. quaſt.* 87. *art.* 3. *difficult.* 1. §. *Circa iſtam ſolutionem.*

Dvbitatio IV.

V. *An peccata mortalia in confeſſione oblita remittantur vi ſuſcepti ſacramenti?*

Dico octauò, ſi homo omittit confiteri peccata venialia ex obliuione, ſolùm confeſſis lethalibus culpis, per ſacramentalem abſolutionem directè remittuntur culpæ lethales actualiter confeſſæ, & omnia mortalia inuincibiliter oblita, conſequenter, & indirectè: non tamen omnia venialia oblita, ſed aliqua, ſecundùm id quod diximus *aſſertione* 4. Prioia pars patet; nam peccatum, & gratia propriè, & immediatè opponuntur. ergo dum homo iuſtificatur per infuſionem gratiæ per ſactamentum Pœnitentiæ, peccata mortalia actualiter confeſſa directè, & alia mortalia inculpabiliter oblita indirectè, & conſequenter neceſſariò remittuntur. Secunda pars probatur, quia peccata veoialia ſunt compatibilia cum gratia; ergo non eſt neceſſarium, quòd omnia remittantut quando gratia infunditur: tum, quia ſicut quanto maior eſt diſpoſitio in pœnitente, tanto maior ei gratia confertur, & magis eidem remittirur de pœna; ita ſimiliter, quanto maior eſt diſpoſitio, ranto plura venialia peccata remittuntur, & ſicut aliquando remittitur tota pœna, propter excelleotiam contritionis, ita ſimiliter aliquando remittuntur omnia peccata venialia, non tamen infallibiliter, & ſemper.

Dvbitatio V.

VI. *An peccata venialia ex induſtria relicta in confeſſione remittantur per ſuſceptionem ſacramenti?*

Dico nonò, ſi pœoitens in ſacramento Pœnitentiæ ex intentiooe, & de induſtria omittit confiteri peccata venialia, videtur quòd peccata illa venialia ex intentione omiſſa non remittantur; quia cùm proprius modus huius ſacramenti ſit remittere peccata, media confeſſione, non velle illa coofiteri eſt habere quandam virtualem complacentiam in illis: ergo, &c. Tum, quia ad remiſſionem venialium ſaltem requiritur iſta diſpoſitio, quòd homo velit ſuſcipere ſacramentum Pœnitentiæ in remedium peccatorum, & quòd re ipſa

dignè

dignè illud ſuſcipiat: ſed qui ex intentione non vult confiteri venialia, non videtur ſuſcipere ſacramentum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum venialium. ergo, &c. Ita benè notauit Nugnus noſter *tom. 2. in 3. p. q. 87. art. 3. diffic. 1. ſolut. ad quartum argumentum.*

Dvbitatio VI.

VII. *An in infuſione gratiæ fiat remiſſio omnium venialium?*

Dico decimò, magis explicans aſſertiones præcedentes, & præcipuè quartam, licèt ad infuſionem gratiæ non ſit neceſſaria remiſſio peccatorum venialium; quia gratia, & peccatum veniale perfectè, & immediatè non opponuntur: tamen eſt maximè conueniens, quòd in illius infuſione iuxta maiorem, vel minorem diſpoſitionem ſubiecti plura, vel pauciora de obliris non confeſſis remittantur, quia ſufficit oppoſitio imperfecta, quæ eſt inter gratiam, & peccata venialia ad hoc, quòd per infuſionem illius remittantur aliqua, & plura, vel pauciora, iuxta maiorem, vel minorem diſpoſitionem ſubiecti.

Dvbitatio VII.

VIII. *An ad remittenda peccata venialia requiratur aliquis bonus affectus pœnitentis?*

Dico vndecimò, In remiſſione peccatorum venialium ſemper eſt neceſſarius aliquis bonus affectus ipſius pœnitentis, qui ſit pœnitentia formalis, vel virtualis, vt colligitur clarè ex S. Th. *3. p. q. 87. art. 1. 2. & 3. ſolut. ad 3.* Tamen in ſuſceptione ſacramenti vel omnia, vel aliqua peccata venialia ex opere operato remittuntur; quia talis effectus ſecundùm ſe aliquando non eſt ſufficiens ſine ſacramento ad remittenda peccata venialia; aliquando verò non eſt ſufficiens ad tot venialia remittenda. ergo vel omnia, vel aliqua per ſacramentum ex opere operato remittuntur.

IX. *Reſoluitur dubitatio.*

Dico duodecimò, apud omnes certiſſimum eſt ſacramentum Pœnitentiæ, & alia ſacramenta, præter ſacramentum Baptiſmi, non ſemper remittere totam pœnam debitam venialibus. Ratio differentiæ inter Baptiſmum, & cætera ſacramenta, hæc eſt: quia per Baptiſmum homo participat totaliter virtutem paſſionis Chriſti; nam per ſpiritum & paſſionem Chriſti Domini, commortuus peccato regeneratur ad nouam vitam, ideò in Baptiſmo homo remiſſionem omnium peccatorum, & reatus totius pœnæ conſequitur: in pœnitentia verò, & in aliis ſacramentis, conſequitur virtutem paſſionis Chriſti ſecundùm modum propriorum actuum, qui cùm poſſint eſſe magis, vel minùs intenſi, & perfecti, ideò per proprium actum pœnitentiæ, & in ſuſceptione aliorum ſacramentorum, non ſtatim ſoluitur reatus totius pœnæ, ſed plus, vel minus de illa remittitur, iuxta maiorem, vel minorem diſpoſitionem ſubiecti. Ita optimè S. Thom. *3. p. quæſt. 86. art. 4. ad 3.* Pro qua re videatur idem S. D. *3. p. quæſt. 87. art. 3. ad 3.*

X. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

Dvbitatio VIII.

Quomodo quodlibet ſacramentum ex ſui inſtitutione ſpeciales effectus producat?

Ad rationem in contrarium à principio poſitam, reſpondetur negando minorem. nam cùm quodlibet ſacramentum ſpecialius à Chriſto Domino ſit inſtitutum ad aliquem peculiarem ſpiritualem effectum cauſandum in homine, ſpecialius etiam habet ex ſe illa peccata venialia remittere, quæ illi effectui maximè opponuntur. Confirmatio enim eſt inſtituta ad dandum robur, & fortitudinem; Euchariſtia ad conſeruandam, & nutriendam charitatem; Pœnitentia ad curandam ſpiritualem ægritudinem, ſi poſt ſpiritualem generationem hominem illam incurrere contingat; Extrema vnctio ad inſtaurandas vires, & reliquias ægritudinis prorſus curandas; Ordo ad ſtatuendum hominem in ſtatu viri perfecti in ordine ad bonum totius communitatis. Matrimonium ordinatur ad quandam perfectionem amoris inter virum, & fœminam; quia verò iſtius ſpiritualibus effectibus ſpecialis, quædam venialia opponuntur: vnumquodque ſacramentum magis quædam venialia, quàm alia habet remittere, plura, vel pauciora, iuxta diſpoſitionem ſubiecti.

Quòd ſi ſuſcipiens ſacramentum non habeat illa venialia, quæ ſpeciali opponuntur effectui ab ipſo producto, ratione communi, in communi remittet aliqua venialia ex his, quæ commiſit; quia gratiæ, quam cauſat quodlibet ſacramentum, imperfectè opponuntur omnia venialia, vt diximus *aſſertione* 10. Baptiſmus autem cùm ſit quædam regeneratio ſpiritualis, totaliter omnia peccata lethalia, & venialia, quoad culpam, & quoad ad totam pœnam remittit: vt docet D. Th. *3. p. q. 69. art. 1. 2. & 7.* Videatur pro hac ſolutione S. D. *3. p. q. 65. art. 1.* Nugnus *tom. 2. in 3. part. q. 87. art. 3. diffic. 1. ſolutione ad quintum argumentum.*

Articvlvs XXXV.

An peccata venialia remittantur per Sacramentalia?

Svmmarivm.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur, quid ſit Sacramentale, & quanam ſint Sacramentalia.*
3. *Dubitatio reſoluitur, explicando, an in Sacramentalibus vſurpandis, requiratur aliquis bonus actus? &, An ex opere operato remittant venialia.*
4. *A quónam Sacramentalia habeant virtutem remittendi venialia ex opere operato.*
5. *An ſemper per Sacramentalia remittantur omnia venialia.*
6. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in octaua aſſertione.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm quodlibet Sacramentale eandem relationem habeat ad vnum peccatum veniale, & ad omnia. ergo ſi per aliquod Sacramentale remittitur vnum peccatum veniale, ſequitur quòd pari ratione remittantur omnia, & ita per vnam tunſionem pectoris, vel per vnam aſperſionem aquæ luſtralis, redderetur homo immunis ab omnibus, quod eſt inconueniens: non enim hoc conceditur ſacramentis, vt præcedenti dubio oſtendimus.

Dvbitatio I.

II. *Quid ſit Sacramentale, & quanam ſint Sacramentalia?*

Dico primò, Sacramentale, prout in præſenti ſumitur, poteſt ſic diffiniri: Sacramentale eſt res ſacra, vel

actio ſacra, cui effectus remittendi peccata venialia tribui ſolet. Seu, eſt res ſacra, vel actio ſacra, qua obtinetur remiſſio peccatorum venialium: quæ ab Eccleſiaſtica poteſtate clauium, id eſt, ab auctoritate remittendi peccata, quam Eccleſia habet, eſt ad id inſtitutum. Et quamuis expreſsè in ſacris Canonibus non conſtet ſacramentalia eſſe ab Eccleſia inſtituta ad tollendas culpas veniales; virtualis tamen quædam inſtitutio non eſt deneganda, quæ fundatur in antiquiſſimo Eccleſiæ vſu, & in communi totius Eccleſiæ apprehenſione, quæ in his rebus numquam poteſt eſſe falſa: nam cùm Summi Pontifices hanc veritatem cognoſcant, & taceant, vel intelligunt ita eſſe a parte rei, ex determinationibus antiquorum Pontificum, vel ipſi ita determinant, & inſtituunt, vt non ſit falſitas in communi totius Eccleſiæ conſenſu. Videatur Magiſter Sotus *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 3. §. de Oratione Dominica, verſic. de alijs.* Nugnus *tom. 2. in 3 part. q. 87. art. 3. diffic. 3. verſ. vnde ex hac veritate.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 4. punct. 1. verſ. ſecundò aſſerimus.*

Dico ſecundò, ſacramentalia, quæ communiter à DD. enumerantur, ſunt hæc, Aqua benedicta, Confeſſio generalis, Oratio in Eccleſia conſecrata, Tonſio pectoris, Eleemoſyna, Vnctio aliqua ſacramentalis; quia etſi omnibus ſacramentis competat remittere mortalia, & venialia, & ex opere operato, peculiariter tamen Extremæ vnctioni conuenit remittere venialia: nam peccatum veniale cùm ſit quaſi quædam vitæ ſpiritualis ægritudo, & infirmitas, & ei ſacramento competat tribuere quandam ſpiritualem ſanitatem: ideò inter ſacramentalia enumeratur Extrema vnctio, cùm aliàs ſit verum ſacramentum, vel vnctio ſacra, vt eſt propriè quoddam ſacramentale, illa eſt quæ fit ante Baptiſmum, vel dum conſecrantur manus Sacerdotis, caput Epiſcopi, aut Regis vncti. Videatur Henriquez *lib. 4. de pœnitentia, cap. 15. num. 8.* De Aqua benedicta, habetur *can. Aquam, de conſecratione diſt. 3.* De benedictione Epiſcopali, habetur *1. quæſt. 1. can. dictum eſt.* De confeſſione generali, colligitur ex *can. de quotidianis diſt. 3. de Pœnitentia.* De oratione Dominica, patet ex *dicto can. de quotidianis, & can. tres ſunt, de pœnitentia, diſt. 1.* De oratione in Eccleſia conſecrata, confirmatur iſta Eccleſiæ traditio, ex *lib. 3. Reg. cap. 8. & 9. & 2. Paralip. cap. 6. & 7.* vbi tam magnificè pollicitus eſt Deus ſe fuiſſe exauditurum orantes in templo à Salomone conſecrato. quanto igitur magis in templo, vbi etiam ipſe reſidet Chriſtus. De eleemoſyna, habetur *can. medicinam, de pœnitentia, diſt. 1.* & colligitur ex Scriptura, vt Daniel. 4. *Peccata tua eleemoſynis redime.* De vnctione ſacramentali, colligitur ex *cap. vnico, de ſacra vnctione.* Videatur D. Thom. *3. part. quæſt. 87. art. 3.* Sotus, Nugnus, Valentia *loc. cit.*

III. *Veritas aperitur, & explicatur*

Dvbitatio II.

An in ſacramentalibus vſurpandis requiratur aliquis bonus actus? &c. An ex opere operato remittant venialia?

Dico tertiò, ſacramentalia, modò reuerenter vſurpentur, cum aliqua affectione ad diuina ex opere operato, habent remittere venialia: quia ſicut ſacramenta eleuantur à Deo ad cauſandam gratiam phyſicè, ita ſimiliter ſacramentalia eo ipſo quod à fidelibus vſurpantur, reuerentur, & cum aliqua affectione ad diuina eleuantur à Deo, vt verè, & realiter cõtactu virtutis tangant animam, & remittant peccata venialia: tum, quia talis eſt communis ſenſus fidelium, arbitrantur enim ſe quotieſcumque reuerenter vſurpant aquam benedictam, remiſſionem venialium conſequi, etiamſi tunc non ſemper excitentur ad motum pœnitentiæ formalis, vel virtualis perfectæ, vt eſt dilectio Dei ſuper omnia, qui citra eiuſmodi vſum valeat ad illam remiſſionem. Ita benè Magiſter Sotus *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 3. §. in contrarium tamen eſt.* Caiet. *3. part. quæſt. 83. art. 3.* hos ſequitur Valentia *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 4. punct. 1. §. eſt autem diligenter* Henriquez *lib. 4. de pœnitentia, cap. 15. num. 8.* licèt alij, vt Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 12. ſect. 2. num 10.* & Bonacina *tom. 1. de ſacramentis, diſp. 5. q. 6. punct. 2. num. 4.* doceant tantùm ex opere operantis ſacramentalia remittere venialia.

Dico quartò, quòd ſicut in adultis ſemper requiritur aliquis actus, vt ſacramenta cauſent gratiam, qui tamen actus, vel non eſt ſecundùm ſe ſufficiens ad gratiam, vel ſaltem non eſt ſufficiens ad tantam gratiam, quanta eſt illa, quæ cauſentur de facto in ſacramento, & ſic verificatur, quòd ſacramẽta cauſant gratiam ex opere operato: ita licèt ad hoc quòd aqua benedicta remittat peccata venialia, ſemper requiratur aliquis actus reuerentiæ, vel piæ affectionis ad diuina; tamen vel ille actus non eſt ſufficiens ad peccata venialia remittenda, vel ſaltem non eſt ſufficiens ad omnia illa, quæ de facto remittuntur per aquam benedictam, & ſic verificatur, quòd propriè, & rigoroſè Aqua benedicta ex opere operato remittat peccata venialia. Idem dicendum de quolibet alio ſacramentali. Sic benè notauit Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. q. 87. art. 3. diffic. 2. §. prima ſententia, verſ. & ſicut in adultis.* Videatur etiam Magiſter Cano *lib. 12. de locis, c. 13.*

Dvbitatio III.

IV. *A quónam ſacramentalia habeant virtutem remittendi peccata ex opere operato?*

Dico quintò. Dum aſſerimus ſacramentalia remittere peccata venialia ex opere operato, id non intelligimus, quòd virtute Eccleſiæ id habeant, ſed virtute Paſſionis Chriſti Domini, qui conceſſit Eccleſiæ poteſtatem, vt ſacramentalia inſtitueret, quibus tamen determinatis, & aſſumptis ad operandum ipſe Chriſtus Dominus eſt, qui eleuat illa ſacramentalia, & virtutem concedit, vt ex opere operato remittant merito ſuæ ſanctiſſimæ paſſionis peccata venialia: quia omnia peccata remittuntur virtute Paſſionis Chriſti, & non virtute, quæ tribuatur ipſi Eccleſiæ: quòd verò in Eccleſia ſit iſta poteſtas inſtituendi ſacramentalia ad remiſſionem peccatorum venialium, colligitur ex verbis Chriſti Domini Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis,* hoc enim intelligitur, & explicatur à Doctoribus ſanctis, vt peccata mortalia mediis ſacramentis, venialia verò mediis ſacramentalibus, remittantur; quia talis eſt conſenſus totius vniuerſalis Eccleſiæ. Nugnus nouiſſimè relatus *ſolutione ad primum argumentum.*

Dico ſextò, non obſtare D. Thom. contra præcedentes aſſertiones, dum *3. part. quæſt. 87. art. 3. ad 1.* & aliis in locis, ait non remitti peccata venialia, niſi per actum contrarium, qui ſit aliqua deteſtatio, & diſplicentia virtualis; ſumptio verò ſacramentalium, vt receptio aquæ benedictæ cum reuerentia, & pia affectione ad res diuinas, non videtur opponi peccatis venialibus, neque eſt illorum deteſtatio. ergo, &c. Non, inquam, officit hoc: nam volitio ſumendi ſacramentalia, puta aquam benedictam cum aliqua deuotione, & affectione ad res diuinas, & Eccleſiaſticas

aliquo

aliquo modo, licèt imperfectè, opponitur peccato veniali, & virtualiter illud deteſtatur; quatenus feruori, & deuotioni tendendi in Deum, & res diuinas, opponitur. Ita optimè Magiſter Sotus *in 4. diſt. 15. quaſt. 2. art. 3. §. In contrarium, verſic. Vnde reſponſio S. Thom.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. quaſt. 4. puncto 1. verſic. Cùm verò quintò.*

Dico ſeptimò, licèt Eccleſia virtute clauium authoritatem habeat, vt poſſit ſacramentalia inſtituere ad remiſſionem venialiom, quæ ex opere operato ad id valeant, ex hoc non ſequitur, ipſam inſtituere poſſe ſacramenta; nam ſacramentotum effectus ſpiritualis non eſt qualiſcumque, ſed conſiſtit in ſanctificatione hominis per gratiam gratum facientem, vel eius augmentom: hunc autem effectum minimè habent ſacramentalia inſtituta ab Eccleſia; remiſſio enim venialium poteſt fieri ſine infuſione gratiæ: ergo, &c. Ita bene D. Thom. *3. part. q. 65. art. 1. ad 6.* quod etiam notauit Sotus *in 4. diſt. 15. q. 2. art. 3. § Quòd ſi contrà arguat.*

Dvbitatio IV.

V. *An ſemper per ſacramentalia remittantur omnia venialia?*

Dico octauò, per ſacramentalia, quantum eſt de ſe, omnia peccata venialia remittuntur, quando non adeſt actualis, vel virtualis complacentia ad illa, & quando actus reuerentiæ, deuotionis, ſeu affectionis ad res diuinas, & Eccleſiaſticas eſt ita perfectus, vt cum omnibus venialibus oppoſitionem habeat ſaltem virtualem. Probatur, quia talis actus continet deteſtationem omnium venialium, & conſequenter habet oppoſitionem cum omnibus. ergo, &c. Tum, quia ſacramentalia ſunt per ſe inſtituta ad deleoda peccata venialia, & hoc habet ex opere operato. ergo ſi non adeſt obex complacentia actualis, vel virtualis ad ea, omnia remittuntur: hoc aſſertum clarè colligitur ex S. Thom. *3. part. quaſt. 87. art. 3. ad 2.*

Dico nonò, per ſacramentalia tolluntur quidem peccata venialia ex opere operato, quantum ad culpam, non tamen per ſumptionem cuiuſlibet ſacramentalis ſemper tollitur totus reatus pœnæ, quæ debetur peccatis venialibus; quia ſic qui eſſet immunis à peccato mortali, aſperſus aqua benedicta ſtatim euolaret in cœlum: ſed reatus pœnæ remittitur per ſacramentalia ſecundùm modum feruoris in Deum, qui per prædicta quandoque magis, quandoque minus excitatur. Idem ſanctiſſimus Præceptor *loco citato, ſolutione ad tertium.*

VI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in octaua aſſertione.*

Ad rationem in contrarium patet, quid dicendum ex aſſertione octaua; concedimus enim, quòd per ſuſceptionem ſacramentalium aliqoando omnia peccata venialia remittuntur, ſi mens illis nec actualiter, nec virtualiter inhæreat, & affectus deuotionis, & feruoris ad res diuinas Eccleſiaſticas talis ſit; vt virtualiter ſaltem venialibus opponatur, quamuis de illis nihil cogitetur, deteſtatetur tamen in illa ſuſcipiens ſacramentalia, ſi in mentem venirent. Et licèt affectus ille deuotionis aliqoando de ſe ſufficiat ad remittenda aliqua venialia, non tamen ſufficit ad remittenda omnia illa, quæ de facto remittuntur cum ſacramentali, quod ſimul ſuſcipitor, & poteſt eſſe ita perfectus, vt ſimul cum ſuſceptione ſacramentalis omnia peccata venialia remittantur; & ſic vtrumque verificatur, & quòd illa pia affectio ad res diuinas ſit neceſſaria, quæ importat virtualem pœnitentiam, non tamen perfectam, & quòd ſacramentalia verè ex opere operato remittant venialia. Videatur D. Thom. *3. part. quaſt. 87. art. 3. ſolutione ad ſecundum.* Nugnus *ibi art. 1. ſolutione ad ſecundum argumentum.*

Articvlvs XXXVI.

An extra ſacramentum, & ſacramentalia per alios virtutum actus, peccata venialia deleantur?

Svmmarivm.

1. *Part negatiua probatur.*
2. *In quo conueniant, vel differant, peccatum mortale, & peccatum veniale.*
3. *An per actum contritionis deleantur ne dum mortalia, ſed etiam omnia peccata venialia.*
4. *An vitari poſſint omnia venialia ab homine.*
5. *An iuſtus poſſit frequenter eſſe ſine vllo veniali.*
6. *An per contritionem deleantur peccata venialia, quoad omnem pœnam.*
7. *Explicatur magis, vnde oriatur, quòd actus contritionis ſufficiens ad delenda mortalia, non ſit ſufficiens ad delenda venialia.*
8. *An per actum dilectionis Dei ſuper omnia remittantur mortalia, & venialia omnia.*
9. *Quanam diſplicentia requiratur ad remiſſionem peccati venialis.*
10. *Explicatur quid ſit, quod remanet in anima, tranſacto actu peccati.*
11. *An quod remanet in anima, tranſacto actu peccati, ſit quid priuatiuum.*
12. *An venialia remittantur per opus naturale bonum.*
13. *An obdormiſcens, cum voluntate venialiter peccandi, ſi inter dormiendum occidatur pro Chriſto, obtineat remiſſionem peccati venialis.*
14. *Explicatur quidnam requiratur ad martyrium, vt quis per illud iuſtificetur.*
15. *An attritio actualis, ſiue virtualis, ſit ſufficiens diſpoſitio, vt quis per martyrium iuſtificetur.*
16. *An eodem modo ad conſequendam gratiam baptiſmalem, ſufficiat attritio virtualis.*
17. *An martyrium remittat culpam, & pœnam, ex opere operato.*
18. *Explicatur quomodo martyrium ex opere operato cauſet gratiam.*
19. *An ad remiſſionem venialium ſufficiat ſola attritio virtualis, ſupernaturalis tamen.*
20. *An ad remiſſionem venialium requiratur propoſitum iterum non committendi.*
21. *An per omnem actum meritorium mereamur remiſſionem peccatorum venialium.*
22. *Dubitatio à principio deciditur.*
23. *Explicatur, cur per hunc, vel illum actum bonum hominis iuſti, hæc particularia venialia, & non alia, remittantur.*
24. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in dubitatione.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm etiam peccatum veniale, importat quamdam conuerſionem inordinatam ad bonum cõmutabile; ſed nõ poteſt hæc auferri niſi per auerſionẽ contrariã. ergo ad delenda peccata venialia requiritur

pœnitentia formalis. ergo extra ſacramentum Pœnitentiæ, quod includit pœnitentiam formalem, & ſacramentalia, quæ habent ex opere operato remittere peccata venialia, vt probauimus *dubio præcedenti*, per alios virtutum actus non delentur, & ita hanc ſententiam tenuit Durandus *in 4. diſt. 16. q. 2.*

Dvbitatio I.

II. *In quo conueniant, vel differant peccatum mortale, & peccatum veniale?*

Dico primò, quòd peccatum mortale, & veniale licèt in hoc conueniant, quòd vtrumque ſit quædam inordinata conuerſio ad bonum commutabile, eſt tamen inter illa differentia, quòd mortale peccatum eſt talis conuerſio ad bonum commutabile, cui eſſentialiter annexa eſt auerſio à Deo. Peccatum verò veniale non habet talem auerſionem annexam, ſed ſolùm quandam retardationem, quia ſcilicet ratione illius retardatur affectus, ne ita promptè feratur in Deum: ex hac differentia ſequitur alia ad modum propriæ paſſionis, quòd ſcilicet peccatum mortale opponitur gratiæ, & omnibus virtutibus infuſis, & eas à proprio ſubiecto expellit: peccatum verò veniale tantùm opponitur feruori, & perfectioni charitatis: hinc etiam ſequitur alia differentia, quòd peccato mortali debetur pœna æterna, quia quatenus auertit à Deo, habet quandam infinitatem, ratione cuius proportionatur ei à pœna infinita ſecundùm durationem, id eſt, æterna. Peccato verò veniali debetur pœna temporalis, quia non auertit à Deo, & conſequenter non habet malitiam infinitam. Videatur S. Thom. *3. part. quæſt. 87. art. 1. in corpore.* Nugnus *ibidem, verſ. pro cuius explicatione.*

Dvbitatio II.

III. *An per actum contritionis deleantur nedum mortalia, ſed etiam omnia venialia?*

Dico ſecundò, extra ſacramentum, & ſacramentalia, contritio formalis, quæ dicit diſplicentiam actualem, qua quis dolet de peccatis venialibus, vt ſunt aliqua Dei offenſa, ſufficit ad delenda omnia venialia quoad culpam, modò contritio ſit vniuerſalis, & generalis de omnibus peccatis venialibus. Probatur, quia contritio, & diſplicentia formalis perfecta ſufficit ad delenda mortalia. ergo etiam ſufficit ad delenda venialia ſi de venialibus eliciatur. Sic optimè Caiet. *3. part. quæſt. 87. art. 1. fine, verſ. quod autem dicitur.* Henriquez *lib. 4. de pœnit. c. 15. n. 5.*

Dico tertiò. Conſequenter actus contritionis ſufficiens pro delendis omnibus mortalibus non ſemper eſt ſufficiens ad delenda omnia venialia: nam ad delenda omnia mortalia, ſufficit deteſtatio omnium peccatorum, vt ſunt grauis Dei offenſa, & voluntas placendi Deo in rebus grauibus; ad delenda verò venialia, requiritur deteſtatio venialium, quatenus ſunt aliqua offenſa Dei, & voluntas placendi Deo etiam in minimis, ſed fieri poteſt quòd quis habeat diſplicentiam, & contritionem omnium peccatorum, vt ſunt grauis Dei offenſa, & habeat voluntatem placendi Deo in rebus grauibus, non tamen habeat voluntatem placendi Deo in minimis. ergo, &c.

Dvbitatio III.

IV. *An vitari poſſint omnia venialia ab homine?*

Dico quartò, licèt nullus vitare poſſit omnia peccata venialia ſine ſpeciali Dei priuilegio, quale conceſſum fuit Beatiſſimæ Virgini, vt habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. canone 23.* tamen poſſumus habere propoſitum vitandi omnia peccata venialia; quia ſufficit propoſitum vitandi omnia peccata venialia quantum fert humana fragilitas, quamuis omnia ſimpliciter, & efficaciter vitare non poſſimus abſque ſpeciali auxilio, & ſic poteſt quis habere contritionem de omnibus peccatis venialibus, & habere propoſitum omnia illa vitandi, licèt de facto illa vitare non poſſit abſque ſpeciali auxilio Dei. Videatur D. Th. *3. p. q. 87. art. 1. ad 1.*

Dvbitatio IV.

V. *An iuſtus poſſit frequenter eſſe ſine vllo veniali?*

Dico quintò. Cùm contritio vniuerſalis, & generalis de omnibus peccatis venialibus, ſufficiat ad delenda omnia peccata venialia, vt diximus *aſſertione 2.* ſequitur hominem iuſtum frequenter eſſe ſine vllo peccato veniali; quia vir iuſtus frequenter actum contritionis vniuerſalis, & generalis de peccatis omnibus venialibus elicit. Neque officit contra hoc aſſertum illud Diui Ioannis epiſtola 1. cap. 1. *Si dixerimus, quia peccata non habemus, ipſi nos ſeducimus.* quia ſenſus iſtius loci eſt, neminem poſſe aſſerere ſe nunquam peccaſſe: vnde non ſequitur contritionem vniuerſalem de omnibus peccatis non ſufficere ad delenda omnia peccata venialia; quamuis nullus omnino poſſit affirmare ſe nunquam peccaſſe, vna excepta Beatiſſima Virgine. Videatur Caiet. *3. p. quæſt. 8. art. 3. fine,* vbi aſſerit poſſe viatorem aliquem aliquanto tempore ſine omni peccato actuali inueniri, non poteſt tamen omnino vitam hanc agere ſine peccato, Caiet. adducit, & ſequitur Henriquez *lib. 4. de pœnitentia, cap. 15. n. 5.*

Dvbitatio V.

VI. *An per contritionem deleantur peccata venialia quoad omnem pœnam?*

Dico ſextò, quamuis per contritionem vniuerſalem, & generalem de omnibus peccatis venialibus regulariter remittantur omnia peccata venialia quoad culpam, non tamen ſemper remittuntur quoad omnem pœnam, niſi contritio ſit feruens, & maximè intenſa. Probatur à ſimili de ſacramentis, in quibus, excepto Baptiſmo, fieri poteſt, vt omnia peccata mortalia, & etiam venialia, ſi contritio ſit vniuerſalis, de venialibus quoad culpam remittantur, ſed non quoad omnem pœnam: nam de hac plus, vel minus remittitur, iuxta maiorem, vel minorem feruorem, & diſpoſitionem ſubiecti, vt docet S. Doctor *3. part. quæſt. 86. art. 4. ad 3. & q. 87. art. 3. ad tertium.* Explicatur magis,

Dvbitatio VI.

VII. *Vnde oriatur, quòd actus contritionis ſufficiens ad delenda mortalia, non ſit ſufficiens ad delenda venialia?*

Dico ſeptimò, clariùs explicans aſſertionem 3. licèt per contritionem quamcumque remittantur omnia peccata mortalia, implicat enim quòd quis iuſtificetur per contritionem, & non remittantur ei omnia mortalia, aliàs eſſet auerſus, & conuerſus ſimul, & ſemel in Deum. Cæterùm per quamcumque contritionem non remittuntur infallibiliter omnia venialia,

quia

quia contritio ſemper non habet oppoſitionem cum omnibus venialibus, cùm venialia non opponantur immediatè gratiæ iuſtificanti, & charitati, ſed feruori charitatis: tum, quia ſpeciali ratione poteſt quis deteſtari vnum genus peccati venialis, quamuis non deteſtetur aliud, vnde poteſt deteſtari mendacium officioſum, non deteſtando curioſum aſpectum, &c. Henriquez *lib. 4. de pœnitentia, cap. 15 num. 5.*

Dico octauò, non obſtare contra præcedens aſſertum quòd peccatum mortale ſit maius malum, quàm veniale. igitur ſi quælibet contritio eſt, potens expellere omnia mortalia; poterit etiam omnia venialia: non, inquam, hoc obſtat, quia, vt dixi, contritio quæcumque opponitur immediatè omnibus mortalibus, non autem omnibus venialibus: neque habet verum in vniuerſum illud axioma: Qui poteſt maius, poteſt etiam minus. nam eſt inſtantia manifeſta, Aqua calida vt quatuor, poteſt expellere frigiditatem vt quatuor, à frigido, non tamē poteſt expellere quintum gradum frigiditatis, qui eſt quid minus, quàm ſint quatuor gradus: vnde licèt contritio infallibiliter expellat omne mortale, non tamen ſemper eſt potens expellere, & remittere omnia venialia, quamuis veniale ſit quid minus, quàm mortale: etenim contritio habet neceſſariam oppoſitionem cum mortalibus, non autem cum venialibus: & ſic non eſt eadem ratio de mortalibus, & venialibus.

Dvbitatio VII.

VIII. *An per actum dilectionis Dei ſuper omnia remittantur, nedum mortalia, ſed & venialia omnia?*

Dico nonò, quamuis per quemlibet actum abſolutum dilectionis Dei ſuper omnia remittantur omnia peccata mortalia: quia quilibet actus dilectionis Dei ſuper omnia eſt diſpoſitio ad gratiam, quæ eſt forma incompoſſibilis cum omnibus culpis lethalibus: non tamen per quemlibet dilectionis actum delentur peccata venialia; quia dilectio Dei ſuper omnia eſt ſimpliciter compoſſibilis cum peccatis venialibus, ſtat enim hominem habere propoſitum mentiendi, dicendique verba iocoſa, & tamen actu etiam feruido Deum diligere: videatur Magiſter Sotus *in 4. diſt. 15. q. 2. art. 1. §. Secunda, nullus actus.*

Dico decimò, ille tamen actus dilectionis Dei ſuper omnia, & feruor charitatis, remittit peccata venialia, qui eſt eis contrarius: ille autem actus, & feruor charitatis eſt contrarius peccato veniali, quando ſi illius peccati cogitatio menti occurreret, diſpliceret ei, & doleret ſe illud commiſiſſe; quia vnumquodque expellitur à ſuo contrario. ergo peccata venialia delentur per illum actum dilectionis, qui eſt illis cōtrarius: aduerſatur autem feruor charitatis peccatis venialibus, quando ſi occurrerent menti, & diſplicerent, & dolerent ſe illa commiſiſſe. Ita colligitur clarè ex S.D. *3. p. q. 87. art. 1. in corpore,* & Sotus docet apertè nuperrimè adductus.

Dvbitatio VIII.

IX. *Quænam diſplicentia requiratur ad remiſſionem peccati venialis?*

Dico vndecimò, conſequenter ad remiſſionem peccati venialis non ſemper requiritur pœnitētia, & diſplicentia actualis: nam per actum dilectionis Dei ſuper omnia contrarium peccato veniali remitti poteſt, vt diximus *aſſerto præcedenti.* Non tamen ſufficit pœni-

tentia habitualis, quæ habetur per habitum charitatis, & pœnitentiæ, quia ſic charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet eſſe falſum; ſed ſufficit, & requiritur pœnitentia virtualis, quæ eſt actus charitatis contrarius peccato veniali: nam, vt diximus *aſſerto primo,* etiam peccatum veniale dicit inordinatam conuerſionem ad commutabile bonum, licèt non ſit ei annexa eſſentialiter auerſio; ſed hæc inordinatio non rectificatur, niſi per pœnitentiam actualem, vel virtualem. ergo pœnitentia virtualis, quæ eſt actus charitatis contrarius peccato veniali, ſufficit, & requiritur ad delendum peccatum veniale. Ita Sanctiſſimus Præceptor nouiſſimè relatus *in corpore.*

Dvbitatio IX.

X. *Quid ſit quod remanet in anima tranſacto actu peccati?*

Dico duodecimò, non poſſe ſubſiſtere id quod aſſerunt aliqui DD. cum Scoto *in 4. diſt. 51. q. 2. §. Dico ergo,* quòd trāſacto actu peccati mortalis, vel venialis, nihil remanet in anima niſi reatus, & quædam obligatio ad pœnam; & peccatum habituale, quod remanet poſt tranſactum, nihil aliud eſſe, quàm obligationem, & reatum ad pœnam; & exiſtere in peccato nihil aliud eſſe, quàm peccatum imputari ad pœnam, & ſic peccatum habituale veniale, quod remanet tranſactu actu, remitti per quodcumque opus meritorium: nam tranſacto actu peccati venialis, remanet quædam macula habitualis poſitiua inficiens ipſam animam, quæ eſt quædam inordinata conuerſio ad bonum commutabile, licèt hæc inordinata conuerſio ad bonum commutabile in peccato veniali non auertat hominem à Deo, neque ſit contra ipſum Deum, ſed tantùm ſit præter Deum, atque adeò & retardet effectum, ne ita promptè feratur in ipſum Deum. ergo per actum illi contrarium debet remitti per pœnitentiam, ſcilicet actualem, vel virtualem contrariam peccatis venialibus ad modum explicatum *aſſertione* 10. Videatur pro hac aſſertione D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 88. & 89. vbi docet peccatum veniale eſſe verum malum culpæ, atque adeò relinquere in anima veram maculam, quæ verè maneat tranſacto actu peccati, licèt peccatum veniale ſit culpa imperfecta, atque adeò, & macula illa ſit imperfecta, quæ non importat priuationem gratiæ, ſed priuationem talis, vel talis perfectionis gratiæ: videatur etiam Sotus *in 4. diſt. 5. quæſt. 2. art. 2. §. Nota hic quemadmodum.* Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 86. art. 1. §. Ad tertium argumentum.*

Dico decimotertiò, conſequenter quando dicimus remitti peccatum veniale per pœnitentiam formalem, vel virtualem, non tantùm remittitur pœna, vel obligatio ad pœnam, ſed tollitur vera culpa, & vera macula, quæ non ſolùm dicit priuationem talis, vel talis perfectionis gratiæ, ſed inordinationem ad bonum commutabile, licèt imperfectam. nam, formaliter loquendo, remitti peccatum non eſt remitti pœnam, vel obligationem ad pœnam, ſed culpam, & maculam, ad quam tanquam proprietas ſequitur pœna, vel obligatio ad pœnam. Neque contra hanc veritatem officit quod ait D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 89. *art.* 1. quòd ſcilicet peccatum veniale non relinquit propriam maculam in anima. nam S. D. tantùm intendit docere, vt ipſe ſe explicat, quòd non ſit perfecta macula ſufficiens ad expellendam gratiam. Ita præclarè obſeruauit Nugnus noſter *tom. 1. in 3. part. quæſt. 87. art. 5. difficult. 2. §. In iſta difficultate.*

Dvbitatio X.

XI. *An quod remanet in anima, tranſacto actu peccati ſit quid priuatiuum?*

Dico decimoquartò clariùs (ſi in te tam difficili fieri poterit,) tranſacto actu peccati manet in anima inordinata conuerſio quantum ad ſuam moralem malitiam, hæc enim includitur eſſentialiter in peccato quoad vſque non fuerit culpa deleta per pœnitentiam formalem, vel virtualem, Nugnus *tom.* 1. *in* 3. *part. quæſt.* 86. *art.* 4. *in expoſitione art. verſic. in hac ſolutione*; & ſic peccatum habituale remanens tranſacto actu, eſt quædam macula habitualis poſitiua inficiens ipſam animam. Idem *loco citato quæſt.* 87. *art.* 1. *ſolutione ad tertium argumentum*, quæ macula habet intrinſecè incluſam priuationem gratiæ ſimpliciter ſi ſit peccatum mortale, vel priuationem talis, vel talis perfectionis gratiæ, ſi ſit veniale. Idem nuper adductus *quæſt.* 87. *art.* 2. *difficult.* 2. *verſic. in iſta difficultate.* Totum hoc non obſcurè mihi videtur inſinuaſſe D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 86. *art.* 1. *ad* 3. dum ait, maculam peccati non eſſe aliquid poſitiuè in anima, præciſè ſcilicet: nec ſignificat priuationem ſolam, ſed ſignificat priuationem quandam nitoris animæ in ordine ad cauſam ſuam, quæ eſt peccatum. hæc S. D. Et ſic dici poterit iſtis omnibus conſideratis, tranſacto actu peccati peccatum habituale remanens eſſe quandam maculam habitualem poſitiuam inficientem animam habentem intrinſecè incluſam priuationem ſimpliciter gratiæ, ſi ſit peccatum mortale, vel priuationem talis, vel talis perfectionis gratiæ, ſi ſit veniale: nam, vt docet S. D. 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 1. *in corpore*, per vtrumque peccatum, mortale ſcilicet, & veniale, voluntas deordinatur per inordinatam conuerſionem ad bonum creatum; ſed hæc inordinata conuerſio habitualis, quæ remanet tranſeunte actu peccati, eſt quid poſitiuum. ergo macula relicta tranſeunte actu peccati, quæ eſt peccatum habituale, non eſt ſola, & mera priuatio nitoris animæ, ſed dicit quid poſitiuum, nempe ipſam inordinatam conuerſionem habitualem ad bonum creatum includentem priuationem gratiæ ſimpliciter, ſi ſit culpa lethalis, vel priuationem talis, vel talis perfectionis gratiæ, ſi ſit culpa venialis.

Neque mirum ſi macula relicta tranſeunte actu peccati, quæ eſt peccatum habituale, à S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 86. *art.* 1. *&* 2. appellatur priuatio nitoris animæ, & ab aliis DD. ſpeciatim à Magiſtro Soto *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 15. *quæſtiunc.* 1. *art.* 2. *non longè à fine*, carentia gratiæ, quæ eſt lux, & nitor animæ. nam eſſentiæ rerum imperfectarum à nobis cognoſcuntur, & explicantur per ſuas proprietates, & effectus. imò hoc contingit etiam in rebus perfectis; dicimus enim eſſentiam hominis eſſe rationalem, cùm tamen proxima potentia ad ratiocinandam non ſit eſſentia, ſed propria paſſio illius: ita ſimiliter eſſentia peccati habitualis conſiſtit in habituali inordinata conuerſione ad bonum creatum, vt includit priuationem gratiæ, quæ eſt lux, & nitor animæ ad modum explicatum, & tamen explicatur à DD. per priuationem nitoris animæ, & per carentiam gratiæ, quæ eſt lux & nitor animæ, quæ potius eſt propria paſſio, & effectus illius. Videatur pro hac re Nugnus noſter *tom.* 2. *in* 3. *part. quæſt.* 86. *art.* 1. *verſ. & ſi arguas.*

Dvbitatio XI.

XII. *An venialia remittantur per opus naturale bonum?*

Dico decimoquintò. Remiſſio peccati venialis, ſemper eſt opus ſupernaturale, atque gratuitum, & ſic nullum peccatum veniale modò de facto remittitur per aliquod opus purè naturale; quia peccatum veniale in hoc hominis ſtatu offendit aliquo modo amicitiam Dei ſupernaturalem, & retardat conſequutionem ſalutis, & eius remiſſio ſpectat ad ſtatum ſupernaturalem, & eſt vtilis ad conſequutionem ſalutis. ergo eius remiſſio eſt opus ſupernaturale, media enim debent eſſe proportionata fini. Videatur D. Th. 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 2.

Dico decimoſextò. In aſſerto præcedenti notanter dictum eſt, modò de facto in iſto ſtatu remiſſionem peccati venialis eſſe opus gratuitum, & ſupernaturale: nam modò de facto remiſſio venialium pertinet ad ſanctitatem ſpiritualem, quia diſponitur homo ad ingreſſum cœleſtis beatitudinis, quæ proinde non habetur abſque ſupernaturali remedio, & virtute participata ex Chriſto Domino paſſo: fatemur tamen quòd ſi homo fuiſſet conditus in puris naturalibus, tunc poſſent ei remitti peccata tam mortalia, quàm venialia, non ex gratiæ dono ſupernaturali, quia tunc nulla eſſet gratia, ſed ex dono Dei authoris naturæ: nam tunc peccata non eſſent contra perfectionem ſupernaturalem, & nullo modo læſiſſent ſtatum ſupernaturalem, neque peccatorum remiſſio ad hunc ſtatum fuiſſet ordinata. Ita præclarè notauit Nugnus noſter *tom.* 2. *in* 3. *part quæſt* 87. *art.* 2 *diffic.* 3. *ſolutione ad* 3. quem ſequitur Coninchus *diſp.* 2. *de effectu pœnitentiæ, dub.* 14. *concl.* 3.

Dvbitatio XII.

XIII. *An obdormiſcens cum voluntate peccandi, ſi inter dormiendum occidatur pro Chriſto, obtineat remiſſionem peccati venialis?*

Dico decimoſeptimò. Obdormiſcens cum voluntate peccandi venialiter, puta dicendi mendacium iocoſum, ſi dormiens poſtea occidatur pro Chriſto, non conſequeretur per martyrium remiſſionem illius peccati. quia ad remiſſionem peccati venialis ſaltem virtualis diſplicentia illius requiritur, vt docet D. Th. 3. *p. q.* 87. *art.* 1. ſed talis homo non habet illam, ſiquidem habet complacentiam virtualem talis peccati ex affectu, & propoſito formali, quod habuit nondum reuocatum committendi illud. ergo, &c. Tum, quia certum eſt quòd ſi quis iuiſſet dormitum cum illo affectu ad peccandum mortaliter, ſi inter dormiendum propter fidem occideretur, non conſequeretur iſtius peccati lethalis remiſſionem. ergo ſimiliter dicendum ſi cum affectu peccandi venialiter iuiſſet dormitum, non remitteretur per martyrium, &c. quia peccatum non remittitur nec per Baptiſmum, neque per martyrium, niſi tollatur obex, qui eſt actualis, vel virtualis complacentia ad illud. Videatur Sotus *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 2. *art.* 1. § *ſecundò arguitur, verſ. quamquam hic.*

Dvbitatio XIII.

XIV *Quidnam requiratur ad martyrium, vt quis per illud iuſtificetur?*

Dico decimooctauò. Ad martyrium in adultis requiritur voluntas formalis ſuſcipiendi illud. Sic

D. Thom.

D.Thom. 2.2.*quæſt.* 124.*art.* 1.*ad primum*, vnde ſi vir iuſtus inter dormiendum occidatur in odium Chriſti, ſi nihil cogitauerat de martyrio, non diceretur Martyr. Caiet. 2.2.*quæſt.* 124. *art.* 2. *fine.* Suarez *tom.* 2. *in* 3. *part. diſp.* 29. *ſect.* 2. *verſic. In hac re.* In adulto ſuſcepturo martyrium ſufficit attritio ſupernaturalis, ſi peccatum habeat mortale; quia qui cum attritione ſupernaturali patitur martyrium, reuocat virtualem affectionem ad creaturam, & peccandi voluntatem retractat; tum, quia martyrium à ſanctis Patribus comparatur, & anteponitur Baptiſmo; ſed in Baptiſmo ſufficit attritio. ergo, &c. Ita colligitur ex Magiſtro Soto *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 2. *art.* 1. *fine*, & non obſcurè deducitur ex doctrina D.Thom. 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 1. *ad ſecundum.* Suarez *vbi ſuprà*, *ſect.* 3. *concl.* 2. licèt oppoſitum doceat Bannes 2.2. *quæſt.* 24. *art.* 6. *dub.* 5. *ad ſeptimum*, aſſerens ad martyrium neceſſariam eſſe contritionem, & charitatem imperantem contritionem.

Dvbitatio XIV.

XV. ***An attritio actualis, ſiue virtualis ſit ſufficiens diſpoſitio vt quis per martyrium iuſtificetur?***

Dico decimononò, in martyrio non ſolùm eſt diſpoſitio ſufficiens attritio actualis, vt quis conſequatur remiſſionem mortalium, & venialium, ſed etiam ex accidenti ſufficit attritio virtualis: vt ſi quis habet actualem voluntatem mori pro Chriſto Domino, & tempore martyrij totus detinetur in expellendo metu mortis, & per obliuionem, & inaduertentiam non elicit actum contritionis, vel attritionis, per martyrium conſequeretur remiſſionem omnium peccatorum mortalium, & venialium; quia martyrium non requirit formalem deteſtationem peccatorum, ſed hunc ſolũ actum, Volo mortem pro Chriſto Domino ſubire, vt docet Magiſter Sotus *in* 4. *diſt.* 3. *quæſt. vnica*, *art.* 11. *in fine concluſ.* 4. *fine*; ſed hic actus, Volo mori pro Chriſto Domino, ſolùm eſt virtualis deteſtatio peccatorum. ergo contritio, vel attritio virtualis eſt ſufficiens diſpoſitio, &c. Maior colligitur ex S.Thom. 3. *p. q.* 87. *art.* 1. *ad* 2. qui in martyrio nullam aliam diſpoſitionem requirit, niſi quòd homo pro Chriſto Domino moriatur abſque actuali complacentia, vel propoſito peccati. Minor probatur; quia in voluntate ſuſcipiendi martyrium pro Chriſto Domino, clauditur virtualis dolor, & deteſtatio peccatorum. nam ſi volenti mori pro Chriſto peccata occurrerent, illa deteſtaretur. ergo ſi voluntas moriendi pro Chriſto eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, & ad remiſſionem culpæ in martyrio; virtualis contritio, vel attritio ex accidenti ſaltem ſufficiet, &c. Et ita hanc ſententiam docet S.Thom. 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 1. *ad* 2. Soto *vbi ſuprà.* Caiet. 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 1. hos ſequitur Suarez *vbi ſuprà*, *concl.* 3. Bonacina *tom.* 1. *de Sacramentis*, *diſp.* 2. *quæſt.* 1. *puncto* 1. *num.* 9.

Dvbitatio XV.

XVI. ***An eodem modo ad conſequendam gratiam baptiſmalem ſufficiat attritio virtualis?***

Dico vigeſimò, ſola tamen volitio ſuſcipiendi Baptiſmum abſque actuali contritione, vel attritione, non ſufficeret in adultis habentibus præter originale etiam actuale peccatum mortale ad remiſſionem peccatorum in ſuſceptione Baptiſmi, vti ſufficit in martyrio ſolus actus volendi mori pro Chriſto Domino, qui eſt attritio virtualis: nam Baptiſmus non eſt opus adeò inſigne, vt eſt martyrium, conſequenter minor attritio, nempè virtualis, ſufficiet ex accidenti in martyrio, quæ non eſt ſufficiens in Baptiſmo, Sotus *in* 4. *diſt.* 3. *quæſt. vnica*, *art.* 11. *poſt ſecundam concluſionem*, *verſic. Differt tamen.* Bonacina nuperrimè relatus *num.* 9. *fine.*

Dvbitatio XVI.

XVII. ***An martyrium remittat culpam, & pœnam ex opere operato?***

Dico vigeſimoprimò, hunc effectum, remittendi ſcilicet omnem culpam, & pœnam, habet martyrium ex opere operato; quia illud dicitur conferre gratiam, & remittere omnem culpam, & pœnam ex opere operato, quod eam confert, & operatur vltra meritum, & diſpoſitionem ſuſcipientis; ſed martyrium confert gratiam, & remittit peccatum originale in paruulis occiſis in contemptum fidei, & Chriſti Domini vltra meritum, & diſpoſitionem paruulorum ſic occiſorum. ergo. Tum, quia adultus ſi actum attritionis eliciat abſque martyrio, non recipit gratiam, & ſalutem poſt mortale peccatum: at ſi accedat ad martyrium cum ſola attritione poſt peccatum mortale, recipit gratiam, & ſalutem. ergo ex opere operato, martyrium operatur remiſſionem peccatorum; nam attritio non eſt per ſe ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, & remiſſionem peccatorum. Ita videtur aſſerere S.D. 3. *part. quæſt.* 68. *art.* 2. *ad ſecundum*, & *quæſt.* 87. *art.* 1. *ad ſecundum.* Nugnus *tom.* 1. *in* 3. *part. quæſt.* 66. *art.* 12. *concl.* 4.

Dvbitatio XVII.

XVIII. ***Quomodo martyrium ex opere operato cauſet gratiam?***

Dico vigeſimoſecundò, pro maiori intelligentia præcedentis aſſertionis, dupliciter contingere facere ex attrito contritum, & cauſare gratiam ex opere operato. Primo modo actiuè, ſicut ſacramenta nouæ legis, quæ eleuantur à Deo actiuè, & efficienter, inſtrumentaliter tamen ad cauſandam gratiam. Secundo modo ſine propria actione; quia Deus ad præſentiam illius cauſat gratiam, ſicut cauſabat in infantibus ſuſcipientibus in lege veteri circumciſionem. Dicimus ergo hominem ex attrito fieri contritum, & conferri illi gratiam in martyrio ex opere operato, non primo modo. quia martyrium, vt docet S.D. 3. *part. quæſt.* 66. *art.* 12. *ad primum*, non eſt ſacramentum, cui competit actiuè inſtrumentaliter cauſare gratiam, ſed ſecundo modo moraliter; quia Deus intuitu martyrij confert gratiam ob ſpeciale priuilegium, ſeu promiſſionem factam à Chriſto Domino, illis verbis Matthæi 10. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Videatur D.Thom. *loc. cit.* & *art.* 11. *eiuſdem quæſt.* 66. *ad ſecundum.* Nugnus nuper relatus. Henriquez *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 4.

Dvbitatio XVIII.

XIX. ***An ad remiſſionem venialium ſufficiat ſola attritio virtualis, ſupernaturalis tamen?***

Dico vigeſimotertiò, ad remiſſionem peccati venialis etiam ſine ſacramento, & ſacramentalibus in iuſtis ſufficit attritio ſupernaturalis; quia attritio, quam habet quis de tali peccato veniali, puta mẽdacij

iocoſi eſt formalis dolor, & auerſio à tali culpa veniali. ergo habet ſufficientem oppoſitionem cum illa. ergo ſufficiet ad tollendã illam, vnumquodque enim tollitur à ſuo contrario, & ita hanc ſententiam tenuit Magiſter Sotus *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 1. §. Ex his infertur.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 11. ſect. 3. num.* 11. licèt Bonacina teneat oppoſitum *tom. 1. de Sacram. diſput. 5. quæſt. 6. ſect. 2. punct. 3. num.* 8.

Dico vigeſimoquartò, ſufficit etiam, vt hæc attritio ſit virtualis, quare ad remiſſionem alicuius peccati venialis obtinendam, ſufficere videtur quoduis opus bonum ſupernaturale ea intentione ſeriò factum; quia cùm talis intentio contineat verum deſiderium impetrandi à Deo veniam, neceſſariò continet ſaltem virtualem diſplicentiam peccatorum. ergo attritio virtualis, id eſt, opus bonum ſeriò factum ad impetrandam veniam, & remiſſionem venialium, erit ſufficiens ad delendum peccatum veniale. hæc aſſertio non obſcurè aſſeritur à Magiſtro Soto nuperrimè adducto, & illam docet apertè Coninchus *diſp. 2. de effectu pœnitentia, dub. 14. concl. 6. n.* 119.

Dvbitatio XIX.

XX. *An ad remiſſionem venialium requiratur propoſitum iterum non committendi?*

Dico vigeſimoquintò, omnis pœnitentia ſufficiens ad remiſſionem peccati venialis debet neceſſariò includere ſaltem virtuale propoſitum, illud ampliùs non committendi, ſine quo non poteſt conſiſtere vera pœnitentia; quia non poſſum ſeriò ea peccata deteſtari, à quibus imposterum nolo abſtinere.

Dico vigeſimoſextò, poteſt hoc propoſitum conſiſtere cum probabili timore quòd in poſterum in eadem peccata incidemus; quia propoſitum requiſitum in vera pœnitentia non debet eſſe tale vt omnem habitualem inclinationem, & affectum ad peccatum à pœnitente excludat, ſed ſufficit, quòd excludat omnem actualem affectum. Tum, quia ſicut ex inconſtantia ingenij humani, voluntas humana poteſt facile mutari, ita habens propoſitum in poſterum non peccandi, poteſt probabiliter timere, ne mutetur, & tunc ipſe incidat in peccatum. ergo talis timor poteſt conſiſtere cum abſoluto propoſito non peccandi, niſi fortè oriatur ex aliquo actuali affectu erga peccatum: tum, quia propoſiti ſimplicis ea eſt natura vt variabilis ſit: vnde reſiliens à bono propoſito non peccandi, vel aliquid faciendi, nudo tamen, & promiſſione non firmato nouam culpam non incurrit, niſi peccatum quod committit, puta fornicationis, vel furti; quod in confeſſione propoſuit in poſterum non committere: videatur pro hac re Sotus *lib. 7. de iuſt. q. 1. art. 2. verſic. Vnde pro ſolutione.* Beia *part. 2. caſuum, caſu* 17. Sanchez *lib. 4. in præcepta, cap. 1. num.* 19.

Dvbitatio XX.

XXI. *An per omnem actum meritorium mereamur remiſſionem peccatorum venialium?*

Dico vigeſimoſeptimò, magis explicans aſſertum 24. Omnis actus meritorius, puta eleemoſyna, ieiunium, oratio, relatus ab homine iuſto ad hunc effectum, obtinendi ſcilicet à Deo remiſſionem venialis peccati, meretur, & obtinet illam; quia ille actus includit virtualem diſplicentiam venialis peccati, & aliàs qui ſic operatur, verè meretur apud Deum. ergo veriſimile eſt obtinere illum effectum. Videatur Caietan. *3. part. quæſt. 87. art. 2.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 21. ſect. 3. num.* 21.

XXII. *Dubitatio à principio deciditur, & explicatur*

Dvbitatio XXI.

An propoſitum non committendi tale veniale, v. g. mendacium, ſufficiat ad remiſſionem illius, & an omnis actus virtutis hominis iuſti ſufficiat ad tollendum venialia.

Dico vigeſimooctauò, ſatis eſt probabile, quòd homo iuſtus habens propoſitum non committendi tale veniale, v. g. mendacium, aſſequatur veniam commiſſi mendacij; quia tale propoſitum opponitur illi veniali. Item actus virtutis oppoſitus priori veniali, productus ex affectu ad virtutem illi oppoſitam, eſt ſimiliter ſufficiens diſpoſitio ad delendum peccatum veniale ſibi contrarium; quia vnumquodque expellitur à ſuo contrario: non tamen actus cuiuſcumque virtutis hominis iuſti, eſt ſufficiens ad tollendum quodcumque veniale omninò diſparatum, & cui nullo pacto aduerſatur actus ille virtutis, quia hic non videtur oppoſitio aliqua, neque diſplicentia actualis, aut virtualis: videatur pro hac aſſertione Sotus *in 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 1. §. Secundò quæritur.* Caiet. *loc. cit.* Suarez *vbi ſuprà, n. 19. & 20.* Henriquez *lib. 4. c. 15. num. 5.* contra Bonacinam *tom. 1. de Sacram. diſp. 5. ſect. 2. punct. 3. n. 6.*

Dvbitatio XXII.

XXIII. *Cur per hunc, vel illum actum bonum hominis iuſti, remittantur potiùs hæc peccata venialia, & non alia?*

Dico vigeſimononò, non eſt inconueniens quòd per aliquem actum hominis iuſti meritorium ſeriò, & ex intentione factum ad delenda peccata venialia tollantur omnia venialia, ſi in iudicio diuino æſtimetur ſufficiens, & condignitatem habere ad remiſſionem omnium; ſi verò æſtimetur ſufficere ad delenda aliqua, & non omnia, aliqua, & non omnia tollet, & tunc ſi omnia peccata venialia, quæ habet tunc homo ille ex parte ipſius peccatoris, ſunt æqualia, & non ſit maior ratio, quòd remittantur hæc, quàm alia, Deus tunc ſuo arbitrio id facere poterit, hæc ſcilicet vi illius actus meritorij remittere, & non alia, quia in hoc nullum videtur abſurdum: videatur Coninchus *diſp. 2. de effectu pœnitentia, dub. 14. n.* 128.

Dico trigeſimò, aliquando poteſt ratio aſſignari cur per actum meritorium hominis iuſti ſeriò, & ex intentione directum ad remiſſionem peccatorum venialium, qui cùm non ſit ſufficiens, & tantæ condignitatis ad remittenda omnia, ſed aliqua, iſtorum potiùs homo iuſtus aſſequatur remiſſionem, & non aliorum; quia vel illa ſunt leuiora, vel quia ratione modi, quo commiſſa ſunt, merentur faciliorem veniam, vel quia Deus illa magis explicitè deteſtatur, aut cum firmiore propoſito illa in perpetuum deteſtari proponit. Poſſum enim eodem actu in vnum obiectum conſtantius, & firmius ferri, quàm in aliud ob habitualem affectum diuerſum.

XXIV. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & etiam magis explicantur dicta in dubitatione.*

Ad rationem in contrarium à principio poſitam, reſpoode

reſpondetur quòd actus virtutũ meritorij hominis iuſti, de quibus diximus in noſtris aſſertionibus, remitti peccata venialia, ſemper includunt virtualem ſaltem quamdam diſplicentiam peccatorum venialium. Et ſimiliter pia illa affectio ad res diuinas, & Eccleſiaſticas, quæ requiritur in ſacramentalibus ſumendis, eſt virtualis quædam conuerſio in Deum, & conſequenter auerſio à bono creato, & idcircò tum actus virtutum meritorij, quibus delentur peccata venialia, tum illa pia affectio ad res diuinas opponuntur conuerſioni inordinatæ, quæ fuerat peccatum veniale, & conſequenter actus virtutum meritorij, quibus diximus deleri venialia, habent oppoſitionem virtualem cum venialibus ſufficientem ad illa delenda. Quæ diſplicentia, pœnitentia, & oppoſitio virtualis eſt quidem de ſe ſufficiens ad delenda venialia ſine ordine ad formalem pœnitentiam; quia ad delendum peccatum veniale non requiritur tam exacta, & explicita pœnitentia, imperfectè enim ſeparat hominem à Deo. Cæterùm quando remittitur peccatum mortale per actum charitatis ſine pœnitentia formali, quæ eſt actualis dolor, & diſplicentia, de illo ſemper remittitur per ordinem ad eamdem formalem pœnitentiam, quia peccatum mortale perfectè ſeparat à Deo, exactam igitur, & perfectam per ſe requirit pœnitentiam formalem: vnde per accidens eſt, quòd ſine tali formali pœnitentia remittatur. Peccatum verò veniale remittitur ſine ordine ad formalem pœnitentiam; idcircò poteſt per ſe ſine illa remitti. Videatur omninò S. Doctor 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 1. *in corpore.* Nugnus *ibi ſolutione ad primum argumentum, & ad ſextum.*

Articvlvs XXXVII.

An quotieſcumque remittuntur peccata venialia, infundatur gratia, abſtrahendo à prima gratia, & ab augmento illius?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Dubitatio reſoluitur, & explicatur, an poſſit tolli peccatum veniale, abſque infuſione gratiæ, vel illius augmento.*
3. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, quot modis inducatur macula in anima.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm peccatum veniale maculam quamdam animæ infert; ſed macula non aufertur niſi per gratiam, quæ eſt ſpiritualis animæ decor. ergo peccata venialia non remittuntur ſine gratiæ infuſione, vel augmento gratiæ.

II. *Veritas aperitur, & explicatur*

Dvbitatio I.

An poſſit tolli peccatum veniale abſque infuſione gratiæ, vel illius augmento?

Dico primò, ad hoc quòd peccatum veniale tollatur, non requiritur quòd infundatur aliqua habitualis gratia, ſed ſufficit aliquis motus gratiæ, vel charitatis. Probatur, vnumquodque tollitur per ſuum contrarium; ſed peccatum veniale non contrariatur habitui gratiæ, vel charitatis, contrariatur autem actui charitatis, in quantum illum retardat. ergo quando peccatum veniale tollitur, non requiritur infuſio gratiæ, ſed ſufficit actualis motus liberi arbitrij ex gratia. Ita S. D. 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 2.

Dico ſecundò, remiſſio peccatorum venialium fieri poteſt non ſolùm abſque infuſione nouæ gratiæ, ſed etiam abſque vllo eius augmento in eſſe habitus, & qualitatis. Probatur. nam peccata venialia remitti poſſunt per actum charitatis, & per alios actus deuotionis, & piæ affectionis remiſſiores, quàm ſit habitus gratiæ, & charitatis à quo tales actus eliciuntur; ſed per actum charitatis remiſſiorem, quàm ſit habitus, non augetur habitus gratiæ, & charitatis in eſſe habitus, & qualitatis, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 24. *art* 6. quamuis augeatur in eſſe gratiæ, & acceptationis ad gloriam. ergo remiſſio peccatorum venialium fieri poteſt abſque infuſione nouæ gratiæ, & abſque augmento gratiæ, & charitatis in eſſe habitus, & qualitatis: ſic docuit Paludanus *in* 4. *diſt.* 16. *quæſt.* 1. *art.* 2. Nugnus *tom.* 2. *in* 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 2. *difficult.* 1. Valentia *tom.* 4. *diſput.* 7. *q.* 4. *puncto* 2. contra Bunacinam *tom.* 1. *de Sacramentis, diſp.* 5. *quæſt.* 6. *ſect.* 2. *punct.* 4. *num.* 5. Pro intelligentia huius aſſertionis, celebris, & difficillima difficultas eſſet examinanda, An per actus æquales, vel remiſſiores habitu gratiæ, & charitatis, augeatur ipſe habitus gratiæ, & charitatis, de qua dubio immediatè ſequenti aliqua dicemus; interim

III. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

Dvbitatio II.

Quot modis inducatur macula in anima?

Ad rationem in contrarium reſpondetur cum S. Thom. 3. *part. q.* 87. *art.* 2. *ad* 3. quòd ſicut in corpore contingit eſſe maculam dupliciter, vno modo per priuationem eius quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris, aut debitæ proportionis membrorum: alio modo per ſuperinductionem alicuius impedientis decorem, puta luti, aut pulueris; ita etiam macula inducitur animæ, vno modo per priuationem decoris gratiæ per peccatum mortale, alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale, & hoc fit per peccatum veniale, & ideò ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infuſio gratiæ, ſed ad tollendam maculam peccati venialis requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quem remoueatur inordinata adhæſio ad rem temporalem. Hæc optimè ſanctiſſimus Præceptor.

Articvlvs XXXVIII.

An per actus æquales habitui præexiſtenti, aut etiam per actus remiſſos, verè mereatur homo augmentum gratiæ, & charitatis, & ſemper augmentum gloriæ eſſentialis?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur quid ſit gratia in eſſe habitus, vel gratiæ.*
3. *Quot modis poſſit conſiderari præmium eſſentiale, debitum Beatis, & quomodo vnus Beatus perfectius alio beatitudinem participet.*

4. *Dubitatio*

4. *Dubitatio reſoluitur, & explicatur, quando augeatur gratia & charitas in eſſe habitus.*

5. *An gratia, & charitas in eſſe qualitatis augeantur ſecundum exceſſum actus ſupra habitum praexiſtentem.*

6. *An gratia in eſſe gratiæ augeatur per actus æquales, vel etiam remiſſos? idem quæritur de charitate.*

7. *An poſſit fieri aliquis gratus, vel acceptus ad gloriam eſſentialem abſque eo, quòd in illo infundatur aliqua qualitas inhærens, de potentia Dei abſoluta? & , An in illo caſu augeretur gratia, & charitas in eſſe qualitatis, vel in ratione gratiæ, & charitatis, per actus remiſſos.*

8. *An gratia, & charitas ſtatim in hac vita augeantur per actus remiſſos, in eſſe gratiæ, & charitatis.*

9. *Explicatur quomodo gratia, & charitas viatoris, poſſint augeri in genere morali, abſque eo, quòd augeantur in genere phyſico.*

10. *Quomodo in via non debeat ſeruari æqualitas, inter gratiam & charitatem, in eſſe qualitatis, & in eſſe habitus, bene tamen in Patria.*

11. *Quomodo augmentum gratiæ, in eſſe qualitatis & habitus, fiat in alia vita; quod in præſenti tantùm erat in eſſe gratiæ, & charitatis.*

12. *An eodem modo augeatur gratia in duobus, quorum vnus producit actum charitatis intenſum vt viginti, & alter duos intenſos vt decem.*

13. *An per continuationem actus meritorij fiat augmentum gratiæ, & charitatis.*

14. *An per continuationem actus meritorij poſſit quis mereri præmium infinitum.*

15. *An augmentum gratiæ, & charitatis, producatur vi præcedentis habitus gratiæ & charitatis.*

16. *An homo ſit cauſa principalis augmenti gratiæ, & charitatis.*

17. *Quomodo homo dici poſſit cauſa ſecunda principalis actuum ſupernaturalium.*

18. *In quónam differant cauſa ſecunda principalis, & cauſa inſtrumentalis.*

19. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur magis, quomodo per habitum charitatis intenſum vt quatuor, poſſit produci actus charitatis vt ſex.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm ex oppoſita ſententia ſequitur quòd homo numquam poſſit ſibi mereri augmentum gratiæ, & charitatis in hac vita. Conſequens videtur abſurdum. ergo. Sequela verò probatur. nam habitus non poteſt producere actum intenſiorem ſe ipſo. ergo ſi tantùm augetur actibus intenſioribus, nunquam augebitur, nec homo illud augmentum ſibi merebitur. Antecedens probatur, quia habitus producit actum efficienter, ſed à proportione minoris inæqualitatis non fit actio. ergo habitus non poteſt producere actum ſe ipſo intenſiorem. ergo nunquam homo poterit ſibi mereri augmentum gratiæ, & charitatis, in hac vita, ſi tantùm per actus intenſiores homo ſibi meretur augmentum gratiæ, & charitatis.

Dvbitatio I.

II. *Quid ſit gratia in eſſe habitus, vel gratiæ?*

Dico primò, pro intelligentia huius difficultatis, quòd gratia poteſt dupliciter conſiderari, primò in eſſe habitus, & qualitatis, ſecundùm phyſicam entitatem, quam habet: ſecundo modo in eſſe gratiæ, quatenus videlicet per illam iuſtus acceptatur ad gloriam. Similiter etiam charitas poteſt conſiderari in eſſe habitus, & qualitatis, vel ſecundùm rationem propriam charitatis, id eſt, amicitiæ ad ipſum Deum.

Dvbitatio II.

III. *Quot modis poſſit conſiderari præmium eſſentiale debitum Beatis, & quomodo vnus Beatus perfectiùs alio beatitudinem participet?*

Dico ſecundò, quòd præmium eſſentiale, quod debetur Beatis ratione proprij meriti, dupliciter conſiderari poteſt, vno modo materialiter in eſſe rei, ipſum ſcilicet lumen gloriæ, ipſam ſcilicet viſionem beatificam, ſecundùm ſuam propriam perfectionem intrinſecam, & eſſentialem: alio modo formaliter in ratione præmij, quatenus confertur propter opera bona, vnde poteſt contingere quòd Beatitudo vnius ſit excellentior, quàm Beatitudo alterius in ratione præmij eſſentialis, non tamen in ratione beatitudinis eſſentialis, ſecundùm perfectionem intrinſecam, & eſſentialem. quia ſcilicet confertur eis æquale lumen, & viſio beatifica, vni tamen honorificentius, quàm alteri, quia confertur propter plura opera pluribus titulis, atque adeò illud præmium excellentius reſpicit meritum, & ideò excellentius eſt in ratione formalis præmij. Exemplum eſt in Chriſto Domino, cuius operum præmium multo excellentius eſt in ratione præmij, quàm in eſſe rei; quoniam in eſſe rei eſt finitum, & limitatum, ſcilicet gloria proprij corporis, & bona ſpiritualia omnium prædeſtinatorum, qui omnes reducuntur ad certum numerum, & limitatum, tamen in ratione præmij eſt aliquid infinitum, propter modum, quem includit ratione ſuppoſiti merentis tale præmium; quia ſcilicet datur ex rigore iuſtitiæ habitæ apud Patrem æternum. his poſitis,

IV. *Veritas aperitur, & explicatur*

Dvbitatio III.

Quando augeatur gratia, & charitas in eſſe habitus?

Dico tertiò, gratia, & charitas, ſi conſiderentur in eſſe habitus, & qualitatis, non augentur à Deo, niſi quando iuſtus prorumpit in actum feruentiorem. Probatur, nam actus gratiæ, & charitatis, non ſolùm meritoriè, ſed etiam diſpoſitiuè phyſicè concurrunt ad augmentum habitus: nam ſicut Deus non infundit primam gratiam, abſque diſpoſitione liberi arbitrij in iuſtificatione adultorum, ita etiam non auget illam ſine diſpoſitione liberi arbitrij, ſed quando Deus infundit primam gratiam, adulto ſolùm infundit illam ſecundùm quantitatem diſpoſitionis. ergo ſolùm augetur per actus intenſiores ipſo habitu.

Dvbitatio IV.

V. *An gratia, & charitas in eſſe qualitatis augeantur ſecundùm exceſſum actus ſupra habitum praexiſtentem?*

Dico quartò, gratia, & charitas in eſſe habitus, & qualitatis augentur per actus intenſiores ſecundùm exceſſum actus ſupra habitum præexiſtentem, non autem ſecundùm totam latitudinem actus, itaque ſi habens charitatem vt quinque, prorumpat in actum feruentem vt octo, augetur habitus vſque ad octo, non

non autem vſque ad 13. nam Deus auget effectiuè habitus ſupernaturales ſeruando proportionem, quæ inuenitur in naturalibus; ſed in naturalibus qualitas non augetur niſi ſecundùm exceſſum actus. nam ſi aquæ calidæ vt duo, applicetur calefactiuum vt quatuor, ſolum auget calorem aquæ iuxta exceſſum agentis ſupra paſſum, videlicet vſque ad quatuor gradus: ſimiliter etiam habitus, qui augetur effectiuè per noſtros actus, ſolùm augetur ſecundùm exceſſum actus ſupra habitum, vt docent communiter Thomiſtæ 1. 2. *q.52.art.1.*ergo,&c. & ita tertiam & quartam hanc aſſertionem docuit Magiſter meus Aluarez *ſuper 1. 2. q.114.art.8.& lib.7.de auxilijs,diſp.60.n.10.& 11.*

DVBITATIO V.

VI. *An gratia in eſſe gratiæ augeatur per actus æquales, vel etiam remiſſos? idem quæritur de charitate.*

Dico quintò, gratia in ratione gratiæ, & ſimiliter charitas in eſſe charitatis, augentur per actus æquales, & etiam remiſſos, ita videlicet, vt illis correſpondeat in Patria nouus gradus gloriæ eſſentialis. Probatur. nam ſi habens charitatem vt quatuor, operetur actum intenſum vt 6. ratione illius conſequitur maiorem gloriam eſſentialem. ergo ſi habens charitatem intenſam vt 100. operetur actum charitatis intenſum vt 90. ratione illius conſequetur nouum gradum gloriæ eſſentialem. Patet conſequentia. nam aliàs melioris cōditionis eſſet, qui operatur remiſsè, quàm qui operatur intensè, quod videtur abſurdum. Dixi, *remiſsè*: nam licèt actus intenſus vt ſex, ſit intēſus reſpectu ſubiecti, in quo eſt, eſt tamen abſolutè remiſſus reſpectu actus charitatis intenſus vt 90. quamuis hic actus intenſus vt 90. dicatur remiſſus reſpectu habitus charitatis vt 100. Tum, quia ſequeretur ex oppoſita ſententia, quòd ſi Petrus, v.g. cum actu charitatis intenſo vt 10. omnia bona ſua diſtribueret pauperibus, & profiteretur ſtrictiſſimam Religionem, in qua per 60. annos perſeueraret in gratia, multa exercendo opera virtutum cum intenſione vt 10. & tandem cum eadem intenſione charitatis pateretur martyrium pro Chriſto Domino, non conſequeretur maiorem gloriam eſſentialem in ratione gloriæ eſſentialis, quàm Martinus, qui per vnam horam dumtaxat perſeuerauit in gratia, & in illa fecit vnum opus virtutis intenſum vt 10. & mortuus eſt. Conſequens, quamuis concedatur ab auctoribus oppoſitæ ſententiæ, præcipuè à Magiſtro Bannes 2. 2. *q.24. art.6.* videtur multum detrahere meritis iuſtorum, & nullatenus eſt concedendum. nam per hoc retraherentur fideles à multis bonis operibus, & laboribus, ſi ſemel concipiant nullam maiorem gloriam eſſentialem eſſe conſequuturos per mille actus bonos, immò & per 100. millia, quàm per vnum eiuſdem intenſionis: hanc aſſertionem apertè docere videtur S.D. 1. 2. *q.114. art.8. in ſolut.ad* 3. Sotus *in 1. diſt. 22. q.1.* Magiſter Victoria *in relectione de augmento charitatis.*

DVBITATIO VI.

VII. *An poſſit fieri aliquis gratus, vel acceptus ad gloriam eſſentialem abſque eo quòd in illo infundatur aliqua qualitas inhærens de potentia Dei abſoluta? & , An in iſto caſu augeretur gratia, & charitas in eſſe qualitatis, vel in ratione gratiæ, & charitatis per actus remiſſos?*

Dico ſextò, Deum abſoluta ſua potentia efficere poſſe hominem gratum, & acceptum ad gloriam eſſentialem abſque aliqua qualitate inhærente per ſolam extrinſecam acceptationem; ſicut amicus Regis eſt ei gratus, & acceptus ad munera illius per ſolam Regis extrinſecam acceptationem. ergo ſimiliter poteſt Deus ſua omnipotentia efficere quòd homo illum diligeret per verum actum charitatis ſupernaturalis, licèt tranſacto charitatis actu nulla qualitas remaneret, & ſic diceretur homo habere Deum amicum etiam habitualiter ratione actus tranſacti, licèt non per aliquam qualitatem permanentem. hoc poſito dicimus quòd ſi homo habens habitum gratiæ, & charitatis vt decem, operatur vt quinque, non augetur habitus gratiæ, & charitatis, in ratione habitus, & qualitatis, atque adeò non recipit aliquam qualitatem permanentem à Deo, neque augmentum prioris qualitatis, augetur tamen gratia, & charitas in propria ratione gratiæ, & charitatis, id eſt, in ratione amicitiæ ad ipſum Deum in ratione acceptationis ad gloriam: vnde ſtatim redditur homo gratus, & acceptus ad gloriam vt quindecim, atque ſi ſtatim moriatur, conſequetur habitum gloriæ vt quindecim, & ſic dabitur in alia vita intenſior lumen gloriæ vt quindecim, & intenſior beatifica viſio vt quindecim per actus remiſſiores. Probatur hoc ex S.Th. 1. 2. *q.114. art.8. in ſolutione ad* 3. vbi cùm propoſitum fuiſſet argumentum de actibus remiſſis, reſpondet quòd quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, ſicut & conſummationem eius. ergo ratione actus remiſſi datur nouus gradus gloriæ eſſentialis, licèt in hac vita ſtatim non conferatur per actum remiſſum nouus gradus gratiæ in eſſe qualitatis, & habitus: videatur Nugnus *tom.2. in 3 part. q.89. art.5. difficult.1. verſ. Quarta ſententia fol.143. col.1.*

Dico ſeptimò, ex his, quæ diximus *aſſerto præcedenti*, non ſequitur quòd homo modò de facto per ſolam acceptationem extrinſecam accepretur ad illam maiorem gloriam eſſentialem, quam meretur per actus remiſſos. nam hoc aſſerere videtur eſſe contra Concilium Tridentinum *ſeſſ.6. de iuſtificatione, c.7. & can 11.* vbi dicitur quòd per iuſtitiam inhærentem remittuntur peccata, & fit homo dignus vita æterna: non autem per fauorem ſolùm extrinſecum, aut non imputationem, quia nos dicimus quòd per gratiam habitualem præexiſtentem ſecundùm quod de nouo eſt cauſa realis noui actus remiſſi, acceptatur homo ad illam maiorem gloriam eſſentialem correſpondentem actui remiſſo: vnde non eſt acceptatio merè extrinſeca, ſed per iuſtitiam intrinſecam, ſecundum quod dicit nouum reſpectum ad nouum actum meritorium.

DVBITATIO VII.

VIII. *An gratia, & charitas ſtatim in hac vita augeantur per actus remiſſos, in eſſe gratiæ & charitatis?*

Dico octauò, gratia in eſſe gratiæ, & ſimiliter charitas in eſſe charitatis, ſtatim augetur in hac vita, etiam per actus remiſſos. Probatur. nam ſtatim quòd homo operatur actum remiſſum meritorium, habet ius ad nouam gloriam eſſentialem. ergo per illam ſtatim augetur gratia in eſſe gratiæ, & charitas in eſſe charitatis. Patet conſequentia: nam gratiam augeri in eſſe gratiæ, & charitatem in eſſe charitatis, nihil aliud eſt, quàm quod per illam acceptetur iuſtus ad maiorem gloriam; ſed per actus remiſſos iuſtus acceptatur ſtatim ad nouam gloriam eſſentialem ergo, &c. Tum, quia augmentum morale non requirit

physicam

phyſicam diſpoſitionem æqualem, ſed ſufficit multiplicatio actus meritorij.

Dico nonò, gratia in eſſe gratiæ, & charitas in eſſe acceptationis ad gloriam, ſtatim augetur ſecundùm totam latitudinem actus remiſſi ſupra habitum. Itaque ſi habens habitum gratiæ vt quatuor, & ſimiliter habitum charitatis vt quatuor, & conſequenter meritum vt quatuor in ordine ad vitam æternam prorumpat in alium actum meritorium vt quatuor, remanebit cum merito vt octo, ac per conſequens acceptatus ad gloriam eſſentialem intenſam vt octo, & ſic de aliis actibus meritoriis æqualibus cum merito præcedenti, vel remiſſioribus, vel intenſioribus: nam nulla poteſt aſſignari ratio, propter quam augeatur gratia in eſſe gratiæ, & charitas in eſſe charitatis per actus remiſſos, vel æquales intenſioni gratiæ præcedentis ſecundùm vnum, vel duos gradus actus remiſſi, vel æqualis, & non augeatur ſecundùm omnes gradus quos habet actus. ergo augentur ſecundùm totam latitudinem actus.

Dvbitatio VIII.

IX. *Quomodo gratia, & charitas viatoris poſſint augeri in genere morali, abſque eo quòd augeantur in genere phyſico?*

Dico decimò, licèt non poſſint augeri gratia in eſſe gratiæ, & charitas in eſſe charitatis, in eſſe phyſico, ſecundùm quod ſunt vltimæ differentiæ contrahentes habitum ad talem, vel talem ſpeciem, quin etiam augeantur in eſſe habitus. quia non poteſt augeri ratio ſpecifica, quin augeatur & generica, ſi enim intenditur albedo, conſequenter debet intendi & calor: tamen ſi conſideremur gratia, & charitas in genere morali quatenus mediantibus operibus meritoriis per gratiam, & charitatem acceptatur homo ad gloriam, non eſt neceſſe quòd quando augentur gratia, & charitas in genere morali, quòd augeantur in eſſe habitus: nam aliud eſt genus morale gratiæ in eſſe gratiæ, & charitatis in eſſe charitatis, & aliud in eſſe phyſico. ergo ſi augetur gratia, & charitas in genere morali, quatenus per illas acceptatur homo ad gloriam eſſentialem, conſequenter non eſt neceſſarium, quòd augeantur in eſſe phyſico in eſſe habitus, & qualitatis. Eſt optimum exemplum ad hoc explicandum de gratia habituali Chriſti Domini, quæ in eſſe phyſico in genere qualitatis finita eſt etiam ſecundùm differentiam ſpecificam gratiæ: tamen in genere morali ſecundùm moralem dignitatem in quantum eſt principium infiniti meriti, & ſatisfactionis infinitæ eſt in genere morali infinita ratione ſuppoſiti infiniti operantis: ita ſimiliter poteſt eſſe, quòd gratia, & charitas hominis viatoris in genere morali per actus remiſſos augeantur, & quòd non augeantur in eſſe phyſico in ratione habitus, & qualitatis, ſunt enim hæc diuerſa genera.

Dvbitatio IX.

X. *Quomodo in via non debeat ſeruari æqualitas inter gratiam & charitatem in eſſe qualitatis, & in eſſe habitus, bene tamen in Patria?*

Dico vndecimò, nullum eſſe inconueniens quòd in via non ſemper ſaluetur æqualitas, & proportio inter quantitatem gratiæ, & charitatis in eſſe habitus, & qualitatis, & in eſſe gratiæ, & charitatis, ſeu meriti; ſed ſufficit, quòd ſeruetur in Patria, vbi etiam ſeruabitur æqualitas inter quantitatem gratiæ, & charitatis in eſſe qualitatis, & quantitatem gloriæ in ratione beatitudinis eſſentialis in eſſe rei ſecundùm perfectionem intrinſecam, & eſſentialem; nam in Patria omnia conſummata erunt, & perfecta.

Dico duodecimò, clariùs explicans præcedens aſſertum, augmentum gratiæ, & charitatis in eſſe habitus, & qualitatis, quod homo meretur per actus remiſſos in hac vita, dabitur poſtea illi in primo inſtanti glorificationis: itaque ille qui per totam vitam habuit, v.g. centum actus intenſos vt decem, atque adeò vſque ad inſtans mortis tantùm habebat habitum gratiæ, & charitatis in eſſe habitus, & qualitatis intenſum vt decem. Gratia verò, & charitas illius in eſſe moris & in eſſe amicitiæ acceptationis ad gloriam, habebant perfectionem vt mille, poſtea in ipſo inſtanti glorificationis, prius natura, quàm detur gloria, habebit gratiam, & charitatem etiam in eſſe qualitatis, & habitus perfectam vt mille. Probatur, quoniam in alia vita in inſtanti glorificationis habebit homo actum feruentiſſimum charitatis multo maiorem, quàm correſpondeat omnibus actibus præſentis vitæ etiam ſimul ſumptis, & multiplicatis, vt colligitur ex doctrina D.Thom. *quæſt.7.de malo, art.11.* Nugnus etiam hoc docet *tom.2. in 3. part. q.89. art.5. difficult.1. verſic. Pro cuius explicatione, fol.*143. Suarez *tom.4. in 3.part. diſp.11. ſect.4. num.* 15. ergo tunc erit homo diſpoſitus, vt augeatur gratia, & charitas in eſſe habitus & qualitatis in tota illa quantitate, quam meruit per actus remiſſos, dum erat in via, & ſic verificabitur, quòd gloria eſſentialis in Beatis proportionatur gratiæ, & charitati etiam in eſſe habitus, & qualitatis: tum, quia altera vita eſt tempus recipiendi præmium adæquatum, quod ſibi meruit homo iuſtus per actus præcedentes in via; ſed homo per actus remiſſos meritorios meretur augmentum gratiæ, & charitatis in eſſe habitus, & qualitatis conferendum, cùm ſufficienter fuerit diſpoſitus ad gratiæ augmentum, id eſt, cùm ſe diſpoſuerit per feruentiorem actum, vt docet D.Thom. 1.2. *quæſt.*114. *art.8 ad* 3. *&* 1.2. *quæſt.24. art.6. ad* 3. In hac vita autem nunquam ſe diſponit per feruentiorem actum, vt detur illi augmentum, quod meruit per actus remiſſos. ergo cùm in inſtanti glorificationis habeat homo actum feruentiſſimum dilectionis, tunc erit ſufficienter diſpoſitus ad gratiæ, & charitatis augmentum in eſſe habitus, & qualitatis. ergo tunc tale præmium recipiet; quia altera vita eſt tempus recipiendi præmium adæquatum, quod iuſtus meruit per actus præcedentes in via. Præmium igitur quod non confertur in hoc ſæculo, debet conferri in alio, &c. Videatur S.D. 1.2. *quæſt.*114 *art.8. ad* 3. *&* 22. *cit.* Nugnus nuperrimè relatus.

Dvbitatio X.

XI. *Quomodo augmentum gratiæ in eſſe qualitatis & habitus, fiat in alia vita, quod in præſenti tantùm erat in eſſe gratiæ & charitatis?*

Dico decimotertiò, ex aſſertione præcedenti non ſequitur quòd homo mereatur in alia vita, ſed tantùm quòd præmium recipiat, quod ſibi meruit in via: in via autem meruit ſibi homo augmentum gratiæ, & charitatis in eſſe habitus, & qualitatis conferendum cùm ſufficienter fuerit diſpoſitus: quod erit in Patria cùm feruentiſſimum dilectionis actum habuerit. nam ſicut iuſtus diſponetur in Patria ad viſionem beatificam, quam ſibi meruit in via per lumen gloriæ,

quod

quod tunc conſertur à Deo, abſque eo quòd ſit meritum in alia vita; ita etiam diſponetur in alia vita per actum ſeruentiſſimum charitatis ad intenſionem gratiæ, & charitatis in eiſe habitus, & qualitatis, quam ſibi meruit per actus remiſſos præcedeotes in via abſque eo quòd in Patria ſit aliquod meritum. Ita præclarè adnotauit Magiſter meus Aluarez ſapientiſſimus *lib. 7. de auxilijs, diſp. 60. poſt 5. concluſionem.*

Dico decimoquartò, licèt Chriſtus Dominus per actus ſubſequentes non meruit aliquid de nouo, niſi id quod antea meruerat per primum actum, idque nouo titulo, quia per primum actum meritorium meruit infinitè; infiniro autem, qua ratione infinitum eſt, nulla poteſt fieri additio. hæc tamen ratio non procedit de noſtris meritis, quæ finita ſunt: vnde cùm poſſit illis fieri additio per actus ſubſequentes etiam remiſſos meritorios, non ſolùm ſibi meretur homo in hac vita augmentum gratiæ, & charitatis in eſſe acceptatiouis ad gloriam nouo titulo habendam, ſed augmentum gratiæ, & charitatis in eſſe qualitatis, & habitus in primo inſtanti glorificationis cooferendum cùm ſuetir ſufficienter tunc diſpoſitus per ſeruentiſſimum actum charitatis, & nouos etiam gradus gloriæ eſſentialis.

Dvbitatio XI.

XII. *An eodem modo augeatur gratia in duobus, quorum vnus producit actum charitatis intenſum vt viginti, & alter duos intenſos vt decem?*

Dico decimoquintò, quamuis gratia, & charitas in eſſe gratiæ, & charitatis augeantur ſtatim ſecundùm totam latitudinem, ſi vnus habet actum chatitatis intenſum vt viginti: alius autem producat duos actus charitatis intenſos vt decem, magis meretur ille iuſtus vno actu intenſo vt viginti, quàm iſte duobus actibus intenſis vt decem. nam difficilius eſt, & magis arduum habete vnum actum intenſum vt viginti, quàm diuerſos actus intenſos vt quatuor, vel vt decem. ergo magis meretur, &c. Tum, quia Princeps in humanis pluris æſtimat, & magis præmiat vnum actum excellentiſſimum alicuius ſubditi, qui ſemel expoſuit vitam cum excellētiſſima dilectione Principis, quàm plures actus alterius remiſſos, & faciles. ergo ſimiliter Deus, &c.

Dvbitatio XII.

XIII. *An per continuationem actus meritorij fiat augmentum gratiæ, & charitatis?*

Dico decimoſextò, ſicut per actus remiſſos meritorios augetur gratia, & charitas ſtatim in eſſe gratiæ, & charitatis in via, & in Patria in primo inſtanti glorificationis in eſſe habitus, & qualitatis; ita etiam pet maiorem continuationem actus meritorij, augetur gratia, & charitas, atque gloria eſſentialis: nam aliàs eſſet peioris conditionis ille, qui per vnam horam integram continuat actum charitatis intenſum vt vnum, quàm alter, qui eumdem actum interrumpit, & ſucceſſiuè producit in illa hora tres actus charitatis vt vnum: etenim ſi ratione continuationis non augetur gratia, & charitas actui intenſo vt vnum, continuato per vnam horam dabitur ſolum præmium vt vnum; alteri verò, qui interrumpit actum, dabitur præmium vt tria, quia produxit tres actus. Sed hoc videtur falſum, quòd ſcilicet ſit deterioris conditionis continuans actum meritorium intenſum, & vnum per vnam horam, quàm producens tres actus diſtinctos intenſos ſingulos vt vnum in eadem hora. ergo ne dum, &c. Videatur pro hac aſſertione Nugnus *vbi ſuprà verſic. Notandum eſt igitur pro ſolutione argumentorum.*

Dvbitatio XIII.

XIV. *An per continuationem actus meritorij poſſit quis mereri præmium infinitum?*

Dico decimoſeptimò, quotieſcumque iuſtus continuat meritum per aliquod tempus, quamuis in ipſa continuatione etiam mereatur, non tamen inde ſequitur quòd mereatur præmium infinitum, ſeu infinitè. quia licèt in tempore ſint infinita inſtantia illud continuantia, tamen cuicumque inſtanti temporis in quo continuatur meritum, non correſpondet aliquod præmium adæquatè, quamuis in quocumque inſtanti fiat augmentum quatenus inſtans eſt continuatiuum partium temporis, in quo ſit augmentum. Eſt inſtantia manifeſta in omnibus motibus continuis, qui fiunt in tempore continuo, in quo ſunt infinita inſtantia continuantia partes temporis continui, nec tamen ſequitur quòd talis motus ſit infinitus, quia non correſpondet inſtanti adæquatè. Tum, quia licèt productio charitatis poſſit fieri in inſtanti, non tamen augmentum eius continuum. ergo quamuis in quocumque tempore ſint infinita inſtantia, non tamen ſunt infinita præmia in continuatione meriti, æqualia præmio, quod in ſui productione acquiritur in vnico inſtanti. Videatur idem Magiſter Nugnus *ſolut. ad 8. argumentum*, præcipuè in ſolutione ad primam, & ſecundam confirmationem, *fol. 148. col. 1.*

Dvbitatio XIV.

XV. *An augmentum gratiæ, & charitatis producatur vi præcedentis habitus gratiæ & charitatis?*

Dico decimooctauò, habens habitum charitatis vt quinque, e.g. quando producit actum charitatis intenſum vt ſex, illa maior intenſio actus oon poteſt produci effectiuè ab habitu, qui in illo inſtanti temporis augetur vt ſex. Probatur ex S.Th. 1.1. *q* 114 *art. 9. in corp.* vbi ait quòd illud quod comparatur ad actum liberi arbitrij moti à Deo tanquam principium actus, non poteſt cadere ſub merito, ſed illa intenſio habitus charitatis vt ſex, cadit ſub merito. ergo non poteſt eſſe principium effectiuum ſui ipſius: tum quia donum perſeuerantiæ non poteſt cadere ſub merito, vt docet S. D. *loc. cit. art. 9.* quia eſt principium effectiuum operis meritorij, aliàs idem reſpectu eiuſdem eſſet ſimpliciter principium meriti, & terminus meriti: quod implicat. ergo ſi io caſu noſtro actus charitatis vt ſex, procedit effectiuè ab habitu charitatis vt ſex, erit impoſſibile, quòd per talem actum intenſum vt ſex, mereatur homo augmentum habitus vt ſex, atque adeò nunquam caderet ſub merito augmentum habitus charitatis, quod eſt contra S.Thom. 1.2. *quæſt.* 114. *art* 8.

Dico decimononò, eſt tamen ſatis probabile actum contritionis, & charitatis, qui eſt vltima diſpoſitio in iuſtificatione ad gratiam habitualem, procedere in genere cauſæ efficientis ab ipſa gratia habituali, & ab habitu infuſo pœnitentiæ & charitatis; quia in prima infuſione gratiæ vltima diſpoſitio non eſt meritoria ipſius gratiæ, vt docet D.Thom. 1. 2. *quæſt.* 112. *art. 2. ad primum* ergo, &c. Cæterùm quando per actum magis intenſum augetur habitus præexiſtens, talis actus eſt meritorius augmenti ipſius habitus, atque adeò non poteſt ab illo procedere effectiuè: vnde non eſt ſimile. Tum, quia vltima diſpoſitio ad gratiam, quamuis non ſit meritoria gratiæ, eſt tamen meritoria gloriæ, quæ nondum habetur,

vt docet D.Th.1.2.*quæſt.*112.*art.*2.*ad* 1. ſed ad merendum bearitudinem reqoiritur gratia habitualis, quæ eſt merendi principium, vt aſſerit idem ſanctiſſimus Præceptor 1.*part. quæſt.*62. *art.*2.*ad* 3. ergo vltima diſpoſicio ad gratiam habitualem procedit effectiuè à gratia habituali.

Dico vigeſimò, quando habens habitum charitatis vt quinque, diſponitur ad augmentum vt octo, illa diſpoſitio vt octo non procedit effectiuè ab habitu vt octo, ſed ab habitu præexiſtente vt quinque, ſimul cum auxilio diuino actuali ſupernatutali intenſo vt octo, per quod habitus vt quinque eleuatur, vt poſſit effectiuè producere ipſum actum intenſum vt octo, pet quem diſponitur ad augmentum babitus: nam effectus non poteſt excedere virtutem ſuæ cauſæ. ergo habitus charitatis vt quinque, non poteſt eſſe principium effectiuum actus inrenſi vt octo, qui eſt diſpoſitio ad augmentum habitus vt octo. ergo neceſſe eſt vt habitui charitatis præexiſteoti intenſo vt quinque, coniungatut auxilium Dei actuale intenſum vt octo, vt habeat proportionatam virtutem, vt actum intenſum vt octo efficienter producat, qui eſt ſufficiens diſpoſitio, & neceſſariò requiſita ad augmentum habitus charitatis vt octo.

Dvbitatio XV.

XVI. *An homo ſit cauſa principalis augmenti gratiæ, & charitatis?*

Dico vigeſimoprimò. Ex dicto præcedenri non ſequitur quòd homo ſit merum inſtrumentum illius actus meritorij quantum ad maiorem intenſionem quam haber ſupra habirum præexiſtentem. nam illud auxilium actuale ſupernaturale, per quod habitus vt quinque, eleuatur, vt poſſit effectiuè producere ipſum actum intenſum vt octo, pet quem homo diſponitur ad augmentum habitus, non eſt extrinſecum potentiæ, ſed illi inhærens antecedenter ad actum in genere cauſæ efficientis, & ordine naturæ, quamuis non ordine temporis. ergo homo eſt cauſa principalis illius actus etiam quantum ad intenſionem, quam haber ſupra habitum præexiſtentem. Confirmatur. nam homo eſt cauſa principalis reſpectu omnium actuum ſupernaturalium, quos pet auxilium actuale diuinæ gratiæ producit ante infuſionem habituum ſupernaturalium, quales ſunt attritio, timor inferni,& alij actus conſimiles, pet quos liberum arbitrium remotè diſponitur ad gratiam iuſtificantem; ſed huiuſmodi actus non procedunt ab aliquo habitu ſupernaturali, ſed à potentiis vitalibus eleuatis per actuale auxilium ſupernaturale. ergo ſimiliter, &c.

Dico vigeſimoſecundò, fateri tamen debemus, quòd ſi Deus ſuo actuali concurſu ſpeciali eleuaret ignem habentem ſolum calorem vt octo, vt per illum produceret calidum vt decem, tunc ignis ſolùm eſſet agens inſttumentale reſpectu illius maioris intenſionis; quia cùm ignis ſit agens naturale, eſt ex natura ſua determinatus ad vnum, & quantum ad ſpeciem actionis, & quantum ad intenſionem illius. ergo ſi eleuetur ad effectum magis intenſum, quàm ſit propria forma naturalis, ſolùm concurrer ad illum vt purum inſttumentum, ſi conſideretur effectus ſecundùm maiorem intenſionem, in qua excedit naturalem formam ignis. Cæterùm liberum hominis arbitrium habens habitum charitatis vt quinque, quando eleuatur auxilio illo ſupernaturali ad producendum actum charitatis vt octo, cùm noo ſit agens naturale, ſed liberum, non eſt determinatum ad talem, vel talem intenſiorem ſui actus: imò poteſt eleuari ad intenſiorem, & intenſiorem actum producendum: vnde quomodocumque eleuetur à Deo per auxilium efficax actuale, vt actum liberum producat, ſemper erit cauſa ſecunda principalis reſpectu actionis vitalis, & intenſionis eiuſdem. quia per illud auxilium actuale ſupernaturale eleuatur liberum arbitrium conformiter ad ſuam naturam, ad aliquid ſcilicet, quod continetur intra latitudinem ſui proprij obiecti adæquati. Ignis verò reſpectu illius maioris inteoſionis vt decem, non eleuatur intra latitudinem propriæ ſphæræ, cùm non habeat reſpectu illius intenſionis vt decem, neque proximam, neque radicalem remotam virtutem ad illam producendam, & ideo, vt merum inſtrumentum Dei ad illam eleuaretur.

Dico vigeſimotertiò. Contra præcedentia duo aſſerta non officit quod aſſerit D. Thom. 1.2. *quæſt.* 68. *art.*3. *ad* 2. & 3. *part. quæſt.* 7. *ad* 3. vbi aſſignans differentiam inter cauſam principalem, & inſtrumentalem, docet quòd cauſa principalis operatur per formam ſibi intrinſecam proportionatam cum effectu, inſtrumentum verò ſolùm operatur ex motione exterioris agentis principalis. ergo ſi illa maior intenſio actus non procedit ab habitu iotenſo, ſed motione Dei, ſolùm erit bomo cauſa inſtrumentalis illius intenſionis: noo obſtat, inquam, D.Thom. nam nomine propriæ formæ non intelligit S.D. tantùm eam formam, quæ competit rei ex propriis principiis naturæ, ſed etiam illam, quæ licèt ſit ſupra eius naturam, & inſit ei ab agente extrinſeco, perficit tamen potentiam ad modum propriæ naturæ, & in ordine ad proprium eius obiectum adæquatum, & propriam operationem: motio verò inſtrumenti non perficit illud in ordine ad propriam operationem, ſed ad operationem propriam alterius agentis, nempe ad faciendum opus, quod eſt proprium artificis. Non enim imago figurata ab artifice medio penicillo dicitur opus proprium penicilli, ſed artificis, qui eſt cauſa principalis picturæ; actus verò liber vitalis ſupernaturalis, quo quis meretur ſibi augmentum habitus charitatis, attribuitur tanquam propria operatio ipſi libero-arbitrio, eleuato tamen per auxilium ſupernaturale. quia per illud eleuatur ad modum propriæ naturæ, in ordine ad proprium eius obiectum adæquatum, & ad propriam operationem.

Dvbitatio XVI.

XVII. *Quomodo homo dici poſſit cauſa ſecunda principalis actuum ſupernaturalium?*

Dico vigeſimoquartò. Quamuis intellectus,& voluntas creata ſecundùm ſe nullam habeant naturalem virtutem proximam actiuam comparatione actuum ſupernaturalium, habent nihilominus non ſolùm potentiam obedientialem, iuxta illud D. Auguſtini *lib. de prædeſtinatione Sanctorum, cap.* 5. poſſe habere fidem naturæ eſt hominum; ſed etiam radicalem actiuitatem reſpectu eorumdem actuum in quantum ſunt virales; quia vitalitas actuum ſupernaturalium, quamuis formaliter procedat vt *quo*, à principio ſupernaturali, radicaliter tamen dependet à potentia, & vita naturali quæ procedit ab anima. nam Deus abſolura ſua potentia non poſſet eleuare liberum hominis arbitrium ad eliciendos actus ſupernaturales liberos, niſi ex natura ſua eſſet potentia vitalis,

&

& libera; ergo actus liberi ſupernaturales licèt formaliter procedant vt *quo* à principio ſupernaturali, radicaliter tamen dependent à radicali actiuitate, quæ eſt in potentia eleuata per auxilium ſupernaturale. ergo, &c. Hæc autem dependentia eſt ſufficiens, vt vitales potentiæ eleuatæ per formam ſupernaturalem dicantur, & ſint cauſæ ſecundæ principales actionum ſupernaturalium: videatur ſapientiſſimus Magiſter meus Aluarez *lib. 7. de auxilijs, diſp. 68. num. 10. & 14.*

Dico vigeſimoquintò, probans magis præcedens aſſertum: ſi intellectus, & voluntas nullam haberent actiuitatem radicalem, & remotam comparatione vitalis actionis ſupernaturalis meritoriæ; ſed ſolùm potentiam quamdam obedientialem, qualis reperitur in omnibus rebus, vt in illis, cum illis, & de illis fiat quidquid Deus voluerit, ſequeretur, quòd ſicut Deus vtitur intellectu, & voluntate ad producendam illam actionem meritoriam, poſſet indifferenter vti quacumque alia creatura, vel potentia creata ad producendam eandem actionem, & ita poſſet per lapidem, vel potentiam viſiuam, vel per aliam quamcumque rem naturalem producere actum illum ſupernaturalem charitatis, & alios conſimiles: nam ſicut Deus vtitur aqua baptiſmali ad cauſandam gratiam habitualem, poteſt ſua potentia abſoluta indifferenter vti quacunque alia creatura, & actione creata ad eumdem effectum producendum, quoniam aqua concurrit inſtrumentaliter, vt ſolùm habens potentiam obedientialem ad productionem gratiæ. ergo ſi intellectus, & voluntas ſolùm concurrunt inſtrumentaliter, & ſolùm habent potentiam obedientialem ad productionem actus ſupernaturalis, Deus poterit per quamcumque aliam creaturam, vel potentiam eumdem actum producere; ſed hoc eſt abſurdum: nam actus vitalis ſupernaturalis ita dicit intrinſecum ordinem formalem ad potentiam vitalem, auxilio ſupernaturali eleuatam, vt Deus ſe ſolo illam producere non poſſit, neque media aliqua re creata. ergo præter potentiam obedientialem in potentia vitali eleuata ad actus ſupernaturales, ſupponitur actiuitas illa radicalis, & remota.

Dvbitatio XVII.

XVIII. *In quónam differant cauſa ſecunda principalis, & cauſa inſtrumentalis?*

Dico vigeſimoſextò, differre inter ſe cauſam ſecundam principalem, & cauſam inſtrumentalem, quia cauſa inſtrumentalis ſecundùm ſuam propriam formam, nihil confert etiam radicaliter ad productionem effectus, ſed ſolùm ſe habet tanquam ſubiectum deferens virtutem principalis agentis, & ita ſe habet paſſiuè deferendo virtutem illius, vnde non producit effectum, niſi ſecundùm quòd mouetur ab eodem principali agente; ſicut aqua calida ſolùm attingit inſtrumentaliter calorem, quem in alio ſubiecto producit, quia ſolùm ſe habet tanquam ſubiectum deferens virtutem ignis, qui eſt cauſa principalis eiuſdem. Cauſa verò principalis ſecunda ſemper aliquid confert per propriam formam ad productionem effectus: nam illum operatur per principium intrinſecum actiuum, habens ſaltem actiuitatem radicalem, & remotam comparatione effectus, quem producit: talem autem actiuitatem radicalem, & remotam, habet liberum hominis arbitrium dum producit actus ſupernaturales: proximam autem actiuitatem vt *quo* habet à diuina gratia, & auxilio ſupernaturali; quia de ratione actus vitalis eſt quòd procedat à principio intrinſeco, vitali, & coniuncto: vnde & generatio, quia eſt actio vitalis, definitur à S. Thom. *1. part. quæſt. 27. art. 2. in corpore*, quòd ſit origo viuentis à principio viuente coniuncto in ſimilitudinem naturæ: ſed intellectio hominis, & volitio etiam ſupernaturalis, verè eſt actio vitalis. ergo neceſſe eſt quòd procedat à principio viuente coniuncto, & per conſequens, homo per aliquod principium intrinſecum concurrit effectiuè ad actus ſupernaturales, ſcilicet per vitalitatem potentiæ eleuatam per formam ſupernaturalem, ac per conſequens erit cauſa ſecunda principalis. Habens igitur habitum charitatis intenſum vt quinque, ſi auxilio actuali ſupernaturali intenſo vt octo, eleuetur ad producendum actum charitatis vt octo, merebitur ſibi vt cauſa ſecunda principalis augmentum charitatis in eſſe habitus, & qualitatis vt tria, quia etſi eleuatio per auxilium ſupernaturale ſit ratio proxima, & formalis operandi illam intenſionem, tamen ſupponit in potentia, quæ eleuatur radicalem virtutem actiuam remotam: quæ quidem dependentia eſt ſufficiens vt vitales potentiæ eleuatæ ad actus ſupernaturales dicãtur, & ſint cauſæ ſecundæ principales actionum ſupernaturalium: vt diximus *aſſerto* 24.

XIX. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur magis.*

Dvbitatio XVIII.

Quomodo per habitum charitatis intenſum vt quatuor, produci poſſit actus charitatis vt ſex?

Ad rationem à principio poſitam, negamus ſequelam; quia licèt habitus charitatis vt quatuor, e.g. ſecundùm ſe conſideratus non poſſit eſſe principium effectiuum intenſionis actus charitatis vt ſex, nihilominus quatenus ei coniungitur auxilium Dei actuale intenſum vt ſex, habet proportionatam virtutem, vt actum intenſum vt ſex efficienter, vt cauſa ſecunda principalis producat: & quoniam ſæpè homo iuſtus eleuatur à Deo auxilio ſuo actuali, in hac vita poterit dari intenſio habitus gratiæ, & charitatis in eſſe habitus, & qualitatis, vt ſufficienter diximus, & explicauimus in noſtris aſſertionibus. Saluo ſemper in his, quæ diximus, meliori iudicio.

Articvlvs XXXIX.

An peccatum veniale poſſit remitti ſine mortali?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur, quid ſit pœna damni, vel ſenſus.*
3. *An poſſit dari peccatum veniale cum ſolo originali.*
4. *An homo in primo inſtanti vſus rationis, debeat ſe conuertere in Deum.*
5. *An homo, in primo vſu rationis, appetens bonum apparens, peccet mortaliter.*
6. *Dubitatio reſoluitur.*
7. *An habitus infidelitatis, vel deſperationis, tollantur per actus fidei, vel ſpei, in peccatore exiſtente in mortali? & quomodo poſſint eſſe in peccatore, fides, & ſpes ſine gratia.*
8. *Explicatur quot modis virtus accipiatur? &, An fides informis,*

formis, poſſit dici in homine peccatore, virtus intellectualis? & à quo fides habeat ſtatum virtutis.
9. *Quomodo habitus intemperantia tollatur in peccatore per actum temperantia.*
10. *Quid ſit remanere habitum vitiorum materialiter, & auferri formaliter.*
11. *An præter virtutes theologales, infundantur ſimul cum gratia virtutes morales? &, An iſta diſtinguantur à virtutibus moralibus, ex operum aſſuetudine acquiſitis.*
12. *An habitus vitioſi acquiſiti, opponantur virtutibus moralibus infuſis, & poſſint cum his ſtare.*
13. *Quomodo habitus vitioſi in homine iuſto remaneant.*
24. *An iuſtificati ob infuſionem virtutum moralium, promptiores ſint in operibus virtutum, quàm alij, cæteris paribus.*
15. *Vndénam proueniat difficultas in operando actus virtutum, in homine baptizato, & in gratia.*
16. *An tollantur paſſiones ad malum, per virtutes acquiſitas, ſeu infuſas.*
17. *Vndénam oriatur, quòd impugnatio paſſionum magis ſentiatur ab habente ſolùm virtutes acquiſitas, quàm infuſas.*
18. *An per quemlibet actum virtutum moralium infuſarum producatur habitus de nouo.*
19. *Vndénam proueniat facilitas ad operandos actus virtutum.*
20. *Explicatur virtutes infuſas eſſe in duplici differentia.*
21. *Quidnam ſit virtus; & quomodo diffinitio virtutis conueniat nedum infuſis, ſed etiam acquiſitis, explicatur.*
22. *Aliæ diffinitiones virtutis afferuntur & explicantur.*
23. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm ſi aliquis moriatur cum peccato originali, & veniali, ſine peccato mortali, remitteret ei peccatum veniale, abſque eo quòd remittatur peccatum originale. ergo etiam abſque eo quòd remittatur peccatum mortale. Antecedens probatur, quia non videtur iuſtum quòd talis puer pro ſolo peccato veniali puniatur in æternum aliqua pœna ſenſibili, quod contingeret, ſi non remitteretur permanenti in peccato originali? ſi quidem qui in peccato originali moritur, in æternum permanet in illo. Conſequentia verò probatur. quia cùm etiam peccatum originale priuet gratia, eſt eadem ratio de illo, & de peccato mortali, & ita hanc partem affirmatiuam tenuit Durandus *in 4. diſt. 16. q. 2.*

Dvbitatio I.

II. *Quid ſit pœna damni, vel ſenſus?*

Dico primò. Paruuli cum ſolo peccato originali decedentes, nulla prorſus, etiam poſt diem iudicij, afficientur pœna ſenſus, ſed ſolùm pœna damni, quæ in carentia diuinæ viſionis conſiſtit. Pœna damni in damnatis eſt pœna quædam priuatiua, quæ conſiſtit in carentia diuinæ viſionis: pœna verò ſenſus eſt dolor, ſeu afflictio quædam poſitiua afflictiua appetitus, ſiue inferioris, ſiue Superioris. Syl. *verbo pœna num.* 1. Probatur noſtrum aſſertum. nam paruuli decedentes cum peccato originali, ſunt verè reprobi, Dei inimici, & ab illo habitualiter auerſi. ergo detruſi in limbo iuſtè puniuntur pœna damni, quæ correſpondet auerſioni à Deo. Quòd verò nullam pœnam ſenſus, nullum prorſus dolorem internum, vel triſtitiam patientur propter carentiam diuinæ viſionis, probatur. nam dolor, ſeu afflictio pœnæ debetur delectationi culpæ, ſecundùm illud Apoc. 18. *Quantum glorificauit ſe, & in delitijs fuit, tantum date ei tormentum, & luctum*; ſed in peccato originali nulla fuit delectatio, hæc enim tenet ſe ex parte conuerſionis ad bonum commutabile: peccatum autem originale formaliter conſiſtit in priuatione originalis iuſtitiæ. ergo, &c. Videatur D. Th. *q. 5. de malo, art. 2. & in 2. diſt. 33. q. 2. art. 1.* Innocentius III. *in c. maiores, de Baptiſmo, & eius effectu.*

Dvbitatio II.

III. *An poſſit dari peccatum veniale cum ſolo originali?*

Dico ſecundò. Veniale peccatum cum ſolo originali dari non poteſt. nam omnis veniens ad vſum rationis, vel conuertitur in Deum, & iuſtificatur de facto, vel non conuertitur, & tunc peccat mortaliter, quia tunc tenetur conuerti. ergo non datur homo cum ſolo veniali, & originali; ſed omnis homo veniens ad vſum rationis, vel moritur in gratia Dei, vel cum peccato mortali. Sic D. Th. 1. 2. *q. 89. art. 6. in corpore.* pro intelligentia huius præcedentis aſſerti S. Th.

Dvbitatio III.

IV. *An homo in primo inſtanti vſus rationis debeat ſe conuertere in Deum?*

Dico tertiò, non eſſe mentem S. Th. quòd homo veniens ad vſum rationis teneatur ſe conuertere in Deum explicitè cognitum, quia non omnis homo veniens ad vſum rationis cognoſcit Deum eſſe, de quo videatur Medina 1. 2. *quæſt.* 86. *art*, 6. Caiet. 2. 2. *q.* 10. *art.* 4. tenetur tamen talis homo conuertere ſe in Deum implicitè cognitum, quia tunc tenetur habere iſtum actum, Volo bene viuere, volo ſequi bonum rationis. ergo tenetur conuertere ſe in Deum implicitè cognitum. Ita ſe ipſum explicat D. Thom. 1. 2. *cit. q. 89. art. 6. ad 3. & quæſt. 14. de veritate, art. 10. ad* 1.

Dico quartò, primum quod homini venienti primo vſu rationis occurrit, eſt bonum in communi, ſi ad illud ſe ordinat, ſeruat præceptum naturale implicitè conuertendi ſe in Deum; ſi verò non ſe ordinat ad illud, quodcumque aliud bonum apparens appetat, appetit illud tanquam vltimum finem; quia tunc debet conſtituere ſibi aliquem vltimum finem. ergo conſtituit illum quem tunc appetit.

Dvbitatio IV.

V. *An homo in principio vſus rationis appetens bonum apparens peccet mortaliter?*

Dico quintò. Si homo primò deueniens ad vſum rationis appetit in illo primo actu poſitiuo vſus rationis bonum apparens, peccat mortaliter. nam bonum apparens eſt creatura, ſed conſtituens ſibi vltimum finem creaturam, etiam ſi materia tantùm ſit venialis, eſt culpa lethalis. ergo ſi homo deueniens ad vſum rationis, appetit in illo primo actu bonum apparens, peccat lethaliter. Patet conſequentia; quia cùm tunc debeat ſibi conſtituere aliquem vltimum finem, ſi appetit bonum apparens, quod eſt creatura, conſtituit ſibi vltimum finem creaturam, quod eſt peccatum mortale. Videatur pro his duabus aſſertionibus noſter Nugnus *tom. 1. 3. part. quæſt. 87. art. 2. difficul. 3. §. Ad quintum igitur argumentum.* His poſitis,

VI. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico ſextò, directè reſpũdens quæſito: ſi loquamur

de

Digitized by Google

de lege, & potentia Dei ordinaria, non poſſunt peccata venialia remitti ſine remiſſione peccatorum mortalium. Probatur, quia omne peccatum, etiam veniale, importat aliquam iniuriam contra Deum. ergo non poteſt remitti, niſi fiat ſatisfactio pro illo; ſed ab homine peccatore non poteſt fieri ſatisfactio ipſi Deo, ſatisfactio enim hominis ad Deum eſt amicabilis, ſed in peccatore non eſt amicitia ad Deum: ſiquidem amicitia hominis ad Deum eſt per gratiam, & charitatem. ergo neque ſatisfactio. ergo impoſſibile eſt, quòd dum homo manet in peccato mortali, aliquod veniale ei remittatur. Tum, quia nullum peccatum homini remittitur ſine media paſſione Chriſti; ſed paſſio Chriſti non applicatur cum effectu exiſtentibus in peccato mortali, ſiquidem tantùm applicatur membris ipſius viuis ad remiſſionem peccatorum. ergo, &c. Hoc aſſertum docet D.Thom. 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 4.

Dico ſeptimò, de potentia tamen Dei abſoluta poſſunt peccata venialia remitti abſque remiſſione mortalium. Probatur, quia Deus peccatori elicienti per auxilium actuale ſupernaturale actum contritionis incompoſſibilem eum venialibus, poteſt denegare gratiam habitualem iuſtificantem. ergo per talem actum contritionis delerentur peccata venialia, vtpote incompoſſibilia cum tali actu, non verò delerentur mortalia: quia peccata mortalia, licèt diſpoſitiuè deleantur per actum contritionis, formaliter tamen delentur per gratiam, quam in tali caſu ſupponimus denegari, & ſine qua peccata mortalia deleri non poſſunt, cùm omnis priuatio excludi debeat per formam appoſitam: hanc aſſertionem docuit Nugnus *tom.* 2. *in* 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 4. in principio vnicæ difficultatis, quam ſuper illum art. proponit Bonacina *tom.* 1. *de Sacramentis, diſp.* 5. *quæſt.* 6. *ſect.* 2. *punct.* 4. *num.* 4.

Dvbitatio V.

VII. *An habitus infidelitatis, vel deſperationis tollantur per actus fidei, vel ſpei, in peccatore exiſtente in mortali? &, Quomodo poſſint eſſe in peccatore fides & ſpes ſine gratia?*

Dico octauò, licèt habitus infidelitatis poſſit tolli in peccatore per actum fidei, & ſimiliter habitus deſperationis in peccatore auferri poſſit per actum ſpei; quia vnumquodque tollitur per ſuum contrarium: tamen habituale peccatum infidelitatis, quod remanet tranſacto actu infidelitatis, & habituale peccatum deſperationis non tolluntur per actum fidei, ſed per infuſionem diuinæ gratiæ. nam habituale peccatum infidelitatis, & habituale peccatum deſperationis, ſunt quædam maculæ etiam poſitiuæ, quæ ſunt in eſſentia animæ, & in illius potentiis. ergo, vt ſic non tolluntur niſi per infuſionem gratiæ, quæ eſt lux & nitor animæ.

Dico nonò, habitus infidelitatis tollitur ab homine manente in peccato mortali per actum fidei: quia in homine peccatore poteſt eſſe vera fides; ſed vera fides, & habitus infidelitatis opponuntur. ergo ſi in homine peccatore poteſt eſſe vera fides, poterit ab homine exiſtente in culpa lethali per actum fidei ſeparari habitus infidelitatis. Sed vrget argumentum. nam fides, & ſpes cùm ſint virtutes theologales, ſunt propriæ paſſiones gratiæ diuinæ; ſed in peccatore non eſt gratia diuina, ſed culpa lethalis contraria gratiæ, & virtutibus theologalibus. ergo in peccatore non poteſt eſſe actus fidei, cùm in ipſo non ſit fides, quæ tamquam propria paſſio ſequitur ad eſſentiam gratiæ; & idem dicendum eſt de ſpe.

Reſpondetur fidem, & ſpem dupliciter poſſe conſiderari. Primò ſecundùm quòd illa dicit certam cognitionem rerum ſupernaturalium; hæc verò, ſcilicet ſpes firmam tendentiam in beatitudinem: & ſic non ſunt paſſiones, ſed ſolùm remotæ diſpoſitiones ad gratiam. Secundò poſſunt conſiderari in quantum ſunt perfectæ virtutes ſimpliciter, & ſic ſunt paſſiones gratiæ, neque poſſunt eſſe ante illam, & ſine illa, & ſic patet quid dicendum ad argumentum: videatur Nugnus *tom.* 2. *in* 3. *part. quæſt.* 89. *art.* 1. *difficult. vnica, verſic. Ad tertiam probationem.*

Dvbitatio VI.

VIII. *Quot modis virtus accipiatur? &, An fides informis poſſit dici in homine peccatore, virtus intellectualis? &, à quo fides habeat ſtatum virtutis?*

Dico decimò, virtutem dupliciter poſſe accipi, vno modo largè ſecundùm eſſentiam ſuam, pro quocumque habitu laudabili inclinante potentiam ad bonum actum: altero modo poteſt accipi virtus ſtrictè pro habitu conſtituente potentiam in vltimo debitæ perfectionis reſpectu actus ad quem inclinat. Hoc poſito, dicendum quòd fides informis in homine peccatore ſecundùm eſſentiam ſuam verè poteſt dici virtus intellectualis: nam, vt docet Ariſtoteles 6. *Ethicorum, cap.* 3. 6. & 7. ſapientia, & ſcientia, & intellectus ſunt virtutes intellectuales; ſed fides informis eſt maior perfectio intellectus, quàm illi habitus naturales, vel naturaliter acquiſiti. ergo verè eſt virtus intellectualis. Probatur minor, quia maior perfectio intellectus eſt rerum diuinarum certiſſima cognitio, quæ habetur per fidem quacumque alia cognitione naturali. ergo fides informis à qua, vel per quam, habetur talis certiſſima cognitio; eſt verò virtus intellectualis ſecundùm ſuam eſſentiam. Videatur Magiſter Bannes 2.2. *quæſt* 4. *art* 5. *concl.* 4.

Dico vndecimò, non officit contra hoc aſſertum D.Thom. *in* 3. *diſt.* 23. *quæſt.* 2. *art.* 3. *quæſtiunc.* 3. negans fidem eſſe virtutem intellectualem. nam S.D. dum aſſerit *loco citato*, fidem non eſſe virtutem intellectualem, intelligit de virtute purè intellectuali, cùm ſit virtus etiam theologica, quæ per ſe pertinet ad perficiendos mores ad finem ſupernaturalem, niſi impediatur ex malitia hominis exiſtentis in culpa lethali; nam licèt fides ſit in intellectu ſpeculatiuo ſicut in ſubiecto, quia obiectum fidei non eſt à nobis operabile: extenſione tamen fit practica, quia per charitatem operatur, vt docet S.D. 2.2. *q.* 4. *art.* 1. *ad tertium.*

Dico duodecimò, quamuis fides ex natura ſua poſtulet, & vendicet ſibi rationem virtutis, tamen charitas illa eſt, quæ de facto tribuit illi ſtatum, & perfectionem virtutis: vnde fides firmata dicitur habere ſtatum virtutis, quia fides charitate firmata illa eſt, quæ promptè, & delectabiliter operatur; ſed hoc eſt habere ſtatum virtutis. ergo quamuis fides informis ſit vera virtus; non tamen habet ſtatum virtutis: quia non habet promptitudinem ad operandum, fides verò formata promptè, & delectabiliter operatur. ergo hæc illa eſt, quæ habet ſtatum virtutis. Videatur D.Thom. 2.2. *q.* 4. *art.* 5. Bannes *ibi concl.* 3.

Dvbitatio VII.

IX. *Quomodo habitus intemperantiæ tollatur in peccatore per actum temperantiæ?*

Dico decimotertiò, iuxta ea, quæ diximus *aſſertione* 9. Per actum temperantiæ, quem poteſt homo exiſtens in culpa lethali habere, tollitur quidem habitus intemperantiæ in eſſe rei; quia actus temperantiæ opponitur in eſſe rei habitui intemperantiæ: non tamen peccatum veniale intemperantiæ exiſtens in homine peccatore, aufertur per actum temperantiæ; quia peccatum veniale intemperantiæ eſt quædam macula inficiens animam, & contra Deum, ſecundùm quid, licèt non ſimpliciter. ergo, vt ſic non per actum temperantiæ, qui poteſt eſſe in peccatore, tollitur, ſed media diuina gratia. quia licèt macula peccati venialis non opponatur gratiæ, opponitur tamen alicui nitori, & perfectioni gratiæ; ſed perfectio ſupponit ipſam gratiam. ergo impoſſibile eſt de lege ordinaria quòd remittatur peccatum veniale ſine gratia: tum, quia, vt ſuprà diximus, habitus infidelitatis, prout diſtinguitur à peccato infidelitatis, tollitur quidem per actum fidei, quia eſt illi contrarius: non autem ipſum peccatum habituale infidelitatis, quia, vt ſic, cùm ſit macula in anima per gratiam quæ eſt lux, & nitor animæ, tollitur. ergo ſimiliter, &c. Videatur Nugnus *tomo* 12. *in* 3. *part. quaſt.* 87. *art.* 4. *ſolutione ad* 5.6.& 7.

Dvbitatio VIII.

X. *Quid ſit remanere habitum vitiorum materialiter, & auferri formaliter?*

Dico decimoquartò, habitus vitiorum materialiter manentes in homine, etiam iuſto, ſunt quædam malæ diſpoſitiones & inclinationes ad malum, non tamen ſunt peccata, nec vt ſic formaliter manent poſt iuſtificationem; per gratiam enim, & virtutes infuſas non ſtatim aufertur entitas illa materialis habitus vitiorum: nam ſi quis per auaritiam Deum offendit, diligendo plus res temporales, & diuitias, quàm diuinam bonitatem, ſi poſtea per pœnitentiam conuertitur ad incommutabile bonum, remittitur ei culpa quoad omnem rationem malitiæ. Et licèt pœnitens abhorreat, & auertatur actualiter ab illo commutabili bono, ſæpè tamen remanet in eo quædam habitualis inordinatio, & materialis inclinatio ad diuitias, & ad bona temporalia, & ſic habitus auaritiæ dicitur remanere in homine iuſto materialiter quoad illam entitatem materialem. Similiter dicendum de habitu intemperantiæ, remanet enim in homine etiam poſt iuſtificationem inclinatio illa materialis ad intemperatè comedendum: aufertur tamen habitus vitiorum formaliter per gratiam ſecundùm quòd, ſimpliciter loquendo, eſt obliquitas, & mala diſpoſitio ſubiecti, auertens hominem à Deo, vel ſimpliciter, vt quando eſt habitus vitiorum mortalium, vel ſecundùm quid, quando eſt habitus vitiorum venialium. quia pœnitens dum iuſtificatur per gratiam, abhorret, & auertitur actualiter ab illo bono commutabili, & conuertitur ad bonum incommutabile. Videatur pro hac re Caietan. 3. *part. quaſt.* 86. *art.* 4. Nugnus *tom.* 2. *in* 3. *part. quaſt.* 85. *art.* 4. *dub.* 2. §. *ſecunda concluſio, verſic. Habitus namque vitiorum.*

Dvbitatio IX.

XI. *An præter virtutes theologales infundantur ſimul cum gratia virtutes morales? &, An iſtæ diſtinguantur à virtutibus moralibus ex operum aſſuetudine acquiſitis?*

Dico decimoquintò. Hominibus iuſtis ſimul cum gratia, & charitate diuinitus infunduntur præter virtutes theologales, virtutes morales infuſæ. Probatur, quia per diuinam gratiam conſtituitur homo in eſſe quodam diuino, ac ſupernaturali, quo, iuxta D. Petri *Epiſt.* 2. *c.* 1. diuinæ naturæ fit particeps; ſed ad ſtatum, & perfectionem hominis vt conſtituti in ordine diuino, & ſupernaturali, ſpectat, vt ſit rectè diſpoſitus circa finem vltimum ſupernaturalem, & circa media per virtutes morales. ergo ad perfectionem eiuſdem ſpectabit, vt non modò diuinitus perpoliatur virtutibus theologicis circa finem ſupernaturalē, verùm etiā moralibus circa aliàs materias, qua ratione conducunt ad finem ſupernaturalem. Ita S. D. 1. 2. *q.* 63. *art.* 3. videatur idem 1. 2. *q.* 110. *art.* 4. *ad* 1. & 3. *p. q.* 62. *art.* 2.

Dico decimoſextò, hæ virtutes morales infuſæ, ſpecie diſtinguuntur à virtutibus moralibus ex operum aſſuetudine acquiſitis. nam virtutes, & habitus ſpecie diſtinguuntur, ſecundùm ea, ad quæ ordinantur: ſed virtutes morales infuſæ ordinantur vt bene ſe habeant homines ad hoc, vt ſint ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, morales acquiſitæ, vt benè ſe habeant ad res humanas. ergo, &c. Maior eſt certa. Probatur minor, nam virtute temperantiæ acquiſitæ, e. g. ſecundùm regulam rationis humanæ, ſtatuitur modus in ſumptione ciborum, &c. vt non noceat valetudini corporis, nec impediat rationis actum; in temperantia verò infuſa ſecundùm regulam legis diuinæ requiritur quòd homo caſtiget corpus ſuum, & in ſeruitutem redigat per abſtinentiam cibi, & potus, vt non impediatur à conſecutione æternæ beatitudinis. ergo cùm ſint ſpecie diſtincta, imò genere, ea ad quæ ordinantur, temperantia infuſa, & acquiſita, ſpecie erunt diſtinctæ. Et eadem ratio eſt de aliis virtutibus. Ita præclarè S. D. 1. 2. *quaſt.* 63. *art.* 4.

Dvbitatio X.

XII. *An habitus vitioſi acquiſiti opponantur virtutibus moralibus infuſis, & poſſint cum his ſtare?*

Dico decimoſeptimò, non eſſe mirum, quòd ſi quis iuſtificetur, cùm antè vitioſos habitus habuerit, puta habitum vitioſum intemperantiæ, ſimul cum gratia iuſtificante, infundantur eidem virtutes morales infuſæ, quia habitus vitioſi materialiter ſumpti, poſſunt ſimul conſiſtere cum virtutibus infuſis in eo, qui iuſtificatur: nam habitus vitioſi priùs acquiſiti non opponūtur directè virtutibus infuſis, ſed acquiſitis; quoniam propriè aduerſantur dictamini rectæ rationis humanæ: & ſic habitus intemperātiæ acquiſitæ poteſt ſimul eſſe cum habitu temperantiæ infuſæ. nam gratia non illico expellit habitus priùs acquiſitos, & ita habitus temperantiæ infuſæ ſtare poterit cum habitu intemperantiæ acquiſitæ: non autem cum habitu temperantiæ acquiſitæ ſimul ſtat habitus intemperantiæ acquiſitæ; quia hi habitus directè opponuntur.

Dvbitatio XI.

XIII. *Quomodo habitus vitioſi remaneant in homine iuſto?*

Dico decimooctauò. Remanent tamen huiuſmodi habitus

habitus vitioſi quando homo iuſtificatur per gratiam, aliqua ratione debilitari, & quaſi in via corruptionis; quia virtutes infuſæ ſimul cum gratia iuſtificante præſtant per ſe homini iuſto promptitudinem ad bonos actus in materia morali. ergo habitus vitioſi, ſi qui in iuſtificato manent, non ita promptè poſſunt prodire in prauos actus circa eandem materiam: Id autem eſt ipſos habitus vitioſos debilitari, & frangi per gratiam ac virtutes infuſas. Videantur pro his duabus aſſertionibus D. Thom. *in 4. diſt. 14. quæſt. 2. art. 2. ad 4.* Capreolus *in 3. diſt. 33. quæſt. vnica, art. 3. ad 4. contra tertiam concluſionem.* Valentia *tom. 2. diſp. 5. quæſt. 6. de virtutibus moral. infuſis, puncto 1. fine. §. Ad tertium concedo.*

Dubitatio XII.

XIV. *An iuſtificati ob infuſionem virtutum moralium promptiores ſint in operibus virtutum, quàm alij, cæteris paribus?*

Dico decimonono, iuſtificati ob infuſionem virtutum moralium promptiores ſunt in operibus virtutum, quàm alij, cæteris paribus. quia virtutes infuſæ ita appetitum perficiunt, vt præſtent illis peculiarem quamdam, & nouam facultatem ad reſtituendum paſſionibus, & eliciendas actiones rectas propter vltimum finem. Tum, quia de ratione virtutis eſt, quòd ſit habitus, ſeu qualitas difficile mobilis, per quam aliquis faciliter, & delectabiliter operatur, vt docet D. Th. *3. p. q. 69. art. 4.* ergo iuſtificati, cæteris paribus, promptiores ſunt ad ſtudium virtutum, quàm alij: tum, quia experientia comprobatum eſt, quòd multi publicani, & multæ meretrices, ſtatim in Religione Chriſtiana facti ſunt in omni genere virtutum perfecti, vt cogamur dicere, hæc mutatio dexteræ Excelſi. ergo euidens eſt quòd diuinitus iuſtificatis infundantur virtutes morales infuſæ, & quòd, cæteris paribus, promptiores ſunt in operibus virtutum, quàm alij: videatur D. Thom. *quæſt. de virtutibus in communi, art. 10. ad 14. & 15.* Medina *1. 2. q. 63. art. 3 ſolut. ad 3.*

Dubitatio XIII.

XV. *Vndénam proueniat difficultas in operando actus virtutum in homine baptizato, & in gratia?*

Dico vigeſimò, quòd verò homo baptizatus cùm peruenit ad vſum rationis ſentiat magnam difficultatem in operibus virtutum, hoc non prouenit propter defectum habituum virtutum, ſed quia gratia iuſtificans non aufert omnia impedimenta fomitis paſſionum, & concupiſcentiæ: pronitas tamen, & concupiſcentia ad malum in iuſtificatis diminuuntur, vt non dominentur, & ne homo ab his ſuperetur. Ita optimè S. Doctor *3. part. quæſt. 69. art. 4. ad tertium,* quòd ſi iuſtus interdum videatur habere æqualem, vel maiorem difficultatem in exercitio virtutum, quàm alius, hoc prouenit, quia non erant cætera paria, vel id accidet ob naturam vehementiorem, vel ob alias diſpares perſonarum, aut rerum circumſtantias, vel quia ille alius habuit præteritum exercitium bonorum actuum, quibus contrariæ paſſiones edomantur, & quaſi comprimuntur. Videatur S. Doctor *quæſt. de virtutibus in communi, art. 10. ad 14. & 15.*

Dubitatio XIV.

XVI. *An tollantur paſſiones ad malum inclinantes per virtutes acquiſitas, ſeu infuſas?*

Dico vigeſimoprimò. Paſſiones ad malum inclinantes non totaliter tolluntur, neque per virtutem acquiſitam, neque per virtutem infuſam, niſi fortè miraculosè; quia ſemper remanet colluctatio carnis contra ſpiritum, etiam poſt iuſtificationem, poſt moralem virtutem infuſam, & poſt acquiſitam. *Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem*, ad Galat. 5. Tamen tam per virtutem acquiſitam, quàm per virtutem infuſam, huiuſmodi paſſiones modificantur: quia ab his poſt virtutem acquiſitā, vel infuſam, non ita effrænatè mouetur homo.

Dubitatio XV.

XVII. *Vndénam oriatur, quòd impugnatio paſſionum magis ſentiatur ab habente ſolùm virtutes acquiſitas, quàm infuſas?*

Dico vigeſimoſecundò, impugnatio tamen paſſionum minus quodammodo ſentitur ab habente virtutem acquiſitam, quàm ab habente ſolùm infuſam. quia per frequentes actus, quibus homo eſt aſſuetus in operibus virtutum acquirendo virtutem, iam diſſueuit talibus paſſionibus obedire, & conſueuit eis reſiſtere: Idque homo non habet per ſolam virtutem infuſam, quia non illico per gratiam habitus vitioſi præteriti expelluntur.

Dico vigeſimotertiò, quamuis à principio virtus infuſa non ita ſemper tollat ſenſum paſſionum, ſicut virtus acquiſita, & propter hoc à principio per virtutem infuſam non ita delectabiliter operemur, non tamen hoc eſt contra rationem virtutis. quia quandoque ad virtutem ſufficit ſine triſtitia operari, nec requiritur quòd per eam delectabiliter operemur, propter moleſtias, quæ ſentiuntur, ſicut Philoſophus dicit *3. Eth.* quòd forti ſufficit ſine triſtitia operari. Sic optimè S. Doctor *loc. cit. quæſtione de virtutibus in communi, art. 10 ſolutione ad 15.*

Dubitatio XVI.

XVIII. *An per quemlibet actum virtutum moralium infuſarum producatur habitus de nouo?*

Dico vigeſimoquartò, per actus virtutum moralium infuſarum non producuntur alij habitus, ſed prior habitus intenditur, & perficitur. Probatur. nam in omnibus materiis actus, qui producitur ab aliquo habitu, nunquam producit alium habitum, ſed intendit, & perficit priorem iam exiſtentem: tum, quia vel ille habitus, qui produceretur, eſſet eiuſdem ſpeciei cum priori, vel diuerſæ. Diuerſæ eſſe non poteſt. nam, vt docet Philoſophus *2. Eth. c. 1.* per actus non producuntur niſi ſimiles habitus eiuſdem ſpeciei cum actibus, hoc eſt, circa idem formale obiectum: neque poſſet ille habitus de nouo genitus eſſe eiuſdem ſpeciei cum priori. nam certum eſt per potentiam Dei ordinariam in eodem ſubiecto non poſſe eſſe duo accidentia eiuſdem ſpeciei ſolo numero differentia. ergo per actus virtutis iam habitæ non producitur alius habitus, ſed præexiſtens tantummodo confirmatur, & augetur. Ita benè S. D. *1. 2. quæſt. 51. art. 4. ſolut. ad 3.* & Caiet. *ibi.*

Dvbitatio XVII.

XIX. *Vndénam proueniat facilitas ad operandum actus virtutum?*

Dico vigeſimoquintò, puer baptizatus perueniens ad vſum rationis perſiſtens per multos annos in gratia, ſi poſtea per peccatum mortale illam amittat, & conſequenter cæteras alias virtutes per ſe infuſas ſi inuenit ſe promptum, & facilem ad ieiunandum, e.g. hoc non prouenit, quia habet aliquem habitum temperantiæ acquiſitum; ſed quia habuit virtutem infuſam temperantiæ, ex cuius exercitatione præcedenti manent paſſiones moderatæ, & difficultates ſuperatæ. Probatur à ſimili. nam ſi infidelis conuertitur ad fidem noſtram, qui manens in infidelitate promptè obſeruauit ieiunia, propter ſuum idulum inuenit ſe promptum ad ieiunandum, non quia ſtatim acquiſiuit habitum temperantiæ, ſed quia habuit habitum præcedentem, qui paſſiones aliquo modo moderatas reliquit. ergo, ſimiliter idem dicendum eſt de puero, qui veniens ad vſum rationis diu perſeuerauit in gratia, ſi poſtea per peccatum mortale amittit gratiam, & cæteras virtutes infuſas ſe promptum inuenit ad ieiunandum, hoc non prouenit ex aliquo hábitu temperantiæ acquiſito, ſed quia per habitum temperantiæ præcedentem infuſum in ſua iuſtificatione manent adhuc paſſiones moderatæ, & difficultates aliquo modo ſuperatæ. Sic benè obſeruauit Magiſter Medina 1.2.q.51. *art.4.§. Ad ſecundum, & tertium argum. verſ. Sed ſi inſtet.*

XX. *Explicatur virtutes infuſas eſſe in duplici differentia.*

Dico vigeſimoſextò, habitus, & virtutes infuſæ ſunt in duplici differentia, infuſæ per ſe, & infuſæ per accidens. Infuſæ per ſe illæ ſunt, quæ viribus naturæ comparari nequeunt, quarum proinde acquiſitio eſt diuina, & ſupernaturalis infuſio, vt, gratia, fides, ſpes, charitas, & virtutes morales, quæ ſimul infunduntur cum gratia: infuſæ verò per accidens illæ ſunt, quæ viribus naturæ comparari poſſunt, vt ſcientia infuſa Salomoni, & Adamo. Habitus, & virtutes infuſæ per accidens, quæ licèt poſſint viribus naturæ acquiri, ex Dei tamen munere nobis aliquando infundūtur, ſunt eiſdē ſpeciei cum acquiſitis, & ſic Geometria alicui infuſa, quia eſt ſcientia infuſa per accidens, eſt eiuſdē ſpeciei cum acquiſita; ſicuti oculus cæco reſtitutus eſt eiuſdem ſpeciei cum cæteris: infuſæ verò per ſe, non ſunt eiuſdem ſpeciei cum acquiſitis, & ſic temperantia infuſa per ſe in iuſtificatione impij, diſtinguitur ſpecie ab acquiſita, vt ſuprà probatum eſt *dicto 16.* eſt enim temperantia infuſa virtus ſupernaturalis, quæ corrupta charitate per vnicum peccatum mortale ipſa ſimiliter corrumpitur: virtus verò acquiſita ſecundùm ſuam eſſentiam remanet corrupta charitate per peccatum mortale: videatur pro hoc aſſerto Caiet. 1.2. *q.51.art.4.* Medina 1.2.*q.63.art.4.in principio, verſic. Sed hæc ſententia.* Sed vt magis eluceſcant præcedentes aſſertiones, dicendum erit quid ſit virtus.

Dvbitatio XVIII.

XXI. *Quidnam ſit virtus, & quomodo diffinitio virtutis conueniat, ne dum infuſis, ſed etiam acquiſitis?*

Dico vigeſimoſeptimò, virtus ſecundùm D.Thom. 1.2.*quæſt.55.art.4.* eſt bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, & qua nemo malè vtitur, quam Deus in nobis operatur. Hæc diffinitio, vt iacet, ſolùm competit virtutibus infuſis; ſi verò auferatur illa particula, *quam Deus in nobis ſine nobis operatur*, competit omnibus virtutibus tam infuſis, quàm acquiſitis. Item in diffinitione hac, nomine *mentis* accipitur non ſolùm, vt mens pertinet ad intellectum, ſed ſecundùm quòd importat rationalem potentiam, ſiue rationalem per eſſentiam, ſiue per participationem. Appetitus enim ſenſitiuus, qui in iraſcibilem, & concupiſcibilem diuiditur, participat aliquid rationis, in quantum iraſcibilis, & concupiſcibilis natæ ſunt rationi obedire, vt docet S.Doctor 1.2. *quæſt. 56. art.4. in corpore.* Item virtus dicitur *qualitas*, id eſt, habitus, eſt enim aliud à potentia, & ab actu animæ, vt ait Ariſt. 2. *Eth. cap.5.* Item dicitur in diffinitione virtutis, *qua rectè viuitur*; quia ex ratione ſua nequit virtus actum habere prauum. Illa alia particula, *qua nemo malè vtitur*, ponitur ad diſtinguendum virtutem ab aliis habitibus, qui non ſunt virtutes. qui aut mali ſunt, nempè vitia, aut certè ex ſua ratione eiuſmodi, vt poſſint potentiam inclinare ad actum non rectum: vt eſt habitus opinionis. contingit enim illum habere aſſenſum & verum, & falſum; actu verò virtutis nemo malè vtitur, quia ſecundùm quòd procedit à virtute, nunquam eſt, nec eſſe poteſt malus: malitia autem, quam aliquando habet habitus in exercitio, ſeu actus virtutis, non prouenit à virtute, ſed ab extrinſeco ex malo vſu voluntatis, & in hoc differt virtus ab opinione: nam opinio poteſt eſſe principium effectiuum aſſenſus falſi, etiam ſecundùm quòd talis aſſenſus procedit ab opinione: virtus autem non poteſt eſſe principium actus mali ſecundùm quòd procedit à virtute: videatur D.Thom. 1.2. *quæſt.57.art.2. ad tertium, & art.3. ad primum.*

XXII. *Aliæ diffinitiones virtutis aſſeruntur, & explicantur.*

Diffinitur etiam virtus ab Ariſtotele 1.*de cœlo, textu* 116. Virtus eſt vltimum potentiæ, primum vltimum principium operatiuum ſimul cum potentia; nam ipſa potentia eſt principium principale operationis: virtus verò eſt principium vltimum perficiens ipſam potentiam ad operandum, poſt quod non eſt aliud principium: videatur alia explicatio huius diffinitionis apud S.Thom. 1.2.*q.55.art.1.ad primum.*

Dicitur etiam apud eumdem Ariſtotelem 7. *Phyſ. textu* 17. quòd virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum. Diffinitur virtus per diſpoſitionem tamquam per genus remotum, & ſuperius ad habitum, ſumendo diſpoſitionem in communi acceptatione, qua eſt quid ſuperius ad habitum, & diſpoſitionem ſpecialiter dictam. Dicitur in hac diffinitione, *virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum. Perfecti*, id eſt, ſubiecti habentis virtutem, perficitur enim potentia per virtutem, vt promptè, & delectabiliter operetur. Dicitur *ad optimum*, id eſt, ad optimam operationem in ſuo genere: temperantia enim virtus eſt, at non diſponit ad optimam operationem abſolutè, ſed ad optimam in ſuo genere. Rurſus fides Chriſtiana vera virtus eſt, at non diſponit ad optimam operationem abſolutè, ſed ad optimam in ſuo genere iuxta naturam potentiarum, & formalem rationem vniuſcuiuſque obiecti.

Item 2. *Eth. cap. 6.* Ariſtoteles aliam diffinitionem virtutis aſſignat: Virtus eſt, quæ bonum facit habentem, & eius opus bonum reddit. Simpliciter hæc diffinitio competit virtutibus moralibus; virtutibus autem intellectualibus ſecundùm quid: quatenus

virtutes

virtutes intellectuales non faciunt bonum habentem ſimpliciter, ſed ſecundùm quid: videatur Medina t.2.*in præfatione ad q.55*.Hæc obiter dixerim pro intelligentia eorum, quæ in noſtris aſſertionibus ſunt propoſita.

XXIII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

Ad argumentum à principio poſitum iam patet quid dicendum ex ſecunda noſtra aſſertione, illud enim nullam habet difficultatem in ſententia S.Th. tenentis, quòd peccatum veniale non poteſt eſſe cum ſolo peccato originali: quòd ſi daretur ille caſus, quomodo & quo loco puniretur talis homo pro illo peccato veniali, dicemus dubio ſequenti: vnde ſit

Articvlvs XL.

An venialia iuſtorum hominum delicta in futuro ſæculo remittantur?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur an ex hypotheſi quidem impoſſibili, quòd quis decederet, habens peccatum originale, cum ſolo veniali, puniretur pœna æterna.*
3. *An in inferno poſſit tolli peccatum veniale, ſi in hac vita non eſt remiſſum? &, quanam pœna illi debeatur.*
4. *Dubitatio reſoluitur.*
5. *An anima, per actum contritionis, quem elicit in primo inſtanti poſt mortem, aliquid mereatur.*
6. *An anima, per actum contritionis, quem elicit primo inſtanti, poſt mortem mereatur remiſſionem pœnæ Purgatorij.*
7. *An animæ in Purgatorio ſint in ſtatu ſatisfaciendi.*
8. *An flagella vitæ præſentis à Deo inflicta ſint ſatisfactoria.*
9. *An duo homines, cum æquali voluntate patientes, mortem illatam iuſtè, vel iniuſtè, æqualiter ſatisfaciant pro peccatorum pœnis.*
10. *An duo æqualiter iuſti, & æqualiter diuites, æqualiter ſatisfaciant, vel mereantur ſi vnus tribuat eleemoſynam paruam, v.g. vnius ſcuti, cum ingenti charitate; & alius magnam, v.g. mille ſcutorum, cum minima charitate? &, An iſti æqualiter mereantur augmentum gratiæ, & charitatis.*
11. *Quidnam magis conducat ad meritum, intenſio actus, vel cætera bonitates eiuſdem.*
12. *An actus magis meritorius, ſit etiam magis ſatisfactorius.*
13. *An actus excellentioris virtutis, ſit magis meritorius, & ſatisfactorius actu virtutis non tam excellentis, licèt ille ſit minus intenſus.*
14. *An actus ſit magis meritorius, vel ſatisfactorius, ex eo quòd procedit ab habente intenſiorem habitum gratiæ.*
15. *Explicatur ex quibus capitibus meritum, & ſatisfactio augeatur.*
16. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*
17. *An animæ in primo inſtanti poſt mortem, ſint in termino, vel in via.*
18. *An animæ Purgatorij poſſint pro nobis orare.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm poſt exitum animæ à corpore, nec vllum eſt meritum hominis, neque ſatisfactio, & culpa venialis abſque hominis merito, atque ſatisfactione iuſta, & debita non tollitur. ergo, &c.

Dvbitatio I.

II. *An ex hypotheſi quidem impoſſibili quòd quis decederet habens peccatum originale cum ſolo veniali, puniretur pœna æterna?*

Dico primò, ſi daretur ille caſus, quòd aliquis moreretur cum peccato originali, & veniali, ſine mortali, quem caſum diximus dubio præcedenti *aſſertione* 2. dari non poſſe, tamen ex ſuppoſitione, quòd daretur, probabiliter dicunt aliqui, quòd talis homo puniretur pro illo peccato veniali aliqua pœna ſenſus æterna in inferno; per accidens tamen, quia licèt peccato veniali ſecundùm ſe debetur non pœna æterna, ſed temporalis, per accidens in caſu poſito ex coniunctione, quam haberet cum originali, pœna ei deberetur æterna: & ita hanc tenet Sotus *in 4. diſt. 45. q. 1. art. 1. ſolutione ad primum.*

Dico ſecundò, probabilius tamen dicendum eſt quòd ſolum tunc puniretur illud peccatum veniale pœna aliqua temporali in aliquo loco ſignato à Deo, illa autem pœna recepta ſecundùm menſuram talis peccati venialis, manebit ille homo ſicut alij moriuntur cùm peccato originali tantùm: quia peccato originali cùm non ſit commiſſum per proprium actum, non debetur pœna ſenſus æterna; ergo peccato veniali coniuncto cum originali ſine mortali, neque per accidens, ex coniunctione ſcilicet, quam habet cum originali, debetur pœna æterna, ſed temporalis, qua finita remitteretur etiam ei peccatum veniale, etiam quoad culpam: quia ille, qui decedit in ſolo originali, ſine mortali, eſt capax voluntariæ deteſtationis, & naturalis contritionis, ſeu dilectionis ſuper omnia, & eſt gratus Deo ad bona naturæ habenda, & ad mala pœnæ ſenſus euadenda, quamuis non ſit gratus, quoad habendam gloriam, & vitandam pœnam damni: ex quadam igitur liberalitate diuina facta naturæ remitteretur decedenti in ſolo originali illud veniale. Ita Paludanus *in 4. diſt. 16. quæſt. 1. art. 1. num. 22. 23.* Idque probabile exiſtimat Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp.* 11. *ſect. 2. num. 16.* licèt hoc reputet falſum Sotus *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art.* 4. quia quamuis illi decedenti in ſolo originali cum veniali, non deberetur niſi pœna ſenſus temporalis, tamen ratione perſonæ, quæ non eſt Deo grata, numquam fieret ſolutio. Videatur pro hoc aſſerto Nugnus *tom. 2. in 3. part. q. 87. art. 4. in ſolutione ad primum.*

Dvbitatio II.

III. *An in inferno poſſit tolli peccatum veniale, ſi in hac vita non eſt remiſſum, & quanam pœna illi debeatur?*

Dico tertiò, ſi peccatum veniale in hac vita non fuit remiſſum quoad culpam, nunquam in inferno tollitur. quia in inferno nullum eſt medium, quo tollatur, cùm ibi nullus ſit actus bonus. Ita benè Durandus *in 4. diſt. 21. quæſt. 2.* Neque ibi remittitur pœna temporalis, quæ ſecundùm ſe debetur peccato veniali, quæ poſt eius remiſſionem interdum manet; quia reatus pœnæ etiam temporalis apud Deum nunquam tollitur, niſi per pœnam voluntariam, & amicabilem. Videatur Magiſter Sotus *in 4. diſt. 45. quæſt. 1. art. 1. §. Ad primum autem reſpondetur.* Suarez *loc. cit. num.* 12.

Dico

Dico quartò, licèt peccato veniali ſecundùm ſe tantùm debeatur pœna temporalis per accidens, tamen ex coniunctione ad mortale iuſtè punitur pœna æterna, ſecundùm eandem intenſionem, quæ illi debetur. quia totum hoc meretur homo quando peccat mortaliter, quòd ſcilicet peccata venialia in æternum puniantur, eo quòd iſta eſt natura rei, quòd non remittatur veniale peccatum, niſi lethale deleatur. Videatur Nugnus *loco citato, ſolutione ad ſecundum argumentum.*

IV. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico quintò, directè reſpondens quæſito, decedentibus in gratia, ſi quæ habent adhuc peccata venialia, his remittuntur per actum contritionis, quem anima primo inſtanti poſt mortem elicit, quóque ſe ad eorum remiſſionem diſponit. Probatur, quia cùm talis anima habeat veram fidem, qua bonitatem Dei, & ſuum ſtatum, ac turpitudinem peccati etiam venialis, & quantum hoc Deo diſpliceat, perfectè cognoſcit: item cùm habeat veram in Deum charitatẽ, ab hac ſtatim impellitur, vt omnia peccata quatenus Deo diſplicent deteſtetur, & cùm habeat auxiliũ efficax ad huiuſmodi eliciendum. ergo re ipſa elicit talem actum. ergo per illum, vtpote incompoſſibilem, cum peccatis venialibus obtinet remiſſionem in illo primo inſtanti poſt mortem. Ita bene colligitur ex S.Thom. *quæſt.7. de malo, art.* 11. quem ſequuntur Suarez *tom.4 in 3.part.diſp.*11. *ſect.*4. *num.*10.*&* 13. Bonacina *tom.*1. *de Sacramentis, diſp.*5. *q.*6. *ſect.*2. *propoſ.*3. *verſic. Reſpondeo.*

Dubitatio III.

V. *An anima per actum contritionis, quem elicit in primo inſtanti, poſt mortem aliquid mereatur?*

Dico ſextò, ille tamen actus nihil demit de pœna, quæ morienti pro peccatis reſtat ſoluenda, quia poſt mortem non eſt ampliùs tempus ſatisfaciendi, ſed ſolùm ſatispatiendi: tum, quia ſi per tales actus poſſent animæ ſatisfacere, cùm habeat iam intellectum, & voluntatem in ſuis operationibus planè expedita, poſſunt ſtatim plurimos tales actus elicere. ergo breuiſſimo tempore pro maximis pœnis ſatisfacere, quod eſt contra communem Eccleſiæ ſenſum, quæ indicat ſæpè multas animas valde diu in Purgatorio permanere.

Dico ſeptimò, probabiliter dici poteſt, quòd illa anima ſeparata à corpore in illo primo inſtanti poſt mortem per eum actum contritionis, vel dilectionis meretur ſibi remiſſionem peccati venialis: eſt enim adhuc in ſtatu merendi aliquid accidentale, ſeu neceſſarium, vt eſt remiſſio peccati venialis, quoad culpam, neceſſariam ad ſuam purgationem: quia quantum ad hoc non eſt in termino, ſed quodammodo in via. Sotus *in 4.diſt.*15.*quæſt.*2.*art.*6 *fine.*

Dico octauò, conſequenter, quòd licèt poſt mortem nullum poſſit eſſe meritum augmenti gratiæ, aut gloriæ; quia hoc eſt viatoribus proprium: attamen cùm illo primo inſtanti poſt mortem ſit feruens actus charitatis, nihil obſtat, quominus ille actus ſit remiſſorius venialis culpæ, quia cùm anima hominis iuſti ſit in gratia, obtinere ſibi poteſt per actum illum charitatis aliquid ſibi neceſſarium, remiſſionem ſcilicet peccati venialis ad ſui purgationem, licèt non gloriam, neque augmentum gratiæ. Ita benè idem Magiſter Sotus *loc. cit. & in 4. diſt.*19. *quæſt.*3. *art.*3. *concluſ.*3. quem ſequitur Azor. *part.*1. *inſtit.mor. lib.*4. *cap.*11. *quæſ.*9.*fine.*

Dico nonò, rationabiliter etiam dici poteſt, ſi nullum poſt mortem meritum admittere voluerimus, peccatum veniale tunc remitti ob merita præcedentia propria, vel Chriſti Domini applicata, ſuppoſita ex parte animæ ſufficienti diſpoſitione, quæ eſt feruens actus ille dilectionis Dei in illo inſtanti ſeparationis, quia cùm per eum actum perfectiſſimè diſponatur ad remiſſionem peccati venialis, nulla eſt ratio cur eam remiſſionem à Deo perfectè illum amante non ſtatim conſequatur ob merita præcedentia propria, vel ob merita Chriſti Domini eidem applicata. Confirmatur. nam, vt ſuprà diximus, homo in illo primo inſtanti poſt mortem, quia habet feruentiſſimum actum charitatis, recipit augmentum gratiæ, & charitatis in eſſe habitus, & qualitatis, quod ſibi meruit per actus remiſſos in hac vita, quia tunc per illum eſt ſufficienter diſpoſitus ad illud recipiendum. ergo ſimiliter ob merita præcedentia recipit in illo inſtanti poſt mortem remiſſionem peccati venialis, vel ob merita Chriſti Domini illi applicata: videatur Suarez *tom.4. in 3. part.diſp.*11. *ſect.*4 *num.* 15. *fine.*

Dubitatio IV.

VI. *An anima per actum contritionis quem elicit primo inſtanti poſt mortem, mereatur remiſſionem pœna Purgatorij?*

Dico decimò, magis explicans aſſertionem ſextam: in illo primo inſtanti poſt mortem nulla pœna Purgatorij remittitur ex vi illius contritionis, & dilectionis; quia Deus ſtatuit tempus huius vitæ ad ſatisfaciendum per noſtros actus, vel pœnas huius vitæ: tempus autem vitæ futuræ ad ſuſtinendam condignam pœnam ignis; ſed in inſtanti mortis extrinſecè finitur hæc vita, & intrinſecè incipit alia; ergo in illo iam non habet locum modus ſatisfaciendi huius vitæ, ſed intrinſecè incipit ſatisfactio per Purgatorium, & ita hanc aſſertionem docet D.Th.*q.*7.*de malo, art.*11. *in fine corporis*, quem ſequitur Suarez *loc.cit.n.*18.

Dico vndecimò, nec obſtat contra 5. & 7. aſſertiones, D.Th.3.*p. in addit. q.*4. *art.* 3. negans quòd animæ poſt hanc vitam de peccatis conterantur: tria enim, inquit S.D. ſunt conſideranda in contritione. Primum eſt quòd ſit dolor: ſecundum eſt quòd ſit actus virtutis gratia informatus: tertium eſt quòd ſit actus meritorius. Animæ poſt hanc vitam habent dolorem gratia informatum, ſed non meritorium; quia non ſunt in ſtatu merendi. Hæc S.D. Hoc, inquam, non obſtat, quia S.D. ſolùm negat quòd ille dolor gratia informatus, quem habent animæ poſt hanc vitam in primo inſtanti ſeparationis, ſit meritorius augmenti gratiæ, & gloriæ eſſentialis: attamen ille dolor informatus gratia, quem habent animæ in primo inſtanti, eſt meritorius, & remiſſorius culpæ venialis. Ita benè Sotus *in 4.diſt.*19.*quæſt.*3.*art.*3.*fine.* §. *Ad ſecundum, & in 4. diſt.*15.*quæſt.*2.*art.*2.*fine.*

Dubitatio V.

VII. *An animæ in Purgatorio ſint in ſtatu ſatisfaciendi?*

Dico duodecimò, animæ exiſtentes in Purgatorio ſunt quidem in ſtatu ſatiſpatiendi, quia ex peccato dimiſſo relinquitur reatus, & obligatio pœnæ luendæ quam ſuſtinere poſſunt animæ Purgatorij: non tamen

Digitized by Google

ſunt in ſtatu ſatisfaciendi. quia ſicut tempus abſolutè merendi augmentum gratiæ, & gloriæ, fuit tantùm in hac vita; ita etiam ſtatus ſatisfaciendi per voluntarias pœnas, vel afflictiones fuit ſtatutum à Deo in hac vita. Tum, quia de ratione veræ, & propriæ ſatisfactionis eſt, quòd illa voluntariè aſſumatur; ſed pœna Purgatorij non voluntariè aſſumitur, licèt ſit voluntaria concomitanter per conformitatem cum diuina voluntate. ergo illa pœna non habet rationem veræ, & propriæ ſatisfactionis, ſed ſatiſpaſſionis, non enim habet valorem compenſandi debitum ex voluntate ſatiſpatientis, ſed ex ſua acerbitate iuxta menſuram diuinæ legis: vnde non propriè, ſed largo modo dicitur ſatisfactio, id eſt, pœnæ debitæ ſolutio. Ita optimè S. Doctor *3. part. in addit. q. 4. art. 3. ad 3.* Videatur idem S. Thom. *in 4. diſt. 15. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 1.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp 37. ſect. 3. num. 2.*

Dico decimotertiò, magis explicans præcedentem aſſertionem in Purgatorio, quamquam qui illic purgantur, non haberent actum poſitiuum acceptandi illas pœnas, ſed ſolùm quòd non renuerent, ſoluerent adhuc pro remiſſis peccatis pœnas debitas, non quidem propriè ſatisfaciendo, ſed ſatiſpatiendo, quia pœnæ illæ, quas patiuntur animæ exiſtentes in Purgatorio, non pendent ex voluntate operantis, ſed ex iudicis lege, & intentione. ergo per illas ſatiſpatiuntur potius, quàm ſatisfaciunt, ſatisfactio enim debet eſſe per operationem liberam: videatur Magiſter Sotus *in 4. diſt. 19 quæſt. 2. art. 2. §. Sequitur ſecundum diſcrimen, verſic. Nam in Purgatorio.*

Dvbitatio VI.

VIII. *An flagella vitæ præſentis à Deo inflicta ſint ſatisfactoria?*

Dico decimoquartò, flagella præſentis vitæ à Deo inflicta, & à nobis patienter tolerata propter Deum, ſunt ſatisfactoria. Itaque, qui patienter ſuſtinet infirmitatem, vel alios labores prouenientes ab ipſo Deo, verè ſatisfacit pro pœnis debitis peccatis dimiſſis. Idem dicendum eſt de pœnis, quæ iuſtè, vel iniuſtè imponuntur ab aliis hominibus: quia licèt iſtæ pœnæ ſint illatæ ab extrinſeco, tamen quando homo voluntariè, & patienter ſuſtinet, facit illas proprias, & illas offert Deo. ergo verè ſatisfacit pro illis: tum, quia Chriſtus Dominus per dolores, & pœnas corporales ſibi extrinſecus illatas verè pro nobis ſatisfecit, etiamſi Chriſtus Dominus illos in ſe non efficeret, ſed ab aliis illatas ſuſtineret. ergo ſimili modo nos ſatisfacimus, &c. Videatur ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 9.* quod antea docuit D. Thom. *3. part. in addit. quæſt. 15. art. 2.* Nugnus *ibi in principio expoſitionis articuli.*

Dico decimoquintò, non ſunt autem huiuſmodi flagella, & pœnæ ab extrinſeco illata ſatisfactoria, ſi per impatientiam homo illa ſuſtinere diſſentiat. quia tunc non habent rationem ſatisfactionis, ſed vindicationis diuinæ, & tunc ſine fructu illa homo patitur: quomodo Deus ſumit vindictam de damnatis, & de aliis iniquis quos punire dicitur pœna inimici. Tum, quia hæc flagella, & pœnæ extrinſecus illata non operantur remiſſionem pœnæ debitæ peccatis dimiſſis ex opere operato: nam non ſunt ſacramenta, nec habent ſpeciale priuilegium extra martyrium. ergo ex merito operantis ſunt ſatisfactoria. ergo neceſſaria eſt aliqua actio humana, & honeſta ipſius operantis, qua accepter voluntariè, & patienter huiuſmodi flagella, & aliquo modo in Deum referat. Tum, quia ſi tota remiſſionis pœna conſiſteret in paſſione, etiamſi homo non eſſet in gratia, vel etiamſi peccaret per voluntatem reſiſtendo, nihilominus remiſſionem pœnæ obtineret. quod eſt abſurdum. ergo, &c. Videatur D. Thom. nuperrimè relatus. Victoria *in ſumma quæſt. 207.* D. Anton. *3. part. tit. 14. cap. 10.* Patienter, & voluntariè dicitur quis tolerare flagella extrinſecùs illata, etiamſi quantum in ſe eſt, vellet illis carere, tamen ex quo placet Deo, vult illa actu aliquo honeſto poſitiuo ſuſtinere, ſecundùm iudicium rationis. Ita benè notauit Syl. *verb. Satisfactio, quæſt. 9.*

Dico decimoſextò, ex his, quæ dicta ſunt, deducitur, quòd animæ exiſtentes in Purgatorio, licèt nullum haberent actum poſitiuum voluntatis, quo acceptarent pœnas, quas ibi patiuntur, ſed ſolùm negatiuè ſe haberent non renuendo adhuc ſoluerent pœnas debitas. quia, vt diximus *aſſertione 12.* tolerantia illius pœnæ eſt ſatiſpaſſio, quæ non habet valorem compenſandi debitum ex voluntate ſatiſpatientis, ſed ex ſua acerbitate: exiſtentes verò in hac vita, per flagella extrinſecus illata non ſatisfaciunt, nec ſoluunt pœnas debitas peccatis dimiſſis, niſi aliqua actione honeſta, & poſitiua illa acceptent, & patienter ſuſtineant: quia ex merito operantis, & non ex ſe, neque ex opere operato, ſunt ſatisfactoria: videatur pro hac aſſertione Sotus *in 4. diſt. 19. quæſt. 2. art. 2. §. Sequitur ſecundum diſcrimen, verſic. Nam in Purgatorio.*

Dvbitatio VII.

IX. *An duo homines cum æquali voluntate patientes mortem illatam iuſtè, vel iniuſtè, æqualiter ſatisfaciant pro peccatorum pœnis?*

Dico decimoſeptimò, ſi duo homines voluntariè, & patienter cum æquali voluntate patiantur mortem ab extrinſeco illatam, vnus iuſtè, alter verò iniuſtè, non æqualiter ſatisfaciunt pro pœnis debitis peccatis dimiſſis. quia mors iuſti maior pœna eſt in eſſe moris, quàm illa mors, quæ iuſtè infertur. ergo iuſtus patiendo patienter mortem ſibi iniuſtè ab extrinſeco illatam, magis ſatisfacit, quàm ille alter qui iuſtè, &c. Tum, quia ſi duo homines cum æquali bonitate voluntatis patiantur exteriores pœnas, ille magis meretur qui maiores pœnas patitur. ergo ſimiliter ille magis ſatisfaciet, qui, &c. Videatur Nugnus *tom. 2. in 3. p. q. 15. art. 2. in expoſitione articuli, fine.*

Dvbitatio VIII.

X. *An æqualiter iuſti, & æqualiter diuites, æqualiter ſatisfaciant, vel mereantur, ſi vnus tribuat eleemoſynam paruam, v. g. vnius ſcuti, cum ingenti charitate, & alius magnam, v. g. mille ſcutorum, cum minima charitate? &, An iſti æqualiter mereantur augmentum gratiæ, & charitatis?*

Dico decimooctauò, magis explicans præcedens aſſertum, ſi duo ſint æqualiter iuſti, & æqualiter diuites, & vnus cum maiori voluntate, & conatu tribuit pauperibus paruam eleemoſynam, nempè aſſem, vel ſcutum, alius verò minori voluntate, minori conatu, & minori intenſione eroget ingentem eleemoſynam, nempè mille aureos, vel totam ſubſtantiam ſuam, licèt actus primi ſit magis intenſus, quàm actus

ſecundi: tamen actus ſecundi eſt magis meritorius, & ſatisfactorius, quàm actus primi. quia quantitas meriti, & ſatisfactionis, nedum attenditur ex intenſione actus, ſed etiam ex bonitate, & excellentia obiecti. ergo actus minus intenſus tantam bonitatem poterit habere ex parte obiecti, vt in ratione meriti, & ſatisfactionis excedat actum magis intenſum, non habentem tamen tantam bonitatem ex parte obiecti, vt patet in exemplo poſito. Videatur Zumel. 1. 2. *quæſt. 95. art. 4. part. 1. quæſt. 95. art. 4.*

Dico decimononò, ſi ſermo tamen ſit de augmento gratiæ & charitatis in eſſe phyſico habitus, & qualitatis; qui maiori voluntate, & conatu tribuit pauperibus eleemoſynam, quamuis minimam, meretur maius augmentum in hac vita gratiæ, & charitatis in eſſe habitus, & qualitatis, quàm alter, qui actu remiſſo erogat grandem eleemoſynam; quia tale augmentum tantùm fit per actus intenſiores: loquendo tamen de augmento gratiæ, & charitatis in eſſe morali, in eſſe acceptationis ad gloriam, certum eſt quòd magis augetur per actus magis meritorios: & ſic habens actum minus intenſum, magis tamen meritorium ex maiori bonitate obiecti, maius augmentum charitatis conſequetur in eſſe morali, & magis ſatisfaciet pro pœnis debitis peccatis dimiſſis, quia augmentum gratiæ, & charitatis in eſſe acceptationis ad gloriam fit maius ex eo quòd actus eſt magis meritorius, & ſimiliter pet actum magis meritorium fit maiot temiſſio pœnæ debitæ peccatis dimiſſis. ergo habens actum magis meritorium ex parte maioris bonitatis obiecti, maius augmentum gratiæ, & charitatis in eſſe gratiæ, & charitatis merebitur, & maiorem remiſſionem pœnæ debitæ conſequetur: vide Nugnum *tom. 2. in 3. part. quæſt. 89. art. 5. dubio vltimo, concluſ.* 1.

Sed inſurges contra præcedens aſſertum; nam id quod eſt per ſe tale, ſemper eſt perfectius eo quod eſt tale ratione alterius; ſed actus charitatis eſt meritorius ſecundùm ſe, actus aliarum virtutum ratione actus charitatis. ergo vbicumque reperitur actus charitatis magis intenſus, ſemper erit magis meritorius. Reſpondetur maximam illam non habere ita vniuerſaliter verum in moralibus, ſicut habet in metaphyſicis; quia in moralibus præcipuè deſumitur bonitas ex circumſtantiis contingentibus in ſingulari.

Dubitatio IX.

XI. *Quidnam magis conducat ad meritum, intenſio actus, vel cætera bonitates eiuſdem?*

Dico vigeſimò, ſi comparatio fiat inter actus eiuſdem virtutis, per ſe loquendu, cæteris paribus, magis conducit ad meritum intenſio actus, quàm cæteræ bonitates: vt ſi Petrus motus miſericordia intenſa vt decem, det quinque aureos in eleemoſynam: Paulus autem motus miſericordia vt quinque, det decem aureos, magis meretur Petrus, quàm Paulus. nam perfectio actus ſecundùm intenſionem dicitur à Philoſophis eſſentialis, alia verò quæcumque perfectio dicitur quodammodo accidentalis. etgo, per ſe loquendo, cæteris paribus, &c. Poteſt tamen ita notabiliter multiplicari bonitas ex bonitate obiecti, vt actus minus intenſus ſit magis meritorius; vt diximus in caſu decimooctauo aſſertionis.

Dubitatio X.

XII. *An actus magis meritorius ſit etiam magis ſatisfactorius?*

Dico vigeſimoprimò, cùm omne opus meritorium in hac vita ſit etiam ſatisfactorium: nam in tantum opus bonum eſt ſatisfactorium, in quantum eſt pœnale; ſed omne opus meritorium eſt pœnale, cùm ſecundùm Diuum Dionyſium *cap. 4. de diuinis nominibus*, conſtare debeat ex integra cauſa, & proinde ex obſeruantia omnium circumſtantiarum, quæ ſine aliquo labore, cura, & difficultate non fit. ergo omne opus meritorium eſt etiam ſatisfactorium: ſequitur quòd actus bonus meritorius magis intenſus, cæteris paribus, &c. ſit etiam magis ſatisfactorius.

Dubitatio XI.

XIII. *An actus excellentioris virtutis, ſit magis meritorius, & ſatisfactorius, actu virtutis non tam excellentis, licèt ille ſit minus intenſus?*

Dico vigeſimoſecundò, quando actus virtutum differunt ſpecie, per ſe loquendo, actus excellentioris virtutis eſt magis meritorius, & ſatisfactorius, licèt aliquantulum minus intenſus, vt ſi Petrus eliciat actum Religionis erga Deum intenſum vt quatuor; Paulus verò eliciat actum temperantiæ intenſum vt quinque, magis meretur, & ſatisfacit Petrus, quàm Paulus; quia, per ſe loquendo, actus excellentioris virtutis eſt magis meritorius, & ſatisfactorius. ergo ſi in alio actu inferioris virtutis intenſio ſupra actum excellentioris virtutis eſt minima, actus excellentioris virtutis eſt magis meritorius, & ſatisfactorius.

Dico vigeſimotertiò, ita tamen poteſt multiplicari bonitas actus inferioris virtutis, vel ſecundùm intenſionem, vel ſecundùm extenſionem, vt ſit magis meritorius, & ſatisfactorius, quàm actus ſuperioris virtutis: vt ſi Petrus ieiunet in pane, & aqua, magis meretur, & ſatisfacit, quàm Paulus, qui exercet actum iuſtitiæ commutatiuæ, ſoluendo vnum argenteum, quod debebat: quia licèt virtus iuſtitiæ commutatiuæ, ſeu Religionis, ſecundùm ſe ſit perfectior, quàm ſit alia, puta temperantia, tamen in indiuiduo poteſt actus inferioris virtutis eſſe perfectior ob maiores difficultates, & circumſtantias contingentes in ſingulari: videatur pro hoc aſſerto D. Thom. 1. 2. *quæſt. 114. art. 4. ad ſecundum.*

Dubitatio XII.

XIV. *An actus ſit magis meritorius, vel ſatisfactorius, ex eo quòd procedit ab habente intenſiorem habitum gratiæ?*

Dico vigeſimoquartò, Caius habens habitum gratiæ intenſum vt decem, Titius verò vt quinque, operatio Caij ob id ſolum quòd ſit ab habente excellentiorem, & intenſiorem habitum gratiæ, & charitatis, non eſt magis meritoria, & ſatisfactoria. quia præmium, meritum, & ſatisfactio, correſpondent operi: tum, quia habitibus non meremur, neque ſatisfacimus, ſed actibus: tum, quia in operibus iuſtitiæ non conſideratur dignitas perſonæ, ſed operis: niſi perſona ſit infinita, vti erat perſona Chriſti Domini, quæ operibus meritoriis, & ſatisfactoriis infinitatem quamdam moralem tribuebat.

Ita

Ita Magiſter Medina 1.2. *q.114. art.8. dub. vlt.* Partem tamen affirmatiuam habuit Magiſter Victoria.

Dvbitatio XIII.

XV. *Ex quibus capitibus meritum & ſatisfactio augeatur?*

Dico vigeſimoquintò, ex dictis in præcedentibus aſſertionibus deducitur, quòd meritum coram Deo creſcit, & augetur, & cõſequenter ſatisfactio pro pœnis debitis peccatis dimiſſis, ex triplici cap. Primò ex intenſione actus charitatis, vt patet ex D.Th.3.*p.q.89. art.2.* vbi docet quòd ſecundùm intenſionem motus liberi arbitrij reſurgentis à peccato per pœnitentiam, datur maior, aut minor gratia, & conſequenter maius, vel minus præmium. Secundò ex bonitate maiori, vel minori obiecti. nam, vt docet D.Th.2.2.*q.27.a.7.* dilectio amici magis eſt meritoria, quàm dilectio inimici, & *q.26.art.* 2. dicit quòd dilectio Dei magis meritoria eſt, quàm dilectio proximi. ergo, &c. Tertiò difficultas operis maximè auget meritum, & conſequenter ſatisfactionem pro pœnis debitis, quod aſſeruit D.Thom. 1.2.*q.114.art.4.ad ſecundum.*

Dico vigeſimoſextò, nec ſibi ipſi eſt contrarius S.D. dum 1.*p.q.95.a.4.* inquit quòd ex radice gratiæ, & charitatis attenditur quantitas præmij eſſentialis, & conſequenter augmentum gratiæ, & charitatis; ex quantitate verò operis quantitas præmij accidentalis. ergo bonitas operis ex parte obiecti non confert ad maius augmentum gratiæ, & charitatis, neque ad maiorem ſatisfactionem pro pœnis debitis peccatis dimiſſis: non, inquam, hoc obſtat. nam S. Doctor ſolùm intendit, quòd meritum præmium eſſentiale, & maior ſatisfactio pro pœnis debitis peccatis dimiſſis tandem radicaliter reducitur ad charitatem imperantem, & ordinantem actus aliarum virtutum in vltimum finem: & ſic opera aliarum virtutum ſunt etiam meritoria præmij eſſentialis, ſecundùm quòd ſunt charitate informata. Cæterùm hæc opera aliarum virtutum ſi conſiderentur ſecundùm ſe, quatenus neque formaliter, neque virtualiter mouentur à charitate in vltimum finem, ſolùm correſpondet illis præmium quoddam accidentale. propter ordinationem igitur charitatis debetur eis præmium eſſentiale; ſecundùm ſe verò debentur eis diuerſa præmia accidentalia, quæ aliquando appellantur aureolæ: videatur pro hac re Magiſter Medina 1.2.*q.114.art.8.* §. *Reſpondetur quòd tantum, fol.662.col.2.* Nugnos *tom.2.in 3.p.q.89 art 5.* in difficultate illa celebri de augmento charitatis, *f.*149. *col.*2.§. *Ad primum autem locum D.Thom.*

Sed an vt opus bonum exiſtentis in gratia ſit meritorium vitæ æternæ de condigno, & ſatisfactorium pro pœnis debitis peccatis dimiſſis, neceſſariò requiratur quòd per actum charitatis referatur in vltimum finem, & quomodo, dubio ſequenti dicemus. Interim

XVI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

Ad rationem in contrarium à principio poſitam, quatenus militat contra ſeptimam aſſertionẽ, reſpondetur quòd ſi ſermo ſit de merito augmenti gratiæ, & gloriæ eſſentialis, fatemur quòd anima à corpore ſeparata non poſſit tale meritum habere, quia tempus merendi gloriam, vel gratiæ augmentum in morte finitur, vt docet optimè Caiet. *tom.1. opuſc.tract.25.q.1.* Cæterùm meritum aliquod neceſſarium ad ſui purgationem poteſt haberi ab anima ſeparata in illo primo inſtanti ſeparationis, meretur enim ſibi remiſſionem venialium culparum per illum actum feruentiſſimum dilectionis, quem habet in illo inſtanti, qui eſt incompoſſibilis cum peccatis venialibus.

Dvbitatio XIV.

XVII. *An animæ in primo inſtanti poſt mortem ſint in termino, vel in via?*

Neque mirum ſi in animabus in illo primo inſtanti ſeparationis admittimus hoc meritum, animæ enim iuſtorum poſt mortem in Purgatorio non ſunt ſimpliciter in termino, quia nondum poſſident obiectum beatificum: & quoad negationem ſunt in via, & quoad aptitudinem ſoluendi debitum alienus pœnæ per ſatiſpaſſionem. Item quoad ſtatum ſpei, & fidei. Abſolutè tamen non ſunt in via, ſed in ſtatu medio, dicique poſſunt eſſe in termino gratiæ: nam in inſtanti mortis habent omnes gradus gratiæ, quos in hac vita aliquo titulo ſibi promeruerunt.

Dvbitatio XV.

XVIII. *An animæ Purgatorij poſſint pro nobis orare?*

Sed inſurges. nam animæ Purgatorij pro nobis Deũ orant, & interdum obtinent, quod petunt. ergo merentur; ergo ſimpliciter ſunt in ſtatu viæ. Reſpondetur eſſe maximam difficultatem, oréntne pro nobis animæ Purgatorij: quia nondum fruuntur viſione Verbi, & poſſint cognoſcere ea, quæ nos cogitamus, vel dicimus, & ideò eorum ſuffragia non conſueuit Eccleſia implorare. Ita D.Thom. 2.2.*q 83.art.4.ad 3.*

Et quamuis cum aliis, præcipuè cum Suarez *tom.* 1. *in 3.p.diſp.47.ſect.2. n 9.* concedamus orare pro nobis animas exiſtentes in Purgatorio, quia Angelorum miniſterio, vel Dei munere poſſunt preces noſtras, & vota percipere, non tamen inde ſequitur eas mereri, ſed ſolùm impetrare ex meritis præcedentibus, quemadmodum nunc Beati in cœlo cum Chriſto regnantes pro nobis impetrant, non tamen merentur.

Reſpondetur ſecundò ad argumentum principale ab initio huius dubitationis poſitum ex his, quæ diximus aſſertione 9. animabus ſcilicet iuſtorum in illo primo inſtanti ſeparationis remitti peccata venialia ob merita propria præcedentia, vel ob merita Chriſti Domini eis applicata, ſuppoſita ex parte earum ſufficienti diſpoſitione, quæ eſt feruens ille actus dilectionis, quem habent ſtatim poſt ſeparationem à corpore, cui impoſſibilia ſunt peccata venialia. Videantur ea, quæ in illa nona aſſertione diximus.

Articvlvs XLI.

An ad hoc quòd opus bonum exiſtentis in gratia, ſit meritorium vitæ æternæ de condigno, & conſequenter ſatisfactorium pro pœnis debitis, peccatis dimiſſis; requiratur neceſſariò, quòd per actum charitatis referatur formaliter, aut virtualiter, in vltimum finem ſupernaturalem: an verò ſufficiat, quòd opus illud bonum ſit coniunctum in eodem ſubiecto, cum habitu gratiæ, & charitatis, per quem poſſit referri in finẽ ſupernaturalem?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*

2. *Quotuplex ſit relatio in vltimum finem ſupernaturalem.*
3. *Explicatur quomodo bona actiones hominis in vltimum finem ſupernaturalem relatæ intelligantur.*
4. *Dubitatio reſoluitur explicando, An ad hoc vt actus virtutis ſit meritorius, ſufficiat relatio habitualis in vltimum finem ſupernaturalem.*
5. *An ad meritum requiratur relatio virtualis proxima, vel ſufficiat remota.*
6. *An in adulto poſſit dari actus indifferens ad meritum, vel demeritum vitæ æternæ.*
7. *An adultus, per attritionem, vi ſacramenti iuſtificatus, niſi proruperit in actum charitatis, conſequatur vitam æternam, ſi ſic moriatur.*
8. *An infidelis formaliter referens ſe, & omnia ſua, in idolum; poſtmodum omnia opera illius cenſeantur in idolum virtualiter relata.*
9. *An exiſtens in gratia, ſi ante aliquot annos retulit ſe, & omnia ſua in Deum, virtute huius actus omnia bona moralia ſubſequentia intelligantur in eumdem relata.*
10. *An Sacerdos cenſeatur ſemper habere virtualem intentionem conſecrandi, virtute formalis intentionis, quam habuit, quando presbyteratu inſignitus eſt.*
11. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicatur, quid requiratur ad hoc, vt opus bonum exiſtentis in gratia, ſit meritoriũ vitæ æternæ.*

I. *Pars negatiua probatur.*

SCilicet quòd non ſit neceſſarium referri per actum charitatis opua bonum in finem ſupernaturalem, vt ſit meritorium vitæ æternæ: nam D. Thom. 1.2. *q.21. art.4 ad vltimum argumentum* expreſsè docet quòd omnis actus bonus eſt meritorius apud Deum, ſi non ſit peccati impedimentum. ergo ſufficit quòd homo ſit in gratia, vt opus eius bonum ſit meritorium vitæ æternæ. Confirmatur ex illo Geneſis 4. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* quibus verbis ſignificatur quòd munera offerentis ſunt Deo grata, & accepta ad vitam æternam, quia procedunt à perſona grata per gratiam habitualem. ergo ſufficit, vt homo ſit in gratia, vt opus eius bonum ſit meritorium vitæ æternæ, & ſatisfactorium pro pœnis debitis, peccatis dimiſſis.

Dvbitatio I.

II. *Quotuplex ſit relatio in vltimum finem ſupernaturalem?*

Dico primò, quòd relatio in vltimum finem ſupernaturalem eſt duplex. Prima eſt relatio actualis, per quam formaliter, ſeu actualiter aliquod opus bonum actu refertur in vltimum finem: vt ſi quis dicat, Volo ieiunare propter Deum. Alia eſt relatio virtualis, quæ fundatur in relatione actuali præcedenti: & hæc poteſt fundari in relatione actuali proximè præcedenti, v.g. ante duos, vel tres dies: vel in relatione actuali remota, videlicet in relatione facta per actum charitatis, qui interceſſit à principio in ipſa iuſtificatione, & ſi facta fuerit ante 30. annos, quamuis de facto exiſtentes in gratia ſæpiùs repetant huiuſmodi actum charitatis, ſaltem quando currit præceptum diligendi Deum ſuper omnia, aliàs enim peccarent mortaliter, & amitterent gratiam, & charitatem. Tertia relatio ſolet etiam conſtitui, ſcilicet habitualis, quæ quidem continetur in virtute habitus charitatis, per quem poteſt aliquid referri in Deum, & hoc modo peccatum etiam veniale refertur habitualiter in Deo ex parte agentis, cuius mens per habitum gratiæ, & charitatis, habitu refertur in Deum, vt docet S. Doctor 1.2. *q.88. art.1. ad 2. & q.9. de malo art.2. in corpore:* cuius ratio eſt, quia peccatum veniale compatitur ſecum habitum gratiæ, & charitatis, per quem poſſet referri in Deum ſi eſſet referibile. Videatur D.Th. *locis cit. & 3. contra Gent. c.109. in fine, & c.110.*

Dvbitatio II.

III. *Quomodo bonæ actiones hominis in vltimum finem ſupernaturalem relatæ intelligantur?*

Dico ſecundò. Quandocumque habitus charitatis exit in actum, fit ordinatio totius hominis, & conſequenter omnium bonarum actionum illius in vltimum finem ſupernaturalem: tenetur autem homo exire in actum charitatis, quando currit præceptum diligendi Deum ſuper omnia, & ſi tunc habens charitatem non exeat in actum, interrumpitur relatio præcedens per contrarium actum peccati, atque adeò virtute illius, bona opera poſt peccatum ſubſequentia non referuntur virtualiter in vltimum finem ſupernaturalem, ſed oportet quòd nouo actu referantur. ita benè notauit D. Thom. *in 4. diſt. 40. quæſt.1. art. 5. ſolutione ad ſextum.* His poſitis,

IV. *Veritas aperitur, & explicatur*

Dvbitatio III.

An ad hoc, vt actus virtutis ſit meritorius, ſufficiat relatio habitualis in vltimum finem ſupernaturalem?

Dico tertiò, vt actus virtutis ſit meritorius, non ſufficit habitualis relatio in vltimum finem ſupernaturalem. Probatur. nam ſi relatio habitualis in vltimum finem ſufficeret ad meritum, ſequeretur quòd etiam relatio habitualis in creaturam tãquam in vltimũ finem ſupernaturalem ſufficeret ad demeritum, ſequeretur quòd etiam relatio habitualis in creaturam tanquam in vltimum finem ad demeritum, & conſequenter exiſtens in peccato mortali demereretur in omni opere ſuo, quod eſt hæreticum, & ſimiliter omnia infidelium eſſent peccata, quod eſt falſum. Sequela probatur. nam exiſtens in peccato mortali, eſt ſaltem habitualiter conuerſus ad creaturam tanquam in vltimum finem, & ſimiliter infidelis habitualiter ſemper eſt conuerſus in idolum. ergo omnia opera eorum habitualiter referentur ad finem, ad quem ſunt conuerſa. ergo ſi relatio habitualis ſufficit ad demeritum, omnia eorum opera eſſent demeritoria: tum, quia vt actus ſit meritorius, requiritur quòd ſit informatus gratia, & charitate; ideò enim actus fidei elicitus à peccatore fideli non eſt meritorius, quia non informatur gratia, & charitate; ſed charitas non informat actus aliarum virtutum, niſi eos imperando, & referendo per actum elicitum eiuſdem charitatis, quo eos ordinat in vltimum finem. ergo. hanc aſſertionem docet D.Th. *in 4. ſolutione illa ad ſextum*, contra Vegam ſuper Concilium Tridentinum, vbi docet ſufficere ad meritum relationem habitualem in finem ſupernaturalem, dummodo opus ſit bonum moraliter, & exiſtentis in gratia.

Dico quartò, vt actus bonus ſit meritorius vitæ æternæ, non requiritur quòd actualiter referatur in vltimum finem ſupernaturalem. Probatur. nam aliàs numquam eſſet actus alicuius virtutis meritorius vitæ æternæ, niſi producens illum actum de Deo cogitaret; conſequens eſt duriſſimum. ergo, &c. contra Durandum *in 2. diſt. 40. quæſt. 2.* ſentientem ad meritum requiri actualem ordinationem operum per charitatis actum in finem ſupernaturalem,

Dvbitatio IV.

V. *An ad meritum requiratur relatio virtualis proxima, vel ſufficiat remota?*

Dico quintò, ad meritum non requiritur virtualis proxima, ſed ſufficit virtualis remota: nam ſi ad meritum eſt neceſſaria relatio virtualis proxima, darentur multi actus indifferentes, quantum ad meritum, vel demeritum in habentibus charitatem; ſed hoc eſt contra D.Thom. *quaſt. 2. de malo, art. 5. ad ſeptimum*, vbi expreſsè habet quòd in habentibus charitatem omnis actus eſt meritorius, vel demeritorius; poteſt tamen eſſe indifferens in non habente gratiam, & charitatem. ergo non requiritur, &c. Maior autem, ſeu illa ſequela probatur. nam contingit multoties, quòd actus boni moraliter non referantur ab homine iuſto in vltimum finem ſupernaturalem per actum charitatis proximè præcedentem. ergo illi actus non erunt meritorij, nec etiam ſunt demeritorij, quia ſunt boni moraliter. ergo, &c. Videatur pro hoc aſſerto Magiſter Medina 1.2. *q.* 114. *art.* 4. §. *Quarta opinio.*

Dico ſextò, hæc relatio virtualis eſt etiam neceſſaria vt actus cuiuſcumque alterius virtutis infuſæ ſit meritum. Probatur, vt actus virtutis infuſæ ſit meritorius vitæ æternæ, requiritur quòd reſpiciat, & attingat vltimum finem ſupernaturalem; ſed non reſpicit vltimum finem ſupernaturalem, in quantum finis eſt, niſi ſecundùm quòd per actum charitatis referuntur in illum. ergo, &c. Probatur minor. nam ſola charitas eſt, quæ attingit vltimum finem ſupernaturalem, formaliter loquendo, ſub ratione vltimi finis. ergo ex ſola relatione charitatis attingunt iſtum finem actus aliarum virtutum infuſarum. Confirmatur. nam aliàs actus fidei informis eſſet meritorius quantum eſt ex parte relationis in vltimum finem, reſpicit enim quodammodo actus fidei informis vltimum finem, cùm obiectum eius ſit prima veritas reuelata. Ita docuit Magiſter meus Aluarez *ſuper* 1.2. *quaſt.* 114. *art.* 4. *controuerſia* 38.

Dvbitatio V.

VI. *An in adulto poßit dari actus indifferens ad meritum, vel demeritum?*

Dico ſeptimò, in adulto, qui per attritionem cum ſacramento Pœnitentiæ iuſtificatur, poteſt dari actus indifferens in indiuiduo, quoad meritum vitæ æternæ, vel demeritum. nam talis ſic iuſtificatus abſque actu dilectionis Dei ſuper omnia immediatè poſt iuſtificationem poteſt prorumpere in aliquod opus bonum morale; ſed hoc eſſet indifferens quoad meritum, & demeritum. ergo, &c. Maior patet. minor verò probatur. nam opus bonum morale non relatum in finem ſupernaturalem per actum dilectionis Dei ſuper omnia, non eſt meritorium vitæ æternæ, vt probatum eſt *aſſertione* 4 *&* 5. Neque tale opus eſſet demeritorium, quia eſt opus bonum morale. ergo quoad meritum, & demeritum, eſſet indifferens in homine ſic iuſtificato, cùm per attritionem vi ſacramenti abſque dilectione Dei ſuper omnia ſit iuſtificationem aſſequutus.

Neque contra hoc aſſertum obſtat D. Thom. *in* 2. *diſt*, 40. *art.* 5. *in corpore, & quaſt.* 2. *de malo, art.* 5. *ad ſeptimum*, dum inquit quòd in habentibus charitatem, omnis actus eſt meritorius, vel demeritorius: loquitur enim D.Thom. de illis, qui aliquando habuerunt actum charitatis, vt ipſe ſe explicat *in* 2. *ſent. articulo* 5. *citato.*

Dvbitatio VI.

VII. *An adultus per attritionem vi ſacramenti iuſtificatus niſi proruperit in actum charitatis, conſequatur vitam æternam, ſi ſic moriatur?*

Dico octauò, adultus, qui per attritionem vi ſacramenti iuſtificatur, ſi poſtea non prorumpat in aliquem actum charitatis, ſed ſolùm in alia opera bona moraliter, & ſtatim moriatur, conſequitur vitam æternam per ſolum meritum Chriſti, ſibi per ſacramentum applicatum. quia, vt ſupponimus, iſte nullum habuit actum charitatis. ergo opera illa bona moraliter non fuerunt neque actualiter, neque virtualiter relata in finem ſupernaturalem. ergo non fuerunt meritoria vitæ æternæ. ergo ſine proprio merito ille adultus ſi ſtatim moriatur, ſaluabitur: per meritum tamen Chriſti Domini ſibi per ſacramentum applicatum.

Dvbitatio VII.

VIII. *An infidelis, referens formaliter ſe, & omnia ſua in idolum, poſtmodum omnia opera illius cenſeantur in idolum virtualiter relata?*

Dico nonò, ſi infidelis ante duos, vel quatuor annos retulit ſe, & omnia ſua in idolum formaliter, poſtmodum nō omnia opera, quæ facit, cenſentur relata virtualiter in idolum, etenim ſi det eleemoſynam pauperi, & pietate naturali abſque eo, quòd recordetur idoli, opus illud eſt bonum moraliter, atque adeò non refertur in idolum etiam virtualiter; quia relatio in idolum eſt contra naturam boni operis moralis, atque adeò breui tempore ceſſat virtus illius relationis, niſi repetatur; ſicut quādo lapis proiicitur ſurſum, motus ille durat breui tempore, quia proiectio ſurſum eſt contra naturam lapidis, eo quòd ex natura ſua tendat deorſum: ita ſimiliter, &c. Tum, quia, ſi duraret relatio illa virtualis infidelis in idolum, omnia opera infidelium eſſent peccatum, quod eſt falſum, vt docet D.Th. 2.2. *q.* 10. *art.* 4. ergo non durat, &c. Tum, quia eo ipſo quòd infidelis motus pietate naturali tribuit eleemoſynam pauperi, cenſetur virtualiter retractare priorem relationem, qua ſe, & omnia ſua retulit in idolum, quia pietas naturalis contraria eſt venerationi idolorum. ergo, &c.

Dvbitatio VIII.

IX. *An exiſtens in gratia ſi ante aliquot annos retulit ſe & omnia in Deum, virtute huius actus, omnia bona moralia ſubſequentia, intelligantur in eumdem relata?*

Dico decimò, fidelis verò exiſtens in gratia, ſi ante duos, vel quatuor annos habuit actum charitatis ſupernaturalem, quo ſe, & omnia ſua retulit in Deum, virtute illius actus opera omnia bona moraliter, quæ fiunt ab illo in toto decurſo vitæ, cenſentur referri virtualiter in finem ſupernaturalem. quia relatio in vltimum finem ſupernaturalem non eſt contra naturam bonorum operum moralium; ſed valdè conformis, quia quodcumque bonum opus natura ſua tendit in Deum, tanquam in vltimum finem: ſicut lapis deorſum, niſi contraria relatione diſtrahatur ab illo fine. ergo ſufficiet vnus actus charitatis præcedens, vt omnia opera bona poſtmodum ſubſequentia virtualiter referantur in

vltimum finem ſupernaturalem, niſi relatio illa virtualis per contrarium actum peccati mortalis interrumpatur.

Dvbitatio IX.

X. *An Sacerdos cenſeatur ſemper habere virtualem intentionem conſecrandi, virtute formalis intentionis, quam habuit, quando Presbyteratu inſignitus eſt?*

Dico vndecimò, vt autem Sacerdos cenſeatur habere intentionem virtualem conſecrandi, non ſufficit quòd à principio quando ordinatus eſt, habuerit formalem intentionem conſecrandi quotieſcumque acceſſerit ad celebrandum Sacrum, ſed requiritur, quòd tempore proximè præcedenti habeat formalem intentionem. quia illa prima intentio, quam habuit quando Presbyteratus Ordine eſt inſignitus, videtur potius habitualis pro tempore quo ſacramenta conficiuntur: habitualis autem intentio in confeſſione, & adminiſtratione ſacramentorum non ſufficit, vt communiter docent Theologi cum S. Thoma 3. *part. quæſt.* 64. *art.* 8.

Cæterùm vt omnia opera bona moraliter facta ab exiſtente in gratia referantur virtualiter in finem ſupernaturalem, ſufficit quòd aliquando proceſſerit formalis intentio illius finis, & relatio actualis per actum charitatis. quia finis vltimus ſupernaturalis eſt finis vniuerſaliſſimus in genere ſupernaturali, ad quem quodlibet opus bonum ſua natura tendit. Hæc autem ratio non procedit de intentione virtuali requiſita ad veritatem ſacramenti, vnde non eſt ſimile.

Dico duodecimò, licèt in confeſſione, & adminiſtratione ſacramentorum non ſufficiat intentio illa actualis elicita in ordinatione; quia hæc poſtea interrumpitur per multas actiones impertinentes: ſufficit tamen ſi ex illa intentione formali, & explicita, & ex conſuetudine adminiſtrandi, & conficiendi ſacramenta, arguitur in actu exercito confuſa aliqua intentio actualis faciendi ſaltem in genere, quod Sacerdos facere conſueuit: nam ſicuti, qui accipit Breuiarium more conſueto abſque alio intentionis actu expreſſo, & explicito, recitat diuinum Officium, ſatisfacit præcepto recitandi horas precarias. ergo ſimiliter Sacerdos licitè quoad intentionem adminiſtrat, & validè conficit ſacramenta ſi ex conſuetudine conficiendi, & adminiſtrandi ſacramenta in actu exercito confuſam, & implicitam intentionem actualem, aut virtualem habeat faciendi ſaltem in genere, quod Sacerdos facere conſueuit. Videatur Sotus *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 5. *art.* 8. Henriquez *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 2. *ad finem.* Bonacina *tom.* 1. *de ſacramentis, diſput.* 1. *quæſt.* 3. *puncto* 2. §. *tertiò, num.* 15.

X I. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicatur*

Dvbitatio X.

Quid requiratur ad hoc vt opus bonum exiſtentis in gratia ſit meritorium vitæ æternæ?

Ad rationem à principio poſitam deſumptam ex auctoritate D. Thom. reſpondetur quòd vt opus bonum exiſtentis in gratia ſit meritorium vitæ æternæ, non ſufficit quòd ſit bonum moraliter, ſed requiritur quòd procedat à gratia, & radicetur in illa, & quòd per aliquem actum charitatis referatur virtualiter ſaltem in vltimum finem ſupernaturalem, vt dictum eſt in noſtris aſſertionibus: vnde S. Doctor *in* 3. *diſt.* 30. *art.* 5. *ad primum*, inquit quòd gratia eſt principium merendi remotum; charitas verò eſt principium merendi proximum, quia videlicet ex relatione charitatis habent proximè quòd ſint meritoria reliqua bona opera. Et ad locum adductum ex Gen. 4. reſpondetur quòd Dominus reſpexit ad Abel, qui per actum charitatis ſe, & omnia ſua retulerat in Deum, & per hanc relationem fuerunt proximè opera eius Deo accepta, ex gratia autem remotè.

Articvlvs XLII.

An peccata dimiſſa per ſacramentalem confeſſionem, redeant per ſequens peccatum?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Quomodo per peccatum ſequens redeant peccata dimiſſa.*
3. *An peccator puniatur pœna æterna, pro peccatis iam dimiſſis, pro quibus in hac vita non ſatisfecit, ſi poſt pœnitentiam denuo peccet, & damnetur.*
4. *An per peccatum ſubſequens pœnitentiam, redeat aliquo modo, reatus peccatorum priùs dimiſſorum.*
5. *Dubitatio reſoluitur.*
6. *An ſaltem de potentia Dei abſoluta, peccata dimiſſa poſſint redire per ſequens peccatum.*
7. *An Deus poſſet reproducere peccatorem ſi illum annihilaret.*
8. *An ſaltim Deus poſſit condere legem, vt peccata iam dimiſſa quoad culpam redeant.*
9. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & dicta in præcedentibus magis explicantur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Peccata mortalia habitualia, quòd ſemel per ſacramentalem confeſſionem, vt extra ſacramentum per contritionem ſemel fuerunt remiſſa, & condonata, conſiſtebant in priuatione gratiæ, & auerſione à Deo; ſed per ſubſequens peccatum mortale redit priuatio gratiæ, & auerſio à Deo. ergo idem peccatum redit, & reuiuiſcit.

Confirmatur, per pœnitentiam ſimpliciter reuiuiſcunt opera bona mortificata; ergo etiam per peccatum ſubſequens reuiuiſcunt peccata dimiſſa.

Dvbitatio I.

I I. *Quomodo per peccatum ſequens redeant peccata dimiſſa?*

Dico primò. Certiſſimum eſt, quòd ex parte conuerſionis peccatum mortale ſequens non facit redire peccata priùs dimiſſa, & abolita. Probatur. nam aliàs ſequeretur quòd homo per peccatum prodigalitatis reduceretur in habitum, vel diſpoſitionem auaritiæ, & ſic vnum contrarium eſſet cauſa alterius, quod eſt impoſſibile. Ita optimè S. Doctor 3. *p. q.* 88. *art.* 1. *in corpore.*

Dico ſecundò. Peccatum ſequens facit redire peccata dimiſſa ex parte auerſionis, ſi auerſio tantùm conſideretur abſolutè, & ſecundùm ſe non, tamen ſi conſideretur auerſio ſecundùm quòd à cõuerſione cauſatur, ex qua parte habent auerſiones diuerſitatẽ. Prima pars huius

huius dicti probatur, quia per ſequens peccatum priuatur homo gratia, & auertitur à Deo, & fit reus pœnæ æternæ. ergo ſi auerſio conſideretur abſolutè, & ſecundùm ſe, peccatum ſequens facit redire peccata dimiſſa: ſecunda verò pars probatur, quia ex parte auerſiones etiam ſunt diuerſæ propter diuerſas conuerſiones.

Dico tertiò, nullo modo poteſt eſſe quòd maculæ præcedentiũ peccatorum redeant ſecundùm quòd ex talibus actibus cauſabantur. Probatur. nam contingit aliquando quòd quis peccauit peccatum infidelitatis, & deſperationis, & quod poſtea agat pœnitentiam, & poſt pœnitentiam peccat peccatum fornicationis tantùm, tunc certiſſimum eſt quòd non redeunt illa peccata, & maculæ infidelitatis, & deſperationis. ergo per ſequens peccatum maculæ præcedentium peccatorum iam remiſſorum non redeunt ſecundùm quòd ex propriis actibus cauſabantur. Probatur antecedens, quia aliàs tolleretur à tali peccatore habitus fidei, & ſpei, non enim habitus fidei, & ſpei ſimul ſtare poſſunt cum maculis Infidelitatis, & deſperationis, immò erroneum eſſet hoc aſſerere. ergo, &c.

Dico quartò, peccata priùs remiſſa, nec etiam redeunt quoad reatum pœnæ æternæ per ſubſequens peccatum. Probatur. nam reatus pœnæ æternæ ſequitur lethalem culpam, ſed culpa lethalis dimiſſa per ſubſequens peccatum non redit. ergo neque reatus pœnæ æternæ, &c. Tum, quia debitum abſolutè extinctum non reuiuiſcit per ſolam creditoris voluntatem, ſed reatus pœnæ æternæ eſt quoddam debitum quod abſolutè, & ſimpliciter auferatur à Deo poſt remiſſionem culpæ lethalis. ergo reatus pœnæ æternæ non redit per ſubſequens peccatum. Videatur D.Th. *3. part. quæſt.* 88. *art.* 3.

Dvbitatio II.

III. *An peccator puniatur pœna æterna pro peccatis iam dimiſſis, pro quibus in hac vita non ſatisfecit, ſi poſt pœnitentiam denuo peccet, & damnetur?*

Dico quintò, peccator tamen, qui damnatur ob aliquod peccatum mortale, in quod prolapſus poſt obtentam peccatorum præcedentium remiſſionem, perpetuò puniendus eſt, non ſolùm pro peccato in quod relapſus, verùm etiam pro peccatis antea dimiſſis, pro quibus nondum in hac vita ſatisfecit: quia licèt pro peccatis mortalibus quoad culpam dimiſſis, debeatur pœna tantummodo temporalis, tamen per accidens pœna fit æterna; quia cùm pœna tollatur ſatisfaciendo, vt in hac vita, vel ſatiſpatiendo, vt in Purgatorio: in inferno autem non fit ſatisfactio, neque ſatiſpaſſio; ſatisfactio enim, & ſatiſpaſſio debet eſſe amicabilis: ſequitur damnatum ob peccatum commiſſum poſt obtentam aliorum præcedentium remiſſionem perpetuò puniendum eſſe, non ſolùm pro peccato in quod relapſus eſt poſt remiſſionem, verùm etiam pro peccatis antè remiſſis, pro quibus in hac vita non ſatisfecit: ſecus ſi pro ipſis in hac vita ſatisfactionem præſtiterit, nulla enim debetur pœna pro peccatis, quoad culpam, & quoad pœnam remiſſis: videatur pro hoc aſſerto S.Thom. 1.2. *q.* 87. *art.* 5. *ad* 2.

Dvbitatio III.

IV. *An per peccatum ſubſequens pœnitentiam, redeat aliquo modo reatus peccatorum priùs dimiſſorum?*

Dico ſextò, per peccatum ſubſequens pœnitentiam,

redit quodammodo reatus peccatorum priùs dimiſſorum, non in quantum cauſatur formaliter, & proximè ex illis peccatis priùs dimiſſis, ſed in quantum cauſatur ex peccato vltimo perpetrato quod aggrauatur ex peccatis prioribus dimiſſis ratione ingratitudinis. Prima pars huius aſſertionis patet ex dictis quarta aſſertione. Secunda verò pars probatur: nam ille, qui poſt pœnitentiam peccat, grauiùs peccare videtur ratione ingratitudinis, quàm priùs. ergo primum peccatum cauſa eſt, vt hoc ſecundum grauius ſit, quàm eſſet, ſi illud non præceſſiſſet. ergo iam peccatum dimiſſum quodammodo redit per ſubſequens peccatum, quoad reatum pœnæ: tum, quia is, qui poſt obtentam præcedentium peccatorum remiſſionem lapſus eſt in aliquod peccatum, grauius puniendus eſt in inferno ob huiuſmodi peccatum ratione ingratitudinis, quàm alioquin puniendus fuiſſet præciſa ingratitudinis circumſtantia. ergo peccatum ſemel dimiſſum quamuis in ſe formaliter non redeat, quoad reatum pœnæ cauſatum immediatè ab ipſo; redit tamen quodammodo, quatenus lapſus poſt remiſſionem præcedentis peccati, grauius puniendus eſt in inferno pro peccato poſt pœnitentiam commiſſo ratione ingratitudinis, quam alioquin eſſet puniendus.

V. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico ſeptimò, directè reſpondens titulo quæſtionis, peccata dimiſſa per ſacramentalem confeſſionem, vel extra ſacramentum per contritionem ſimpliciter non redeunt, ſed redeunt ſecundùm quid, in quantum ſcilicet in peccato ſequenti poſt pœnitentiam commiſſo quodammodo virtualiter continentur. quia peccata dimiſſa per ſequens peccatum non redeunt quoad culpam & maculam, neque quoad reatum pœnæ cauſatum formaliter, & immediatè ab ipſis, vt probatum eſt *aſſertione* 3. *&* 4. ergo non redeunt ſimpliciter, redeunt tamen ſecundùm quid; quia homo poſt peccata dimiſſa ſecundò peccans, ex hoc ipſo grauiùs peccare videtur ratione ingratitudinis. Ita præclarè S.Doctor 3. *part. q.* 88. *art.* 1.

Dvbitatio IV.

VI. *An ſaltim de potentia Dei abſoluta peccata dimiſſa poſſint redire per ſequens peccatum?*

Dico octauò, peccata ſemel dimiſſa quoad culpam & maculam, etiam de potentia Dei abſoluta, redire per ſequens peccatum nullo modo poſſunt. nam res prorupta non poteſt reproduci niſi diuina virtute. ergo talia peccata reproducerentur à Deo tanquam à cauſa principali, atque adeò illi imputarentur, quod aſſerere eſt hæreticum. ergo, &c. & ita hanc aſſertionem docet Sotus *in 4. diſt.* 16. *quæſt.* 1. *art.* 1. *§. Sed forſan ſciſcitaris.* contra Scotum *in 4. diſt.* 16. *q.* 1. *art.* 1.

Dico nonò, peccata tamen non ita debentur per pœnitentiam quin reatus peccatorum præcedentium de potentia Dei abſoluta redire poſſit per ſequens peccatum. quia peccata poſſunt remitti à Deo, ſub conditione, vt ſi peccator de nouo peccet, redeat idem pœnæ reatus, ac ſi ſpeciata remiſſa non fuiſſent. ergo cùm non implicet peccata remitti ſub hac conditione, ſequitur eumdem pœnæ reatum poſſe de potentia Dei abſoluta per ſubſequens peccatum redire. Ita Nugnus *tom.* 2. *in 3. part. quæſt.* 88. *art.* 1. *difficult.* 2. *§. In hac difficultate*, Coninchus *diſp.* 2. *de effectu pœnitentiæ, dubio* 18. *num.* 148.

Dubitatio V.

VII. *An Deus poſſet reproducere peccatorem ſi illum annihilaret.*

Dico decimò. Conſequenter ad octauam aſſertionem, ſi Deus annihilaret hominem peccatorem, non poſſet illum eumdem hominem numero reproducere cum peccatis. quia homo annihilatus ita ſe habet, ac ſi nunquam fuiſſet. ergo ſicut Deus non poteſt de nouo creare hominem cum peccatis, quia Deo illa peccata imputarentur. ergo ſimiliter neque illum eumdem hominem annihilatum poteſt cum peccatis reproducere, quia eodem modo imputarentur Deo talia peccata. nam non poſſunt illa peccata imputari ipſi homini, qui creatur, eo quòd non habeat actum cui correſpondeant talia peccata, & actus quibus commiſit illa crimina, iam tranſacti ſunt, ac ſi numquam fuiſſent, ſi quidem annihilatio formaliter, & per ſe terminatur ad nihil. ergo ipſi Deo imputarentur. ergo caſus eſt impoſſibilis; niſi velimus Deum auctorem peccati conſtituere, quod eſt hæreticum. Alij verò putant hoc eſſe poſſibile; hos tacito nomine refert Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt.* 88. *art.* 1. *difficult.* 2. *ſolutione ad tertium.*

Dubitatio VI.

VIII. *An ſaltim Deus poſſit condere legem vt peccata iam remiſſa quoad culpam redeant?*

Dico vndecimò, quamuis Deus potuerit condere legem, vt ſi Adam peccaſſet, omnes illius deſcendentes contraherẽt peccatum originale, vti de facto contrahunt ob tranſgreſſionem præcepti impoſiti à Deo; tamen non potuit Deus conſtituere legem: vt ſi homo peccaret poſt actam pœnitentiam, contraheret quoad culpam peccata ſibi dimiſſa. Ratio diſcriminis eſt, quia in tranſmiſſione peccati originalis nõ reproducitur id, quod erat antea idem numero, ſed per ſeminalẽ generationem, cuius cauſa ſecunda principalis eſt, homo transfunditur in quacunque hominis generatione diſtinctum originale peccatum, quod antea idem numero non fuit, quamuis idem ſpecie cum aliis, & ideo homini imputatur deſcendenti ab Adam per ſeminalem generationem. At ſi peccata dimiſſa redirent quoad culpam, virtute diuina illa eadem numero virtute diuina reproducerentur, & ideo Deo imputarentur tanquam cauſæ principali, cuius ſolius eſt rem corruptam eandem numero reproducere: vnde non eſt ſimile.

IX. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & dicta in præcedentibus magis explicantur.*

Ad rationem in contrarium reſpondetur, per ſequens peccatum redire priuationem gratiæ, & auerſionem à Deo, vt eſt communis omnibus peccatis mortalibus, & vt prouenit ex tali actu peccaminoſo commiſſo poſt remiſſionem præcedentium peccatorum. Negamus tamen redire priuationem gratiæ, & auerſionem à Deo, quatenus ex priori actu, & ex priore tranſgreſſione, cuius remiſſio iam fuit obtenta, vt ſupponimus: ſicut enim peccatũ ſubſequens eſt aliud, ita & priuatio eſt alia, quod apertè, & optimè docuit S. Th. dum ait non redire eandem priuationem ſecundùm quod à conuerſione cauſatur, 3. *p. q.* 88. *art.* 1.

Ad confirmationem reſpondetur negando conſequentiam, quia Deus O. M. multo pronior eſt ad miſerendum, quàm ad puniendum, & ipſe eſt cauſa gratiæ, non tamen peccati: vnde non eſt ſimile.

Articulus XLIII.

An per ingratitudinem peccati ſequentis, conſurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum priùs dimiſſorum?

Summarium.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur quotuplex ſit ingratitudo, & quid ſit.*
3. *An iuſtificatus, ſi poſtea peccet, ingratitudinem ſubſequentem, culpæ remiſſionem, in confeſſione explicare teneatur.*
4. *An peccata commiſſa, poſt præcedentia remiſſa, ſint grauiora, ratione ingratitudinis.*
5. *Dubitatio reſoluitur.*
6. *An maior, vel minor ingratitudo in peccato commiſſo poſt remiſſionem præcedentium, penſetur ex maiori, vel minori numero, & grauitate peccatorum remiſſorum.*
7. *An reatus pœnæ ſit maior ex parte ingratitudinis.*
8. *An idem numero peccatum commiſſum à Petro, poſt remiſſionem peccatorum, & à Ioanne, ſine tali remiſſione grauius ſit in Petro, quàm in Ioanne.*
9. *Explicatur quantanam ſit grauitas peccati, commiſſi poſt pœnitentiam, habentis annexam, formalem ingratitudinem.*
10. *Explicatur quomodo per ſequens peccatum redeat reatus pœnæ præcedentium iam remiſſorum.*
11. *An ex maiori, vel minori triſtitia damnatorũ in inferno, ſit penſanda maior, vel minor eorum pœna dãni.*
12. *An peccatum commiſſum poſt gratiam baptiſmalem, ratione ingratitudinis ſit maius, quàm commiſſum poſt pœnitentiam.*
13. *Quotnam modis beneficium Dei acceptũ dicatur maius.*
14. *An donum innocentiæ, datum Adæ, ſit maius remiſſione peccati.*
15. *An deueniens ad vſum rationis, poſt Baptiſmum ſuſceptum, per primum peccatum amittat maius bonum, quam per ſecundum, vel è contra.*
16. *Explicatur magis, an peccatum commiſſum, poſt remiſſionem primi actualis, ſit maius peccato commiſſo, immediatè poſt gratiam baptiſmalem.*
17. *Explicatur ex quo capite ingratitudo, de qua hic loquimur, ſit maior, vel minor.*
18. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis præcedentia explicantur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Magis peccat, qui Deum offendit, quàm qui offendit hominem; ſed ſeruus manumiſſus ab aliquo domino, ſi illum poſt manumiſſionem offendit, reducitur in eandem ſeruitutem à qua priùs fuerat liberatus, vel etiam in grauiorem. ergo multo magis ille, qui contra Deum peccat poſt liberationem à peccato reducitur in tantum reatum pœnæ, quantum primò habuerat.

Dubitatio I.

II. *Quid, & quotuplex ſit ingratitudo?*

Dico primò, ingratitudo eſt vitium oppoſitum gratiæ, ſeu gratitudini: vnde ſicut gratitudo eſt virtus retribuens benefactori, quod debet; ita ingratitudo eſt vitium non retribuens benefactori, quod debet: Videatur D. Th. 2. 2. *quæſt.* 107. Syl. *verb. ingratitudo, n.* 1.

Dico ſecundò, ingratitudo eſt duplex, alia materialis, alia formalis, ſeu ſpecialis. ingratitudo materialis ad Deum eſt in quolibet peccato, in quantum ſcilicet homo facit aliquid, quod poteſt

ad

Digitized by Google

ad ingratitudinem pertinere: vt ſi quis voluptate ductus fornicationi conſentit contra Deum benefactorem, tunc eſt ingratitudo materialis, & circumſtantia peccati; formaliter autem eſt quando actualiter beneficium contemnitur, vel non appretiatur, aut non recognoſcitur, & ſic eſt ſpeciale peccatum, & ingratitudo formalis. Videatur D. Thom. *3. part. quæſt.* 88. *art.* 4.

Dvbitatio II.

III. *An iuſtificatus, ſi poſtea peccet, teneatur in confeſſione explicare ingratitudinem ſubſequentem, remiſſionem culpæ?*

Dico tertiò, ingratitudo materialis, quæ vagatur per omnia peccata, non eſt neceſſariò aperienda in confeſſione, qualis ingratitudo reperitur in reincidentia in idem, vel in eadem peccata. quia huiuſmodi ingratitudo, quæ in reincidentia peccatorum reperitur, ſufficienter in confeſſione exprimitur, vt benè docet Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. quæſt.* 88. *art.* 4. *difficult.* 1. *ad finem*, &c. Tum, quia huiuſmodi ingratitudo vagatur per omnia peccata, quatenus homo quoties peccat facit quodammodo contra beneficium diuinum. ergo expreſſo peccato principali, cenſetur etiam ſufficienter expreſſum peccatum quod omnia peccata comitari conſueuit. Ita benè Sotus *in 4. diſt.* 16. *quæſt.* 1. *art.* 4. §. *At verò*, quem ſequitur Valentia *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 5. *puncto* 2. §. *Vtrùm autem.* licèt Scotus *in 4. diſt.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 3. putet explicandam eſſe in confeſſione ingratitudinem hanc materialem, ſaltem in genere, dicendo ſe aliàs peccata commiſiſſe, quorum ſe credit abſolutionem obtinuiſſe, & quidem ſatis probabiliter, ſi ſæpiſſimè & grauiter aliquis eſſet relapſus.

Dico quartò, ingratitudo verò formalis, quæ eſt ſpeciale peccatum, vt ſi quis ea intentione peccaret, vt de induſtria vilipenderet beneficium præteritæ remiſſionis, extra controuerſiam eſt quòd debet in confeſſione declarari; quia tunc non eſt ſolùm circumſtantia, ſed ſpeciale peccatum diſtinctum ab omnibus aliis. Ita Magiſter Sotus, Nugnus noſter, Valentia *locis citatis*.

Dvbitatio III.

IV. *An peccata commiſſa poſt præcedentia remiſſa, ſint grauiora, ratione ingratitudinis?*

Dico quintò, peccata commiſſa poſt præcedentia remiſſa, eſſe quidem grauiora ratione ingratitudinis, quàm alioquin eſſent præmiſſa circumſtantiâ ingratitudinis, & ideò debetur maior reatus pœnæ ratione ingratitudinis, quàm illa præciſa. nam reatus pœnæ maior, vel minor, debetur peccatis iuxta grauitatem illorum. ergo ſi peccata commiſſa poſt præcedentia remiſſa ſunt grauiora ratione ingratitudinis, maior reatus pœnæ illis debetur vt ſic, quàm præciſa ingratitudine.

Dico ſextò, peccata tamen commiſſa poſt præcedentia remiſſa, non ſemper ſunt grauiora, vel æqualia peccatis antè remiſſis, quia ſi quis committit furtum poſt obtentam remiſſionem adulterij, vel homicidij, non ita grauiter peccat ratione ingratitudinis, ſicut peccauit adulterando, vel occidendo, quamuis ipſius furtum grauius ſit ratione ingratitudinis, quàm alioquin eſſet præciſa ingratitudine, tamen non aſcendit ad grauitatem adulterij, vel homicidij. ergo peccata commiſſa poſt præcedentia remiſſa non ſemper ſunt grauiora, vel æqualia peccatis antè remiſſis: videatur D. Thom. 3. *part. quæſt.* 88. *art.* 3.

V. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico ſeptimò, directè, & formaliter reſpondens quæſtioni. Non eſt neceſſarium, quòd per ingratitudinem peccati ſequentis conſurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum priùs dimiſſorum. quia quantitas reatus redeuntis eſt ſecundùm grauitatem peccati ſubſequentis; ſed non eſt neceſſarium, quòd peccatum ſubſequens ſit ita graue, ſicut peccata præcedentia. ergo.

Dvbitatio IV.

VI. *An maior, vel minor ingratitudo in peccato commiſſo poſt remiſſionem praecedentium penſentur ex maiori, vel minori numero, & grauitate peccatorum remiſſorum?*

Dico octauò, ad maiorem intelligentiam præcedentium aſſertionum, pro maiore, vel minore grauitate, & numero peccatorum priùs remiſſorum eſt maior, vel minor ingratitudo in ſequenti peccato, quia quantitas ingratitudinis proportionatur quantitati beneficij; itaque cæteris paribus tanto maior erit ingratitudo, quanto beneficium fuerit maius; ſed maius beneficium eſt remiſſio grauiorum, & numero multorum peccatorum, quàm leuium, & numero paucorum peccatorum. ergo pro maiore, vel minore grauitate, &c.

Dvbitatio V.

VII. *An reatus pœnæ ſit maior ex parte ingratitudinis?*

Dico nonò, quo maior eſt ingratitudo in peccato commiſſo poſt præcedentem peccatorum remiſſionem, eo maior ex parte ingratitudinis, eſt reatus pœnæ in peccato ſubſequenti. quia peccato ſubſequenti poſt præcedentiam peccatorum remiſſionem, non dum debetur reatus pœnæ ratione ſuæ ſpecificæ malitiæ, ſed etiam ratione circumſtantiæ ingratitudinis. ergo quo maior fuerit ingratitudo, eo maior ex hac parte erit pœna, quæ debetur ſubſequenti peccato. Videatur Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt.* 88. *art.* 3. *in expoſitione articuli.* §. *Sententia, quam D. Thom.*

Dvbitatio VI.

VIII. *An idem numero peccatum commiſſum à Petro poſt remiſſionem peccatorum, & à Ioanne ſine tali remiſſione, grauius ſit in Petro, quàm in Ioanne?*

Dico decimò, ex dictis in præcedenti & ſuperioribus aſſertionibus ſequitur quòd idem omninò peccatum æquale, puta furtum, ſi committitur à Petro, & à Ioanne, à Petro tamen committitur poſt remiſſionem grauiſſimorum peccatorum, à Ioanne verò poſt remiſſionem leuium criminum, grauius erit in Petro furtum illud commiſſum ratione maioris ingratitudinis, quàm in Ioanne, quamuis ſecundùm rationem ſpecificam ſit æquale in ambobus. nam peccatum fit grauius ratione maioris ingratitudinis; ſed in Petro eſt maior ingratitudo, quàm in Ioanne. ergo illud idem peccatum erit grauius in Petro, quàm in Ioanne.

Dico vndecimò, vt clariùs explicetur, quod diximus: pœna tamen maior, quæ debetur peccato præſenti ratione circumſtantiæ ingratitudinis poſt præcedentium peccatorum remiſſionem non erit tanta, quanta fuerat debita peccatis dimiſſis; ſed ſi peccato præſenti, puta fornicationis ſecundùm ſe debetur pœna vt quatuor, & homini dimiſſa fuerant peccata vt decem, id eſt, quibus debeatur pœna vt decem, tali committenti fornicationem poſt remiſſionem peccatorum, quibus debebatur pœna vt 10. dabitur pœna vt quinque, quatuor gradus ratione fornicationis ſecundùm ſe, & vnus pœnæ gradus ratione ingratitudinis materialis. Similiter ſi homini priùs dimiſſa fuerant peccata vt viginti, committenti poſtea fornicationem, dabitur ei pœna vt ſex, & ſic proportionabiliter. quia reatus præcedentium peccatorum non redit per peccatum ſequens, in quantum ſequebatur ex actibus præteritorum peccatorum, ſed in quantum conſequitur actum ſequentis peccati. ergo quantitas reatus redeuntis erit ſecundùm grauitatem peccati ſubſequentis. Ita colligitur ex S. Thoma *articulo illo tertio, quæſt.88.3.part.*

Dvbitatio VII.

IX. *Quanta ſit grauitas peccati commiſſi poſt pœnitentiam habentis annexam formalem ingratitudinem?*

Dico duodecimò, ſi quis tamen poſt remiſſionem præcedentium peccatorum committeret peccatum adulterij, & ſimiliter eſſet ingratus formaliter, vt ſi peccaret adulterando, directè vt ſe oſtenderet contemnere beneficia à Deo accepta poſt remiſſionem præcedentium peccatorum (quod eſſet diabolicum) tunc fieri poſſet, vt illud peccatum adulterij cum tali ingratitudine formali annexa æquaret malitiam, & pœnam omnium præcedentium, atque etiam aliquando ſuperaret, quando non eſſent ita grauia. Probatur, quia ingratitudo formalis eſt grauiſſimum peccatum. ergo fieri poteſt, vt adæquet, & aliquando ſuperet, &c. Probatur antecedens. nam ingratitudo formalis dicit contemptum formalem explicitum, & directè voluntarium contra Deum; materialis verò implicitum, imperfectum, & tantùm indirectè, & interpretatiuè voluntarium. ergo illi debetur maxima pœna, etſi non iſti, ſed aliqualis. Vide Coninchum *diſp.* 2. *de effectu Pœnitentiæ, dub.* 19. *num.* 151.

Dvbitatio VIII.

X. *Quomodo per ſequens peccatum redeat reatus pœnæ præcedentium iam remiſſorum?*

Dico decimotertiò, non ſolùm reatus pœnæ ſenſus ſemper non redit totus, vel æqualis per ſequens peccatum poſt præcedentium peccatorum remiſſionem; ſed nec etiam pœnæ damni reatus, quæ in priuatione beatitudinis, & carentia diuinæ viſionis conſiſtit. Probatur. nam hic reatus eſt maior, vel minor, iuxta grauitatem, vel leuitatem peccatorum, quia, etſi priuatio beatitudinis per ſe non ſit maior, vel minor, ſicut nec vlla alia priuatio; eſt tamen maior, vel minor pœna, quatenus habet ordinem ad maiora, vel minora peccata, quæ ſunt illius cauſa, cuius rei ſignum eſt quòd magis ob ipſam priuationem beatitudinis contriſtabitur in inferno is, qui priuabitur illa, propter grauiora peccata. Videatur D.Thom. pro hac *3.part. quæſt.*88. *art.*3. *in corpore.* Magiſter Sotus *in* 4. *diſt.* 16. *quæſt.*1. *art.* 1. *§. His tamen non obſtantibus.* contra Durandum *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. aſſerentem pœnam damni eſſe eandem in omnibus damnatis.

Dvbitatio IX.

XI. *An ex maiori, vel minori triſtitia damnatorum in inferno ſit penſanda maior, vel minor eorum pœna damni?*

Dico decimoquartò, pœna damni maior, vel minor non conſiſtit eſſentialiter, & propriè in illa maiori, vel minori triſtitia, quàm damnati patiatur in inferno. quia triſtitia, & afflictio propriè eſt pœna ſenſus; ſed illa maior, vel minor triſtitia, & afflictio eſt argumentum, & indicium, quòd iſta pœna damni ſit maior, vel minor, quatenus conſiſtit in illa priuatione beatitudinis. quia idem malum conſiſtens priuatione eiuſdem boni, & eſt deterius, & deteſtabilius, quod propter cauſam peiorem ſuſtinetur, & eo eſt minus malum, quod propter minus cauſam malam ſuſtinetur. ergo priuatio beatitudinis, & carentia diuinæ viſionis, quæ eſt pœna damni in damnatis, eo eſt maior, vel minor quoad cauſam peiorem, vel minùs malam, nempè ad grauiora, vel leuiora peccata dicit ordinem, quæ ſunt illius cauſa. Videatur Sotus *loco nuper allegato, §. Sed rogas.* Valentia *tom.*4. *diſp.* 7. *q.*5. *puncto* 3. *§. Nec verò hic dico.*

Dvbitatio X.

XII. *An peccatum commiſſum poſt gratiam baptiſmalem ſit maius, ratione ingratitudinis, quàm commiſſum poſt pœnitentiam?*

Dico decimoquintò, peccatum commiſſum poſt pœnitentiam, ſeu poſt remiſſionem præcedentium peccatorum, maius eſt, cæteris paribus, ratione ingratitudinis, quàm peccatum commiſſum poſt innocentiam, id eſt, poſt gratiam baptiſmalem. quia beneficium remiſſionis peccatorum maius eſt, quàm beneficium innocentiæ; ergo maior ingratitudo eſt peccare poſt beneficium remiſſionis peccatorum, quàm peccare poſt gratiam baptiſmalem. ergo maius peccatum eſt peccatum poſt remiſſionem præcedentium peccatorum, cæteris paribus, quàm peccatum poſt gratiam baptiſmalem. quia ratione maioris ingratitudinis peccatum ſit maius. Antecedens probatur; quia eo maius eſt beneficium, quo confertur in minus dignum; ſed beneficium remiſſionis peccatorum confertur minus digno, quàm beneficium innocentiæ. ergo eſt maius beneficium in ratione beneficij remiſſio peccatorum, quàm beneficium innocentiæ. Videatur pro hoc aſſerto D. Thom. 3. *part. q.*88. *art.*2. *ad tertium.*

Dico decimoſextò, datis duobus hominibus iuſtis æqualibus in gratia quantum ad eſſentialia, differentibus verò tantùm in hoc, quòd vnus numquam peccauit poſt acceptam gratiam baptiſmalem, alius peccauit, & poſtea egit pœnitentiam: pœnitens iuſtus poſt remiſſionem peccatorum magis tenetur ad gratias Deo agendas, & magis eſſet ingratus recipiens remiſſionem peccatorum, non referendo Deo debitas gratias, quàm innocens, qui nunquam peccauit: quia beneficium remiſſionis peccatorum eſt maius beneficium, & donum, quàm bonum innocentiæ; ergo magis eſſet ingratus pœnitens poſt remiſſionem peccatorum gratias Deo non referendo, quàm innocens, &c. Probatur antecedens, quia quantitas doni, & beneficij non conſiſtit in hoc, quòd quis ſibi in

ſingulari

ſingulari recipiat maius bonum , ſed conſiſtit in hoc, quòd recipiat maius bonum ſibi ſic exiſtenti in actuali peccato , non tantùm conſiderando bonum poſitiuum , quod confertur , ſed malum etiam , quod de facto aufertur ; ſed maius donum ſit homini quòd tranſeat de peccato ad gratiam, quàm quòd perſeueret in ſtatu innocentiæ. ergo eſt magis donum, & beneficium,&c. Maior videtur certa. probatur minor, quia in remiſſione peccatorum, nedum confertur gratia iuſtificans, ſed etiam remittitur gratis colpa, quod non fit, quando innocens auxiliis Dei perſeuerat in ſtatu innocentiæ. ergo,&c.& vt magis veritas eluceſcat,

Dvbitatio XI.

XIII. *Quótuam modis beneficium Dei acceptum dicatur maius?*

Dico decimoſeptimò, beneficium, ſeu donum aliquod Dei collatum hominibus, dupliciter poteſt ęſtimari maius alio : vno modo ex quantitate dati , quia ſcilicet in ſe maius ; alio pacto poteſt dici maius ex modo dationis, quia ſcilicet magis gratis eſt datum,& ſic illud æſtimatur maius, quod minus eſt debitum: vnde cùm inimicis minus debeatur beneficium, quàm illis, qui nec ſunt amici, nec inimici, beneficium collatum inimicis eſt maius, quàm illud idem collatum illis, qui nec ſunt amici, nec inimici. quià inimicis magis gratis datur , quàm illis , qui nec ſunt amici , nec inimici. Videatur D.Thom. 2.2.*quæſt*.106.*art*.2. Richardus *in 4.diſt.*22.*quæſt.*5.*art.*1.

Dvbitatio XII.

XIV. *An donum innocentiæ datum Adæ, ſit maius remiſſione peccati?*

Dico decimooctauò, ex aſſerto præcedenti euidenter deducitur primò quòd donum innocentiæ datum Adę, quamuis ex quantitate dati fuerit maius bonum, quàm remiſſio peccati poſtquam ille deliquit : tamen remiſſio,& venia peccati per gratiam fuit maius donum,& beneficium ex modo donationis ; quia innocentia fuit Adæ data , qui nec erat amicus, nec inimicus, remiſſio verò peccati Adæ inimico. ergo ex modo dationis, fuit maius beneficium remiſſio peccati, quàm innocentia: quia remiſſio peccati fuit Adæ minus debita,& magis gratis data, quàm innocentia, quia illa inimico , hæc autem nec amico, nec inimico. Ita præclarè Magiſter Sotus *in 4.diſt.*16. *q.*1.*art.*2. §.*Tertiò arguitur, verſic. Quare licèt innocentia.*

Dico decimononò, deducitur ſecundò quòd gratia baptiſmalis collata puero , licèt ſit maius bonum ex quantitate dati remiſſione peccatorum , quam obtinuit ille deueniens ad vſum rationis poſt actuale peccatum commiſſum: hęc tamen eſt maius donum,& beneficium ex parte dationis, quia facta eſt maiori inimico ; nam peccatum actuale cauſatum à propria , & perſonali voluntate, eſt magis voluntarium , & maiorem inimicitiam inter Deum , & hominem cauſat, quàm ſolùm originale voluntate communi contractū. ergo ex parte dationis eſt maius donum , & beneficium remiſſio peccati actualis, quia fit magis gratis,& maiori inimico confertur, quàm gratia baptiſmalis.

Dvbitatio XIII.

XV. *An deueniens ad vſum rationis poſt Baptiſmum ſuſceptum per primum peccatum amittat maius bonum , quàm per ſecundum , vel è contra?*

Dico vigeſimò , deducitur tertiò quòd ſic, veniens ad vſum rationis poſt primi peccati actualis remiſſionem in aliud ſimile, ſecundò recidit quamuis primum peccatum ab eo commiſſum tollat maius bonum ex quantitate dati, nempè iuſtitiam baptiſmalem: tamen ſecundum peccatum ratione ingratitudinis eſt maius peccatum, quia eſt contra remiſſionem etiam actualium, quę eſt maius donum ex modo dationis quæ facta fuit maiori inimico : primum enim peccatum non fuit niſi contra beneficium remiſſionis peccati originalis , quod non cauſabat tantam inimicitiam inter Deum,& hominem. ergo.

Dvbitatio XIV.

XVI. *An peccatum commiſſum poſt remiſſionem primi actualis , ſit maius peccato commiſſo poſt gratiam baptiſmalem?*

Dico vigeſimoprimò , deducitur quartò ſecundum peccatum commiſſum à baptizato poſt remiſſionem primi actualis , cæteris paribus , ſcilicet ſi ambo ſint homicidia, vel adulteria , non ſolùm eſt maius primo, quia fit contra beneficium remiſſionis actualis peccati, quæ eſt maius donum ex modo dationis , quàm gratia baptiſmalis ; ſed etiam, quia in ipſo ſecundo peccato commiſſo non ſolùm reperitur ingratitudo contra remiſſionem primi actualis , ſed etiam contra remiſſionem originalis per Baptiſmum , per quem homo obtinuit innocentiam baptiſmalem. quia ſubſequens ſecundum peccatum,& alia ſubſequentia, habent reſpectum ingratitudinis ad omnia præcedentia beneficia,& ad omnes remiſſiones peccatorum cuiuſcumque generis. ergo baptizatus ſecundo peccato peccat contra beneficium innocentiæ baptiſmalis, quia per ſecundum fit ingratus illi etiam ſuſcepto beneficio , licèt illud per primum peccatum perdiderit: videatur Sotus *in 4.diſt.*16.*q.*1.*art.*2 *fine.*

XVII. *Ex quo capite ingratitudo , de qua hic loquimur, ſit maior, vel minor?*

Dico vigeſimoſecundò , ad plenam præcedentium aſſertorum intelligentiam, quòd cùm vitium ingratitudinis opponatur gratiæ, hoc eſt, rei gratis datæ, maior, vel minor ingratitudo illa erit, quæ gratiæ , magis, vel minus gratis datæ opponitur ,& quia remiſſio peccati actualis eſt gratia collata homini baptizato magis gratis, quàm gratia baptiſmalis, quia remiſſio peccati actualis fit magis inimico ; gratia verò baptiſmalis minus inimico. ergo ratione ingratitudinis, cæteris paribus , magis peccat homo per ſecundum peccatum, quàm per primum, quia per ſecundum peccatum , facit contra gratiam magis gratis collatam. nam magis inimico eſt data : per primum verò agit contra gratiam , minùs gratis datam , quia minus inimico collata eſt.

XVIII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur , & magis præcedentia explicantur.*

Ad rationem in contrarium quatenus militat contra ſeptimam aſſertionem , reſpondetur negando minorem , quòd ſcilicet ſeruus manumiſſus, ſi poſt manumiſſionem offenderit dominum , ſemper in eamdem ſeruitutem reducatur pro qualicumque ingratitudine ; ſed proportionabiliter iuxta inæqualitatem ingratitudinis , & offenſæ , reducitur in maiorem, vel minorem ſeruitutem. Ita quantitas reatus peccati ſubſequentis poſt remiſſionem præcedentium

peccato

peccatorum tedit maior, vel minor ratione ingratitudinis, quanto peccata priùs dimiſſa fuerunt maiora, & grauiora, pauciora, & leuiora. Videatur D. Th. *3. part quaſt. 88. art. 3. ad ſecundum.*

ARTICVLVS XLIV.

An opera bona, mortificata per peccatum, poſtea per pœnitentiam reuiuiſcant, ita vt valeant, ad vitam æternam?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur, quanam dicantur opera mortua, quave mortificata.*
3. *Explicatur, an per ſubſequentem pœnitentiam reuiuiſcant opera mortua.*
4. *An de potentia Dei abſoluta, opera mortua poſſint per ſubſequentem pœnitemiam reuiuiſcere.*
5. *Quid mereatur homo per opera bona moralia, facta in peccato mortali.*
6. *Deciditur opera bona mortua propriè neque quoad meritum, neque quoad ſatisfactionem, valere.*
7. *An ſaltim homo exiſtens in peccato mortali, per bona opera moralia, mereatur bona temporalia.*
8. *Dubitatio reſoluitur, & explicatur, An quando opera mortificata reuiuiſcunt, & virtutes infuſa reuiuiſcant.*
9. *An virginitas ſemei amiſſa per pœnitentiam reuiuiſcat.*
10. *An per pœnitentiam reſtituatur innocentia amiſſa.*
11. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & ſuperiùs dicta magis explicantur, præſertim quo modo reuiuiſcant opera mortificata.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm opera in charitate facta merentur vitam æternam, & gloriam, ſecundùm quantitatem gratiæ, vel chatitatis; ſed quanduque pet pœnitentiam homo reſurgit in minori gratia, & charitate. ergo non conſequitur vitam æternam, & gloriam, ſecundùm meritum priotum bonorum operum, & ita videtur, quòd opera bona per peccatum mottificata, nec valeant, nec reuiuiſcant ad vitam æternam, & gloriam.

DVBITATIO I.

II. *Quanam dicantur opera mortua, quævè mortificata?*

Dico ptimò, in homine Chriſtiano aliquando reperiuntur aliqua opeta mortua priuatiuè, aliqua morma effectiuè, aliqua vetò mortificata. Opera mortua ptiuatiuè, illa ſunt, quæ carent vita gratiæ, vt eleemoſyna, ieiunium, & aliia pia opera facta à peccatore, quandiu caret vita gratiæ, quæ vita animæ metitò nuncupari poteſt. Opera mortua effectiuè, ſeu mottifera, illa dicuntur, quæ mottem inferunt ſpiritualem, vel ad illam diſponunt, & hæc ſunt peccata mortalia, quæ animam ſpiritualitet enecant, vel etiam peccata venialia, quæ ad mortalia quodammodo diſponunt. Opera vetò mortificata, ſunt bona opera præſtita à peccatore antequam in grauem culpam prolaberetur. dicuntur *mortificata*; quia mottificantur per ſubſequeus peccatum, nec proſunt ad vitam æternam eo non dimiſſo: videatur noſter Viguerius *in ſuis inſtit. Theolog c. 16. §. 4. verſ. 9.*

DVBITATIO II.

III. *An per ſubſequentem pœnitentiam reuiuiſcant opera mortua?*

Dico ſecundò. Opeta mottua priuatiuè non reniuiſcunt, nec fiunt meritoria vitæ æternæ per ſubſequentem pœnitentiam. quia reuiuiſcere eſt remoto impedimento peccati accipere vitam, & valorem, quem habebant opera quando facta ſunt; ſed opera mortua priuatiuè quando facta ſunt, non habebant meritum vitæ ætetnæ, cùm is, qui ea fecit, non haberet gratiam, & chatitatem, ſine qua noſtræ actiones ad vitam æternam non proſunt, iuxta illud 1. Cotinthiorum 13. *Si dedero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* ergo opera mottua ptiuatiuè non reuiuiſcunt, nec fiunt metitoria vitæ ætetuæ per ſubſequentem pœnitentiam: multo minus opera mortua effectiuè, ſeu mortifera reuiuiſcunt pet pœnitentiam, quia tantum abeſt, vt huiuſmodi opera valere poſſint per pœnitentiam, vt potiùs pet illam deſtrui neceſſe ſit. Ita S. Doctot *3. part quaſt. 89. art. 6.*

DVBITATIO III.

IV. *An de potentia Dei abſoluta opera mortua poſſint per ſubſequentem pœnitentiam reuiuiſcere?*

Dico tettiò, nec per potentiam Dei abſolutam opera mortua priuatiuè poſſunt ad vitam æternam reuiuiſcere. nam iſta opera vt producta ſunt ſine gratia, ex natura ſua ſunt mortua. ergo impoſſibile eſt, quòd reproducantur, & habeant vitam; quia res mortua, & res viua differunt ſpecie. ergo impoſſibile eſt, quòd ſint eadem numeto. ergo non poſſunt illa eadem opera mortua ptiuatiuè reuiuiſcere eadem numero, cùm res mottua, & res viua differant ſpecie: videatur noſter Nugnus *tom. 2. in 3. p. quaſt 89. art. 6.* in expoſitione eiuſdem articuli, *verſ. Sit tamen concluſio.*

Dico quartò, neque obſtat contra præcedens aſſertum, quòd pœnitentia ſacramentalis adimpleta in peccato mortali tecedente poſtea fictione ſortitur effectum ſuum, nempè ex opere operato remiſſionem pœnæ debitæ peccatis dimiſſis, & ſic quodammodo viuificatur. quia pœnitentia impoſita à Confeſſario in quantum eſt pars integralis ſacramenti Pœnitentiæ, habet certam viram ſecundùm quòd eſt à Chriſto Domino, idcitcò recedente fictione peccati mottalis, poteſt viuificati, quod non habet opus bonum patticulare in peccato mortali: tum, quia ſicut confeſſio informis, & Baptiſmus informis, incipit valere recedente fictione, quia non eſt opus hominis, ſed Dei, vt ait S. D. *in addit. ad 3. p. q. 14. art. 3. ad 2.* ſed ſatisfactiu in quantum ſacramentalis, non eſt opus hominis, ſed Dei. ergo, &c. At opus mottuum priuatiuè hominis exiſtentis in peccato mortali, non eſt opos Dei, ſed hominis: vnde non eſt ſimile. Videatur pro hac aſſertione S. D. *loc. cit.* Caiet. *in ſumma verb. Satisfactio, §. Quantum, & tom. 1. opuſc. tract. de ſatisfactione, quaſt. 2.*

DVBITATIO IV.

V. *Quid mereatur homo per opera bona moralia facta in peccato mortali?*

Dico quintò, pto bonis operibus in peccato

mortali

Digitized by Google

mortali factis, licèt homo poſt conuerſionem accipiat à Deo aliquod præmium accidentale. quia rationabiliter homo poſtea conuerſus gaudet de illis, quod pertinet ad præmium accidentale; tamen hoc propriè non eſt aliquod opus priuatiuè mortuum viuificati cum proprietate. nam opus cum proprietate viuificati eſt quòd illi ex natura ſui debeatur præmium: at operi priuatiuè mortuo non debetur præmium, licèt Deus conferat tale præmium ex ſua magnificentia. Ita præclarè Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. q. 89. art. 6. loco citato, ſolutione ad quartum*. Henriquez *lib. 4. de pœnitentia, cap. 33. num. 1.*

VI. *Deciditur, opera bona mortua propriè, neque valere quoad meritum, neque quoad ſatisfactionem?*

Dico ſextò, opera bona mortua priuatiuè non deſeruiunt, neque quoad meritum propriè, neque quoad ſatisfactionem. quia omne meritum etiam de congruo fundatur in amicitia, ſicut etiam ſatisfactio, vt docet optimè Magiſter Sotus *in 4. diſt. 19. quæſt. 1. art. 5. §. His tamen non obſtantibus*, Nugnus *tom. 2. in 3. p. q. 14. art. 2. dub. 2. ad finem.*

DVBITATIO V.

VII. *An ſaltim homo exiſtens in peccato mortali, per bona opera moralia mereatur bona temporalia?*

Dico ſeptimò, exiſtens in peccato mortali per opera bona moralia, quæ agit, propriè non meretur ſibi bona temporalia. quia talia opera cùm ſint inimici, non ſunt digna aliqua mercede: tum, quia bonum opus morale in peccato mortali factum non eſt ſimpliciter bonum, ſed eſt bonum ſecundùm quid, id eſt, morale. ergo ratione meriti non debet illi Deus aliquod præmium, etiam temporale. impoſſibile eſt enim, inquit D. Thom. *3. part. in addit. quæſt. 14. art. 4. in corpore*, quòd homo faciat apud Deum præmium aliquod ſibi debitum, ſi amicitia illius careat.

Dico octauò, non obſtat contra hoc aſſertum D. Hieronymus, quod refertur *diſt. 1. de pœnitentia, canone ſi quando*, dum ait Deum iuſtum operum bonorum peccatoris non obliuiſci in remuneratione. hoc, inquam, non officit, quia intelligitur D. Hieronymus Deum recordari bonorum operum peccatoris, non ad præmiandum ratione meriti; ſed quia ex diuina liberalitate peccatores talia bona opera operantes recipiunt à Deo aliquando aliqua bona temporalia, videatur D. Thom. nupertimè relatus, Sotus *in 4. diſt. 19. quæſt. 1. art. 5. §. His tamen, verſic. Verbum autem Hieronymi*, & *diſt. 16. quæſt. 2. art. 6. §. Tertiò arguitur*. Remunerat igitur Deus bona moralia peccatoris aliqua temporali remuneratione, non quia in illis propriè ratio meriti reperiatur, ſed ex ſua diuina liberalitate.

Dico nonò, opera tamen bona in mortali facta valent ad impedienda peccata, & conſequenter ad mitigandam inferni pœnam, non quidem minuendo eam, quæ peccatis aliis debetur, ſed impediendo maioris pœnæ reatum. quia peccator dum ſe exercet in bonis operibus, non inuoluitur nouis delictis, quibus nouus gradus, & intenſior pœnæ debetur. Ita colligitur ex D. Thom. *3. part. quæſt. 89. art. 6. ad tertium.* Medina *1. 2. quæſt. 21. art. 4. dubio vltimo, verſic. Tertiò dico*. Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 37. ſect. 2. n. 9.* Aluarez *de auxiliis diuinæ gratiæ, diſp. 50. num. 11.*

Dico decimò, bona opera iſta moralia peccatoris deſeruiunt etiam multoties ad adimplenda præcepta, atque adeò, vt homo non peccet mortaliter de nouo: & quia etiam aliquando Deus reſpicit ad illa, vt conuertat peccatorem, non quia illa bona opera facta in mortali ſint diſpoſitiones, propriè loquendo, ſed ſola miſericordia Dei: videatur D. Thom. *3. p. in addit. quæſt. 14. art. 4. in corpore, ad finem.* Nugnus *ibi art. 2. difficultate 2. fine.*

Dico vndecimò, conducunt etiam huiuſmodi bona opera priuatiuè mortua ad aſſuetudinem bonorum operum, quia generant aliquem habitum virtutis moralis, qui per actus multiplicatos producitur. ita S. D. nupertimè relatus. Magiſter meus Aluarez *lib. 7. de auxiliis, diſp. 56. num. 24.*

VIII. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO VI.

Quando opera mortificata & virtutes infuſæ reuiuiſcant?

Dico duodecimò, opera bona mortificata per peccatum per ſubſequentem pœnitentiam reuiuiſcunt, & valent ad vitam æternam conſequendam. quia ſublata cauſa ceſſat effectus; ſed cauſa propter quam bona opera remanebant mortificata, fuit peccatum illis ſuperueniens. ergo ſublato peccato reuiuiſcunt, & incipiunt valere, vtpote ſublato impedimento, ſicut ſacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ; ſublato obice ſuum præſtant effectum: tum, quia illa opera ſunt in diuina acceptatione, itaut poſſint hominem perducere ad vitam æternam ſi auferatur peccatum. ergo opera mortificata recuperant efficaciam per pœnitentiam producendi eum, qui fecit ea in vitam æternam, quod eſt ea reuiuiſcere. Ita S. Doctor *3. p. q. 89. art. 5.*

Dico decimotertiò, ne dum per pœnitentiam omnia bona opera mortificata reuiuiſcunt, ſed etiam omnes virtutes infuſæ in quocumque ſtatu hominis neceſſariæ reſtituuntur. Probatur. nam per pœnitentiam infunditur gratia, ſed ad gratiam conſequuntur omnes virtutes neceſſariæ ſimpliciter tanquam propriæ paſſiones. ergo, &c. S. Thomas *3. part. quæſt. 89. art. 1.*

DVBITATIO VII.

IX. *An virginitas ſemel amiſſa per pœnitentiam reuiuiſcat?*

Dico decimoquartò, virginitas tamen, licèt ſit virtus quædam infuſa, tamen ſemel amiſſa per fornicationem, non recuperatur poſtea per pœnitentiam. Tum, quia non eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem. Tum, quia naturaliter impediri poteſt ab extrinſeco: nam ſicuti in naturalibus ſunt quædam paſſiones, quæ neceſſariò fluunt ab eſſentia, itaut impediri non poſſint ſaltem naturaliter, aliæ verò, quæ poſſunt impediri, eo quòd dependent ab extrinſeco, vt patet in deſcenſu lapidis; ita ſimiliter in ſupernaturalibus, ſunt quædam paſſiones gratiæ, quæ ſaltem ſecundùm potentiam Dei ordinariam neceſſariò conſequantur ad illam: huiuſmodi ſunt vniuerſæ virtutes infuſæ, quæ pro omni ſtatu hominibus neceſſariæ ſunt: aliæ verò ſunt quæ ſubſequuntur quidem neceſſariò, dummodo non apponatur impedimentum, poſſunt tamen impediri eo quòd ab extrinſeco habent aliquam dependentiam, huiuſmodi eſt virginitas, quæ dependentiam habet à naturali integritate: videatur Nugnus *tom. 2. in 3. p. quæſt. 89.*

Digitized by Google

queſt.89. art.1. diff. vnica; ſed an amiſſa virginitas, quæ eſt virtus, in aliquo caſu reſtitui queat, dicemus dubio ſequenti.

Dubitatio VIII.

X. *An per pœnitentiam reſtituatur innocentia amiſſa?*

Dico decimoquintò, ſimpliciter loquendo implicat contradictionem quòd alicui reſtituatur per pœnitentiam innocentia. Probatur, innocentia eſſentialiter importat, quòd homo nunquam peccauerit mortaliter, vt omnes Theologi fatentur, & ipſum nomen ſignificat; ſed eſt impoſſibile, quòd ille, qui peccauit mortaliter, non peccauerit mortaliter. ergo, &c. D. Th. *3. part. queſt. 89. art. 3. in corpore.*

Dico decimoſextò, per pœnitentiam reſtituitur homo ad dignitatem principalem quoad Deum, quæ eſt gratia. quia homo per pœnitentiam computatur inter filios Dei, computatur autem inter filios Dei per gratiam. ergo, &c. Non tamen homini per pœnitentiam reſtituitur eadem numero gratia, quam habebat ante lapſum, ſed eandem ſecundùm ſpeciem recuperat, quod ſufficit, vt verè dicatur, quòd reſtituitur homo in principalem priſtinam dignitatem: ſecundariam verò dignitatem homo per pœnitentiam non recuperat; quia hæc eſt innocentia: nam hæc non reſtituitur per pœnitentiam, vt diximus *aſſerto præcedenti*, quia ad præteritum non eſt potentia: videatur S. Doctor *loco nouiſſimè relato.*

XI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & ſuperiùs dicta magis explicantur, præſertim quomodo reuiuiſcant opera mortificata.*

Ad rationem in contrarium poſitam à principio, quæ directè pugnat contra 12. aſſertionem, reſpondetur negando conſequentiam, ſemper enim merita præcedentia mortificata per peccatum, reuiuiſcunt per pœnitentiam ad præmium eſſentiale; quia verò, vt dicemus infrà, opera bona per peccatum mortificata reuiuiſcunt per ſubſequentem pœnitentiam, ſecundùm quantitatem contritionis, qua homo conuertitur; idcirco talis gratia, quæ modò recipitur per contritionem, poteſt eſſe minor, quàm illa, quæ fuit ante peccatum; ideo pro illo exceſſu ſolùm recipiet homo præmium accidentale, niſi multiplicet alios actus meritorios, antequam moriatur: ſed hæc ſolutio, vt benè intelligatur, petit, vt explicemus modum quo opera iſta per peccatum mortificata reuiuiſcant; quam difficultatem poſt dubium ſequens diſcutiemus.

Articvlvs XLV.

An amiſſa virginitas, quæ eſt virtus, reſtituatur aliquando, per pœnitentiam, & quibus caſibus reſtitui queat?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur quot modis ſumatur virginitas, & quomodo diffiniatur.*
3. *Explicatur, quomodo virginitas ſit virtus.*
4. *Explicatur quid ſit virginitas, naturaliter, vel moraliter.*
5. *Pateſit quòd tribus modis virginitas amittitur.*
6. *Dubitatio reſoluitur, & explicatur, An amiſſa virginitas per voluntariam pollutionem, etiamſi ſine exteriori actu procuretur, poſſit recuperari.*
7. *An fœmina habens ſignaculum corporalem virginitatis, ſit virgo ſi polluatur? &, An illam cognoſcens, peccatum ſtupri committat.*
8. *An pollutio in ſomno, vel ebrietate, vel infirmitate, &c. tollat virginitatem.*
9. *An delectatio procedens ex ſeminis reſolutione, præter mentis propoſitum, tollat virginitatem.*
10. *In quónam conſiſtat impudicitia, explicatur.*
11. *An virgo dormiens, vel amens, vel per vim cognita, amittat virginitatem.*
12. *An puellæ, exercentes ante vſum rationis, carnalia, antequam ſpermatizent, amittant virginitatem.*
13. *An puellæ doli capaces, niſi ſpermatizent, licèt conſentiant in coitum perfectum corporalem, amittant virginitatem.*
14. *An virile viri ingrediente, & egrediente clauſtra pudoris, vir amittat virginitatem, niſi adſit deciſio ſeminis.*
15. *Explicatur, quomodo puellæ non ſpermatizantes, virginitatem irrecuperabiliter non amittant.*
16. *An viri non valentes ſpermatizare, ſi fœminas cognoſcant virginitatem amittant.*
17. *An per actus ſodomiæ amittatur virginitas.*
18. *An mulieres non ſufficientis ætatis ad ſeminandum, poſſint irrecuperabiliter amittere virginitatem.*
19. *An vir naturaliter poſſit eſſe ſimul virgo, & pater.*
20. *An puella poſſit naturaliter concipere, ſalua virginitate, & eſſe mater.*
21. *Quænam requirantur ad omnimodam virginitatem, explicatur.*
22. *An per delectationem, quæ accidit in ſomnis, ex ſeminis deciſione amittatur virginitas.*
23. *Explicatur medium, in quo conſiſtit virtus.*
24. *Explicatur ſpecialiter quomodo virtus virginitatis conſiſtat in medio.*
25. *Quódnam ſit medium rationis in materia virtutum.*
26. *An medium virtutis moralis, ſit medium rationis eſſentialiter, vel tantùm cauſaliter, & effectiue.*
27. *Quidnam ſit medium rei, quidve rationis.*
28. *Explicatur quomodo pœnitentia conſiſtat in medio.*
29. *Explicatur quid ſit virtutem moralem conſiſtere in medio.*
30. *An virginitas naturalis, deperdita per actum turpem, abſque ſeminis reſolutione, poſſit reſtitui de potentia Dei abſoluta.*
31. *An virginitas amiſſa ſolùm per conſenſum in rem veneream ſit recuperabilis per affectum contrarium.*
32. *An virgo cognita violenter, ſi pareret, deberet dici virgo.*
33. *An virgo ſeipſam polluens, vel cum alia muliere, committat peccatum ſtupri.*
34. *An puellæ, quæ amiſerunt virginitatem, poſſint conſecrari ab Epiſcopo.*
35. *An puella etiamſi ſit occultè corrupta poſſit ab Epiſcopo conſecrari.*
36. *An puella corrupta, petens velum conſecrationis peccet mortaliter.*
37. *An velum profeſſionis nigrum poſſit dari non virgini, abſque peccato.*
38. *An ducens puellam, violenter ab alio defloratam, ſit irregularis.*
39. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicatur aſſertum quadrageſimumquartum.*

I. *Pars*

Digitized by Google

I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVòd per pœnitentiam virginitas reſtituatur, probatur. nam affectus voluntatis volentis copulam, aut pollutionem futurã, deſtruit virginitatem. nam virginitas eſt virtus inclinans hominem ad continendum ſe ab omni delectatione carnali; ſed per pœnitentiam reſtituitur affectus contrarius, nempè affectus hominis volentis ſe cõtinere ab omni delectatione carnali. ergo per pœnitentiã virginitas reſtituitur.

DVBITATIO I.

II. *Quot modis ſumatur virginitas, & quomodo diffiniatur.*

Dico primò, quòd virginitas dupliciter ſumitur, ſcilicet corporaliter pro integritate carnis, quæ duo includit, ſcilicet priuationem pollutionis, & integritatẽ ſignaculi corporalis, & formaliter pro propoſito reſpuendi delectationes venereas, quæ ſic diffinitur à S. Auguſtino *lib. de nuptijs, & concupiſcentia*, Virginitas eſt in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio, id eſt, propoſitum rationis perpetuò continẽdi: videatur D. Thom. *in 4. diſt. 33. q. 3. art. 1.*

DVBITATIO II.

III. *Quomodo virginitas ſit virtus?*

Dico ſecundò, virginitas eſt virtus: nam virginitas eſt habitus bonus inclinans hominem ad continendum ſe ab omni delectatione carnali ſecundùm rectam rationem; ſed talis habitus eſt virtus. ergo, &c. Ita optimè D. Thom. 2. 2. *quæſt. 152. art. 3.*

Dico tertiò, pueri ex ſua natiuitate non habent formaliter virtutem virginitatis, quia cùm non habeant vſum rationis, carent propoſito ſeruandi integritatem propter Deum; ſed formale virtutis virginitatis conſiſtit in iſto propoſito, vt docet D. Thom *loco nouiſſimè adducto, ſolutione ad primum*. ergo non habent formaliter virtutem virginitatis: tum, quia, vt inquit Philoſophus 2. *Eth. in principio*, nulla virtus ineſt nobis à natura. ergo in puerulis ante vſum rationis formalis virginitas non reperitur: videatur S. Doctor *in 4. diſt. 33. q. 3. art. 2. ad quartum.*

Dico quartò, habent tamen pueri ex ſua natiuitate quod eſt materiale in virtute virginitatis. nam materiale in virginitate eſt integritas carnis abſque omni experimento venereæ delectationis; ſed hanc integritatem habent homines ex ſua natiuitate. Ita præclarè D. Thom. *ſolutione illa ad primum* 22. *cit. & ſolut. ad quartum in quarto cit.*

DVBITATIO III.

IV. *Quid ſit virginitas naturaliter, vel moraliter?*

Dico quintò, virginitas rurſus dupliciter ſumitur, ſcilicet naturaliter, vel moraliter. Iterum virginitas moraliter ſumitur dupliciter pro quodam caſtitatis ſtatu, & prout eſt virtus à caſtitate diſtincta: virginitas naturalis conſiſtit in naturali integritate membrorum, quia ſecundùm communem vſum loquendi illas appellamus virgines, quæ integritatem carnis, quam à natura habent, ſeruant: & ad hoc inſpiciuntur quandoque mulieres ſi ſint virgines; virginitas moraliter, vt eſt ſtatus caſtitatis requirit duas conditiones. Primò quòd perſona non ſit voluntariè polluta: ſecundò quòd ſit in propoſito ſic ſe ſeruandi, niſi matrimonio iungatur, & hoc modo puellæ nubiles caſtæ, dicuntur virgines; quia de ratione virginitatis, vt eſt ſtatus caſtitatis, non eſt perpetuitatis propoſitum ſeruandi ſe immunem ab omni delectatione venerea: virginitas moralis, prout eſt ſpecialis virtus, addit ſupra virginitatis ſtatum perpetuitatem ſeruandi integritatem, ſeu perpetuò ſe immunem ſeruare ab omni delectatione venerea. Votum perpetuò ſeruandi integritatem, non eſt de ratione virginitatis, ſed tantùm pertinet ad perfectiſſimam rationem virginitatis, & ſic D. Auguſtinus *lib. de nuptijs, & concupiſcentia*, diffiniens virginitatem, vt eſt ſpecialis virtus, ait, virginitas eſt in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio, de qua diffinitione videatur D. Thom. 2. 2. *q. 152. art. 1. ad primum.* Caiet. *ibi. §. Ad euidentiam horum.*

V. *Pateſit quòd tribus modis virginitas amittitur.*

Dico ſextò, virginitatem amitti poſſe tripliciter, mente tantùm, ſcilicet per conſenſum in rem veneream ſine opere: ſecũdò mente, & corpore: tertiò modo corpore tantùm, id eſt, per fractionem ſignaculi virginalis, loquendo de fœmina, vel per reſolutionem ſeminis quocumque modo. Triplex igitur eſt corruptio: prima ſcilicet corporalis tantùm, id eſt, fractio ſigilli virginalis, vel reſolutio ſeminis quocumque modo: ſecunda mentalis tantùm, id eſt, conſenſus in rem veneream ſine opere ſubſequuto; & tertia corporalis, & mentalis ſimul. Ita S Doctor *in 4. diſt. 33. queſt. 3. art. 1. cit.*

VI. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO IV.

An amiſſa virginitas per voluntariam pollutionem, etiam ſi ſine exteriori actu procuretur, poſsit recuperari?

Dico ſeptimò, per voluntariam pollutionem, etiãſi fiat abſque copula, perit virginitas, abſque ſpe illam recuperandi. Probatur, quia præcipua voluptas carnalis in reſolutione ſeminis conſiſtit, & omnes alij actus, etiam copula, & violatio clauſtri virginalis, ob illius voluptatem ſunt. ergo ſi vllo actu amittitur virginitas irrecuperabiliter, maximè iſto, qui eſt cæterorum finis. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt. 151. art. 1. ad quartum, & art. 3 ad tertium.*

Dico octauò, reſolutio ſeminis voluntaria ſine exteriori procuratione ſufficit, vt deperdatur virginitas irrecuperabiliter. quia alioquin, qui ſola imaginatione venerea huiuſmodi fœditatem ſponte in ſe procuraret, etiamſi millies id feciſſet, eſſet virgo, & habiturus eſſet laureolam virginitatis poſt pœnitentiam, quod eſt abſurdum. Ita præclarè aduertit Caietanus 2. 2. *queſt. 152. art. 1. §. Ad euidentiam horum; verſic. Ducit autem.*

Dico nonò, ita irrecuperabiliter deperditur virginitas per ſeminis reſolutionem voluntariam, quòd per abſolutam Dei potentiam non poſſit cum omni proprietate recuperari, quia ſicut innocentia denotat animam nunquam peccato mortifero fuiſſe contaminatam; ita virginitas includit, & connotat carnem numquam voluntariè eſſe pollutione violatam. ergo ſicut innocentia etiam per diuinam omnipotentiam reſtitui nequit poſt mortiferum peccatum, quia quoad actum præteritum, quo ablata eſt, tollendum, non eſt vlla potentia; qui enim ſemel ruit, fieri nequit, vt nunquam ruerit: ita etiam virginitas nequit per diuinam omnipotentiam recuperari. nam hoc nomẽ, virginitas ſcilicet, negationem experientiæ voluntariæ libidinis per reſolutionẽ ſeminis connotat. Videatur D. Th. 2. 2. *q. 152. a. 3. ad 3.*

Nugnus *tom.2.in 3.part.q.89.art.3. difficult. vnica, ſolutione ad primum.*

Dvbitatio V.

VII. *An fœmina habens ſignaculum corporale virginitatis, ſit virgo ſi polluatur? &, An illam cognoſcens, peccatum ſtupri committat?*

Dico decimò, licèt in fœmina voluntariè polluta abſque copula remaneat ſignaculum virginale corporis, & naturalis integritas carnis, non tamen remanet virginitas, quæ eſt virtus, imò, vt diximus *aſſerto præcedenti*, per ſolam ſeminis reſolutionem voluntariam irrecuperabiliter virginitas, vt eſt virtus, deperditur: quia virginitas, vt eſt virtus, includit propoſitum perpetuò abſtinendi ab omni delectatione ſenſus, quæ percipitur in reſolutione ſeminis humani: videatur Caietanus 2.2. *quæſt.* 152. *art.* 1. Azor. *part.* 3. *inſtitut. moral. lib.3.cap.2.dub.7.*

Dico vndecimò, peccatum tamen ſtupri committeret, qui cognoſceret fœminam voluntariè pollutam, habentem tamen corporis ſignaculum virginale; quia ſtuprum eſt contra virginitatem naturalem, id eſt, contra naturalem integritatem fœminæ: & non requirit integritatem, & virginitatem moralem in fœmina carnaliter cognita. Caietanus *loco citato ſolutione ad* 4. *& ad* 5. ex oppoſitis in corollariis, quem ſequitur Azor. nuper relatus in fine illius dubij, contra Martinum adductum à Caietano, & Maronem *in 4.diſt.30. q.2.*

Dvbitatio VI.

VIII. *An pollutio in ſomno, vel ebrietate, vel infirmitate, &c. tollat virginitatem?*

Dico duodecimò, corruptio corporalis tantùm, quoad reſolutionem ſeminis, puta in ſomno, vel ebrietate, aut ratione infirmitatis, vel huiuſmodi, præter propoſitum non perdit virginitatem. Syl. *verb. virginitas, quæſt.* 4. *num.* 4. perdit autem virginitatem ſi in ſomno contingat, modò in vigilia procurata fuerit: vt ſi quis eo fine, certo genere cibi, vel potionis ſit vſus, vel ſi quis dat cauſam huic pollutioni in vigilia per conſenſum in turpem delectationem, vel actum; quia tunc hæc duo coniunguntur in ratione vnius peccati: ſi verò complacentia pollutionem talem ſequatur, non perdit virginitatem irrecuperabiliter; quia approbatio illa ſuperueniens non facit actum illum præteritum voluntarium, vt rectè Caietanus 2.2. *quæſt.* 152. *art.* 1. *ad ſecundum dubium*, quem ſequitur Leſſius *lib.4. cap.2. de virginitate, dub.16. n.119. §. Nec refert.*

Dico decimotertiò, licèt pollutio in ſomno non procurata in vigilia præter intentionem, & abſque culpa ſaltem lethali, non tollat virginitatem, tamen approbatio illius ſuperueniens tollit virginitatem mentalem, quæ per pœnitentiam recuperari poteſt; quia approbatio poſt factum, licèt non reddat præteritam pollutionem in ſomno voluntariam, videtur tamen æquiualere deſiderio, ſeu voluntati pollutionis, quæ virginitatem mentalem ſolam tollit recuperabilem per pœnitentiam. Ita optimè Caietanus nouiſſimè relatus Syl. *verb. virginitas num.4.fine*, contra quemdam Vldericum, qui credit irrecuperabiliter hoc modo deperdi virginitatem: vt refert Syl. nuperrimè adductus.

Dvbitatio VII.

IX. *An delectatio procedens ex ſeminis reſolutione, præter mentis propoſitum, tollat virginitatem?*

Dico decimoquartò, magis explicans præcedentem aſſertionem, delectatio, quæ procedit ex mentis propoſito, tollit virginitatem irrecuperabiliter, ſi ex completa ſeminis reſolutione cauſetur, vt patet ex ſupradictis; ſi verò hæc delectatio prouenit præter mentis propoſitum, vt in dormiendo, vel per violentiam illatam, cui mens non conſentit, quamuis caro delectationem experiatur, vel ex infirmitate naturæ, vt patet in his, qui fluxum ſeminis patiuntur, & ſic non perditur virginitas, quia talis pollutio non accidit per impudicitiam, quam virginitas excludit. ita benè S.Doctor 2.2.*quæſt.*152. *art.*1. *ad quartum.* Sed vt explicetur quid ſit impudicitia.

Dvbitatio VIII.

X. *In quónam conſiſtat impudicitia?*

Dico decimoquintò, impudicitia vitium eſt quando quis vacat actibus, tactibus, oſculis, & amplexibus libidinosè, hoc eſt, cauſa delectationis ſenſibilis, quæ ibi ſentitur, etiamſi nullum opus aliud intendat, & ſi fiant à non coniugibus, mortale eſt, quia huiuſmodi delectatio ad generationem eſt ordinata. ergo niſi percipiatur propter generationem licitam, peccatum lethale eſt, imò huiuſmodi actus impudici eiuſdem ſunt moris, cuius eſſet coitus conſummatus inter illos. Ita Caietanus *in ſumma, verb. impudicitia.* Armilla *ibi num.*1.

Dvbitatio IX.

XI. *An virgo dormiens, vel amens, vel per vim cognita, amittat virginitatem?*

Dico decimoſextò, virginitas vt eſt virtus, non amittitur ſi puellæ cognoſcantur carnaliter à viris dum dormiunt, vel quando ſunt ebriæ, vel amentes, vel ſi corrumpantur per vim nihil conſentientes. nam virtus non amittitur nobis inuitis. ergo, ſi fœmina virgo corrumpitur per vim, aut inſcia, nimirum, dum aut ebria eſt, aut amens, aut ante vſum rationis, dum doli capax non eſt, non amittit virginitatem, vt eſt virtus, ſed tantùm vt virginitas eſt naturalis integritas carnis: videatur D.Thom.2.2. *q.*152.*art.*1. *ad quartum, & in 4.diſt.33.q.3.art.1 ad ſeptimum.* Syl. *verb. virginitas n.5. &* 6.hos ſequitur Azor. *part.3.inſtit.moral. lib.3. cap.2.dub.7.*

Dvbitatio X.

XII. *An puellæ exercentes ante vſum rationis, carnalia, antequam ſpermatizent, amittant virginitatem?*

Dico decimoſeptimò, puellæ ſi antequam ſint doli capaces, attentent carnalia antequam ſpermatizent, etiam per coitum corporalem, ſtat in eis virginitas mentis, & corporis, quia tunc amittitur ſolùm id, quod eſt per accidens, ſcilicet naturalis integritas corporis, quæ non eſt de ratione virginitatis moraliter, & vt eſt virtus, ſed tantùm per accidens, quatenus ſcilicet eſt via ad immunitatem ſeminariæ delectationis, non ſeminare enim voluntariè eſt de ratione virginitatis moraliter, & vt eſt virtus. hoc aſſertum docuit Syl. *verb. virginitas, quæſt.* 3. *num.* 3. præcipuè propè finem.

Dvbi

Dvbitatio XI.

XIII. *An puellæ doli capaces niſi ſpermatizent, licèt conſentiant in coitum perfectum corporalem, amittant virginitatem?*

Dico decimooctauò, puellæ, etiamſi ſint doli capaces, ſi permittant ſignaculum frangi, & conſentiant in actum turpem, & in coitum perfectum corporaliter, quo conſueuit reſolutio ſeminis procurari, ſi ſperma non emittatur, & non adſit deciſio ſeminis, nec delectatio conſequenter mentem ſuffocans, non amittitur in eis virginitas moraliter, quantum ad materiale in ea. quia non eſt ſequutum opus quo materialiter virginitas amittitur, ſcilicet reſolutio ſeminis, in qua completur delectatio venerea: præcipua namque voluptas carnalis in reſolutione ſeminis conſiſtit, & omnes alij actus etiam copula, & violatio clauſtri virginalis ob illius voluptatem fiunt, vt ſuprà diximus *aſſertione 7.* hæc aſſertio eſt de mente S. Th. *in 4. diſt. 33. q. 3. art. 1. ad 5.* vbi aſſerit, quòd ſi non adſit deciſio ſeminis, & conſequenter nec delectatio complera mentem ſuffocans, non amittitur virginitas, vt eſt virtus quantum ad id quod eſt materiale in ipſa: videatur etiam Syl. *verb. Virginitas, num. 3.*

Dvbitatio XII.

XIV. *An virile viri ingrediente, & egrediente clauſtra pudoris, vir amittat virginitatem, niſi adſit deciſio ſeminis?*

Dico decimononò, conſequenter ex præcedenti aſſertione deducitur, quòd licèt virile ingrediatur, & egrediatur pudoris clauſtra, per hoc tamen virginitas corporalis ex parte viri non amittitur. quia integritas carnis ex parte viri, adhuc intelligi poteſt, quoadusq; ſemen emiſſum non fuerit. ergo etiamſi virile ingrediatur, & egrediatur pudoris clauſtra, per hoc ſolum non amittitur ex parte viri virginitas corporalis, ſi non ſit ſequutum opus perfectum, ſcilicet reſolutio ſeminis, in qua completur delectatio venerea. hæc aſſertio multis mira videtur, ſed eſt ſatis probabilis, iuxta mentem S. Th. *in 4. cit. ſolut. illa ad 5.* videatur Syl. *loc. cit.* Conradus noſter *tom. 1. Reſponſ. caſuum conſcientiæ, quæſt. 160. fine, verſ. Concluditur ergo.*

Dvbitatio XIII.

XV. *Quomodo puellæ non ſpermatizantes virginitatem irrecuperabiliter non amittant?*

Dico vigeſimò, adhærens præcedentibus aſſertionibus, puellæ doli capaces, ſi non ſpermatizent, attentantes carnalia per actus turpes, & etiam per coitum, amittunt quidem naturalem integritatem carnis ſi per coitum ſignaculum virginale deperdunt, & virginitatem quoad mentem; quia mente, & animo attentantes turpia ſunt pollutæ; non tamen illam emittunt irrecuperabiliter, quia irrecuperabiliter virginitas moraliter, vt eſt virtus, tantùm deperditur per pollutionem voluntariam, vel per copulam completam, ad quam per ſe ſubſequitur deciſio ſeminis, in qua delectatio venerea completur mentem ſuffocans. ergo puellæ ſi non ſpermatizent tantùm per actus turpes, non amittunt irrecuperabiliter virginitatem: videatur Syl. *verb. Virginitas, quæſt. 3.* Contrarium tamen tenet Leſſius *lib. 4. cap. 2. dub. 16. num.* 117. virginitatem ſcilicet abſolutè recuperari non poſſe ex parte fœminæ, amiſſam per voluntariam clauſtri virginalis violationem, ſiue in matrimonio, ſiue extra, idque ſiue per copulam, ſiue per aliam turpitudinem. Ex parte viri ſimiliter, inquit abſolutè deperdi per copulam carnalem.

Dico vigeſimoprimò, tria præcedentia aſſerta intelliguntur, ſi puellæ doli capaces ſint naturaliter impotentes ad ſeminandum: ſecus ſi naturaliter ſint potentes ſperma emittere. nam ſi potentes ad ſpermatizandum conſentiunt in actum turpem, & in coitum corporaliter cum viris, probabilius, & verius eſt tunc illas irreparabiliter virginitatem amittere; quia ille actus ob eam cauſam fit, ſcilicet ad ſeminandum, & ex ſe eſt ad hoc ſufficiens in tali ætate. ergo virginitas per ſe amittitur quantum ad id quod eſt in ipſa materiale, & irreparabiliter, licèt per accidens ſperma non emittant: tum; quia id quod eſt tunc per accidens, trahitur ad id quod eſt per ſe. Ita benè notauit Caiet. *2. 2. q. 152. art. 1. ſolut. ad 5.* ex obiectis in corollariis.

Dvbitatio XIV.

XVI. *An viri non valentes ſpermatizare, ſi fœminas cognoſcant, virginitatem amittant?*

Dico vigeſimoſecundò, puer, cui ratione ætatis deeſt poteſtas ſeminandi, quantumcumque det operam venereis, etiam per coitum corporaliter cum fœmina, amittit quidem virginitatem mentalem, ſi ſit doli capax, quia animo, & mente polluitur; ex parte verò corporis nullo pacto amittit, quia hæc deperditur in viris per reſolutionem ſeminis. ergo ſi per ſe puer eſt impotens ad ſeminandum, nullo pacto hanc ex parte corporis virginitatem amittit: & ſic pueri virginitas amiſſa reparabilis eſt per pœnitentiam, quia ſolùm eſt mentalis; hæc autem per pœnitentiam eſt reparabilis: ſic præclarè Caiet. nouiſſimè relatus, *§. Aduertendum quoque*; Leſſius tamen *lib. 4. de iuſt. cap. 2. dub. 16. n.* 121. aſſerit fortè verius eſſe pueros, qui habent perfectum vſum rationis, etiam ſi illis deſit poteſtas ſeminandi, ne dum virginitatem mentalem amittere ſi fœminam carnaliter cognoſcant, ſed etiam illam deperdere ex parte corporis, & conſequenter irrecuperabiliter.

Dico vigeſimotertiò, vir ſi fortè ob naturæ debilitatem, vel morbum per accidens ſit impotens ad ſeminandum, per coitum amittit virginitatem ex parte corporis irrecuperabiliter, etiamſi per accidens non ſpermatizet; quia per ſe actus ille venereus in viro eſt ſufficientiſſimus ad ſeminis reſolutionem. ergo per ſe ex parte corporis irrecuperabiliter amittitur virginitas, licèt per accidens ſeminis deciſio non interfuerit; nam id quod eſt per accidens, in hoc caſu trahitur ad id, quod eſt per ſe. Caietanus nuperrimè relatus dubitat, ſitne recuperabilis ſic perdita infirmi viri virginitas? at ſolutione ad 5. ex obiectis in corollariis ſimpliciter negat eſſe recuperabilem, Caietanum ſequitur Leſſ. *lib. 4. de iuſt. c. 2. dub. 16. n.* 121.

Dvbitatio XV.

XVII. *An per actus ſodomiæ amittatur virginitas?*

Dico vigeſimoquartò, per ſodomiam, ſi fiat à viro ſufficientis ætatis ad ſeminandum, amittitur illa carnis puritas, quam poſtulat virginitas ex parte corporis, & conſequenter irrecuperabiliter. quia nefarius talis actus in natura ſana eſt per ſe, & neceſſariò ſufficiens pollutionem excitare. ergo etſi per talem actum aliquando per accidens non ſequatur reſolutio ſeminis, deperditur virginitas irrecuperabiliter ex parte corporis: videatur Leſſ. *loco* nuper *citato.*

Dvbitatio XVI.

XVIII. *An mulieres non ſufficientis ætatis ad ſeminandum poſſint irrecuperabiliter amittere virginitatem?*

Dico vigeſimoquintò. Ante annos pubertatis, qui eſt 14. completus in maſculo, & 12. in fœmina, vterque ſexus communiter eſt impotens ad generandum: quandocumque tamen perſonam aliquam contingit voluntariè ſeminare, perditur virginitas irreparabiliter. Et quoniam ſexus fœmineus inuenitur ſeminare, ſi prouocatus ad hoc fuerit non ſolùm parum ante pubertatem, ſed in ſexto ætatis anno, & ſuprà, ideo longè citius poſſunt mulieres irrecuperabiliter virginitatem perdere, quàm viri, qui non ita citiùs ſpermatizent; quia per reſolutionem ſeminis voluntariam in quacumque ætate fiat, deperditur virginitas per pœnitentiam irrecuperabilis. Caietanus 2.2.*q.*152. *art.*1.*fine.*

Dvbitatio XVII.

XIX. *An vir naturaliter poſſit eſſe ſimul virgo, & pater?*

Dico vigeſimoſextò, vir naturaliter poteſt eſſe ſimul pater, & virgo mentaliter; quia opere Dæmonis ſumi poteſt viri virginis ſemen in ſomnis polluti, & transfundi in mulieris matricem, ex quo ſemine mulier illa poteſt concipere. ergo naturaliter poteſt vir eſſe ſimul pater, & virgo mentaliter. Antecedens admittitur ab omnibus. Conſequentia probatur. Nam illius prolis pater non eſſet Dæmon incubus, ſed ille eſt, ex cuius ſemine genitus fuit, agit enim ſemen in virtute eius à quo eſt reſolutum; ſed ille vir à quo deciſum eſt tale ſemen, eſt virgo mentaliter. ergo naturaliter vir poteſt eſſe ſimul pater, & virgo mentaliter. ita præclarè D. Thom. *quodlib. 6. art.* 18. quem adducit Sanchez *lib. 7. de matr. diſp.* 113. *n.* 10.

Dico vigeſimoſeptimò, vir ille, de quo *in aſſerto præcedenti*, eſſet ſimul pater, & virgo mentaliter, & moraliter, quia, vt ſupponimus, haberet aſſiduam voluntatem, numquam experiendi delectationem veneream; non tamen haberet omnimodam virginitatem, nam corporaliter in ſomno eſt pollutus: hæc tamen corruptio corporalis in ſomnis non tollit virginitatem, prout eſt virtus; quia hanc tollit corruptio corporalis voluntaria per electionem propriæ voluntatis, vt benè docet D. Th. *quodlib. 6. cit. art.* 18. *in corpore.*

Dico vigeſimooctauò, vir non poteſt eſſe ſimul pater, & virgo, ſalua omnimoda virginitate, etiam miraculosè, quia ſi de corpore viri proles aliter, quàm per ſeminis reſolutionem miraculosè formaretur, non poſſet dici pater, ſicut Eua non poteſt dici filia Adæ, quamuis ſit formata de coſta eius, quia per ſeminis deciſionem non eſt formata ergo vir non poteſt eſſe ſimul pater, & virgo, &c. D. Th. *loco cit.* Conradus *vbi ſuprà q.* 160. §. *& hæc ſint.*

Dvbitatio XVIII.

XX. *An puella poſſit naturaliter concipere, ſalua virginitate, & eſſe mater?*

Dico vigeſimononò. Puella virgo poteſt concipere naturaliter, ſalua omnimoda virginitate. quia refertur accidiſſe de quadam puella pubeſcente, quam propter pudoris cuſtodiam in lecto ſuo pater habebat, qui dum in ſomno pollueretur, ſemen ad matricem deſcendit, & puella concepit. ergo naturaliter, ſalua omnimoda virginitate, poteſt puella concipere: hæc enim puella potuit habere aſſiduam voluntatem nunquam experiendi delectationem veneream, habuit, vt ſupponimus, infractum clauſtrum pudoris, concepit ex ſemine foris recepto, ſine deciſione proprij. ergo, ſalua omnimoda virginitate, puella poteſt concipere; ita refert S. Doctor in illo celebri *quodl. art.* 18. quem ſequitur Nauarr. *tom.* 2. *conſil. lib.* 4. *tit. de frigidis, & malef. conſil.* 2. *num.* 23. & ante Nauarr. D. Antoninus 3. *part. tit.* 2. *cap.* 1. §. 10. vbi allegat quandam Chronicam, in qua narratur de quadam Moniali, quæ opere Diaboli ſic genuerat. Et de Antichriſto aliqui dicunt, quòd ſimili modo concipietur: vnde dicit eum Apoſtolus filium perditionis: vide Conradum *loc. cit.*

Dico trigeſimò. Mulier tamen, ſalua omnimoda virginitate, non poteſt eſſe mater naturaliter, itaut cõcipiat, & pariat niſi miraculosè, quia proles egredi non poteſt, cũ hoc, quòd permaneant clauſtra pudoris inuiolata; niſi per miraculum, ſicut accidit in Beatiſſima, & puriſſima Matre Dei Virgine Maria. ergo, &c.

Dvbitatio XIX.

XXI. *Quænam requirantur ad omnimodam virginitatem?*

Dico trigeſimoprimò, tria requiruntur ad omnimodam virginitatem, quorum primum eſt principale, & formale, ſcilicet aſſidua voluntas nunquam experiendi delectationem veneream: & ſic ſecundùm ſuum potiſſimum, & ſuum formale diffinitur virginitas à D. Auguſt. *lib. de nuptijs, & concupiſcentia*, & à S. Thom. 2.2. *quæſt.* 152. *art* 1. Virginitas eſt in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio. Secundum, quod requiritur ad omnimodam virginitatem, eſt materiale in ipſa, ſcilicet paſſio appetitus ſenſitiui, ſcilicet delectatio quam quis experitur in actio venereo, cuius priuatio requiritur ad perfectam virginitatem materialiter; nam paſſiones ſenſitiuæ ſunt materia virtutũ moralium, & ſic incorruptio voluntaria à delectatione venerea eſt virtutis virginitatis materia. Tertium autem eſt quaſi per accidens, & concomitanter ſe habens ad virginitatem, ſcilicet corporalis integritas, quia hæc corporalis integritas non eſt de ratione virginitatis, vt eſt virtus, niſi, vt via ad immunitatem ſeminariæ delectationis, vt optimè conſiderauit Caiet. 2.2. *quæſt.* 152. *art.* 1. §. *Ad obiecta in 2 dubio, ſolutione ad primum, in fine illius ſolutionis.* Vnde ſi clauſtra pudoris aliter corrumpantur, quàm per venereum actum, vt ſi Medicus ferro ea incidat ad ſanandum, nihil virginitati, vt eſt virtus, deperit. ergo per accidens, & concomitanter ad virtutẽ virginitatis ſpectat corporalis integritas. Ita optimè S. Doctor 2.2. *q.* 152. *art.* 1. *in corpore, & quodl.* 6. *art.* 18. *in corpore.*

Dvbitatio XX.

XXII. *An per delectationem, quæ accidit in ſomnis ex ſeminis deciſione, amittatur virginitas?*

Dico trigeſimoſecundò. Ad maiorem explicationẽ, delectatio, quæ in ſomnis accidit cũ ſeminis deciſione, non eſt materia virtutis virginitatis, & propter hoc, nec talis corruptio incorruptionẽ tollit, quę eſt virginitatis materia, & ideo ratione talis pollutionis virginitas non perditur; quia paſſiones partis ſenſitiuæ nõ poſſunt eſſe materia virtutis, niſi ſecundùm quòd ſunt ordinabiles à ratione ponente in eis medium, prout concupiſcibilis, & iraſcibilis obediunt rationi. ergo cùm in ſomnis concupiſcibilis, & iraſcibilis non poſſint rationi obedire, delectatio, quę in ſomnis contingit

cum reſolutione ſeminis, noo eſt virtutis virginitatis materia. ergo per ralem pollutionem in ſomnis virtus virginitatis non deperditur: erit tamen per talem reſolutionem ſeminis in ſomnis quædam corporalis corruptio inuoluntaria nihil præiudicans incorruptioni virtutis virginitaris. Ita optimè Angelicus Doctor contemplatur *in 4. diſt. 33. quæſt. 3. art. 1. ad ſextum.* Sed difficolrer intelligitur quomodo ratio ponat medium in virtute virginitatis, cùm virginitas conſiſtat in extremo, in priuatione ſcilicet omnis delectationis venereæ.

XXIII. *Explicatur medium in quo conſiſtit virtus.*

Dico trigeſimotertiò, igitur ad huius rei intelligentiam, medium in quo conſiſtit virtus, non accipitur ſemper ſecundùm quantitatem eius, circa quod eſt virtns, quæ quanritas eſt circa ſuperfluum, & diminurum. nam ſunt aliquæ virtutes, quæ perueniunt ad maximam quanritarem in propria maretia; magnificentia enim, quæ eſt virtus moralis, vt S.Doctor docet 2.2.*quæſt.* 134.*art.* 1. verſatur circa maximam quantitatem in proptia materia: magnificentiæ enim materia ſunt ſumptus magni, præcipuè ad cultum Dei, vt ait S.Thom. *loc.cit. art.* 1. *ad* 3. nam magnificentia eſt retum magnarum, & excelſarum cum animi quadam ampla, & ſplendida propoſitione cogitatio, atque adminiſtratio, 2.2.*quæſt.* 128.*art.* 1. *in corpore.* ergo medium in quo conſiſtit virtus, non accipitur ſemper ſecundùm quantitarem eius, &c.

Dico trigeſimoquartò, medium virtutis eſt facere opus quando oportet, & ſicut oportet; exceſſus verò eſt facere opus quando non oportet, & ſicut non oporret: defectus autem eſt non facere opus cùm oportet facere, & ſic ille, qui maxima dona confert, in medio conſiſtit, & eſt magnificus, quando illa maxima dona dat quando oporter, & ſic vt oportet: non autem eſſet magnificus, quando per exceſſum maxima dona confert, ſcilicet quando non oportet, & ſicut non oportet: immò tunc eſſet vitium per exceſſum: ſimiliter per defectum, quando non daret maxima, quando recta ratio dictat eſſe conferenda. Magnificentiæ igitur virtus conſiſtit in medio, etiamſi maxima dona dentur, quia quando oportet, & ſicut oportet, conferuntur, & hæc eſt mediocritas, & medium in virtute: videatur ſanctiſſimus Præceptor *in 4. diſt. 33. q. 3. art. 2. ad primum.* Medina 1.2.*quæſt.* 64. *art.* 3. in principio explicationis illius.

Dvbitatio XXI.

XXIV. *Quomodo virtus virginitatis conſiſtat in medio, licèt ex parte eius circa quod eſt, ſit in extremo?*

Dico trigeſimoquintò, virtus ſimiliter virginitatis, quamuis ſit in vltimo extremi, quantum ad id, circa quod eſt, quia ab omni corrumpente delectatione abſtinet: tamen eſt in medio in qoantum debitas circunſtanrias mediocriter ſeruat; abſtinet enim ab omnibus venereis, quando oportet, & ſicut oportet. nam ſi Deus præciperet alicui, vt ſe matrimonio copularet, illicitũ eſſet illi ſeruare virginitatem, quia vellet illam ſeruare quando non oportet, & ſic eſſet vitium per exceſſum: ſimiliter eſſet illicitum, & vitium per exceſſum, ſi quis ſeruaret virginitatem propter inanem gloriam, ſicuti virgines veſtales ſeruauere: quia illam ſeruauerunt propter quod non deberet illam cuſtodire. Item ſi Deus præciperet alicui virginitatem, vel ipſemet homo votum virginitatis emitteret, eſſet vitium per defectum illam non ſeruare: quia quando oporter non ſeruatur. Virtus igitur virginitatis conſiſtit in medio, quamuis ex parte eius, circa quod eſt, ſit in extremo, ſufficit enim quòd in ea ſeruetur medium rationis. Hæc aſſertio colligitur apertè ex S.Thom. *loco* nouiſſimè *adducto, &* 1.2.*quæſt.* 64.*art.* 1. *ad* 3. Sed vt explicetur, quid ſit medium rationis,

Dvbitatio XXII.

XXV. *Quódnam ſit medium rationis in materia virtutum?*

Dico trigeſimoſextò, medium rationis in materia virturum eſt facere opus, quando oportet, & prout oportet, ſecundùm regulam à prudentia præſcriptam, ſic vt non excedat, nec deficiat; exceſſus verò eſt operari opus, quando non oportet, & ſicut non oportet, vbi affirmatur materia, & negantur circumſtantiæ: defectus verò eſt, quando negatur materia, & affirmantur circumſtantiæ, vt non operari quando oportebat operari. Videatur Ariſt. 2. *Eth. cap.* 6. Medina 1.2.*q.* 64. *art.* 2. *in principio explicationis.*

Dvbitatio XXIII.

XXVI. *An medium virtutis moralis ſit medium rationis eſſentialiter, vel tantùm cauſaliter, & effectiuè?*

Dico trigeſimoſeptimò, medium virtutis moralis non eſt medium rationis eſſentialiter, ita videlicet, quòd medium illud ſit ſubiectiuè in actu rationis, ſed dicitur medium rationis cauſaliter, & effectiuè, id eſt, medium conſtitutum à recta ratione: quoniam virtus moralis conſiſtit in medio per conformitatem ad rectam rationem. ergo medium ipſius erit illud, quod à recta ratione efficitur. ergo medium virtutis moralis non eſt medium rationis eſſentialiter, ſed cauſaliter, & effectiuè: videatur S.Doctor *art.* 2. *citato, & ibi* Caiet. Sed opus eſt explicare ad plenam intelligentiam præcedentium aſſertionum, quid ſit medium rei; ideò

Dvbitatio XXIV.

XXVII. *Quidnam ſit medium rei, quidve rationis?*

Dico trigeſimooctauò, medium rei illud dicitur, quod deſumitur ex ęqualitate rerum inter ſe ante omnem conſiderationem intellectus, & huiuſmodi medium eſt determinatum à natura: ſicut, v.g. ex ipſa natura rei determinatum eſt, quòd qui debet centum, ſoluat centum. Medium verò rationis eſt illud quod deſumitur ex regula rationis per conformitatem ad diſpoſitionem operantis, & ad reliquas circunſtãtias, vt optimè explicat Caiet. 1.2.*q.* 64.*a.* 2. & hoc medium non eſt determinatum à natura, ſed determinatur iudicio prudentis, omnibus circunſtantiis penſatis.

Dvbitatio XXV.

XXVIII. *Quomodo pœnitentia conſiſtat in medio?*

Dico trigeſimononò, quòd ſicut virginitas eſt virtus moralis, licèt ſit in vltimo extremi quantum ad id, circa quod eſt; eſt tamen in medio in quantum debitas circumſtantias ſeruat, vt diximus *aſſerto* 35. Ita pœnitentia eſt vera virtus, vt docet D.Th. 3.*part.q.* 85. *art.* 1. licèt quoad dolorem, quo deteſtatur peccata, non ſit in medio: nam quantumcumque quis doleat de peccato, ipſum peccatum eſt dignum, vt homo magis, ac magis doleat. ergo in iſto dolore non

poteſt eſſe exceſſus; & conſequenter pœnitentia ex parte doloris erga peccatum non eſt in medio:tamen, quia ex parte ſubiecti quod afficit ipſe dolor, poteſt dari exceſſus: nam ita poteſt creſcere punitio, & afflictio animæ vt eſſet pœnitenti nociua moriendo in deſperatione, & ideo oportet aliquando ceſſare ab iſto dolore ex parte ſubiecti, & non conſiderare peccata; ſed Dei miſericordiam, & ſic poteſt eſſe exceſſus ex hac parte, & ita pœnitentia conſiſtit in medio inter defectum, & exceſſum: vt ſi quando pœnitere oporteret, puta quando eſt in periculo vitæ, & exiſtens in peccato mortali, non pœniteret, & quando oporteret ceſſare à nimio dolore, ne in deſperationem inducatur nimis conſiderando peccata, vellet magis dolere, & pœnitere, & ſic ille eſſet defectus in pœnitentia, & iſte eſſet exceſſus: nam omnis punitio debet prudentia moderari; ſed pœnitentia eſt quædam punitio. ergo debet prudentia moderari ne in illa detur exceſſus, vel defectus. Videatur Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 85. art. 2. dub. 1. fol. 40. col. 1. mihi, §. Ad hoc argumentum.*

Dvbitatio XXVI.

XXIX. *Quid ſit virtutem moralem conſiſtere in medio?*

Dico quadrageſimò, dupliciter poſſe intelligi virtutem moralem in medio conſiſtere. Primo modo formaliter, & eſſentialiter; itaut habitus virtutis ſit melius ſecundùm ſe inter duos habitus vitij, quorum alter opponatur virtuti per exceſſum; alter verò per defectum, ſicut liberalitatis virtus eſt habitus medius inter duo vitia, ſcilicet prodigalitatis per exceſſum, & auaritiæ per defectum. Secundo modo poteſt intelligi, quòd virtus moralis conſiſtit in medio cauſaliter, & quantum ad effectum, quia videlicet producit operationem ſecundùm mediocritatem rationis, itaut neque per exceſſum, neque per defectum talis actus deuiet à recta regula rationis. hoc poſito,

Dico quadrageſimoprimò, virtutem moralem conſiſtere in medio, non eſt hoc intelligendum ſemper in primo ſenſu, vt expoſitum eſt in præcedenti aſſerto, itaut omnis virtus moralis ſit habitus medius inter duo vitia oppoſita; ſed in ſecundo ſenſu, quia omnis virtus moralis habet cauſaliter ponere medium inter exceſſum, & defectum in propria materia, ſiue exceſſus ille, & defectus pertineat ad duo vitia oppoſita, ſiue ad vnum tantùm. Probatur hoc aſſertum, nam in materia iuſtitiæ, quæ eſt virtus moralis, peccatum ſecundùm exceſſum, & defectum non pertinet ad duo vitia oppoſita, ſed ad eamdem ſpeciem. ergo non omnis virtus moralis formaliter, & eſſentialiter eſt habitus medius inter duo vitia oppoſita. Probatur antecedens. nam vno, & eodem peccato furti, quis peccat per exceſſum, & defectum contra iuſtitiam commutatiuam: per exceſſum, quia violat medium illius ſibi plus per furtum retinendo, & per defectum minus alteri relinquendo, ſurripiendo bona illius; ſed hoc eſt vnum, & idem peccatum. ergo peccatum ſecundùm exceſſum, & defectum contra iuſtitiam commutatiuam, non pertinet ad duo vitia oppoſita. Sat eſt igitur, vniuerſaliter loquendo, quòd contra medium virtutis moralis contingat per exceſſum, & defectum peccare ſiue ſimul, ſiue ſeparatim, ſiue vno, ſiue pluribus vitiis. Ita præclarè Caietanus *2. 2. quæſt. 64. art. 4.* Sed vt directè, & clarè reſpondeamus quæſito,

Dvbitatio XXVII.

XXX. *An virginitas naturalis deperdita per actum turpem abſque ſeminis reſolutione, poſſit reſtitui de potentia Dei abſoluta?*

Dico quadrageſimoſecũdò. Integritas naturalis carnis, quæ eſt naturalis virginitas deperdita per actum turpẽ abſque ſeminis reſolutione, licèt naturaliter nõ poſſit reſtitui, tamen Deus ſua potentia poteſt illam mulieri reſtituere, quia ad eſſentiam virginitatis, vt eſt naturalis integritas carnis, non pertinet, quòd aliquod peccatum non præceſſerit, ſed quòd ſit aliquod poſitiuum naturale in corpore; ſed hoc poſitiuum poteſt Deus ſua potentia reſtituere. ergo, &c. Maior patet. Probatur minor. nam Deus ſua omnipotentia poteſt idem numero corruptum reproducere. ergò poterit etiam illam integritatem naturalem carnis in fœmina reſtituere. Videatur Nugnus *tom. 2. in 3. p. q. 89. art. 3. diffic. vnic. §. ad primũ argument. verſ. ſecundò reſpondetur.*

Dico quadrageſimotertiò. Præcedens aſſertum non pugnat contra noſtram aſſertionem nonam; neque contra id quod aſſerit D. Hieronymus *epiſtola* 22. quæ eſt ad Euſtochium *de cuſtodia virginitatis*, Audenter loquar cùm omnia poſſit Deus, ſuſcitare virginem non poteſt poſt ruinam: valet quidem liberare de pœna, ſed non vult coronare corruptam. loquitur enim D. Hieronymus, & nos *in aſſertione nona* loquuti ſumus, de virginitate, vt eſt virtus; quæ ita deperditur per voluntariam ſeminis reſolutionem, quod per diuinam omnipotentiam recuperari nequeat: nam virginitas, vt eſt virtus, neceſſariò connotat negationem peccati, vel actus matrimonialis, quo delectatio venerea in ſeminis reſolutione ſentitur, ſed fieri non poteſt, quòd actus ille præteritus non fuerit, ad præteritum enim nulla eſt potentia. ergo virginitas vt eſt virtus deperdita per ſeminis deciſionem recuperari nequit: tum, quia miraculosè fieri non poteſt, vt qui expertus eſt voluptatem veneream in ſeminis deciſione, fiat non expertus: ſed virginitas, vt eſt virtus, dicit negationem experientiæ ſeminatiæ delectationis. ergo, &c. Ita præclarè S. Thom. *2. 2. quæſt. 152. art. 3. ad tertium.*

Dvbitatio XXVIII.

XXXI. *An virginitas amiſſa ſolùm per conſenſum in rem veneream, ſit recuperabilis per affectum contrarium?*

Dico quadrageſimoquartò, virginitas, vt eſt amiſſa ſolùm per conſenſum in rem veneream, ſine opere ſubſequuto, amittitur quidem, recuperabiliter tamen per pœnitentiam, ſiue per affectum contrarium: nam materiale virtutis virginitatis per ſolum conſenſum in rem veneream ſine opere ſubſequuto, & ſine ſeminis deciſione non deperditur, per pœnitentiam reſtituitur, quod eſt formale in virginitate, nimirum propoſitum ſeruandi ſe immunem ab omni delectatione venerea. ergo mente ſolùm amittens virginitatem, illam amittit recuperabiliter per pœnitentiam. Syl. *verb. virginitas quæſt. 2.* Azor. *p. 3. lib. 3. inſt. mor. c. 2. diffic. 5.*

Dvbitatio XXIX.

XXXII. *An virgo cognita violenter ſi pareret, deberet dici virgo?*

Dico quadrageſimoquintò, ſi virgo in vigilia vim patiatur ab homine, etiamſi delectationem naturalem

ſentiat

ſentiat, dummodo tamen non conſentiat, ſed reſiſtat, virginitatis virturem, meritum & præmium aureolæ debitum virginibus non amitteret, etiamſi pareret, & integritatem naturalem virginalem corporis perderet. Nec mirum, ſi virgo pariret, & fœcunda diceretur: quia maneret virgo moraliter, & haberet virginitatem, vt eſt virtus, etiamſi naturaliter grauida & corrupta ſit, vtpotè violenter oppreſſa, ſicut Lucia Beatiſſima Paſchaſio Tyranno dixiſſe fertur, Si inuitam me violari feceris, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam. Ita ex S. Thom. 2. 2. *quæſt.64.art.5. ad* 3. Caietano 2.2.*quæſt.152.art.1.dub.2. ad quartum.*

Dvbitatio XXX.

XXXIII. *An virgo ſe ipſam polluens, vel cum alia muliere, committat peccatum ſtupri?*

Dico quadrageſimoſextò, mulier virgo, quæ ſe ipſam polluendo veneream expetitur delectationem, etiamſi aliquo adminiculo, vel cum altera muliere per ſodomiam, vel quomodocumque ſine ſignaculi fractione procuret ſeminis deciſionem, licèt amittat virginitatem moraliter, & vt eſt virtus, irreparabiliter, tamen non peccat peccato ſtupri: quia ſine priuatione integritatis naturalis corporis, quam ſupponimus non amiſiſſe talem virginem, non committitur ſtuprum: committeret tamen longè maius, & grauius peccatum, ſcilicet peccatum mollitiei procuratæ, & contra naturam. Ita optimè Caiet. 2. 2. *quæſt.154.art.6.dub.*3.

Dvbitatio XXXI.

XXXIV. *An puellæ, quæ amiſerunt virginitatem poſſint conſecrari ab Epiſcopo?*

Dico quadrageſimoſeptimò, puellæ, quæ integritatem corporis virginalem habent, etiamſi per reſolutionem ſeminis voluntariam irreparabiliter virginitatem perdiderint, velari poſſunt, nimirum velo conſecrationis, quo ab Epiſcopo anno 25. ætatis accipitur, de quo eſt Canon Pij Papæ *cap. virgines* 15. & Gelaſij *cap. deuotis* 11. & Concilij Carthaginenſis III *cap.14.placuit,20.quæſt.*1. Quia huiuſmodi ſunt verè virgines ſecundùm ſtatum, licèt non ſecundùm virtutem, habent enim integritatem corporis virginalem; hæc enim tantùm deperditur per fractionem ſigilli virginalis; licèt non habeant virtutem virginitatis, quæ per deciſionem ſeminis voluntariam irrecuperabiliter amittitur; tum, quia licèt communis opinio doceat per voluntariam pollutionem perdi virginitatem irrecuperabiliter, intelligitur de virginitate, vt eſt virtus, non autem de ea quæ eſt ſtatus corporis integri: ſic Conradus noſter *tom.1. reſponſ.caſuum conſcientiæ, quæſt.* 260. *§.& hæc ſint dicta.* Azor.*lib.3.cap.12.part. 3. inſtit. moral. §. Altera difficultas*; contra Nauarrum *in ſumma cap.16. num.13.verſic. Interrogatus, fine.*

Dico quadrageſimooctauò, multò magis poteſt conſecrari ab Epiſcopo fœmina ſi ſolùm mente ſit corrupta per peccata luxuriæ interiora, nimirum per delectationes moroſas, aut voluntarios affectus luxurioſos etiam ſciente Epiſcopo talia peccata, quia hæc inſtitutio Eccleſiaſtica conſecrationis virginum facta eſt pro virginibus, quæ ſunt virgines integritate corporis virginali, non autem pro his, quæ ſunt virgines ſecundùm virtutem virginitatis. Sic Caietan.*verb.Virginum conſecratio*, Armill.*eodem verbo.*

Dvbitatio XXXII.

XXXV. *An puella etiamſi ſit occultè corrupta, poſſit ab Epiſcopo conſecrari?*

Dico quadrageſimononò, puella corrupta per voluntariam clauſtri virginalis violationem, etiam occultè, non poteſt velari velo conſecrationis, etiamſi ſit corrupta diſſentiens, ſi tamen corruptio conſtat, non poteſt licitè conſecrari. quia eſt Eccleſiaſtica inſtitutio, vt prædictum velum non detur niſi virginibus habentibus integritatem virginalem: imò corrupta violenter etiam occultè licitè non poteſt petere, & ſuſcipere velum conſecrationis: licèt virtutem virginitatis, & aureolam non perdat; quia difficile eſt tunc ita voluntatem reniti, vt aliquem conſenſum non eliciat. ergo cùm tunc de pleno diſſenſu conſtare non poſſit, Eccleſiæ ſtatutum eſt, vt humiliter à conſecratione abſtineat. Ita præclarè S.Doctor *in 4.diſt.38. quæſt.1. art.* 5. præcipuè *ſolutione ad* 4. Syl.*verb.Conſecratio, quæſt.*2.

Dvbitatio XXXIII.

XXXVI. *An puella corrupta, petens velum conſecrationis, peccet mortaliter?*

Dico quinquageſimò, fœmina carne corrupta ſpontè ſua petens, & procurans velum conſecrationis, peccat mortaliter; quia ſpontè ſua petit, & exigit ſibi indebitum, quod ab Eccleſia eſt pro virginibus conſtitutum: tum, quia facit iniuriam actionibus ſacramentalibus Eccleſiæ, in quibus non debet interuenire fictio, ſicut nec in ſacramentis. ergo peccatum eſt lethale, ſi fœmina carne corrupta, non habens integritatem corporis virginalem, ſuſciperet ſpontè velum conſecrationis, faceret enim iniuriam in re graui Eccleſiæ, ſcilicet ſacramentalibus: videatur D. Thom. nouiſſimè adductus, Conradus noſter *tom. 1. caſuum, quæſt.260.in principio.*

Dico quinquageſimoprimò, idem dicendum eſſe de parentibus, qui conſcij corruptionis filiæ, illam offerunt, vt velum conſecrationis accipiat; Idem de Epiſcopo, ſi publicè corruptam velo conſecrationis donauerit: quòd ſi ſecretò ſciat corruptionem puellæ, alioquin occultam, licitè poteſt tunc Prælatus ei velum conſecrationis concedere, cùm publicè velum petitur; quia aliàs ſequeretur magnum ſcandalum, & infamia puellæ. Sic Syl.*verb.Conſecratio, quæſt.2 verſic. Notandum.*

Dico quinquageſimoſecundò, quando puella corrupta, ſolùm permittit ſibi velum conſecrationis dari, & eius corruptio eſt occulta, & parentes ignari corruptionis procurant, & vrgent, aut aliquo modo cogunt, vt fiat Monialis, & ea aliter ſe commodè excuſare non poteſt, niſi delictum ſuum prodat, tunc non peccat id permittendo ob vitandum ſcandalum, & infamiam ſuam probabilem: quia inſtituta Eccleſiaſtica non obligant cum tanto incommodo, ſic Sylu. cum Paludano *vbi ſuprà.*

Dvbitatio XXXIV.

XXXVII. *An velum profeſſionis nigrum poſſit dari non virgini abſque peccato?*

Dico quinquageſimotertiò, velum tamen nigrum profeſſionis, quod confertur Monialibus Ordinum

Mendicantium poſt annum expletum probationis, quando emittunt profeſſionem; ſi alicui mulieri detur, quæ non eſt verè virgo, non erit peccatum lethale. quia tale velum nigrum profeſſionis omnes profeſſæ, ſiue virgines, ſiue viduæ portant: tum, quia eſt Eccleſiaſtica inſtitutio, vt velum conſecrationis nō detur niſi ſolis virginibus, & quòd à ſolo Epiſcopo detur, qui non poteſt alteri cōmittere hanc facultatem, velandi ſcilicet virgines velo conſecrationis, qui non ſit Epiſcopus: velum autem nigrum profeſſionis à Prælatis non conſecratis confertur & virginibus, & viduis. ergo peccatum lethale eſt conferre illud non virginibus, non autem eſt mortale velum profeſſionis dare non virginibus: videatur Conradus noſter *tom. 1. caſuum. quæſt. 160. in additione.* Leſſius *lib. 4. de iuſtitia dub. 16. §. Vnde tali modo, verſic. Secus de velo profeſſionis.*

Dvbitatio XXXV.

XXXVIII. *An ducens puellam violenter ab alio defloratam, ſit irregularis?*

Dico quinquageſimoquartò, qui virginem violenter defloratam ab alio duceret in vxorem, licèt hæc, ſi penitus ſuæ deflorationi non conſentit, haberet interiùs virtutem virginitatis, eſſet tamen hic irregularis ex defectu ſacramenti; quia in ſignificationibus ſacramentorum magis attenditur quod exteriùs geritur, quàm quod interiùs ſit. ergo irregularitas, quæ ex defectu ſignificationis in ſacramento cauſatur, induceretur in illum, qui virginem defloratam violenter non habentem integritatem corporis virginalem duceret in vxorem: licèt hæc interiùs eſſet virgo per virtutem virginitatis, non tamen exteriùs eſſet virgo; quia corrupta, etiamſi per violentiam amiſit integritatem corporis virginalem: ſic optimè S. Doctor *in 4. diſt. 33. quæſt. 3. art. 1. ad ſeptimum.*

XXXIX. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicatur aſſertum quadrageſimumquartum.*

Ad rationem in principio poſitam, reſpondetur probare noſtram quadrageſimamquartam aſſertionē, virginitatem ſcilicet, vt eſt virtus, amiſſam ſolùm per conſenſum in rem veneream, ſine opere ſubſequuto deperdi quidem, recuperabiliter tamen per pœnitentiam, ſiue per affectum contrarium, nimirum per propoſitum ſeruandi ſe perpetuò immunem ab omni delectatione venerea. Cæterùm irrecuperabiliter amittitur virginitas, quando per copulam carnalem, & per voluntariam ſeminis deciſionem deperditur. quia licèt formale virtutis virginitatis ſit propoſitum ſeruandi perpetuò ſe immunem ab omni delectatione venerea, tamen hoc propoſitum connotat, & ſupponit neceſſariò integritatem corporis virginalem, ſeu incorruptionem corporalem, quæ ſi voluntariè deperdatur per copulam carnalem, ſiue per ſeminis deciſionem procuratam, & volitam, ſolùm illud propoſitum perpetuò ſe immunem ſeruandi ab omni venerea delectatione, non erit ſufficiens ad conſtituendam eſſentiam virtutis virginitatis: vtrumque enim requiritur ad eſſentiam virginitatis, vt eſt virtus, & propoſitum perpetuò, &c. Et priuatio corruptionis corporalis per copulam carnalem voluntariam, ſeu per ſeminis reſolutionem volitam. Saluo ſemper in omnibus meliori iudicio.

Articvlvs XLVI.

Quomodo opera meritoria, per peccatum mortificata, per pœnitentiam poſtea reuiuiſcant?

Svmmarivm.

1. *Probatur, opera meritoria non reſurgere, quoad maiorem gloriam eſſentialem.*
2. *Quomodo eadem gratia poſſit eſſe maior alterâ in eſſe gratiæ, & acceptationis ad gloriam, & minor in eſſe habitus & qualitatis.*
3. *Quomodo opera mortificata reuiuiſcant per pœnitentiam.*
4. *Dubitatio reſoluitur, & explicatur, An gratia & charitas, ne dum reuiuiſcant per pœnitentiam in eſſe habitus, ſed etiam in eſſe gratiæ & charitatis.*
5. *An opera meritoria, per peccatum mortificata, reuiuiſcant, quoad præmium eſſentiale.*
6. *An opera mortificata reuiuiſcant, quoad totum præmium eſſentiale.*
7. *An pœnitens reſurgens per pœnitentiam ſemper reſurgat in maiori gratia in eſſe gratiæ & acceptationis ad gloriam, quam habebat, antequam mortaliter peccaret.*
8. *Quomodo quoad multitudinem, opera mortificata etiam reuiuiſcant per pœnitentiam.*
9. *An per actus ſubſequentes, contritionis, & charitatis, magis, ac magis opera omnia mortificata reuiuiſcant, quoad vſque in integrum reſtituantur.*
10. *An ſit probabile opera mortificata reſurgere, quoad omnem gradum meriti, quod antea habebant.*
11. *An contingat quòd homo reſurgat per pœnitentiam in maiori gratia, ne dum in eſſe gratiæ, ſed etiam in eſſe habitus, & qualitatis.*
12. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in quinta aſſertione.*

I. *Probatur, opera meritoria non reſurgere quoad maiorem gloriam eſſentialem.*

Videtur opera meritoria per peccatum mortificata, per pœnitentiam ita reuiuiſcere, vt non correſpondeat illis noua gloria eſſentialis diſtincta ab ea, quę dabitur pro contritione, per quam homo reſurgit, ſed eadem gloria reſpondebit omnibus precedentibus meritis nouo titulo, & ſolùm erit maior illa gloria in ratione præmij, & noua gloria accidentalis. Probatur auctoritate S.Th. 3. *p. q. 89. art. 5. ad* 3. vbi ait quòd ille, qui per pœnitentiam reſurgit in maiori charitate, cōſequitur quidem pręmium eſſentiale, ſecundùm quantitatem charitatis in qua inuenitur; habebit tamen maius gaudium de operibus in prima charitate factis, quàm de operibus, quæ in ſecunda fecit, quod pertinet ad præmium accidentale. ergo ſecundùm D.Th. non datur nouum præmium eſſentiale propter præcedentia opera viuificata per pœnitentiam, ſed ſolùm accidentale; ita tamen, quòd idem gradus gloriæ eſſentialis detur nouo titulo, & ita hanc ſententiam tenet Magiſter Bannes *2. 2. q. 24. art. 6. dub. 6.*

Dvbitatio I.

II. *Quomodo eadem gratia poſſit eſſe maior alterá in eſſe gratiæ, & acceptationis ad gloriam, & minor in eſſe habitus & qualitatis?*

Dico primò, habitum gratiæ, & charitatis dupliciter

ter conſiderari poſſe, in eſſe gratiæ charitatis, & in eſſe habitus, & qualitatis, & illæ conſiderationes gratiæ ita ſe habent quòd in eadem gratia vna poteſt eſſe maior aliâ: vnde poteſt eſſe, quòd vna, & eadem gratia in eſſe habitus, & qualitatis in eſſe entis ſit intenſa vt quinque, e. g. & in eſſe gratiæ, & in eſſe acceptationis ad gloriam ſit vt decem. Probatur à ſimili de gratia Chriſti, quæ in eſſe qualitatis, in eſſe entis eſt finita, & tamen in eſſe gratiæ ſecundùm propriam rationem gratiæ eſt infinita. ergo ſimiliter in nobis vna, & eadem gratia poterit contingere, quòd in eſſe qualitatis ſit intenſa vt quinque, & in eſſe gratiæ, in eſſe acceptationis ad gloriam ſit vt decem. Videatur pro hac diſtinctione S.Thomas *3.part.quæſt.7.art.11.ad tertium.*

Dvbitatio II.

III. *Quomodo opera mortificata reuiuiſcant per pœnitentiam?*

Dico ſecundò, opera mortificata reuiuiſcere per pœnitentiam, nihil aliud eſſe, quàm quòd ablato impedimento peccati, recuperent efficaciam perducendi ad vitam æternam hominem, quia ea produxit. Probatur, quia opera in charitate facta dicuntur mortificari, quatenus per ſubſequens peccatum mortale impediuntur ne perducant hominem ad vitam æternam. ergò illa reuiuiſcere eſt ablato impedimento peccati mortalis, recuperare efficaciam perducendi ad vitam æternam hominem, qui ea produxit: videatur D.Thom.3.*part.quæſt.*89.*art.*4.*&* 5.

IV. *Veritas aperitur, & explicatur*

Dvbitatio III.

An gratia, & charitas nedum reuiuiſcant per pœnitentiam in eſſe habitus, ſed etiam in eſſe gratiæ, & charitatis?

Dico tertiò, gratia, & charitas, quam homo habebat, & poſtea per culpam lethalem amiſit per ſubſequentem pœnitentiam, non reuiuiſcit in eſſe habitus, & qualitatis, ſed tantùm in eſſe gratiæ, & charitatis in eſſe moris, in eſſe meriti, & acceptationis ad gloriam: vt, ſi quis reſurgit per pœnitentiam cum contritione vt decem, dabitur ei gratia, & charitas vt decem, in eſſe qualitatis, & habitus; in eſſe verò meriti, & acceptationis ad gloriam, vt viginti: quia reſpectu gratiæ, quæ non reſurgit, ſed datur de nouo, ipſa contritio eſt phyſica diſpoſitio, vel ſe habet ad modum phyſicæ diſpoſitionis; reſpectu verò gratiæ, quæ reuiuiſcit, tantùm eſt diſpoſitio moralis. ergo altera confertur in eſſe phyſico in eſſe qualitatis, & habitus, altera verò in eſſe morali, & acceptationis ad gloriam. Ita benè conſiderauit Nugnus noſter *tom.2.in 3.part.quæſt.*89. *art.*5. §. *Tota ergo difficultas, fol.*153.*col.*2. *verſic. Ad ſecundum ergo negatur.*

Dico quartò, opera mortificata non ſolùm reuiuiſcunt quantum ad præmium, quod de condigno meruerunt ipſi operantes, ſed etiam quantum ad præmium quod de congruo meruerunt aliis, vt quando iuſtus meretur de congruo conuerſionem amici, & ſtatim peccat mortaliter, antequam amicus conuertatur, & poſtea agit pœnitentiam, meritum iſtud de congruo reuiuiſcit poſt pœnitentiam. Probatur, quia in his moralibus, quando reuiuiſcit fundamentum, reuiuiſcunt etiam omnia quæ fundantur in illo; ſed illud meritum de congruo fundatur in gratia, & bonis operibus hominis iuſti. ergo reuiuiſcit ſimul cum illis: quamuis alij, quos tacito nomine refert Nugnus nuperrimè relatus §. *Dubitari etiam poteſt, fol.*154.*col.*1. contrarium docuerit.

Dvbitatio IV.

V. *An opera meritoria per peccatum mortificata, reuiuiſcant quoad præmium eſſentiale?*

Dico quintò, præter gloriam, quæ correſpondet præſenti contritioni pœnitentis, debetur noua gloria eſſentialis ratione præcedentium meritorum, quæ per pœnitentiam reuiuiſcunt; & ſic opera meritoria per peccatum mortificata per pœnitentiam non ſolùm reuiuiſcunt ad præmium accidentale, id eſt, ad idem præmium diuerſis titulis debitum, ſed etiam ad diſtinctum præmium eſſentiale. Probatur. nam omnia opera meritoria mortificata verè reuiuiſcunt per pœnitentiam, vt eſt in confeſſo apud omnes. ergo recuperant efficaciam perducendi hominem ad gloriam eſſentialem, quàm meruerat per illa merita. Patet conſequentia; nam, vt dictum eſt *aſſertio* 2. hoc eſt opera mortificata reuiuiſcere; ergo præter ius ad gloriam, quod correſpondet præſenti contritioni, habet pœnitens ratione præcedentium meritorum ius ad vlteriorem gradum gloriæ eſſentialem: etenim per opera charitatis mortificata non meruit pœnitens illum gradum gloriæ, qui correſpondet præſenti contritioni, ſed aliud diſtinctum. Confirmatur. nam aliàs non ſaluaretur cum proprietate, quòd merita illa mortificata reuiuiſcerent ſaltem quoad præmium eſſentiale; ſi quidem nulla noua gloria eſſentialis illis correſponderet, ſed eadem gloria tantùm accidentaliter, & nouis titulis debita: quod videtur inconueniens. hoc aſſertum videtur eſſe apertè S.Thom. *in 3. diſt.*31. *quæſt.*1. *art.* 4. *quæſtiunc.*3. *ad ſecundum* vbi ait quòd pœnitentia omnia merita mortificata reſtituit, ſed non oportet, quòd æqualia: videatur ſapientiſſimus Magiſter meus Aluarez *lib.* 7. *de auxiliis, diſp.*61. *concl.*1.

Dvbitatio V.

VI. *An opera mortificata reuiuiſcant quoad totum præmium eſſentiale?*

Dico ſextò, opera tamen meritoria mortificata non reuiuiſcunt quoad totum præmium eſſentiale: itaque ſi Petrus ante peccatum mortale habuit merita vt centum, & poſtea reſurgit cum contritione vt decem, non datur ei gratia & charitas vt centum, & decem, nec eodem gradu conſequetur gloriam eſſentialem. Probatur. nam contritio, quando homo poſt peccatum conuertitur ad Deum, non eſt ſolùm diſpoſitio ad gratiam, qua homo iuſtificatur; ſed etiam eſt diſpoſitio vt opera mortificata reuiuiſcant. ergo reuiuiſcunt non ad totum præmium eſſentiale, ad quod per illa ius habebant; ſed iuxta quantitatem contritionis, quæ eſt diſpoſitio ad illorum reuiuiſcentiam. Patet conſequentia; nam, vt docet D. Thom. 3.*part. quæſt.* 89. *art.* 2. quantitas formæ intenſibilis & remiſſibilis menſurari debet ſecundùm quantitatem diſpoſitionis. ergo, &c. Hæc aſſertio eſt S.Thom. 3 *p. quæſt.*89.*art.*5.*ad tertium.*

Licèt Suarez in relectione de reuiuiſcentia *ſect.* 3. *num.*13.*& ſequentibus*, teneat quòd ſemper reuiuiſcunt opera mortificata meritoria quantum ad omnem intenſionem meriti, quam habebant antea: & hic, licet ni-

dam

dùm opinionem huius Doctoris, ſi quis habuit decem actus meritorios intenſos vt decem, & peccet mortaliter, & poſtea reſurgat contritione intenſa vt vnum, & ſtatim moriatur, conſequetur vnum gradum gloriæ, ratione præſentis contritionis, & ſimiliter omnem gloriam eſſentialem, quam antea meruit per decem illos actus, & habebit gloriã intenſam vt centum & vnum: ſed noſtrum aſſertum probabilius eſt propter rationem allatam, & quidem hic modus dicendi eſt probabilis, vt dicemus.

Dvbitatio VI.

VII. *An pœnitens reſurgens per pœnitentiam, ſemper reſurgat in maiori gratia in eſſe gratiæ & acceptationis ad gloriam, quam habebat antequam mortaliter peccaret?*

Dico ſeptimò, conſequenter ad aſſertionem præcedentem, licèt detur pœnitenti propter opera meritoria mortificata, quando per pœnitentiam reuiuiſcunt nouus gradus, & gloriæ, non tamen inde ſequitur quòd pœnitens ſemper reſurgat in maiori gratia, quàm habuerit ante peccatum: quia merita mortificata non ſemper reuiuiſcunt ſecundùm totum meritum, quod habebat. ergo non eſt neceſſe quòd pœnitens ſemper reſurgat in maiori gratia etiam in eſſe gratiæ, & in eſſe acceptationis ad gloriam, & cum maiori cumulo meritorum, quem habebat antequam mortaliter peccaret. Ita docet expreſsè D.Thom. *in 3. ſent. diſt. 35. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 3. & 3. part. quæſt. 89. art. 2.* vbi aſſerit quòd pœnitens quandoque reſurgit in maiori gratia, quàm priùs habebat, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori. ergo, &c.

Dvbitatio VII.

VIII. *Quomodo quoad multitudinem, opera mortificata etiam reuiuiſcant per pœnitentiam?*

Dico octauò, gradus gratiæ, qui datur propter præcedentia merita, non ſolùm eſt tantus, quantus datur nouus ratione præſentis contritionis; itaut ſi contritio ſit vt vnum, donatur vnus gradus nouus ratione ipſius, & alter propter merita præcedentia. quia non ſolùm habenda eſt ratio quantitatis, verùm & multitudinis magnitudiniſque meritorum, quæ fuerunt mortificata: nam reſurgenti per contritionem vt vnum, ratio expoſtulare videtur, vt plus gratiæ reſtituatur ſi à gratia vt decem ceciderat, quàm ſi à quinque dumtaxat cecidiſſet, qua enim ratione conſiderantur merita, debet multitudo, & magnitudo conſiderari. Ita Magiſter Sotus *in 4. diſt. 16. quæſt. 2. art. 2. §. Quòd ſi quæras.*

Dico nonò, opera meritoria mortificata reuiuiſcunt per pœnitentiam iuxta quantitatem præſentis contritionis, ſiue diſpoſitionis, per quam pœnitens reſurgit: itaque ſi quis ante peccatum habuit decem opera meritoria intenſa vt decem, vt cadat in peccatum mortale, & poſtea reſurgat contritione vt vnum, quodlibet opus reſurgit vt vnum, & manebit pœnitens cum merito vt vndecim. Probatur. nam contritio non ſolùm eſt diſpoſitio ad gratiam, quàm quam in præſenti recipit iuſtificatus, ſed etiam eſt diſpoſitio moralis vt merita mortificata reuiuiſcant. ergo reuiuiſcunt iuxta quantitatem illius. Ita Magiſter meus Aluarez *lib. 7. de auxilijs, diſp. 61. num. 6.*

Dvbitatio VIII.

IX. *An per actus ſubſequentes contritionis, & charitatis magis, ac magis opera omnia mortificata reuiuiſcant quoaduſque in integrum reſtituantur?*

Dico decimò, per actus ſubſequentes contritionis, & charitatis reuiuiſcunt magis, ac magis opera omnia meritoria mortificata, quouſque in integrum reſtituantur quoad omne meritum, quod antea habebant. quia pœnitens per pœnitentiam, & ſubſequẽtes actus contritionis, & charitatis antiquum ſtatum recuperat. ergo merita deperdita per peccatũ per ſubſequentes actus contritionis, & charitatis, ita recuperantur quoad vſque in integrum quoad omne ius ad vitam æternam reſtituantur: ſic docet Magiſter Sotus *in 4. diſt. 16. quæſt. 2. art. 2. §. Hanc igitur, & §. Suboriuntur.* Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 89. art. 5. §. Tota ergo diffic. verſic. Tertia ſententia media, fol. 151. & 152.*

Dvbitatio IX.

X. *An ſit probabile opera mortificata reſurgere, quoad omnem gradum meriti, quod antea habebant?*

Dico vndecimò probabiliter, etiamſi poteſt opera meritoria mortificata per peccatum reuiuiſcere per pœnitentiam, ſecundùm omnem gradum meriti, & omne ius ad gloriam, quod habuerunt ante peccatum; itaque ſi Caius ante peccatum mortale habuit merita vt quinquaginta, & poſtea per pœnitentiam reſurgit cum contritione vt quinque, dabitur ei gratia, & charitas vt 55. & in eodem gradu habebit ius ad gloriam, ita vt ſi ſtatim mereretur, conſequeretur gloriam intenſam vt quinquaginta quinque. Probatur. nam, vt expreſsè docet S.Doctor *3. p. q. 89. a. 5. in corp.* bona opera meritoria per ſubſequens peccatum non abolentur; nam ſic non poſſent magis reuiuiſcere, quàm peccata, ſed ſemper manent in acceptatione diuina, qui ea ad gratiam, & gloriam pro his conferendam, prout fuerat facta, acceptat: ita vt per peccatum tantùm impediatur, ne hunc effectum de facto habeãt. ergo ſublato peccato, integrè ſuum effectum habebant, quia nihil eſt amplius quod hunc impediat.

Ad hanc tamen rationem ſuſtinendo noſtrum ſextum aſſertum, reſpondetur quòd contritio, per quam pœnitens reſurgit, non ſolùm eſt remouens prohibẽs, ſed ſimul eſt etiam diſpoſitio menſurans quantitatem, in qua reſurgant merita mortificata; ſicut calor non ſolùm remouet duritiem, qua impeditur aqua frigore congelata, ne fluat, ſed etiam aquam diſponit, vt in toto reſoluatur, vel in parte: dixi tamen eſſe probabilem aſſertionem vndecimam; quia illam ſuſtinent aliqui DD. non pœnitendi, Medina *C. de pœnitentia, tract. 1. quæſt. 8. §. Eſt igitur,* Gabriel *in 4. diſt. 14. quæſt. 3. art. 3. dub. 3.* Suarez *relect. de reuiuiſcentia meritorum diſp. 2. ſect. 3.* Coninchus *diſp. 2. de effectu pœnitentiæ, dub. 20. num. 169.*

Dvbitatio X.

XI. *An contingat quòd homo reſurgat per pœnitentiam in maiori gratia ne dum in eſſe gratiæ, ſed etiam in eſſe habitus, & qualitatis?*

Dico duodecimò, ex dictis ſequitur contingere poſſe, vt pœnitens reſurgat per pœnitentiam in

maiori

maiori gratis in eſſe gratiæ, & in eſſe acceptationis ad gloriam eſſentialem, quam habuerit ante peccatum: nam ponamus qoòd pœnitens ante peccatum habuerit tantùm decem opers meritoris, ſingula intenſs vt vnom, reſurgat modò contritione magna intenſs vt 30. tune recuperat omnem gratiam, à quo eeciderat, nempè gratiam vt decem, & dstur ei gtatis vt 30. correſpondens præſenti contritioni. ergo babebit grariam in eſſe gratiæ, & in eſſe acceptationis ad glorism eſſentialem vt 40. ergo maiorem, &c.

Dico decimotertiò, non ſolùm pœnitens in caſu præcedentis aſſertionis habebit poſt pœnitentiam maiorem gratiam in eſſe gratiæ, & in eſſe acceptationis ad gloriam eſſentialem, ſed etiam in eſſe hsbitos, & qualitatis, quia cùm modò magno auxilio Dei efficaci prorumpst in actum cootritionis, vt 30. conſequitur gratiam, & chatitatem in eſſe qualitatis, & habitus vt 30. etenim conrritio intenſa vt 30. eſt diſpoſitio phyſica ad habendam gratiam, & charitatem intenſam vt 30. in eſſe qualitaris, & habitus, ſed ante peccatum non habebat pœnitens, de quo loquimur, gratiam, & charitatem ita intenſam in eſſe qualitatis, & habitus. ergo ne dum poſt pœnitentiam habebit msiotem gratism in eſſe rei, & in eſſe acceeptationis ad gloriam eſſentialem, ſed etiam in eſſe qualitatis, & habitus.

XII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in quinta aſſertione.*

Ad rationem in coottsrium, qoatenus militat contra quintam noſtram aſſertionem, reſpondetur quòd cùm merita præcedentia per peccarum mortale mortificata per pœnitentiam non ſemper reuiuiſcant, ſecundùm totum meritum, quod babebant priùs, ſed ſecundùm quantitatem contritionis, qua homo conuertitur; ideò meritis illis præcedentibus excedentibus talem contritionem, vt illam excedunt, ſolùm debetur præmiom accidentale. Cæterùm ſecundùm quantitarem præſentis conrritionis reuiuiſcit etiam præmium eſſentiale, vt probatum eſt *aſſertione* 5. Senſos igitur S. Thom. eſt in ills ſolutione ad tertium, quòd per pœnitentiam recipit quidem pœnitens reſpectu præcedenrium merirorum charitarem, & gratiam, & ios ad præmium eſſentiale, iuxta tsmen quantitatem contritionis qua modò conuertitur; nihilominus, quia tale ius ad præmium eſſentiale, & talis graria poteſt eſſe minor quàm illa, qoæ fuit ante peccatom; ideò pro illo exceſſo recipiet præmium accidentale, quoad vſque per ſubſequentes actus conrritionis, & charitaris fuerit ſufficienter diſpoſitus, vt totum ius, qood antè habebat ad præmium eſſentiale reſpecto præeedenrium meritorum acquirat. Reuiuiſcunt igitur merita mortificata per pœnitentiam ſecundùm illam psrtem, quæ correſpondet præſenti contritioni ad præmium eſſentiale. Sed ſecundùm exceſſum ſolùm debetur illis præmium accidentale, quooſque per ſubſequentes actus contritionis, & charitatis in integrum reſtituantur: videatur pro hac ſolutione Magiſter Sotus *in* 4. *diſt.* 16. *quæſt.* 2. *art.* 5. §. *Tertiò tandem arguitur*. Nugnus *tom.* 2. *in* 3. *part. q.* 89. *art.* 5. §. *Tota ergo difficultas*, *fol.* 152. *col. prima*, §. *Reſpondetur ergo*, *verſic. Et ſimiliter explicatur.*

ARTICVLVS XLVII.

An Sacerdos teneatur celare peccata, quæ ſub ſigillo confeſſionis nouit, & quo iure?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur quid ſit ſigillum confeſſionis, & quo iure ad illud teneatur Confeſſarius.*
3. *Explicatur quale peccatum ſit, ſecretum naturale reuelare.*
4. *Explicatur quæ ſit culpa lata, leuis, & leuiſſima.*
5. *An liceat reuelare ſecretum naturale, etiam iuramento firmatum.*
6. *An liceat reuelare ſecretum naturale, ſi eo non reuelato, damnum ſubſequeretur, quod diligentia humana impediri poſſet.*
7. *An ſecretum, quod vergit in damnum communitatis, vel alicuius particularis, teneamur ſeruare inter tormenta, & mortis periculum.*
8. *Titulo dubitationis reſpondetur, & explicatur, an in aliquo caſu liceat reuelare ſecretum confeſſionis.*
9. *An ſigillum confeſſionis ſit de iure diuino.*
10. *An Sacerdos poſſit, metu mortis, ſigillum confeſſionis aperire.*
11. *An ſigillum confeſſionis ſit de iure Eccleſiaſtico.*
12. *An Confeſſarius, reuelans tantùm vnum peccatum veniale, auditum in confeſſione, ne dum vnum, verùm etiam duo peccata mortalia committat.*
13. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, quomodo ſeruare ſigillum confeſſionis, non ſit contra charitatem boni communis, & Reipublicæ.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm ſi quis in confeſſione ſeit aliquem eſſe hæreticum, quem non poteſt inducere ad hoe, quòd deſiſtat à corruptione plebis, poteſt & debet talis Confeſſor confeſſionem reuelare. ergo ſaltem Confeſſarius poteſt in aliquo eaſu aperire ea, quæ nouit ſub ſigillo eonfeſſionis. Probarut anteeedens. nam bonum commune fidei, & communitaris præponderat bono famæ, & vitæ psrticularis perſonæ; ſed corruptio plebis in his, quæ pertinent ad fidem, eſt contra bonum commune Reipublicæ Chriſtianæ. ergo poteſt, & debet Confeſſor etiam cum diſpendio famæ, & vitæ pœnitentis reuelare eius confeſſionem, vt conſulat bono communi plebis, & Reipublicæ Chriſtisnæ.

DVBITATIO I.

II. *Quid ſit ſigillum confeſſionis, & quo iure ad illud teneatur Confeſſarius?*

Dico primò, ſigillum confeſſionis eſt obligatio, qoa Confeſſsrius tenetur ea reticere, quæ ſibi per confeſſionem manifeſtars fuerunt. quia ſicut ea, quæ in litteris ſigillo munitis continentor, non poſſunt legi, sliiſque manifeſtari; ita neque poſſunt verbis, aut ſignis, aut factis directè, vel indirectè msnifeſtari ea, quæ audita ſunt in confeſſione, vel aliqoo modo pertinent ad ipſam qoatenus eſt confeſſiu.

Dico ſecundò, Confeſſarius tenetur iure naturæ ad ſigillum confeſſionis. quis ille, eui reuelsrum eſt aliquid

aliquid extra confeſſionem ſub ſecreto, tenetur iure naturæ ſecretum ſeruare, & violando ſecretum facit contra fidem datam, & tenetur ad reſtitutionem damni, quod ex iniuſta ſecreti manifeſtatione naſcitur. ergo multo magis Confeſſarius iure naturæ tenetur audita in confeſſione ſub ſecreto naturæ retinere. Ita Nugnus noſter *tom. 1. 3. part. quæſt. 11. art. 1. diffic. 1. §. Et ſic arguas, verſic. Tertia ratio eſt.* Ad maiorem intelligentiam eorum, quæ ſunt in iſta ſecunda aſſertione,

Dubitatio II.

III. *Quale peccatum ſit ſecretum naturale reuelare?*

Dico tertiò, quando ſecretum eſt parui momenti, & præceſſit promiſſio, vel obligatio celandi illud, tunc in detegendo tantùm committitur peccatum veniale. quia promiſſio in rebus paruis maiorem obligationem non imponit: ſi verò dubitatur an ſecretum ſit magni momenti, tunc detegere eſt peccatum mortale; quia in dubio nemo ſe debet exponere periculo peccandi lethaliter. Similiter ſi quis putat ſecretum eſſe parui momenti, ſed re vera eſt magni: tunc ſi negligentia, & inconſideratio fuit lata, eſt peccatum lethale. quia tenebatur, & poterat conſiderare; ſi verò fuit leuis, vel leuiſſima, erit tantùm veniale: videatur pro hoc aſſerto Caiet. 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 1. *in fine illius commenti.* Azor. 3. *part. inſtit. moral. lib.* 13. *dub.* 5. *cap.* 13. Sed vt explicentur termini in hoc aſſerto poſiti,

Dubitatio III.

IV. *Quæ ſit culpa lata, leuis, & leuiſſima?*

Dico quartò, culpa ſimplex differt à dolo, quòd iſte ſcienter, & ſtudioſè fit; illa verò ignoranter, & negligenter: & ita eſt triplex, lata, leuis, & leuiſſima. Lata appellatur illa, qua quis deuiat ab ea diligentia, quam communiter adhibent homines eiuſdem profeſſionis in tali re, etiam qui parũ circumſpecti ſunt, e.g. ſcholaris librum ſibi accommodatum reliquit ex obliuione in ſedili lapideo plateæ, vel in limine domus, vbi ſtatim à tranſeuntibus fuit furto ſublatus, hæc obliuio, & negligentia dicitur lata, ſeu grauis: leuis dicitur illa deuiatio incircumſpecta à diligentia, quam communiter adhibent homines diligentes, & circumſpecti in ſimilibus rebus: vt ſi ille ſcholaris reliquit librum intra domum, ſeu cameram, oſtio aperto, eſt negligentia, & culpa leuis: leuiſſima verò culpa eſt incircumſpecta deuiatio à diligentia, quam homines plurimum diligentes, & maximè circumſpecti ſolent in ea re adhibere, qualis eſt eius, qui librum commodatum intra cubiculum reliquit, quod claue obſerauit, non tamen manu, an benè obſeratum, tentauit. Ita benè explicat Syl. *verb. Culpa, num.* 2.

Dubitatio IV.

V. *An liceat reuelare ſecretum naturale, etiam iuramento firmatum?*

Dico quintò, ſecretum nobis commiſſum, etiamſi iuramentum, vel promiſſio præceſſerit ſeruandi illud, ſi eſt in graue damnum Reipublicæ, vel innocentis, poſſumus, & tenemur detegere, quia fides data etiam iuramento nunquam intelligitur eſſe contra charitatem debitam alteri, vel eſſe contra legem diuinam, naturalem, vel humanam. tum, quia promiſſio, & iuramentum contra bonos mores non eſt obligatorium, iuxta illud, *in malè promiſſis reſcinde fidem.* Tum, quia nullum iuramentum promiſſorium cedens in damnum iniuſtum tertij, obligat: ergo talis tenetur illud ſecretum aperire, non ſecus, ac ſi non promiſiſſet. Ita optimè S. Doctor 1. 2. q. 70. *art.* 1. *ad* 2.

Dico ſextò, ſi ſecretum nobis commiſſum non cedit in damnum alterius, non poſſumus illud detegere Prælato, vel alteri maiori præcipienti. quia obedientia, & præceptum ſuperioris numquam intelligitur vim habere contra legem naturalem, & iuris naturæ eſt ſeruare ſecretum. ergo. Ita præclarè S. Thom. *loco* nouiſſimè *adducto, ſolutione ad ſecundum.* Syl. *verb. Teſtis, quæſt.* 8. *dicto* 2.

Dubitatio V.

VI. *An liceat reuelare ſecretum naturale ſi eo non reuelato damnum ſubſequeretur, quod diligentia humana impediri non poſſet?*

Dico ſeptimò, ſecretum nobis commiſſum, etiamſi vergat in damnum alterius, ſi firmiter, & certò credimus per noſtram priuatam diligentiam, damnum impediendum fore, non poſſumus licitè illud Prælato, vel iudici præcipienti detegere; imò tunc eſſet peccatum illud aperire. Probatur, quia in iſto caſu ius naturale ſeruare debemus, ſi quidem omne damnum, quod eſt ſecreto celato ſubſequuturum, nos priuatim commodè impedire poſſumus. ergo. Tum, quia eadem ratione in correctione fraterna procedimus: nam ſi priuatim monendo ſperamus commodè, & ſufficienter fratrem emendandum, non poſſumus licitè peccatum fratris Prælato detegere; ergo ſimiliter, &c. Ita benè Nauarrus *ſumma cap.* 18. *num.* 60.

Dubitatio VI.

VII. *An ſecretum quod vergit in damnum communitatis, vel alicuius particularis, teneamur ſeruare inter tormenta, & mortis periculum?*

Dico octauò, ſecretum quod vergit, ſi detegatur, in grauem perniciem communitatis, puta Reipublicæ, exercitus, &c. ſeruare tenemur, etiamſi tormenta pateremur, & mortis periculum ſubiremus. quia bonum commune ordine charitatis præferri debet vitæ corporali propriæ, & bono priuato: ſi verò ſolùm vergat in damnum priuati innocentis, tunc non tenetur quis celare ſecretum, ſi grauiter torqueatur, aut incurrat periculum mortis; quia non tenemur cum tanto noſtro detrimento impedire malum proximi. Azor. 3. *p. inſtit. mor. lib.* 13. *cap.* 31. *dubio* 9.

VIII. *Titulo dubitationis reſpondetur, & explicatur*

Dubitatio VII.

An in aliquo caſu liceat reuelare ſecretum confeſſionis?

Dico nonò, confeſſionis ſigillum numquam eſt reſerandum, præterquam in vnico tantùm caſu, nempè quando qui confeſſus eſt, ad hoc dederit facultatem; oportet tamen, quòd pœnitens verè confiteatur peccata ſua, non enim ſufficit dicere: Hoc tibi dico in confeſſione, etiamſi genibus flexis, & ſigno Crucis fronte ſignata, id faciat abſque propoſitu confitendi peccata,

peccata, & abſolutionem accipiendi. quia detectio non eſt ſacramentalis; vnde tale ſecretum non induceret maiorem obligationem, quàm alia ſecreta extra confeſſionem commiſſa: & ſic ſi eſſet contra bonum commune, vel in damnum immioens innocentis, poſſet abſque culpa aperiri in commodum communitatis, & in vtilitatem innocentis: videatur Caietan. 2. 2. *q.70.art.*1. Nauarr. *ſumm.c.8.n.2.& c.*18.*n.*55.

Dvbitatio VIII.

IX. *An ſigillum confeſſionis ſit de iure diuino?*

Dico decimò, Confeſſarius iure diuino tenetur ad ſigillum confeſſionis, eſt enim ſpeciale ius diuinum de ſigillo confeſſionis ratione finis, quia, qui finem præcipit, iubet & neceſſaria ad illum eundem finem; ſed confeſſio iure diuino eſt præcepta; ergo conſequenter & ſigillum confeſſionis iure diuino eſt præceptum. nam ſi hoc ſecretum non ſeruaretur, nemo eſſet, qui confiteretur: vnde S.D. 3.*p.in addit.q.*11.*art.*1. *in corp.* ait ſigillum ſecreti eſſe de neceſſitate confeſſionis, non quidem de ſubſtantia, & neceſſitate tanqoam materia, & forma, vt ſi Sacerdos reuelaret, redderet ſacramentum præcedens nullum, ſed ita vt naturæ ſacramenti Confeſſionis expediat hoc ſecretum, ob id quod dictum eſt, videatur D.Thom. *loco cit.*

Dico vndecimò, nec Pontifex, nec tota Eccleſia poteſt diſpenſare, vt ſigillum confeſſionis reueletur, non ſolùm de peccatis mortalibus, ſed etiam nec de venialibus: vnde ſi præciperetur Confeſſario à Rom. Pontifice, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, qoòd dicat ſi aliquid ſcit de tali peccato audito in confeſſione, non debet, nec poteſt illud aperire, nec tunc excommunicationem incurreret. quia Confeſſarius non eſt ſubiectus Romano Pontifici, niſi vt homo: peccata autem in confeſſione audita Confeſſarius non ſcit vt homo, ſed vt Deus. ergo, &c. Ita præclarè docet, & explicat S. Thom. nouiſſimè adductus ſolutione ad ſecundum argumeotum.

Dvbitatio IX.

X. *An Sacerdos poßit metu mortis ſigillum confeßionis aperire?*

Dico duodecimò, Sacerdos etiam metu mortis non poteſt frangere fidem ſigilli confeſſionis; imò potiùs teoetur ſubire mortem, quàm audita in confeſſione reuelare. quia multo maioris momenti eſt ſeruare ſigillum confeſſionis, quàm temporalis vita. ergo pro eius conſeruatione vita temporalis eſt exponenda. Probatur conſequentia. nam religio Chriſtiana maioris momenti eſt, quàm vita temporalis Confeſſarij; ſed ſublato ſigillo confeſſionis Religio Chriſtiana maximum damnum pateretur. ergo pro eius conſeruatione vita temporalis eſt exponenda. Maior eſt certa, eſt enim bonum commune diuinitus nobis datum. Minor verò probatur. nam ſi ſigillum confeſſionis in quocumque caſu non ſeruaretur, etiam cum periculo vitæ, præceptum ſacramenti eſſet intolerabile. ergo, &c. Videatur Sotus *in 4.diſt.18.q.4. art.5. §.non deſunt.* Conradus noſter *tom.1.caſuum q.*329.

Dvbitatio X.

XI. *An ſigillum confeßionis ſit de iure Eccleſiaſtico?*

Dico decimotertiò, non ſolùm iure naturæ, & diuino ad ſigillum coofeſſionis ſeruandum tenentur Cõfeſſarij, verùm etiam Eccleſiaſtico: nam *in cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnitentijs, & remiſſionibus*, ſtrictiſſimè præcipitur Confeſſariis ſacrum confeſſionis ſigillum ſub pœna comminatoria depoſitionis, & perpetuæ pœoitentiæ in arcto Monaſterio faciendæ: & antiquitus pœna peregrinationis iniungebatur frangenti ſigillum confeſſionis, quæ modò mutata eſt in pœnam perpetuæ reclusionis in Monaſterio: non tamen Sacerdos infringeos confeſſionis ſigillum incurrit irregularitatem: nam hæc non incurritur, niſi ſit in iure expreſſum; in iure verò nullibi eſt expreſſum, &c. Videatur Nugn. *tom.1. in 3.p.queſt.11.art.1.§.Circa iura, fol.341.col.1.*

Dvbitatio XI.

XII. *An Confeſſarius reuelans tantùm vnum peccatum veniale auditum in confeſsione, ne dum vnum, verùm etiam duo peccata mortalia committat?*

Dico decimoquartò, Confeſſor, qui perfringit confeſſionis ſigillum, duo lethalia peccata cõmittit, vnum contra iuſtitiam, quia facit pœnitenti graoem iniuriã: alterum contra Religionem, éſtque ſacrilegium cõtra rem ſacram, quia infert iniuriam ſacramento Pœnitẽtiæ, quod cum obligatione ſigilli à Deo inſtitutũ eſt: quæ duo grauia peccata committuntur, ne dum ſi deliberatè detegatur peccatum mortale, verùm, etiamſi peccatum veniale manifeſtetur, quia ex manifeſtatione cuiuſcumque culpæ in confeſſione auditæ grauia ſequuntur incommoda, & cõfeſſio reddi poteſt odioſa, & oneroſa. ergo non datur in hac re paruitas materiæ excuſans à culpa lethali, ſemper enim ex fractione ſigilli confeſſionis deterrerentur, & arcerentur fideles à ſacramento Pœnitentiæ. Ita benè Sotus *in 4. diſt.*18. *queſt.4.art.5.§. Atqui non ſolùm.*

XIII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

Dvbitatio XII.

Quomodo ſeruare ſigillum confeßionis non ſit contra charitatem boni communis, & Reipublicæ?

Ad rationem à principio poſitam reſpondetur, negando antecedens, & ad probationem negatur conſequentia, non enim ſigillum confeſſionis militat contra charitatem boni communis, & Reipublicæ Chriſtianæ. quia charitas non requirit quòd apponatur remedium peccato, & incommodo communi Reipublicæ, quod neſcitur: illud autem, quod ſub confeſſione ſcitur, eſt quaſi neſcitum, cùm illud Confeſſarius neſciat vt homo, ſed ſcit vt Deus: puta vt Miniſter Dei, qui illa peccata facta habet perinde, ac ſi nunquam fuiſſent facta. Sotus *in 4.diſt.18.q.4. a.5. §. Atqui in eodem loco, poſt 5. concluſionem.* Tamen aliquod remedium in conſimilibus caſibus debet Confeſſarius adhibere, ſicut admonendo eos, qui confitentur, & aliis diligentiam apponendo ne corrumpantur per hæreſim. Ita optimè S.D. 3.*p.in additionib.q.*11.*art.*1.*ad* 1.*arg.*

Articvlvs XLVIII.

An ſigillum confeſſionis ſe extendat ad alia, quàm ad ea, quæ ſunt de confeſſione?

Svmmarivm.

1. *Pars affirmatiua probatur.*

2. *An laicus, vel Clericus in minoribus, ſi recipiat ſecretum celandum, ſub ſigillo confeſſionis, ſigillum confeſſionis violet, ſi illud reuelet.*
3. *Explicatur magis, quomodo ſecretum naturale, cedens in damnum iniuſtum, priuata perſona, vel communitatis, ſit ſeruandum.*
4. *An fingens ſe Sacerdotem, ſi audiat confeſſionem, teneatur ad ſigillum confeſſionis.*
5. *An Sacerdos non expoſitus, audient confeſſionem pœnitentis, animo petendi iuriſdictionem, ſi poſtea non petat, nec abſoluat, teneatur ad ſigillum confeſſionis.*
6. *An Confeſſarius, ſi aliquid ex auditis in confeſſione, dubitet eſſe reuelatum per ordinem ad confeſſionem, illud dubium ſub ſigillo ſeruare teneatur.*
7. *An Confeſſarius non abſoluens pœnitentem, ob aliquam iuſtam cauſam, teneatur ad ſigillum confeſſionis.*
8. *An Confeſſarius teneatur ad ſigillum confeſſionis, quando pœnitens, propoſitum committendi aliquod peccatum, eidem, per modum accuſationis coram Deo manifeſtat.*
9. *An Parochus, audiens in Confeſſione impedimentum dirimens matrimoniū, teneatur ſub ſigillo retiere.*
10. *Explicatur quomodo ſub ſecreto confeſſionis ſint reticenda tum peccata venialia, tum mortalia; & etiam id quod peccatum non eſt, auditum tamen in confeſſione.*
11. *An ſigillum confeſſionis obliget, ſi eadem quæ audiuntur in confeſſione, alia via ſciantur.*
12. *An ſigillum confeſſionis obliget ad non reuelandas virtutes pœnitentis.*
13. *Titulo dubitationis reſpondetur.*
14. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur, quæ dicuntur in prima & ſecunda aſſertione.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

SÆpe contingit homines dicere aliis non Sacerdotibus aliquod ſecretum ſub ſigillo confeſſionis, & iſti recipiunt ſibi communicatum ſub eodem ſigillo. ergo ſigillum confeſſionis ſe extendit ad illa, quæ non ſunt de confeſſione.

Dvbitatio I.

II. *An laicus, vel Clericus in minoribus, ſi recipiat ſecretum celandum ſub ſigillo confeſſionis, ſigillum confeſſionis violet, ſi illud reuelet?*

Dico primò, non oritur obligatio ſigilli confeſſionis, quando quis ſcienter manifeſtat laico, vel Clerico, quem manifeſtans nouit non eſſe Sacerdotem, ſua peccata, vel aliquid aliud, etiamſi credat ex tali manifeſtatione oriri obligationem ſigilli confeſſionis, etiamſi dicat, Hoc tibi dico ſub ſigillo confeſſionis, non tamen propterea eſt ſigillum confeſſionis, ſed ſigillum ſecreti humani, etiamſi alter affirmet ſe illud recipere ſub ſigillo confeſſionis. quoniam quidquid ambo dicant, numquam talis manifeſtatio eſt confeſſio ſacramentalis. Ita benè Magiſter Sotus *in 4. diſt.* 18. *q.4 art.5. concl.5*. Nugnus noſter *tom.2. in 3.p.q.11. art.1. diffic.1.§. Notandum eſt circa iſtam ſolutionem.* Caiet. 2.2. *q.70. art.1. verſ. in reſponſione circa ſolutionem ad ſecundum.*

Dico ſecundò, ſi quis aliquid Sacerdoti dicat genibus flexis, præmittendo etiam confeſſionem generalem, ſi id duntaxat faciat cauſa detegendi illud ſecretum, non exurgit inde vinculum ſacri ſigilli confeſſionis. quia illud ſecretum ſæpè non eſt peccatum, tum quia licèt ſit peccatum, cùm alia taceat non fit intentione confeſſionis faciendæ, ſed commendandi illud ſecretum. ergo ſub ſigillo, & ſecreto naturali illud tenetur ſeruare, non autem ſub ſacro ſigillo confeſſionis; imò Paludanus *in 4. diſt.* 22. *q.* 2. arbitratur iniuriam erogari ſacramento, ſi quis vel tradit, vel recipit aliquid extra ſacramentum ſub tam arcto ſigillo, ac ſi eſſet ſacramentum. Cæterùm Sotus *loc. cit.* excuſat iſtos à peccato irreuerentiæ, quia benè homines intelligunt non tantam inde exurgere obligationem, quantam ex confeſſione.

Dvbitatio II.

III. *Explicatur magis quomodo ſecretum naturale cedens in damnum iniuſtum priuatæ perſonæ, vel communitatis, ſit ſeruandum?*

Dico tertiò, in his duobus caſibus præcedentibus ſolùm oritur obligatio ſeruandi ſecretum naturale, vt dixi. vnde vocatus ad iudicium, & interrogatus à iudice, poteſt, imò tenetur detegere crimen quod ipſe nouit, commendatum ſibi ſub ſigillo ſecreti, ſi crimen adhuc pendet in futurum, vel directè tendit contra commune bonum, vel contra vitam alicuius innocentis, quale eſt crimen hæreſis, vel læſæ maieſtatis, vel proditio patriæ, crimen latronum, vel piratarum. quia nullum ſecretum, vel etiam iuramentum promiſſorium cedens in damnum iniuſtum tertij, vel communitatis obligat: vt diximus cum S. Th. *dubio præcedenti, aſſertione* 5. ergo, &c. Videatur D. Thom. 2.2.q.70. *art.* 1. *ad* 2. Sotus *in lib. de ratione tegendi ſecretum, membro 2. quæſt.7. concluſ.4.*

Dico quartò, ſi verò crimen commendatum alicui ſub ſigillo ſecreto non pendet in futurum, & ſolùm inquiritur à iudice, vt puniatur delictum commiſſum, ne illud maneat impunitum; tunc vocatus ad iudicium, & interrogatus à iudice, non eſt obligatus ad illud detegendum, ſiue iudex procedat per accuſationem, vel denuntiationem, ſiue per inquiſitionem, quia tunc cùm occurrant duo præcepta, vnum eſt parere iudici legitimè interroganti: alterum ſeruare ſecretum nobis iure naturali commiſſum, id quod maius eſt ſeruare debet, & ceſſat quod minus eſt. ſed maius vinculum eſt ſeruare ſecretum, quàm parere iudici legitimè interroganti. ergo, &c. Videatur S. Doctor *loc. cit.* Azor. 3.*p. inſt. mor. lib.* 13. *c.*28. *dub.*2.§. *In his igitur.*

Dvbitatio III.

IV. *An fingens ſe Sacerdotem, ſi audiat confeſſionem, teneatur ad ſigillum confeſſionis?*

Dico quintò, qui ſe finxit Sacerdotem, & ob talem fictionem cauſa fuit, quòd pœnitens manifeſtauit ſua peccata, tenetur ad obligationem ſigilli. quia pœnitens manifeſtauit illi ſua peccata animo ſe excuſandi, & in ordine ad ſacramentalem confeſſionem. ergo tenetur, &c. Nam alioquin confeſſio redderetur odioſa, & ſic, qui per fraudem audit confeſſionem, tenetur celare illa peccata, etiam cum periculo propriæ vitæ, Sic benè Nugnus *tom.2. in 3. part. quæſt.* 11. *art.3. difficul. vnica, §. Ad ſecundum reſpondetur.*

Dico ſextò, à fortiori tenetur ad ſeruandum ſigillum Sacerdos, qui non eſt expoſitus, & pœnitens confitetur ei, exiſtimans quòd habet iuriſdictionem, quia licèt reuera confeſſio hæc non ſit ſacramentalis, tamen quantum eſt ex parte pœnitentis, eſt ſacramentalis. ergo ſi laicus audiens furtiuè alterius confeſſionem, tenetur ad ſacrum ſigillum ſeruandum; à fortiori Sacerdos, qui non eſt expoſitus, ſi audit confeſſiones furtiuè, tenebitur eodem ſecreto. Paludanus *in 4. diſt.* 21. *quæſt.* 3. Adrianus *quæſt. vltima de confeſſione.*

Dvbitatio IV.

V. *An Sacerdos non expoſitus audiens confeſſionem pœnitentis, animo petendi iuriſdictionem, ſi poſtea non petat, nec abſoluat, teneatur ad ſigillum confeſſionis?*

Dico ſeptimò, ſi pœnitens ſcit Sacerdotem nullam habere iuriſdictionem, confitetur tamen ei, vt poſtea petat iuriſdictionem antequam abſoluat; talis Sacerdos tenetur ad ſeruandum ſigillum confeſſionis, etiāſi de facto non petatur iuriſdictio, neque ſequatur abſolutio. quia tunc eſt ſacramentalis confeſſio initiatiuè: tum, quia aliàs ſequeretur magnum detrimentum Sacramenti confeſſionis: ſic præclarè Nugnus noſter *tom. 2. in 3. q. 11. art. 1. diffic. 1. §. Sed quid dicendum.*

Dvbitatio V.

VI. *An Confeſſarius ſi aliquid ex auditis in confeſſione dubitet eſſe reuelatum, per ordinem ad confeſſionem, illud dubium ſub ſigillo ſeruare teneatur?*

Dico octauò, Confeſſarius tenetur etiam ad ſigillum confeſſionis, quando dubitat an aliquid ſibi reuelatum fuerit per ordinem ad confeſſionē. quia rationabiliter præſumendum eſt in fauorem confeſſionis, & pœnitentis, ne confeſſio fiat odioſa. Henriq. *lib. 6. de Pœnitentia ſacramento, cap. 19. num. 10 fine.*

Dvbitatio VI.

VII. *An Confeſſarius non abſoluens pœnitentem ob aliquam iuſtam cauſam, teneatur ad ſigillum confeſſionis?*

Dico nonò, Sacerdos tenetur obligatione ſigilli ad ea reticenda, quæ in confeſſione audiuit, etiamſi pœnitentem ob aliquem defectum non abſoluerit; nam illa audiuit per ordinem ad confeſſionem. Imò etiamſi pœnitens accedat ſine intentione obtinendi abſolutionem, & ſine diſpoſitione, dummodo habeat intentionem ſe accuſandi, vel ſe ſubiiciendi in illo foro prout poteſt, vel vt aliquo modo ſatisfaciat Eccleſiæ, vel vt aliquo modo curetur à Confeſſario, hoc ſufficit, vt Sacerdos obligetur ſigillo confeſſionis. quia hæc eſt quædam inchoata confeſſio. ergo, &c. Nugnus *tom. 2. in 3. part. q. 11. diffic. 1. fol. 343. col. 2. verſic. Non tamen eſt neceſſarium.*

Dvbitatio VII.

VIII. *An Confeſſarius teneatur ad ſigillum confeſſionis, quando pœnitens propoſitum committendi aliquod peccatum, per modum accuſationis coram Deo, manifeſtat?*

Dico decimò, quoties pœnitens propoſitum committendi aliquod peccatum Confeſſario manifeſtat animo ſe accuſandi, ſeu per modum accuſationis coram Deo, tunc illud propoſitum cadit ſub ſigillo confeſſionis. quia in ordine ad confeſſionem, & animo ſe accuſandi aperitur: ſecus autem quando pœnitens non animo ſe accuſandi, ſed potiùs peruertendi, & incitandi ad malum Confeſſarium: vnde quidam Cardinalis, teſte Magiſtro Soto, mulctatus fuit à ſummo Pontifice, eo quòd non manifeſtauerit conſpirationem in Pontificem, quam alter ipſi aperuerat in confeſſione, non intentione ſe accuſandi, ſed animo ipſum trahendi ad eamdem coniurationem. Ita Sotus *in 4. diſt. 18. q. 4. art. 5. Poſt quintam concluſionem. §. contra hanc autem ſolutionem.* Sanchez *lib. 3. de matrim. diſput. 13. num. 6. §. Quæ omnia.*

Dvbitatio VIII.

IX. *An Parochus audiens in confeſſione impedimentum dirimens matrimonium, teneatur ſub ſigillo reticere?*

Dico vndecimò, Parochus qui in confeſſione nouit aliquod impedimentum ad matrimonium contrahendum, tenetur huiuſmodi impedimentum ſub ſigillo confeſſionis reticere, conſequenter non poteſt pœnitenti matrimonium denegare quem in confeſſione nouit obſtrictum eſſe impedimento dirimente. quia redderetur confeſſio odioſa, & retraherentur homines ab ipſa, quod eueniret ſi noſſent ob peccata in confeſſione audita, poſſe illis negari matrimonium, aut alia ſacramenta. Sotus nuperrimè relatus poſt primam concluſionem. *§ Hinc fit quòd licèt Sacerdos.*

Dico duodecimò, ſi quis verò nouit inter volentes contrahere impedimentum, quantumuis ei ſub ſecreto committatur, extra tamen confeſſionis ſigillum, poteſt, & tenetur illud manifeſtare. quia ſecreto commiſſa, manifeſtanda ſunt, vbi vergunt in damnum publicum, aut tertiæ perſonæ, imminens in futurum, teſte D. Thom. 2. 2. *quæſt. 70. art. 1. ad ſecundum.* Sed hoc ſecretum eſt huiuſmodi, tendit enim in præiudicium, & damnationem æternam ipſius ſic cum impedimento contrahentis. ergo, &c. ſic benè Paludanus *in 4. diſt. 28. quæſt. 2. art. 5. in tertia pœna, num. 31. initio,* quem ſequitur Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 13. num. 6. verſic. Verùm dicendum eſt.*

Dvbitatio IX.

X. *Quomodo ſub ſecreto confeſſionis ſint reticenda tum peccata venialia, tum mortalia, & etiam id quod peccatum non eſt, auditum tamen in confeſſione?*

Dico decimotertiò, ſub obligatione ſecreti confeſſionis includuntur non ſolùm peccata mortalia, & venialia, verùm etiam eorum circumſtantiæ neceſſariò, vel voluntariè confeſſæ, & quodcumque aliud, quod licèt peccatum non ſit, eſt tamen tale, per quod detectum directè, vel indirectè, in genere, vel in ſpecie detegitur eum, qui Confeſſus eſt aliquod mortale, vel aliquod particulare veniale admiſiſſe, etiamſi leuiſſimum foret, & peccaret mortaliter Confeſſarius pœnitentis leuiſſimum peccatum veniale auditum in confeſſione reuelando. quia licèt peccatum veniale ſecundùm ſe ſit materia leuis, tamen eſt materia grauiſſima in ordine ad confeſſionem; nam ſtatim timebunt fideles, quòd reuelabuntur peccata mortalia, & ſic arcerentur à confeſſione ſacramentali: idque eſſet maximum inconueniens. Videatur Nauarr. *in ſumma c. 8. n. 10.* Nugnus *tom. 2. in 3. part. q. 11. art. 1. diffic. 1. §. Ad octauum argumentum.* Sotus *in 4. diſt. 18. q. 4. art. 5. poſt primam concluſionem. §. Antiqui non ſolùm.*

Dvbitatio X.

XI. *An ſigillum confeſſionis obliget ſi eadem, quæ audiuntur in confeſſione, alia via ſciantur?*

Dico decimoquartò, ſi Confeſſarius aliunde nouerat peccatum, quod audiuit in confeſſione, poteſt extra

confeſſionem de eo loqui eo modo, quo antea, ſine poſt confeſſionem illud nouerit: & ſic ſi alicui Confeſſario fur ſurripuit aliqua bona, poſtea confitetur eidem Confeſſori tale furtum: ſi Sacerdos ante, vel poſt confeſſionem nouerit talem furem ſurripuiſſe ſibi ſua bona, poteſt illum denunciare, modò non vtatur ſcientia confeſſionis, nec maiora adducat indicia ob auditam confeſſionem, neque oſtendat ſe illa ſcire in confeſſione. quia non tollitur cognitio, quæ habetur extra confeſſionem, ex eo quòd delictum cognoſcatur etiam in confeſſione. Ita D. Thom. 3. *p. in additionibus, q.* 11. *art.* 5.

Dubitatio XI.

XII. *An ſigillum confeſſionis obliget ad non reuelandas virtutes pœnitentis?*

Dico decimoquintò. Sacerdos ex vi ſigilli confeſſionis non tenetur ad occultanda bona, & virtutes pœnitentis, ſed ſolùm tenetur ex vi ſecreti naturalis iuxta intentionem pœnitentis. quia bona, & virtutes in confeſſione non manifeſtantur animo ſe accuſandi; tum, qui ex ipſorum manifeſtatione confeſſio non conſueuit effici odioſa: videatur Bonacina *tomo* 1. *de ſacramentis, diſp.* 5. *q.* 6. *punct.* 2. *num.* 12.

XIII. *Titulo dubitationis reſpondetur.*

Dico decimoſextò, ea igitur omnia cadunt ſub ſigillo confeſſionis, quæ manifeſtata ſunt Sacerdoti per ordinem ad confeſſionem ſacramentalem factam animo ſe accuſandi coram Deo. quia ex horum manifeſtatione Sacerdos cenſetur ſacrilegus ſigilli violator, & confeſſio redditur odioſa: ſecus dicendum eſt de his, quæ non ſunt manifeſtata per ordinem ad confeſſionem ſacramentalem; quia hæc obligatio eſt omnino propria reſpectu eorum, quæ in ordine ad confeſſionem ſacramentalem à Sacerdote percipiuntur: tum, quia non tenemur peccata noſtra alicui homini confiteri, niſi ſacram eatenus Sacerdoti. ergo quæcumque aliæ confeſſiones tam arcto ſacro ſigillo non muniuntur: tum, quia Chriſtus Dominus auctor ſacramentorum, cùm noa voluerit omnia peccata noſtra mortalia etiam ſecretiſſima in ſacramento Pœnitentiæ aperire, tam ſtrictè obligauit Sacerdotem ea habere ſecreta, ne hoc onus fuiſſet grauiſſimum. ergo ex inſtitutione Chriſti Domini hæc obligatio non ſe extendit ad ea, quæ non ſunt manifeſtata per ordinem ad confeſſionem ſacramentalem: ſufficit enim in aliis ſeruare naturale ſecretum: vnde

XIV. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur quæ dicuntur in prima, & ſecunda aſſertione.*

Ad rationem in contrarium à principio poſitam reſpondetur negando conſequentiam: nam quantumcumque dicat quis ſe ea, quæ dicit, dicere ſub ſigillo confeſſionis, & alter promittat ſe ea, quæ audit, ita accipere per talem confeſſionem, non inducitur obligatio ſigilli confeſſionis, ſi talis confeſſio nullo modo eſt ſacramentalis, nec ſit vllo modo ei cui Chriſtus Dominus nobis præcipit vt confiteamur, atque ita nullo modo à Chriſto Domino aut præcepta, aut inſtituta eſt: nec refert quòd aperiens, & confitens putet confeſſionem illam eſſe ſacramentalem, dum aliquid ſub ſigillo confeſſionis committit alteri, quod reuera non ordinatur ad confeſſionem ſacramentalem, & talem errorem ſibi imputet, quia obligatio ſacri ſigilli ſolùm eſt annexa confeſſioni ſacramentali à Chriſto Domino inſtitutæ, aut ei, quæ cum hac ita connexa eſt, vt ſine confeſſionis ſacramentalis iniuria, non poſſit illius ſecretum violari.

Articulus XLIX.

An ſolùm Sacerdos teneatur ad ſigillum confeſſionis?

Summarium.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur an audiens confitentem ſua peccata Confeſſario, teneatur ad ſigillum confeſſionis.*
3. *Dubitatio reſoluitur.*
4. *Quale peccatum committant reuelantes peccata in confeſſione audita.*
5. *An ſi pœnitens, ſua ſponte, coram alijs confiteatur, ne dum Confeſſarius, ſed etiam hi, ad ſigillum teneantur.*
6. *An is, cui reuelatur auditum in confeſſione, teneatur ad ſigillum eiuſdem.*
7. *An Superiores, dantes facultatem abſoluendi à reſeruatis, teneantur ad ſigillum confeſſionis.*
8. *An laicus, ſiue etiam Sacerdos, cui ab amico extra confeſſionem enarrantur propria peccata, teneatur ad ſigillum.*
9. *An inueniens caſu ſchedulam, in qua ſcripta ſint peccata alterius, teneatur ad ſigillum confeſſionis.*
10. *An iudex reperiens ſchedulam, in qua ſint ſcripta ſcelera alienius, poſſit de huiuſmodi ſceleribus inquirere.*
11. *An iudex poſſit punire delictum cognitum per reuelationem factam ex auditis in confeſſione.*
12. *Quid ſi Sacerdos, ex auditis in confeſſione, cognoſcat inſigne furtum, perpetrandum in nocte ſequenti, vel aliud malum, ſi aduertat iudices, vt vigilent, & inquirant, an ſcilicet operetur contra ſigillum confeſſionis.*
13. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur quæ dicta ſunt in tertia aſſertione.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm ſolus Sacerdos Miniſter eſt huius ſacramenti, ſed ſigillum confeſſionis eſt annexum huic ſacramento; ergo ſolus Sacerdos tenetur ad ſigillum confeſſionis.

Dubitatio I.

II. *An audiens confitentem ſua peccata Confeſſario teneatur ad ſigillum confeſſionis?*

Dico primò, non ſolùm Confeſſarius, de quo infrà *art.* 52. tenetur ad ſacrum ſigillum confeſſionis ſeruandum, ſed etiam hi omnes, qui ſiue caſu, ſiue ex malitia, ſiue ex neceſſitate confitentem ſua peccata audiunt; vt ſit quando pœnitens non poteſt confiteri, niſi aliqui ipſum audiant, aut quando neceſſariò adhibet interpretem: ſimiliter quando pœnitens confitetur alta voce, cùm aliter confiteri non poſſit, vt contingit in periculo naufragij; quia omnis iſtorum cognitio prouenit ex ſacramentali confeſſione, quatenus talis eſt: ſed omnis cognitio peccati habita ex confeſſione ſacramentali, quatenus talis eſt, clauditur ſub ſigillo confeſſionis; ergo omnes illi tenentur ad ſigillum. Tum, quia aliàs ſæpe oneroſiſſima redderetur confeſſio, cùm in multis caſibus fieri nequeat, ſine periculo, ne alij aliquid ex ea audiant, vt magno concurſu pœnitentium ſolet accidere; videatur D. Th. 3. *part. in addit. quæſt.* 11. *art.* 3. Nugnus *tom.* 2. *in* 3. *p. q.* 11. *art.* 1.

art. 1. diffic. 1. ad finem, in ſolut. 16. arg. Coninchus *diſp. 9. de ſigillo confeſſionis, dub. 3. num. 35.*

III. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico ſecundò, ſtrictiſſimè, & propriè ſolus Sacerdos tenetur ad ſigillum confeſſionis. quia ſigillum confeſſionis ſequitur clauem ſcientiæ auditorum in confeſſione, ſed ſolus Sacerdos poller claui ſcientiæ ad cognoſcendum peccatum in ſacramento Pœnitentiæ. ergo directè, propriè, & ſtrictiſſimè tenetur ſolus Confeſſarius ad ſeruandum ſigillum confeſſionis: tum, quia ſolis Confeſſariis, *c. omnis vtriuſque ſexus, de pœnitentijs. & remiſſionibus*, præcipitur ſtrictiſſimè ſacrum ſigillum ſeruandum ſub pœna comminatoria depoſitionis, & perpetuæ pœnitentiæ in arcto Monaſterio faciendæ: alij verò ordinarij iuris pœna non damnãtur, quamuis acriter ſint puniendi. ergo ſtrictiſſimè, directè, & propriè Sacerdos, &c. Ita optimè obſeruauit Sotus *in 4. diſt. 18. q. 2. art. 6. fine, & q. 4. art. 5. concl. 4.* Henriquez *lib. 6. de pœnitentia, c. 19. n. 9.*

Dico tertiò, alij verò enumerati *aſſertione* 1. propriè loquendo, directè, & ſtrictiſſimè ſigillum confeſſionis non habent, ſed indirectè, & reductiuè, tenentur ad ſigillum confeſſionis. quia ſicut participant aliquid de actu clauis, dum confeſſionem audiunt ſiue caſu, ſiue ex malitia, ſiue ea neceſſitate; ita etiam participant aliquid de actu ſigilli confeſſionis, & tenentur celare audita in confeſſione, quamuis, propriè loquendo, ſigillum confeſſionis non habeant. Ita præclarè S. Doctor *3. part. in addit. quæſt. 11. art. 3.*

Dubitatio II.

IV. *Quale peccatum committant reuelantes peccata in confeſſione audita?*

Dico quartò, habentes ſigillum confeſſionis, ſiue directè, & propriè vti Sacerdos, ſiue reductiuè, & indirectè, vt alij reuelantes audita in confeſſione, ne dum peccant contra virtutem fidelitatis, ſed etiam contra virtutem Religionis. quia tenentur celare audita in confeſſione iure naturæ, & quia faciunt iniuriam ſacramento Pœnitentiæ. ergo peccant contra virtutem fidelitatis, & contra virtutem Religionis. Ita Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. quæſt. 11. art. 3. diffic. vnica, §. Ad hoc dubium.*

Dubitatio III.

V. *An ſi pœnitens, ſua ſponte, coram alijs confiteatur, ne dum Confeſſarius, ſed etiam hi ad ſigillum teneantur?*

Dico quintò, quando pœnitens aliquis ſponte ſine vlla neceſſitate adhibet aliquos præter Confeſſarium, quibus audientibus confitetur, hi non obligantur ad ſigillum confeſſionis, neque directè, neque indirectè. quòd non teneantur directè, patet, quia ſolus Confeſſarius ſic ad ſigillum ſeruandum tenetur: quòd neq; etiã indirectè, & reductiuè, probatur, quia ea peccatorũ narratio eſt virtus duplex, quatenus dirigitur ad Confeſſarium eſt ſacramentalis, & conſequenter illum obligat ad ſigillum: quatenus autem dirigitur ad alios ſponte, & voluntariè, non eſt ſacramentalis. ergo neque etiam indirectè obligat iſtos ad ſigillum confeſſionis: ſecretò tamen naturali tenerẽtur celare, &c. licèt alij, quos tacito nomine refert Coninchus *diſp. 9. de ſigillo confeſſionis, dub. 3. n. 39.* aſſerant oppoſitum, teneri ſcilicet eum, quem pœnitens ſponte adhibet, vt ſe Sacerdoti confitentem audiat, vt hoc modo magis confundatur, vel ob aliam ſimilem cauſam, & quidem ſatis probabiliter propter reuerentiam ſacramenti, & hoc videtur in praxi communiter ſeruandum: vt docet Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 11. art. 1. in fine ſecunda difficult. §. Sed tunc eſt dubium, verſic. Idem dicendum eſt.*

Dico ſextò, hi verò, qui ea neceſſitate, vel caſu aliquo præter intentionem pœnitentis confeſſionem audiunt, tenentur indirectè ad ſigillum confeſſionis, vt diximus *aſſertione* 1. quia cùm tunc pœnitens ſuam confeſſionem ea ſua intentione dirigat ad Confeſſarium, ipſa narratio peccatorum ſolùm habet rationem confeſſionis ſacramẽtalis. ergo obligabit omnes alios indirectè, & reductiuè ad ſigillum confeſſionis: omnis enim cognitio peccatorum habita ea confeſſione ſacramentali, quatenus talis eſt, obligat ſub ſigillo: videatur Syl. *verb. Confeſſio 3. n. 1.* Coninchus *diſp. 9. de ſigillo confeſſionis, dub. 3. num. 46.*

Dubitatio IV.

VI. *An is, cui reuelatur auditum in confeſſione, teneatur ad ſigillum eiuſdem?*

Dico ſeptimò, is cui Confeſſarius ea venia pœnitentis audita in confeſſione legitimè reuelauit, tenetur etiam ſub ſigillo confeſſionis non reuelare manifeſtata ſaltem indirectè. quia talis cognitio proueniret ex ſola confeſſione ſacramentali. ergo clauditur ſub ſigillo. Et multo magis is tenebitur ad ſeruandum ſigillum, ſi Sacerdos ſine licentia pœnitentis reuelauit audita in confeſſione: vnde Papa iubente quòd reuelet, non tenetur obedire: ſic bene Syl. *verb. Confeſſ. 3. q. 1. verſic. Igitur ad hoc ſigillum.*

Dubitatio V.

VII. *An Superiores dantes facultatem abſoluendi à reſeruatis, teneantur ad ſigillum confeſſionis?*

Dico octauò, Superiores obligantur ad ſigillum, quibus Confeſſarius aliquid in confeſſione auditum aperuit, vt facultatem abſoluendi à reſeruatis obtineret. quia Superior in hac parte gerit vices Confeſſarij, cùm ad ipſum cauſa deferatur. Item & illi, quibus Confeſſores conſilij gratia aliquid auditum in confeſſione manifeſtantes, imprudenter manifeſtauerunt perſonam ipſius pœnitentis: quia res ad quemcumque perueniat, cum ſuo tranſit onere, *c. paſtoralis, de decimis.* Nugnus *tom. 2. in 3. p. q. 11. art. 1. dub. 2. verſic. de Conſiliario verò.* Viguerius *cap. 16. § 4. verſic. 20.*

Dico nonò, Superior verò rogatus, vt det veniam abſoluendi à caſu reſeruato, ſiue ipſemet pœnitens hanc per ſe petat, vt poſſit ab eo abſolui: ſiue ipſe Cõfeſſario extra confeſſionem dixit, vt eam facultatem peteret, ſolùm tunc ad naturale ſecretum ſeruandum, non autem ad ſigillum confeſſionis tenetur. quia in neutro caſu eſt vllo modo confeſſio ſacramentalis, ex qua tamen ſola ſacrum ſigillum oritur. Tum, quia hanc cognitionem non haberet tunc Superior ea auditis in confeſſione ſacramentali. ergo, &c. Videatur Coninchus *diſp. 9. de ſigillo confeſſionis, dub. 3. n. 47.*

Dico decimò, probabilius tamen mihi videtur dicendum Superiorem, à quo petitur facultas abſoluẽdi certam perſonam à caſibus reſeruatis, ſiue id fiat per pœnitẽtem, ſiue per Confeſſarium, ex venia pœnitentis teneri ad ſigillũ. quia licèt hæc cognitio directè nõ proueniat ea confeſſione ſacramentali, ad eã nihilominus dirigitur; tum, quia Superior à quo licentiam petit Cõfeſſor, aut reus pro caſu reſeruato, eſt perſona

confeſſioni neceſſaria, & aliquo modo eſt Confeſſor. ergo tenetur ad ſigillum confeſſionis, ne confeſſio fiat odioſa. Videatur Nugnus noſter *tom.2.in 3.p.q.11. art.1.diffic.1.ad finem,poſt ſolutionem ad 16.argument.verſ. deinde notandum eſt, quòd etiam ſuperior.* Henriquez *lib.6.de pœnit.cap.20.n.3.*

DVBITATIO VI.

VIII. *An laicus,ſiue etiam Sacerdos cui ab amico extra confeſſionem enarrantur propria peccata, teneatur ad ſigillum?*

Dico vndecimò, ſi aliquis bona fide alicui amico non Sacerdoti narrat aliqua ſua peccata, qua ratione ex poteſt à debeat confiteri; hæc narratio non obligat amicum ſæcularem conſultum ad ſigillum confeſſionis, ſed ad ſecretum naturale. quia talis Doctor ſecularis non eſt perſona confeſſioni neceſſaria. Tum, quia neſciret peccata ea confeſſione ſacramentali, quæ ſola obligat ad ſacrum ſigillum: tum, quia, etſi talis narratio ordinaretur ad confeſſionem ſacramentalem, tamen ſatis remotè, fit enim coram perſona ſacramentali confeſſioni non neceſſaria: quòd verò talis Doctor conſultus teneretur ſub ſecreto naturali celare audita in tali narratione, patet, faceret enim maximam iniuriam amico reuelanti, ſi aliis manifeſtata reuelaret: hoc aſſertum colligitur clarè ex Henriquez *lib. 6. de pœnitentia, cap. 20. num. 3. in commentario lit. S.*

DVBITATIO VII.

IX. *An inueniens caſu ſchedulam, in qua ſcripta ſint peccata alterius, teneatur ad ſigillum confeſſionis?*

Dico duodecimò, qui inuenit ſchedulam, ſeu ſcriptum, in quo aliquis ſua peccata ad memoriam ſuæ confeſſionis ſcripſerat, non adſtringitur ad ſigillum confeſſionis. quia obligatio ſigilli confeſſionis dependet ex inchoata confeſſione, & ex his, quæ pœnitens aperuit Confeſſario per ordinem ad confeſſionem animo ſe accuſandi: ſed notitia, quam quis habet de peccatis alienis, legendo ſchedulam inuentam, non habetur ex inchoata confeſſione, neque ex his, quæ pœnitens aperuit Confeſſario. ergo. Bonacina *tom.1. de ſacramentis, diſp.5.q.6.ſect.5.punct.3.n.7.*

Dico decimotertiò, teneretur tamen is ad ſecretum naturale, qui chartam reperit, in qua expreſſa erant alicuius peccata per ordinem ad confeſſionem. quia ius naturæ præcipit, vt ſecretum alterius, cuius reuelatio in dedecus, & damnum tertij vergeret, celemus. Sayr. *de pœnitentia, cap.16.n.11.* Nauarr. *ſumma, cap.18.n.34.*

Dico decimoquartò, imò qui ſcriptum inuenit, in quo peccata alicuius continentur, grauiter peccat, ſi aliquid in eo legat, poſtquam nouerit in eo contineri peccata. Nam grauem iniuriam infert pœnitenti inuito; ſicut etiam grauem iniuriam facit, qui alterius confeſſionem audit ipſo neſciente, tum, quia licèt fortè non inueniat notabiliter lædentia, dat tamen iuſtam lædendi cauſam, quod ſufficit ad grauem iniuriam inferendam: ſic bene adnotauit Nauarr. nuperrimè relatus; & *in c.Sacerdos, de pœnitentia, diſt.6.n.113.*

DVBITATIO VIII.

X. *An iudex reperiens ſchedulam in qua ſint ſcripta ſcelera alicuius, poſſit de huiuſmodi ſceleribus inquirere?*

Dico decimoquartò, iudex Eccleſiaſticus, ſiue ſecularis, qui legit repertam paginam, in qua deſcripta continebantur peccata pœnitentis, non poteſt de huiuſmodi peccatis inquirere ſi non vergunt in damnum publicum, vel in nocumentum tertiæ perſonæ imminens in futurum: ſed debet ea perpetuo ſilentio tegere. quia licèt non teneatur ad ſigillum confeſſionis, tamen tenetur ad ſecretum naturale: quod obligat quando lectum, vel auditum ſecreto naturæ celandum non cedit in commune damnum, vel in damnum innocentis imminens in futurum, vt docet S.Thom.2.2.*q.70.art.1.ad ſecundum.*

DVBITATIO IX.

XI. *An iudex poſſit punire delictum cognitum per reuelationem factam ex auditis in confeſſione?*

Dico decimoquintò, iudex ſiue laicus, ſiue Eccleſiaſticus, nequit punire delictum etiam grauiſſimum cognitum per iniquam reuelationem confeſſionis. quia cognitio in confeſſione habita cùm cenſeatur facta Sacerdoti vicem Dei gerenti, non debet humano iudicio deſeruire: tum, quia nimis conueniens eſt quòd tunc tale delictum maneat impunitum ne fideles à confeſſione facienda deterreantur. Dimittendus igitur erit, & abſoluendus, qui fuit accuſatus, & conuictus de crimine ob notitiam tantùm habitam ob fractionem ſigilli confeſſionis. Videatur Nugnus noſter *tom.2.in 3.p.quæſt.11.art.1.difficul.1.ſolutione ad 16. fol.346.col.1.*

Dico decimoſextò, conſequenter ad ea, quæ dicta ſunt, iudex ſæcularis, ſiue Eccleſiaſticus, qui bona fide incipit in aliqua cauſa procedere, cùm primùm certò ſciuerit, cognitionem ex ſola confeſſione ſacramentali fuiſſe certam, ceſſare debet, & facta omnia pro infectis habere. quia reuelatio, & notitia fuit iniquiſſima, & ſacrilega; ergo nullo pacto poteſt deſeruire ad inquiſitionem criminis, quodcumque ſit illud. ergo iudex ceſſare debet à tali inquiſitione cùm primùm, &c. Ita præclarè Sotus *in 4.diſt.18.q 4 art.5. fine.§.Et quod dictum eſt, verſ.imò verò.*

DVBITATIO X.

XII. *Quid ſi Sacerdos, ex auditis in confeſſione, cognoſcat inſigne furtum, perpetrandum in nocte ſequenti, vel aliud malum, ſi aduertat iudices, vt vigilent, & inquirant: an ſcil. operetur contra ſigillum confeſſionis?*

Dico decimoſeptimò, ſi Sacerdos ex auditis in confeſſione cognouerit inſigne furtum, aut incendium perpetrandum tali nocte in vrbe, & dixerit ſic iudicibus, Vigilate. quia fortaſſe aliqua detrimenta, & nocumenta accidere poſſunt, tunc iudex vigilare poteſt, & illi obuiare malo, & ſi nefarios tunc comprehenderit, iuxta qualitatem delicti poteſt illos punire, quia ſine aliqua deordinatione ſigilli confeſſionis factum fuit publicum illud delictum: non tamen liceret exprimere delictum ſi per id iudex in reorum notitiam venire poſſet. Sotus nuperrimè relatus, fine illius articuli.

XIII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur, quæ dicta ſunt in tertia aſſertione.*

Ad rationem à principio poſitam patet, quid dicendum ex ſecunda & tertia aſſertione, ſolum ſcilicet Sacerdotem teneri ad ſigillum confeſſionis

directè

directè, propriè, ſtrictiſſimè, & quaſi per eſſentiam, quia ipſe ſolus pollet claui ſcientiæ ad cognoſcenda peccata in ſacramento Pœnitentiæ: alij verò indirectè reductiuè, & per participationem, quatenus participant aliquid de actu clauis, dum confeſſionem audiunt, ſiue caſu, ſiue ea malitia, ſiue ex neceſſitate, vt dictum eſt in noſtris aſſertionibus. Ita apertè colligitur ex S. Thom. 3. *part in additionibus*, *quæſt.* 11. *art.* 3. videatur.

Articvlvs L.

An Confeſſarius in aliquo caſu loqui poſſit de auditis in confeſſione ſacramentali, ſine culpa, & ſine fractione ſigilli?

Svmmarivm.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *An frangatur ſigillum confeſſionis, dicendo audita in confeſſione, ſi taceatur perſona.*
3. *An Confeſſarius dicens, Pœnitens, v. g. Franciſcus, confeſſus eſt mihi veniale, frangat ſigillum confeſſionis.*
4. *An Confeſſarius dicens, Talis confeſſus eſt mihi ſua peccata, frangat ſigillum confeſſionis.*
5. *An frangatur ſigillum confeſſionis, dicendo, Non abſolui pœnitentem, v. g. Petrum.*
6. *An audiens confeſſiones multorum, ſi dicat, Hic nullum commiſit peccatum mortale, frangat ſigillum confeſſionis.*
7. *An ſi Confeſſarius aliquem pœnitentem, iuſta cauſa non abſoluat, ſi hic atteſtationem confeſſionis ab eo petat, teneatur eidem hanc exhibere, & negans frangit ſigillum confeſſionis.*
8. *An Confeſſarius teneatur atteſtationem confeſſionis præbere illi, qui ſimulato animo ad confeſſionem acceſſit.*
9. *An Confeſſarius in aliqua communitate, ſeu loco, excipiens multorum confeſſionem, frangat ſigillum, ſi extra confeſſionem exprimat, in illo loco, vel communitate, grauia ſcelera committi.*
10. *An ſimiliter Confeſſarius reuelet confeſſionem dicendo, Tale peccatum graue audiui in confeſſione, & eſſe Religioſum, qui illud commiſit.*
11. *An peccet mortaliter, qui Religionem, vel aliam communitatem infamat.*
12. *Directè reſpondetur titulo dubitationis.*
13. *An error, ſiue defectus commiſſus in confeſſione, neceſſariò corrigendus ſit à Confeſſario, inuito pœnitente eidem aperiendus.*
14. *An Confeſſarius frangat ſigillum confeſſionis, admonendo heredes, iuxta præceptum pœnitentis mortui.*
15. *An Confeſſarius, ex ſcientia habita in confeſſione, poſſit admonere Epiſcopum, vel Prælatum Monaſterij, generaliter ut peccata impediat.*
16. *Quodnam diſcrimen ſit inter ſigillum confeſſionis, & ſigillum naturale.*
17. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

Qvando aliquis hæreticus confitetur peccata hæreſis ſacramentaliter, vt ipſum Confeſſarium, & alios peruertat, tunc Confeſſarius talem hæreticum tenetur denunciare, ne Reſpublica Chriſtiana tam atroci hæreſis malo inficiatur; ſed tunc abſque culpa, & ſine fractione ſacri ſigilli denunciat Confeſſarius talem hæreticum. ergo datur caſus, in quo loqui poſſumus de auditis in confeſſione, &c. Maior probatur. nam bonum commune Reipublicæ Chriſtianæ maius eſt, quàm bonum famæ, & bonum temporalis vitæ vnius particularis. ergo, vt conſeruetur, Confeſſarius poteſt, & tenetur denunciare hæreticum, cum periculo, & diſpendio famæ, & vitæ temporalis hæretici, Reipublicæ Chriſtianæ corruptionem machinantis. Minor patet. nam poteſt, & tenetur in iſtu caſu Confeſſarius denunciando talem hæreticum loqui de auditis in confeſſione. ergo datur caſus, in quo ſine culpa, & fractione ſigilli loqui poſſumus, &c. Nam ſacrum ſigillum ſine culpa frangi propriè non dicitur.

Dvbitatio I.

II. *An frangatur ſigillum confeſſionis dicendo audita in confeſſione, ſi taceatur perſona?*

Dico primò, Confeſſarius loquens de auditis in confeſſione abſque manifeſtatione perſonæ, & ſine periculo, vt audientes veniant in cognitionem, vel ſuſpicionem perſonæ, non dicitur frangere ſacrum ſigillum. quia ex huiuſmodi loquutione non reuelatur peccator, nec vlli fit iniuria, nec ob id confeſſio redditur odioſa, & oneroſa: videatur Nugnus noſter *tom.* 2. *in* 3 *part. quæſt.* 11. *art.* 1. *difficultate* 1. *ſolut. ad* 13. *argumentum.*

Dico ſecundò, ſi Confeſſarius loquatur de auditis in confeſſione manifeſtando perſonam, vel cum periculo, vt audientes veniant in cognitionem, vel in ſuſpicionem perſonæ, perfringit ſacrum ſigillum. nam reuelat peccatorem, illique facit iniuriam grauem & confeſſionem facit odioſam, & oneroſam: niſi fortè tantummodò in genere manifeſtet peccata venialia. nam pœnitens per huiuſmodi manifeſtationem non magis cognoſcitur peccator, quàm antea cognoſceretur. Syl. *verb. Confeſſio* 3. *quæſt* 5.

Dvbitatio II.

III. *An Confeſſarius dicens, Pœnitens, v. g. Franciſcus, confeſſus eſt mihi veniale, frangat ſigillum confeſſionis?*

Dico tertiò, ſigillum confeſſionis violat Confeſſarius ſi generatim dicat Titium confeſſum eſſe peccatum mortale, caſum reſeruatum, aut ſi peccatum veniale in ſpecie reuelet: nam per huiuſmodi manifeſtationem, & narrationem Titius cognoſcitur diſtinctè, & magis peccator, quàm antea cognoſceretur. ergo tunc Confeſſor ſacrum ſigillum confeſſionis, &c. Videatur Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt* 4. *concluſione* 3. Laymann *tom.* 1. *tract.* 6. *de ſacramento Pœnitentia*, *cap.* 14. *num.* 6.

Dvbitatio III.

IV. *An Confeſſarius dicens, Talis confeſſus eſt mihi ſua peccata, frangat ſigillum confeſſionis?*

Dico quartò, Confeſſarius ſi ita dicat, Caius confeſſus eſt mihi ſua peccata, non violat confeſſionis ſigillum. nam cùm materia confeſſionis non ſit niſi peccata, non eſt hoc plus dicere, quàm, Confeſſus eſt mihi: atque adeò, nec eſſet reuelatio confeſſionis dicere, Caius confeſſus eſt mihi ſua venialia, vt

diai *aſſerto* 25. quia vt fiat confeſſio ſacramentalis, ad minimum debet pœnitens confiteri venialia; eſſet autem reuelatio confeſſionis, ſi aliquod veniale in ſpecie exprimeretur: quia diſtinctè aliquod peccatum veniale auditum in confeſſione per talem narrationem cognoſceretur de Caio, quod ante confeſſionem erat ignotum. Dicere autem, Caius confeſſus eſt mihi ſua peccata mortalia, eſſet violatio ſacri ſigilli confeſſionis, vt diximus *aſſerto præcedenti*; quia poteſt homo ſine mortalibus confiteri. ergo aliquid manifeſtaretor tunc ex auditis in confeſſione de Caio, quod antea erat occultum; ergo violaretur ſacrum ſigillum. Sotus nouiſſimè relatus poſt tertiam concluſionem, §. *Et ideò ys, verſ. Pari ratione.*

Dico quintò, ſigillum licèt non violetur ſi Confeſſarius nulla nominata perſona generatim dicat ſe audiuiſſe in confeſſione peccatum adulterij, furti, ſacrilegij, &c. vt docet Syl *verb. Confeſſio* 3. *quæſt.* 5. conſultiſſimum tamen eſt omninò tacere, & de peccatis in confeſſione auditis mentionem nunquam facere, niſi ob cauſam magnæ vtilitatis, vel conſilij capiendi à viro docto, & tunc cum tali cautione, vt in perſonæ notitiam nullo modo deueniri poſſit: nam alioquin rudes ſcandalum accipiunt, exiſtimantes ſigillum violari, & interdum homines ſagaces ex variis circumſtantiis ſimul iunctis in ſuſpicionem, vel cognitionem rei perueniunt. Syl. *loco* immediatè *citato, verſic. Secundò ſi Sacerdos.* Medina *in inſtruct. Confeſſ. lib.* 2. *c.* 4. §. 1.

Dubitatio IV.

V. *An frangatur ſigillum confeſſionis dicendo, Non abſolui pænitentem, v.g. Petrum?*

Dico ſextò, probabile eſt non frangi ſigillum confeſſionis, quando Confeſſarius dicit, Nondum abſolui Petrum, interrogatus de abſolutione eiuſdem. quia iſta negatio nullum manifeſtat peccatum; poteſt enim hoc ex pluribus procedere, tamen non debet ſic dicere, ſed ſe feciſſe quod debet. Ita Caiet. *verb. Confeſſori neceſſaria, verſic. Quintum.* Armilla *verb. Confeſſor, n.* 14. Henriquez *lib.* 6 *de pænitentia, cap.* 21. *num.* 5.

Dico ſeptimò, probabilius tamen dicendum eſt Confeſſorem interrogatum de abſolutione alicuius, ſi dicat, Nō abſolui eum, frangere ſigillum confeſſionis: quia communiter abſolutio denegari ſolet graui de cauſa, vel ob prauam pœnitentis diſpoſitionem: tum quia ex his verbis ſuſpicio grauis audientibus ingeri poteſt indiſpoſitionis pœnitentis, & grauiſſimi alicuius criminis. Ita meliùs Magiſter Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 4. *art.* 5. *poſt* 3. *concluſionem*, §. *Et ideò ys, verſic. At verò profectò.*

Dubitatio V.

VI. *An audiens confeßiones multorum, ſi dicat, Hic nullum commiſit peccatum mortale, frangat ſigillum confeßionis?*

Dico octauò, Confeſſarius, qui duarum, aut trium perſonarum confeſſionibus auditis, de vna illarum ſic loquitur: Hæc nullum peccatum mortale habuit, ſacrum ſigillum confeſſionis indirectè infringit. quoniam indirectè ſignificare videtur alias duas mortalia fuiſſe confeſſas. Idem facit Confeſſor, qui confeſſione pœnitentis audita ſtatim conſulit virum doctum præſentem, à quo quid agendum ſit in aliquo caſu confeſſionis quærit, & accepto conſilio illico redit, vt eum abſoluat. Nauarr. *ſumm. c.* 8. *n.* 9.

Dubitatio VI.

VII. *An ſi Confeſſarius aliquem pænitentem iuſta cauſa non abſoluat, ſi hic atteſtationem confeßionis ab eo petat, teneatur eidem hanc exhibere, & negans frangat ſigillum confeßionis?*

Dico nonò, Confeſſarius tenetur ſchedulam, & atteſtationem confeſſionis præbere illi, quem ob indiſpoſitionem, vel ob aliam cauſam non abſoluit, vt ſi audiuit famulos alicuius Principis, qui factæ confeſſionis teſtimonium inquirere conſueuit. nam Confeſſarius grauiter peccat, & confeſſionis ſigillum violat ſi directè, vel indirectè ſignificet ſe pœnitentem ſuum ob indiſpoſitionem non abſoluiſſe; ſed hoc ipſum indirectè Confeſſarius ſignificat, quando aliis omnibus confitentibus ſchedulam teſtimonij dat, & huic ſoli negat. ergo peccaret mortaliter, & eſſet indirectè fractor ſacri ſigilli, ſi teſtimonium confeſſionis huic indiſpoſito non daret. Medina *lib.* 2. *inſtr. cap.* 4. *caſu* 5. Henriquez *de pænitentia, lib.* 6. *c.* 22. *n.* 4.

Dico decimò, neque Confeſſarius in tali caſu mendacium committit. quia non teſtari debet ſe hominem abſoluiſſe, ſed confeſſum ſibi fuiſſe, quod pono eſſe verum, pœnitentem ſcilicet cum animo ſe ipſum accuſandi ad confeſſionem acceſſiſſe: neque cooperatur tunc Confeſſor hominis peccato, tametſi is tali teſtimonio munitus ad S. Euchariſtiam accedat, quia ſeriò illum monere Confeſſarius debet, ne ita indiſpoſitus, & à peccatis non abſolutus, accedere præſumat ad ſui damnationem: ſin autem ille admonitioni non pareat, culpa ipſius tantùm eſt, Confeſſarius autem ſuo officio functus eſt. Coninchus *diſp.* 9. *de ſigillo confeßionis, dub.* 1. *num.* 14.

Dubitatio VII.

VIII. *An Confeſſarius teneatur atteſtationem confeßionis præbere illi, qui ſimulato animo ad confeßionem acceßit?*

Dico vndecimò, ſi verò aliquis ſimulato animo ad confeſſionem accedat, puta quia hæreſim, qua adhuc infectus eſt, abiurare nolit, ſolúmque pœnæ, aut infamiæ cuiuſdam vitandæ cauſa ad ſacram Synaxim accedere cœpit, tali Confeſſarius negare debet ſchedulam teſtimonij, ne eius pernicioſæ ſimulationi cooperetur. quia iſte, de quo in caſu, non animo ſe ipſum accuſandi ad confeſſionem accedit, ſed fraudulenter, ideò non eſt confeſſio ſacramentalis; ergo non frangitur ſacrum ſigillum denegando iſti ſchedulam teſtimonij. Ita benè Layman *tom.* 1 *tract.* 6. *de ſacramento Pænitentiæ, c.* 14. *n.* 4. *verſic. Moneo tamen.* Videatur etiam Bonacina *tom.* 1. *de ſacramentis, diſp.* 5. *q.* 6. *ſect.* 5. *puncto* 4. *n.* 7. *verſic. Sed hoc mihi non probat*, vbi abſolutè negat Confeſſarium non teneri atteſtationem confeſſionis præbere illi, quem ob indiſpoſitionem, vel ob aliam cauſam non abſoluit.

Dubitatio VIII.

IX. *An Confeſſarius in aliqua communitate, ſeu loco, excipiens multorum confeßionem, frangat ſigillum, ſi extra confeßionem exprimat, in illo loco, vel communitate, grauia ſcelera committi?*

Dico duodecimò, narrare peccata etiam mortalia audita in confeſſione, quando nullo modo deueniri

Digitized by Google

poteſt in cognitionem perſonæ, non eſt contra ſigillum; nec ſi dicatur, in aliqua ciuitate, vel tali loco expreſſo nomine loci, vbi conſtat Confeſſarium narrantem audiuiſſe multorum confeſſiones, ſunt grauia peccata, vel ſunt multi ſodomitæ, vel ſi de certa Religione in genere dicatur: Vendi officia, vel ſolitum fieri tale, vel tale crimen. Cauendum tamen eſt ab huiuſmodi narrationibus, etiam quando nullius in particulari ſuſpicio eſſe poteſt: quia apud ſimplices generator ſcandalum reuelatæ confeſſionis, & aliquando grauiter infamatur communitas, quæ infamia in ſingulares, & priuatas perſonas, tanquam membra communitatis redundat: videatur Nauarr. *ſumm. cap. 8. n. 16.* Henriquez *lib. 6. de pœnitentia, cap. 21. n. 6.*

Dico decimotertiò, ſi verò Cōfeſſarius loquatur de aliquo loco non valdè amplo, aut ſi de aliquo Monaſterio, in quo audiuit confeſſiones, dicat grauia ſcelera in eo committi, videtur frangere ſigillum confeſſionis: nam fieri poteſt, vt non leuis ſuſpicio de aliquo particulari concipiatur, & aliqui iacturæ famam patiantur: videatur D. Antoninus *p. 2. tit. 17. c. 15. §. 3.* Coninchus *diſp. 9. de ſigillo confeſſionis, dub. 1. n. 16.*

Dvbitatio IX.

X. *An ſimiliter Confeſſarius reuelet confeſſionem, dicendo, Tale peccatum graue audiui in confeſſione, & eſſe Religioſum qui illud commiſit?*

Dico decimoquartò, Confeſſarius non peccat peccatum reuelationis confeſſionis ſi dicat eſſe Religioſum, qui tale peccatum graue confeſſus eſt. quia cùm Religio iam noſtris temporibus ſit res nimis vniuerſalis, nullo modo detegitur ſic perſonarum, quia nullus diceret, quòd peccat hoc peccatum Confeſſarius, qui narraret ſe audiſſe tale peccatum in confeſſione Sacerdotis ſæcularis; ſed ferè eſt eadem ratio de Sacerdote ſæculari in genere, & de Religioſo in genere. ergo, &c. Sed quid dicendum ſi Confeſſarius dicat Religioſum talis Religionis in ſpecie commiſiſſe tale graue peccatum? Aliqui, quos tacito nomine refert Nugnus *tom. 2. in 3. part. q. 11. art. 1. difficult. 1. ſolut. ad 13.* exiſtimant talem Confeſſarium peccare peccatum reuelationis ſigilli, & ipſe Nugnus aſſerit eſſe ſententiam ſatis probabilem, citans D. Antoninum *3. part. cit. tit. 17. cap. 19. §. 3.*

Dico decimoquintò, ſi quis dicat Religioſum talis Religionis, vel cœnobij, de quo habetur optima exiſtimatio, ea in parte inuentum eſſe cum meretrice, vel aliquid ſimile commiſiſſe, quod Religionem, vel cœnobium infamet, peccat mortaliter, quia huius delicta redundant in alios Religioſos, de quorum Religione habetur maxima exiſtimatio: ſecus autem dicendum eſt, ſi referat aliquod delictum de Religioſo, quod conſtat frequens eſſe in ea Religione, ſeu Monaſterio, vel ſi referat delictum, cuius infamia non redundat in alios: videatur Sayrus *lib. 11. c. 6. n. 21.*

Dvbitatio X.

XI. *An peccet mortaliter, qui Religionem, vel aliam communitatem infamat?*

Dico decimoſextò, peccat mortaliter, qui totam aliquam Religionem, Monaſterium, aut domum infamat, v. g. dicendo, in tali Religione, vel Monaſterio non eſſe obſeruationem, vel quòd malè viuitur, vel ſimoniam, vel ſodomiam exerceri, &c. niſi id aliàs eſſet notorium. quia is ſic dicendo infamaret totam communitatem. Ita rectè Sotus *lib. 4. de iuſt. & iure, q. 6. art. 3. ad quartum, in fine.*

Dico decimoſeptimò, ſi quis generaliter dicat, in hoc oppido, loco, Republica, ſunt omnes improbi, peccat mortaliter. quia infamat ipſum locum, oppidum, Rempublicam, vel Collegium: ſi verò ſolùm dicat eſſe multos improbos, non eſt peccatum mortale; quia non infamat totam communitatem, nec aliquem in particulari; nec locus ille, oppidum, vel Reſpublica, quoad omnes perſonas particulares, eſt in optima exiſtimatione, vt ſupponimus. Videatur Azor. *part. 3. inſtit. mor. lib. 13. dub. 6.* Tria vltima dicta poſita ſunt pro maiori præcedentium aſſertionum intelligentia.

XII. *Directè reſpondetur titulo dubitationis.*

Dico decimooctauò, directè reſpondens quæſito, vnicus caſus eſt quo ratio, & obligatio ſacramentalis ſigilli, ceſſat ſi pœnitens Confeſſario licentiam det loquendi de peccatis ſuis, ſiue coram ſe ipſo, ſiue coram aliis. quia obligatio ſigilli ex Chriſti Domini inſtitutione profecta partim nititur ratione naturalis ſecreti, partim verò, & quidem præcipuè, reuerentia ſacramenti, ne id fidelibus exoſum reddatur; ſed vtraque ratio ceſſat ſi pœnitens Confeſſario licētiam det. ergo. Maior patet ex ſupradictis. Probatur minor. nam tunc nulla iniuria infertur pœnitenti, quia ſecretum omne ex voluntate committentis dependet, ſicut depoſitum ex voluntate deponentis. Neque etiam fertur irreuerentia ſacramento: ſiquidem id fidelibus nequaquam exoſum, ſed potiùs commendabile redditur, ſi ſciant Confeſſario conceſſum eſſe loquendi de peccatis in confeſſione auditis, ſi pœnitens exiſtimans ſibi id vtile fore, licentiam tribuat. D. Thom. *3. part. in addit. quæſt. 11. art. 4.*

Dvbitatio XI.

XIII. *An error, ſiue defectus commiſſus in confeſſione, neceſſariò corrigendus ſit à Confeſſario, inuito pœnitente, eidem aperiendus?*

Dico decimononò, ſi error, ſiue defectus à Confeſſario in ipſa confeſſione commiſſus, eſt neceſſariò corrigendus, tunc Confeſſarius debet pœnitentem conuenire, & ab eo petere facultatem, vt cum ipſo loquatur de confeſſione præcedenti, quod ſi dare renuat, quamuis illam teneatur conferre, impotet ſibi pœnitens, & Confeſſarius non tenetur pœnitente inuito reuelare errorem. quia Confeſſarius etiam cum ipſo pœnitente non poteſt loqui extra confeſſionem de his, quæ nouit in ipſa confeſſione, niſi ad hoc dederit ipſe pœnitens facultatem, præcipuè ſi peccata audita in confeſſione non erant cum iniuria alicuius tertiæ perſonæ. ſic Sotus *in 4. diſt. 18. q. 4. art. 6. §. Quòd ſi ſciſciteris.* Sanchez *lib. 3. de matr. diſp. 16. num. 3. verſic. Tertiò.*

Dico vigeſimò, non eſſe improbabile aſſerere quòd Confeſſarius etiam inuito pœnitente poſſit aperire eidem pœnitenti errorem, ſiue defectum commiſſum in confeſſione neceſſariò corrigendum, ſi ita corrigi poſſit. quia tunc propriè Confeſſarius non loquitur contra confeſſionem, ſed ſupplet, & perficit eam, quæ antè inchoata, & imperfecta manſerat: ſic Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 33. ſect. 5. n. 3.* Laymann *tract. 6. c. 14. de ſacramento Pœnitentiæ, num. 13.*

Dico vigeſimoprimò, aſſertum præcedens exiſtimo eſſe ſatis probabile, ſi error, vel defectus commiſſus in confeſſione neceſſariò eſt corrigendus in commodum

modum alicuius tertiæ perſonæ, puta ſi neceſſe ſit illum pœnitenti aperire, vt fiat ſatisfactio alteri tertiæ perſonæ, vel in honore, vel in pecuniis: tunc etiamſi pœnitens nolit conferre Confeſſario facultatem, debet ei Sacerdos dicere omnia illa, quæ ſunt neceſſaria ad hoc, quòd intelligat ſe teneri ad talem reſtitutionem faciendam, quia hoc eſt conſulere indemnitati proximi, & non inferre iniuriam pœnitenti, neque odioſum reddere Pœnitentiæ ſacramentum. Ita benè notauit Nugnus noſter *tom.2. in 3. part. q.11.art.4.in expoſ.art.§.Sed quid ſi.*

Dvbitatio XII.

XIV. *An Confeſſarius frangat ſigillum confeſſionis, admonendo hæredes, iuxta præceptum pœnitentis mortui?*

Dico vigeſimoſecundò, Confeſſorem non eſſe reum fractionis ſigilli ſi admoneat hæredes pœnitentis, iuxta præceptum pœnitentis, vt ſi pœnitens mandauerat Confeſſario poſt ſuum obitum admonere hæredes de re aliqua reſtituenda pro ſuæ conſcientiæ exoneratione; nam vtitur ſcientia confeſſionis de licentia pœnitentis. Ita colligitur ex S. Thom. *3.part.quæſt.11.art.4.in addit.* Nauarr. *ſumm.cap.8. n.15. verſic.Decimonono.*

Dvbitatio XIII.

XV. *An Confeſſarius ex ſcientia habita in confeſſione poſſit admonere Epiſcopum, vel Prælatum Monaſterij generaliter, vt peccata impediat?*

Dico vigeſimotertiò, Confeſſarius ex ſcientia in cõfeſſione habita non poteſt admonere Epiſcopum, vel Prælatum Monaſterij, vel alium, qui peccata impediat, ſi periculum ſit vt delinquens aliqua ratione cognoſcatur: nam alias confeſſio redderetur odioſa, & ſubditi à confeſſione retraherentur; ſi verò nullum ſit periculum, vt delinquens cognoſcatur, nec inde ſequatur pudor, & confeſſio pœnitenti, poteſt Confeſſarius monere Epiſcopum, vel Prælatum Monaſterij generatim, vt vigilent, quia in ſua ciuitate, vel in ſuo Monaſterio ſic, & ſic peccatur: nam Confeſſarius poteſt, imò debet impedire, ne peccatum ſibi confeſſum, iterum committatur, ſine reuelatione tamen pœnitentis, & ſine periculo quod ſacramentum Pœnitentiæ reddatur exoſum: videatur Nauarr. *tom.2. conſiliorum lib.5.de pœnitentijs, & remiſſionibus conſil.27.*

Dvbitatio XIV.

XVI. *Quódnam diſcrimen ſit inter ſigillum confeſſionis, & ſigillum naturale?*

Dico vigeſimoquartò, ex ſuprà dictis patet eſſe maximam differentiam inter ſigillum confeſſionis, & ſigillum naturale: nam ſigillum, ſeu ſecretum confeſſionis numquam licitè violari poteſt, etiamſi ſummus Pontifex præciperet confeſſionem reuelari, etiamſi metu mortis Confeſſarius cogeretur ſigillum aperire. nam fractio ſigilli eſt intrinſecè mala, nec vlla de cauſa cohoneſtari poteſt; ſecretum verò naturale licitè aliquando poteſt violari, vt propter metum mortis, quia non tenemur ſeruare ſecretum naturale nobis commiſſum cum tanto noſtro detrimento: item etiam, neque tenemur ſeruare ſecretum naturale, etiam iuramento firmatum cum periculo vitæ alicuius innocentis. quia nullum ſecretum, neque iuramentum promiſſorium cedens in damnum iniuſtum tertij, eſt obligatorium: & multo magis non tenemur illud ſeruare in damnum Reipublicæ, & communitatis; quia ordine charitatis bonum commune præferri debet vitæ corporali propriæ, & bono priuato: videatur D. Thom. 3. *part. in addition. quæſt. 11. art.1. ad primum.* Sotus *in 4.diſt.18.quæſt.4.art.5.§.Ex quo fit vnde.*

XVII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

Ad argumentum à principio poſitum reſpondetur negando maiorem. Ad probationem reſpondetur concedendo maiorem, bonum ſcilicet commune Reipublicæ maius eſſe bono famæ, & bono temporalis vitæ vnius particularis: non tamen bonum Reipublicæ eſt maius bonum, quàm ſit bonum ſacramenti, & quia ex reuelatione auditorum in confeſſione ſequitur deſtructio ſacramenti Pœnitentiæ, audientes enim fideles per huiuſmodi reuelationem arcerentur à ſacramento Confeſſionis: ex quo fit quòd neque ad ſeruandam vitam hominis innocentis quantumcumque ſit Regis, vel ſummi Pontificis, vel propria ipſius Sacerdotis, neque ad ſaluandam ſalutem totius Reipublicæ, ſiue tẽporalem, ſiue ſpiritualem, & in nullo, qui fingi poſſet, euentu licebit ſigillum confeſſionis aperire; nam quocumque caſu, aut cauſa rumperetur, homines ab illius religione arcerentur, atque adeò Pœnitentiæ ſacramentum periret, quod eſt Eccleſiæ valde neceſſarium. Videatur S.Doctor & Sotus *locis* nuper *citatis.*

Articvlvs LI.

An Confeſſarius teneatur potius morti ſe obiicere, quàm confeſſionem fugiendo reuelare, ſi ex auditis in confeſſione cognoſcat ſibi parari inſidias?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *An Confeſſarius ſolitus confiteri alteri, quem in confeſſione nouit non eſſe Sacerdotem, ſi poſtea illi non confiteatur, frangat ſigillum confeſſionis.*
3. *An Sacerdos poſſit relinquere Miſſam, ſi in confeſſione nouerit, vinum ad Miſſam dicendam paratum, eſſe veneno infectum.*
4. *Dubitatio reſoluitur, & explicatur, An Sacerdos per confeſſionem vnius, ſciens conſpirationem plurium contra ſeipſum, poſſit fugam capere, abſque eo quòd frangat ſigillum confeſſionis.*
5. *An Confeſſarius dicens, hominem ob publica latrocinia damnatum, benè confeſſum fuiſſe ſua peccata, frangat ſigillum confeſſionis.*
6. *An Confeſſarius frangat ſigillum confeſſionis, dum admittit ad confeſſionem, & ſanctiſſimam Euchariſtiam concubinarium, ſi concubina deueniat in cognitionem, illum confeſſum fuiſſe peccatum fornicationis, cum illa habitum.*
7. *An Confeſſarius ſi ex auditis in confeſſione nouerit ſibi parari inſidias, poſſit arripere fugam, ſi ea ſequuta, pœnitenti immineat periculum vitæ.*
8. *An Confeſſarius noſcens in confeſſione aliquod magnum malum parari, poſſit amicos conuocare ad*

illud malum impediendum, abſque reuelatione ſigilli confeſsionis.

9. *An ſi pœnitens, occaſione fugæ Confeſſarij, de qua ſuprà, occidatur ab inimicis, Sacerdos fugiens incurrat irregularitatem.*

10. *An Sacerdos qui nouit in confeſsione, ſuum famulum eſſe furem ad furtum vitandum, poſſit vti auditis in confeſſione.*

11. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur quæ dicta ſunt circa tertiam aſſertionem.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm reuelatio ſigilli confeſſionis etiam indirecta nullo modo licet, ſed in caſu poſito ſua fuga Confeſſarius reuelaret ſaltem indirectè peccatum necis ſibi intentatę, quod aliàs ſolùm in confeſſione audiuit. ergo nullo pacto licebit Confeſſario fugere ſi ex auditis in confeſſione cognoſcat ſibi parari inſidias: quia ex tali fuga prout fieri hîc, & nunc cognoſceretur ſaltem indirectè peccatum, &c. & ita hanc ſententiam tenuit Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 33. ſect. 7. num. 7.*

DVBITATIO I.

II. *An Confeſſarius ſolitus confiteri alteri, quem in confeſsione nouit, non eſſe Sacerdotem, ſi poſtea illi non confiteatur, frangat ſigillum confeſsionis?*

Dico primò, Confeſſarius, qui in confeſſione nouit aliquem non eſſe Sacerdotem, poteſt abſtinere à confeſſione illi facienda, quamuis conſueuiſſet illi, quem per confeſſionem nouit non eſſe Sacerdotem, ſua peccata confiteri. quia in hoc caſu nullus pudor, nulla confuſio, nullum damnum ſequitur pœnitenti, nec ob id pœnitens retraheretur à confeſſione, ſed hoc potiùs laudi, & prudentis Confeſſario adſcriberetur. Bonacina *tom. 1. de Sacramentis diſput. 5. quæſt. 6. ſect. 5. punct. 4. num. 27.*

DVBITATIO II.

III. *An Sacerdos poßit relinquere Miſſam ſi in confeſsione nouerit vinum ad Miſſam dicendam paratum eſſe veneno infectum?*

Dico ſecundò, Sacerdos qui per confeſſionem nouit vinum ad Miſſam dicendam paratum eſſe veneno infectum, poteſt Miſſam prætermittere. quia vtitur iure ſuo, nec inde ſequitur pudor, confuſio, & incommodum pœnitenti, nec confeſſio redditur odioſa: occaſione tamen aliunde accepta dimittendæ Miſſæ, puta fingendo ſe eſſe infirmum, &c. Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. quæſt. 11. art. 1. difficultate 1. ſolutione ad quintumdecimum argumentum.*

IV. *Veritas aperitur, & explicatur*

DVBITATIO III.

An Sacerdos per confeſsionem vnius, ſciens conſpirationem plurium contra ipſum, poßit fugam capere, abſque eo quòd frangat ſigillum confeſsionis?

Dico tertiò, ſi plures in necem Sacerdotis conſpirarunt, quorum vnus pœnitentia ductus eidem Sacerdoti malignum hoc propoſitum confitetur, in tali caſu Sacerdos vitæ ſuæ conſulere poteſt fugiendo; tamen ſi certus ſit ſocios conſpirationis exinde in ſuſpicionem, vel cognitionem venturos, quòd ille tertius peccatum illud ſuum confeſſus fuerit. quia cùm talis fuga ex ſui natura ſit indifferens, & poſſit ex multis cauſis oriri, nec intentio Sacerdotis fugientis exiſtit per eam reuelare confeſſionem, ſed vitam ſeruare. ergo dici non poteſt per eam reuelari confeſſionem. Tum, quia tunc Sacerdos exhibet ſignum quod nullo modo ſpectatis omnibus circunſtantiis aptum eſt ad manifeſtandum peccatum ſecundùm ſe; ſed ſolùm ad peccati confeſſionem manifeſtandàm iis, qui peccatum ſecundùm ſe antea cognitum habebant. ergo per fugam conſulendo propriæ vitæ non reuelat confeſſionem, &c. Tum, quia aliud eſt facto ipſo alteri ſignificare peccatum, quod ex ſola confeſſione cognitum eſt; aliud verò reuelare confeſſionem peccati factam eſſe. Nam illud primum nullo caſu fieri poteſt, abſque ſigilli violatione: at verò hoc poſterius interdum licitè fit, quando ille alter peccatum aliunde manifeſtum, & cognitum habet: ſic benè Syl. *verb. confeſſio 3. quæſt. 19. num. 12.* Armilla *verb. Confeſſor num. 12.* Oppoſitum tamen tenet Beia *3. part. caſuum caſu 11.*

DVBITATIO IV.

V. *An Confeſſarius dicens, hominem ob publica latrocinia damnatum, benè confeſſum fuiſſe ſua peccata, frangat ſigillum confeſsionis?*

Dico quartò, conſequenter ſi Confeſſarius hominem ob publica latrocinia morte damnatum apud alios commendet, quòd benè de peccatis ſuis confeſſus fuerit, nullo modo violat ſigillum confeſſionis. quia non exhibet ſignum, quo cognoſci poſſit tunc hominem commiſiſſe latrocinia; ſed ſolùm vt ij qui latrocinia eius antè cognita habebant, exinde colligant, quòd illa confeſſus fuerit. ergo non frangit ſigillum ſacrum.

DVBITATIO V.

VI. *An Confeſſarius frangat ſigillum confeſsionis, dum admittit ad confeſsionem, & ſanctiſsimam Euchariſtiam concubinarium, ſi concubina deuenerit in cognitionem, illum confeſſum fuiſſe, peccatum fornicationis cum illa habituro?*

Dico quintò, ſimiliter ſi Confeſſarius pluries accedens ad hominem, qui domi ſuæ concubinam alit, illum ad emendationem hortetur, denique eius confeſſionem excipiat, & ad ſacrum epulum admittat, profectò concubina hinc apertè colliget hominem illum peccatum fornicationis confeſſum fuiſſe, non tamen tunc talis Confeſſarius dicitur violare ſigillum confeſſionis. quia aliud eſt facto ipſo alteri ſignificare peccatum, quod ex ſola confeſſione cognitum eſt, & hoc eſt violare ſigillum, aliud verò reuelare confeſſionem peccati factam eſſe alteri, qui aliunde peccatum manifeſtum habet. hoc autem non eſt violare ſacrum ſigillum confeſſionis, vt optimè notauit Adrianus *in 4. de confeſſione*, vbi de ſigillo circa tertium principale, *ver. ad quintum.* Laymann *tractat. 6. cap. 14. de ſacramento Pœnitentiæ num. 20.*

Dvbitatio VI.

VII. *An Confeſſarius ſi ex auditis in confeſſione nouerit ſibi parari inſidias, poſſit arripere fugam, ſi ea ſequuta, pœnitenti immineat periculum vitæ?*

Dico ſextò, ſi ex fuga Sacerdotis, de quo in dubio, pœnitenti periculum imminetet, ne à ſociis propterea occidatur, nihilominus eum abſolutè fugere poſſe dicimus, quia id agendo ſigillum ſacrum non violat: tum, quia ius naturæ ipſi permittit, vt vitam propriam alienæ anteponat: tum, quia, etſi laudabile ſit vitam ſuam pro innocente exponete, tamen ad hoc non tenemur, niſi quando proximi æterna ſalus eſt in extremo periculo, aut quando quis ratione officij, aut pacti ſingularitet ad illud obligatur; ſed in caſu noſtro nulla obligatio occurrit. ergo, &c. ſic Coninchus *diſp. 9. de ſigillo confeſſionis, dub. 4. num. 56.* Sed contrarium probabilius videtur in iſto caſu. quia ex ſcientia confeſſionis ſequeretur damnum pœnitenti, & confeſſio fieret odioſa. ſic Bonacina *tom. 1. de Sacramentis, diſp. 5. quæſt. 6. ſect. 5. puncto 4. num. 29. verſic. Sed contrarium probabilius.*

Dvbitatio VII.

VIII. *An Confeſſarius noſcens in confeſſione aliquod magnum malum parari, poſſit amicos conuocare, ad illud malum impediendum abſque reuelatione ſigilli confeſſionis?*

Dico ſeptimò, ſi Sacerdos nonit in confeſſione ſequenti nocte conueniſſe quoſdam lattones, vt domum amici diripiant, & illum occidant, nec aliter malum impedire poſſet, licebit vti notitia confeſſionis, & alios amicos inuitare, vt tota nocte ludat cum aliis in domo amici, quamuis inde ſequatur, vt qui malum intentat, comprehendatur in delicto. quia factum iſtud, ludere ſcilicet cum amicis, & inuitare illos, vt tota nocte ludant, comedant, & bibant in domo amici, ex ſua natura non eſt ſignum ad ſignificandum aliquod peccatum eſſe confeſſum. Ita colligitur ex Syl. *verb. Confeſſio 3. num. 12.* Scoto *in 4. diſt. 21. quæſt. 2. ad tertium argumentum.* Henriquez *lib. 6. de pœnitentia, cap. 24. num. 5.*

Dvbitatio VIII.

IX. *An ſi pœnitens, occaſione fuga Confeſſarij, de qua ſuprà, occidatur ab inimicis, Sacerdos fugiens incurrat irregularitatem?*

Dico octauò, ſi pœnitens occaſione fugæ, de qua diximus *aſſerto 6.* occidatur ab inſidiatoribus, Sacerdos fugiens non incurret irregularitatem. quia illius fuga non fuit illicita, vt ſuprà oſtenſum eſt. ergo. Tum, quia neque ex ſui natura, neque ex intentione Sacerdotis fugientis ſufficienter in tale homicidium tendebat. ergo non fuit cauſa propinqua illius, ac proinde non inducit irregularitatem, arg. *cap. de occidentis 33. q. 5.* gloſſ. *in cap. de cætero, de homicidio.* Tum, quia hæc fuga erat ineuitabilis, non enim poterat Sacerdos modo alio vitam conſeruare, quàm ſic fugiendo, ſed neceſſitas ineuitabilis excuſat ab irregularitate ob deformitatem inde ortam: vt definitur expreſsè *in Clementina ſi furioſus, de homicid.* & *ibi* gloſſ. *verb. Mortem aliter vitare non valens.* ergo, &c.

Dvbitatio. IX.

X. *An Sacerdos qui nouit in confeſſione ſuum famulum eſſe furem, ad furtum vitandum poſſit vti auditis in confeſſione?*

Dico oonò, Sacerdos, qui ex confeſſione nouit ſuum famulum furem, non poteſt ex ſola ſcientia confeſſiunis ipſum dimittere. nam inde ſequeretur pudor, & damnum pœnitenti, quamuis alij, quibus adhæret Hieronymus Enuphrius *de ſacro ſigillo, ſect. 2. quæſt. 2. dub. 2. verſic. Sequitur ſeptimò*, oppoſitum ſentire videantur: poteſt tamen Sacerdos, qui per confeſſionem nouit famulum eſſe furem, à pecuniis in poſterum illi committendis abſtinere. nam tunc non ſequitur pudor, aut damnum pœnitenti, & Sacerdos ob audita in confeſſione poteſt reddi cautior ad cuſtodiendas res proprias: tum, quia Prælatus ex auditis in confeſſione poteſt fieri attentior, & vigilantior circa ſuum gregem cuſtodiendum, modò ab aliis vſitato. ergo & Sacerdos reddi poteſt cautior ad cuſtodiendas res proprias: vide Bonacinam *tom. 1. de Sacramentis, diſp. 5. q. 6. ſect. 5. puncto 4. n. 15. & 30.*

XI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur, quæ dicta ſunt circa tertiam aſſertionem.*

Ad rationem à principio poſitam patet quid dicendum ex noſtra tertia aſſertione. Negamus igitur minorem argumenti: nam, vt Sacerdos reputetur reuelator confeſſionis, neceſſe eſt quòd aliquid faciat, quod ex ſui natura prodat peccatum confeſſum, cuiuſmodi non eſt fuga poſt auditam confeſſionem: fuga enim ex ſui natura eſt indifferens, & poteſt ex multis cauſis oriri, nec intẽtio Sacerdotis fugientis mortem ſibi intentatam, conſiſtit per fugam reuelari confeſſionem: quamuis per accidens illi, qui conſpirationem antè cognitam habebant, inde coniiciant aliquem hoc peccatum Sacerdoti fugienti confeſſum fuiſſe: & ex hoc cenſeri non debet confeſſionis ſigillum reuelari; etenim ſignum fugæ ex ſe non eſt ſignum reuelatiuum confeſſionis, ſed de ſe eſt indifferens ad ſignificandum, vel non ſignificandum, tale peccatum eſſe confeſſum, licèt aliquibus ſit ſignum determinatum ex aliquo præſuppoſito. Ita optimè Syl. *verb. Confeſſio 3. num. 12.*

Articvlvs LII.

An Confeſſarius capitularis, cùm ſuffragium in electione Prælati dat, illud idcircò confitenti ſuo denegare poſſit, quia eum ex ſola confeſſione ſcit eſſe indignum?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Declaratur ad quidnam obliget ſigillum ſacramentale.*
3. *Dubitatio reſoluitur.*
4. *An Sacerdos Prælatus, ſciens ex confeſſione, pœnitentem ſubditum malè fungi officio ſuo, poſſit eum tali officio priuare.*
5. *An ſimiliter Prælatus Sacerdos vti poſſit ad externam gubernationem, comparatis generaliter ex confeſſione.*

6. An

6. *An Sacerdos poſſit vti notitia comparata in confeſſione, ſi vtendo illa, non operatur aliquid, in præiudicium confitentium.*

7. *An Sacerdos ſciens ex confeſſione conſpirationem ſibi à multis parari, poſſit eiſdem denegare enſem, aut ſimilia inſtrumenta, ſi ab ipſo petantur.*

8. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, quomodo Confeſſarius non ſolùm quoad alios, ſed etiam quoad ipſum pœnitentem, ſeruare teneatur ſecretò ea, quæ ex confeſſione audiuit.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

QVia Sacerdos ratione ſigilli, ſolùm obligatur, vt ea, quæ ex confeſſione cognouit, recta, & ſecreta ſeruet; ſed Sacerdos occultè alicui denegando ſuffragium, vel amouendo ab officio, à quo ſi ſit Prælatus, arbitratu ſuo aliquem amouere poteſt, ac ſolet, nemini reuelat confeſſionem criminis. ergo poterit, &c.

Dvbitatio I.

II. *Ad quidnam obliget ſigillum ſacramentale?*

Dico primò, ratione ſigilli ſacramentalis propriè, & ſtrictè accepti obligari Sacerdotem magis principaliter ne confeſſionem peccati reuelet iis, quibus ignotum eſt; ratione verò eiuſdem ſigilli amplè accepti obligari etiam Sacerdotem, quamuis non tam grauiter, vt peccatum ex ſola confeſſione cognitum etiam coram ipſo pœnitente, aliiſque perſonis illius notitiam habentibus, occultatum ſeruet, obligat; item ratio ſigilli ſacramentalis, ne Sacerdos propter acceptam ex confeſſione notitiam, quicquam agat quod confitenti graue ſit, eique damnum, & incommodum inferat, atque conqueri, & à ſacramento deterreri poſſit. quia cùm obligatio ſigilli inducta ſit, ne confeſſio pœnitentibus reddatur oneroſa, debet prohibere ea omnia, quæ nata ſunt homines valde ab illa auertere: at confeſſio redditur valdè oneroſa, non ſolùm quando reuelatur peccatum cognitum in confeſſione iis, quibus ignotum eſt; ſed etiam quando coram pœnitente, abſque illius licentia, & coram aliis perſonis etiam illius notitiam habentibus, loquitur Confeſſarius de peccato audito in confeſſione, & ſimiliter quando Confeſſarius quicquam agit ex notitia confeſſionis, quod graue ſit, & damnum affert pœnitenti. ergo ad hæc omnia obligatio ſigilli ſacramentalis ſe extendit.

III. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico ſecundò, Confeſſarium non poſſe denegare ſuffragium, aut electionem ad beneficium pœnitenti, qui exteriùs communi hominum opinione probus exiſtimatur, licèt ipſum cognoſcat per confeſſionem improbum, & indignum. quia ſic homines ſemel animo concipiant ſe propter dicta in confeſſione poſſe ab officiis, beneficiis, & dignitatibus impediri, cùm omnes communiter ad res magnas aſpirent, quiſquis graue aliquod peccatum occultè commiſerit, nulli vnquam auderet confiteri, quàm vel leuiter ſuſpicabitur habere, vel habiturum poteſtatem per electionem, denominationem, aut alia ratione ſuam promotionem impediendi. ergo nullo modo dicendum eſt poſſe Confeſſarium denegare ſuffragium, aut electionem ad beneficium pœnitenti, qui exteriùs communi hominum conſenſu iudicatur probus & dignus, licèt improbum, & indignum per confeſſionem cognouerit, arcerentur enim homines à ſacramento Pœnitentiæ: tum, quia Confeſſor ex auditis in confeſſione perinde ſe gerere debet, ac ſi nihil ſciret in iis rebus, ex quibus pudor, ſeu confeſſio, aut damnum pœnitenti ſubſequeretur. ergo, &c. Ita præclarè Armilla *verb. Confeſſor. n. 7.* vbi ſic inquit, Nihil agere poteſt Confeſſarius propter quod poſſit pœnitens retrahi à confeſſione, & taliter ſe debet habere Confeſſor, ac ſi nil de eo numquam audiſſet, quem ſequitur Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 16. num. 3.*

Dvbitatio II.

IV. *An Sacerdos Prælatus, ſciens ex confeſſione, pœnitentem ſubditum malè fungi officio ſuo, poſſit eum tali officio priuare?*

Dico tertiò, Prælatus ſubditum, quem ex ſola ipſius ſacramentali confeſſione ſcit officio ſuo non rectè fungi, inde remouere non poteſt; etiamſi abſit omne periculum aliis reuelandi, vel in ſuſpicionem adducendi defectum pœnitentis, cùm tale ſit officium à quo Prælatus arbitratu ſuo aliquem amouere poſſit, ac ſoleat. Probatur, quia ſigillũ confeſſionis ſecundùm omnem ſuam latitudinem obligat Sacerdotem, non tantùm in ordine ad alios, ſed etiam in ordine ad ipſum confitentem, ne ei peccatum ex ſola ipſius confeſſione cognitum obiiciatur, exprobretur, aut etiã in memoriam reuocetur; ſed talis exprobratio reipſa accidit, ſi Sacerdos pœnitentem ſuum propter auditam eius confeſſionem ab officio remoueat. ergo, &c. Maior patet ex prima aſſertione. Minor verò probatur: nam plerumque pœnitens certa, vel probabili ſuſpicione cogitat id fieri propter peccata, quæ confeſſus fuerat. ergo ſacramentũ Confeſſionis eidem graue, & exoſum fiet, ſi Sacerdos ex ſcientia, & notitia habita in confeſſione, &c. & ita hanc ſententiam tenuit Magiſter Bannez 2. 2. q. 33. *art. 8. dub. 8. ad finem.* §. *Ad confirmationem reſpondetur.* Armilla *loco cit.* hos ſequuntur Laymann *tract. 4. c. 14 de ſacramento Pœnitentiæ, n. 22.* §. *Contrariam ſententiam,* Coninchus *diſp. 9. dub. 4. n. 64.* Contrarium tamen tuetur Henriquez *lib. 6. de pœnit. c. 23. num. 3.* & alij non pauci, nec pœnitendi DD. quos ipſe adducit *loc. cit. in comm. litt. R.*

Dvbitatio III.

V. *An ſimiliter Prælatus Sacerdos vti poſſit ad externam gubernationem, comparatis generaliter ex confeſſione?*

Dico quartò, generaliter Sacerdos notitia ex ſola confeſſione comparata, vti non poteſt in externa gubernatione, præcipuè ſi ex notitia confeſſionis aliquid fiat, quod confitentium honori, vel commodis aliquo modo præiudicet: & ſic Epiſcopus hominem, quem ex ſola confeſſione ſcit irregularem, à ſacris Ordinibus clanculum remouere non poteſt, & Parochus ſacramẽta Euchariſtiæ, Extremæ vnctionis, aut Matrimonij aſſiſtentiã, occulta cauſa denegare non poteſt iis, quorum impedimentũ ex ſola ſacramentali confeſſione cognitum habet: nam ſi pœnitentes hoc ſcirent, poſſe ſcilicet ſe ob peccatorũ ſuorum cõfeſſionem impediri à conſequendis Ordinibus, ſacramentis, officiis, dignitatibus, arcerentur à confeſſione facienda, iis præſertim, quos vel leuiter ſuſpicantur aliquando ſibi obeſſe poſſe. ergo non poteſt Sacerdos in externa gubernatione, &c. ne confeſſio fiat exoſa: tũ, quia Clem. VIII. motu proprio pro Regularibus omnibus anno 1594. ita decreuit, Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarij, qui poſtea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentiſſimè, ne ea notitiã, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur: & ita hoc aſſertum docent auctores nuper relati.

Dvbitatio IV.

VI. *An Sacerdos poßit vti notitia comparata in confeßione, ſi vtendo illa, non operetur aliquid, in præiudicium confitentium?*

Dico quintò, ſatis probabile Sacerdotem poſſe vti notitia comparata ex ſola confeſſione, ſi non fiat aliquid, quod honori, & commodis confitentium præiudicet. v. g. Prælatus ex confeſſione intelligit peccatum aliquod graue in Monaſterio perpetrari ſolitum eſſe, quod abſque vllo periculo reuelationis ſigilli, & ſine vllo coofitentis grauamine facilè impedire poteſt: puta ædificando aliquid, vel murum erigendo in eo loco, vbi antea exitus, vel introitus patebat: tali caſu non eſſe prohibitum notitia confeſſionis vti, vel adiuuari, etiam ſine conſenſu pœnitentis, præſertim ſi is rogatus conſentire nolit, cùm tamen debeat: quia hoc neque graue, neque moleſtum accidere debet pœnitenti, cùm honori, & commodis illius non præiudicet: videatur Henriquez *lib.6. de pœnitentia, c.13.n.3.* Layman *tract.6. c.14. de ſacramento Pœnitentia, n.23.§. exiſtimat tamen.*

Dvbitatio V.

VII. *An Sacerdos ſciens in confeßione conſpirationem ſibi à multis parari, poßit eiſdem denegare enſem, aut ſimilia inſtrumenta, ſi ab ipſo petantur?*

Dico ſextò, ſimili modo, ſi pœnitens confiteatur Sacerdoti ſe cum pluribus conſpiraſſe ad ipſum occidendum, vel aliquod maximum damnum Monaſterio inferendum; poſtea verò ipſemet confitens, vel alius enſem, aut ſimilia inſtrumenta petat, poteſt Sacerdos denegare ſi abſit omne periculum reuelandi peccatum. quia hoc nõ continet exprobrationem peccati in confeſſione explicati; ſed ſolùm ad monitionem aliquam, vt abſtineatur à futuro, neque vllum grauamen, aut damnum confitenti infert; ſed ſolùm hoc bonum, qood impediatur à peccato impoſterum committendo; videatur Syl. *verbo confeſſione 3 q.14. verſ. nec obſtat.* Sanchez *lib.3. de matrim. diſp.16.n.5.§. Ad quartum dic.* Bonac. *tom.1. de ſacrament. diſp.5.q.6. ſect.5. punct.4 n.27.*

Dico ſeptimò. duas præcedentes aſſertiones non pugnare contra decretum Clementis VIII. relatum *aſſertione 4.* nam ea conſtitutio ſolùm loquitur de actibus ſpectantibus ad gubernationem ſubditorum, ne aliquid ex notitia confeſſionis fiat quod confitentium honori, vel commodis aliquo modo præiudicet. quare licèt admittamus poſſe Confeſſorem vti confeſſionis notitia in conſimilibus caſibus, vt ſibi, aut bono communi conſulat, nullo modo redditur confeſſio odioſa, nec ab illa peccatores retrahuntur; qoia nec pœnitentem honori, aut bono alicui temporali, quod homines æſtiment, præiudicatur: ſic benè notauit Coninchus *diſp.9. de ſigillo confeſſionis, dub.4. num.69.§. Adde parum eſſe.*

Dico octauò, laudabilius eſſe in huiuſmodi caſibus, in quibus imminet periculum, peccatorum petere licentiam ab ipſo pœnitente, antequam abſoluatur, hoc enim occurritur omni periculo fractionis ſigilli, & pœnitens tenetur hanc facultatem concedere Confeſſario. nam vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo, & quilibet tenetur proximi peccata præcauere, & damna proximi, niſi graue damnum ſibi probabiliter timeat: qnod ſi pœnitens talem conſenſum rogatus dare noluerit, non abſoluatur; & ſuperior tunc vti poterit iure ſuo.

VIII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

Dvbitatio VI.

Quomodo Confeſſarius, nedum quoad alios, ſed etiam quoad ipſum pœnitentem, ſeruare teneatur ſecretò, ea quæ ex confeſſione audiuit.

Ad rationem in contrariũ ab initio poſitam reſpondetur negando maiorem. non enim Sacerdos ſolùm tenetur ratione ſigilli ſeruare tecta & ſecreta ea, quæ ex confeſſione audiuit quoad alios, ſed etiam quoad ipſum pœnitentem; itaut nec ipſe pœnitens, nec alius ſuſpicetur, & credat confitentem propter confeſſionem ab officio fuiſſe abſolutum, vel impeditum à beneficio conſequendo: aliter enim confeſſio fieret odioſa, & proniores fierent homines ad celanda in confeſſione peccata, ſi ſciant poſſe Sacerdotem vti notitia ex confeſſione comparata in damnum, & incommodum etiam temporale pœnitentium. Ita Bannes, Armilla, Sanchez, & alij *locis ſuprà cit.* quamuis alij, & multi relati ab Henriquez *lib.6. de pœnit. cap.23. n.3. in commento*, & à Sanchez *lib.3. de matrim. diſp.16. num.6.* oppoſitum tenuerint; poſſe ſcilicet Prælatum remouere ſubditum ab officio à quo amouere ſuo arbitratu ſolet, & poteſt alios, & Sacerdotem denegare ſuffragium in electione; ſi ex ſola notitia comparata in confeſſione nouerit eſſe indignum, dummodo omnis ſuſpicio quoad alios de reuelatione Confeſſoris euitetur, non autem quoad ipſum pœnitentem: ſed id quod diximus in noſtris aſſertionibus, verius eſt, & probabilius, arcerentur enim fideles à confeſſione ſi ſcirent poſſe Prælatum remouere ſubditum ab officio, & Sacerdotem denegare alicui ſuffragium in electione ex ſola notitia comparata in ſacramentali confeſſione; licèt abſit omne periculum aliis reuelandi confeſſionem.

Articvlvs LIII.

An ſi fortè pœnitens manifeſtet in confeſſione complicem, v. g. mulierem, cum qua fornicatus eſt, Confeſſarius reuelans peccatum, non ipſius pœnitentis, ſed complicis, peccet contra ſigillum confeſſionis?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Dubitatio reſoluitur.*
3. *An complex in crimine in confeſſione explicato, poßit concedere facultatem Confeſſario, vt de peccato ipſius cum ipſomet loquatur.*
4. *An Sacerdos ſciẽs per confeſſionẽ alicuius, ipſũ peccaſſe cũ aliquo, poßit hunc de tali peccato interrogare.*
5. *An Confeſſarius ſciens extra confeſſionem peccatum alicuius pœnitentis, ſi de hoc pœnitens non ſe accuſet, ſpeciatim poßit eum de illo interrogare.*
6. *An Confeſſarius debeat abſoluere pœnitentem, quẽ ipſe peccãtem vidit, ſi tale peccatũ in confeſſione neget.*
7. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & vlteriùs explicantur, quæ dicta ſunt in prima aſſertione.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Complex nullum ſecretum commmiſit Confeſſori. ergo licèt aliàs ex iuſtitia teneatur illum

oon

Google

non diffamare, non tamen ratione ſigilli, quod eſt altioris ordinis. ergo reuelando complicem non peccat contra ſigillum confeſſionis.

II. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico primò, Sacerdos reuelando complicem peccat contra ſigillũ confeſſionis. nam ſi Sacerdos nõ ageret contra ſigillũ confeſſionis reuelando complicẽ, fideles maximè abſtraherentur à confeſſione faciẽda: etenim, regulariter loquendo, ex reuelatione peccati cõplicis facilè poteſt deueniri in cognitionem criminis ipſius pœnitentis; ergo. Idẽ ſequitur inconueniens ex reuelatione peccati pœnitentis cogniti in confeſſione, & ex reuelatione complicis in crimine; ergo eadem erit obligatio ſigilli in vtroque tegendo. ergo Confeſſarius peccabit contra ſigillum confeſſionis, ſiue peccatum pœnitentis, ſiue ipſum complicem in crimine reuelet. Ita Syl. *verb. Confeſſio 3. quæſt. 6. num. 9.*

Dvbitatio I.

III. *An complex in crimine in confeſſione explicato, poßit concedere facultatem Confeſſario, vt de peccato ipſius cum ipſomet loquatur?*

Dico ſecundò, complex non poteſt concedere facultatem Confeſſario, vt de peccato ipſius cũ ipſomet cõplice loquatur. quia conſequenter reuelaretur peccatũ pœnitentis; ſed complex non poteſt dare licentiã Confeſſario, vt loquatur de peccato pœnitentis. ergo complex non poteſt hanc facultatem concedere, &c. benè Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. q. 11. art. 2. difficultate 1. §. Magiſter Soto, verſic. Sequitur etiam.*

Dvbitatio II.

IV. *An Sacerdos ſciens per confeßionem alicuius ipſum peccaſſe cum aliquo, poßit hunc de tali peccato interrogare?*

Dico tertiò, Sacerdos ſciens per confeſſionem Titij ipſum cum Platone peccaſſe, qui poſtea eidem Confeſſario confitendo non dicit, poteſt ipſum Platonem de hoc peccato in genere interrogare, licèt dicere non poſſit, quòd alius ſibi reuelauerit, & etiam in ſpecie poteſt Platonem interrogare, quando non inſurgit ſuſpicio probabilis de confeſſione alterius, vt ſi eſt de more Confeſſorum interrogare de talibus, nunquam tamen licebit interrogare de perſona Titij, quia inde ſuſpicio oriretur de confeſſione alterius. Syl. *verb. Confeſſor 1. num. 10. quæſt. 16.*

Dvbitatio III.

V. *An Confeſſarius ſciens extra confeßionem peccatum alicuius pœnitentis, ſi de hoc pœnitens non ſe accuſet, poßit eum de illo interrogare?*

Dico quartò, ſi Confeſſarius non ex confeſſione cõplicis, ſed extra cõfeſſionem ex aliorum fideli relatione peccatum pœnitentis cognouit, non ſolùm generatim, ſed etiam examinare poteſt, imò etiã debet; negantẽ tamẽ abſoluere debet. quia cogitare debet alteri Sacerdoti cõfeſſum eſſe; tum, quia in pœnitentiæ foro credendum eſt pœnitenti, ſicut contra ſe, ita & pro ſe.

Dico quintò, ſi verò Confeſſarius commiſſi, ac nõdum per confeſſionem expiati peccati notitiam manifeſtam habet, eámque extra confeſſionẽ accepit, vtpote quia oculis ſuis vidit paulò antè furantem, vel auribus audiuit blaſphemantem, atque adeò conſideratis omnibus circumſtantiis animaduertit, qui peccatum illud negat nõ eſſe diſpoſitum, tunc abſolutionem illi negare debet: quia tunc fieret apertè iniuria Pœnitentiæ ſacramento ſi ſic indiſpoſito abſolutio daretur.

Dico ſextò, ſi Confeſſarius ex audita vnius complicis confeſſione videt Petrum, quem ſcit fuiſſe alterius complicem, non fateri id mortale: roget cautè in generali ſine illius complicis nominatione, vel etiam ſpeciatim ſi tale peccatum ſit, de quo aliàs eiuſdem conditionis perſonas interrogare ſolet, vt diximus *aſſert. 3.* Negantem tamen tenetur abſoluere, quia reputare debet, vel primum complicem fortaſſe fuiſſe mentitum, aut iſtum ſecundum ex cauſa excuſante negare, quia timet ſibi, vel alteri graue detrimentum. Henriquez *lib. 6. de pœnitentia, c. 20. n. 6.* Tum, quia non poteſt vti ſcientia confeſſionis, præſertim cum periculo, vt complex in cognitionem veniat alterius complicis. Bonacina *tom. 1. de Sacramentis, diſp. 5. quæſt. 6. ſect. 5. puncto 4. num. 33. §. Si verò Confeſſor.*

Dvbitatio IV.

VI. *An Confeſſarius debeat abſoluere pœnitentem, quem ipſe peccantem vidit, ſi tale peccatum in confeßione neget?*

Dico ſeptimò, quamuis Sacerdos certò ſciat delictum pœnitentis extra confeſſionem, vtpotè, quia ſuis oculis illũ videret furantem, vel ſuis auribus audierit blaſphemantem, & etiam manifeſtè cognoſcat non fuiſſe alteri Cõfeſſario de tali peccato cõfeſſum, ſi conſideratis omnibus circũſtantiis non certò nouit pœnitentẽ non eſſe diſpoſitum, poteſt, imò debet, illũ abſoluere. quia exiſtimare poteſt, & debet confitentẽ reticere illud peccatũ rationabili cauſa, quia videlicet ſibi, vel alteri graue aliquod timet incommodum. Neque hoc aſſertum pugnat cum quinta aſſertione, nam ibi diximus non debere Sacerdotem abſoluere talem pœnitentem, ſi penſatis omnibus circumſtantiis, illum viderit non eſſe diſpoſitum. Hîc verò ſupponimus Confeſſarium non certò dignoſcere confitentem non eſſe idoneum; cùm diiudicat rationabiliter pœnitentem tale crimen in confeſſione non aperire: videatur Petrus Sotus *lect. 10. de confeßione, verſic. Monentur.*

VII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & vlterius explicantur, quæ dicta ſunt in prima aſſertione.*

Ad rationem à principio poſitam, quæ militat contra primam aſſertionem, reſpondetur negando conſequentiam; quia ſufficit commiſſio pœnitentis. nam quando confitens reuelat perſonã complicis, fuit aliquid neceſſariũ ad integrandum ſuam confeſſionẽ, & conſequenter totum hoc pertinet ad integritatẽ confeſſionis, atque ad ſacrũ ſigillum confeſſionis: tũ, quia per ſe, & regulariter loquendo, ex reuelatione peccati cõplicis facilè poteſt deueniri in cognitionem peccati ipſius pœnitẽtis, habet enim tale peccatũ maximã connexionẽ cũ ipſo peccato pœnitentis, vnde ſi illud manifeſtetur, maximè deterrerẽtur à cõfeſſione facienda.

Articvlvs LIV.

An Confeſſarius poſſit obligare pœnitentem, vt ſibi reuelet perſonam complicis, ad hoc ſolùm, quòd talis perſona corrigatur; etiamſi hoc nullo modo ſit neceſſarium ad cognoſcendam conſcientiam ipſius pœnitentis?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Declaratur, an ea quæ indirectè dicuntur in confeſſione, cadant ſub ſigillo confeſſionis.*
3. *An ſocius criminis, cognitus ex confeſſione, cadat ſub ſigillo confeſſionis.*
4. *An liceat Confeſſario ſocium criminis auditi in confeſſione corrigere.*
5. *An Confeſſarius cogere poſſit pœnitentem, vt explicet circumſtantiam, aliàs neceſſariò explicandam, ſi ex hoc Confeſſarius deueniret in cognitionem complicis.*
6. *Dubitatio reſoluitur.*
7. *An liceat pœnitenti detegere ſocium criminis, ad finem correctionis fraternæ, vel denunciationis iudicialis.*
8. *An ſit abſoluendus pœnitens, qui tenetur ad correctionem fraternam, vel denunciationem iudicialem, ſi id facere neget Confeſſario.*
9. *An liceat Confeſſario obligare pœnitentem vt ſibi complicem criminis extra confeſſionem reuelet, ad finem corrigendi, vel denunciandi, ſi ipſe Sacerdos ſolùm ſit ſufficiens ad corrigendum.*
10. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm pœnitens tenetur præcepto fraternæ correctionis corrigere eum, quem nouit eſſe in peccato mortali, quotieſcumque fuerit ſpes, quòd ille emendabitur, ſed ſæpenumero contingit, quòd ipſe pœnitens non ſit tantæ auctoritatis. vt poſſit peccatorem corrigere, & emendare. ergo tunc ipſe Confeſſarius poterit, & tenebitur obligare pœnitentem, vt reuelet ſibi huiuſmodi peccatorem complicem, vt ipſe ſua prudentia, & auctoritate correctionis fraternæ ordinem proſequatur, etiam ſi hoc nullo modo ſit neceſſarium ad cognoſcendam conſcientiam ipſius pœnitentis, & ita hanc ſententiam tenere videtur Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp. 34. n. 4. & 5.*

DVBITATIO I.

II. *An ea quæ indirectè dicuntur in confeſſione, cadant ſub ſigillo confeſſionis?*

Dico primò, ſigillum confeſſionis licèt directè non ſe extendat niſi ad illa, quæ directè ſunt materia confeſſionis ſacramentalis; indirectè tamen etiam ſe extendit ad omnia illa, quæ ſi explicentur, manifeſtari poteſt perſona pœnitentis. Nam ſigillum confeſſionis huc tendit ne in nullo euentu reuelentur peccata cōfitentis, vt patet ex *cap. omnis vtriuſque, de pœnitentijs, & remiſſionibus*; ſed peccata confitentis, ne dum manifeſtari poſſunt narrando ea, quæ directè ſunt materia confeſſionis, ſed etiam manifeſtando ea, quæ indirectè pertinent ad confeſſionem. ergo ſub ſigillo confeſſionis cadunt ea, quę directè ſunt materia confeſſionis, & ea quæ indirectè, quæ ſi manifeſtentur, deuenimus in cognitionem confeſſionis, & peccatorum pœnitentis. Videatur D. Th. *in 4. diſt. 21. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 2.*

DVBITATIO II.

III. *An ſocius criminis, cognitus ex confeſſione, cadat ſub ſigillo confeſſionis?*

Dico ſecundò, magis explicando aſſertionem primam, & ſecundam dubij præcedentis, cadit ſub ſigillo confeſſionis ſocios criminis cuius perſonam Confeſſarius cognouit ex confeſſione pœnitentis. quia Confeſſarius manifeſtando extra confeſſionem ſocium cōplicis, facilè ab alijs deuenitur in cognitionem criminis pœnitentis, ergo ſocius criminis cognitus in confeſſione cadit ſub ſacro ſigillo. Nam totum illud cadit ſub ſigilllo, quod ſi manifeſtetur à Confeſſario, facilè deueniri poteſt in cognitionem criminis confitentis; ſed ſi Confeſſarius reuelet ſocium criminis, poſſumus facilè deuenire in cognitionem criminis confitentis. ergo, &c. Maior eſt clara. Probatur minor; etenim hæc eſt hominum inclinatio, vt cognito peccato vnius extremi, quærant alterum extremum. ergo cognito ſocio criminis inquirendo homines poſſunt, per ſe loquendo, deuenire in cognitionem criminis confitentis. Syl. *verb. confeſſio 3. quæſt. 6. n. 3.*

DVBITATIO III.

IV. *An liceat Confeſſario ſocium criminis auditi in confeſſione corrigere?*

Dico tertiò, nullo modo poteſt Confeſſarius accedere ad complicem criminis, vt illū corrigat de delicto, cuius notitiam habuit in ſola confeſſione; & oppoſitum faciens eſſet reuelator confeſſionis confitentis, quia ille ſocius criminis euidenter iudicabit ex circumſtantiis, quòd ille Sacerdos ex notitia confeſſionis alterius complicis accepit talem notitiam ſui criminis. ergo perinde eſt, ac ſi Sacerdus diceret: Ego ſcio tuum crimen ex confeſſione alterius, ac per conſequens perinde eſt, ac ſi reuelaret confeſſionem, & peccatum confitentis: & ſic erit ſacrilegus, &c. Videatur Magiſter Bannes 2. 2. *quæſt. 33. art. 8. dub. 8 §. prima part, verſ. Hinc ſequitur, fol. 1274. col. 2.*

DVBITATIO IV.

V. *An Confeſſarius cogere poſſit pœnitentem vt explicet circumſtantiam, aliàs neceſſariò explicandam, ſi ex hac Confeſſarius deueniret in cognitionem complicis?*

Dico quartò, quamuis ſit probabile, quòd quando aliquis fecit aliquod peccatum, quod non poteſt hîc, & nunc confiteri niſi detegendo perſonam complicis, quæ nota eſt Confeſſario, v. g. ſi quis peccauerit cum ſua ſorore, quæ nota eſt Confeſſario, & non poteſt talis commodè confiteri alteri Sacerdoti, cui ignotus eſt, licitum eſſe tunc alieni peccati mentionem facere in ſua confeſſione, & indirectè explicare complicem quatenus eſt neceſſarium ad integritatem confeſſionis. quia confeſſio iure diuino debet eſſe integra, & Confeſſor ſub eodem ſacro ſigillo tenetur tegere peccatum confitentis, & peccatum complicis, quod ſolùm nouit in confeſſione, vt docet Paludanus *in 4. diſt. 17. q. 2. art. 1.* Adrianus *q. 1. de confeſſione, ad quartum.* Coninchus *diſp 7. de integritate confeſſionis, dub. 9. n. 89.* ergo poterit tunc pœnitens indirectè crimen complicis detegere propter integritatem confeſſionis, & conſequenter Confeſſarius ſequendo iſtam opinionem poterit exigere à pœnitente, vt explicet circumſtantiam neceſſariò explicandam pro integritate confeſſionis, etiamſi indirectè perſona cōplicis indicetur.

VI. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico quintò, nunquam tamen licitè poteſt Confeſſarius exigere à pœnitente, vt ſibi reuelet in confeſſione perſonā complicis ad hoc ſolùm quòd talis perſona corrigatur. Probatur, quia, vt habetur ex ſacro Concil. Trident *ſeſſ. 14. c. 5. de pœnit* homo tantùm tenetur confiteri propria peccata cū ſuis circūſtantijs. ergo illicitè petit, & exigit Confeſſarius à pœnitente, vt ſibi reuelet in confeſſione perſunā cōplicis ad hoc ſolùm, quòd talis perſona corrigatur: tum, quia præcepta

moralia

moralia naturalia ordinata ad fines naturalis ordinis, debent habere media eiuſdem ordinis, cùm finis, & media proportionati debeant; ſed præceptum correctionis fraternæ eſt morale, & naturalis ordinis; ergo non debet ad id præceptum implendum ordinari ſcientia acquiſita in ſacramento Pœnitentiæ, quod eſt ſupernaturalis ordinis. ergo illicitè Sacerdos exigit à pœnitente, vt ſibi reuelet in confeſſione perſonam complicis ad id ſolùm, quòd talis perſona corrigatur: ſic præclarè Bannez 2.2.q.33.*art.8.dub.8.§.Prima part, concl.* 1. Sanchez *lib.3.de matrim.diſp.*16.*n.*6. *verſic.Tandem quia præcepta.*

Dvbitatio V.

VII. *An liceat pœnitenti detegere ſocium criminis, ad finem correctionis fraternæ, vel denunciationis iudicialis?*

Dico ſextò, neque etiam ipſi pœnitenti eſt licitum tertiam perſonam deliquentem in ſacramentali confeſſione Sacerdoti detegere ad finem correctionis fraternæ, vel denunciationis iudicialis, vel ad bonam gubernationem communitatis. quia licèt pœnitens dare poſſit licentiam Confeſſario, vt de proprio peccato audito in confeſſione, loqui poſſit extra confeſſionē, vt communis ſententia Theologorum eſt cum D.Th. *3.p.in addit.q.*11.*a.*4. Non tamen confitens dare poteſt veniam, vt de peccato alterius cōplicis audito in confeſſione, loquatur Sacerdos extra confeſſionem cum eodem complice, vel cum aliis. quia ſub eodem ſacro ſigillo tenetur Sacerdos celare peccata alterius tertiæ perſonæ audita in confeſſione, ſicut peccata pœnitentis. ergo non poteſt confitens concedere Sacerdoti licentiam, vt de peccato complicis cum eodem complice, vel cum aliis extra confeſſionem loquatur ad finem correctionis fraternæ, vel denunciationis iudicialis, vel ad bonam gubernationem communitatis: videatur Bannes nouiſſimè relatus *poſt 4.concl.* §.*Colligamus ex prædictis.* Nugnus *tom.*2.*in 3.p.q.*11.*a.*1.*diffic.*2. §.*Quo ſuppoſito ſit concluſio, verſ. Tertia ratio ſit.*

Dvbitatio VI.

VIII. *An ſit abſoluendus pœnitens, qui tenetur ad correctionem fraternam, vel denunciationem iudicialem, ſi id facere neget Confeſſario?*

Dico ſeptimò, quando pœnitens tenetur præcepto correctionis fraternæ corrigere eum, quem nouit eſſe in peccato mortali, quotieſcumque fuerit ſpes quòd ille emendabitur, vel tenetur ad denunciationē complicis, vt bono communi prouideat: ſi Sacerdos in confeſſione hoc nouerit, nec poteſt, nec debet illum abſoluere niſi proponat, & promittat procedere ad correptionem, vel ad denunciationem. quia pœnitens tunc tenetur ad prædictas actiones. ergo abſolui nec poteſt, nec debet, niſi proponat, ſe ita facturum.

Dico octauò, quòd ſi per ſe ipſum pœnitens nō poteſt, vel neſcit procedere ad prædictas actiones, debet extra confeſſionē palàm facere deliquentem vel Cōfeſſori, vel alteri, qui poſſit, & ſciat corrigere, vel denūciare, vel bono communi prouidere. quia naturale ius obligat ſcientem talia delicta, vt quærat naturalia media, quibus ad prædictos fines perueniatur. ergo, cùm medium ſacramentalis confeſſionis non ſit conueniens, vt oſtenſum eſt, tenebitur alia media naturalia proſequi, extra ſcilicet confeſſionem manifeſtare alicui, qui vice ſui ignorantis, aut impotentis valeat ad eas actiones procedere: videatur Nugnus nuperrimè adductus *ſolutione ad quartum.*

Dvbitatio VII.

IX. *An liceat Confeſſario obligare pœnitentem, vt ſibi complicem criminis extra confeſſionem reuelet, ad finem corrigendi, vel denunciandi, ſi ipſe Sacerdos ſolùm ſit ſufficiens ad corrigendum?*

Dico nonò, Regulariter tamen loquendo periculoſum eſt, vt Sacerdos exigat à pœnitente, vt dicat ſibi extra confeſſionem quænam ſit perſona complicis, vt ipſe Confeſſarius procedat ad prædictas actiones quia quicumque cognouerit illum eſſe Confeſſarium pœnitentis, non diſtinguet vtrùm in cōfeſſione audierit, vel extra confeſſionē. ergo ne ſacramentum Pœnitentiæ efficiatur hominibus odibile, regulariter loquendo, periculoſum eſt, vt Sacerdos exigat à pœnitente, &c. Tū, quia ſi eſt ſocius criminis, qui corrigēdus eſt, plenè intelliget, quòd Sacerdos primū habuit notitiā delicti ex confeſſione alterius conſortis, quod eſt reuelare perſonā pœnitentis, quod fieri nullo pacto poteſt. ergo, regulariter loquendo, &c. Tū, quia ſuſpicaterur homines, quòd occaſione cōfeſſionis ſacramētalis delicta alioquin ſecreta manifeſtarentur: & ſæpè in publicā notitiā venirent. ergo ex hoc arcerentur fideles à Pœnitentiæ ſacramento. ergo periculoſūm eſt, &c. Ita optimè notauit Magiſter Bannez *loc.cit.concl.* 4.

Dico decimò, quòd ſi reſipſa in tales anguſtias redacta ſit vt nulla alia perſona inueniatur idonea ad tales prædictas actiones, niſi ipſe ſolus Sacerdos, tunc non repugnat ſecreto confeſſionis, vt Confeſſarius obliget pœnitentem, vt ſibi reuelet extra confeſſionē tertiam perſonam corrigendam. Probatur, quia qui tenetur ad corrigendum aliquem, ſiue hoc ſit neceſſariū ad eruendum hominē à culpa mortali, ſiue tenetur ad denunciandum aliquē ob boni communis cōſeruationem, ſiue ad defendendum aliquem innocentē, ſi per ſeipſum hoc immediatè facere nō valet, quia eſt ignorans, vel non eſt tantæ auctoritatis, debet homini bono, & prudenti manifeſtare, vt hoc idem exequatur, ſed Confeſſarius non amittit hoc ius, quia Confeſſarius eſt, ſi aliàs ſit vir bonus, & prudens. ergo tunc Cōfeſſario debet, & poteſt pœnitens hoc munus committere. ergo poterit ſimiliter & ipſe hoc à pœnitente exigere. hoc aſſertum colligitur apertè ex Nugno nuper relato, *ſolutione ad quartum argumentum.*

Dico vndecimò, præcedens aſſertum intelligendum eſſe, quādo ex tali modo procedendi nō ſequitur ignorantiā, & puſillorum ſcandalum in eo quòd ſacramēti Pœnitentiæ ſecretum violari putent, & ſic à confeſſione facienda fideles arceātur. quia hoc inconueniens adeò præponderat, vt quandu aliter correctio facienda fieri non poteſt, relinquenda ſit. Ita obſeruauit Magiſter Bannez citatus *in fine quartæ concluſionis.*

X. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

Ad rationem in contrariū ab initio poſitam reſpōdetur cōcedendo maiorē, & minorem, negando tamen conſequentiā: non enim poteſt pœnitens facultatem Cōfeſſario concedere, vt de peccato cōplicis audito in confeſſione cum ipſomet complice loquatur. quia ſub ſigillo confeſſionis cadit ſocius criminis, cuius perſonam Confeſſarius cognouit ex confeſſione pœnitentis; ſi peccatum ipſius cōfitentis non poterat ſufficienter, & integrè explicari, niſi cognita in cōfeſſione perſona cōplicis: vnde niſi Sacerdos alia via nouerit delictum cōplicis, quàm ex confeſſione ſacramentali pœnitētis, ſemper erit ſacrilegus ſi procedat ad correctionē tertiæ perſonæ, quia ſocius criminis ſi ad illū corrigendum acceſſerit Sacerdos probabiliter iudicabit

quòd Confeſſarius ex notitia confeſſionis pœnitentis accepit cognitionem ſui crimininis: poterit tamen Sacerdos exigere, vt pœnitens dicat ſibi extra confeſſionem, quænam ſit perſona complicis; ſed hoc non regulariter, ſed in illo tantùm caſu, de quo diximus *aſſertione* 10. immò oeque etiam in illo caſu ſt ſuſpicio aliqua oriatur, quod ſacrum ſigillum violetur, vt dictum eſt *aſſertione vltima.*

ARTICVLVS LV.

An ſolus Sacerdos ſit Miniſter Pœnitentiæ ſacramenti?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Declaratur quid intelligatur nomine clauis, & quotuplex, & quid ſit clauium poteſtas.*
3. *Dubitatio reſoluitur.*
4. *An omnis Sacerdos ſit Miniſter ſacramenti Pœnitentia.*
5. *Explicatur in quibus caſibus quilibet Sacerdos habeat iuriſdictionem abſoluendi a peccatis.*
6. *An facultas cuiuſlibet Sacerdotis abſoluendi in articulo, vel periculo mortis, ſit abſoluta, & extendatur etiam ad abſoluendum à reſeruatis, habentibus annexam cenſuram.*
7. *Quotuplex ſit iuriſdictio in foro pœnitentia.*
8. *An Cardinales habeant ordinariam iuriſdictionem in ſuos familiares.*
9. *An quilibet Sacerdos poſſit ſua peccata confiteri cuilibet Sacerdoti, etiam non approbato.*
10. *An Sacerdos approbatus in aliqua diœceſi poſſit audire confeſſiones omnium illius diœceſis ad ipſum venientium, extra eamdem diœceſim.*
11. *An Regulares expoſiti in vna diœceſi poſſint audire confeſſiones ſubditorum diœceſis, in qua ſunt expoſiti, extra illam.*
12. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, quomodo liceat Prælatis non dum presbyteratu inſignitis, iuriſdictionem abſoluendi alys Sacerdotibus concedere.*

I. *Pars negatiua probatur.*

PRælati ſacerdotio oon inſigniti poſſunt aliis poteſtatem conferre ad abſoluendum. ergo habent illum, nemo enim dat quod non habet. ergo non Sacerdos poteſt eſſe Miniſter ſacramenti Pœniteotiæ.

DVBITATIO I.

II. *Quid intelligatur nomine Clauis, & quotuplex, & quid ſit clauium poteſtas?*

Dico primò, nomine clauis intelligitur poteſtas collata Sacerdoti, per quam Sacerdos conſtituitur Miniſter ſacramenti Pœnitentiæ, qua tollitur impedimentum intrandi gloriam cœlorum. nam ſicut per claues aperitur ianua, & patet ingreſſus in cubicula, ita per clauium poteſtatem aperitur cœli ianua, quæ per peccatum originale, aut per actuale clauditur. Videatur D.Thom. *in addit. ad* 3.*p.* *q.*17.*art.*3.

Dico ſecundò, clauem hanc, ſeu clauium poteſtatem duplicem eſſe, Ordinis ſcilicet, & iuriſdictionis. Clauis Ordinis conſiſtit in charactere, qui in ordinatione confertur Sacerdoti: character autem eſt quoddam ſignaculum, quo anima inſignitur ad ſuſpiciendum, vel aliis tradendum ea, quæ ſunt diuini cultus, vt docet D.Thom. 3.*part.* *quæſt.*63.*art.*4. ſubiectatur autem in intellectu, quia diuinus cultus in quibuſdam actibus conſiſtit: clauis verò iuriſdictionis in Pœnitentiæ foro eſt quædam poteſtas, quam habet Sacerdos in ſibi ſubditos in foro pœnitentiæ. quia abſolutio à peccatis eſt actus iudicialis. ergo iuriſdictionem in ſubditos in pœnitentiæ foro requirit.

III. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico tertiò, ſolus Sacerdos poteſt, & eſt Miniſter Pœnitentiæ ſacramenti. Probatur, quia ille ſolus eſt Miniſter huius ſacramenti, qui poteſtatem habet remittendi peccata; ſed poteſtas remittendi, peccata, eſt penes ſolos Sacerdotes, iuxta illud Chriſti Domini Ioannis 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum*, &c. Quibus verbis poteſtas abſoluendi collata eſt Apoſtolis, non ſolùm quatenus repræſentabant Epiſcopos, verùm etiam quatenus vicem Sacerdotum ſuſtinebant. ergo. Hæc aſſertio eſt de fide, itaut oppoſitum ſit hæreſis manifeſta, ita enim eſt definitum expreſsè in Concilio Florentino *in tract. de ſacramentis*, *in* Concilio Tridentino *ſeſſ.*14. *canone* 6. Videatur D.Thom. *in addit.* *q.*8. *art.*1.

DVBITATIO II.

IV. *An omnis Sacerdos ſit Miniſter ſacramenti Pœnitentiæ?*

Dico quartò, non omnis Sacerdos, per ſe loquendo eſt ſufficiens Miniſter ſacramenti Pœnitentiæ. quia, vt validè adminiſtretur ſacramentum Pœnitentiæ, requiritur iuriſdictio, cùm nullus poſſit iudiciales actus exercere ſine iuriſdictione; ſed non omnis Sacerdos habet iuriſdictionem, non enim omnis Sacerdos habet iuriſdictionem ordinariam, quæ competit illis, qui ex officio ſunt Paſtores animarum; neque habet delegatam, quæ committitur, & conceditur ab habente poteſtatem ordinariam. ergo non omnis Sacerdos per ſe eſt ſufficiens Miniſter iſtius ſacramenti. hanc aſſertionem docet ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.*14.*c.*7. Sotus *in* 4.*diſt.*18.*q.*4.*art.*2.

DVBITATIO III.

V. *In quibus caſibus quilibet Sacerdos habeat iuriſdictionem abſoluendi à peccatis?*

Dico quintò, in tribus tamen caſibus quilibet Sacerdos ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine iuriſdictionem habet abſoluendi à peccatis. Primò ſuper venialia peccata tantùm: ſecundò ſuper mortalia, à quibus pœnitens antè legitimè abſolutus fuit: tertiò, in mortis articulo ſuper omnia omnino peccata. diſcrimen tamen eſt quòd primam, & ſecundam facultatem Eccleſia aufert excommunicato Sacerdoti denuntiato, vel notorio percuſſori Clerici; tertiam verò non aufert, quia non expedit propter huius ſacramenti neceſſitatem, quamuis abſolutè loquendo auferre poſſet. hanc facultatem habent tunc Sacerdotes iure diuino, participatam tamen, & deriuatam à Romano Pontifice: ſicut Epiſcopus iure diuino habet iuriſdictionem, ſicut & Parochos; nihilominus habent illam deriuatam, & participatam ab ipſo R.P. quia totum hoc ordinauit Chriſtus Dominus: cùm enim Regimen Eccleſiæ ſit Monarchicum, eſt in vno, & ab vno ſummo Pontifice ex eius ſaltem tacito conſenſu. Ita benè notauit Sotus *in* 4.*diſt.*18. *quæſt.*4. Nugnus *tom.*2. *in* 3.*p.* *q.*8. *art.*6. *dub.*1. Azor. *pars.* 2. *inſt. moral. lib.* 3. *cap.* 30. *dub.* 13. *verſic.* 2. *ſententia.*

DVBI

Dubitatio IV.

VI. *An facultas cuiuſlibet Sacerdotis abſoluendi in articulo, vel periculo mortis, ſit abſoluta, & extendatur etiam ad abſoluendum de reſeruatis habentibus annexam cenſuram?*

Dico ſextò, facultas abſoluendi in articulo, & periculo mortis conceſſa cuilibet Sacerdoti eſt abſoluta, & directa, per ſe loquendo. quia pœnitens in huiuſmodi caſu abſolutus, non tenetur lapſo eo periculo, iterum ea peccata, licèt reſeruata, confiteri, cùm ab illis fuerit directè abſolutus. quod quidem intelligendum eſt, ſi peccata illa reſeruata annexam non habuerint cenſuram: nam ſi peccata adnexam habeant cenſuram, pœnitens abſolutus à ſimplici Sacerdote aliàs non habente facultatem abſoluendi à cenſuris, tenetur elapſo mortis periculo, quamprimum commodè poteſt, ſe coram Superiore præſentare, non vt iterum ab eo abſoluatur, ſed vt oſtendat ſe abſolutum, obedientem, & paratum ad maiorem pœnitentiam ſuſcipiendam, ſi illi à Superiore iniungatur, alioquin ſi ſe coram Superiore præſentare neglexerit, in eaſdem cenſuras reincidit. Ita *in cap. eos, qui, de ſententia excommunicationis in* 6. Syl. *verb. Confeſſor.* 1. *q.* 20. Palud. *in* 4. *diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 2. Nauarr. *cap.* 26. *num.* 26.

Dubitatio V.

VII. *Quotuplex ſit iuriſdictio in foro pœnitentiæ?*

Dico ſeptimò, iuriſdictio in pœnitentiæ foro alia eſt ordinaria, quæ alicui competit ratione officij quo fungitur: alia delegata, quæ alicui competit ex commiſſione ordinarij. Iuriſdictionem ordinariam in primis habet ſummus Pontifex, eiúſque maior Pœnitentiarius in omnes Chriſti fideles: denique Epiſcopus quilibet, eiúſque Vicarius perpetuus in omnes tum Clericos, tum laicos ſuæ diœceſis: eadem eſt ratio de Prælatis exemptis comparatione ſuorum ſubditorum. Denique etiam Parochus ordinariam iuriſdictionem in omnes ſuæ parochiæ fideles obtinet: neque verò Reges, aut Duces à iuriſdictione Ordinariorum vbi illi ſedem fixam habent ſcripto aliquo iure eximuntur: quamquam quod ad ſacramentum Pœnitentiæ attinet fermè Pontificio diplomate, vel præſcripta conſuetudine licentiam obtinuerunt quemuis approbatum Confeſſarium eligendi: videatur Paludanus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 4.

Dubitatio VI.

VIII. *An Cardinales habeant ordinariam iuriſdictionem in ſuos familiares?*

Dico octauò, ex præſcripta conſuetudine Cardinales ordinariam iuriſdictionem exercent in ſuos familiares, vt proinde hi cum licentia Cardinalis cuique Confeſſario expoſito confiteri poſſint, ſicuti docet Caiet. *verb. Abſolutio, c.* 2. *in fine*, quem ſequitur Laymann *lib.* 1. *de legibus, tract.* 4. *cap.* 7. §. 7. *num.* 24.

Dubitatio VII.

IX. *An quilibet Sacerdos poſſit ſua peccata confiteri cuilibet Sacerdoti etiam non approbato?*

Dico nonò, Sacerdotes quilibet ſeculares ante Cōcilium Tridentinum ex conſuetudine omnium Eccleſiarum, cuius Sacerdoti ſimplici non approbato confitebantur, ſiue eiuſdem, ſiue alienæ eſſet diœceſis. Prima conſuetudo fuit per Concilium Tridentinum ſublata; ſecundam verò non ſuſtulit, neque de ea quidpiam egit, & à iure, & conſuetudine antiqua non eſt recedendum, niſi quatenus inuenitur expreſſum in nouo. *cap.* 2. *de tranſlat. Prælatorum.* Licebit igitur Sacerdotibus ex vbique Confeſſariis approbatis confiteri; quia variis in locis ſæpè ſacrificantes eiuſdem modi facultate opus habere videntur; ideò Prælati omnes, ac Parochi in talem facultatem libenter conſentire debent: videatur Nauarr. *in cap. placuit diſt.* 6. *de pœnitent. num.* 28. *& ſequentibus.* Bcia *part.* 4. *caſuum, caſu* 5. §. *Et conſuetudinem iſtam.* Vialdus *in ſuo Candelabro tit. de confeſſione n.* 28. *concl.* 4. Laymann *tract.* 6. *c.* 10. *de ſacramento Pœnitentiæ, n.* 4.

Dubitatio VIII.

X. *An Sacerdos approbatus in aliqua diœceſi poſſit audire confeſſiones omnium illius diœceſis ad ipſum venientium, extra eandem diœceſim?*

Dico decimò, Sacerdos generaliter approbatus, ſiue ſit ſæcularis, ſiue Regularis, ad omnes audiendas in aliqua diœceſi, poteſt omnes illius diœceſis ad ſe concurrentes audire; etiamſi ad ipſum accedant animo vitandi proprium parochum. nam huiuſmodi Sacerdos iuriſdictionem habet abſoluendi quoſcumque illius diœceſis ad ſe venientes, vt ſupponimus. ergo, &c. Non tamen talis Sacerdos generaliter approbatus in aliqua diœceſi poteſt homines alterius diœceſis audire, ſi ad ipſum accedant hoc animo, vt euitent proprium Parochum, & alteri confiteantur, non enim habet facultatem abſoluendi extraneos alterius diœceſis ad ipſum hoc animo accedentes, niſi fortè facultatem habeat à Sede Apoſtolica, vel à legitimo Superiore: videatur Bonacina *tom.* 1. *de Sacramentis, diſp.* 5. *quæſt.* 7 *puncto* 2. *num.* 8.

Dico vndecimò, Epiſcopus, Parochus, aut alter Sacerdos aliàs habens iuriſdictionem in aliquem quoad forum pœnitentiæ, poteſt eandem audire extra diœceſim, in qua fuit approbatus. quia iuriſdictio, quæ abſque ſtrepitu iudicij exercetur, poteſt extra proprium territorium, & diœceſim exerceri; ſed in foro pœnitentiæ iuriſdictio exercetur abſque ſtrepitu iudicij. ergo: tum, quia *in c. omnis vtriuſque*, cùm mentio fiat Sacerdotis, cui peccata confitenda ſunt, non verò fiat mentio loci, ſequitur non eſſe determinum locum, & territorium in quo ſubditi poſſint ſuo Epiſcopo, vel Parocho, vel alteri Sacerdoti habenti aliàs iuriſdictionem ſua peccata confiteri. Victoria *in ſumma de confeſſione, num.* 151. Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio diſp.* 34. *num.* 3.

Dubitatio IX.

XI. *An Regulares expoſiti in vna diœceſi poſſint audire confeſſiones ſubditorum diœceſis, in qua expoſiti ſunt, extra illam?*

Dico duodecimò, Regulares expoſiti in aliqua diœceſi poſſunt etiam audire confeſſiones ſubditorum diœceſis in qua expoſiti ſunt extra illam diœceſim. Nec obſtat *Clementina dudum, de ſepult.* dum dicit Religioſos expoſitos poſſe audire confeſſiones intra diœceſim: ergo non extra diœceſim, quia ſenſus eſt, vt non poſſint extra diœceſim audire illos, qui non

ſunt illius diœceſis in qua ſunt præſentati, non putarent, ſe vbi ſemel præſentati ſunt, eſſe totius orbis Confeſſores. Ita benè Magiſter Sotus *in 4. diſt. 18. q. 4. art. 3. verſic. Aliud verò dubium.* Henriquez *lib. 6. de pœnitentia cap. 7. num. 1.*

XII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, quomodo liceat Prælatis nondum Presbyteratu inſignitis iuriſdictionem abſoluendi alÿs Sacerdotibus concedere?*

Ad rationem à principio poſitam reſpondetur quòd Prælati non ordinati poſſunt quidem dare alteri poteſtatem abſoluendi, ipſi verò abſoluere nequeunt: quia habent hi Prælati iuriſdictionem ordinariam, alteri delegabilem, non tamen habent poteſtatem ad abſoluendum per ſe ipſos ſi non ſint ordinati: quia poteſtas iuriſdictionis eſſentialiter includit, vel ſaltem eſſentialiter præſupponit poteſtatem Ordinis, quam Prælati non ordinati neque habent, neque dant aliis, ſed præſupponitur poteſtas Ordinis, & Prælati ſacris Ordinibus non inſigniti dant iuriſdictionem, quam habent, & ſic alij Sacerdotes habentes à Prælatis iuriſdictionem delegatam poſſunt abſoluere, non tantùm ipſi ſi non habent poteſtatem Ordinis, quæ eſſentialiter præſupponitur ad abſoluendum à peccatis: videatur Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt* 8. *art. 1. difficultate vnica, ſolutione ad* 3. Sotus *in 4. diſt. 18. q. 4. art. 2. verſic. Circa conceſſiones.*

Articvlvs LVI.

An ſit neceſſarium, quòd homo confiteatur proprio Sacerdoti?

Svmmarivm.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Declaratur, quinam ſit proprius Sacerdos.*
3. *An ſit idem proprius Sacerdos, ac ordinarius.*
4. *Dubitatio reſoluitur.*
5. *An habentes domicilium in aliquo loco, teneantur confiteri Parocho ſolùm loci illius.*
6. *An habentes duo domicilia in quibus æquè habitant pro diuerſa anni parte, poſſint confiteri vtrique Parocho, in quorum parochia habent domicilia.*
7. *An habentes in vno loco domicilium, & in alio quaſi domicilium, ſubÿciantur Parochis ordinariÿs illorum locorum, in quibus habitant.*
8. *An vagi, qui nullum habent domicilium, poſſint cuicumque Parocho, vel Sacerdoti expoſito confiteri.*
9. *An peregrini & viatores in aliena diœceſi poſſint abſolui à peccatis reſeruatis in propria eorum diœceſi.*
10. *An qui ſolùm ad hunc finem iter agunt, euitandi ſcilicet gratia proprium Parochum, poſſint confiteri Parocho loci, vbi perueniunt.*
11. *An peccata, quæ confitentur peregrini in aliena diœceſi, ibi reſeruata ſint, non tamen in ſua, poſſint abſolui à quolibet Sacerdote, habente tantùm auctoritatem communem.*
12. *An Regulares Ordinum Mendicantium expoſiti poſſint audire confeſſiones, vndequaque venientium, etiamſi dedita opera ad illos acceſſerint? Et quid dicendum ſi accedentes ſint Religioſi alterius Ordinis.*
13. *An Sacerdotes Regulares, ab Epiſcopo approbati, poſſint id exequi, ſine conſenſu ſuorum Prælatorum.*
14. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in tertia aſſertione.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm ſicut Sacerdos & Miniſter ſacramenti Pœnitentiæ, ita & ſacramenti Euchariſtiæ; ſed quilibet Sacerdos poteſt Euchariſtiam conficere. ergo quilibet poteſt ſacramentum Pœnitentiæ miniſtrare. ergo non oportet quòd homo confiteatur proprio Sacerdoti.

Dvbitatio I.

II. *Quinam ſit proprius Sacerdos?*

Dico primò, Sacerdos proprius, ſeu ordinarius, ſecundùm largam quandam acceptionem, ille dicitur, qui in foro Pœnitentiæ habet iuriſdictionem, ſiue ordinariam ex officio, quod habet, ſiue delegatam, quam habet ex commiſſione: ſed ſecundùm propriam acceptionem proprius, & ordinarius Sacerdos dicitur ille, qui in iſto foro Pœnitentiæ habet iuriſdictionem ordinariam, ſiue particularem: qualem habet Parochus in Eccleſia parochiali, ſiue etiam generalem, qualem habent Epiſcopi in ſuis diœceſibus, & ſummus Pontifex in vniuerſo Orbe, *in cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnitent. & remiſſ.* vbi præcipitur, quòd vnuſquiſque confiteatur proprio Sacerdoti, accipitur iſta vox *proprius Sacerdos* non vt diſtinguitur à communi, ſed vt diſtinguitur ab alieno. Videatur Sotus *in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 3. §. Nihilominus.*

Dvbitatio II.

III. *An ſit idem proprius Sacerdos, ac ordinarius?*

Dico ſecundò, propriè non eſſe idem ordinarium & proprium Sacerdotem: quoniam ordinarius addit ſupra proprium Sacerdotem, quòd non ſolùm habeat iuriſdictionem ad abſoluendum à peccatis, ſed etiam ad exercenda alia officia ſpiritualia in foro exteriori: vnde Parochus non eſt propriè ordinarius, quia nullam iuriſdictionem habet in foro exteriori; eſt tamen proprius Sacerdos, quia ratione officij, non ex commiſſione conuenit ſibi cura animarum, & miniſtrare ſacramenta: vide Nugnum *tom. 2. in 3. p. q. 8. art. 3. dub. 1. §. Pro explicatione huius difficultatis.*

IV. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico tertiò, fides eſt ita vt oppoſitum ſit hæreſis manifeſta, quòd omnes fideles tenentur confiteri proprio Sacerdoti, vel alteri de illius licentia: ita habetur determinatum in Concilio Florentino *in tract. de Sacramentis*, habetur etiam expreſsè *in c. nullus 9. q. 2.* vbi dicitur; iudicium, vel ſententiam latam in alienum Parochianum, vel ſubditum, ſine licentia proprij Sacerdotis, nihil valere, neque ratam eſſe poſſe. Videatur D. Thom. 3. *p. in addit. q.* 8. *art.* 2. *&* 3. Sotus *in 4. diſt.* 18. *quæſt.* 84. *art.* 2. *§. Hoc ſuppoſito ad quæſtionem.*

Dvbitatio III.

V. *An habentes domicilium in aliquo loco teneantur confiteri ſolùm Parocho loci illius?*

Dico quartò, habentes domicilium in aliquo loco, non

non ſolùm poſſunt confiteri Parocho loci in quo domicilium habent: nam Parochus illius loci eſt proprius eorum Sacerdos; ſed etiam poſſunt confiteri alteri Sacerdoti in ea diœceſi approbato ad confeſſiones omnium ad ſe recurrentium excipiendas. quia ita communi vſu, & praxi receptum eſt; tum, quia huiuſmodi Sacerdos in hac parte vices gerit Parochi. Ita Bonacina *tom. 1. de Sacramentis, diſp. 5. quæſt. 7. puncto 2. num. 1.*

Dvbitatio IV.

VI. *An habentes domicilia in quibus æquè habitant pro diuerſa anni parte, poſſint confiteri vtrique Parocho, in quorum parochia habent domicilia?*

Dico quintò, habentes duo domicilia, in quibus æquè habitant pro diuerſa anni parte, poſſunt vtrique Parocho, in quorum parochia habent domicilia, confiteri. quia vterque illorum eſt proprius Parochus, & Sacerdos: tum, quia iuriſdictio in foro pœnitentiæ non ſequitur actualem habitationem, ſed domicilium; ſed in qualibet parochia iſte habet domicilium. ergo vterque Parochus habet veram iuriſdictionem ſuper illum. Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp. 25. ſect. 2. n. 5.*

Dico ſextò, ſatis etiam eſſe probabile quòd pro illo tempore quo quis in aliquo domicilio ex dictis habitat, Parochum illius habet tanquam proprium Sacerdotem, atque adeò ei tenetur confiteri, & in illa Eccleſia debet communicare in Paſchate; quia iſte, de quo loquimur, non debet ſimul pertinere ad duas parochias, neque ad duos Epiſcopatus, & habere duos iudices æquales: nam ſequi poſſet maxima confuſio, cùm multi exoriri poſſent caſus, in quibus neſciret cui teneretur obedire. Ita benè Palud. *in 4. diſt. 17. q. 3.* B. Anton. *3. part. ſumma tit. 17. cap. 4.*

Dvbitatio V.

VII. *An habentes in vno loco domicilium, & in alio quaſi domicilium, ſubijciantur Parochis ordinarijs illorum locorum, in quibus habitant?*

Dico ſeptimò, qui in vno loco habent domicilium, in alio verò quaſi domicilium, ſcilicet habitationem diuturnam pro aliquo tempore anni, quamuis non fixam, in quo ordine ſunt ſcholaſtici, milites, litigantes, mercatores, quando in aliis oppidis diu morantur in foro Pœnitentiæ ſubiiciuntur ordinariis Parochis illorum locorum, in quibus habitant. quia conſuetudine ita introductum eſt, & iure optimo fuit hęc conſuetudo introducta, ne huiuſmodi perſonæ ſacramentis valdè neceſſariis carerent: tum, quia conſuetudo poteſt iuriſdictionem conferre ratione taciti conſenſus, & approbationis Superioris, quam Superior eo ipſo; quo ſcit aliquos actus fieri, & non contradicit, cùm poſſit commodè contradicere, cenſetur approbare, & facultatem iuxta conſuetudinem receptam conferre: videatur Syl. *verb. Confeſſor 1. quæſt. 11.* Henriquez *lib. 6. de pœnitentia, cap. 8. num. 5.*

Dvbitatio VI.

VIII. *An vagi, qui nullum habent domicilium, poſſint cuicumque Parocho, vel Sacerdoti expoſito confiteri?*

Dico octauò, vagi qui nullum habent domicilium, poſſunt cuicumque Parocho confiteri; quia non eſt maior ratio de vno, quàm de alio, cùm nulli ſubdãtur; tum, quia vbique ſortiuntur forum, poſſúntque pro delictis alibi commiſſis puniri, vt docet gloſſ. *l. hæres abſens, verbo debebit, ff. de iudicijs.* ergo ſimiliter vbique ſortiuntur forum conſcientiæ. Caiet. *verb. Abſolutio ex parte abſoluentis. §. Libertas.* Victoria *ſumma de confeſſione, num. 155.* Syl. *verb. Confeſſor 1. quæſt. 1. fine.* Sanchez *lib. 3. de matrimonio, diſp. 25. num 5.* Itaque ſi vagus cum Parocho Neapolitano peregrinetur Romam, poterit in via ab ipſo abſolui. Laymann *tom. 2. tract. 6. de ſacramento Pœnitentia, cap. 8. num. 7. § Dico ſecundò.* Imò poteſt vagus cuilibet ex Confeſſoribus expoſitis confiteri. Henriquez *lib. 6. de pœnitentia, cap. 8. n. 5.* contra Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 25. ſect. 2. num. 7.* aſſerentem vagos debere confiteri Parocho, in cuius parochia pro tempore exiſtunt; ſed oppoſitum eſt verius, quia vagabundus nullum proprium Sacerdotem, ſeu Parochum habet. ergo quemlibet ſibi eligere poteſt: nam parochiam quilibet habet, & acquirit ratione domicilij, aut habitationis; ſed vagus non habet alicubi domicilium, nec propriè in loco habitat, ſed tantùm hoſpitatur. ergo: videantur DD. cit. & etiam Nugnus *tom. 2. in 3 part. quæſt. 8. art. 3. dub. 1. ad finem.*

Dvbitatio VII.

IX. *An peregrini & viatores, in aliena diœceſi, poſſint abſolui à peccatis reſeruatis in propria eorum diœceſi?*

Dico nonò, peregrini, & iter agentes abſentes à parochia ſua, poſſunt ſua peccata confiteri Parocho loci ad quem perueniunt, aut etiam alteri Sacerdoti approbato ad confeſſiones in eo loco audiendas. Ratio huius eſt, ne diu debeant abſtinere à confeſſione, ac ſacramentorum perceptione. Caiet. *verb. Abſolutio ex parte abſoluentis, §. Licentia dupliciter.* quam facultatem ibi Caiet. reſtringit, quando eſt neceſſaria confeſſio: ſed reſtrictionis cauſam non video, inquit Sotus *in 4. diſt. 18 quæſt. 4. art. 2. §. Similiter omnes Prelati, verſic. Tamen ſi.*

Dico decimò, peregrini, & viatores, cùm in aliena diœceſi iuſta de cauſa confitentur, poſſunt etiam abſolui à peccatis in propria ipſorum diœceſi Epiſcopo reſeruatis, ſi in diœceſi vbi confitentur reſeruata non ſunt, tunc enim omnes expoſiti Confeſſarij in illo loco, ad quem deuenerunt, poteſtatem habent illos abſoluendi, quia peregrini, & iter agentes iudicandi ſunt, & abſoluendi, ſecundùm leges, & conſuetudines diœceſis ad quam deuenerunt. ergo etiam ſi habeant caſus reſeruatos in propria ipſorum diœceſi, ſi non ſunt reſeruati vbi confitentur, poterunt abſolui à Sacerdoribus approbatis ad confeſſionea in eo loco audiendas. Henriquez *lib. 6. de pœnitentia, cap. 14. num. 8.*

Dvbitatio VIII.

X. *An qui ſolùm ad hunc finem iter agunt, euitandi ſcilicet gratia proprium Parochum, poſſint confiteri Parocho loci, vbi perueniunt?*

Dico vndecimò, peregrini, & iter agentes, qui ſolùm ad hunc finem iter agunt, vt euitent proprium Parochum, & alteri confiteantur, non poſſunt validè confiteri Parocho, aut Sacerdoti approbato ad excipiendas confeſſiones in illo loco, ad quem perueniunt. quia fraus, & dolus nemini debet ſuffragari.

ergo

ergo iter agentes ſolùm ad hunc finem, vt euitent proprium Parochum non validè,&c. Tum, quia hoc tunc non fieret iuxta intentionem & conceſſionem ſummi Pontificis, ſeu iuxta conſuetudinem per quam à ſummo Pontifice confertur iuriſdictio ad abſoluendum iter agentes, qui ad aliquem locum bona fide peruenerunt, abſque animo euitandi proprium Parochum, ſeu proprium Sacerdotem; ergo iter agentes mala fide, non validè, &c. Ita obſeruauit Suarez *tom.4.in 3. part. diſp.23. ſect.1. num.4.fine.* Coninchus *diſp.8.de Miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ, dub.8. n.161. fine.* Bonacina *tom.1. de Sacramentis diſp. 5. quæſt. 7. punct.2.num.6.*

Dvbitatio IX.

XI. *An peccata, quæ confitentur peregrini in aliena diœceſi, ibi reſeruata ſint, non tamen in ſua, poßint abſolui à quolibet Sacerdote habente tantùm auctoritatem communem?*

Dico duodecimò, peregrini, & iter agentes bona fide, ſi peccata, quæ confitentur in aliena diœceſi, ſunt reſeruata, etiamſi in diœceſi, vbi peregrini domiciliũ habent, reſeruata non ſint, tunc à ſolo Epiſcopo diœceſis, ad quam deuenerunt, vel à Sacerdote, qui ab ipſo poteſtatem habet abſoluendi à reſeruatis, abſolui poterunt: quia iter agentes bona fide iudicantur, & abſoluuntur ſecundùm conſuetudinem eius diœceſis, in qua iudicio in foro pœnitentiæ ſe ſubmittunt. ergo. Laymann *tom.2.lib.5.tr.6.c.8.n.10.de ſacram. Pœnitentia.*

Dvbitatio X.

XII. *An Regulares Ordinum Mendicantium expoſiti, poßint audire confeßiones vndequaque venientium, etiamſi dedita opera ad illos acceſſerint? Et quid dicendum ſi audientes ſint Religioſi alterius Ordinis?*

Dico decimotertiò, Confeſſarij Regulares Ordinũ Mendicantium in locoio quo ſunt approbati, excipere poſſunt confeſſiones fidelium cuiuſcumque ſint diœceſis, etiamſi dedita opera ad illos acceſſerint. nam Parochus non poteſt derogare priuilegiis à Sede Apoſtolica conceſſis, ſed Sacerdotes Ordinum Mendicantium approbati ad confeſſiones excipiendas, habent hoc priuilegium à Sede Apoſtolica. ergo, &c. Videatur Rodriquez *tom.1. qq. Reg. quæſt.60. art.6.* Bonacina *loco cit. num.9.§. Reſpondeo.*

Dico decimoquartò, priuilegio illo quod habent Confeſſarij Ordinum Mendicantium, non comprehẽdũtur Religioſi, quibus ſecundùm propria ſtatuta, extra ſuũ Ordinem, aut alteri, quàm illi, quẽ Prælatus ad hoc munus deſtinauit, confiteri permiſſum non eſt. quia priuilegiũ generale non cenſetur derogare conſuetudini, vel ſtatuto particulari, niſi id exprimatur; ſed ferè omnes Religioſi habent ſtatutum particulare, ne extra ſuum Ordinem alteri Confeſſario confiteantur. ergo, &c. Armilla *verb. Abſolutio, n.24.* Rodriquez *tom.2. quæſt.9.62. art.4.*

Dvbitatio XI.

XIII. *An Sacerdotes Regulares ab Epiſcopo approbati, poßint id exequi, ſine conſenſu ſuorum Prælatorum?*

Dico decimoquintò, Regulares Sacerdotes, qui ab Ordinario ſunt approbati ad audiendas confeſſiones in diœceſi, inſcio, vel inuito Prælato Ordinis, licitè ea poteſtate abſoluendi pœnitentes, quam ipſis Epiſcopus, aliúſve Ordinarius delegat, vti non poſſunt. quia in omnibus à Prælatorum ſuorum voluntate, & imperio dependent: tamen abſolutiones eſſent validæ; quia omnia requiſita ad Miniſtrum huius ſacramenti adeſſent, videlicet Ordo ſacerdotalis, approbatio Epiſcopi, & iuriſdictio delegata: excipe, niſi in Religionibus recepta ſit conſtitutio Iulij III. facta ad inſtantiam Generalis Ordinis Prædicatorum, qua eiuſmodi abſolutiones irritæ declarantur: videantur Miranda *in man. Prælat. tom.1. q.45. art.12.* Nugnus *tom.2. in 3. part. quæſt.8. art.5. dub.8 concl.3.*

XIV. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in tertia aſſertione.*

Ad rationem in contrarium à principio poſitam, quæ directè militat contra tertiam aſſertionem, reſpondetur quòd ſacramentum Euchariſtiæ non requirit imperium in aliquem hominem; ſecus autem eſt in ſacramento Pœnitentiæ. nam excipere confeſſiones aliorum in ſacramento Pœnitentiæ, eſt exercere actum quendam iudicialem in foro interiori, qui exerceri non poteſt, abſque iuriſdictione in pœnitentem: vnde non eſt eadem ratio de Miniſtro ſacramenti Euchariſtiæ, & de Miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ. Dices. nam quilibet pœnitens poteſt ſibi eligere quemlibet Sacerdotem à quo ſacramentaliter abſoluatur à venialibus, & à peccatis etiam mortalibus aliàs confeſſis. ergo præter poteſtatem Ordinis ad validè miniſtrandum ſacramentum Pœnitentiæ non requiritur poteſtas iuriſdictionis. Reſpondetur quòd cùm peccatum veniale, & peccatum mortale aliàs confeſſum non ſit materia neceſſaria confeſſionis, fideles non tenentur de his confiteri Sacerdoti expoſito, & approbato, ſed poſſunt confiteri cuicumque Sacerdoti; vniuerſi etenim Sacerdotes habent iuriſdictionem participatam à Romano Pontifice, vt fideles omnes abſoluere poſſint à peccatis venialibus, & à mortalibus aliàs ritè confeſſis: & ſic, vt Sacerdotes non expoſiti abſoluant à venialibus, & à culpis lethalibus aliàs ritè confeſſis, requiritur etiam quòd habeant hanc participatam iuriſdictionem à R.P. quæ colligitur ex conſuetudine, quæ ſemper fuit in Eccleſia: videatur D.Thom. *3. part. in addit. quæſt.8. art.3. ad ſecundum argumentum.* Nugnus *ibi dubio 1. ſolutione ad octauum argumentum.* Suarez *tom.4. in 3. part diſp.26. ſect.5. num.5. & 7.*

Articvlvs LVII.

Quis Sacerdos poſſit audire confeſſiones Religioſorum?

Svmmarivm.

1. *Probatur ſolum Prælatum poſſe audire confeſſiones Religioſorum.*
2. *Declaratur, an omnes habentes ordinariam iuriſdictionem, poßint concedere alteri Sacerdoti facultatem audiendi confeßiones.*
3. *An Prælati Regularium habeant auctoritatem ordinariam, & quatenus habent, delegare poſſint.*
4. *Dubitatio reſoluitur.*
5. *An Religioſi vnius Prouinciæ poßint confiteri Religioſis,*

gioſis alterius Prouinciæ, vel eiuſdem abſque licentia ſui Prælati.

6. *An Religioſus alicuius Ordinis poſſit abſoluere Religioſos eiuſdem Ordinis à reſeruatis? Et quando hoc poſſit, explicatur.*

7. *An Religioſus accedens ad aliquem Conuentum, in quo eſt caſus reſeruatus, qui in ſua Prouincia, vel Conuentu reſeruatus non eſt, teneatur ad illum caſum reſeruatum.*

8. *An Religioſi habentes caſum reſeruatum, & data opera accedentes ad locum, vbi talis caſus reſeruatus non eſt, poſſint abſolui à quolibet Sacerdote eiuſdem Ordinis, habente tantum auctoritatem communem.*

9. *An Religioſi, de licentia ſuorum Prælatorum degentes vt hoſpites extra Conuentum, poſſint abſolui a Religioſis expoſitis à ſuis Prælatis, & non expoſitis ab Epiſcopis.*

10. *An Religioſi itinerantes poſſint abſolui à reſeruatis, à quocumque Sacerdote expoſito in aliquo Ordine, vel ab Epiſcopo.*

11. *An Religioſus expoſitus in vno Conuentu, poſſit vbique fratres illius Conuentus abſoluere etiam à reſeruatis.*

12. *An Regulares Sacerdotes, nunquam admiſſi ad audiendas confeſſiones, vel ſemel admiſſi, & modò non deputati, poſſint vbique confeſſiones fratrum ſui Ordinis audire.*

13. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Probatur ſolum Prælatum poſſe audire confeſſiones Religioſorum.*

ILlud per quod impeditur diuinum mandatum, non poteſt per mandatum, vel priuilegium alicuius hominis concedi; ſed mandatum diuinum eſt ad Prælatos, & Rectores Eccleſiarum, vt diligenter vultum pecoris ſui agnoſcant, *Prou.* 7. quod impeditur ſi alius, quàm ipſe Prælatus, & Rector, confeſſionem eius audiat. ergo ſolus Prælatus Religioſorum ſibi ſubditorum confeſſiones excipere poteſt.

DVBITATIO I.

II. *An omnes habentes ordinariam iuriſdictionem poßint concedere alteri Sacerdoti facultatem audiendi confeßiones?*

Dico primò, quicumque ordinariam iuriſdictionem habent, vt Papa, Epiſcopus, eiúſque Vicarius, Parochus, & Ordinum Prælati, hi poſſunt alteri Sacerdoti delegare poteſtatem confeſſiones audiendi, ſicuti conſtat ex *c. cùm Epiſcopus, de officio Ordinarij in 6. & c. omnis vtriuſque, de pœnit. & remiſſ.* vbi præcipitur vt fideles confiteantur Sacerdoti proprio, qualis eſt Prælatus Ordinis, Parochus, Epiſcopus, Papa, vel confiteantur alieno, id eſt, alteri non ordinario, tamen cum licentia, ſeu commiſſione proprij, vti benè explicat Gab. *in 4. diſt. 17. quæſt. 2. princip.*

DVBITATIO II.

III. *An Prælati Regularium habeant auctoritatem ordinariam, & quatenus habent, delegare poßint?*

Dico ſecundò, iuriſdictio competens Prælatis Regularibus, ſiue ſint Generales, ſiue Prouinciales, ſiue Præpoſiti locales, qui toti domui præſunt, & eorum abſentium longa aliqua abſentia Viceſgerentibus, vt ſunt Vicerectores, Vicepriores, vt in Ordine Prædicatorum eſt ſub-Prior, mortuo, vel amoto Priore in Ordine D. Benedicti, Prior in Ordine S. Franciſci Vicarius, eſt ordinaria, & quaſi Epiſcopalis. quia ſunt Paſtores ordinarij ſuorum Religioſorum, ſicut Epiſcopus ſæcularium ſibi ſubditorum. Ita docent Sotus *in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 2.* Nauarr. *lib. 1. conſiliorum, de tempor. ord. conſil. 36. num. vnico, & in ſumma cap. 12. n. 75.* Sanchez *lib. 8. de matrimonio, diſp. 3. n. 9.* Nugnus *tom. 2. in 3. part. q. 8. art. 3. dub. 1. concluſione 4. verſic. In religionibus etiam.* Dicuntur non longè abeſſe Præpoſiti locales, quando Conuentui, cui præſunt intra ſpatium 24. horarum, intereſſe poſſunt: videatur Rodriquez *in ſumm. part. 2. cap. 32. num. 4.*

Dico tertiò, poteſtas Prælatorum Regularium, quæ competit illis ex iure communi, vel particulari ſuarum legum, vel ex priuilegio Principis, perpetuò eſt delegabilis. quia cùm hæc poteſtas ſit ordinaria, poteſt alteri delegari: & talis commiſſio ſi abſolutè fiat aliis Regularibus, per mortem ipſorum Prælatorum non expirat, & ſic licentia conceſſa audiendi aliorum confeſſiones, vel eligendi ſibi Confeſſorem à Prælatis Regularibus ſuis ſubditis non exſpirat morte concedentium. quia eſt gratia abſolutè facta, quæ non exſpitat mortuo, vel amoto concedente. Ita Rodriq. *tom. 1. qq. Reg. quæſt. 17. art. 11.* noſter Delacrux *lib. 1. de voto obedientia, dub. 8. cap. 6. concl. 1.* Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 28. num. 74. & 75.*

IV. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico quartò, ſecundùm ius commune nullus Sacerdos, neque ſecularis, neque Regularis, poteſt audire confeſſiones Fratrum, niſi à Prælatis ſuorum Religioſorum habeat iuriſdictionem. quia ſicut nemo poteſt audire confeſſiones fidelium alicuius Epiſcopatus, niſi ab Epiſcopo, aut à Papa iuriſdictionem ſuper ipſos fideles habeat actualem; ergo ſimiliter nullus Sacerdos, &c. Videatur Armilla *verb. Abſolutio num. 24* Delacrux *lib. 1. de voto obedientia, c. 6 dub. 11. concl. 4.* Laymann *tom. 2. lib. 5. cap. 10. tract. 6. de ſacramento Pœnitentia, num. 20. verſic. Dico tertiò.*

Dico quintò, Superiores Religionum exemptarum poſſunt facultatem concedere ſuis ſubditis confitendi aliis Confeſſariis intra, aut extra Religionem, quam profitentur, vt diximus *ſuprà dubio 41. dicto 3.* quia cùm habeant poteſtatem, & iuriſdictionem ordinariam ſupra ſuos ſubditos, poſſunt illam aliis Sacerdotibus intra, aut extra Religionem, quam profitentur, delegare in Ordine ad ſuos ſubditos. Videatur Delacrux *lib. 1. de voto obedientia, cap. 6. dubio 11.* Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæſt. 61. art. 4.* vbi adducit priuilegium ſummorum Pontificum, &c.

DVBITATIO III.

V. *An Religioſi vnius Prouinciæ confiteri poſſint Religioſis alterius Prouinciæ, vel eiuſdem, abſque licentia ſui Prælati?*

Dico ſextò, iure communi Religióſi vnius Prouinciæ confiteri minimè poſſunt cum Religioſis alterius Prouinciæ. quia Prouincia in Ordinibus Religioſis comparatur Epiſcopatui; ſed ſubditus vnius Epiſcopatus confiteri minimè poteſt de materia peccati mortalis cum alio Sacerdote in alio Epiſcopatu approbato. ergo iure communi Religioſi vnius Prouinciæ confiteri minimè valent Religioſo Sacerdoti alterius Prouinciæ, licèt eiuſdem Ordinis. Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæſt. 21. art. 3. ad finem.*

Dico

Dico ſeptimò, ex priuilegio tamen Religioſi Ordinum Mendicantium participantes, & communicantes in priuilegiis conceſſis Ordinibus Mendicantium, poſſunt de materia peccati mortalis confiteri cuiuis ſui Ordinis Sacerdoti Confeſſario, etiamſi à ſuis Prælatis licentiam non petant. quia ita multi ſummi Pontifices conceſſere ſacræ D. Franciſci Religionis Profeſſoribus. ergo Fratres Ordinum Mendicantium communicantes in priuilegiis, poterant de materia peccati mortalis cuiuis ſui Ordinis Sacerdoti Confeſſario confiteri: videatur Rodriquez *loco* nouiſſimè *adducto*.

Dico octauò, conſequenter Religioſi Ordinum Mendicantium, ſi habent authoritatem paſſiuam, vt poſſint abſolui à caſibus reſeruatis, ſiue ſit eis authoritas iſta conceſſa à Generali, ſiue à Prouinciali, ſiue à Superiore locali, poterunt confiteri, & abſolui à quouis ſui Ordinis Confeſſario. nam cùm aliàs, vt diximus *aſſertione præcedenti*, poſſint confiteri de materia peccati mortalis cuiuis ſui Ordinis Confeſſariu, ſi habent authoritatem paſſiuam, vt poſſint abſolui à reſeruatis, poterunt etiam à quocunque ſui Ordinis Confeſſario abſolui à reſeruatis.

Dvbitatio IV.

VI. *An Religioſus alicuius Ordinis poſſit abſoluere Religioſos eiuſdem Ordinis à reſeruatis? & quando hoc poſſit?*

Dico nonò, ſi quis Religioſus habet authoritatem abſoluendi à reſeruatis actiuè, ſi hanc habet à Generali, poteſt ea vti cum omnibus Fratribus totius Ordinis, ſi à Prouinciali cum Fratribus tantùm illius Prouinciæ, & etiam cum hoſpitibus ad eam venientibus: ſi à Prioribus conuentualibus cum Fratribus illius Conuentus, & cum hoſpitibus ad eum declinantibus. quia Generalis habet authoritatem ad abſoluendum Fratres totius Ordinis à peccatis reſeruatis, Prouincialis abſoluere poteſt Fratres totius Prouinciæ, & Prior Conuentualis Fratres ſibi ſubditos, & hoſpites ad ſuum Conuentum declinantes. ergo cùm hoc competat Generali, Prouinciali, & Priori conuentuali iure ordinario, & ex priuilegio perpetuo, Religioſus quilibet habens hanc authoritatem actiuè ſibi commiſſam poterit, &c. Quod verò Prior Prouincialis cum hoſpitibus ad ſuam Prouinciam venientibus, & Prior Conuentualis cum hoſpitibus ad ſuum Conuentũ declinantibus, vndequaque abſolutione, & diſpenſatione indigentibus abſolutionis, & diſpenſationis beneficium poſſint impartiri, habetur ex priuilegio Gregorij X I. adducto à Rodriquez *tom. 1. qq. Reg quæſt. 21. art. 3.* videatur *ibi.* Ad maiorem intelligentiam præcedentis aſſertionis.

Dico decimò, poteſtas, de qua *aſſerto præcedenti*, competens Magiſtro Generali, Priori Prouinciali, & Prioribus localibus, poteſt ab his delegari aliis Sacerdotibus in Ordine expoſitis. quia cùm competat Superioribus prædictis ex priuilegio perpetuo, eſt quaſi iuriſdictio ordinaria, & conſequenter aliis delegabilis: verba autem priuilegij Gregorij X I. hæc ſunt, *Concedimus Magiſtro Generali, & ſingulis Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus Fratribus eiuſdem Ordinis ibidem conſtitutis, necnon & Fratribus alijs eiuſdem Ordinis interdum ad eos declinantibus, vndecumque abſolutione, & diſpenſatione indigentibus, abſolutionis, & diſpenſationis beneficium vt poſſint impertiri.* ſic Fratribus Ordinis Prædicatorum conceſſit Gregorius X I. Idem quoque priuilegium conceſſit Fratribus Minoribus Clemens I V. videatur Ioannes Delacrux *lib. 1. de voto obedientiæ, cap. 6. dubio 11. concl. 3.* Rodriquez *loc. cit. art. 3.*

Dvbitatio V.

VII. *An Religioſus accedens ad aliquem Conuentum, in quo eſt caſus reſeruatus, qui in ſua Prouincia, vel Conuentu reſeruatus non eſt, teneatur ad illum caſum reſeruatum?*

Dico vndecimò, ſi accidat in Prouincia, vel in Conuentu, ad quam, vel ad quem declinauit Religioſus eiuſdem Ordinis, aliquem caſum eſſe reſeruatum, qui tamen non eſt reſeruatus in Prouincia, vel in Conuentu, à quo diſceſſit talis Religioſus, hoſpes tenetur etiam ad illum caſum reſeruatum. quia tenetur ſe conformare Prouinciæ, vel Conuentui, in quo reperitur: vnde ſi commiſit talem culpam in ſua Prouincia, & in ſuo Conuentu, vel in Prouincia, & in Conuentu, in quo degit hoſpes, non poteſt hic abſolui à tali peccato reſeruato ab approbatis habentibus tantùm auctoritatem communem, ſed à Prælato, vel ab eo, qui habet facultatem abſoluendi à reſeruatis. quia hoſpes iudicatur, & abſoluitur ſecundùm conſuetudines eius Prouinciæ, & Conuentus, in quo iudicio in foro Pœnitentiæ ſe ſubmittit. Videatur Coriolanus 1. *part. caſuum reſeruatorum ſect.* 3. *de 16. condit. Confeſſ. art.* 10. *num.* 1. *verſic. Et eo magis id poterunt.*

Dico duodecimò, Regularis caſu aliquo reſeruato innodatus in ſua Prouincia, vel Conuentu, ſi iuſta de cauſa pergit in aliam Prouinciam, vel Conuentum, vbi talis caſus non eſt reſeruatus, poteſt ab omnibus Confeſſariis eiuſdem Ordinis abſolui, habentibus tantùm communem poteſtatem abſoluendi. quia Confeſſarij expoſiti iudicare, & abſoluere debent ſecundùm leges, & conſuetudines ſuæ Prouinciæ & Conuentus, & non alterius Prouinciæ, & Conuentus. ergo ſi in Prouincia, & Conuentu vbi Regularis iſte confitetur, peccatum illud non eſt reſeruatum, poteſt abſolui ab omnibus Confeſſariis eiuſdem Ordinis habentibus tantummodo auctoritatem communem. Ita colligitur apertè ex doctrina Caiet. *verb. Abſolutio, cap.* 2. Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 30. ſect. 1 num* 6 Henriquez *lib. 8. de pœnitentia, cap. 14. num.* 8. contra Coriolanum *loco cit. num.* 3.

Dvbitatio VI.

VIII. *An Religioſi habentes caſum reſeruatum, etiam data opera accedentes ad locum, vbi talis caſus reſeruatus non eſt, poſſint abſolui à quolibet Sacerdote eiuſdem Ordinis, habente tantùm auctoritatem communem?*

Dico decimotertiò, Regulares Ordinum Mendicantium caſu aliquo reſeruato innodati in ipſorum Prouincia, vel Conuentu, etiamſi dedita opera, & induſtria acceſſerint ad aliam Prouinciam, vel Conuentum, vt ibi confiteantur, vbi talis caſus non eſt reſeruatus, poſſunt abſolui ab omnibus Confeſſariis expoſitis in ſuo Ordine, habentibus tantùm auctoritatem communem. nam Confeſſores Ordinum Mendicantium in ſuo Ordine approbati, ex priuilegio, cuius meminit Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæſt. 11. art. 3.* poſſunt excipere cõfeſſiones cuiuſuis Regularis eiuſdem Ordinis, iudicareque & abſoluere, iuxta leges,

&

& conſuetudines ſuæ Prouinciæ,& Conuentus. ergo ſi in Prouincia,vel Conuentu caſus,& peccatum pœnitentis,ad quam,vel ad quem ipſe declinauit,non eſt reſeruatom, poterit Confeſſor habens auctoritatem communem,illom abſoluere,etiamſi pœnitens dedita opera ad illum acceſſerit;quia talis pœoitens ex priuilegio ſibi conceſſo poteſt illi confiteri, & Confeſſarius licitè poteſt iudicare, & abſoluere pœnitentem iuxta leges, & conſuetudines Prouinciæ & Conuentus,in quo degit,vt diximus cum Caiet. Suarez,Henriquez *loc.citat.* & docet Laymann *tom.2.lib.5.cap.10. tract.6.de ſacram.Pœnit.n.10.* Confirmatur. nam Religioſi Ordinum Mendicantium expoſiti in aliqua diœceſi ad confeſſiones excipiendas,quia habent priuilegium Sixti IV. abſoluendi quoſcunque cuiuſcunque diœceſis ad illos accedenres,cuius priuilegij meminit Rodriquez *tom.1.qq.Reg queſt.60.art.6.* Nauarr.*ſumma c.27.n.266.*Suarez *tom.4. in 3. part.diſp.18. ſect.7. n.13.* poſſunt excipere confeſſiones omnium fidelium ſecularium cuiuſcumque diœceſis, etiamſi ad ipſos dedita opera accedant, vt docet Bonacina *tom. 1. de Sacram. diſp.5.q.7.puncto 2.n.9. verſic.Reſpondeo,in medio*, & iudicare,& abſoluere illos iuxta leges & conſuetudines diœceſis,in qua ſunt expoſiti, vt diximus cum Caiet. Suarez, Henriquez, Laymaon; ergo ſimiliter, quia Sacerdotes Ordinum Mendicantium ex priuilegio poſſunt excipere confeſſiones, coioſuis ſui Ordinis regularis, poterunt quoſcunque ſui Ordinis abſoluere,etiamſi ad ipſos dedita opera acceſſerint,& iudicare illos pœniteotes iuxta leges,& conſuetudioes Prouinciæ, & Conuentus,in quo confeſſiones excipiunt. ergo Regulares Ordinum Mendicantium caſu aliquo reſeruato innodati in ſuo Conuentu, ſi pergunt in alium Connentum, etiamſi dedita opera, poteront à Confeſſario ſui Ordinis abſolui, ſi in illo Conuentu, in quo degit Cooſeſſarius,illud peccatum non ſit reſeruatum.

Dvbitatio VII.

IX. *An Religioſi de licentia ſuorum Prælatorum degentes vt hoſpites extra ſuum Conuentum poſſint abſolui à Religioſis expoſitis à ſuis Prælatis,& non expoſitis ab Epiſcopis?*

Dico decimoquartò,Religioſi itinerantes, vel exiſtentes extra Conuentum cum licentia ſaltim præſumpta ſuotum Prælatorum, non aſtringuntur confiteri Sacerdotibus approbatis ab Epiſcopis, ſed poſſunt ſibi eligere Confeſſorem tantùm Religioſorũ,& non ſecularium approbatum,ſcil.à Prelatis Religionũ cuiuſcunque Ordinis; quia in Concilio Trid. *ſeſſ. 23. c.15.de Reform.* pro Religioſis nihil innouatur,ſed ante Concilium Trid.poterant Religioſi itinerantes,vel extra Conuentus ſuos commorantes, dè licentia ſuorum Prælatorum confiteri approbatis à Prælatis Religionum cuiuſcumque Ordinis. ergo. Videatur Rodriquez,*tom. 1.qq Reg.q.62.art.5.*

Dico decimoquintò,Religioſi ſimiliter itinerãtes, & extra Conuentus ſuos exiſtentes,non poſſunt confiteri Sacerdotibus Religioſis ſui Ordinis,nec alterius Religionis, niſi ſaltem à ſuis Prælatis licentiam habuerint ad audiendas confeſſiones Religioſorum qui ante Conc. Trid. licèt Sacerdotes ſeculares poterant ſibi eligere Confeſſorem quemlibet ſimplicem Sacerdotem,tamẽ Sacerdotes Regulares minimè poterant Sacerdotem religioſum ſimplicem,ſed tantùm à ſuis Prælatis approbatum, & hæc fuit conſuetudo ſemper obſeruata in Religionibus benè ordinatis, vt notauit Rodriquez *tom.1.qq. Reg. queſt.62. art.4.* ergo multo magis poſt Concilium non poterunt, &c.

Dvbitatio VIII.

X. *An Religioſi itinerantes poſſint abſolui à reſeruatis,à quocumque Sacerdote expoſito in aliquo Ordine,vel ab Epiſcopo?*

Dico decimoſextò,in licentia data Religioſo itinerandi, virtualiter clauditur licentia confitendi, non tamen poteſt etiam cum expreſſa licentia confitendi, cui velit,abſolui à reſeruatis,quia in conceſſione generali non veniunt ea, quæ ſpecialiter ſi peterentur non eſſent concedenda,prout dicitur *c.fin.de Procuratoribus*,Rodriquez nouiſſimè relatus *art.5.*

Dvbitatio IX.

XI. *An Religioſus expoſitus in vno Conuentu, poſſit vbique Fratres illius Conuentus abſoluere etiam à reſeruatis?*

Dico decimoſeptimò, Religioſus, qui facultatem habet ſui Prælati audiendi Religioſorum confeſſiones, quemconque ſubditum ſui Conuentus poteſt vbicumque terrarum abſoluere,perinde ac Prior ipſe, præterquam in caſibus reſeruatis.quia debet iudicare, & abſoluere ſubditum Prælati ſui Conuentus iuxta facultatem ſibi traditam. ergo cùm non habeat, vt ſupponimus, facultatem à ſuo Prælato abſoluendi à reſeruatis,licèt talis Sacerdos poſſit abſoluere quemcũque ſubditum ſui Conuentus vbicumque terrarum,non tamen poterit illum abſoluere à caſibus reſeruatis.Ita Magiſter Sotus *in 4. diſt.18. quæſt. 4. art. 3. §. Aliud verò dubium.*

Dvbitatio X.

XII. *An Regulares Sacerdotes nunquam admiſſi ad audiendas confeſſiones, vel ſemel admiſſi,& modò non deputati, poſſint vbique confeſſiones Fratrum ſui Ordinis audire?*

Dico decimooctauò,Sacerdotes Regulares ſunt in triplici differentia; quidam ſunt, qui nunquam fuerunt admiſſi in ordine ſuo ad audiendas confeſſiones; quidam,qui fuerunt aliquando admiſſi,ſed modò non ſunt deputati; quidam verò qui de facto ſunt deputati.Hoc ſuppoſito,

Dico decimononò,Sacerdos Regularis, qui in ſuo Ordine nunquam fuit admiſſus ad audiendas confeſſiones, poteſt abſoluere ſiue in Monaſterio,ſiue extrà alios Regulares habentes ſolùm peccata venialia. nam cùm iure diuino ea confiteri non teneamur, vnuſquiſque Sacerdos poteſt ab eis abſoluere,ſi à pœnitente eligatur. Tum, quia ſummus Pontifex tacita conceſſione concedit, vt quilibet Sacerdos à venialibus abſoluat.Videatur Nugnus noſter *tom.2.in 3.part. quæſt.8.art.3.dub.1.ſolut.ad 8.arg.*Suarez *tom.4.in 3.part. diſp.26.ſect.5.num.5.& 7.*

Dico vigeſimò, Sacerdos Regularis aliqoando admiſſus in ſuo Ordine ad cõfeſſiones excipiẽdas,poteſt in ſuo Ordine audire confeſſiones Religioſotum proprij Ordinis,ſioe in Monaſterio,ſiue extra, etiamſi de facto ad hoc munus non ſit deputatus. nam, vt ſuprà diximus, *aſſertione 7.* ex prioilegio ſummorum Pontificum quilibet Regularis Ordinum Mendicantium poteſt confiteri de materia peccati mortalis

enm quouis Confeſſario in ſiio Ordine approbato;ergo aliquando admiſſus, & indicatus idoneus ad excipiendas confeſſiones in ſua Religione poterit andire Fratres,& Religioſos ſui Ordinis, ſiue in Monaſteſterio, ſiue extrà, & illos abſoluere à peccatis mortalibus, non reſeruatis ramen. Multóque magis id exequi poterit ſi de facto ſit deputatus, & admiſſus ad audiendas confeſſiones. Videatur Coriolanus *p.1. caſuum reſer. ſect.3. de 16.condit. confeſ.art.11. num.2. verſ. ſi verò ille Sacerdos.*

XII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

Ad tationem in contrarium à principio poſitam reſpondetur quòd Rector Eccleſiæ debet vultum pecoris ſui eognoſcere dupliciter, vno modo pet ſollicitam exterioris conuerſationis conſiderationem, qua inuigilare debet ſuper gregem ſibi cummiſſum, & in hae eognitione non oportet quòd credat ſubdito, ſed eertitudinem facti in quantum poteſt inquirat. Alio modo per confeſſiouis manifeſtationem; & quantum ad hane cognitionem non poteſt maiorem eertitudinē accipere, quàm vt ſubdito credat. quia in foro confeſſionis creditur homini & pro ſe,& contra ſe, non autem in foro exterioris iudicij, & ideo ad hanc cognitionem ſufficit, quòd credat ſubdito dicenti ſe alteri abſoluere valenti fuiſſe coofeſſum, & ſic talis cognitio peeoris poteſt Superior alteri Sacerdoti committere. Videatur D. Thom. 3. *part. in addit. q.8. ar.5. ad ſecundum argumentum.*

ARTICVLVS LVIII

An Nouitij teneantur confiteri Confeſſario à Superiore illis aſſignato, & mutando Confeſſarium, teneat abſolutio?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Declaratur an Nouitij non profeſſi teneantur ad ſtatuta, & præcepta Religionis, in qua ſunt.*
3. *An Nouitij non profeſſi gaudeant priuilegio fori, & canonis.*
4. *An Nouitij non profeſſi poſſint excommunicari à Prælatis.*
5. *An Nouitius, committens delictum, contra aliquam conſtitutionem Pontificiam, poſſit à Superiore Religionis puniri pœna cōminata in eadē conſtitutione.*
6. *Dubitatio reſoluitur.*
7. *An Nouitij non profeſſi, virtute Bullæ cruciatæ, vel alterius Iubilei, poſſint ſibi eligere Confeſſarium, & abſolui à caſibus reſeruatis ſuo Prælato.*
8. *An Nouitij non profeſſi, incidentes in caſus reſeruatos R.P. vel Epiſcopo loci, poſſint abſolui à Superioribus Religionum.*
9. *An Nouitij eligentes ſibi Confeſſarium, præter aſſignatum à Prælato, peccent mortaliter, & validè confiteantur.*
10. *An Religioſi profeſſi Ordinum Mendicantium, debeant confiteri tantùm Confeſſorio pro illis, à Prælatis nominato.*
11. *An Nouitij non profeſſi poſſint ſe confiteri cuicumque Sacerdoti approbato in Ordine in quo degunt, & ab illo abſolui, nedum à mortalibus, ſed etiam à reſeruatis.*
12. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, an poſſint Superiores Mendicantiū reuocare facultatē confitendi ſemel admiſſis in Ordine.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm Superior in Religione, ſicut delegat facultatem talibus, vel talibus ſuis ſubditis Sacerdotibus, vt excipiaot confeſſiones aliorum; ita poteſt limitare facultatem quoad perſonas pœnitentes, vt ſcil. has, & non illas audiant. ergo Nouitij ſubditi tenentur confiteri deputato Confeſſario à Superiore, & ſi alteri Sacerdoti non aſſignato, etiamſi pro aliis ſit expoſitus, confiteantur, confeſſio erit inualida.

DVBITATIO I.

II. *An Nouitij non profeſſi teneantur ad præcepta & ſtatuta Religionis in qua ſunt?*

Dico primò. Nouitij qui nondum in Religione profeſſionem emiſerunt, non adſtringuntur præceptis, & ſtatutis Religionis, & eius Superiorum. quia nondum in Religioſorum ſodalitium ſunt perfectè admiſſi. Tum, quia non ſunt partes communitatis Religioſorum, ſed in via, vt ad eam communitatem per profeſſionem admittantur; ſicut Catechumenus non tenetur legibus Eccleſiæ, quia non eſt verum membrum Eccleſiæ, ſed eſt in via vt per Baptiſmum fiat. Videatur Syl. *verbo Religio.5. quæſt.6.* Armilla *verb. Nouitius n.*18. Sanchez *tom.2. in Præcepta lib.6. c.10. n.7.* licet alij teneant Nouitios præcepto Superioris ligari, & cogi poſſe, ſi in probatione permanere velint; quia dum in probatione verſaotur, ſe Superiori ſubiiciunt, & obligant. Azor. *part.1. inſt. moral. lib.12. cap.2. dub.10.*

Dico ſecundò, conſequenter quando Superior Religionis, vel Regula abſolutè imponit præceptum obligans communitatem, eo præcepto non comprehenduntur Nouitij. quia Superiorum, & Regulæ intentio eſt eos ſolos obligare, qui plenè Superioribus, & Regulæ ſubiiciuntur, & ſunt veræ partes illius communitatis, & in quos iuriſdictionem plenam acquiſierunt: videantur DD. cit. Caiet. *ſum. verbo Nouitius, ad finem.* Henriquez *lib.6. de pœnit. cap.16. n.3. ad finem.*

DVBITATIO II.

III. *An Nouitij non profeſſi gaudeant priuilegio fori, & Canonis?*

Dico tertiò. Nouitij gaudent priuilegio fori, ac proinde conueniri non poſſunt coram iudice ſeculari, neque alio Eccleſiaſtico. quia dum permanent in probatione, exemptus eſt Nouitius à quacunque alia iuriſdictione. Gaudent etiam priuilegio Canonis, qua ratione ipſos percutiens innodatur ſententia excommunicationis. *cap. Religioſo, de ſententia excomm. in 6.* Lopez *p.1. Inſtruct. cap. 47. verſ. ſed vtrùm.* Azor. *p.1. lib.12. cap.2. quæſ.11.*

DVBITATIO III.

IV. *An Nouitij non profeſſi poſſint excommunicari à Prælatis?*

Dico quartò. Nouitij non poſſunt excommunicari à Prælato Religionis. quia excommunicatio ſecundùm veriorem ſententiam non poteſt ferri ob delictum præteritum, ſed ob delictum futurum ratione contumaciæ non obediendi; ſed Prælatos non poteſt ſuo præcepto obligare Nouitios, nec excommunicatione præcepto adiuncta; quia non plenè Nouitij Superioribus, & Regulæ ſubiiciuntur, nec ſunt veræ partes communitatis, nec ſunt admiſſi in corpus Religionis tanquam membra illius, donec profeſſionem emiſerint. ergo. Henriquez *lib.6. de pœnit. c.6 1. n.3. lit. T.*

vbi

vbi fatetur poſſe excommunicari à proprio Epiſcopo; quod negat Sanchez *lib. 6. in Præcepta, cap. 10. num. 17.* Nam, inquit, cùm à iuriſdictione Epiſcopi ſint Nouitij omninò exempti, non poterunt ab ipſo excommunicari.

Dico quintò, poteſt tamen Prælatus ſi aliquam pœnam ratione delicti commiſſi Nouitio imponeret, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ eidem præcipere, vt pœnam illam ſubiret. quia ad eam pœnam imponendam in foro exteriori habet iuriſdictionem; ergo poterit quoque ſub excommunicatione eidem præcipere illius obſeruantiam. Videatur Azor. *part. 1. inſtit. mor. lib. 12. cap. 2. quæſt. 11.*

Dubitatio IV.

V. *An Nouitius committens delictum contra aliquam conſtitutionem Pontificiam, poßit à Superiore Religionis puniri pœna comminata in eadem conſtitutione?*

Dico ſextò, quando Pontifex conſtitutione, aut præcepto aliquo interdiceret aliquid ſub pœna excommunicationis, ſi Nouitius id præceptum violaret, poſſet Superior Religionis eos punire fulminando ſententiam illam à Pontifice comminatam tranſgreſſoribus. quia dum Nouitij manere volunt in Religione, Superior Religionis eſt legitimus iudex ad imponendas pœnas eorum delictis condignas. Videatur Sanchez nuper relatus.

VI. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico ſeptimò. Secundùm ius commune poſſunt Nouitij eligere ſibi Confeſſarium, & ab eo abſolui à caſibus reſeruatis in Religione, ac poſſent ſi Nouitij non eſſent; itaque per illos Sacerdotes poſſunt abſolui à caſibus reſeruatis in Religione, per quos ſi in ſæculo permanerent, poſſent. quia non ſunt verè Religioſi, nec Prælatorum Religionis ſubditi: tum, quia non ſunt Religioſi quoad onera, ſed ſolùm quoad honores: valeret igitur abſolutio illis data à peccatis mortalibus, & à caſibus reſeruatis in Religione, ſi alteri Confeſſario confiterentur, cui poſſent ſi manſiſſent in ſæculo, & illi caſus non eſſent aliàs in ſæculo reſeruati. Ita benè Lopez noſter *tom. 1. inſtruct. cap. 47. verſic. Sed vtrùm.* Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæſt. 11. art. 11.* Fernandez *part. 3. cap. 9. §. 8. de Bulla Cruciatæ, num. 9. fol. 667.*

Dubitatio V.

VII. *An Nouitij non profeßi, virtute Bullæ Cruciatæ, vel alterius Iubilæi, poßint ſibi eligere Confeſſarium, & abſolui à caſibus reſeruatis ſuo Prælato?*

Dico octauò, Nouitij virtute Bullæ Cruciatæ, ſeu alterius Iubilei, poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, & abſolui à caſibus reſeruatis ſuo Prælato. quia non ſunt, vt diximus, verè Religioſi, & prohibitiones Apoſtolicæ, quibus mandatur Religioſis, ne virtute Cruciatæ alteriúſve Iubilei Confeſſores ſibi eligant, tantùm loquuntur de Religioſis profeſſis. Videantur Rodriquez, & Ferdinandez *locis citatis.*

Dubitatio VI.

VIII. *An Nouitij non profeßi, incidentes in caſus reſeruatos R.P. vel Epiſcopo loci, poßint abſolui à Superioribus Religionum?*

Dico nonò, Nouitij in aliqua Religione approbata, ſi incidunt in caſus reſeruatos R.P. vel Epiſcopo loci, in quo degunt, poſſunt abſolui à Prælatis Religionis, cuius habitum ſuſceperunt, ſi talis Religio habeat priuilegia, quæ conceduntur, vt Regulares poſſint abſolui à ſuis Prælatis ab omnibus reſeruatis à iure, & ab homine. quia Nouitij in materia fauorabili inter Religioſos computantur, ſed poſſe abſolui à caſibus reſeruatis, quid fauorabile eſt; ergo Nouitij poterunt, &c.

Dubitatio VII.

IX. *An Nouitij eligentes ſibi Confeſſarium, præter aßignatum à Prælato, peccent mortaliter, & validè confiteantur?*

Dico decimò, Nouitij ſi ſubreptitiè elegerunt ſibi Confeſſarium præter nominatũ ad confeſſiones Nouitiorum audiendas, non peccarent mortaliter. quia cùm non ſint verè Religioſi, non tenentur aſperitates Ordinis, mãdata, & præcepta Prælatorum lege coactiua ſub pœna peccati mortalis ſeruare, ſed tantùm ſunt obligati ad pœnam electionis à Religione, ſi ea non ſeruauerint, & tales confeſſiones eſſent validæ, ſi eligerent Confeſſariũ, qui ſi in ſæculo permanerent, poſſet illos abſoluere: nam talis Sacerdos eſſet tunc proprius eorum Confeſſor. ergo. hoc aſſertum colligitur apertè ex DD. ſuprà citatis, Lopez, & Rodriquez.

Dubitatio VIII.

X. *An Religioſi profeßi Ordinum Mendicantium debeant confiteri tantùm Confeſſario pro illis à Prælatis nominato, ita vt confeßiones ſint validæ?*

Dico vndecimò, Religioſi iuuenes, aliàs profeſſi, Ordinum Mendicantium, debent confiteri Confeſſario nominato à Prælatis ad confeſſiones iuuenum profeſſorum excipiendas. quia debent ſeruare ſtatuta Ordinis, & Religionis quam profitentur. ergo ſi ſecundùm ſtatuta, & conſuetudinem Ordinis ſignantur Confeſſarij, quibus iuuenes profeſſi confiteantur, iſtis nominatis, debent iuuenes profeſſi confiteri. Videatur Coriolanus *part. 1. de caſibus reſeruatis, de condit. 16. Confeſſ. ſect. 3. art. 19. num. 1.*

Dico duodecimò, ſi tamen hi iuuenes profeſſi confiterentur aliis Confeſſariis præter nominatos ad eorum confeſſiones excipiendas, expoſitis tamen in Ordine, quem profitentur, abſolutiones de materia peccati mortalis eſſent validæ. quia ſtatutum Religionis non poteſt reſtringere facultatem, & priuilegium à Romanis Pontificibus conceſſum in fauorem ſubditorum Religioſorum Ordinum Mendicantium, cùm fauores ſint ampliandi, & odia reſtringenda, *l. odia 15. de regul. iur. in 6.* Vnde nullus inferior poteſt reſtringere cõceſſionem, indultum, aut priuilegium per Principem alteri conceſſum, ſed Religioſi profeſſi Ordinum Mendicantium habent priuilegium à multis ſummis Pontificibus conceſſum, vt de materia peccati mortalis poſſint cum quouis Ordinis Sacerdote confiteri, etiam quòd à ſuis Prælatis licentiam non petant. ergo iuuenes profeſſi, & quilibet

R 2 alius

alius profeſſus Ordinum Mendicantium ſi de materia peccati mortalis cuiuis Ordinis Confeſſario, præter nominatos à Prælatis, confiteatur, abſolutiones ſunt validæ, cùm habeat priuilegium, &c. huius priuilegij meminit Rodriquez *tomo 1. qq. Reg. quæſt. 21. art. 3.* Sorbus *in ſuis additionibus ad comp. priuil. tit. Abſolutio ordinaria quoad fratres.* Coriolanus *part. 1. caſuum reſeruatorum, ſect. 3. art. 21. num. 16.*

Dvbitatio IX.

XI. *An Nouitij non profeſſi poſſint ſe confiteri cuicumque Sacerdoti approbato in Ordine in quo degunt, & ab illo abſolui, nedum à mortalibus, ſed etiam à reſeruatis?*

Dico decimotertiò, etiam Nouitij nondum profeſſi in Religionibus Ordinum Mendicantium, ſi ſubreptitiè cuiuis Confeſſario tantùm pro Religioſis à Prælatis approbato de materia peccati mortalis confiteantur, validè abſoluuntur. quia Nouitij quantum ad fauores inter Religioſos computantur; ſed poſſe abſolui de materia peccati mortalis à quouis Ordinis Confeſſario, eſt fauorabile priuilegium Religioſis Ordinum Mendicantium conceſſum; ergo illo gaudent Nouitij nondum profeſſi; ergo validè abſoluerentur ſi confiterentur, &c.

Dico decimoquartò. Nouitij peccata committentes in Ordine Superioribus reſeruata, validè non poſſunt abſolui à Confeſſario pro Religioſis tantùm in Ordine à Superioribus approbato. quia talis Confeſſarius debet iudicare, & abſoluere iuxta facultatem ſibi traditam; ſed Confeſſarij in Ordine pro Religioſis expoſiti communiter non habent facultatem abſoluendi à caſibus in Ordine reſeruatis; ergo ſi inciderint Nouitij in caſus Prælatis in Ordine reſeruatos, non poſſunt abſolui à Confeſſariis expoſitis in Ordine, habentibus tantùm facultatem communem: tum, quia licèt caſus reſeruati in Religione non habeant locum in Nouitiis nondum profeſſis, vt neque præceptorum obligatio, vt docet Sà *in ſua ſumma, verb. caſus num.* 8. tamen Confeſſarij pro Religioſis in ſuo Ordine expoſiti debent iudicare, & abſoluere iuxta facultatem, quam habent; ergo ſi non habent facultatem abſoluendi in Ordine à caſibus reſeruatis, non poterunt validè Nouitios abſoluere à caſibus in Ordine reſeruatis. Tum, quia ſicut ſi peregrini, & itinerantes iuſta de cauſa in aliena diœceſi confiteantur, ſi habent peccata in diœceſi, vbi confitentur, reſeruata, etiamſi in propria ipſorum diœceſi reſeruata non ſint, abſolui non poſſunt, niſi ab Epiſcopo loci, vbi confitentur, vel ab eo, qui ab ipſo poteſtatem habet ſuper reſeruata; ergo ſimiliter non poterunt Confeſſarij in Ordine habentes tantùm facultatem communem abſoluere Nouitios à reſeruatis in Religione, etiamſi tales caſus reſeruati non habeant locum in Nouitiis, non quia reſeruati ſunt pro Nouitiis, ſed ex defectu facultatis Confeſſariorum habentium tantùm in Ordine facultatem communem. Poſſunt tamen Nouitij abſolui ſacramentaliter à peccatis etiam intra Ordinem reſeruatis, & à cenſuris Eccleſiaſticis abſque licentia Prælatorum eiuſdem Ordinis per illos Sacerdotes, per quos poſſent abſolui, ſi in ſæculo degerent, vt diximus *aſſertione* 7. cum Lopez *part. 1. Inſtruct. cap. 47. verſic. ſed verùm.* Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæſt. 21. art. 11.*

XII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, an poſſint Superiores Mendicantium reuocare facultatem confitendi ſemel admiſſis in Ordine?*

Ad rationem in contrarium reſpondetur quòd licèt in arbitrio Superioris in Religione ſit poſitum talibus, vel talibus ſuis ſubditis Sacerdotibus delegare ſuam auctoritatem, vt aliorum in Ordine ſuſcipiant confeſſiones, tamen eo ipſo, quo tales Sacerdotes ſunt in Ordine expoſiti, poſſent audire confeſſiones omnium Religioſorum Ordinis ex priuilegio ſummorum Pontificum, vt diximus *aſſertione 7. dubij præcedentis*, quod priuilegium non poteſt limitari à Superioribus Religionis, cùm à R. Pontifice ſit conceſſum, & cùm hoc priuilegium ſit fauorabile, illo gaudent etiam Nouitij cùm in fauorabilibus inter Religioſos computentur; validæ igitur erunt confeſſiones de materia peccati mortalis à Nouitiis, & ab aliis Religioſis profeſſis factæ Sacerdoti ſolùm in Ordine expoſito. Videantur DD. in hac difficultate adducti.

Articvlvs LIX

An Prælati Regularium Ordinum Mendicantium poſſint ſibi ſubditos abſoluere à caſibus Papalibus?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur an Superiores Mendicantium habeant auctoritatem Epiſcopalem circa Fratres, & Moniales ſibi ſubditas.*
3. *Dubitatio reſoluitur, & explicatur, an Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis? Idem inquiritur de Prælatis Regularium.*
4. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum ſuis ſubditis in inhabilitatibus contractis ob delictum occultum? Idem inquiritur de Prælatis Regularium.*
5. *An Epiſcopi, vel Prælati Regularium poſſint hanc ſuam facultatem alteri committere, vt cum ipſis diſpenſetur.*
6. *An Epiſcopus vel Prælati Regularium, vel idem Sum. Pontif. poſſint per ſe ſecummet diſpenſare in omnibus, in quibus poſſunt cum ſibi ſubditis.*
7. *An Pontifex, Epiſcopus, vel Prælati Religionum, poſſint ſe ipſos excommunicare, vel ſacramentaliter abſoluere, vel indulgentias ſibi ipſis concedere.*
8. *An habentes facultatem delegatam diſpenſandi cum tota aliqua communitate, vel cum determinato numero perſonarum, poſſint etiam ſecum diſpenſare in iiſdem, in quibus poſſunt cum communitate, vel cum aliis particularibus.*
9. *An Prælati Regularium poſſint abſoluere à cenſuris Incurſis ante ingreſſum Religionis.*
10. *An Prælati Regularium poſſint abſoluere ſubditos à cenſuris etiam publicis.*
11. *An per Bullam Cruciatæ poſſit abſolui nominatim excommunicatus.*
12. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, An ſint reuocata priuilegia Regularium in Ordine ad ſuos ſubditos.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm eſt excommunicatio latæ ſententiæ Pontifici reſeruata contra Confeſſores ſæculares, vel Regulares quorumcunque Ordinum, & Religionis, quibuſuis

quibuſuis priuilegiis,& indultis ſuffultus, qui abſoluere præſumunt à caſibus claré,vel dubiè in Bulla Cœnæ contentis,aut ab aliis caſibus papalibus. Ita ex decreto Congr.Cardinalium de mandato Clem. VIII. relato à Quaranta *verbo caſus n.13.& 14.* ergo. de hac difficultate ſuprà egimus:hic autem iterum eam examinandam duximus,vt aliquas ibi non adductas aſſertiones explicemus. Pro reſolutione igitur, & declaratione,

DVBITATIO I.

II. *An Superiores Mendicantium habeant auctoritatem Epiſcopalem circa Fratres, & Moniales ſibi ſubditas?*

Dico primò,omnes Generales,Prouinciales,& Superiores locales Ordinum Mendicantium,& fruentiũ eorum priuilegiis per Motũ proprij ſanctiſſimi Pij V. cuius verba refert Manuel Rodriq.*tom.1. qq.Reg.q.61. a.9.*gaudent prorſus eadem facultate erga alios Regulares ſibi ſubditos,& Moniales,qua gaudent Epiſcopi erga ſuos ſubditos virtute ſacri Concilij Tridentini *ſeſſ.24.cap.6. de Reform.* nam aliàs,inquit in ſuo Motu proprio piiſſimus Pontifex,ſubditis Regularium Prælatorum non eſſet ita , ac ſæcularibus prouiſum. Videatur noſter Ioannes Delacrux *lib. 1. de voto obedientia,cap.6. dub.7.concl.1.* Sanchez *tom.1. in Precept.lib.6. cap.15. num.* 78. Coriolanus *part.1. caſuum , ſect. 1. art.22.num.6.*

III. *Veritas aperitur,& explicatur*

DVBITATIO II.

An Epiſcopus poßit diſpenſare in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis ? Idem inquiritur de Prælatis Regularium.

Dico ſecundò,per Concilium Trid.*ſeſſ.24. cap.6.de Reform.*totum hoc conceditur Epiſcopis. *Liceat,ait ſacrum Concilium,Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus , excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario,& exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare , & in quibuſcumque occultis , etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis , delinquentes ſibi ſubditos in diœceſi ſua per ſe ipſos , aut Vicarium ad id ſpecialiter deputatum in foro conſcientiæ gratis abſoluere.* ergo cùm per Motum proprium ſanctiſſimi Pij V. vt diximus *aſſert.præcedenti*,Generales,Prouinciales,ac Superiores locales Ordinum Mendicantium gaudeant prorſus eadem facultate erga alios Regulares , & Moniales ſibi ſubditas , qua gaudent Epiſcopi , poterunt ab omnibus caſibus Papalibus , & Epiſcopalibus , &c. Videantur Ioanes Delacrux, Sanchez, Coriolanus *locis cit.* Nauarr. *ſumm. cap.27. num.194.* Azor. *part.2. inſtit. moral.lib.3. cap. 31. §. Confert item Epiſcopus.*

DVBITATIO III.

IV. *An Epiſcopus poßit diſpenſare cum ſuis ſubditis,in inhabilitatibus contractis,ob delictum occultum? Idem inquiritur de Prælatis Regularium.*

Dico tertiò , poteſt Epiſcopus diſpenſare virtute Concilij Tridentini *ſeſſ.24. cit.cap.6. de Reform.*in inhabilitatibus contractis ob delictum occultum cum ſibi ſubditis.quia ſub nomine ſuſpenſionis,irregularitatis,& caſus occulti intelligitur inhabilitas.Ita Henriquez *lib.13.de excomm.c.56.n.1.* Sanchez *lib 6.in Præcepta c.15.n.78.*Leſſius exiſtimat hoc probabile *lib.2.de inſtitia,cap.135.dub.25.num.140.*

Dico quartò,conſequenter Generales,Prouinciales, & Superiores locales Ordinum Mendicantium , & fruentium eorum priuilegiis,poterunt cum ſuis ſubditis diſpenſare in inhabilitatibus contractis ob delictum occultum. quia gaudent eadem facultate erga alios ſubditos Regulares per Motum proprium ſanctiſſimi Pij V.vt diximus *aſſert.1.*qua gaudent Epiſcopi virtute Concilij Trid.*ſeſſ.24.cit.* ergo cùm Epiſcopi diſpenſare poſſint in inhabilitatibus contractis ex delictis occultis,poterunt & Generales,Prouinciales, & Superiores locales,&c. Tum,quia per priuilegia concedentia abſolutionem ab omnibus caſibus reſeruatis cenſuris,& pœnis conſurgentibus ex delictis occultis,poſſet Sacerdos habens tale priuilegium abſoluere in foro conſcientiæ à priuationibus , & inhabilitatibus prædictis ; ſed Prælati Ordinum Mendicantium habent priuilegia,per quæ abſoluere poſſunt ſibi ſubditos Regulares ab omnibus cenſuris, & pœnis etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis.ergo,&c.Maior probatur, quia,vt benè notauit Sanchez *lib.6. oper. mor. cap. 15. num.78.*Inhabilitates ſunt quædam pœnæ.Minor verò patet ex conſtitutione ſanctiſſimi Pij V. quæ eſt 129. in Bullario,cuius initium eſt , *Dum ad congregationem,* per quam concedit Prælatis Congregationis Caſſinenſis poteſtatem abſoluendi ſibi ſubditos ab omnibus reatibus,& pœnis , etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis; ſed Superiores Ordinum Mendicantium communicant in priuilegiis conceſſis,& concedendis omnibus Regularibus. ergo communicant in hoc,abſoluendi ſcilicet ſibi ſubditos ab omnibus cenſuris , & pœnis , & conſequenter inhabilitatibus. Videantur Henriquez,& Sanchez *locis citatis.*

DVBITATIO IV.

V. *An Epiſcopi, vel Prælati Regularium poßint hanc ſuam facultatem alteri committere,vt cum ipſis diſpenſetur ?*

Dico quintò , Epiſcopi , & Prælati Regularium vt ſunt Generales , Prouinciales , & Præpoſiti locales, poſſunt ſuo Confeſſario committere vt abſoluat illos,& cum illis diſpenſet ab omnibus , à quibus poſſunt ipſi abſoluere , & in his omnibus , in quibus ipſi cum ſuis ſubditis poſſunt diſpenſare. Probatur , quia non debent eſſe peioris conditionis , quàm ſubditi ; tum,quia Congregatio DD.Cardinalium ſuper Concilium declarauit Epiſcopos incidentes in caſus ipſis conceſſos erga ſubditos in Concilio Trident. *ſeſſ.14. de Reformatione,cap.6.* poſſe abſolutione , & diſpenſatione ſui ad id ab ipſis electi Confeſſoris vti. ergo, &c.Videatur Armilla *verb. Monachus,n.9.* Palud. *in 4. diſt.38.quæſt.4.art.4. concl.8.num.* 46. D.Anton. 2 *part. tit.11.cap.2.§.9. verſic.Item non.* Sanchez *lib. 4. in Præcept.cap.37.num.42.*

Dico ſextò, non obſtat contra præcedens aſſertum illud axioma , *Nemo dat , quod non habet* ; at Prælati non poſſunt ſe ipſos abſoluere , neque ſecum diſpenſare ; videtur ergo nec aliis pro ſe ipſis poſſe hanc facultatem tribuere. hoc , inquam , non obſtat. nam illud axioma intelligitur de eo , quod nullatenus habetur , qui enim nullatenus habet poteſtatem abſoluendi , aut diſpenſandi , neque pro ſe , neque pro aliis , nequit eam aliis pro ſe concedere : at ſi intelligatur illud axioma

de non habente poteſtatem erga ſe, non eſt verum; quia Pontifex nequit ſe ſacramentaliter abſoluere, vt iuxta veriorem ſenteutiam Confeſſatius ab ipſo electus reeipit ab eo facultatem abſoluendi ipſum.

Dvbitatio V.

VI. *An Epiſcopus, vel Prælati Religionum, vel idem Sum. Pontifex poßint ſecummet diſpenſare in omnibus, in quibus poſſunt cum ſibi ſubditis?*

Dico ſeptimò, probabile etiam eſt aſſerere, Romanum Pontificem, Epiſcopos, Prælatos ſimiliter Regularium, immediatè, verè, & propriè ſecum diſpenſare poſſe in his omnibus, in quibus poſſunt cum ſibi ſubditis. quia idem ſecundùm diuerſas rationes poteſt eſſe agens, & patiens reſpectu ſui ipſius, vt Sacerdos miniſtrans ſibi Euchariſtiam, quatenus miniſtrans dicitur ſibi conferens, & agẽs, quatenus autem recipit dicitur recipiens, & patiens. ergo Pontifex, Epiſcopus, & Prælatus regularis poterit fungi vice Superioris, & ſubditi: Superioris quidem quatenus diſpenſat; ſubditi quatenus ſecum diſpenſat. ergo immediatè, verè, & propriè, &c. quia actus huiuſmodi iuriſdictionis non requirit veram perſonarum diſtinctionem. Videatur pro hoc aſſerto D. Thom. *in 4. diſt. 20. quæſt. 1. art. 5. quæſtiunc. 4. ad 3. arg.* Ludouicus Lopez 2. *part. inſtruct.* vbi de indulgentiis, *c. 5. colum. 33. ante verſ. præterea circa illam quæſtionem.* Sanchez *lib. 8. de matrimonio, diſp. 3. num. 6. 7. 8. 9.*

Dvbitatio VI.

VII. *An Pontifex, Epiſcopus, vel Prælati Religionum poßint ſe ipſos excommunicare, vel ſacramentaliter abſoluere, vel indulgentias concedere ſibi ipſis?*

Dico octauò, nemo tamen Superiorum poteſt ſe ipſum excommunicare. quia nemo poteſt iuriſdictionem in ſe exercere cogendo ſe ipſum. ergo nemo poteſt ſe ipſum excommunicare. Neque poteſt aliquis ſe ipſum in ſacramento abſoluere. quia iure diuino abſolutio ſacramentalis poſtulat diſtinctionem perſonalem inter abſoluentem, & abſolutum, eſt enim actus perſonalis vnius in alterum, vbi ſe pœnitens ſubiicere debet Sacerdoti, cui parere tenetur. Poteſt tamen valens conferre indulgentias, vti eſt Summus Pontifex in toto Orbe, Epiſcopus in ſua diœceſi, fieri earum particeps; quia Indulgentiæ conferuntur extra ſacramentum vniuerſim opus tale facientibus; ergo conferens tanquam pars Reipublicæ eodem poterit frui beneficio; tum, quia actus huiuſmodi iuriſdictionis cùm non ſit coactiuus, non requirit diſtinctionem perſonarum. Ita benè Magiſter Sotus *in 4. diſt. 11. q. 1. art. 4. ad finem, §. contra hanc autem, verſ. vnde ad argumentum.*

Dvbitatio VII.

VIII. *An habentes facultatem delegatam diſpenſandi cum tota aliqua communitate, vel cum determinato numero perſonarum, poßint etiam ſecum diſpenſare in iiſdem, in quibus poſſunt cum communitate, vel cum aliis particularibus?*

Dico nonò, habentes etiam poteſtatem delegatam diſpenſandi cum aliqua communitate in vniuerſum, cuius ipſi ſunt pars, poſſunt in his omnibus ſecum diſpenſare, in quibus poſſunt cum illa communitate, cuius ſunt pars. quia hi non debent eſſe peioris conditionis, quàm cæteri ex ea communitate. Habentes tamen limitatam diſpenſandi poteſtatem cum certis perſonis, vel cum certo numero perſonarum, quamuis hæ non exprimantur, nequitent ſecum diſpenſare. Probatur prima pars, quia poteſtas illa delegata non extenditur vltra conceſſionis limites; ergo cùm ſit ad certum numerum, & ad certas perſonas, in quibus ipſi non comprehenduntur, non poterunt erga ſe ipſos. Altera pars probatur, quia cùm ſit ad certum numerum præſcripta, non videtur mens concedentis, vt in eo comprehendantur ipſi delegati. Ita benè Sanchez *lib. 4. in præcepta, cap. 37. num. 45.*

Dvbitatio VIII.

IX. *An Prælati Regularium poßint abſoluere à cenſuris incurſis ante ingreſſum Religionis?*

Dico decimò. Prælati Regularium, quales ſunt Generales, Prouinciales, Præpoſiti locales vi ſuorum priuilegiorum, poſſunt abſoluere ſuos ſubditos Religioſos, & Nouitios; ad reincidentiam tamen ſi non profitentur, & hoſpites ſui Ordinis ab omni excommunicatione extra Bullam Cœnæ Domini ſuſpenſione, ac interdicto à iure, vel ab homine generaliter latis, etiam incurſis ante Religionis ingreſſum. Ita conceſſit Clemens IV. Generali, Prouincialibus, ac Cuſtodibus Minorum, vt refert Ioannes Delacrux *lib. 1. de voto obedientiæ, cap. 6. dub. 15. concl. 3.* Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæſt. 20. art. 1.* quæ conceſſio extenditur etiam ad Priores locales, vt adducti DD. notarunt: imò poſſunt vi ſuorum priuilegiorum abſoluere Prælati Regularium ſibi ſubditos, & Nouitios ab omni excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto à iudice, ſeu ab homine ſpecialiter, ſeu particulariter in eos promulgatis: quia conceſſis caſibus, & cenſuris Papæ reſeruatis conſequenter conceduntur cenſuræ aliorum inferiorum. Ita benè infert Delacrux *loco nuper citato, concluſ. 4. fin.* Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæſt. 20. art. 21.* ſed hoc vltimum debet intelligi, ſatisfacta parte. Idem Rodriquez *infrà quæſt. 14. art. 15.*

Dvbitatio IX.

X. *An Prælati Regularium poßint abſoluere ſubditos à cenſuris etiam publicis?*

Dico vndecimò. Prælati Regularium, Generales, Prouinciales, & Præpoſiti locales, vi ſuorum priuilegiorum poſſunt abſoluere ſibi ſubditos Religioſos, & Nouitios ad reincidentiam ab omni excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto extra Bullam Cœnæ Domini, non ſolùm quando cenſuræ incurſæ ſunt occultæ, ſed etiam quando ſunt publicæ. quia in priuilegiis Religionum, quorum virtute poſſunt abſoluere Prælati Regularium ſibi ſubditos, & Nouitios ad reincidentiam ab omnibus caſibus, & cenſuris extra Bullam Cœnæ Domini, conceditur abſolutè facultas abſoluendi à caſibus, & cenſuris ſine vlla reſtrictione, aut limitatione; ſed priuilegium ſine reſtrictione conceſſum à nobis limitandum non eſt, vt benè notauit Magiſter Sotus *in 4. diſtinct. 22. quæſt. 2. art. 3. §. Primus eius caſus.* Sanchez *lib. 6. in præcepta, cap. 17. num. 43.*

Henri

Digitized by Google

Henriquez *lib.8. de Euchariſtia,cap.60. num.4.& lib.7. de indulgentijs, cap.13. num.2.* ergo cùm abſolutè, abſque reſtrictione, & limitatione pet priuilegia ſummorum Pontificum Prælaris Regularium concedatur facultas abſoluendi ſibi ſubditos, & Nouitios ad reincidentiam ab omnibus caſibus, & cenſuris, poterunt illos abſoluere, etiamſi ſint publicæ: tum, quia DD. immediatè citati hac ratione aſſerunt vi Bullæ Cruciatæ poſſe pœnitentes abſolui ab omnibus caſibus, & cenſuris, qoamuis deductæ ad forum cootentioſum, & licèt publicæ ſint, quia abſolutè ſine reſtrictione, aur limitatione conceditur facultas abſoluendi à caſibus, & cenſuris; ergo ſimiliter, &c. Ad maiorem intelligentiam præcedentis aſſerti explicatur

Dvbitatio X.

XI. *An per Bullam Cruciatæ poſſit abſolui nominatim excommunicatus?*

Dico duudecimò. Si quis nominatim à iudice excommunicatus eſt, aut publicè denunciatus, & hic parti reipſa ſatisfecir, aur concordauit cum illa, vel ab illa habet licentiam, vt abſoluatur, poteſt hic reus per Bullam Cruciatæ abſolui pto foro conſcientiæ. quia in Bulla Cruciatæ abſolutè conceditur facultas abſoluendi à cenſuris; ergo. Henriquez *lib. 7. de Indulgentijs, cap. 13. num.2. verſic. Si quis*, citans alios, & quidem graues DD. Hoc idem poterunt Prælati Ordinum Mendicantium etga ſibi ſubditos, & Nouitios virtute ſuorum priuilegiorum, propter eandem rationem. Priuilegia adducuntur à Ioanne Delacrux *lib.1. de voto obedientiæ, cap.6. dub. 15. concl. 2.3. & 4.* à Rodriquez *tom.1. qq. Reg. quæſt.20. art.21.* quomodo autem intelligenda eſt illa particula in hac aſſertione poſita, *ſi hic parti re ipſa ſatisfecit*, iam alibi explicauimus. Videatur etiam Nugnus noſter *tom.2. in 3.part. in explicatione Bullæ Cruciatæ §.11. verſic. Sextò aduertendum eſt. fol.*488. *col.*2.

XII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

Dvbitatio XI.

An ſint reuocata priuilegia Regularium, in Ordine ad ſuos ſubditos?

Nec obſtat contra prædictas aſſertiones decretum à principio adductum Congregationis Emin. DD. Cardinalium ſuper negotiis Epiſcoporũ, & Regularium, publicatum Romæ die nona menſis Ianuar. 1601. quia fuit declaratum P.D. Ioan. Sipontino Generali Congregationis Clericorum Regularium pet dictam Cõgtegationem Cardinalium, mentem ſummi Pontificis non fuiſſe tollere, & annullare per dictum decretum priuilegia quoad abſoluriones Regulariũ, ſed tantùm quoad ſæculares perſonas. Ita *in Theſauro Religioſorum*, auctore D. Bartholomæo à S. Fauſto *lib.8. de voto paupertatis, q.232. verſic. Nec obſtat.* Imò Ioannes Delactux *lib.2. de ceſſatione priuilegij, cap.3. dub.5. fol.*102. adducit quamdam Bullam ſanctiſſimi Pauli V. datam Romæ prima die Decembris anni 1609. vbi confirmat, & innouat tam pro foro conſcientiæ, quàm pro foro externo omnes gratias, indulgentias, priuilegia, &c. Minoribus. Idem ſanctiſſimus Paulus V. die 11. Octobr. anni 1612. confirmauit, & innouauit priuilegia Ordinis Prædicatorum etiam per communicationem cum aliis Ordinibus conceſſa: videatur Ioannes Delactux *loco* nuper *adducto.*

Articvlvs LX.

An abſolutio à cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis à Superioribus Ordinum Mendicantium ſibi ſubditis, vi ſuorum priuilegiorum impenſa, habeat locum tantùm in foro interiori, an etiam in foro exteriori?

Svmmarivm.

1. *Probatur, tantùm valere in foro interiori.*
2. *Declaratur, quandónam priuilegium aliquod conceſſum Prælatis Regularium abſoluendi à cenſuris, intelligatur valere in vtroque foro.*
3. *Dubitatio deciditur.*
4. *An poſſit abſolui ab excommunicatione, qui tenetur ad aliquam ſatisfactionem, antequam ſatisfaciat parti læſæ.*
5. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in dubitatione.*

I. *Probatur, tantùm valere in foro interiori.*

QVia cùm talis conceſſio ſit odioſa, & contra rigorem iuris, ac iuriſdictionem ſerentis illas, quam imminuit, & aliqua tatione turbat, noo videtur vllo modo concedi per verba generalia, niſi ſpeciatim exprimatur, iuxta regulam iuris 81. in 6. *Conceſſione generali non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus*; ergo niſi hoc ſpecialiter ſit expreſſum in priuilegiis Superioribus conceſſis, quòd ſcilicet abſoluriones à caſibus, & cenſuris reſeruatis valeant etiam in foro exteriori, non valebunt in foro exteriori, etſi generaliter concedatur facultas abſoluendi à cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis. Ite tenuit Auila *2.part.cap.7.diſp.3.dub.*12.

Dvbitatio I.

II. *Quandónam priuilegium aliquod, conceſſum Prælatis Regularium, abſoluendi à cenſuris, intelligatur valere in vtroque foro.*

Dico primò, ſi priuilegia abſoluendi à cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruaris conceſſa Superioribus Ordinum Mendicantium erga ſibi ſubditos oihil limitent, nec explicitè, nec implicitè, ſeu ex circumſtantiis, ſed abſolutè concedant facultatem abſoloendi à cenſuris, tunc in vtroque foro intetiori, & exteriori abſolutio per talia priuilegia impenſa locum habet. quia cùm verba ſint abſoluta, & gratiam contineant, amplianda ſunt potius, quàm reſtringenda; ergo priuilegia concedentia facultatem abſoluendi à cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſetuaris, ſi nulla addita limitatione conceduntur, videntur conceſſa in vtroque foro: ſic Suarez *tom.5. de cenſuris, diſp.7. ſect.5 num.*21. Bonacina *tom.1. de cenſuris, diſp.1. quæſt.3. puncto* 10. *num.*2. Laymann *tom.1 lib.1. tract.5. part.1. cap.7. de cenſuris in communi, num.6. verſic. Præterea.* Additque Laymann, in dubio facultas conceſſa per priuilegia ſi nihil in illis exprimatur, ſed abſolutè concedatur, accipi debet de vtroque foro. quia gratia, ſiue beneficium Principis latiſſimè interpretandum eſt, *l. beneficium. ff. de conſtitut. Principum*; ergo, &c.

Dico ſecundò, ſi dicatur in priuilegiis, quòd abſoluant à cenſuris, & caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis

in foro conſcientiæ, vel in Ordine ad ſactamentalem confeſſionem, vel ex circumſtantiis, & coniecturis, capi poteſt non fuiſſe mentem Pontificis delegate poteſtatem abſoluendi à cenſuris cum præiudicio fori externi, ſed tantùm in fauorem animæ, puta cùm in Bullis Iubilæi, aut Cruciatæ datur poteſtas Confeſſariis abſoluendi ab omnibus peccatis, & cenſuris, tunc facultas abſoluendi cenſetur conceſſa tantummodo pro foro conſcientiæ. nam ſicuti virtute Bullę, ac Iubilæi abſolutus à peccatis enormibus, nihilominus in foro exteriore accuſari, & puniri poteſt, ſicuti docet gloſſ. *in cap. de his, de accuſat.* ita etiam ſi quis virtute eiuſdem Bullæ, vel Iubilæi, à cenſuris eſt abſolutus, tale beneficium ad forum exterius, & contentioſum non extenditur. Tum, quia forum conſcientiæ, & forum externum iudicij valdè diſtincta ſunt, ſiquidem in illo præcipuè ſpectatur animæ ſalus, & diuinæ offenſæ compenſatio; in hoc verò publica etiam vindicta, & Reipublicæ ſatisfactio attenditur; ergo ſi ex circumſtantiis, & coniecturis colligi poteſt priuilegium abſoluendi ſolùm eſſe conceſſum in fauorem animæ, facultas abſoluendi à cenſuris non debet extendi ad forum externum. Videantur DD. citati, & præter illos Rodriquez *ſumma cap. 83. num. 9. part. 1.*

III. *Dubitatio deciditur.*

Dico tertiò, Regulares Prælati Ordinum Mendicantium ſibi ſubditos abſoluere poſſunt à cenſuris Papæ reſeruatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini, & hæc abſolutio valet in vtroque foro. Prima pars patet ex ſupradictis; poſterior verò probatur. nam facultas abſoluendi à cenſuris nulla addita reſtrictione, videtur conceſſa in vtroque foro; ſed facultas conceſſa Prælatis Regularibus abſoluendi ſibi ſubditos à cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, eſt abſoluta abſque limitatione, & reſtrictione. ergo valebit hæc abſolutio impenſa ſibi ſubditis à Prælatis Regularibus in vtroque foro. Maior patet ex prima noſtra aſſertione. Minor verò clarè videri poterit ex priuilegiis conceſſis Superioribus Ordinum Mendicantium, quæ adducuntur à Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæſt. 10. art. 1. & 2.* & à Ioanne Delacrux *lib. 1. de voto obedientiæ, cap. 6. dub. 15.*

Dubitatio II.

IV. *An poßit abſolui ab excommunicatione qui tenetur ad aliquam ſatisfactionem, antequam ſatisfaciat parti læſæ?*

Dico quartò, quando abſoluendus adhuc apertè tenetur ad aliquam ſatisfactionem, non eſt abſoluendus antequam actu ſatisfecerit, aut totaliter, ſi poteſt, aut ex parte, ſi hoc ſolùm poſſit. quia aliàs parti fieret iniuria, quæ difficiliùs poſtea obtineret ſatisfactionem. Ita Nauarr. & colligitur apertè ex *cap. 1. de ſententia excommunicationis in 6. & cap. ex parte 23. de verborum ſignificatione.*

Dico quintò, quando verò excommunicatus eſt omninò impotens ad ſatisfaciendum, vt licitè abſoluatur, debet præſtare cautionem pignoratitiam, aut fideiuſſoriam; vel ſi nihil horum poſſit, ſaltem iuret, quòd, ſtatim ac poterit ſatisfaciet, quo facto poterit in vtroque foro abſolui etiam inuita parte. quia contra mentem Eccleſiæ, & rationem cenſuræ eſt, vt reus ceſſante iam omni contumacia paratus ad omnem ſatisfactionem, quam exhibere poteſt, non abſoluatur, vt patet ex *cap. quæ fronte 23. de appellationibus.* Videatur Henriquez *lib. 13. cap. 28. num. 1.*

Dico ſextò, quando abſolutio differri non poteſt, niſi per multum temporis, vel cum graui damno ipſius pœnitentis, poteſt Confeſſarius abſoluere, exhibita à pœnitente ea ſatisfactione, quam poteſt exhibere ante abſolutionem, exhibendo videlicet cautionem pignoratitiam, vel fideiuſſoriam, vel ſaltem iuratoriam, quando non poteſt pignoratitiam, vel fideiuſſoriam, ſimúlque promittendo ſe ſatisfacturum prima oblata occaſione, modò Confeſſarius probabiliter credat pœnitentem oblata occaſione ſatisfacturum. quia in iſto caſu hæc videtur eſſe mens ferentis excommunicationis ſententiam, ne diutiùs cum graui damno pœnitentis differatur cenſuræ abſolutio: videatur Nauarr. *tom. 2. conſil. lib. 5. de ſententia excomm. conſil. 47.* Bonacina *tom. 1. tract. de cenſuris, diſput. 1. quæſt. 3. puncto 9. num. 5.*

V. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in dubitatione.*

Ad rationem in contrarium, quæ directè militat contra tertiam aſſertionem, reſpondetur quòd conceſſio abſoluendi à caſibus, & cenſuris reſeruatis in vtroque foro data per priuilegia Superioribus Ordinum Mendicantium erga ſibi ſubditos à Romanis Pontificibus, non eſt adeò ſpecialis, & extraordinaria, vt non poſſit, aut debeat ſub generali clauſula comprehendi, ſi priuilegia abſque reſtrictione, & limitatione concedantur, & ex circumſtantiis non poſſit oppoſitum deduci. nam ſanctiſſimus Pius V. declarauit in Iubilæo conceſſo anno Domini 1568. tales conceſſiones, vel eo vſque datas, vel in futurum dandas, non ſuffragari in foro exteriori, niſi ſatisfacta parte; cum hac autem conditione ſupponit ſanctiſſimus Pontifex etiam ad illud externum, ſcilicet forum extendi; poterunt igitur Prælati Regularium per priuilegia abſolutè, & abſque reſtrictione, & ſine limitatione ſibi conceſſa abſoluere ſibi ſubditos à caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſatisfacta parte, ſi tali ſatisfactione opus fuerit, & abſolutio data locum habebit in vtroque foro; quia cùm conceſſio ſit abſoluta, & gratiam contineat, amplianda eſt potius, quàm reſtringenda.

Articvlvs LXI.

An Prælati Regularium poſſint cùm ſuis ſubditis diſpenſare in irregularitatibus, ſi quam, vel ſi quas contraxerunt?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur, an Prælati Regularium poſſint in foro exteriori ſibi ſubditos priuatos ab officijs, & inhabiles, per conſtitutiones Apoſtolicas ad illa reſtituere.*
3. *An Prælati Regularium poſſint diſpenſare cum ſibi ſubditis, alias ad Ordines malè promotis, in Religione, vel in ſæculo, vt miniſtrent in Ordinibus ſuſceptis, vel vt maioribus initientur.*
4. *An Prælati Regularium poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitatibus contractis ex delicto, violandi cenſuras, contractas tam ex delicto occulto, quàm notorio.*
5. *An Prælati Regularium poſſint diſpenſare cum ſibi ſubditis,*

ſubditis, ſi ſpecialiter fuerint ab aliquo iudice ligati cenſuris.

6. *Quidnam ſit ferre ſententiam, vel cenſuram generaliter, vel ſpecialiter, explicatur.*
7. *An Religioſi Mendicantium poſſint diſpenſari ſemel in vita, in omni irregularitate, à quocumque Confeſſario in ſuo Ordine approbato.*
8. *An Generales, & Prouinciales Mendicantium poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitatibus prouenientibus ex homicidio caſuali, vel patrato in ſui defenſionem in vtroque foro? Et an poſſit Prouincialis cum Fratribus alterius Prouinciæ, vel Prior cum Fratribus alterius Conuentus, ſuper iiſdem diſpenſare.*
9. *An Prælati Regularium, vi ſuorum priuilegiorum, poſſint diſpenſare in irregularitate contracta, ratione homicidij voluntarij, vel truncationis membrorum, vel enormis effuſionis ſanguinis.*
10. *An Prælati Regularium poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitatibus prouenientibus, ex publico delicto, & ad forum contentioſum deducto.*
11. *An Generales, & Prouinciales Religionum poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis, infamia iuris maculatis.*
12. *Senſus illius regulæ,* Exceptio firmat regulam, *explicatur.*
13. *An Generales, & Prouinciales poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis, ſi aliquam infamiam contraxerint.*
14. *Quomodo differant infamis, & infamatus, explicatur.*
15. *Quomodo infamatus poſſit reſtitui in integrum, & an ſit ordinandus.*
16. *Quidnam requiratur ad incurrendam irregularitatem, ex delicto notorio.*
17. *An Prælati Regularium poſſint diſpenſare ad Ordines, cum ſuis ſubditis bigamis ſimilitudinarijs? Et quinam ſint hi, explicatur.*
18. *Quid, & quotuplex ſit bigamia.*
19. *An Generales, & Prouinciales poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis, carentibus aliquo membro.*
20. *An Epiſcopi, vel Prælati Regularis ſit diiudicare, an Religioſus ordinandus ſit corpore vitiatus, nécne.*
21. *An Prælati Regularium poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis, in irregularitate proueniente ex defectu lenitatis perfectæ.*
22. *An Prælati Regularium poſſint diſpenſare ſuper irregularitate contracta ex occiſione facta in bello iuſto.*
23. *An poſſint ſupradicti Prælati diſpenſare cum ſuis ſubditis, qui iudicando in ſæculo aliquod iuſtitiæ miniſterium exercuerunt.*
24. *An diſpenſationes iſtæ valeant in vtroque foro.*
25. *An illegitimi maneant per profeſſionem diſpenſati quoad ſuſceptionem Ordinum? &, An Prælatus poſſit cum iſtis diſpenſare quoad officia & dignitates.*
26. *An Prælati Regularium poſſint abſoluere ſibi ſubditos ab excommunicatione contracta per inualidam Ordinum ſuſceptionem? & diſpenſare in irregularitate, ſi quam ob id contraxerint.*
27. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

QVia ſanctiſſimus Sixtus V. in conſtitutione, cuius initium eſt, *Sanctum, & ſalutare*, edita Nonis Ianuarij 1588. inquit, Regulares malè promoti ad Ordines, ſcilicet per ſaltum ſine legitima ætate, vel dimiſſoriis, ſi miniſtrare præſumunt facti irregulares, priuantur vtraquè voce, & diſpenſatio etiam in foro conſcientiæ reſeruatur Papæ. Non obſtante quouis indulto, Iubilæo, Cruciata, vel Mari magno; imò in illa conſtitutione reuocatur Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 6. de Reform.* vbi conceditur Epiſcopis, in foro tamen conſcientiæ, diſpenſare in huiuſmodi irregularitatibus ortis ex delicto occulto; ergo ſaltum Prælati Regularium cum ſuis ſubditis in hac irregularitate diſpenſare non poterunt, quam quis contrahit ex eo quòd per ſaltum, vel abſque dimiſſoriis promotus ad Ordines in illis poſtea miniſtrauit.

DVBITATIO I.

II. *An Prælati Regularium poſſint in foro exteriori ſibi ſubditos priuatos ab officijs, & inhabiles, per conſtitutiones Apoſtolicas ad illa reſtituere?*

Dico primò, Generales, & Prouinciales Religionũ exemptarum, & iſtis amotis eorum Vicarij, poſſunt etiam in foro exteriori reſtituere ſibi ſubditos priuatos ab officiis, & perpetuò inhabiles ad illa per conſtitutiones Apoſtolicas ob crimina grauia, ſi aliàs Papa non reſeruat ſibi talium diſpenſationem. quia *in cap. at ſi Clerici, §. de adulterijs, de iudicijs*, dicitur quòd in adulterio, & aliis minoribus delictis poteſt Epiſcopus diſpenſare cum Clericis, per acta pœnitentia, in pœnis talium delictorum, quando aliàs illæ pœnæ non reſeruantur, etiamſi in illorum tenore ponantur iſta verba, *ipſo facto ſit perpetuò priuatus*; ſed Generales, & Prouinciales reſpectu ſuorum ſubditorum habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. ergo ſicut Epiſcopi poſſunt iſti diſpenſare cum ſuis ſubditis. Ita noſter Delacrux *lib. 1. de voto obedientiæ, cap. 6. dub. 15. concl. 6.* Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæſt. 24. art. 17.* Sanch. *lib. 6. in Præcepta, cap. 15. num. 77.*

DVBITATIO II.

III. *An Prælati Regularium poſſint diſpenſare cum ſibi ſubditis aliàs ad Ordines malè promotis, in Religione, vel in ſæculo, vt miniſtrent in Ordinibus ſuſceptis, vel vt maioribus initientur?*

Dico ſecundò, Generales Ordinũ poſſint cum ſibi ſubditis diſpenſare aliàs ad Ordines malè promotis, etiam dum erant in ſæculo vt miniſtrent in Ordinibus malè ſuſceptis, & vt vlteriùs ad Ordines promoueantur. Ita conceſſit Generali Prædicatorum Honorius III. *Bull. 5.* vt refert Ioannes Delacrux *loco* nuperrimè *adducto, concluſ. 7.* Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæſt. 20. art. 13.*

DVBITATIO III.

IV. *An Prælati Regularium poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitatibus contractis ex delicto violandi cenſuras, contractas tam ex delicto occulto, quàm notorio?*

Dico tertiò, Genetales, Prouinciales, & Priores conuentuales poſſunt cum ſibi ſubditis, & hoſpitibus ſui Ordinis diſpenſare in irregularitatibus contractis ex delicto violandi cenſuras: vt ſi excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, vel in loco interdicto celebrauerit, vel talibus cenſuris innodatus Ordines ſacros ſuſceperit, ſit irregularis ex delicto violandi cenſuras,

cenſoras, & ſuper his irregularitatibus contractis poſſunt ſupradicti Prælati diſpenſare cum ſibi ſubditis, & hoſpitibus: dummodò iſtæ cenſuræ ſint latæ à iure, vel ab homine generaliter, & non ſpecialiter contra iſtum. Ita conceſſit Clemens I V. quod priuilegium videri poterit apud Rodriquez *tom. 1. qq. Reg quæſt.* 20. *art.* 1.

Dico quartò, in ſupradictis irregularitatibus poſſunt cum ſibi ſubditis, & hoſpitibus ſui Ordinis, imò etiam & cum Nouitiis diſpenſare, vt conceſſit Sixtus I V. prædicti Prælati, ſiue priuſquam intrauerint Ordinem, ſiue poſt has irregularitates contraxerint, ſiue ſint ortæ ex delicto occulto aliàs non deducto ad forum contentioſum, cùm hoc concedatur Epiſcopis in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reformatione*: ſiue ex delicto notorio. nam conceſſio ſine vlla reſtrictione, & limitatione facta, qualis eſt ſupradicta, non eſt reſtringenda. Videatur Delacrux *lib.* 1. *de voto obedientia, cap.* 6. *dub.* 16. *concl.* 2. Rodriquez *tom.* 1. *qq. Reg. quæſt.* 24. *art.* 16.

Dvbitatio IV.

V. *An Prælati Regularium poſſint diſpenſare cum ſibi ſubditis, ſi ſpecialiter fuerint ab aliquo iudice ligati cenſuris?*

Dico quintò, vi dictorum priuilegiorum Clementis I V. & Sixti I V. non poſſent ſupradicti Prælati diſpenſare cum ſibi ſubditis hoſpitibus ſui Ordinis, & Nouitiis ſi ſpecialiter fuiſſent iſti excommunicati. ſuſpenſi, vel interdicti à iudice, & deinde celebraſſent diuina, vel Ordines ſacros ſuſcepiſſent. quia in prædictis priuilegiis additur, *dato quòd à iudice generaliter fuerit data, vel lata, vel à iure dicta ſententia.* Imò additur in priuilegio Sixti I V. adducto à Rodriq. *tom.* 1. *qq. Reg. q.* 24. *art.* 5. quòd ſi Nouitij huiuſmodi ſententiis propter debita ſint adſtricti, ſatisfaciant. Ad maiorem præcedentis aſſertionis explicationem explicatur,

Dvbitatio V.

VI. *Quidnam ſit ferre ſententiam, vel cenſuram generaliter, vel ſpecialiter?*

Dico ſextò, iudex generaliter dicitur ferre ſententiam, aut cenſuram, cùm dicit, *Excommunico*, vel *ſuſpendo*, vel *interdico, facientes hoc, vel illud*, & talis ſententia perinde eſt, ac ſi eſſet à iure. quia perinde poteſt abſolui ſic excommunicatus, ſuſpenſos, vel interdictus, ac ſi eſſet à iure excommunicatus, &c. Specialiter autem dicitur iudex excommunicare, vel ſuſpendere, vel interdicere, quando in particulari talem excommunicat, ſuſpendit, vel interdicit. Videatur Nauarrus *ſumma cap.* 27. *num* 44. *& tomo* 2. *conſiliorum lib.* 5. *de ſententia excommunicationis, conſil.* 47. *num.* 1. Vi igitur priuilegiorum Clementis I V. & Sixti I V. Prælati prædicti poſſint cum ſibi ſubditis, hoſpitibus ſui Ordinis, & Nouitiis diſpenſate ſi excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti, aut in locis interdictis celebrauerint, vel ſacros Ordines ſuſceperint; modò à iudice generaliter fuerit data, vel lata ſententia, vel à iure: ſecus ſi per ſententiam particularem, ſpecialiter, & nominatim talibus cenſuris fuerint adſtricti.

Dvbitatio VI.

VII. *An Religioſi Mendicantium poſſint diſpenſari ſemel in vita, in omni irregularitate, à quocumque Confeſſario, in ſuo Ordine approbato?*

Dico ſeptimò, Religioſi Ordinum Mendicantium, etiam Nouitij, cum animo profitendi, poſſunt diſpenſari ſemel in vita, in omni irregularitate, exceptis his, quæ ex homicidio voluntario, & mutilatione voluntaria proueniunt per Confeſſorem eiuſdem Ordinis ab eis electum, audita priùs confeſſione. Ita conceſſit Minoribus Sixtus I V. vt refert Rodriquez *tomo* 1. *qq. Reg. quæſt.* 62. *art.* 13. & quamuis ſummus Pontifex non excipiat in ſuo priuilegio irregularitatem ex bigamia prouenientem, tamen pro excepta debet ſemper habere. quia eſt grauior cæteris ad diſpenſandum. Ita notauit Rodriquez *loc. cit.* Ioannes Delacrux *lib.* 1. *de voto cap.* 6. *dub.* 16. *concl.* 4. *ad finem.*

Dvbitatio VII.

VIII. *An Generales, & Prouinciales Mendicantium poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitatibus prouenientibus ex homicidio caſuali, vel patrato in defenſionem ſui, in vtroque foro? &, an poſſit Prouincialis cum Fratribus alterius Prouinciæ, vel Prior cum Fratribus alterius Conuentus, ſuper iiſdem diſpenſare?*

Dico octauò, Generales, & Prouinciales Ordinum Mendicantium poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis irregularibus ex homicidio caſuali, & ex homicidio facto cauſa defenſionis, non ſolùm in foro interiori, ſed etiam in foro exteriori. nam Sixtus I V. conceſſit abſolutè, & abſque reſtrictione Generalibus, & Prouincialibus Ordinis Minorum, & Prædicatorum, vt poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in omni irregularitate, excepta ea, quæ procedit ex homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione membrorum; ergo vi huius priuilegij cùm ſit abſolutum, poterunt Generales, & Prouinciales Ordinum Mendicantium, ne dum in foro interiori, ſed etiam exteriori, &c. Ita benè deducit Rodriquez *tom.* 1. *qq. Reg quæſt.* 24. *art.* 13. *fine.*

Dico nonò, Prouinciales tamen Ordinum Mendicantium cum Fratribus alterius Prouinciæ, & Priores Conuentuales cum Fratribus alterius Conuentus, diſpenſare minimè poſſunt ſuper irregularitate contracta ratione homicidij caſualis, vel ex homicidio facto cauſa defenſionis. quia conceſſiones, quæ inueniuntur ſuper diſpenſatione, ab his irregularitatibus, loquuntur ſolùm, quòd poſſint diſpenſare cum ſibi ſubditis, & non cum Fratribus ad eos declinantibus, ſed hoſpites declinantes ad aliquas Prouincias, & Conuentus, propriè non ſunt ſubditi Prouincialium, & Priorum Conuentualium, vbi tunc hoſpitantur, licèt ex ordinatione aliquarum Religionum poſſint dicti Prælati per obedientiam, & per ſententiam excommunicationis præcipere hoſpitibus, quæ neceſſaria ipſis præcipienda viderint. ſic notauit Manuel Rodriquez nuperrimè relatus *art.* 14.

Dvbitatio VIII.

IX. *An Prælati Regularium, ſecundùm ſua priuilegia, poßint diſpenſare in irregularitate contracta, ratione homicidij voluntarij, vel truncationis membrorum, vel enormis effuſionis ſanguinis?*

Dico decimò, Prælati Regdlares poſſunt diſpenſare ſecundùm eorum priuilegia cum ſuis ſubditis in irregularitate contracta ratione homicidij voluntarij, occolti tamen. nam Martinus V. conceſſit, quòd Prior Monaſterij Sancti Benedicti Valliſoleti in foro conſcientiæ poſſit abſoluere Monaclros ab omni excommunicationis ſententia, etiamſi talis eſſet, quam ipſe ſummus Pontifex reſeruare conſueuit, & cum eis ſuper omni irregularitate, etiam in illis caſibus, in quibus Papa ſibi eos reſeruat, in morte videlicet, & in membrorum truncatione, & enormi ſanguinis effuſione, valeat diſpenſare, dum tamen aliquid horum trium non ſit notorium, & hoc propter ſcandalum. Ita Martinus V. hoc priuilegium videri poterit apud Manuel Rodriq. *tom. 1. qq. Reg. q 24. art. 12. in principio.* Simile priuilegiom conceſſum eſt à Iulio II. vt refertur in compendio Societatis Iesv *verb. Diſpenſatio* § 1. & ſic hanc aſſertionem tenet Rodriquez nouiſſimè relatus. Ioan. Delacrux *lib. 1. de voto obedientia, c. 6. dub. 19. concl. 6.* Coriolanus *part. 1. caſuum reſeru ſect. 1. art. 2. num. 5.*

Dico vndecimò, vi præcedentis priuilegij Martini V. in quo communicant Religiones Ordinum Mendicantiũ, non ſolùm Generales, & Prouinciales, ſed etiam Præpoſiti, & Prtnres locales poſſont diſpenſare cum ſibi ſubditis in foro conſcientiæ ſuper omni irregularitate, etiam contracta ex homicidio volontario, occulto tamen. nam communicatio priuilegiorum ſic intelligitur, quòd ea, quæ conceduntur Magiſtro Generali vnius Ordinis, cenſeantur communicata Generalibus aliorum; & quæ conceduntor Prouincialibus, & Prioribus, cenſeantur communicata ſimilibus Prælatis Prouincialibus, & Prioribus, vt tradit Ioannes Delacrux *lib. 2. de communicatione priuilegiorum, cap. 4. dub. vnico concl. 2.* ſed prædictum priuilegiom fuit conceſſum à Martino V. Priori Monaſterij S. Benedicti Valliſoleri, extenſum poſtea, & communicatum omnibus Prioribus, & Abbatibus aliorum Monaſteriorum, vt notauit Collector priuilegiorum Mendicantium *verb. Abſolutio ordinaria quoad Fratres*, §. 40. ergo Priores locales Ordinum Mendicantium communicant in ſupradicto priuilegio; poterunt igitur cum ſibi ſubditis in foro conſcientiæ diſpenſare ſuper omni irregolaritate, etiam contracta ex homicidio voluntario, occulto tamen; ſic benè deducit Manuel Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quaſt. 20. art. 2.*

Dico duodecimò, Superior Conuentus mortuo, vel amoto Priore poteſt ſupradicto priuilegio Martini V. gaudere erga ſibi ſubditos. quia non dignitati, vel officio conceditur hoc priuilegium, ſed in fauorem animarum; tum, quia hoc priuilegium non conceditur Abbati, ſed Priori D. Benedicti; ergo ad Superiorem mortuo, vel amoto Priore, Sede vacante eſt extendendum. Rodriquez *loc. cit. q. 24. art. 12.*

Dico decimotertiò, contra præcedentes aſſertiones non obſtat Conciliom Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 6. de Reformatione*; vbi prohibet quòd non poſſunt Prælati diſpenſare in irregularitate proueniente ex homicidio volunrario. nam licèt non poſſint ex facultate Concilij Tridentini, poſſunt tamen virtute priuilegij Martini V. conceſſi Benedictinis, & virtute priuilegij conceſſi Prædicatoribus, priuilegium enim conceſſum nullo modo abrogatur, niſi fiat de illo ſpecialis mentio, & abrogatio in decreto Concilij Trid nulla eſt facta priuilegiorum mentio, & abrogatio; poterunt ergo Prælati Regulares virtute alterius priuilegij Martini V. & Iulij II. diſpenſare cum ſibi ſubditis in irregularitate contracta ex homicidio voluntario.

Dvbitatio IX.

X. *An Prælati Regularium poßint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitatibus prouenientibus ex publico delicto, & ad forum contentioſum deducto?*

Dico decimoquartò, Prælati Regolares Ordinum Mendicantium poſſunt cum ſois ſubditis diſpenſare in irregularitatibus prouenientibus ex publico delicto, & ad forum contentioſum deducto, præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, qua in re iſti Prçlati maiorem auctoritatẽ habẽt erga ſuos ſubditos, quàm Epiſcopi erga ſuos diœceſanos: quia ampliſſima priuilegia ſunt eis conceſſa in fauorem Religionis, præcipuè Sixtus IV. conceſſit Generalibus, & Prouincialibus Ordinis Minorom, & Prædicatorum, vt poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in omni irregularitate. Idem conceſſit Clemens IV. præter homicidij voluntarij, &c. Videantur huiuſmodi conceſſiones, & priuilegia apud Ioannem Delacrux *lib. 1. de voto obedientia, cap. 6. dub. 16.* Rodriqoez *tom. 1. qq. Reg quaſt. 14. art. 13.* cùm ergo priuilegia conceſſa à ſummis Pontificibus abſolutè, & abſque reſtrictione loquantur, poterunt prædicti Prælati nedum in irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto diſpenſare, ſed etiam ex publico delicto, & ad forum contentioſum deducto, præterquam homicidij voluntarij, &c. hoc aſſertum eſt magis amplum, qoàm octauum; nam ibi loquuti ſomus de irregularitate proueniente ex homicidio caſuali, & ex homicidio facto cauſa defenſionis: hìc autem loquimur de irregularitaribus vniuerſaliter prouenientibus ex publico delicto, & ita hoc aſſertum docet expreſsè Ludouicus Beia *part. 4. reſp. caſ conſcient. caſu 37. §. Aduertendum quòd Concilium.* Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quaſt. 24. art. 13. ad finem.*

Dvbitatio X.

XI. *An Generales, & Prouinciales Religionum poßint diſpenſare cum ſuis ſubditis infamia iuris maculatis?*

Dico decimoqointò, Generales, & Prouinciales Religionum diſpenſare non poſſunt cum Fratribus infamia iuris maculatis. quia, v. g. fuerunt conuicti de crimine nefando, & iuridicè condemnati, cùm infamati iuridicè de crimine enormi ſint irregulares, iuxta tradita Nauart. *ſumma cap. 27. num. 248.* quia Generales, & Prouinciales non poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis in irregularitate, quæ procedit ex enormi corporis vitio, propter ſcandalum, quod generat fidelibus propter notorietatem dictæ enormitatis, vt inter alios docet Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quaſt. 24. art. 3.* Sed infamia quæ naſcitur ex notorietate delicti, inducit irregularitatem redoctam ad irregularitatem, quæ oritur ex corpore vitiato; ergo ſicut non poſſunt Generales, & Prouinciales Religionum diſpenſare ſuper irregularitate proueniente ex enormi corporis vitio, ſic non poterunt cum infami iuridicè

damnato

Digitized by Google

damnato de crimine enotmi propter ſcandalum quod generatet fidelibus. ſic beuè deducit Rodtiquez nuperrimè relatus *art.6.*

X I I. *Senſus illius Regula*, Exceptio firmat regulam, *explicatur ?*

Dico decimoſextò, non obſtat contta præcedens aſſettum conceſſio, & priuilegium Sixti I V. in fauoxem Religionum Mendicantium, in quo concedit Generalibus, & Ptouincialibus diſpenſare poſſe cum ſibi ſubdiris ſupet quibuſcumque irregularitatibus, exceptis contractis ex homicidio voluotario, mutilatione, & bigamia; excipiendo igitur has irregularitates, videtur concedete facultatem ad reliqoas diſpenſandas. nam exceptio firmat regulam, 32.*quæſt.7. cap, Dominus*, quod intelligitur in his, quæ ſunt eiuſdem genetis. Armilla *verb.Caſus, num.2.* vt ſi in conceſſione caſuum reſeruet ſibi Superior aliquam excommunicationem, vel votum, vel aliquid huiuſmodi, tunc alia in eodem genere intelliguntur concedi; ergo eùm ſummus Pontifex Sixtus I V. concedat facultatem Genetalibus, & Prouincialibus Religionum diſpenſandi cum ſuis ſubditis ſuper quibuſcumque irregularitatibus, exceptis contractis ex homicidio voluntario, mutilatione, & bigamia, concedit facultatem ſuper omnibus, illis tantummodo exceptis; quia exceptio firmat regulam; non, inquam, hoc obſtat. nam etiam ſi excipiat ſupradictas, non tamen videtur concedere licentiam ad diſpenſandum ſuper itregularitate contracta à notorio iuridicè infamato propter ſcandalum, quod huiuſmodi diſpenſatio generaret fidelibus propter nototietatem enormitatis delicti iuridicè damnati: ad Papam igitur ptopter diſpenſationem in huiuſmodi irregularitate recurrendum erit.

Dvbitatio XI.

X I I I. *An Generales, & Prouinciales poßint diſpenſare cum ſuis ſubditis ſi aliquam infamiam contraxerint?*

Dico decimoſeptimò, Generales, & Ptouinciales cũ infamibus ſuis ſubditis ex delicto enotmi infamia facti, quod nulla tergiuerſatione celari poteſt, diſpenſare valent. quia eùm iſtis poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt docet Rodriq.*q.24. cit. art. 6.* ergo & Gentales, & Prouinciales cum ſibi ſubditis. Tum, quia irregularitas iſta ex delicto notorio nototietate facti ceſſat ablata infamia per publicam vitæ emendationem, vt docet Syl. *verb.Infamia, n.11.* Sanchez *lib.2. oper.mor. c.25.n.2.* Nam omnis tes per quaſcumque cauſas componitur, per eaſdem diſſoluitur, *c.1. de regul.iur.* Tum, quia cſt ptobabilis ſententia, quòd ob crimen notorium notorietate facti non inducitur irregularitas ante ſententiam iudicis, vel confeſſionem rei factam in iudicio, vt videre eſt apud Sayr. *lib.7. de cenſ.cap.12. n.13.* excepto crimine homicidij, quod etiam occultiſſimum, inducit irregularitatem, & ita aſſertum hoc docet expreſsè Ioan. Delactux *lib.1. de voto obedientia, cap.6. dub.17. concl.2. verſic. Et ex hoc ſequitur*, & colligitur ex Nauarr. *ſumma cap.27. num.204.* Rodriquez *art.6.citato.*

Dvbitatio XII.

X I V. *Quomodo differant infamis., & infamatus ?*

Dico decimooctauò, ad maiorem præcedentium aſſertioonum intelligentiam, aliud eſt eſſe aliquem infamatum, aliud autem eſſe infamem. Infamis dicitur cùm crimen, io quod incidit aliquis, vel eſt confeſſus io iudicio, vel de eo conuictus quis eſt, vel à iudice tanquam infamis punitus, & damnatus, vel crimen enorme commiſſum eſt ita notorium in ciuitate, collegio, vicinia, vel loco, vt nulla tergiuerſatione celari poſſit. Infamatus autem dicitur, cùm quis eſt publicè accuſatus de aliquo delicto, ſed nondum eſt vel conuictus illius criminis, vel crimen illud confeſſus, nec crimen illud eſt notorium notorietate facti.

Dvbitatio XIII.

X V. *Quomodo infamatus poßit reſtitui in integrum, & an ſit ordinandus ?*

Dico decimononò, infamatus io iudicio publicè accuſatus reſtituitur in integrum per canonicam criminis putgationem *c.ſi quis, de purg.can.* Putgatio canonica fit aliquando per ſolum iuramentum ipſius infamati coram ſuo iudice, aliquando etiam per iuramentum teſtium compurgantium. Syl. *verb.Purgatio, n.1.* Infamatus poſt putgationem canonicam noo eſt ab Ordinibus repellendus; interim tamen, dum infamia durat, non eſt ordinandus. Sayr. *lib.7. de cenſuris, cap.11.num.17.*

Dvbitatio XIV.

X V I. *Quídnam requiratur ad incurrendam irregularitatem, ex delicto notorio?*

Dico vigeſimò, duo ſunt neceſſaria ad irregularitatem incorrendam ex delicto notorio. Primum eſt vt crimen ſit notorium, ſecundum vt delictum ſit enorme, id eſt, depoſitione dignum, id eſt, de quo in iure conſtitutum eſt, quòd puniatur depoſitione. quia ex nullo crimine contrahitur irregularitas, niſi in iure exprimatur, *cap. ſi qui, de ſentent. excomm. in 6.* Sed in iure tantùm exprimitur, quòd per homicidium voluntarium occultum incurritur irregularitas; ergo citra caſum iſtum in nullo crimine occulto quantumuis enormi, incurritur irregularitas; ergo duo illa ſunt neceſſaria, &c. Videatur Nauarr. *ſumm.c.27. num.148.* Depoſitio verò eſt pœna, qua Clericus in perpetuum ab officio ſubmouetur. Axor. *part.2. inſtit.mor. lib.6. cap.7.dub.12.*

Dico vigeſimoprimò, crimen in iure depoſitione dignum eſt adulterium, & cætera peccata carnis eo maiora, homicidium, blaſphemia, periurium, ſacrilegium, maleficium, hæreſis, ſimonia, concubinatus diu continuatus, ſiue fornicatio diu continuata, ſtuprum virginis, inceſtus etiam cum filia ſpirituali. Videatur Nauarr. *loco nuper relato.* Sayr. *lib.7 de cenſuris, cap.12. n.10.* ex his omnibus, & aliis quantumuis enormiſſimis criminibus irregularitas non incurritur ſi factum ſit occultum. quia irregularitas non contrahitur niſi ſit in iure expreſſum; ſed in iure non eſt expreſſum quòd ex crimine occulto quantumuis enormiſſimè, incurritur irregularitas. ergo, &c.

Dvbitatio XV.

X V I I. *An Prælati Regularium poßint diſpenſare ad Ordines cum ſuis ſubditis bigamis ſimilitudinariis, & quínam ſint hi?*

Dico vigeſimoſecundò, Prælati Regularium poſſunt diſpenſare ad Ordines cum ſibi ſubditis bigamis ſimilitudinariis, ſcilicet cum Religioſo, vel initiato maioribus Ordinibus, qui contraxit, & conſummauit

mattimo

matrimonium. Iſte enim dicitur bigamus ſimilitudinarius, vt tradit Syl. & communiter DD. *verb. Bigamia.* quia Epiſcopi poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis in iſta bigamia orta aliàs ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentioſum, prout illis conceditur in Conc. Trid. *ſeſſ. 24. c. 6. de Reform.* Sed Prælati Regularium pro ſibi ſubditis habent auctoritatem Epiſcoporum, vt ſæpè diximus ex conceſſione ſanctiſſimi Pij V. ergo, &c. Minor eſt clara. Maiorem docet gloſſ. *in c. ſanè el 2. verbo ex indulgentia, de Cleric. coniug.* Sayr. *lib. 6. de cenſuris, cap. 6. n. 10.* Videatur Rodriquez *tom. 1. queſt. 24. art. 2.* Ioannes Delactux *lib. 1. de voto obedientia, cap. 6. dub. 17. concl. 1.*

Dubitatio XVI.

XVIII. *Quid, & quotuplex ſit bigamia?*

Dico vigeſimotertiò. Bigamia eſt defectus ex ſecundis nuptiis proueniens. Ita Palud. *in 4. diſt. 17. q. 4. art. 1.* Armill. *verb. Bigamia, n. 1.* Vel, ſecundùm alios, Bigamia eſt irregularitas defectu ſacramenti proueniens. Sayr. *lib. 6. de cenſ. c. 3. n. 3.* Item bigamia eſt triplex, vera, interpretatiua, & ſimilitudinaria. Bigamia vera eſt ſtatus eius, qui habuit, & cognouit duas vxores, vnam, mortua altera; interpretatiua eſt illa quam incurrit, qui fingitur duas habuiſſe vxores, huiuſmodi eſt ille, qui contraxit cum vna ſola, ſed vidua, aut contraxit cum corrupta per alium; ſecus ſi contraxit cum ea, quam ipſemet ſolus cognouit. Item ſi contraxit cum virgine, & eam cognouit poſtquam adulterium commiſit. Bigamia verò ſimilitudinaria illa eſt, quam incurrit Ordine ſacro inſignitus, vel voto ſolemni aſtrictus cum aliqua contrahens, & conſummans, & in hac tertia bigamia ſimilitudinaria diſpenſare poſſunt; vt diximus, cum ſibi ſubditis Prælati Religionum. Videatur pro hac aſſertio Nauarr. *ſumma cap. 27. num. 195.*

Dubitatio XVII.

XIX. *An Generales, & Prouinciales poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis carentibus aliquo membro?*

Dico vigeſimoquartò, Generales, & Prouinciales poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis, qui habent membrum occultum, ſeu manifeſtum, non ſua culpa abſciſſum: vt ſi Religioſus non haberet oculum dextrum, poſſunt cum iſto diſpenſare; non tamen cum non habente oculum ſiniſtrum, qui dicitur oculus Canonis, quia hic non poteſt decenter legere Canonem. Similiter cum Religioſo non habente aliquem digitum, dummodo non ſit pollex, qui eſt neceſſarius ad celebrandum. Item cum Religioſo, vt celebret cum pede ligneo Cum Religioſo autem habente pudenda culpa ſua abſciſſa, ſolus Papa diſpenſat. quia talis homicida reputatur. Videatur Syl. *verb. Corpore vitiatus, n. 5. §. Decimò quæritur.* Rodriq. *tom. 1. qq. Reg. q. 24. art. 3.*

Dubitatio XVIII.

XX *An Epiſcopi, vel Prælati Regularis ſit iudicare, an Religioſus ordinandus ſit corpore vitiatus, necne?*

Dico vigeſimoquintò, Epiſcopus tamen, & non Prælatus regularis debet iudicare, ſitne Religioſus corpore vitiatus. quia iſte non habet Ordines conferre, ſed Epiſcopus. ergo. Tum, quia numquam artifex inferior, vel non ſuperior, iudicat de materia circa

quam Superior operatur, vel formam inducit: ſicut qui dolat lapides ad domum compaginandam, non iudicat quales eſſe debeant, ſed hoc accipit à compaginatore: ſed Epiſcopi eſt conferre ordines; ergo ipſius eſt diiudicare, &c. Ita optimè Syl. *verbo corpore vitiatus, quæſt. 2. propè finem.*

Dubitatio XIX.

XXI. *An Prælati Regularium poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate proueniente ex defectu lenitatis perfectæ?*

Dico vigeſimoſextò, Prælati Regularium diſpenſare valent cum ſuis ſubditis in irregularitate proueniente ex defectu lenitatis perfectæ. quia per priuilegium ſuprà citatum Sixti IV. conceditur Prælatis Religionum generaliter diſpenſatio in omni irregularitate, exceptis irregularitatibus bigamiæ, & homicidij voluntarij, ſed nomine excepti homicidij voluntarij non comprehenditur irregularitas, quæ ſine vlla culpa procedit ex ſolo defectu lenitatis ob iuſtam occiſionem. ergo, &c. & ita hanc aſſertionem docet Caiet. *in ſumma, verb. Irregularitas, in fine.* Bannes *2. 2. quæſt. 40. art. 1. dub. 4. §. Pro deciſione.*

Dubitatio XX.

XXII. *An Prælati Regularium poſſint diſpenſare ſuper irregularitate contracta ex occiſione facta in bello iuſto?*

Dico vigeſimoſeptimò, conſequẽter ſupradicti Prælati poſſunt cum ſibi ſubditis diſpenſare ſuper irregularitate cõtracta ex occiſione facta in bello iuſto. quia occiſio in bello iuſto non eſt homicidium, propriè loquendo, quamuis ſit occiſio hominis. ergo cùm fauores ſint ampliandi, illi poterunt diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate, quæ prouenit ex occiſione hominis licita. Videatur D. Th. *1. 2. q. 88. art. 6. ad 3.* vbi ait quòd iudex, qui occidit latronem, & miles, qui occidit hoſtem Reipubl. non appellantur homicidæ, & ita hanc aſſertionem docet Bannez *loc. cit.* Sayr. *lib. 6. de cenſ. c. 19. n. 16.* Viualdus *tract. de irregularitate, n. 327.*

Dubitatio XXI.

XXIII. *An poſſint ſupradicti Prælati diſpenſare cum ſuis ſubditis, qui iudicando in ſæculo aliquod iuſtitiæ miniſterium exercuerunt?*

Dico vigeſimooctauò, magis explicans duas præcedentes aſſertiones, Generales, Prouinciales, & Priores conuentuales poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis, qui exiſtentes in ſeculo iudicando, aut miniſterium iuſtitiæ peragendo, hominem ad mortem, aut mutilationem membrorum condemnarunt, & eorum ſententia fuit exequutioni mandata. Similiter ſi in bello iuſto aliquem occiderunt, aut mutilarunt. quia prædictæ occiſiones, & mutilationes non ſunt peccata contra quintum præceptum Decalogi, nec ſic occidentes, ſeu mutilantes dicuntur homicidæ. Videantur DD. cit. Rodriquez *tom. 1. qq. Reg q. 24. art. 8.*

Dubitatio XXII.

XXIV. *An diſpenſationes iſtæ valeant in vtroque foro?*

Dico vigeſimononò, hæ diſpenſationes factæ à prædictis Prælatis proſunt in vtroque foro, etiam

 quando

quando factum eſt publicum. quia priuilegium Sixti IV. conceſſum Magiſtro generali, Prioribus, Prouincialibus, & Conuentualibus vt poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in omnibus irregularibus homicidij voluntarij, & mutilationis membri exceptis, eſt abſolutum abſque reſtrictione, & limitatione; ergo in vtroque foro poterunt prædicti Prælati. Videatur priuilegium adductum à Rodriquez *tom.1.qq.Reg. quæſt.24.art.15. & art.16* & in hoc Prælati regulares maiorem poteſtatem habent erga ſuos ſubditos, quàm Epiſcopi erga ſuos diœceſanos.

Dvbitatio XXIII.

XXV. *An illegitimi maneant per profeſſionem diſpenſati, quoad ſuſceptionem Ordinum? &, An Prælatus poſſit cum iſtis diſpenſare, quoad officia & dignitates?*

Dico trigeſimò, illegitimi per profeſſionem in Religione approbata manent diſpenſati ad omnes Ordines, vt patet ex *cap.1.de filys Presbyt.* Prælati tamen regulares diſpenſant cum ſibi ſubditis ad officia, & Prælaturas, ita conceſſit Sixtus IV. *Bulla* 14. & Eug. IV. *Bul.* 1. Nec obſtat Sixtus V. in ſuo Motu proprio contra illegitimos, quia illum moderatus eſt Greg. XIV. quòd poſſit cum iſtis diſpenſari per Generalem, vel Prouincialem, intermedio Capitulo Generali, vel Prouinciali. Videatur Delacrux *lib.1. de voto obedientiæ, cap.6. dub.19. concluſ.1.* imò modò abſolutè Generales, & Prouinciales poſſunt cum iſtis diſpenſare. Nam à ſanctiſſimo Paolo V. fel. rec. omnia priuilegia Minoribus, & Prædicatoribus conceſſa, confirmata, & innouata fuere. Videatur idem Ioannes Delacrux *lib.2.cap.3.dub.5.*

Dvbitatio XXIV.

XXVI. *An Prælati Regularium poſſint abſoluere ſibi ſubditos ab excommunicatione contracta per inualidam Ordinum ſuſceptionem, & diſpenſare in irregularitate ſi quam ob id contraxerint?*

Dico trigeſimoprimò. Prælati regulares, Generales, Prouinciales, & Priores locales poſſunt abſoluere ſibi ſubditos ab excommunicatione, & ſuſpenſione contracta ſi quam incurrerint malè ad Ordines promoti, imò ſi ſic ligati notam irregularitatis incurrerint, diſpenſationis beneficium valent dicti Prælati ſibi ſubditis impartiri; ita conceſſit Clemens IV. Hæc conceſſio poterit videri apud Rodriquez *tom.1.qq. Reg.quæſt.20.art.1.& 2.*

XXVII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

Ad rationem in contrarium quatenus militat contra ſecundam, & tertiam hanc noſtram aſſertionem, patet reſponſio ex his quæ diximus ſuprà; reſpondetur enim quòd ſanctiſſimus Pontifex Clemens VIII. *Bulla* 40. reduxit dictum decretum ſuprà adductum Sixti V. ad terminos iuris ſacri Concilij Tridentini, & ad conſtitutionem Pij II. ibique Clemens ſanctiſſimus Octauus voluit quòd pœnæ contentæ in illo Sixti decreto cum dicta reſeruatione, tantùm habeant robur in ſimoniacè ordinantibus, & ordinatis, ita vt cum iſtis nec Epiſcopi, nec Prælati Regularium etiam in foro conſcientiæ diſpenſare valeant, benè tamen cum aliis aliter malè promotis, vt ſi per ſaltum, ſi ſine legitima ætate, vel dimiſſoriis, &c. Videatur pro hac ſolutione, & pro aſſertione 2. & 30. huius dubij, Manuel Rodriquez *tom.1.qq.Reg q.20.art.13.*

Imò prædictos etiam ſimoniacè malè promotos dicti Prælati Regulares abſoluere valent ab excommunicatione, & ſuſpenſione incurſa, & ſi miniſtrauerint irregulares facti, cùm eiſdem diſpenſare poſſunt vi ſuorum priuilegiorum. quia ſanctiſſimus fel. rec. Paolus V. anno Domini 1609. die 1. Decembris, confirmauit, & innouauit tam pro foro conſcientiæ, quàm pro foro externo, omnia priuilegia Minoribus conceſſa, & ſub die 11. Octobris anni 1612. voluit in ſuo robore manere omnia priuilegia quomodolibet à Prædeceſſoribus etiam per viam communicationis ſacro Ordini Prædicatorum conceſſa. Ita notauit Ioannes Delacrux *lib.1.de voto obedientiæ, cap.6. dub.15. fine.* adducens confirmationes priuilegiorum *lib.2.c.3.dub.5.concl.3.§.tandem illa concluſio, fol.102.*

Articvlvs LXII.

An Regulares inconſultis ſuis Prælatis tempore Iubilæi pleniſſimi poſſint confiteri extra ſuum Ordinem, & validè abſolui?

Svmmarivm.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Dubitatio deciditur.*
3. *An tempore Iubilæi Religioſus poſſit ſibi eligere Confeſſarium tantùm in ſuo Ordine approbatum pro Religioſis.*
4. *An Religioſus, qui vult extra Ordinem vi Iubilæi confiteri, debeat eligere Confeſſarium, approbatum ab Epiſcopo.*
5. *An Religioſus habens facultatem à ſuo Prælato, ſe confitendi cuicumque voluerit, poſſit eligere Confeſſarium regularem, approbatum tantùm à ſuis Prælatis Ordinis, & non ab Epiſcopo.*
6. *An quando in generali conceſſione Iubilæi, vel Bulla Cruciata conceditur omnibus fidelibus eligendi quemlibet Confeſſarium, cenſeatur conceſſa facultas Regularibus eligendi Confeſſarium extra ſuum Ordinem.*
7. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, an per Summum Pontificem præſentem poſſint reſtringi, vel tolli conceſſiones ſuorum prædeceſſorum.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm Sanctiſſimus Gregor. XIII. conceſſit non poſſe Religioſos Societatis ſine expreſſa ſuorum Superiorum licentia vti facultatibus Iubilæorum Bullarum Cruciatæ confeſſionalium, vel aliorum Apoſtolicorum indultorum, quæ communitatibus, perſonis, vel piis locis quouis modo conceſſa ſunt; & ſanctiſſimus Pius V. in quadam conſtitutione 132. in Bullario, edita die 21. Iulij 1571. Pontificatus ſui anno 6. quæ incipit, *Romani Pontificis circumſpecta benignitas*, prohibet fratribus Ordinis Prædicatorum, ne poſſint eligere Confeſſorem, & abſolui à reſeruatis ſine licentia ſuorum Superiorum; ergo Regulares cùm communicent in his priuilegiis, non poterunt inconſultis ſuis Prælatis virtute Bullæ Cruciatæ, aut alicuius Iubilæi, &c.

II. *Dubitatio deciditur.*

Dico primò, quãdo in Iubilæo datur facultas ſpecificè, &

& expreſsè, vt Regulares poſſint ſibi eligere Confeſſarium extra ſuum Ordinem, ſicut ſanctiſſimus Paulus V. conceſſit in ſuo Iubilæo anno 1617. die 12. menſis Iunij, & in Iubilæo ſanctiſſimi Vrbani VIII. conceſſum eſt die 8. Aprilis 1628. tunc nulli dubium eſt, quin Religioſus poſſit extra Ordinem ſuum confiteri, & iuxta tenorem Iubilæi eligere ſibi Confeſſarium, qui eum à reſeruatis, & ab omnibus abſoluat. quia cùm Romanus Pontifex ſpecificè & expreſsè tribuat Regularibus dictum priuilegium, videtur derogare contrariis priuilegiis, quibus prohibetur eiſdem vti confeſſionalibus, & indultis circa electionem Confeſſarij, de non approbatis à Superiore. Tum, quia ita ſacra Congregatio Cardinalium decreuit die 15. Decembris 1580. & Gregorius XIII. 19. Decembris 1581. in Conſiſtorio reſpondit tempore Iubilæi poſſe omnes Regulares confiteri peccata ſua Sacerdotibus etiam ſecularibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confeſſiones. Videatur Ioannes Delacrux *lib. 1. de voto obedientiæ, cap. 6. dubio 12. concl. 3.* Nauarr. *tom. 1. lib. 5. de priuilegys, conſil. 13. num. 3.* D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 4. de Iubilæo, quæſt. 87. §. Reſpondeo poſſe*, addens idem dicendum eſſe de Monialibus.

Dico ſecundò, quando in Bulla Iubilæi datur Regularibus expreſsè facultas eligendi ſibi quemcunque Confeſſarium etiam ſecularem, vigore tunc pleniſſimi Iubilæi poſſunt Regulares abſque licentia, & inconſultis ſuis Superioribus eligere ſibi Confeſſarium, quem maluerint approbatum ab Ordinario. Probatur rationibus adductis pro prima aſſertione: tum, quia tunc ſufficit facultas Generalis Generaliſſimi, & Ordinarij Ordinariorum, qui eſt ſummus Pontifex: [videantur DD. cit. pro primo aſſerto, & præter illos Beia *p. 3. caſuum caſu 16. §. Hæc tamen opinio*, & in eodem caſu. *§. Vltimo ad omnem dubitationem, verſ. Fuit reſponſum.* Rodriq. *ſumm. c. 184. n. 16.* Coriolanus *p. 1. caſuum reſeruatorum, ſect. 3. art. 15. n. 1.* Henriquez *lib. 7. de indulgentijs, c. 12. n. 4. verſic. Qui habet Bullam.*

Dvbitatio I.

III. *An tempore Iubilæi Religioſus poſſit ſibi eligere Confeſſarium tantùm in ſuo Ordine approbatum, pro Religioſis?*

Dico tertiò, Religioſus pœnitens tempore Iubilæi pleniſſimi, ſi intra ſuum Ordinem vult confiteri, ſufficit, quòd Confeſſarius, quem eligit, ſit approbatus à Prælatis ſuæ Religionis, etiamſi in Bulla apponatur, quòd poſſint pœnitentes ſibi eligere Confeſſarium approbatum ab Ordinario loci. nam ipſi Superiores Religionum reſpectu Regularium dicuntur Ordinarij loci, vt benè notauit Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 4. de Iubilæo extraordinario, q. 88.* Tum, quia prædicta verba intelligi debent ſecundùm veram, & approbatam ſacri Concilij Trid. intelligentiam, *ſeſſ. 23. c. 15. de Reform.* vbi licèt mandetur vt nullus Confeſſor ſecularis, aut Regularis aliorum confeſſiones audire præſumat, niſi ab Ordinario fuerit approbatus; hoc tamen intelligi debet de Sacerdotibus Epiſcopo ſubiectis, non de Religioſis, qui hanc non habent ſubiectionem. Videatur Nauarr. *in ſumma cap. 4. num. x. §. In poſtrema editione*, & ita hanc ſententiam tenent D. Bartholomæus à S. Fauſto *loc. cit.* Bonacina *tom. 1. de ſacramentis, diſput. 5. quæſt. 7. puncto 4. §. 2. num. 25. verſic. Mihi verò.* contra Suarez *tom. 4. diſp. 28. ſect. 6. num. 11.* aſſerentem Religioſum teneri tempore Iubilæi eligere Confeſſarium ab Epiſcopo approbatum, conſequenter non lucrari Iubilæum, niſi peccatorum ſuorum confeſſionem faciat Sacerdoti ab Epiſcopo loci approbato.

Dvbitatio II.

IV. *An Religioſus, qui vult extra Ordinem vi Iubilæi confiteri, debeat eligere Confeſſarium approbatum ab Epiſcopo?*

Dico quartò, Religioſus ſi voluerit extra Ordinem ſuum confiteri, ſuppoſito, quòd in tranſumpto Iubilæi id expreſsè concedatur, ſi alicui Sacerdoti ſeculari maluerit confiteri, tunc neceſſe eſt, vt talis Confeſſor à ſuo Epiſcopo ſit approbatus, & expoſitus. nam id exprimitur perpetuò in Iubilæis, quòd Sacerdos excipiens pœnitentium confeſſiones tempore Iubilæi debet eſſe expoſitus, & approbatus ab Ordinario, ſed Ordinarius Sacerdotis ſecularis eſt Epiſcopus loci; ergo, &c. Henriquez *lib. 3. de pœnit. c. 6. n. 59.*

Dico quintò, probabile eſt aſſerere Regularem tempore Iubilæi pleniſſimi, ſi voluerit confiteri extra ſuũ Ordinem Regulari, Sacerdoti alterius Ordinis, poſſe eligere Confeſſarium approbatum à ſuo Prælato ad audiendas confeſſiones Regulariũ; licèt non ſit expoſitus, & approbatus ab Epiſcopo. Probatur. nam Religioſi itinerantes, vel exiſtentes extra ſuos Conuentus cũ licentia ſaltim præſumpta ſuorum Prælatorum, non aſtringuntur cõfiteri approbatis ab Epiſcopis, ſed poſſunt eligere Confeſſorem tantùm Religioſorũ, & non ſecularium, approbatum ſcil. à Prælatis Religionum cuiuſcumque Ordinis, vt docet Rodriq. *tom. 1. qq. Reg. q. 62. art. 5.* ergo tempore Iubilæi pleniſſimi facta illis facultate à R. P. quòd poſſint confiteri extra ſuum Ordinem, poterunt confiteri Sacerdotibus regularibus cuiuſcumque ſint Ordinis, expoſitis tamen, & approbatis tantùm à Prælatis Religionum. Tum, quia verba illa, quæ in Bulla Iubilæi exprimuntur, videlicet quòd poſſint eligere Confeſſarium approbatum ab Ordinario, non apponuntur priuatiuè, quaſi ſummus Pontifex velit priuare pœnitentem iure ſuo, quo poteſt confiteri Sacerdoti approbato à ſuo Prælato, ſed potiùs apponi videntur cumulatiuè, & ampliatiuè in fauorem ipſius pœnitentis, ita vt pœnitens non ſolùm poſſit confiteri ſuo Parocho, aut alteri Sacerdoti, ſicut poterat ante Iubilæum, verùm etiam poſſit alium quemlibet Sacerdotem approbatum ab Ordinario eligere; ſed Regulares itinerantes & exiſtentes extra ſuos Conuentus ex licentia implicita ſuorum Prælatorum confiteri poſſunt Sacerdoti alterius Religionis approbato tantùm à Prælato Ordinis, vt diximus cum Rodriquez nuperrimè relato. ergo tempore Iubilæi pleniſſimi ſi confiteri voluerint extra ſuum Ordinem poterunt ex licentia Pontificis ſibi eligere Sacerdotem tantùm à Prælato alterius Ordinis expoſitum ad audiendas Religioſorum confeſſiones. Ita tenet expreſsè Coriolanus *part. 1. de caſibus reſeruatis, ſect. 3. art. 15. num. 2.*

Dvbitatio III.

V. *An Religioſus habens facultatem à ſuo Prælato confitendi cuicumque voluerit, poſſit eligere Confeſſarium regularem approbatum tantùm à ſuis Prælatis Ordinis, & non ab Epiſcopo?*

Dico ſextò, conſequenter ad præcedentem aſſertionem: ſi Prælatus Ordinis det facultatem Regulari confitendi Sacerdoti cuicumque voluerit, po-

teſt is eligere etiam ab Epiſcopo non approbatum; quia ante Concilium Tridentinum regulares poterant confiteri etiam non approbatis ab Epiſcopo, vt docet Nauarrus ſumma *cap.4. num.* 5. Rodriquez *tom.* 1. *qq. Reg. quaſt.* 62. *art.*4. & 5. ſed à iure antiquo non eſt recedendum, niſi quatenus in nouo inuenitur expreſſum, *l. præcipimus, C. de appellat. & cap.* 5. *de tranſlat. Epiſcoporum.* ergo cùm in Concilio Trident. *ſeſſ.* 23. *c.* 15. *de Reform.* nulla fiat mentio de confeſſionibus Regularium, ſed tantùm ſecularium, ſatis colligitur mentem Concilij nihil circa confeſſiones Regularium innouare. ergo cùm antea poterant confiteri Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, poterunt & modò. ergo ſi Prælatus Ordinis det Regulari facultatem confitendi cuicunque Sacerdoti, poteſt is eligere etiam ab Epiſcopo non approbatum; ſufficiet igitur quòd ſit expoſitus ad audiendas Religioſorum confeſſiones à Prælato Religionis. Videatur Laym. *tom.* 2. *lib.* 5. *tract.* 6. *de ſacr. Pœnit. cap.* 11. *n.* 1. Sà *verb. Confeſſor num.*4.

DVBITATIO IV.

VI. *An quando in generali conceſſione Iubilæi, vel Bulla Cruciata, conceditur omnibus fidelibus eligendi quemlibet Confeſſarium, cenſeatur conceſſa facultas Regularibus eligendi Confeſſarium extra ſuum Ordinem.*

Dico ſeptimò, in generali conceſſione facta etiam in Iubilæo, & in Bulla Cruciatæ, omnibus fidelibus eligendi quemlibet Confeſſarium, non cenſetur conceſſa facultas Regularibus eligendi Confeſſarium extra ſuam Religionem, niſi expreſsè, & ſpecificè hoc etiam Regularibus concedatur; quia in generali conceſſione eligendi ſibi Confeſſarium per omnes fideles vtriuſque ſexus, nunquam eſt intentio Romani Pontificis comprehendere Religioſos vtriuſque ſexus, & ita ſanctiſſimus Clemens VIII. *Bulla* 9. ſub datis die 23. Nouembris 1599. decreuit conceſſionem Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium quantum ad articulum eligendi Confeſſorem, & abſoluendi à reſeruatis cum Religioſis vtriuſque ſexus, locum non habere cuiuſuis inſtituti Mendicantium, & non Mendicãtium tam Prouinciæ Hiſpaniæ, quàm extra eam vbilibet. Hanc aſſertionem docent Ioannes Delacrux *lib.* 1. *de voto obedientiæ, cap.* 6. *dub.* 15. *concluſione* 5. Viualdus *in ſuo Candelabro, de abſolutione n.*18. & 55. Ludouicus Beia *part.*3. *caſuum, caſu* 16. Coriolanus *part.* 1. *de caſibus reſeruatis, ſect.* 3. *art.* 14. D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib.* 4. *de Iubilæo extraordinario, quæſt.*87.

Dico octauò, probabile etiam eſt per Bullas Cruciatæ conceſſas ab aliis Pontificibus poſſe Regulares abſque licentia ſuorum Prælatorum eligere Confeſſorem, & abſolui à reſeruatis iuxta tenorem earum, & ſic Religioſi ſumendo Bullam Cruciatæ, per quam conceditur omnibus fidelibus vtriuſque ſexus, vt poſſint ſibi eligere Confeſſarium, & abſolui à reſeruatis, poterunt, &c. Probatur, quia Sanctiſſimus Clemens VIII. in Bulla citata *aſſertione præcedenti*, declarat intentionem ſuam fuiſſe conceſſionem Bullæ Cruciatæ quo ad articulum eligendi Confeſſorem, & abſoluendi à reſeruatis, non habere locum cum Religioſis vtriuſque ſexus, pro Bullis ſcilicet, & indultis particularibus à ſe conceſſis, & concedendis. Non tamen eſt abſoluta, & generalis declaratio pro concedendis à ſuis etiam ſucceſſoribus; ergo per Bullas Cruciatæ conceſſas à ſucceſſoribus Pontificibus, poterunt virtute illarum Religioſi eligere ſibi Confeſſarium, & abſolui, &c. Tum, quia conceſſio eligendi ſibi Confeſſarium, & abſoluendi à caſibus reſeruatis facta per Bullam Cruciatæ eſt generalis pro omnibus fidelibus vtriuſque ſexus abſque vlla reſtrictione; ergo generaliter eſt intelligenda. Tum, quia vtile eſt pro populo Chriſtiano, vt aliquoties detur facultas confitendi aliis, quàm ordinariis Confeſſariis; vnde Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 10. *de Reformatione*, ſtatuit vt Superiores Monialium dent bis, vel ter in anno Confeſſarios extraordinarios, quibus poſſint illæ confiteri. ergo cùm per Bullam Cruciatæ concedit Summus Pontifex generaliter omnibus Chriſti fidelibus facultatem eligendi ſibi Confeſſarium, poterunt vi huius conceſſionis abſque reſtrictione conceſſæ Regulares eligere, &c. Tum, quia Religioſi de licentia ſui Prioris poſſunt accipere has Bullas, & eis vti quoad omnia in eis contenta, quoad electionem Confeſſarij; & abſolutiones à reſeruatis, & cætera omnia, & cum tali licentia nihil nocent regulari Obſeruantiæ, & cuncta redduntur bona, & licita; ergo erunt etiam bona, & licita de licentia, & conceſſione generali facta omnibus fidelibus vtriuſque ſexus à Romano Pontifice, & ita hanc aſſertionem tenet probabilem expreſsè Ioannes Delacrux *loco citato, concluſ.* 3. Henriquez *lib.* 7. *de Indulgentijs cap.* 22. *num.*4 *lit.X.* adducens multos grauiſſimos DD. Nauarrus *tom.* 5. *conſil. lib.* 5. *de priuilegijs, conſilio* 13. *num.*3. Rodriquez *tom.* 1. *qq. Regul. quæſt.* 21. *art.* 10. §. *Dico ſextò.*

VII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

DVBITATIO V.

An per Summum Pontificem præſentem poſſint reſtringi, vel tolli conceſſiones ſuorum prædeceſſorum?

Ad rationem in contrarium, & ad priuilegia ibi adducta, & ad alia quæ adduci poterant, quatenus militant contra noſtram primam, & ſecundam aſſertionem, reſpondetur ſuſpendi tunc per Iubilæum pleniſſimum, dum conceditur etiam Regularibus, quòd poſſint ſibi eligere Confeſſorem. Nam licèt Regularibus vi illorum priuilegiorum Religionibus conceſſorum prohibeatur quòd inconſultis Superioribus non poſſint extra Ordinem ſibi eligere Confeſſorem, non reſtringuntur tamen per ea facultates concedendæ ab aliis Summis Pontificibus, & ſic tempore Iubilæi pleniſſimi ſuſpenduntur priuilegia illa antiqua, & vi nouæ conceſſionis poſſunt Regulares ſibi eligere Confeſſorem, & abſolui à reſeruatis abſque licentia Superiorum. Videatur pro hac ſolutione Ioanne Delacrux *loco citato, concluſ.* 3. Sotus in 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 5. *art.* 3. §. *primus eius caſus, verſ. dixerim verò.* vbi docet Summum Pontificem non poſſe coërcere, & reſtringere conceſſiones per alios Pontifices poſtmodum faciendas. Sanchez *lib.*6. *in Præcepta c.*17. *n.*43. *verſ. ſecundò reſpondetur.*

ARTI

Articvlvs LXIII.

An Confeſſarius expoſitus ab Ordinario, ad excipiendas fidelium confeſſiones, præter Monialium, tempore Iubilæi pleniſſimi, in quo conceditur omnibus fidelibus vtriuſque ſexus tam ſecularibus, quàm Regularibus, quòd poſſint ſibi eligere in Confeſſarium quemlibet Sacerdotem expoſitum ab Ordinario, ſiue ſit Confeſſarius Regularis, ſiue ſecularis, poſſit vi talis conceſſionis, audire in confeſſione, & validè abſoluere Moniales?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Declaratur quid ab Epiſcopis per approbationem conferatur Confeſſarijs.*
3. *An Sacerdos ſemel approbatus ab Epiſcopo ad confeſſiones, validè abſoluat ſi ſuſpenſus ſit occultè, & vi Iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ eligatur.*
4. *An Sacerdos ab Epiſcopo approbatus tantùm pro viris, poſſit per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæi, eligi à fœminis? & approbatus tantùm pro ſecularibus, poſſit eligi à Monialibus.*
5. *Titulo dubitationis ſatisfit.*
6. *An poſſint Moniales tempore Iubilæi eligere Confeſſarium, extra ſibi deputatos.*
7. *An Confeſſarij non expoſiti pro Monialibus, tempore pleniſſimi Iubilæi, nedum validè, ſed etiam licitè, confeſſiones Monialium exciperent.*
8. *An tempore Iubilæi, Confeſſarij expoſiti tantùm in Ordine, poſſint audire confeſſiones Monialium eidem Ordini ſubiectarum.*
9. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm ſanctiſſimus Clemens VIII. in ſuo decreto ſub die 23. Nouembris 1599. cuius initium eſt, *Romani Pontificis*, decreuit conceſſionem Cruciatæ, & aliorum indultorum quantum ad articulum eligendi Confeſſorem, & abſoluendi à caſibus reſeruatis cum Fratribus, & ſororibus Monialibus cuiuſcumque inſtituti Mendicantium, & non Mendicantium, vbilibet locum minimè habere; ſed noſtræ, inquit, intentionis exiſtere, quòd Fratres, & Moniales quantum ad ſacramentum Pœnitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti ſint; ergo tempore Iubilæi Confeſſarius ab Ordinario expoſitus, non tamen pro Monialibus, non poteſt illarum excipere confeſſiones.

Dvbitatio I.

II. *Quid ab Epiſcopis per approbationem conferatur Confeſſarijs?*

Dico primò, per approbationem factam ab Epiſcopis non conferri vllum ius ad audiendum confeſſiones, nec vllam iuriſdictionem, ſed perſonam ſolùm iudicari idoneam, cui illa conferantur, ſine qua approbatione inualidè ei hoc munus committeretur. nam ſacrum Conc. Trid. *ſeſſ. 23. c. 15. de Reform.* aſſerit ſine ea nullum poſſe confeſſiones ſecularium etiam Sacerdotum audire. quibus verbis ſignificatur non approbatos inualidè confeſſiones audire. Videatur Coninch. *diſp. 8. de Miniſtro ſacram. Pœnit. dub. 7. n. 49.*

Dvbitatio II.

III. *An Sacerdos ſemel approbatus ab Epiſcopo ad confeſſiones, validè abſoluat ſi occultè ſuſpenſus ſit, & vi Iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ eligatur?*

Dico ſecundò, Sacerdos ſi ſemel approbatus ſit ab Ordinario, quamuis eſſet occultè reuocata licentia audiendi confeſſiones, ita vt illius reuocationis ſit communis error, eſt eligibilis per Bullam Cruciatæ, ſeu pleniſſimum Iubilæum ad audiendas fidelium confeſſiones, & validè illas exciperet; quia eſt titulus publicus approbationis, & illius reuocatio eſt occulta; ergo Sacerdos eſſet eligibilis, & validè exciperet confeſſiones. nam nullitas occulta nullum valori geſtorum impedimentum præſtat, iuxta *l. Barbarius, ff. de offic. Pretor.* Secus ſi abſque vllo titulo Sacerdos intruſus eſſet ad audiendas confeſſiones, puta ſi abſque approbatione Ordinarij, ita benè notauit Sanchez *lib. 8. de matrimonio, diſp. 34. n. 14.*

Dvbitatio III.

IV. *An Sacerdos ab Epiſcopo approbatus tantùm pro viris, poſſit per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæi eligi à fœminis? & approbatus tantùm pro ſecularibus, poſſit eligi à Monialibus?*

Dico tertiò, Sacerdos approbatus ab Epiſcopo cum limitatione perſonarum, non defectu ſcientiæ, ſed ratione ætatis, quòd iuuenis ſit, quod contingit, dum approbatur ad audiendas ſolas virorum confeſſiones, ſolùm poteſt eligi ab illis, reſpectu quorum approbatus eſt, & ſic approbatus ad audiendas virorum confeſſiones, per Bullam, aut Iubilæum, non eſt eligibilis à fœminis, & à Monialibus. quia approbatio eſt commiſſa Epiſcopo à ſacro Conc. Trid. *ſeſſ. 23. cit.* ergo non plus valet, quàm ab illo data eſt; ergo ſi data eſt pro determinatis perſonis, puta pro viris, & aliis fœminis, non autem pro Monialibus, pro iſtis non valebit; & ſimiliter ſi pro viris tantùm, & non pro fœminis, ab iſtis talis Confeſſor non erit eligibilis, & ita hanc ſententiam tenere videtur Ioannes Delacruz *lib. 2. de priuilegijs, cap. 6. dub. 3. poſt ſecundam concluſionem, verſic. Ex dictis patet.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 28. ſect. 7. num. 3.* & apertè illam docet Rodriquez *ſumma part. 1. cap. 60. num. 4.*

Dico quartò, ſatis etiam eſt probabile expoſitum Sacerdotem ad audiendas ſolas virorum confeſſiones per Bullam Cruciatæ, aut Iubilæum eſſe eligibilem à fœminis, vt ipſæ ſic limitatè expoſito validè confiteantur. quia verum eſt dicere approbatum ab Ordinario ad audiendas virorum confeſſiones eſſe approbatum ab Ordinario; ergo eùm per Bullam Cruciatæ, aut Iubilæum habeatur, quòd poſſit eligi ab omnibus fidelibus vtriuſque ſexus approbatus ab Ordinario, fœmina poterit vi conceſſionis Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi eligere in Confeſſarium approbatum ab Ordinario ad ſolos viros audiendos, cùm hic ſit verè, & propriè approbatus. Ita tenet Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. in addit. quæſt. 8. art. 5. dub. 9. verſ. ad decimum argumentum, fol. 191. col. 2.* Sanchez *lib. 8. de matrimonio, diſput. 34. num. 16.* Bonacina *tom. 1. de Sacramentis,* *diſp. 5.*

DVBITATIO I.

IV. *An Parochus vnius parochiæ poſſit eligi tempore Iubilæi à Parochiano alterius parochiæ in eadem diœceſi?*

Dico tertiò, Parochus virtute Iubilæi poteſt eligi ad confeſſiones ſubditorum alterius parochiæ in eadem diœceſi; quia cenſetur ſufficienter approbatus eo ipſo, quo beneficium parochiale obtinuit, cùm Concilium Tridentinum in habente beneficium parochiale non requirat aliam approbationem. Suarez *tom.4. in 3. part. diſp. 28. num.* 18.

DVBITATIO II.

V. *An approbatus à Prælato Regulari pro ſuis ſubditis tempore Iubilæi poſſit eligi à ſecularibus?*

Dico quartò, approbatus à Superiore Regularium pro ſubditis Regularibus, non poteſt à ſecularibus eligi virtute Iubilæi. quia hic non eſt approbatus ab Epiſcopis, quæ approbatio eſt neceſſaria pro excipiendis ſecularium confeſſionibus, ex Conc. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformatione.* Filliuc. *tom. 1. tract. 8. cap.* 10. *num.* 275. Suarez *tom. 4. in 3. part. diſput.* 28. *ſect.* 5. *num.* 4.

VI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

Ad rationem in contrarium poſitam à principio reſpondetur, probare noſtram ſecundam aſſertionem. Quatenus verò militat contra primam, reſpondetur approbatum ab alio, quàm à Valentino Epiſcopo in diœceſi Valentina, non cenſeri approbatum, quia nimirum Epiſcopus Valentinus retinet ius eum examinandi, & approbandi, ac ſi non eſſet alibi approbatus: ſi via ordinaria, id eſt, non virtute Iubilæi pleniſſimi in Epiſcopatu Valentino vellet audire confeſſiones, concedo antecedens; ſi virtute Iubilæi pleniſſimi, in quo conceditur fidelibus facultas eligendi Confeſſarium, non eſſet ſufficienter approbatus, ſi eligeretur, negatur antecedens, tunc enim ſufficit quòd ab aliquo Epiſcopo ſit approbatus, vt *aſſertione* 1. probauimus: videatur Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 8. art. 5. dubio 9. §. Aliud dubium, verſic. Sed certè ſi ſermo fiat.* Coninchus *diſp. 8. de Miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ, dub. 7. num. 57. ad finem.*

ARTICVLVS LXV.

An Parochi poſt Concilium Tridentinum poſſint exponere Confeſſarios pro ſuis Parochianis, etiam ſine facultate Epiſcopi?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur an ante Concil. Trident. Parochi potuiſſent committere confeſſiones ſuorum ſubditorum, cuicumque Sacerdoti voluerint, abſque aliqua approbatione Epiſcopi.*
3. *Quinam ſint Sacerdotes ordinarij cuiuſcumque fidelis, explicatur.*
4. *Dubitatio reſoluitur.*
5. *An Parochus non Sacerdos poſſit Sacerdoti approbato ab Epiſcopo committere, vt ſuorum ſubditorum confeſſiones excipiat.*
6. *An Epiſcopus renuente Parocho in ſua diœceſi, & ſummus Pontifex renuentibus Epiſcopis in toto orbe, poſſit concedere facultatem audiendi confeſſiones.*
7. *An Sacerdos ab Epiſcopo approbatus indigeat licentia Parochi ad audiendas confeſſiones in parochia.*
8. *An habens licentiam à ſummo Pontifice audiendi omnium fidelium confeſſiones, indigeat licentia aliorum Epiſcoporum, vel Parochorum.*
9. *An Sacerdotes Regulares iter facientes, ſi ſemel ſint ab aliquo Ordinario approbati, poſſint non repugnantibus Parochis, audire confeſſiones ſubditorum illorum.*
10. *An Parochus poſſit eligere Sacerdotem approbatum ab alieno Epiſcopo, licèt non à proprio, pro ſuis Parochianis.*
11. *An approbatio debeat fieri ab Epiſcopo Sacerdotis, vel pœnitentis.*
12. *An Epiſcopus poſſit eligere Confeſſarium non ſibi ſubditum, tam pro ſe, quàm pro ſuis ſubditis.*
13. *Quónam modo Parochi poſſint eligere Sacerdotes approbatos, ab alio Epiſcopo, ad audiendas ſuorum ſubditorum confeſſiones, explicatur.*
14. *An iuriſdictio Parochorum ſit de iure diuino.*
15. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, An Parochis ſit ablata facultas committendi vices ſuas alijs Sacerdotibus approbatis.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm non eſt cenſendum, quòd ius humanum tollat id, quod eſt de iure diuino, niſi id formaliter, & expreſsè ſignificet; ſed Parochi iure diuino poterant eligere Confeſſarios pro ſuis ſubditis, & hoc auferri non ſignificatur in Concilio Tridentino. ergo etiam modò poſſunt Parochi tales Confeſſarios pro ſuis Parochianis eligere.

DVBITATIO I.

II. *An ante Concil. Trid. Parochi potuiſſent committere confeſſiones ſuorum ſubditorum cuicumque Sacerdoti voluerint, abſque aliqua approbatione Epiſcopi?*

Dico primò, ante tempora Concil. Trid. Parochus poterat committere ſuam iuriſdictionem cuicumque Sacerdoti idoneo, etiamſi aliàs nullam haberet iuriſdictionem, nec alicuius Epiſcopi approbationem, & hoc non modò validè, ſed etiam licitè. nam omnis Sacerdos proprius, qui iure ordinario poteſt confeſſiones audire, poteſt committere audientiam confeſſionis pro ſuis ſubditis alteri idoneo Sacerdoti, vt benè docet Armilla *verb. Abſolutio, n.* 15. ſed Parochus eſt Ordinarius reſpectu ſuorum Parochianorum; ergo ante Conc. Trident. poterat committere ſuam iuriſdictionem cuicumque Sacerdoti idoneo, &c. Videatur Nugnus *tom. 2 in addit. ad tertiam partem quæſt. 8. art. 6. dub. 5. §. Oppoſitam tamen ſententiam.* Sed vt magis explicetur hoc aſſertum,

DVBITATIO II.

III. *Quinam ſint Sacerdotes ordinarij cuiuſcumque fidelis?*

Dico ſecundò, tres eſſe cuiuſcumque ſecularis Chriſtiani proprios Sacerdotes, Romanum Pontifi-

cem

cem totius Eccleſiæ Epiſcopum in ſuo Epiſcopatu,& diœceſi,& Parochum in ſua parochia; cùm ergo Parochus de iure diuino ſit ordinarius, potuit ante Concilium Tridentinum ſuas vices committere alteri idoneo Sacerdoti, etiamſi aliàs nullam haberet iuriſdictionem,nec alicuius Epiſcopi approbationem. Videatur Magiſter Sotus *in 4. diſt.18. queſt.4. art.2. in principio.§.At verò.*

IV. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico tertiò, Parochus poſt Concilium Tridentinum non poteſt delegare ſuam ordinariam iuriſdictionem,quam habet in ſuos Parochianos, Sacerdoti non approbato ab aliquo Ordinario.nam verba Concilij Tridentini *ſeſſ.23.c.15.de Reform.* approbationem ab Ordinario requiſitam pro audiendis confeſſionibus requirentia ſunt generalia, inquit enim ſacra Synodus *loc.cit.* nullum etiam Regularem poſſe confeſſionem ſecularium, etiam Sacerdotem audire, nec ad id idoneum reputati, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen,vel aliàs idoneus iudicetur.ergo,&c. Videatur Sotus *loc.cit.§. Hoc ſuppoſito.* Nugnus nuper relatus *dub. 6. § Sit tamen concluſio.* Suarez *tom.4.in 3.part.diſp.28.ſect.4.num.18.*

Dvbitatio III.

V. *An Parochus non Sacerdos poſſit Sacerdoti approbato ab Epiſcopo committere vt ſuorum ſubditorum confeſſiones excipiat?*

Dico quartò,Parochus, etiamſi nondum ſit initiatus Ordine ſacerdotali,poteſt iure communi date alteri Sacerdoti,ſuppoſita approbatione Epiſcopi,facultatem abſoluendi ſuos ſubditos. nam licèt ipſe defectu poteſtatis Ordinis non poſſit ſuos ſubditos abſoluere, nihilominus habet poteſtatem iuriſdictionis, quæ eſt adnexa beneficio, & quam poteſt alteri committere,ſuppoſito quòd ab Ordinario ſit expoſitus.

Dvbitatio IV.

VI. *An Epiſcopus renuente Parocho in ſua diœceſi, & ſummus Pontifex renuentibus Epiſcopis in toto orbe,poſſit concedere facultatem audiendi confeſſiones?*

Dico quintò, conſequenter ſicut Parochus poteſt cuiuis Sacerdoti approbato dare veniam audiendi confeſſionem omnium ſuorum Parochianorum; ſic multò magis Epiſcopus poteſt dare facultatem audiendi confeſſiones eorum omnium, qui habitant in ſua diœceſi, & ſummus Pontifex poteſt dare facultatem audiendi confeſſiones omnium fidelium, idque etiam repugnantibus Epiſcopis,ac Parochis, quia habet abſolutam iuriſdictionem in omnes fideles omninò independentem ab omni humana poteſtate. Contrà verò cùm Epiſcopi in vſu ſuæ poteſtatis pendeant à Pontifice, & Parochi ab Epiſcopis, nec hi inuitis Epiſcopis,nec Epiſcopi inuito Pontifice, poſſunt alicui dare facultatem audiendi confeſſiones.

Dvbitatio V.

VII. *An Sacerdos ab Epiſcopo approbatus,indigeat licentia Parochi,ad audiendas confeſſiones in parochia?*

Dico ſextò,Sacerdos,qui fuit ab Epiſcopo approbatus,ab eòque facultatem obtinuit audiendi confeſſiones, nouam licentiam petere non tenetur à Parochis, in quorum parochia prædictus Sacerdos vult confeſſiones iuxta facultatem ſibi ab Epiſcopo conceſſam audire. quia Epiſcopus in ſua diœceſi iuriſdictionem habet concedendi facultatem audiendi confeſſiones independenter à Parochis;ergo ſic expoſitus non indiget de rigore iuris, ſed ex quadam æquitate conſenſu Parochi. Sayr. *de pœnitentia,c.21.n.1.*

Dvbitatio VI.

VIII. *An habens licentiam à ſummo Pontifice audiendi omnium fidelium confeſſiones, indigeat licentia aliorum Epiſcoporum, vel Parochorum?*

Dico ſeptimò, qui poſtquam fuit approbatus ab Epiſcopo ad audiendas confeſſiones, obtinet priuilegium à Rom. Pontifice audiendi confeſſiones omniũ fidelium,non indiget ampliùs Epiſcoporum,aut Parochorum licentia ad audiendas confeſſiones exiſtentium in ipſorum parochia, aut diœceſi. nam alioquin inutile redderetur priuilegium obtentum à Sede Apoſtolica, cùm ſine facultate Pontificis poſſet de licentia Epiſcoporum confeſſiones audire. Sayr. nuper relatus.

Dvbitatio VII.

IX. *An Sacerdotes Regulares iter facientes, ſi ſemel ſint ab aliquo Ordinario approbati, poſſint non repugnantibus Parochis audire confeſſiones ſubditorum illorum?*

Dico octauò,Sacerdotes Regulares ſemel ab aliquo Ordinario approbati iter facientes, poterant non repugnantibus Parochis prædicare, & quorumlibet fidelium confeſſiones audire, dummodo hoc non feciſſent in locis vbi Ordinarij exiſtebant, & tunc cum eorum licentia. Ita conceſſerat Gregorius XIII. Confeſſoribus, & Prædicatoribus Societatis IESV, vt habetur *in compend. Societatis tit. Confeſſores* §. 2. Hoc idem priuilegium per communicationem omnibus Regularibus communicantibus in priuilegiis fuerat conceſſum. Modò talis facultas reuocata manet per conſtitutionem Vrbani VIII.cuius initium eſt,*Cùm ſicut accepimus*,ſub die 12.Septembris 1628.

Dvbitatio VIII.

X. *An Parochus poſſit eligere Sacerdotem approbatum ab alieno Epiſcopo, licèt non à proprio,pro ſuis Parochianis?*

Dico nonò, Parochus ſuam poteſt committere ordinariam iuriſdictionem vel aliis Parochis, vel Sacerdotibus ab Epiſcopo approbatis, non tamen requiritur vt Sacerdotes, quibus Parochus ſuam ordinariam iuriſdictionem committit, in proprias oues ſint approbati à proprio Epiſcopo ſuæ diœceſis, ſed ſatis eſt, ſi ſint expoſiti, & approbati à proprio Epiſcopo ipſorum Sacerdotum. quia vnuſquiſque Sacerdos per approbationem ſui Epiſcopi fit proximè capax cuiuſque iuriſdictionis delegatæ in foro pœnitentiali. Videatur Henriquez *lib. 3. de pœnitentia, cap. 6. num. 7.* Coninchus *diſput. 8. de Miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ, dubio 7. num. 53.* Suarez *tom.4. in 3. part. diſput. 28. ſect. 7. num. 18.*

Dvbi

cenſuras, & ſuper his irregularitatibus contractis poſſunt ſupradicti Prælati diſpenſare cum ſibi ſubditis, & hoſpitibus: dummodò iſtæ cenſuræ ſint latæ à iure, vel ab homine generaliter, & non ſpecialiter contra iſtum. Ita conceſſit Clemens IV. quod priuilegium videri poterit apud Rodriquez *tom. 1. qq. Reg quæſt. 20. art. 1.*

Dico quartò, in ſupradictis irregularitatibus poſſunt cum ſibi ſubditis, & hoſpitibus ſui Ordinis, imò etiam & cum Nouitiis diſpenſare, vt conceſſit Sixtus IV. prædicti Prælati, ſiue priuſquam intrauerint Ordinem, ſiue poſt has irregularitates contraxerint, ſiue ſint ortæ ex delicto occulto aliàs non deducto ad forum contentioſum, cùm hoc concedatur Epiſcopis in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 6. de Reformatione*: ſiue ex delicto notorio. nam conceſſio ſine vlla reſtrictione, & limitatione facta, qualis eſt ſupradicta, non eſt reſtringenda. Videatur Delacrux *lib. 1. de voto obedientiæ, cap. 6. dub. 16. concl. 2.* Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæſt. 24. art. 16.*

Dubitatio IV.

V. *An Prælati Regularium poßint diſpenſare cum ſibi ſubditis, ſi ſpecialiter fuerint ab aliquo iudice ligati cenſuris?*

Dico quintò, vi dictorum priuilegiorum Clementis IV. & Sixti IV. non poſſent ſupradicti Prælati diſpenſare cum ſibi ſubditis hoſpitibus ſui Ordinis, & Nouitiis ſi ſpecialiter fuiſſent iſti excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti à iudice, & deinde celebraſſent diuina, vel Ordines ſacros ſuſcepiſſent. quia in prædictis priuilegiis additur, *dato quòd à iudice generaliter fuerit data, vel lata, vel à iure dicta ſententia.* Imò additur in priuilegio Sixti IV. adducto à Rodriq. *tom. 1. qq. Reg q. 24. art. 5.* quòd ſi Nouitij huiuſmodi ſententiis propter debita ſint adſtricti, ſatisfaciant. Ad maiorem præcedentis aſſertionis explicationem explicatur,

Dubitatio V.

VI. *Quidnam ſit ferre ſententiam, vel cenſuram generaliter, vel ſpecialiter?*

Dico ſextò, iudex generaliter dicitur ferre ſententiam, aut cenſuram, cùm dicit, *Excommunico*, vel *ſuſpendo*, vel *interdico, facientes hoc, vel illud*, & talis ſententia perinde eſt, ac ſi eſſet à iure. quia perinde poteſt abſolui ſic excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, ac ſi eſſet à iure excommunicatus, &c. Specialiter autem dicitur iudex excommunicare, vel ſuſpendere, vel interdicere, quando in particulari talem excommunicat, ſuſpendit, vel interdicit. Videatur Nauarrus *ſumma cap. 27. num 44. & tomo 2. conſiliorum lib. 5. de ſententia excommunicationis, conſil. 47. num. 1.* Vi igitur priuilegiorum Clementis IV. & Sixti IV. Prælati prædicti poſſunt cum ſibi ſubditis, hoſpitibus ſui Ordinis, & Nouitiis diſpenſare ſi excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti, aut in locis interdictis celebrauerint, vel ſacros Ordines ſuſceperint; modò à iudice generaliter fuerit data, vel lata ſententia, vel à iure: ſecus ſi per ſententiam particularem, ſpecialiter, & nominatim talibus cenſuris fuerint adſtricti.

Dubitatio VI.

VII. *An Religioſi Mendicantium poßint diſpenſari ſemel in vita, in omni irregularitate, à quocumque Confeſſario, in ſuo Ordine approbato?*

Dico ſeptimò, Religioſi Ordinum Mendicantium, etiam Nouitij, cum animo profitendi, poſſunt diſpenſari ſemel in vita, in omni irregularitate, exceptis his, quæ ex homicidio voluntario, & mutilatione voluntaria proueniunt per Confeſſorem eiuſdem Ordinis ab eis electum, audita priùs confeſſione. Ita conceſſit Minoribus Sixtus IV. vt refert Rodriquez *tomo 1. qq. Reg. quæſt. 62. art. 13.* & quamuis ſummus Pontifex non excipiat in ſuo priuilegio irregularitatem ex bigamia prouenientem, tamen pro excepta debet ſemper haberi. quia eſt grauior cæteris ad diſpenſandum. Ita notauit Rodriquez *loc. cit.* Ioannes Delacrux *lib. 1. de voto cap. 6. dub. 16. concl. 4. ad finem.*

Dubitatio VII.

VIII. *An Generales, & Prouinciales Mendicantium poßint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitatibus prouenientibus ex homicidio caſuali, vel patrato in defenſionem ſui, in vtroque foro? &, an poßit Prouincialis cum Fratribus alterius Prouinciæ, vel Prior cum Fratribus alterius Conuentus, ſuper iiſdem diſpenſare?*

Dico octauò, Generales, & Prouinciales Ordinum Mendicantium poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis irregularibus ex homicidio caſuali, & ex homicidio facto cauſa defenſionis, non ſolùm in foro interiori, ſed etiam in foro exteriori nam Sixtus IV. conceſſit abſolutè, & abſque reſtrictione Generalibus, & Prouincialibus Ordinis Minorum, & Prædicatorum, vt poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in omni irregularitate, excepta ea, quæ procedit ex homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione membrorum; ergo vi huius priuilegij cùm ſit abſolutum, poterunt Generales, & Prouinciales Ordinum Mendicantium, ne dum in foro interiori, ſed etiam exteriori, &c. Ita benè deducit Rodriquez *tom. 1. qq. Reg quæſt. 24. art. 13. fine.*

Dico nonò, Prouinciales tamen Ordinum Mendicantium cum Fratribus alterius Prouinciæ, & Priores Conuentuales cum Fratribus alterius Conuentus, diſpenſare minimè poſſunt ſuper irregularitate contracta ratione homicidij caſualis, vel ex homicidio facto cauſa defenſionis. quia conceſſiones, quæ inueniuntur ſuper diſpenſatione, ab his irregularitatibus, loquuntur ſolùm, quòd poſſint diſpenſare cum ſibi ſubditis, & non cum Fratribus ad eos declinantibus, ſed hoſpites declinantes ad aliquas Prouincias, & Conuentus, propriè non ſunt ſubditi Prouincialium, & Priorum Conuentualium, vbi tunc hoſpitantur, licèt ex ordinatione aliquarum Religionum poſſint dicti Prælati per obedientiam, & per ſententiam excommunicationis præcipere hoſpitibus, quæ neceſſaria ipſis præcipienda viderint. ſic notauit Manuel Rodriquez nuperrimè relatus *art. 14.*

Digitized by Google

Dvbitatio VIII.

IX. *An Prælati Regularium, ſecundùm ſua priuilegia, poßint diſpenſare in irregularitate contracta, ratione homicidij voluntary, vel truncationis membrorum, vel enormis effuſionis ſanguinis?*

Dico decimò, Prælati Regulares poſſunt diſpenſare ſecundùm eorum priuilegia cum ſuis ſubditis in irregularitate contracta ratione homicidij voluntarij, occulti tamen. nam Martinus V. conceſſit, quòd Prior Monaſterij Sancti Benedicti Valliſoleti in foro conſcientiæ poſſit abſoluere Monachos ab omni excommunicationis ſententia, etiamſi talis eſſet, quam ipſe ſummus Pontifex reſeruare conſueuit, & cum eis ſuper omni irregularitate, etiam in illis caſibus, in quibus Papa ſibi eos reſeruat, in morte videlicet, & in membrorum truncatione, & enormi ſanguinis effuſione, valeat diſpenſare, dum tamen aliquid horum trium non ſit notorium, & hoc propter ſcandalum. Ita Martinus V. hoc priuilegium videri poterit apud Manuel Rodriq. *tom.* 1. *qq. Reg. q* 24. *art.* 12. *in principio.* Simile priuilegium conceſſum eſt à Iulio II. vt refertur in compendio Societatis Iesv *verb. Diſpenſatio* § 1. & ſic hanc aſſertionem tenet Rodriquez nouiſſimè relatus. Ioan. Delacrux *lib.* 1. *de voto obedientiæ, c.* 6. *dub.* 19. *concl.* 6. Coriolanus *part.* 1. *caſuum reſeru ſect.* 1. *art.* 2. *num.* 5.

Dico vndecimò, vi præcedentis priuilegij Martini V. in quo communicant Religiones Ordinum Mendicantiũ, non ſolùm Generales, & Prouinciales, ſed etiam Præpoſiti, & Priores locales poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis in foro conſcientiæ ſuper omni irregularitate, etiam contracta ex homicidio voluntario, occulto tamen. nam communicatio priuilegiorum ſic intelligitur, quòd ea, quæ conceduntur Magiſtro Generali vnius Ordinis, cenſeantur communicata Generalibus aliorum; & quæ conceduntur Prouincialibus, & Prioribus, cenſeantur communicata ſimilibus Prælatis Prouincialibus, & Prioribus, vt tradit Ioannes Delacrux *lib.* 2. *de communicatione priuilegiorum, cap.* 4. *dub. vnico concl.* 2. ſed prædictum priuilegium fuit conceſſum à Martino V. Priori Monaſterij S. Benedicti Valliſoleti, extenſum poſtea, & communicatum omnibus Prioribus, & Abbatibus aliorum Monaſteriorum, vt notauit Collector priuilegiorum Mendicantium *verb. Abſolutio ordinaria quoad Fratres*, §. 40. ergo Priores locales Ordinum Mendicantium communicant in ſupradicto priuilegio; poterunt igitur cum ſibi ſubditis in foro conſcientiæ diſpenſare ſuper omni irregularitate, etiam contracta ex homicidio voluntario, occulto tamen; ſic benè deducit Manuel Rodriquez *tom.* 1. *qq. Reg. quæſt.* 10. *art.* 2.

Dico duodecimò, Superior Conuentus mortuo, vel amoto Priore poteſt ſupradicto priuilegio Martini V. gaudere erga ſibi ſubditos. quia non dignitati, vel officio conceditur hoc priuilegium, ſed in fauorem animarum; tum, quia hoc priuilegium non conceditur Abbati, ſed Priori D. Benedicti; ergo ad Superiorem mortuo, vel amoto Priore, Sede vacante eſt extendendum. Rodriquez *loc. cit q.* 24. *art.* 12.

Dico decimotertiò, contra præcedentes aſſertiones non obſtat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reformatione*; vbi prohibet quòd non poſſint Prælati diſpenſare in irregularitate proueniente ex homicidio voluntario. nam licèt non poſſint ex facultate Concilij Tridentini, poſſunt tamen virtute priuilegij Martini V. conceſſi Benedictinis, & virtute priuilegij conceſſi Prædicatoribus, priuilegium enim conceſſum nullo modo abrogatur, niſi fiat de illo ſpecialis mentio, & abrogatio in decreto Concilij Trid. nulla eſt facta priuilegiorum mentio, & abrogatio; poterunt ergo Prælati Regulares virtute alterius priuilegij Martini V. & Iulij II. diſpenſare cum ſibi ſubditis in irregularitate contracta ex homicidio voluntario.

Dvbitatio IX.

X. *An Prælati Regularium poßint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitatibus prouenientibus ex publico delicto, & ad forum contentioſum deducto?*

Dico decimoquartò, Prælati Regulares Ordinum Mendicantium poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare in irregularitatibus prouenientibus ex publico delicto, & ad forum contentioſum deducto, præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, qua in re iſti Prælati maiorem auctoritatẽ habẽt erga ſuos ſubditos, quàm Epiſcopi erga ſuos diœceſanos: quia ampliſſima priuilegia ſunt eis conceſſa in fauorem Religionis, præcipue Sixtus IV. conceſſit Generalibus, & Prouincialibus Ordinis Minorum, & Prædicatorum, vt poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in omni irregularitate. Idem conceſſit Clemens IV. præter homicidij voluntarij, &c. Videantur huiuſmodi conceſſiones, & priuilegia apud Ioannem Delacrux *lib.* 1. *de voto obedientiæ, cap.* 6. *dub.* 16. Rodriquez *tom.* 1. *qq. Reg quæſt.* 24. *art.* 13. cùm ergo priuilegia conceſſa à ſummis Pontificibus abſolutè, & abſque reſtrictione loquantur, poterunt prædicti Prælati non ſolùm in irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto diſpenſare, ſed etiam ex publico delicto, & ad forum contentioſum deducto, præterquam homicidij voluntarij, &c. hoc aſſertum eſt magis amplum, quàm octauum; nam ibi loquuti ſumus de irregularitate proueniente ex homicidio caſuali, & ex homicidio facto cauſa defenſionis: hîc autem loquimur de irregularitatibus vniuerſaliter prouenientibus ex publico delicto, & ita hoc aſſertum docet expreſsè Ludouicus Beia *part.* 4. *reſp. caſ conſcient. caſu* 37. §. *Aduertendum quòd Concilium.* Rodriquez *tom.* 1. *qq. Reg. quæſt.* 24. *art.* 13. *ad finem.*

Dvbitatio X.

XI. *An Generales, & Prouinciales Religionum poßint diſpenſare cum ſuis ſubditis infamia iuris maculatis?*

Dico decimoquintò, Generales, & Prouinciales Religionum diſpenſare non poſſunt cum Fratribus infamia iuris maculatis. quia, v. g. fuerunt conuicti de crimine neſando, & iuridicè condemnati, cùm infamati iuridicè de crimine enormi ſint irregulares, iuxta tradita Nauarr. *ſumma cap.* 27. *num.* 248. quia Generales, & Prouinciales non poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis in irregularitate, quæ procedit ex enormi corporis vitio, propter ſcandalum, quod generat fidelibus propter notorietatem dictæ enormitatis, vt inter alios docet Rodriquez *tom.* 1. *qq. Reg. quæſt.* 24. *art.* 3. Sed infamia quæ naſcitur ex notorietate delicti, inducit irregularitatem reductam ad irregularitatem, quæ oritur ex corpore vitiato; ergo ſicut non poſſunt Generales, & Prouinciales Religionum diſpenſare ſuper irregularitate proueniente ex enormi corporis vitio, ſic non poterunt cum infami iuridicè

damnato

Digitized by Google

damnato de crimine enormi propter ſcandalum quod generaret fidelibus. ſic benè deducit Rodriquez nuperrimè relatus *art.6.*

XII. *Senſus illius Regulæ*, Exceptio firmat regulam, *explicatur?*

Dico decimoſextò, non obſtat contra præcedens aſſertum conceſſio, & priuilegium Sixti IV. in fauorem Religionum Mendicantium, in quo concedit Generalibus, & Prouincialibus diſpenſare poſſe cum ſibi ſubditis ſuper quibuſcumque irregularitatibus, exceptis contractis ex homicidio voluntario, motilatione, & bigamia; excipiendo igitur has irregularitates, videtur concedere facultatem ad reliquas diſpenſandas. nam exceptio firmat regulam, 32.*quæſt.7. cap. Dominus*, quod intelligitur in his, quæ ſunt eiuſdem generis. Armilla *verb. Caſus, num.2.* vt ſi in conceſſione caſuum reſeruet ſibi Superior aliquam excommunicationem, vel votum, vel aliquid huiuſmodi, tunc alia in eodem genere intelliguntur concedi; ergo cùm ſummus Pontifex Sixtus IV. concedat facultatem Generalibus, & Prouincialibus Religionum diſpenſandi cum ſuis ſubditis ſuper quibuſcumque irregularitatibus, exceptis contractis ex homicidio voluntario, mutilatione, & bigamia, concedit facultatem ſuper omnibus, illis tantummodo exceptis; quia exceptio firmat regulam; non, inquam, hoc obſtat. nam etiam ſi excipiat ſupradictas, non tamen videtur concedere licentiam ad diſpenſandum ſuper irregularitate contracta à notorio iuridicè infamato propter ſcandalum, quod huiuſmodi diſpenſatio generaret fidelibus propter notorietatem enormitatis delicti iuridicè damnati: ad Papam igitur propter diſpenſationem in huiuſmodi irregularitate recurrendum erit.

Dubitatio XI.

XIII. *An Generales, & Prouinciales poßint diſpenſare cum ſuis ſubditis ſi aliquam infamiam contraxerint?*

Dico decimoſeptimò, Generales, & Prouinciales cũ infamibus ſuis ſubditis ex delicto enormi infamia facti, quod nulla tergiuerſatione celari poteſt, diſpenſare valent. quia cùm iſtis poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt docet Rodriq. *q. 24. cit. art. 6.* ergo & Generales, & Prouinciales cum ſibi ſubditis. Tum, quia irregularitas iſta ex delicto notorio notorietate facti ceſſat ablata infamia per publicam vitæ emendationem, vt docet Syl. *verb. Infamia, n.11.* Sanchez *lib.2. oper. mor. c.25. n.2.* Nam omnis res per quaſcumque cauſas componitur, per eaſdem diſſoluitur, *c.1. de regul. iur.* Tum, quia eſt probabilis ſententia, quòd ob crimen notorium notorietate facti non inducitur irregularitas ante ſententiam iudicis, vel confeſſionem rei factam in iudicio, vt videre eſt apud Sayr. *lib.7. de cenſ. cap.12. n.13.* excepto crimine homicidij, quod etiam occultiſſimum, inducit irregularitatem, & ita aſſertum hoc docet expreſsè Ioan. Delacrux *lib.1. de voto obedientia, cap.6. dub.17. concl.2. verſic. Et ex hoc ſequitur*, & colligitur ex Nauarr. *ſumma cap.27. num.*104. Rodriquez *art.6. citato.*

Dubitatio XII.

XIV. *Quomodo differant infamis, & infamatus?*

Dico decimooctauò, ad maiorem præcedentium aſſertionum intelligentiam, aliud eſt eſſe aliquem infamatum, aliud autem eſſe infamem. Infamis dicitur cùm crimen, in quod incidit aliquis, vel eſt confeſſus in iudicio, vel de eo conuictus quis eſt, vel à iudice tanquam infamis punitus, & damnatus, vel crimen enorme commiſſum eſt ita notorium in ciuitate, collegio, vicinia, vel loco, vt nulla tergiuerſatione celari poſſit. Infamatus autem dicitur, cùm quis eſt publicè accuſatus de aliquo delicto, ſed nondum eſt vel conuictus illius criminis, vel crimen illud confeſſus, nec crimen illud eſt notorium notorietate facti.

Dubitatio XIII.

XV. *Quomodo infamatus poßit reſtitui in integrum, & an ſit ordinandus?*

Dico decimonono, infamatus in iudicio publicè accuſatus reſtituitur in integrum per canonicam criminis purgationem *c. ſi quis, de purg. can.* Purgatio canonica fit aliquando per ſolum iuramentum ipſius infamati coram ſuo iudice, aliquando etiam per iuramentum teſtium compurgantium. Syl. *verb. Purgatio, n.1.* Infamatus poſt purgationem canonicam non eſt ab Ordinibus repellendus; interim tamen, dum infamia durat, non eſt ordinandus. Sayr. *lib.7. de cenſuris, cap.11. num.17.*

Dubitatio XIV.

XVI. *Quidnam requiratur ad incurrendam irregularitatem, ex delicto notorio?*

Dico vigeſimò, duo ſunt neceſſaria ad irregularitatem incurrendam ex delicto notorio. Primum eſt vt crimen ſit notorium, ſecundum vt delictum ſit enorme, id eſt, depoſitione dignum, id eſt, de quo in iure conſtitutum eſt, quòd puniatur depoſitione. quia ex nullo crimine contrahitur irregularitas, niſi in iure exprimatur, *cap. is qui, de ſentent. excomm. in 6.* Sed in iure tantùm exprimitur, quòd per homicidium voluntarium occultum incurritur irregularitas; ergo citra caſum iſtum in nullo crimine occulto quantumuis enormi, incurritur irregularitas; ergo duo illa ſunt neceſſaria, &c. Videatur Nauarr. *ſumm. c.27. num.*148. Depoſitio verò eſt pœna, qua Clericus in perpetuum ab officio ſubmouetur. Azor. *part.2. inſtit. mor. lib.6. cap.7. dub.12.*

Dico vigeſimoprimò, crimen in iure depoſitione dignum eſt adulterium, & cætera peccata carnis eo maiora, homicidium, blaſphemia, periurium, ſacrilegium, maleficium, hæreſis, ſimonia, concubinatus diu continuatus, ſiue fornicatio diu continuata, ſtuprum virginis, inceſtus etiam cum filia ſpirituali. Videatur Nauarr. *loco* nuper *relato.* Sayr. *lib.7 de cenſuris, cap.12. n.10.* ex his omnibus, & aliis quantumuis enormiſſimis criminibus irregularitas non incurritur ſi factum ſit occultum. quia irregularitas non contrahitur niſi ſit in iure expreſſum; ſed in iure non eſt expreſſum quòd ex crimine occulto quantumuis enormiſſimè, incurritur irregularitas. ergo, &c.

Dubitatio XV.

XVII. *An Prælati Regularium poßint diſpenſare ad Ordines cum ſuis ſubditis bigamis ſimilitudinariis, & quinam ſint hi?*

Dico vigeſimoſecundò, Prælati Regularium poſſunt diſpenſare ad Ordines cum ſibi ſubditis bigamis ſimilitudinariis, ſcilicet cum Religioſo, vel initiato maioribus Ordinibus, qui contraxit, & conſummauit

matrimo

matrimonium. Iſte enim dicitur bigamus ſimilitudinarius, vt tradit Syl. & communiter DD. *verb. Bigamia.* quia Epiſcopi poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis in iſta bigamia orta alias ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentioſum, prout illis conceditur in Conc. Trid *ſeſſ. 24. c. 6. de Reform.* Sed Prælati Regularium pro ſibi ſubditis habent auctoritatem Epiſcoporum, vt ſæpè diximus ex conceſſione ſanctiſſimi Pij V. ergo, &c. Minor eſt clara. Maiorem docet gloſſ. *in c. ſanè el 2. verbo ex indulgemia, de Cleric. coniug.* Sayr. *lib. 6. de cenſuris, cap. 6. n. 10.* Videatur Rodriquez *tom. 1. quæſt. 24. art. 2.* Ioannes Delacrux *lib. 1. de voto obedientia, cap. 6. dub. 17. concl. 1.*

DVBITATIO XVI.

XVIII. *Quid, & quotuplex ſit bigamia?*

Dico vigeſimotertiò. Bigamia eſt defectus ex ſecundis nuptiis proueniens. Ita Palud. *in 4. diſt. 17. q. 4. art. 1.* Armill. *verb. Bigamia, n. 1.* Vel, ſecundùm alios, Bigamia eſt irregularitas defectu ſacramenti proueniens. Sayr. *lib. 6. de cenſ. c. 3. n. 3.* Item bigamia eſt triplex, vera, interpretatiua, & ſimilitudinaria. Bigamia vera eſt ſtatus eius, qui habuit, & cognouit duas vxores, vnam, mortua altera; interpretatiua eſt illa quam incurrit, qui fingitur duas habuiſſe vxores, huiuſmodi eſt ille, qui contraxit cum vna ſola, ſed vidua, aut contraxit cum corrupta per alium; ſecus ſi contraxit cum ea, quam ipſemet ſolus cognouit. Item ſi contraxit cum virgine, & eam cognouit poſt quam adulterium commiſit. Bigamia verò ſimilitudinaria illa eſt, quam incurrit Ordine ſacro inſignitus, vel voto ſolemni aſtrictus cum aliqua contrahens, & conſummans, & in hac tertia bigamia ſimilitudinaria diſpenſare poſſunt; vt diximus, cum ſibi ſubditis Prælati Religionum. Videatur pro hoc aſſerto Nauarr. *ſumma cap. 27. num. 195.*

DVBITATIO XVII.

XIX. *An Generales, & Prouinciales poßint diſpenſare cum ſuis ſubditis carentibus aliquo membro?*

Dico vigeſimoquartò, Generales, & Prouinciales poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis, qui habent membrum occultum, ſeu manifeſtum, non ſua culpa abſciſſum: vt ſi Religioſus non haberet oculum dextrum, poſſunt cum iſto diſpenſare; non tamen cum non habente oculum ſiniſtrum, qui dicitur oculus Canonis, quia hic non poteſt decenter legere Canonem. Similiter cum Religioſo non habente aliquem digitum, dummodo non ſit pollex, qui eſt neceſſarius ad celebrandum. Item cum Religioſo, vt celebret cum pede ligneo Cum Religioſo autem habente pudenda culpa ſua abſciſſa, ſolus Papa diſpenſat. quia talis homicida reputatur. Videatur Syl. *verb. Corpore vitiatus, n. 5. §. Decimò quæritur.* Rodriq. *tom. 1. qq. Reg. q. 24. art. 3.*

DVBITATIO XVIII.

XX. *An Epiſcopi, vel Prælati Regularis ſit iudicare, an Religioſus ordinandus, ſit corpore vitiatus, necne?*

Dico vigeſimoquintò, Epiſcopus tamen, & non Prælatus regularis debet iudicare, ſitne Religioſus corpore vitiatus. quia iſte non habet Ordines conferre, ſed Epiſcopus. ergo. Tum, quia numquam artifex inferior, vel non ſuperior, iudicat de materia circa

quam Superior operatur, vel formam inducit: ſicut qui dolat lapides ad domum compaginandam, non iudicat quales eſſe debeant, ſed hoc accipit à compaginatore: ſed Epiſcopi eſt conferre ordines; ergo ipſius eſt diiudicare, &c. Ita optimè Syl. *verbo corpore vitiatus, quæſt. 2. propè finem.*

DVBITATIO XIX.

XXI. *An Prælati Regularium poßint diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate proueniente ex defectu lenitatis perfectæ?*

Dico vigeſimoſextò, Prælati Regularium diſpenſare valent cum ſuis ſubditis in irregularitate proueniente ex defectu lenitatis perfectæ. quia per priuilegium ſuprà citatum Sixti IV. conceditur Prælatis Religionum generaliter diſpenſatio in omni irregularitate, exceptis irregularitatibus bigamiæ, & homicidij voluntarij, ſed nomine excepti homicidij voluntarij non comprehenditur irregularitas, quæ ſine vlla culpa procedit ex ſolo defectu lenitatis ob iuſtam occiſionem. ergo, &c. & ita hanc aſſertionem docet Caiet. *in ſumma, verb. Irregularitas, in fine.* Bannes 2. 2. *quæſt. 40. art. 1. dub. 4. §. Pro deciſione.*

DVBITATIO XX.

XXII. *An Prælati Regularium poßint diſpenſare ſuper irregularitate contracta ex occiſione facta in bello iuſto?*

Dico vigeſimoſeptimò, conſequẽter ſupradicti Prælati poſſunt cum ſibi ſubditis diſpenſare ſuper irregularitate cõtracta ex occiſione facta in bello iuſto. quia occiſio in bello iuſto non eſt homicidium, propriè loquendo, quamuis ſit occiſio hominis. ergo cùm fauores ſint ampliandi, illi poterunt diſpenſare cum ſuis ſubditis in irregularitate, quæ prouenit ex occiſione hominis licita. Videatur D. Th. 1. 2. *q. 88. art. 6. ad 3.* vbi ait quòd iudex, qui occidit latronem, & miles, qui occidit hoſtem Reipubl. non appellantur homicidæ, & ita hanc aſſertionem docet Bannez *loc. cit.* Sayr. *lib. 6. de cenſ. c. 19. n. 16.* Viualdus *tract. de irregularitate, n. 327.*

DVBITATIO XXI.

XXIII. *An poßint ſupradicti Prælati diſpenſare cum ſuis ſubditis, qui iudicando in ſæculo aliquod iuſtitiæ miniſterium exercuerunt?*

Dico vigeſimooctauò, magis explicans duas præcedentes aſſertiones, Generales, Prouinciales, & Priores conuentuales poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis, qui exiſtentes in ſeculo iudicando, aut miniſterium iuſtitiæ peragendo, hominem ad mortem, aut mutilationem membrorum condemnarunt, & eorum ſententia fuit exequutioni mandata. Similiter ſi in bello iuſto aliquem occiderunt, aut mutilarunt. quia prædictæ occiſiones, & mutilationes non ſunt peccata contra quintum præceptum Decalogi, nec ſic occidentes, ſeu mutilantes dicuntur homicidæ. Videantur DD. cit. Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. q. 24. art. 8.*

DVBITATIO XXII.

XXIV. *An diſpenſationes iſtæ valeant in vtroque foro?*

Dico vigeſimononò, hæ diſpenſationes factæ à prædictis Prælatis proſunt in vtroque foro, etiam

S quando

quando factum eſt publicum. quia priuilegium Sixti IV. conceſſum Magiſtro generali, Prioribus, Prouincialibus, & Conuentualibus vt poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in omnibus irregularibus homicidij voluntarij, & mutilationis membri exceptis, eſt abſolutum abſque reſtrictione, & limitatione; ergo in vtroque foro poterunt prædicti Prælati. Videatur priuilegium adductum à Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæſt. 24. art. 15. & art. 16* & in hoc Prælati regulares maiorem poteſtatem habent erga ſuos ſubditos, quàm Epiſcopi erga ſuos diœceſanos.

Dvbitatio XXIII.

XXV. *An illegitimi maneant per profeſſionem diſpenſati, quoad ſuſceptionem Ordinum? &, An Prælatus poßit cum iſtis diſpenſare, quoad officia & dignitates?*

Dico trigeſimò, illegitimi per profeſſionem in Religione approbata manent diſpenſati ad omnes Ordines, vt patet ex *cap. 1. de filijs Presbyt.* Prælati tamen regulares diſpenſant cum ſibi ſubditis ad officia, & Prælaturas, ita conceſſit Sixtus IV. *Bulla* 14. & Eug. IV. *Bul.* 1. Nec obſtat Sixtus V. in ſuo Motu proprio contra illegitimos, quia illum moderatus eſt Greg. XIV. quòd poſſit cum iſtis diſpenſari per Generalem, vel Prouincialem, intermedio Capitolo Generali, vel Prouinciali. Videatur Delacrux *lib. 1. de voto obedientiæ, cap. 6. dub. 19. concluſ. 1.* imò modò abſolutè Generales, & Prouinciales poſſunt cum iſtis diſpenſare. Nam à ſanctiſſimo Paulo V. fel. rec. omnia priuilegia Minoribus, & Prædicatoribus conceſſa, confirmata, & innouata fuere. Videatur idem Ioannes Delacrux *lib. 2. cap. 3. dub. 5.*

Dvbitatio XXIV.

XXVI. *An Prælati Regularium poßint abſoluere ſibi ſubditos ab excommunicatione contracta per inualidam Ordinum ſuſceptionem, & diſpenſare in irregularitate ſi quam ob id contraxerint?*

Dico trigeſimoprimò. Prælati regulares, Generales, Prouinciales, & Priores locales poſſunt abſoluere ſibi ſubditos ab excommunicatione, & ſuſpenſione contracta ſi quam incurrerint malè ad Ordines promoti, imò ſi ſic ligati notam irregularitatis incurrerint, diſpenſationis beneficium valent dicti Prælati ſibi ſubditis impartiri; ita conceſſit Clemens IV. Hæc conceſſio poterit videri apud Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæſt. 20. art. 1. & 2.*

XXVII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

Ad rationem in contrarium quatenus militat contra ſecundam, & tertiam hanc noſtram aſſertionem, patet reſponſio ex his quæ diximus ſuprà; reſpondetur enim quòd ſanctiſſimus Pontifex Clemens VIII. *Bulla* 40. reduxit dictum decretum ſuprà adductum Sixti V. ad terminos iuris ſacri Concilij Tridentini, & ad conſtitutionem Pij II. ibique Clemens ſanctiſſimus Octauus voluit quòd pœnæ contentæ in illo Sixti decreto cum dicta reſeruatione, tantùm habeant robur in ſimoniacè ordinantibus, & ordinatis, ita vt cum iſtis nec Epiſcopi, nec Prælati Regularium etiam in foro conſcientiæ diſpenſare valeant, benè tamen cum aliis aliter malè promotis, vt ſi per ſaltum, ſi ſine legitima ætate, vel dimiſſoriis, &c. Videatur pro hac ſolutione, & pro aſſertione 1. & 30. huius dubij, Manuel Rodriquez *tom. 1. qq. Reg q. 20 art. 13.*

Imò prædictos etiam ſimoniacè malè promotos dicti Prælati Regulares abſoluere valent ab excommunicatione, & ſuſpenſione incurſa, & ſi miniſtrauerint irregulares facti, cùm eiſdem diſpenſare poſſunt vi ſuorum priuilegiorum. quia ſanctiſſimus fel. rec. Paulus V. anno Domini 1609. die 1. Decembris, confirmauit, & innouauit tam pro foro conſcientiæ, quàm pro foro externo, omnia priuilegia Minoribus conceſſa, & ſub die 11. Octobris anni 1612. voluit in ſuo robore manere omnia priuilegia quomodolibet à Præceſſoribus etiam per viam communicationis ſacro Ordini Prædicatorum conceſſa. Ita notauit Ioannes Delacrux *lib. 1. de voto obedientiæ, cap. 6. dub. 15. fine.* adducens confirmationes priuilegiorum *lib. 2. c. 3. dub. 5. concl. 3. §. tandem iſta concluſio, fol. 102.*

Articvlvs LXII.

An Regulares inconſultis ſuis Prælatis tempore Iubilæi pleniſſimi poſſint confiteri extra ſuum Ordinem, & validè abſolui?

Svmmarivm.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Dubitatio deciditur.*
3. *An tempore Iubilæi Religioſus poſſit ſibi eligere Confeſſarium tantùm in ſuo Ordine approbatum pro Religioſis.*
4. *An Religioſus, qui vult extra Ordinem vi Iubilæi confiteri, debeat eligere Confeſſarium, approbatum ab Epiſcopo.*
5. *An Religioſus habens facultatem à ſuo Prælato, ſe confitendi cuicumque voluerit, poſſit eligere Confeſſarium regularem, approbatum tantùm à ſuis Prælatis Ordinis, & non ab Epiſcopo.*
6. *An quando in generali conceſſione Iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ conceditur omnibus fidelibus eligendi quemlibet Confeſſarium, cenſeatur conceſſa facultas Regularibus eligendi Confeſſarium extra ſuum Ordinem.*
7. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, an per Summum Pontificem præſentem poſſint reſtringi, vel tolli conceſſiones ſuorum prædeceſſorum.*

I. *Pars negatiua probatur.*

Nam Sanctiſſimus Gregor. XIII. conceſſit non poſſe Religioſos Societatis ſine expreſſa ſuorum Superiorum licentia vti facultatibus Iubilæorum Bullarum Cruciatæ confeſſionalium, vel aliorum Apoſtolicorum indultorum, quæ communitatibus, perſonis, vel piis locis quouis modo conceſſa ſunt; & ſanctiſſimus Pius V. in quadam conſtitutione 132. in Bullario, edita die 21. Iulij 1571. Pontificatus ſui anno 6. quæ incipit, *Romani Pontificis circumſpecta benignitas*, prohibet fratribus Ordinis Prædicatorum, ne poſſint eligere Confeſſorem, & abſolui à reſeruatis ſine licentia ſuorum Superiorum; ergo Regulares cùm communicent in his priuilegiis, non poterunt inconſultis ſuis Prælatis virtute Bullæ Cruciatæ, aut alicuius Iubilæi, &c.

II. *Dubitatio deciditur.*

Dico primò, quãdo in Iubilæo datur facultas ſpecificè, &

Digitized by Google

& expreſsè, vt Regulares poſſint ſibi eligere Confeſſarium extra ſuum Ordinem, ſicut ſanctiſſimus Paulus V. conceſſit in ſuo Iubilæo anno 1617. die 12. menſis Iunij, & in Iubilæo ſanctiſſimi Vibani VIII. conceſſum eſt die 8. Aprilis 1618. tunc nulli dubium eſt, quin Religioſus poſſit extra Ordinem ſuum confiteri, & iuxta tenorem Iubilæi eligere ſibi Confeſſarium, qui eum à reſeruatis, & ab omnibus abſoluat. quia cùm Romanus Pontifex ſpecificè & expreſsè tribuat Regularibus dictum priuilegium, videtur derogare contrariis priuilegiis, quibus prohibetur eiſdem vti confeſſionalibus, & indultis circa electionem Confeſſarij, de non approbatis à Superiore. Tum, quia ita facta Congregatio Cardinalium decreuit die 15. Decembris 1580. & Gregorius XIII. 19. Decembris 1581. in Conſiſtorio reſpondit tempore Iobilæi poſſe omnes Regolares confiteri peccata ſua Sacerdotibus etiam ſecularibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confeſſiones. Videatur Ioaones Delacrux *lib. 1. de voto obedientiæ, cap. 6. dubio 12. concl. 3.* Nauatt. *tom. 1. lib. 5. de priuilegys, conſil. 13. num. 3.* D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 4. de Iubilao, quæſt. 87. §. Reſpondeo poſſe*, addens idem dicendum eſſe de Monialibus.

Dico ſecundò, quando in Bulla Iubilæi dator Regularibus expreſsè facultas eligendi ſibi quemcunque Confeſſarium etiam ſecularem, vigore tunc pleniſſimi Iubilæi poſſunt Regulares abſque licentia, & inconſultis ſuis Superioribus eligere ſibi Confeſſarium, quem maluèrint approbatum ab Ordinario. Probatur rationibus adductis pro prima aſſertione: tum, quia tunc ſufficit facultas Generalis Generaliſſimi, & Ordinarij Ordinariorum, qui eſt ſummus Pontifex: videantur DD. cit. pro primo aſſerto, & præter illos Bcia *p. 4. caſuum caſu 16. §. Hac tamen opinio*, & in eodem caſu *§. Vltimo ad omnem dubitationem, verſ. Fuit reſponſum.* Rodriq. *ſumm. c. 184. n. 16.* Coriolanos *p. 1. caſuum reſeruatorum, ſect. 3. art. 15. n 1.* Henriquez *lib. 7. de indulgentys, c. 12. n. 4. verſic. Qui habet Bullam.*

Dvbitatio I.

III. *An tempore Iubilæi Religioſus poſſit ſibi eligere Confeſſarium tantùm in ſuo Ordine approbatum, pro Religioſis?*

Dico tertiò, Religioſus pœnitens tempore Iubilæl pleniſſimi, ſi intra ſuum Ordinem vult confiteri, ſufficit, quòd Confeſſarius, quem eligit, ſit approbatus à Prælatis ſuæ Religionis, etiamſi in Bulla apponatur, quòd poſſint pœnitentes ſibi eligere Confeſſarium approbatum ab Ordioario loci. nam ipſi Superiores Religionum reſpectu Regularium dicuntur Ordinarij loci, vt beuè notauit Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 4. de Iubilæo extraordinario, q. 88.* Tum, quia prædicta verba intelligi debent ſecundùm veram, & approbatam ſacri Concilij Trid. intelligentiam, *ſeſſ. 23. c. 15. de Reform.* vbi licèt mandetor vt nullus Confeſſor ſecularis, aut Regularis aliorum confeſſiones audire præſumat, niſi ab Ordinario fuerit approbatus; hoc tamen intelligi debet de Sacerdotibus Epiſcopo ſubiectis, non de Religioſis, qui hanc non habent ſubiectionem. Videatur Nauart. *in ſumma cap. 4. num. x. §. In poſtrema editione*, & ita hanc ſententiam tenent D. Barthòlomæus à S. Fauſto *loc. cit.* Bonacina *tom. 1. de ſacramentis, diſput. 5. quæſt. 7. puncto 4. §. 2. num. 15. verſic. Mihi verò.* contra Suarez *tom. 4. diſp. 18. ſect. 6. num. 11.* aſſerentem Religioſum teneri tempore Iubilæi eligere Confeſſarium ab Epiſcopo approbatum, conſequenter non lucrari Iubilæum, niſi peccatorum ſuorum confeſſioneo faciat Sacerdoti ab Epiſcopo loci approbato.

Dvbitatio II.

IV. *An Religioſus, qui vult extra Ordinem vi Iubilæi confiteri, debeat eligere Confeſſarium approbatum ab Epiſcopo?*

Dico quartò, Religioſus ſi voluerit extra Ordinem ſuum confiteri, ſuppoſito, quòd in tranſumpto Iubilæi id expreſsè conccdatur, ſi alicui Sacerdoti ſeculari maluerit confiteri, tunc neceſſe eſt, vt talis Confeſſor à ſuo Epiſcopo ſit approbatus, & expoſitus. nam id exprimitur perpetuò in Iubilæis, quòd Sacerdos excipiens pœnitentium confeſſiones tempore Iubilæi deber eſſe expoſitus, & approbatus ab Ordinario, ſed Ordioarios Sacerdotis ſecularis eſt Epiſcopus loci; ergo, &c. Henriquez *lib. 3. de pœnit. c. 6. n. 59.*

Dico quintò, probabile eſt aſſerere Regularem tempore Iubilæi pleniſſimi, ſi voluerit confiteri extra ſuũ Ordinem Regulari, Sacerdoti alterius Ordinis, poſſit eligere Confeſſarium approbatum à ſuo Prælato ad audiendas confeſſiones Regulariũ; licèt non ſit expoſitus, & approbatus ab Epiſcopo. Probatur. nam Religioſi itinerantes, vel exiſtentes extra ſuos Conuentus cũ licentia ſaltim præſumpta ſuorum Prælatorum, non aſtringuntur cõfiteri approbatis ab Epiſcopis, ſed poſſunt eligere Confeſſorem tantùm Religioſorũ, & non ſecularium, approbatum ſcil. à Prælatis Religionum cuiuſcumque Ordinis, vt docet Rodriq *tom 1. qq Reg. q. 62. art. 5.* ergo tempore Iubilæi pleniſſimi facta illis facultate à R. P. quòd poſſint confiteri extra ſuum Ordinem, poterunt confiteri Sacerdotibus regularibus cuiuſcumque ſint Ordinis, expoſitis tamen, & approbatis tantùm à Prælatis Religionum. Tum, quia verba illa, quæ in Bulla Iubilæi exprimuntur, videlicet quòd poſſint eligere Confeſſarium approbatum ab Ordinario, non apponuntur priuatinè, quaſi ſummus Pontifex velit priuare pœnitentem iure ſuo, quo poteſt confiteri Sacerdoti approbato à ſuo Prælato, ſed potiùs apponi videntur cumulatiuè, & ampliatiuè in fauorem ipſius pœnitentis, ita vt pœnitens non ſolùm poſſit confiteri ſuo Parocho, aut alteri Sacerdoti, ſicut poterat ante Iubilæum, verùm etiam poſſit alium quemlibet Sacerdotem approbatum ab Ordinario eligere; ſed Regulares itinerantes & exiſtentes extra ſuos Conuentus ex licentia implicita ſuorum Prælatorum confiteri poſſunt Sacerdoti alterius Religionis approbato tantùm à Prælato Ordinis, vt diximus cum Rodriquez noperrimè relato. ergo tempore Iubilæi pleniſſimi ſi confiteri voluerint extra ſuum Ordinem poterunt ex licentia Pontificis ſibi eligere Sacerdotem tantùm à Prælato alterius Ordinis expoſitum ad audiendas Religioſorum confeſſiones. Ita tenet expreſsè Coriolanus *part. 1. de caſibus reſeruatis, ſect. 3. art. 15. num. 1.*

Dvbitatio III.

V. *An Religioſus habens facultatem à ſuo Prælato confitendi cuicumque voluerit, poſſit eligere Confeſſarium regularem approbatum tantùm à ſuis Prælatis Ordinis, & non ab Epiſcopo?*

Dico ſextò, conſequenter ad præcedentem aſſertionem: ſi Prælarus Ordinis det facultatem Regulari confitendi Sacerdoti cuicumque voluerit, po-

teſt is cligetc etiam ab Epiſcopo non approbatum; quia ante Concilium Ttidentinum tegulates potetant confiteri ctiam non apptobatis ab Epiſcopo, vt docet Nauarrus ſumma *cap.4. num. 2.* Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quaſt. 62. art.4. & 5.* ſed à iute antiquo non eſt tecedondum, niſi quatenus in nouo inuenitur expteſſum, *l. precipimus, C. de appellat. & cap. 5. de tranſlat. Epiſcoporum.* ergo cùm in Concilio Trident. *ſeſſ.23. c.15. de Reform.* nulla fiat mentio de confeſſionibus Regularium, ſed tantùm ſeculatium, ſatis colligitur mentem Concilij nihil citça confeſſiones Regulatium innouarc. ergo cùm antca poterant confiteri Sacerdoti non apptobato ab Epiſcopo, poterunt & modò. ergo ſi Prælatus Ordinis det Regulari facultatem confitendi cuicunque Sacetdoti, poteſt is eligere etiam ab Epiſcopo non approbatum; ſufficiet igitur quòd ſit expoſitus ad audiendas Religioſorum confeſſiones à Prælato Religionis. Videatur Laym. *tom.2. lib.5. tract.6. de ſacr. Pœnit. cap. 11. n.1.* Sà *verb. Confeſſor num.4.*

Dvbitatio IV.

VI. *An quando in generali conceſſione Iubilæi, vel Bulla Cruciatæ, conceditur omnibus fidelibus eligendi quemlibet Confeſſarium, cenſeatur conceſſa facultas Regularibus eligendi Confeſſarium extra ſuum Ordinem.*

Dico ſeptimò, in generali conceſſione facta etiam in Iubilæo, & in Bulla Cruciatæ, omnibus fidelibus eligendi quemlibet Confeſſarium, non cenſetur conceſſa facultas Regulatibus cligendi Confeſſarium extra ſuam Religionem, niſi exptesſè, & ſpecificè hoc etiam Regularibus concedatur; quia in generali conceſſione eligendi ſibi Confeſſarium per omnes fideles vtriuſque ſexus, nunquam eſt intentio Romani Pontificis comprehendere Religioſos vtriuſque ſexus, & ita ſanctiſſimus Clemens VIII. *Bulla 9.* ſub datis die 23. Nouembris 1599. decreuit conceſſionem Cruciatæ, & aliorum indultorum patticularium quantum ad articulum eligendi Confeſſorem, & abſoluendi à reſetuatis cum Religioſis vttiuſque ſexus, locum non habere cuiuſuis inſtituti Mendicantium, & non Mendicãtium tam Prouinciæ Hiſpaniæ, quàm extra eam vbilibet. Hanc aſſertionem docent Ioannes Delacrux *lib. 1. de voto obedientia, cap. 6. dub. 12. concluſione 5.* Viualdus *in ſuo Candelabro, de abſolutione n.18. & 55.* Ludouicus Beia *part.3. caſuum, caſu 16.* Coriolanus *part. 1. de caſibus reſeruatis, ſect. 3. art. 14.* D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 4. de Iubilao extraordinario, quaſt.87.*

Dico octauò, probabile etiam eſt per Bullas Cruciatæ conceſſas ab aliis Pontificibus poſſe Regulares abſque licentia ſuorum Prælatorum eligere Confeſſorem, & abſolui à reſeruatis iuxta tenorem earum, & ſic Religioſi ſumendo Bullam Cruciatæ, per quam conceditor omnibus fidelibus vttiuſque ſexus, vt poſſint ſibi eligere Confeſſarium, & abſolui à reſeruatis, poterunt, &c. Probatur, quia Sanctiſſimus Clemens VIII. in Bulla citata *aſſertione precedenti*, declarat intentionem ſuam fuiſſe conceſſionem Bullæ Cruciatæ quo ad articulum eligendi Confeſſorem, & abſoluendi à reſeruaria, non habere locum cum Religioſis vtriuſque ſexus, pro Bullis ſcilicet, & indultis particolaribus à ſe conceſſis, & concedendis. Non tamen eſt abſoluta, & genetalis declaratio pro concedendis à ſuis etiam ſucceſſoribus; ergo per Bullas Cruciatæ conceſſas à ſucceſſoribus Pontificibus, poterunt vittute illarum Religioſi eligete ſibi Confeſſarium, & abſolui, &c. Tum, quia conceſſio eligendi ſibi Confeſſarium, & abſoluendi à caſibus reſeruatis facta per Bullam Cruciatæ eſt generalis pro omnibus fidelibus vtriuſque ſexus abſque vlla reſtrictione; ergo generaliter eſt intelligenda. Tum, quia vtile eſt pro populo Chriſtiano, vt aliquoties detur facultas confitendi aliis, quàm ordinariis Confeſſariis; vnde Concilium Tridentinum *ſeſſ.25. cap. 10. de Reformatione*, ſtatuit vt Superiores Monialium dent bis, vel ter in anno Confeſſarios extraordinarios, quibus poſſint illæ confiteri. ergo cùm per Bullam Cruciatæ concedit Summus Pontifex generaliter omnibus Chriſti fidelibus facultatem eligendi ſibi Confeſſarium, poterunt vi huius conceſſionis abſque reſtrictione conceſſæ Regulares eligere, &c. Tum, quia Religioſi de licentia ſui Prioris poſſunt accipere has Bullas, & eis vti quoad omnia in eis contenta, quoad electiunem Confeſſarij; & abſolutiones à reſeruatis, & cætera omnia, & cum tali licentia nihil nocent regulari Obſeruantiæ, & cuncta redduntur bona, & licita; ergo erunt etiam bona, & licita de licentia, & conceſſione generali facta omnibus fidelibus vtriuſque ſexus à Romano Pontifice, & ita hanc aſſertiunem tenet probabilem expreſsè Ioannes Delacrux *loco citato, concluſ. 3.* Henriquez *lib. 7. de Indulgentijs cap. 52. num.4 lit. X.* adducens multos grauiſſimos DD. Nauarrus *tom. 2. conſil. lib.5. de priuilegijs, conſilio 13. num.3.* Rodriquez *tom. 2. qq. Regul. quaſt. 21. art. 10. §. Dico ſextò.*

VII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

Dvbitatio V.

An per Summum Pontificem præſentem poſſint reſtringi, vel tolli conceſſiones ſuorum prædeceſſorum?

Ad rationem in contrarium, & ad priuilegia ibi adducta, & ad alia quæ adduci poterant, quatenus militant contra noſtram primam, & ſecundam aſſertionem, reſpondetur ſuſpendi tunc per Iubilæum pleniſſimum, dum conceditur etiam Regularibus, quòd poſſint ſibi eligere Confeſſorem. Nam licèt Regularibus vi illorum priuilegiorum Religionibus conceſſorum prohibeatur quòd inconſultis Superioribus non poſſint extra Ordinem ſibi eligere Confeſſorem, non reſtringuntur tamen per ea facultates concedendæ ab aliis Summis Pontificibus, & ſic tempore Iubilæi pleniſſimi ſuſpenduntur priuilegia illa antiqua, & vi nouæ conceſſionis poſſunt Regulares ſibi eligere Confeſſorem, & abſolui à reſeruatis abſque licentia Superiorum. Videatur pro hac ſolutione Ioanne Delacrux *loco citato, concluſ. 3.* Sotus *in 4. diſt.21. quaſt. 2. art. 3. §. primus eius caſus, verſ. dixerim verò*, vbi docet Summum Pontificem non poſſe coërcere, & reſtringere conceſſiones per alios Pontifices poſtmodum faciendas. Sanchez *lib.6. in Precepta c.17. n.43. verſ. ſecundò reſpondetur.*

Arti

Articvlvs LXIII.

An Confeſſarius expoſitus ab Ordinario, ad excipiendas fidelium confeſſiones, præter Monialium, tempore Iubilæi pleniſſimi, in quo conceditur omnibus fidelibus vtriuſque ſexus tam ſecularibus, quàm Regularibus, quòd poſſint ſibi eligere in Confeſſarium quemlibet Sacerdotem expoſitum ab Ordinario, ſiue ſit Confeſſarius Regularis, ſiue ſecularis, poſſit vi talis conceſſionis, audire in confeſſione, & validè abſoluere Moniales?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Declaratur quid ab Epiſcopis per approbationem conferatur Confeſſarijs.*
3. *An Sacerdos ſemel approbatus ab Epiſcopo ad confeſſiones, validè abſoluat ſi ſuſpenſus ſit occultè, & vi Iubilai, vel Bulla Cruciata eligatur.*
4. *An Sacerdos ab Epiſcopo approbatus tantùm pro viris, poſſit per Bullam Cruciata, vel Iubilai, eligi à fœminis? & approbatus tantùm pro ſecularibus, poſſit eligi à Monialibus.*
5. *Titulo dubitationis ſatisfit.*
6. *An poſſint Moniales tempore Iubilai eligere Confeſſarium, extra ſibi deputatos.*
7. *An Confeſſarij non expoſiti pro Monialibus, tempore pleniſſimi Iubilai, nedum validè, ſed etiam licitè, confeſſiones Monialium exciperent.*
8. *An tempore Iubilai, Confeſſarij expoſiti tantùm in Ordine, poſſint audire confeſſiones Monialium eidem Ordini ſubiectarum.*
9. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm ſanctiſſimus Clemens VIII. in ſuo decreto ſub die 23. Nouembris 1599. cuius initium eſt, *Romani Pontificis*, decreuit conceſſionem Cruciatæ, & aliorum indultorum quantum ad articulum eligendi Confeſſorem, & abſoluendi à caſibus reſeruatis cum Fratribus, & ſororibus Monialibus cuiuſcumque inſtituti Mendicantium, & non Mendicantium, vbilibet locum minimè habere; ſed noſtræ, inquit, intentionis exiſtere, quòd Fratres, & Moniales quantum ad ſacramentum Pœnitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti ſint; ergo tempore Iubilæi Confeſſarius ab Ordinario expoſitus, non tamen pro Monialibus, non poteſt illarum excipere confeſſiones.

Dvbitatio I.

II. *Quid ab Epiſcopis per approbationem conferatur Confeſſarijs?*

Dico primò, per approbationem factam ab Epiſcopis non conferri vllum ius ad audiendum confeſſiones, nec vllam iuriſdictionem, ſed perſonam ſolùm iudicari idoneam, cui illa conferantur, ſine qua approbatione inualidè ei hoc munus committeretur. nam ſacrum Conc. Trid. *ſeſſ.23. c.15. de Reform.* aſſerit ſine ea nullum poſſe confeſſiones ſecularium etiam Sacerdotum audire. quibus verbis ſignificant non approbatos inualidè confeſſiones audire. Videatur Coninch. *diſp.8. de Miniſtro ſacram. Pœnit. dub.7. n.49.*

Dvbitatio II.

III. *An Sacerdos ſemel approbatus ab Epiſcopo ad confeſſiones, validè abſoluat ſi occultè ſuſpenſus ſit, & vi Iubilai, vel Bulla Cruciata eligatur?*

Dico ſecundò, Sacerdos ſi ſemel approbatus ſit ab Ordinario, quamuis eſſet occultè reuocata licentia audiendi confeſſiones, ita vt illius reuocationis ſit communis error, eſt eligibilis per Bullam Cruciatæ, ſeu pleniſſimum Iubilæum ad audiendas fidelium confeſſiones, & validè illas exciperet; quia eſt titulus publicus approbationis, & illius reuocatio eſt occulta; ergo Sacerdos eſſet eligibilis, & validè exciperet confeſſiones. nam nullitas occulta nullum valori geſtorum impedimentum præſtat, iuxta *l. Barbarius, ff. de offic. Prætor.* Secus ſi abſque vllo titulo Sacerdos intruſus eſſet ad audiendas confeſſiones, puta ſi abſque approbatione Ordinarij, ita benè notauit Sanchez *lib.8. de matrimonio, diſp.34. n.14.*

Dvbitatio III.

IV. *An Sacerdos ab Epiſcopo approbatus tantùm pro viris, poſſit per Bullam Cruciata, vel Iubilai eligi à fœminis? & approbatus tantùm pro ſecularibus, poſſit eligi à Monialibus?*

Dico tertiò, Sacerdos approbatus ab Epiſcopo cum limitatione perſonarum, non defectu ſcientiæ, ſed ratione ætatis, quòd iuuenis ſit, quod contingit, dum approbatur ad audiendas ſolas virorum confeſſiones, ſolùm poteſt eligi ab illis, reſpectu quorum approbatus eſt, & ſic approbatus ad audiendas virorum confeſſiones, per Bullam, aut Iubilæum, non eſt eligibilis à fœminis, & à Monialibus. quia approbatio eſt commiſſa Epiſcopo à ſacro Conc. Trid. *ſeſſ.23. cit.* ergo non plus valet, quàm ab illo data eſt; ergo ſi data eſt pro determinatis perſonis, puta pro viris, & aliis fœminis, non autem pro Monialibus, pro iſtis non valebit, & ſimiliter ſi pro viris tantùm, & non pro fœminis, ab iſtis talis Confeſſor non erit eligibilis, & ita hanc ſententiam tenere videtur Ioannes Delacrux *lib. 2. de priuilegijs, cap. 6. dub. 3. poſt ſecundam concluſionem, verſic. Ex dictis patet.* Suarez *tom.4. in 3. part. diſp.28. ſect.7. num. 3.* & apertè illam docet Rodriquez *ſumma part.1. cap.60. num.4.*

Dico quartò, ſatis etiam eſt probabile expoſitum Sacerdotem ad audiendas ſolas virorum confeſſiones per Bullam Cruciatæ, aut Iubilæum eſſe eligibilem à fœminis, vt ipſæ ſic limitatè expoſito validè confiteantur. quia verum eſt dicere approbatum ab Ordinario ad audiendas virorum confeſſiones eſſe approbatum ab Ordinario; ergo cùm per Bullam Cruciatæ, aut Iubilæum habeatur, quòd poſſit eligi ab omnibus fidelibus vtriuſque ſexus approbatus ab Ordinario, fœmina poterit vi conceſſionis Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi eligere in Confeſſarium approbatum ab Ordinario ad ſolos viros audiendos, cùm hic ſit verè, & propriè approbatus. Ita tenet Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. in addit. quæſt.8. art. 5. dub.9. verſ. ad decimum argumentum, fol.191. col. 2.* Sanchez *lib. 8. de matrimonio, diſput.34. num.16.* Bonacina *tom.1. de Sacramentis,*

diſp. 5. quæſt. 7. punct. 4. §. 1. num. 22. verſic. contraria tamen opinio.

V. *Titulo dubitationis ſatisfit.*

Dico quintò, directè reſpondens quæſito, Confeſſarium expoſitum ab Ordinario ad excipiendas fidelium confeſſiones, præter Monialium, tempore Iubilæi pleniſſimi, in quo conceditur omnibus fidelibus vtriuſque ſexus tam ſæcularibus, quàm Regularibus, poſſe ſibi eligere in Confeſſorem quemlibet approbatum ab Ordinario, vi talis conceſſionis poſſe audire in confeſſione, & validè abſoluere Moniales. Probatur, quia tempore Iubilæi pleniſſimi non requiritur vt eligatur Confeſſarius aliàs habens iuriſdictionem in ipſum pœnitentem, ſed ſufficit quòd eligatur Confeſſarius ab Ordinario approbatus, cui Summus Pontifex confert iuriſdictionem; ſed Sacerdos expoſitus ab Ordinario ad excipiendas fidelium confeſſiones, eſt verè idoneus, iuxta formam Concilij Tridentini *ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformatione*, vt docet Henriquez *lib. 3. de pænitentia, cap. 6. num. 8. fine*; ergo cùm talis Sacerdus habeat tempore Iubilæi iuriſdictionem abſolutam à Rom. Pontifice excipiendi omnium fidelium confeſſiones, tam ſæcularium, quàm Regularium, poterit hic accipere confeſſiones Monialium, & illas validè abſoluere, ſi eligatur. Tum, quia non eſt omnino idem approbatio, & iuriſdictio; ergo Sacerdos approbatus ab Epiſcopo, & idoneus habitus ad audiendas confeſſiones fidelium, habens tempore Iubilæi pleniſſimi iuriſdictionem abſolutam à Papa in foro conſcientiæ, quia ſæculares, & Regulares, poterit & ſæculares, Regularéſque vtriuſque ſexus audire in confeſſione, & illos validè abſoluere, ſi vi conceſſionis Iubilæi pleniſſimi eligatur. Tum, quia verum eſt dicere hunc Sacerdotem approbatum eſſe ab Ordinario. ergo, &c. Tum, quia verſamur in materia fauorabili, & conſequenter extendenda potius, quàm reſtringenda. Tum, quia, vt optimè notauit Bonacina *tomo 1. de ſacramentis, diſput. 5. quæſt. 7. puncto 4. §. 1. num. 22.* ſequeretur fœminam non poſſe virtute Iubilæi eligere Parochum alterius parochiæ, quem conſtat ab Epiſcopo non admitti ratione beneficij parochalis ad confeſſiones omnium audiendas, ſed ad paſcendas oues illius parochiæ, cuius eſt Parochus; ſed hoc videtur falſum, & abſurdum. ergo, &c. Tum, quia non cenſetur Epiſcopus irritare factum contra iuriſdictionem à Papa delegatam per ampliſſimum Iubileum, cùm expoſitus ab Ordinario ad audiendas ſolas virorum confeſſiones, etiam cum limitatione perſonarum ſit ſufficienter approbatus, vt per Iubileum pleniſſimum poſſit ad vtriuſque ſexus confeſſiones etiam Monialium eligi, & ita hanc ſententiam tenet expreſſè Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. in addit. quæſt. 8. art. 5. dub. 9. ſolut. ad* 10. Sanchez *lib. 8. de matrim. diſput. 34. num. 16.* Bonacina *tom. 1. de ſacramentis, diſput. 5. quæſt. 7. puncto* 4. §. 1. *num.* 22. Henriquez *lib. 3. de pœnit. cap. 6. num. 8. & lib. 7. de indulgentijs, cap. 12. n. 4.* referens Medinam, & Angelum *in commentario littera Q.*

DVBITATIO IV.

VI. *An poſſint Moniales tempore Iubilæi eligere Confeſſarium extra ſibi præcipuè deputatos?*

Dico ſextò, clariùs explicans præcedens aſſertum, ſi in aliqua diœceſi ſpecialiter eſſent deputati Confeſſarij ad confeſſiones Monialium excipiendas, nihilominus tempore Iubilæi pleniſſimi poſſent Moniales eligere Confeſſarium expoſitum ab Ordinario aliàs non habentem facultatem audiendi confeſſiones Monialium, quia cùm alij Confeſſarij ſint ſufficienter approbati, & tempore Iubilæi plenarij habeant iuriſdictionem abſolutam in foro conſcientiæ à Romano Pontifice ſuper fideles vtriuſque ſexus tam ſæculares, quàm Regulares, ſunt eligibiles vi conceſſionis Iubilæi ad confeſſiones Monialium audiendas, & validè illas abſoluere poſſunt, etiam ſi ab Ordinario loci non ſint ad Monialium confeſſiones excipiendas deputati. Hoc aſſertum colligitur apertè ex Nugno *ſolutione illa* 10. *citata*, & clariùs ex Bonacina nuperrimè relato *n. 22. verſ. Hinc à fortiori.*

DVBITATIO V.

VII. *An Confeſſarij non expoſiti pro Monialibus, tempore pleniſſimi Iubilæi, nedum validè, ſed etiam licitè confeſſiones Monialium exciperent?*

Dico ſeptimò. Confeſſarij expoſiti non ſolùm validè exciperent confeſſiones Monialium, etiamſi non haberent facultatem audiendi confeſſiones Monialium ab Ordinario loci, tempore Iubilæi pleniſſimi, ſed etiam licitè, ſi licitum haberent acceſſum accedendi ad Moniales à Superioribus earum, quibus ipſæ ſunt ſubiectæ, quia omnia requiſita tunc haberent ad validè, & licitè confeſſiones earum excipiendas: ad validè quidem, nam haberent iuriſdictionem à Romano Pontifice in foro Pœnitentiæ ſuper perſonas vtriuſque ſexus, vt ſupponimus, tam ſæculares, quàm Regulares, licitè etiam, quia habent licentiam pro acceſſu ad Monaſterium à legitimo Superiore.

Dico octauò. Confeſſores expoſiti ſi abſque licentia legitimi Superioris accedant ad Monaſteria tempore Iubilæi pleniſſimi, etſi validè poſſint excipere confeſſiones Monialium propter rationes adductas, non tamen licitè, quia peccarent contra obedientiam Superioris prohibentis acceſſum ad Monaſteria. Videatur Nugnus pro hac aſſertione nouiſſimè relatus.

DVBITATIO VI.

VIII. *An tempore Iubilæi Confeſſarij expoſiti tantùm in Ordine, poſſint audire confeſſiones Monialium, eidem Ordini ſubiectarum?*

Dico nonò, non ſolùm Confeſſarij expoſiti ab Epiſcopo poſſunt validè excipere confeſſiones Monialium tempore Iubilæi pleniſſimi, ſed etiam Confeſſarij expoſiti tantummodo à ſuo Superiore regulari, cui ipſæ ſunt ſubditæ; quia, vt ſuprà diximus *dubio præcedenti, aſſertione* 3. Religioſi tempore Iubilæi pleniſſimi poſſunt ſibi eligere tantummodo approbatum ab Ordinario Religioſorum; ergo ſimiliter & Moniales poterunt eligere tempore Iubilæi pleniſſimi Confeſſarium expoſitum à Prælato Regulari, cui ipſæ ſunt ſubditæ. nam Prælatus Monialium dicitur illarum Ordinarius, etiamſi non ſit Epiſcopus. Videatur pro hac aſſertione D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 4. de Iubilæo extraordinario q. 88.* Bonacin. *tom. 1. de ſacrament. diſp. 5. q. 7. punct. 4. §. 1. n. 25. verſ. mihi verò.* Coriolanus *p. 1. caſuum reſeruat. ſect. 3. art. 16. n. 1.* contra Suarez, aſſerentem teneri Regulares tempore Iubilæi eligere approbatum ab Epiſcopo, *tom. 4. in 3. p. diſp. 28. ſect. 6. n. 11.*

IX. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur?*

Ad rationem in contrarium reſpondetur, Decretum illud Clementis VIII. adductum à principio

diffi

difficultatis,& alia ſimilia, ſuſpendi tempore Iubilæi pleniſſimi, ſi ſpecificè, & expreſsè in illo conecdatur facultas Regularibus, quòd poſſint ſibi eligere Confeſſarium quemlibet approbatum ab Ordinario, & abſolui à caſibus reſeruatis, non enim ſummus Pontifex poteſt coërcere, & reſtringere conceſſiones, & facultates per alios ſucceſſores ſummos Pontifices faciendas, vt præclarè obſeruauit Sotus *in 4. diſt. 22. quaſt. 1. art. 3. §. Primus eius caſus, verſic. Dixerim verò*. Si ergo in Iubilæo pleniſſimo omnibus fidelibus vtriuſque ſexus tam ſæculatibus, quàm Regularibus facultas eligendi Confeſſarium, quemcumqoe expoſitum ab Ordinario conceditur, poterunt etiam Moniales hoc priuilegio frui.

Articvlvs LXIV.

An tempore Iubilæi liceat confiteri cum approbato alterius diœceſis, v.g. Sacerdos approbatus ab Ordinario Mediolani, ſed tempore Iubilæi degit Venetiis, vbi non eſt approbatus, poſsítne Venetiis eligi in Confeſſarium, virtute Iubilæi?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Dubitatio reſoluitur.*
3. *Pars etiam negatiua probabilis oſtenditur.*
4. *An Parochus vnius parochiæ poſſit eligi tempore Iubilæi à Parochiano alterius parochiæ in eadem diœceſi.*
5. *An approbatus à Prælato Regulari, pro ſuis ſubditis, tempore Iubilæi, poſſit eligi à ſecularibus.*
6. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm extat declaratio DD. Cardinalium apud Quarantam *verbo Confeſſor*, in qua dicitur, approbatum ab alio, quàm à Valentino Epiſcopo in diœceſi Valentina, non cenſeri approbatum ergo virtute Bullæ, & Iubilæi pleniſſimi dum conceditur, quòd vnuſquiſque fidelium poſſit eligere ſibi Confeſſarium approbatom ab Ordinario, & abſolui à reſeruatis, eligendus eſt Confeſſarius approbatus ab Epiſcopo loci, in quo quis intendit ſua peccata confiteri, cùm Sacerdos in vna diœceſi approbatus, non cenſeatur approbatus pro alia. Ita Beia *part. 4. caſuum, caſu* 20.

II. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico primò, qui ſimpliciter, & abſque vlla limitatione eſt expoſitus in vno Epiſcopatu ad audiendas confeſſiones, poteſt eligi virtute Bullæ Cruciatæ, & vi conceſſionis pleniſſimi Iubilæi in alio quocumque Epiſcopatu. nam in Bulla Cruciatæ, & in Iubilæo pleniſſimo, duo conceduntur pœnitentibus, primum eſt vt poſſint ſibi eligere Confeſſorem; ſecundum eſt, vt ille poſſit abſoluere à reſeruatis, ſed ſi approbatus in vno Epiſcopatu non poſſet in alio confeſſiones audire, nulla profectò gratia quantum ad hoc concederetur his, qui vti volunt Bulla Cruciatæ, & aſſequi volunt Iubilæum, fruſtráque in Iubilæo daretur eis facultas eligendi quemcumque Confeſſorem idoneum & approbatum. nam eligere approbatos tantùm in Epiſcopatu pœnitentis, poteſt quilibet pœnitens abſque Iubilæo, & priuilegio; ergo, &c. Tum, quia approbatio Epiſcopi non dat vllam iuriſdictionem Sacerdoti approbato, ſed tantùm eſt authenticum teſtimonium, quo declaratur idoneus, vt ei hoc munus, audiendi ſcilicet fidelium confeſſiones, committatur, ſicut licentia, aut Doctoratus eſt teſtimonium doctrinæ; ergo ſicut hoc teſtimonium ſemel datum vbique valet, ita etiam illud debet vbique valere. Tum, quia ſicut poteſtas Papæ reſpectu Eccleſiæ vniuerſalis non eſt minor, imò maior, quàm poteſtas alicuius Epiſcopi reſpectu ſuæ diœceſis; ita facultas, quæ alicui datur à Papa ad eligendum Confeſſorem approbatum, non eſt reſtringenda, neque coërcenda magis, quàm ſi daretur à particulari Epiſcopo; ſed facultas data ab Epiſcopo alicui, vt eligat quemcumque Confeſſorem approbatum, extenditur ad approbatos in ciuitate, ſeu in oppido; ergo multo magis conceſſa à Papa extendetur ad omnes diœceſes, & non arctabitur ad Confeſſorem approbatum in hoc tantùm Epiſcopatu, ſed ad approbatos vbilibet: & ita hanc opinionem tenuit Soto *in 4. diſt. 18. quaſt. 4. art. 3. §. His tamen non obſtantibus*. Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. quaſt. 8. art. 5. dubio 9. §. Sit ergo prima*. Coninchus *diſp. 8. de Miniſtro ſacramenti Pœnitentia, dubio 7. num. 53*. Henriquez *lib. 7. de Sacramentis, ſiue de indulgentijs, cap. 12. num. 4*. Medina 1. 2. *quaſt. 19. art. 16. poſt tertiam concluſionem, §. Cæterum magna eſt controuerſia.*

III. *Pars etiam negatiua probabilis oſtenditur.*

Dico ſecundò, ſatis etiam probabiliter dici poteſt, pœnitentem qui virtute Iubilæi, aut alterius priuilegij facultatem habet eligendi Confeſſarium approbatum ab Ordinario, teneri eligere approbatum ab Epiſcopo loci, in quo intendit ſua peccata confiteri, & ſic Sacerdos pro vna diœceſi approbatus, non cenſetur approbatus pro alia. quia ad cuiuſcumque Epiſcopi officium ſpectat, vt in ſua diœceſi idonei Confeſſarij exponantur; ſed in hac re non tenetur fidem habere aliorum Epiſcoporum iudicio; ergo ad Epiſcopum loci ſpectat, in quo pœnitens intendit peccata ſua confiteri, exponere idoneos Sacerdotes. ergo hos pœnitens tenetur eligere, approbatos ſcilicet ab Epiſcopo loci in quo confitentur; tum, quia poſt Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 15. de Reform.* habent Epiſcopi ius hoc quæſitum, vt nullus confiteatur ſubditos ſuos, niſi vel habeat parochiale beneficium, vel ſit approbatus per eos. ergo priuilegium eligendi Confeſſariom non debet ita amplè interpretari, vt noceat tertio in iure quæſito, *de præbendis, cap. quamuis, in 6. & cap ſuggeſtum, de decimis, & cap. olim, de verb. ſignific.* hoc aſſertum docet Beia *loc. cit.* citans Canum *part. 5. relectionis, de pœnitentia.* Laymann *tom. 2. lib. 5. tract. 6. c. 11. n. 8.* Rodriq. *tom. 1. qq. Reg. q. 59. art. 5.* Sà *verb. Confeſſor n. 5*. Approbatus igitur alicubi non poteſt vbique audire confeſſiones, neque etiam illius pœnitentis, qui habet facultatem eligendi ſibi Confeſſarium approbatum, ſed opus eſt approbatione Epiſcopi eius diœceſis, in qua degit, & ſua peccata intendit pœnitens confiteri, & ſic Epiſcopus ipſe, ſi velit eligere Confeſſarium ſibi non ſubditum, debet eligere approbatum ab Epiſcopo, cui Sacerdos, qui eligitur, eſt ſubiectus; Religioſi verò de licentia ſui Prælati poſſunt confiteri cuiuis Sacerdoti etiam non approbato ab Epiſcopo, vt poterant ante Concilium Tridentinum, id enim in hoc nihil immutauit, *ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformatione.*

Dubitatio I.

IV. *An Parochus vnius parochiæ poſſit eligi tempore Iubilai à Parochiano alterius parochiæ in eadem diæceſi?*

Dico tertiò, Parochus virtute Iubilæi poteſt eligi ad confeſſiones ſubditorum alterius parochiæ in eadem diœceſi; quia cenſetur ſufficienter approbatus eo ipſo, quo beneficium parochiale obtinuit, cùm Concilium Tridentinum in habente beneficium parochiale non requirat aliam approbationem. Suarez *tom.4. in 3 part. diſp.28. num.18.*

Dubitatio II.

V. *An approbatus à Prælato Regulari pro ſuis ſubditis tempore Iubilai poſſit eligi à ſecularibus?*

Dico quartò, approbatus à Superiore Regularium pro ſubditis Regularibus, non poteſt à ſecularibus eligi virtute Iubilæi. quia hic non eſt approbatus ab Epiſcopis, quæ approbatio eſt neceſſaria pro excipiendis ſecularium confeſſionibus, ex Conc. Trident. *ſeſſ.23. cap.15. de Reformatione.* Filliuc. *tom.1 tract.8. cap.10. num.275.* Suarez *tom.4. in 3. part. diſput.28. ſect.5. num.4.*

VI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

Ad rationem in contrarium poſitam à principio reſpondetur, probare noſtram ſecundam aſſertionem. Quatenus verò militat contra primam, reſpondetur approbatum ab alio, quàm à Valentino Epiſcopo in diœceſi Valentina, non cenſeri approbatum, quia nimirum Epiſcopus Valentinus retinet ius eum examinandi, & approbandi, ac ſi non eſſet alibi approbatus: ſi via ordinaria, id eſt, non virtute Iubilæi pleniſſimi in Epiſcopatu Valentino vellet audire confeſſiones, concedo antecedens; ſi virtute Iubilæi pleniſſimi, in quo conceditur fidelibus facultas eligendi Confeſſarium, non eſſet ſufficienter approbatus, ſi eligeretur, negatur antecedens, tunc enim ſufficit quòd ab aliquo Epiſcopo ſit approbatus, vt *aſſertione* 1. probauimus: videatur Nugnus *tom.2. in 3. part. quæſt.8. art.5. dubio 9. §. Aliud dubium, verſic. Sed certè ſi ſermo fiat.* Coninchus *diſp.8. de Miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ, dub.7. num.57. ad finem.*

Articulus LXV.

An Parochi poſt Concilium Tridentinum poſſint exponere Confeſſarios pro ſuis Parochianis, etiam ſine facultate Epiſcopi?

Summarium.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur an ante Concil. Trident. Parochi potuiſſent committere confeſſiones ſuorum ſubditorum, cuicumque Sacerdoti voluerint, abſque aliqua approbatione Epiſcopi.*
3. *Quinam ſint Sacerdotes ordinarij cuiuſcumque fidelis, explicatur.*
4. *Dubitatio reſoluitur.*
5. *An Parochus non Sacerdos poſſit Sacerdoti approbato ab Epiſcopo committere, vt ſuorum ſubditorum confeſſiones excipiat.*
6. *An Epiſcopus renuente Parocho in ſua diœceſi, & ſummus Pontifex renuentibus Epiſcopis in toto orbe, poſſit concedere facultatem audiendi confeſſiones.*
7. *An Sacerdos ab Epiſcopo approbatus indigeat licentia Parochi ad audiendas confeſſiones in parochia.*
8. *An habens licentiam à ſummo Pontifice audiendi omnium fidelium confeſſiones, indigeat licentia aliorum Epiſcoporum, vel Parochorum.*
9. *An Sacerdotes Regulares iter facientes, ſi ſemel ſint ab aliquo Ordinario approbati, poſſint non repugnantibus Parochis, audire confeſſiones ſubditorum illorum.*
10. *An Parochus poſſit eligere Sacerdotem approbatum ab alieno Epiſcopo, licèt non à proprio, pro ſuis Parochianis.*
11. *An approbatio debeat fieri ab Epiſcopo Sacerdotis, vel pœnitentis.*
12. *An Epiſcopus poſſit eligere Confeſſarium non ſibi ſubditum, tam pro ſe, quàm pro ſuis ſubditis.*
13. *Quonam modo Parochi poſſint eligere Sacerdotes approbatos, ab alio Epiſcopo, ad audiendas ſuorum ſubditorum confeſſiones, explicatur.*
14. *An iuriſdictio Parochorum ſit de iure diuino.*
15. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, An Parochis ſit ablata facultas committendi vices ſuas alijs Sacerdotibus approbatis.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm non eſt cenſendum, quòd ius humanum tollat id, quod eſt de iure diuino, niſi id formaliter, & expreſsè ſignificet; ſed Parochi iure diuino poterant eligere Confeſſarios pro ſuis ſubditis, & hoc auferri non ſignificatur in Concilio Tridentino. ergo etiam modò poſſunt Parochi tales Confeſſarios pro ſuis Parochianis eligere.

Dubitatio I.

II. *An ante Concil. Trid. Parochi potuiſſent committere confeſſiones ſuorum ſubditorum cuicumque Sacerdoti voluerint, abſque aliqua approbatione Epiſcopi?*

Dico primò, ante tempora Concil. Trid. Parochus poterat committere ſuam iuriſdictionem cuicumque Sacerdoti idoneo, etiamſi aliàs nullam haberet iuriſdictionem, nec alicuius Epiſcopi approbationem, & hoc non modò validè, ſed etiam licitè. nam omnis Sacerdos proprius, qui iure ordinario poteſt confeſſiones audire, poteſt committere audientiam confeſſionis pro ſuis ſubditis alteri idoneo Sacerdoti, vt benè docet Armilla *verb. Abſolutio, n.15.* ſed Parochus eſt Ordinarius reſpectu ſuorum Parochianorum; ergo ante Conc. Trident. poterat committere ſuam iuriſdictionem cuicumque Sacerdoti idoneo, &c. Videatur Nugnus *tom.2. in addit. ad tertiam partem quæſt.8. art.6. dub.5. §. Oppoſitam tamen ſententiam.* Sed vt magis explicetur hoc aſſertum,

Dubitatio II.

III. *Quinam ſint Sacerdotes ordinarij cuiuſcumque fidelis?*

Dico ſecundò, tres eſſe cuiuſcumque ſecularis Chriſtiani proprios Sacerdotes, Romanum Pontificem

cem totius Eccleſiæ Epiſcopum in ſuo Epiſcopatu,& diœceſi,& Parochum in ſua parochia; cùm ergo Parochus de iure diuino ſit ordinarius, potuit ante Concilium Tridentinum ſuas vices committere alteri idoneo Sacerdoti, etiamſi aliàs nullam haberet iuriſdictionem,nec alicuius Epiſcopi approbationem. Videatur Magiſter Sotus *in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 2. in principio. §. At verò.*

IV. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico tertiò, Parochus poſt Concilium Tridentinum non poteſt delegare ſuam ordinariam iuriſdictionem,quam habet in ſuos Parochianos, Sacerdoti non approbato ab aliquo Ordinario. nam verba Concilij Tridentini *ſeſſ. 23. c. 15. de Reform.* approbationem ab Ordinario requiſitam pro audiendis confeſſionibus requirentia ſunt generalia, inquit enim ſacra Synodus *loc. cit.* nullum etiam Regularem poſſe confeſſionem ſecularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen,vel aliàs idoneus iudicetur. ergo,&c. Videatur Sotus *loc. cit. §. Hoc ſuppoſito.* Nugnus nuper relatus *dub. 6. § Sit tamen concluſio.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 28. ſect. 4. num. 18.*

Dubitatio III.

V. *An Parochus non Sacerdos poſſit Sacerdoti approbato ab Epiſcopo committere vt ſuorum ſubditorum confeſſiones excipiat?*

Dico quartò, Parochus, etiamſi nondum ſit initiatus Ordine ſacerdotali, poteſt iure communi dare alteri Sacerdoti, ſuppoſita approbatione Epiſcopi, facultatem abſoluendi ſuos ſubditos. nam licèt ipſe defectu poteſtatis Ordinis non poſſit ſuos ſubditos abſoluere, nihilominus habet poteſtatem iuriſdictionis, quæ eſt adnexa beneficio, & quam poteſt alteri committere, ſuppoſito quòd ab Ordinario ſit expoſitus.

Dubitatio IV.

VI. *An Epiſcopus renuente Parocho in ſua diœceſi, & ſummus Pontifex renuentibus Epiſcopis in toto orbe, poſſit concedere facultatem audiendi confeſſiones?*

Dico quintò, conſequenter ſicut Parochus poteſt cuiuis Sacerdoti approbato dare veniam audiendi confeſſionem omnium ſuorum Parochianorum; ſic multò magis Epiſcopus poteſt dare facultatem audiendi confeſſiones eorum omnium, qui habitant in ſua diœceſi, & ſummus Pontifex poteſt dare facultatem audiendi confeſſiones omnium fidelium, idque etiam repugnantibus Epiſcopis, ac Parochis, quia habet abſolutam iuriſdictionem in omnes fideles omninò independentem ab omni humana poteſtate. Contrà verò cùm Epiſcopi in vſu ſuæ poteſtatis pendeant à Pontifice, & Parochi ab Epiſcopis, nec hi inuitis Epiſcopis, nec Epiſcopi inuito Pontifice, poſſunt alicui dare facultatem audiendi confeſſiones.

Dubitatio V.

VII. *An Sacerdos ab Epiſcopo approbatus, indigeat licentia Parochi, ad audiendas confeſſiones in parochia?*

Dico ſextò, Sacerdos, qui fuit ab Epiſcopo approbatus, ab eóque facultatem obtinuit audiendi confeſſiones, nouam licentiam petere non tenetur à Parochis, in quorum parochia prædictus Sacerdos vult confeſſiones iuxta facultatem ſibi ab Epiſcopo conceſſam audire. quia Epiſcopus in ſua diœceſi iuriſdictionem habet concedendi facultatem audiendi confeſſiones independenter à Parochis; ergo ſic expoſitus non indiget de rigore iuris, ſed ex quadam æquitate conſenſu Parochi. Sayr. *de pœnitentia, c. 21. n. 1.*

Dubitatio VI.

VIII. *An habens licentiam à ſummo Pontifice audiendi omnium fidelium confeſſiones, indigeat licentia aliorum Epiſcoporum, vel Parochorum?*

Dico ſeptimò, qui poſtquam fuit approbatus ab Epiſcopo ad audiendas confeſſiones, obtinet priuilegium à Rom. Pontifice audiendi confeſſiones omniũ fidelium, non indiget ampliùs Epiſcoporum, aut Parochorum licentia ad audiendas confeſſiones exiſtentium in ipſorum parochia, aut diœceſi. nam alioquin inutile redderetur priuilegium obtentum à Sede Apoſtolica, cùm ſine facultate Pontificis poſſet de licentia Epiſcoporum confeſſiones audire. Sayr. nuper relatus.

Dubitatio VII.

IX. *An Sacerdotes Regulares iter facientes, ſi ſemel ſint ab aliquo Ordinario approbati, poſſint non repugnantibus Parochis audire confeſſiones ſubditorum illorum?*

Dico octauò, Sacerdotes Regulares ſemel ab aliquo Ordinario approbati iter facientes, poterant non repugnantibus Parochis prædicare, & quorumlibet fidelium confeſſiones audire, dummodo hoc non feciſſent in locis vbi Ordinarij exiſtebant, & tunc cum eorum licentia. Ita conceſſerat Gregorius XIII. Confeſſoribus, & Prædicatoribus Societatis IESV, vt habetur *in compend. Societatis tit. Confeſſores §. 2.* Hoc idem priuilegium per communicationem omnibus Regularibus communicantibus in priuilegiis fuerat conceſſum. Modò talis facultas reuocata manet per conſtitutionem Vrbani VIII. cuius initium eſt, *Cùm, ſicut accepimus,* ſub die 12. Septembris 1628.

Dubitatio VIII.

X. *An Parochus poſſit eligere Sacerdotem approbatum ab alieno Epiſcopo, licèt non à proprio, pro ſuis Parochianis?*

Dico nonò, Parochus ſuam poteſt committere ordinariam iuriſdictionem vel aliis Parochis, vel Sacerdotibus ab Epiſcopo approbatis, non tamen requiritur vt Sacerdotes, quibus Parochus ſuam ordinariam iuriſdictionem committit, in proprias ones ſint approbati à proprio Epiſcopo ſuæ diœceſis, ſed ſatis eſt, ſi ſint expoſiti, & approbati à proprio Epiſcopo ipſorum Sacerdotum. quia vnuſquiſque Sacerdos per approbationem ſui Epiſcopi fit proximè capax cuiuſque iuriſdictionis delegatæ in foro pœnitentiali. Videatur Henriquez *lib. 3. de pœnitentia, cap. 6. num. 7.* Coninchus *diſput. 8. de Miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ, dubio 7. num. 53.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſput. 28. ſect. 7. num. 18.*

Dvbitatio IX.

XI. *An approbatio debeat fieri ab Epiſcopo Sacerdotis, vel pænitentis?*

Dico decimò, apptobario tequiſita ad audiendas confeſſiones etiam ſufficit quòd ſit ab Epiſcopo ipſius pœnitentis, licèt non ſit idem Epiſcopus pœnitentis, & Confeſſoris. Vnde Clericus Sacerdos tranſiens per aliquem Epiſcopatum, poteſt approbari ab Ordinatio illius Epiſcoparus per quē tranſit, vt audiat cōfeſſiones ſubditorum illius loci, in quo iter habet, etiamſi ipſe Sacerdos, qui approbatur, non ſit abſolutè ſubditus Epiſcopi approbātis illum. quia ſufficit quòd quatenus repetitur talis Sacerdos in diœceſi Epiſcopi approbantis illum, fiat quodammodu ſubditus; tum, quia peregrini, & iter agentes fiūt quodammodo ſubditi illius Ordinarij, in cuius diœceſi ſua peccata Cōfeſſariis ibi expoſitis confitentur; ergo ſimilirer Clerici Sacerdotes tranſeuntes per aliquem Epiſcoparum, poſſunt approbari ab Ordinario illius diœceſis, quatenus ibi aliquo tempore commorantur, & quodammodo efficiuntur ſubditi Epiſcopi approbantis, & exponentis illos ad audiendas ſuarum ouium confeſſiones, recipiendo iuriſdictionem ſibi delegatam. Tum, quia Religioſi exempti non ſunt ſubditi Epiſcopi, tamen quia commorantur in diœceſi, approbatione illius audiunt confeſſiones ſubditorum ſecularium in illa diœceſi, in qua ſunt approbati: videatur pro hoc aſſerto Nugnus *tom.2. in 3. part. q.8. art. 5. dubio 9. §. Aliud dubium, verſic. Sed certè ſi ſermo fiat.*

Dvbitatio X.

XII. *An Epiſcopus poßit eligere Confeſſarium, non ſibi ſubditum, tam pro ſe, quàm pro ſuis ſubditis?*

Dico vndecimò, Epiſcopi verò vi *cap. final. de pœnitentijs, & remiſſionibus*, non poſſunt ſibi eligere Sacerdotem ſibi non ſubditum, qui à proprio Ordinario non fuerit approbatus, ſi pro ſe ipſis illum rantùm eligant, & non pro aliis ſuis ſubditis. quia quando Epiſcopus eligit ſibi Confeſſorem, quem non apptubat pro aliis, facile poteſt decipi ex paſſione approbando indignum, & ideò ſi cligat non ſibi ſubditum, debet eligere approbatum ab alio Epiſcopo. Ita ex quadam declaratione DD. Cardinalium, quam adducit Nugnus *tom.1. in 3. part. q.8. art.5. dub.9. §. Aliud dubium, verſic. Secundò arguit.* Coninchus *diſp. 8. dub. 7. de Miniſtro ſacramenti Pœnitentia, num.* 50. In qua ſic habetur. *S. D. N. audita relatione Congregationis declarauit Epiſcopum vigore priuilegij, de quo in capitulo finali, non poſſe ſibi eligere Sacerdotem ſibi non ſubditum, qui à proprio Ordinario non fuerit admiſſus, ſeu approbatus.* Videatur pro hoc aſſerto Nugnus *loco* nuperrimè *adducto, §. Ad duo argumenta.*

Dico duodecimò, clariùs explicans aſſertum 10. Epiſcopus pro aliis ſibi ſubditis poteſt approbare, & exponere ad audiendas confeſſiones Sacerdotem ſibi non ſubditum, puta Sacerdotem, licèt non approbatum, & admiſſum à proprio Ordinario, tranſeuntem per ſuam diœceſim. nam approbando Sacerdotem non ſibi ſubditum pro ſuis ouibus, non ita facilè decipitur exponendo, & admittendo indignum, ſicuti contingere poteſt quando pro ſe apptobat & exponit. Tum, quia licèt Rex Hiſpaniæ non poſſit conſtituere iudices ſupra Gallos ſibi non ſubiectos, ſupra Hiſpanos verò poteſt conſtituere iudices ipſos Gallos; ergo proportionabiliter dicendum eſt, quòd Epiſcopus habens iuriſdictionem ordinariam ſupra ſuas oues, poterit hanc Sacerdoti ſibi non ſubdito alterius diœceſis etiam non approbato à proprio Ordinario conferre, approbando & exponendo illum, vt ſuas oues audiat in confeſſione, contra Coninchum *diſp. 8. de Miniſtro ſacramenti Pœnitentia, dub. 7. n. 50.* Suarez *tom. 4. diſp. 28. ſect. 6. num.* 10.

Dico decimotertiò, dilucidans magis ſupradicta, Epiſcopus poteſt approbare, & exponere pro ſuis ouibus Sacerdotem non ſibi ſubditum, licèt non ſit approbatus à proprio Ordinatio. nam qui habet iuriſdictionem ordinariam ſupra oues ſuas, poteſt illam delegare, iuxta tamen formam Concilij Tridentini *ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformatione*; ſed Epiſcopus habet iuriſdictionem ordinariam erga ſibi ſubditos; ergo Sacerdoti non ſibi ſubdito in foro pœnitentiali poterit illam delegare, apptobando, & exponendo illum ad audiendas ſuarum ouium confeſſiones; præcipuè cùm non poſſit ſuboriri ſuſpicio, quòd eligat indignum, cùm non pro ſe, ſed pro aliis ſibi ſubditis apptobet, & exponat Confeſſarium. Tum, quia licèt approbatio ſit actus iuriſdictionis, quam recipit Sacerdos, qui approbatur, & exponitur ad audiendas confeſſiones. Hæc tamen dari poteſt non propriè ſubditis, licèt Sacerdotes non ſubditi recipiendo talem iuriſdictionem in alieno Epiſcopatu fiant quodammodu ſubditi Epiſcopi illos approbantis & exponentis, ſicuti peregrini, & iter agentes tranſeuntes per alienum Epiſcoparum, eo ipſo, quo ſubduntur clauibus in foro pœnitentiali in aliena diœceſi Sacerdotibus ibi expoſitis confitendo peccara ſua, fiunt quodammodo ſubditi in illa diœceſi, in qua degunt, licèt propriè non ſint ſubiecti Epiſcupo ordinario illius diœceſi, cùm nec domicilium, nec quaſi domicilium ibi habeant. Vnde non eſt neceſſe quod approbatio ad audiendas confeſſiones detur à Superiori, qui eſt Ordinarius ipſius Sacerdotis, qui approbatur, vt colligitur ex Nugno *tom. 2. quæſt. 8. in 3. part. art. 5. dub. 9. §. Aliud dubium, ſolutione ad tertium.*

Dvbitatio XI.

XIII. *Quónam modo Parochi poßint eligere Sacerdotes approbatos ab alio Epiſcopo, ad audiendas ſuorum ſubditorum confeßiones?*

Dico decimoquartò, quandiu Epiſcopus non prohibet ſuis Parochis ne Sacerdotes alibi approbatos ad audiendas confeſſiones pro propriis Parochianis in ſua diœceſi eapunant, hi validè ad hoc aſſumuntur, & exponuntur. quia habent conditionem à ſacro Concilio Tridentino requiſitam *ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformatione*, quòd ſcilicet ab Epiſcopis ſint apptobati, & Parochi aliàs ſuam poſſunt iuriſdictionem ordinariam delegare: videatur Coninchus *diſp. 8. de Miniſtro Pœnitentiæ ſacramenti, dubio 7. n. 57. §. Secundò quandiu*, Henriquez *lib. 3. de pœnitentia, cap. 6. num. 7.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 28. num.* 18.

Dvbitatio XII.

XIV. *An iuriſdictio Parochorum ſit de iure diuino?*

Dico decimoquintò, quamuis Epiſcopus huic, vel illi beneficium conferat parochiale, tamen quicumque eſt Parochus, iure diuino eſt proprius Sacerdos reſpectu ſuorum Parochianorum, habens in foro pœnitentiali ordinariam iuriſdictionem in illos. nam

licèt ad Cardinales ſpectet electio ſummi Pontificis, & ad Canonicos aliquando electio Epiſcopi, iure tamen diuino habent poteſtatem ordinariam Papa in vniuerſum orbem, & Epiſcopus in fideles ſuæ diœceſis; ita Parochus licèt beneficium parochiale habeat ab Epiſcopo, iuriſdictio tamen ordinaria in ſuas oues habet iure diuino. Videatur Sotus *in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 2. col. 3. verſic. Iſti ergo.*

XV. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

Dvbitatio XIII.

An Parochis ſit ablata facultas committendi vices ſuas alijs Sacerdotibus approbatis?

Ad rationem in contrarium, quæ directè pugnare videtur contra tertiam, & quartam aſſertionem, reſpondetur quòd ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformatione*, non tollit Parochis, quod illis iure diuino competit, iuriſdictionem ſcilicet ordinariam in ſuas oues: potuit tamen ſacrum Concilium imponere Parochis, quòd Sacerdotibus ab Epiſcopo non approbatis non committat vices ſuas, ſed ſolùm approbatis ab Epiſcopis poſſint ſuam delegare iuriſdictionem. Idque in eo *cap. 15.* expreſſis verbis habetur, Nullum, inquit ſacra Synodus, etiam Regularem poſſe confeſſiones ſecularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, aut aliàs idoneus iudicetur.

Articvlvs LXVI.

An Sacerdos, fingens ſe habere iuriſdictionem, cùm re vera neque approbationem ab Epiſcopo, neque commiſſionem aliquam habeat ad audiendas confeſſiones, validè abſolueret pœnitentem, qui bona fide illi confiteretur, tum peccata venialia, tum mortalia?

Svmmarivm.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur, à quónam ſimplex Sacerdos habeat facultatem abſoluendi a venialibus, vel mortalibus, aliàs confeſſis, dum abſoluit.*
3. *Dubitatio reſoluitur.*
4. *Pars negatiua probabilior in caſu dubitationis oſtenditur.*
5. *An valida ſit abſolutio data à ſimplici Sacerdote, tum mortalium, tum venialium inuincibiliter oblitorum.*
6. *Rationi prioris ſecundæ ſententiæ concluſionis ſatisfit, & explicatur, ratione cuius eſſet inualidum ſacramentum, in caſu tituli.*
7. *Rationi in contrarium a principio reſpondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm iure diuino in Miniſtro huius ſacramenti requiritur iuriſdictio, vt validè à peccatis abſoluat, vt expreſsè colligitur ex Concilio Florentino in litteris Eugenij, vbi dum explicat ea, quæ iure diuino ad eſſentiam huius ſacramenti requiruntur, docet Miniſtrum huius ſacramenti eſſe Sacerdotem habentem auctoritatem abſoluendi ordinariam, vel delegatam; ergo Sacerdos non habens illam, non validè abſolueret: tum, quia, vt docet ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 5.* abſolutio à peccatis, eſt actus iudicialis, ſed ad hunc actum requiritur iuriſdictio. ergo non habens illam, illicitè, & inualidè abſolueret.

Dvbitatio I.

II. *A quónam ſimplex Sacerdos habeat facultatem abſoluendi à venialibus, vel mortalibus aliàs confeſſis, dum abſoluit?*

Dico primò, quilibet ſimplex Sacerdos habet iuriſdictionem ad audiendam confeſſionem cuiuſlibet de venialibus tantùm, itémque de mortalibus, quorum priùs etiam confeſſio facta ſit: hanc autem iuriſdictionem ſimplex Sacerdos abſoluendi à venialibus, & à mortalibus, quæ iam antea aliquis eſt confeſſus, non habet immediatè à Chriſto Domino, ſed ab ipſa Eccleſia vi conſuetudinis. nam cùm iure diuino peccata venialia, & mortalia aliàs ritè confeſſa confiteri non teneamur, vnuſquiſque Sacerdos poteſt ab eis abſoluere, ſi à pœnitente eligatur, & tunc ſummus Pontifex tacita iuriſdictione conceſſa, vult vt Sacerdos ſimplex à venialibus, & à mortalibus ritè aliàs confeſſis abſoluat. Videatur Nugnus *tom. 2. in 3. part. quæſt. 8. art. 3. dub. 1. ſolut. ad 8. argumentum.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 10. de Miniſtro confeſſionis, puncto 2. §. Præterea vi etiam conſuetudinis.* Laymann *tom. 2. lib. 5. tract. 6. c. 10. n. 2.*

III. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico ſecundò, confeſſio facta bona fide ſimplici Sacerdoti de venialibus, & mortalibus peccatis; eſt valida, etiamſi Sacerdos ille iuriſdictionem non habeat in peccata mortalia. Probatur, quia confeſſio facta huiuſmodi Sacerdoti de ſolis venialibus, etiamſi pœnitens habeat mortale incolpabiliter oblitum, eſt valida, & hominem ſanctificat, ac Deo reconciliat virtute ſacramenti. ergo idem dici poteſt etiamſi peccatum mortale non ſit oblitum, ſed bona fide in confeſſione propoſitum. Antecedens probatur. nam ibi eſt vera materia ſacramenti Pœnitentiæ, nempè peccatum veniale cum ſufficienti attritione ſupernaturali expoſitum, vt ſupponitur, & legitimus Miniſter habens iuriſdictionem ab Eccleſia ſuper peccata venialia, & intentionem abſoluendi ab illis; ergo verum conficitur ſacramentum Pœnitentiæ ſi Miniſter proferat legitimam formam, Ego te abſoluo, etiamſi pœnitens peccatum mortale inuincibiliter oblitum habeat. Conſequentia principalis argumenti probatur; quia eadem videtur eſſe ratio & proportio in vtroque caſu, & ſic hanc aſſertionem tenet Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 31. ſect. 2. num. 8.*

Dico tertiò, certior poſtea factus pœnitens iſte, de quo agitur in præcedenti aſſertione, quòd Sacerdos ille non habebat iuriſdictionem ſuper peccata mortalia ab eo bona fide in confeſſione expoſita, teneretur iterum lethalia peccata confiteri Confeſſario legitimo habenti iuriſdictionem ſuper mortalia. quia tunc in caſu ſcilicet præcedentis aſſerti non directè, ſed indirectè eſſet à mortalibus abſolutus; ergo iterum illa confiteri tenetur habenti directè facultatem abſoluendi à mortalibus.

IV. *Pars negatiua probabilior in caſu dubitationis oſtenditur.*

Dico quartò, probabilius tamen, & verius aſſerimus, ſimplicem Sacerdotem non expoſitum ab Epiſcopo, nullo pacto, neque directè, neque indirectè, ſeu per accidens, poſſe pœnitentem confitentem peccata venialia, & mortalia, etiamſi bona fide confiteatur, validè abſoluere à peccatis mortalibus. quia licèt quilibet Sacerdos poſſit abſoluere à venialibus tantùm, & hoc faciat per iuriſdictionem, quam habet ſuper venialia; hæc tamen ioriſdictio eſt iuriſdictio ſecundùm quid, communiter enim dicitur tam apud vulgares, quàm apud viros doctos, quòd ſimplex Sacerdos, id eſt, nullo modo expoſitus, non habet ſimpliciter iuriſdictionem in foro pœnitentiæ, ſed ad abſoluendum à peccatis mortalibus requiritur ſimpliciter iuriſdictio. ergo ſimplex Sacerdos neque directè, & per ſe, neque indirectè, & per accidens poteſt abſoluere à mortalibus, niſi in articulo mortis: tum, quia ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de caſuum reſeruatione*, clarè docet nullius momenti eam abſolutionem eſſe, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem. ergo cùm ſimplex Sacerdos neque ordinariam, neque delegatam ſimpliciter habeat iuriſdictionem ſuper pœnitentem peccata mortalia confitentem, nullo modo extra articulum mortis poteſt illum validè abſoluere; tum, quia ex ſententia oppoſita Suarez ſequeretur, quòd omnes fideles ferè ſemper facerent confeſſiones validas, etiam ſi confiteantur Sacerdoribus non habentibus iuriſdictionem ordinariam, neque delegatam, quia ferè ſemper confitentur peccata venialia, & mortalia, & ſimplex Sacerdos habet iuriſdictionem illam ſecundùm quid ad abſoluendum à peccatis venialibus; ſed hoc fateri videtur nimis abſurdum. ergo, &c. hoc aſſertum ſequitur Nugnus noſter *tom.* 2. *in addit. ad* 3. *part. quæſt.* 8. *art.* 5. *§. Poſt primum dubium, §. Difficultas magna eſt, verſic. Mihi tamen non omninò placet iſta ſententia. fol.* 180. *col.* 1. Bonacina *tom.* 1. *de ſacramentis, diſp.* 5. *quæſt.* 7. *puncto* 4. *§. Primum, num.* 3.

Dubitatio II.

V. ***An valida ſit abſolutio data à ſimplici Sacerdote tum mortalium, tum venialium inuincibiliter oblitorum?***

Dico quintò, Sacerdos nullo modo expoſitus poteſt quidem abſoluere à peccatis venialibus, ſi pœnitens ſolùm iſta haberet, & conſequenter augere gratiam, & validum tunc conficeretur ſacramentum. quia tunc ſufficit iuriſdictio ſecundùm quid vi conſuetudinis ab Eccleſia ſimplicibus Sacerdotibus conceſſa: tamen, ſi pœnitens haberet peccata mortalia, etiamſi inuincibiliter illorum obliuiſceretur, & confiteretur ſimplici Sacerdoti ſola venialia, quorum memoriam haber, tunc nullum eſſet ſacramentum, & conſequenter neque indirectè, neque per accidens eſſet abſolutus à mortalibus, etiam inuincibiliter oblitis. quia iuriſdictio ſimpliciter eſt neceſſaria, vt fiat ſacramentum validum, quando adeſt in pœnitente peccatum lethale etiam naturaliter, & inculpabiter oblitum; ſed hanc non habet ſimplex Sacerdos, cùm non ſit expoſitus. ergo tunc nec ſacramentum eſſet validum, & conſequenter nec remaneret pœnitens abſolutus à mortalibus etiam naturaliter oblitis.

VI. *Rationi prioris ſententiæ ſecunda concluſionis ſatiſfit, & explicatur*

Dubitatio III.

Ratione cuius eſſet inualidum ſacramentum in caſu tituli?

Per hæc patet quid dicendum ad rationem poſitam in ſecundo aſſerto pro opinione Magiſtri Suarez. negamus enim antecedens argumenti ibi propoſiti, & ad probationem reſpondetur ex defectu iuriſdictionis, tunc ſacramentum eſſe nullum, & inualidum; quia cùm pœnitens eſt affectus peccaro lethali etiam inuincibiliter oblito, requiritur ad illud tollendum in Miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ ioriſdictio ſimpliciter, quam non habeot ſimplices Sacerdotes.

VII. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur*

Ad rationem principalem poſitam à principio reſpondetur probare noſtram quartam aſſertionem, quam omninò tenendam tanquam probabiliorem, & veriorem, arbitramor.

Articulus LXVII.

An extra articulum mortis inferior Sacerdos poſſit abſoluere pœnitentes à caſibus reſeruatis?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur duplex modus abſoluendi à reſeruatis.*
3. *An in aliquo caſu grauis neceſſitatis, habens ſolùm auctoritatem communem, poſſit abſoluere à caſibus reſeruatis, habentibus excommunicationem annexam.*
4. *An abſolutus in caſu neceſſitatis, ab habente ſolùm auctoritatem communem, debeat iterum confiteri habenti facultatem.*
5. *An bona fides eximat pœnitentem à reiteranda confeſſione de reſeruatis, facta habenti tantùm auctoritatem communem.*
6. *Dubitatio deciditur.*
7. *An pœnitens peccatorum mortalium inuincibiliter oblitus, ſi confiteatur ſimplici Sacerdoti, conficiat validum ſacramentum.*
8. *Explicatur magis, an habens caſus reſeruatos, vrgente neceſſitate communicandi, vel annua confeſſionis, poſſit licitè & validè confiteri ſimplici Sacerdoti.*
9. *An teneatur ad præceptum annuæ confeſſionis, qui habet caſus reſeruatos, & non poteſt Superiorem adire.*
10. *An confeſſus non habenti facultatem ſuper reſeruata, dum Superiorem adit, vt à reſeruatis abſoluatur, teneatur denuo confiteri non reſeruata.*
11. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur, An Sacerdos non habens facultatem ſuper reſeruata, ſit iudex ſuper illa.*

I. ***Pars negatiua probatur.***

Ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. de caſibus reſeruatis, illis verbis, *extra quàm articulum mortis*, ſcilicet, *Sacerdotes cùm nihil poſſint in caſibus reſeruatis,*

Digitized by Google

reſeruatis, id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad Superiores & legitimos iudices pro beneficio abſolutionis accedant. hactenus ſactum Concilium. ergo, &c.

II. *Explicatur duplex modus abſoluendi à reſeruatis.*

Dico primò, dupliciter poſſe Sacerdotem abſoluere à peccatis reſeruatis. Primo modo per ſe, & directè, quia ſcilicet haber iuriſdictionem ſupra pœnitentem, etiam quantum ad illa peccata reſeruata: ſecundo verò modo per accidens & indirectè, quia ſcilicet non habet iuriſdictionem ſupra pœnitentem quantum ad peccata reſeruata, abſoluit tamen per accidens. quia neceſſarium eſt quòd pœnitens ſi abſoluatur à peccatis non reſeruatis directè, abſoluatur à peccatis reſeruatis indirectè à Sacerdote, qui aliàs non habet per ſe facultatem ſuper reſeruata: nam impoſſibile eſt vnum peccatum mortale remitti ſine alio; ergo ſi pœnitens habeat peccata non reſeruata, & ſimul reſeruata, ſi confitetur Sacerdoti non habenti facultatem ſupra reſeruata, vti poteſt confiteri in aliquibus caſibus, tunc abſolueretur directè à non reſeruatis, & à reſeruatis indirectè, conſequenter & per accidens, impium enim eſt à Deo dimidiam ſperare ſalutem.

Dvbitatio I.

III. *An in aliquo caſu grauis neceſſitatis, habens ſolùm auctoritatem communem, poſſit abſoluere à caſibus reſeruatis, habentibus excommunicationem annexam?*

Dico ſecundò, ſi ſit grauis neceſſitas, puta ſi ſit neceſſe implere præceptum annuæ confeſſionis, aut communicare, vel ſacrum facere, itaut non poſſit omitti ſine graui ſcandalo, aut infamia, & pro tunc non patet aditus ad Superiorem, poteſt inferior Sacerdos abſoluere eum, qui habet caſus reſeruatos habentes etiam excommunicationem annexam. quia tunc talis videtur eſſe voluntas interpretatiua Superioris, & tunc etiam pœnitens abſoluitur ab excommunicatione, quæ eſt ſententia valdè probabilis, & pia: dummodo taliter intelligatur, quòd compareat poſtea ille pœnitens coram Superiore, quando commodè poterit, & aliàs reincidat in excommunicationem. Ita Nugnus *in 3. part. in addit. quæſt. 9. art. 2. dub. 2. §. Inter omnes iſtas*, Suarez *tom. 4. in 3. part. diſput. 31. ſect. 3. num. 2.* Angelus *Confeſſio 5. num. 9.*

Dico tertiò, quando vrget grauis cauſa, vel neceſſitas recipiendi ſacramentum, vt explicuimus *aſſertione præcedenti*, tunc ſi ſimul pœnitens confiteatur peccata non reſeruata, & explicitè etiam reſeruata, à non reſeruatis abſoluitur directè, & per ſe. quia ſuper illas Sacerdos expoſitus iuriſdictionem habet: à reſeruatis verò indirectè, quia ad abſolutionem directam non ſufficit, quòd peccatum explicetur, & declaretur in confeſſione, ſed requiritur, quòd Sacerdos habeat iuriſdictionem in tale peccatum. nam abſolutio directa eſt actus talis iuriſdictionis; ergo Sacerdos inferior non habens facultatem abſoluendi à reſeruatis, ſi in caſu neceſſitatis abſoluit directè à non reſeruatis, indirectè verò à reſeruatis, etiamſi reſeruata tunc in confeſſione actualiter explicentur, & declarentur.

Dvbitatio II.

IV. *An abſolutus in caſu neceſſitatis, ab habente ſolùm auctoritatem communem, debeat iterum confiteri habenti facultatem?*

Dico quartò, in caſu grauis neceſſitatis, de qua in ſecunda aſſertione diximus, non poteſt pœnitens abſolui indirectè à reſeruatis, niſi etiam confiteatur Confeſſario illi inferiori peccata non reſeruata, ſupra quæ Sacerdos habet iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam, quia non poteſt indirectè quis abſolui à reſeruatis, niſi ſimul etiam directè à non reſeruatis abſoluatur. ergo tunc pœnitens vt abſoluatur indirectè à reſeruatis, debet explicare etiam aliquod non reſeruatum.

Dico quintò, quando quis confitetur Sacerdoti inferiori, qui non poteſt abſoluere à reſeruatis, tenetur confiteri peccata reſeruata; quia cùm Confeſſarius ille inferior in caſu illo neceſſitatis verè abſoluat ab omnibus peccatis, licèt indirectè, & per accidens à reſeruatis, omnia peccata debet audire per ſe loquendo; ergo, &c. Antecedens patet, quia confert gratiam, cum qua nullum peccatum mortale poteſt eſſe. Tum, quia licèt huiuſmodi Confeſſarius non ſit abſolutè legitimus iudex, nec habeat iuriſdictionem abſoluendi directè ab omnibus; tamen cognoſcere debet, an pœnitens verè paratus ſit, & diſpoſitus ad recipiendam omnium abſolutionem. Ita benè Nugnus noſter *tom. 2. in 3. part. in addit. quæſt. 9. art. 2. §. In ſecunda parte huius articuli, dub. 3. fol. 328. col. 2.* Henriquez *lib. 6. de pœnitentia, cap. 15. num. 5.* contra Petrum Sotum *de confeſſione, ſect. 10.*

Dico ſextò, clariùs explicans aſſertionem quartam, qui non habet poteſtatem in reſeruata, inualidè abſolueret eum, qui etiam vrgente aliqua neceſſitate hæc ſola confiteretur. quia tunc nulla ei materia ſuggeritur, in quam tanquam legitimus iudex poſſit ferre ſententiam. ergo vt pœnitens vrgente aliqua neceſſitate habens peccata reſeruata ſacramentaliter abſoluatur, licèt indirectè à reſeruatis, neceſſarium eſt, vt aliqua peccata non reſeruata, eidem inferiori Sacerdoti confiteatur, aliàs inualidè omninò abſolueretur. Videatur Cuninchus *diſp. 8. de Miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ, dub. 13. num. 100.*

Dvbitatio III.

V. *An bona fides eximat pœnitentem à reiteranda confeſſione de reſeruatis, facta habenti tantùm auctoritatem communem?*

Dico ſeptimò, quando pœnitens inferiori Confeſſario bona fide confitetur ſimul cum non reſeruatis aliqua peccata reſeruata, validè ab eo abſoluitur, directè quidem à non reſeruatis, à reſeruatis verò indirectè, & cum onere ea iterum confitendi. Probatur, quia aliàs ſequeretur eum, qui haberet aliquod peccatum reſeruatum, cuius eſſet omninò oblitus, nunquam à ſuo Parocho validè abſolui poſſe; ſed hoc eſt valdè abſurdum. validè igitur tunc abſolueretur directè à non reſeruatis, & indirectè à reſeruatis; ergo idem dicendum quando bona fide confitetur, &c. Videatur Nauar. *ſumm. c. 9. n. 7.* Caiet. *verb. Confeſſio c. vlt.*

VI. *Dubitatio deciditur.*

Dico octauò, qui ſine neceſſitate peccata reſeruata Sacerdoti inferiori ſcienter confiteretur,

grauiter peccaret, & conſequenter innalidum eſſet ſacramentum. quia non eſſet diſpoſitus ad ſuſceptionem ſacramenti, cùm ſcienter accedat ad Sacerdotem non habentem facultatem abſoluendi à reſeruatis extra caſum neceſſitatis. Quòd tamen Sacerdos in abſoluendo ſine neceſſitate à reſeruatis, peccet, nihil facit ad valorem ſacramenti, ſi pœnitens ſit legitimè diſpoſitus, & bona fide accedat ad confeſſionem; quia Miniſtri malitia non minuit valorem ſacramenti. Illicitè igitur Confeſſarius extra caſum neceſſitatis abſolueret à caſibus reſeruatis. At pœnitens ſi bona fide confiteretur peccata non reſeruata, & reſeruata eidem, validum ſuſciperet ſacramentum, cum onere iterum reſeruata confitendi, certior factus, quòd ille Sacerdos, cui eſt confeſſus, non habebat facultatem abſoluendi à reſeruatis.

Dvbitatio IV.

VII. *An pœnitens peccatorum mortalium inuincibiliter oblitus, ſi confiteatur ſimplici Sacerdoti, validum conficiat ſacramentum?*

Dico nonò, ſi pœnitens obliuiſcatur peccatorum mortalium, atque adeò inuincibiliter ignoret ſe habere aliquod peccatum mortale, & confiteatur venialia ſimplici Sacerdoti, probabile eſt, quòd remaneat abſolutus, directè quidem à venialibus, & indirectè à mortalibus inuincibiliter oblitis, vt docet Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 31. ſect. 2. num.* 8. & Nugnus *tom. 2. in 3. part. quaeſt. 9. art. 2. in ſecunda part. art. dub. 2.* Sed eſt contra hoc vnicum argumentum, licèt hic probabilius exiſtimet oppoſitum, non poſſe ſcil. ſimplicem Sacerdotem vi ſacramenti conferre primam gratiam, propter rationem allatam *dubio præcedēti, aſſertione* 4. quia aliàs nunquam liceret facere cōfeſſionem de venialibus ſimplici Sacerdoti, ſi quidem nullus poteſt eſſe certus ſe non peccaſſe mortaliter: at Eccleſia concedit, quòd de venialibus ſimplici poſſumus Sacerdoti confiteri; ergo probabile eſt aſſerere quòd tunc pœnitens probabiliter ignorans ſe habere mortale, ſi confiteatur ſimplici Sacerdoti, quòd conſequatur vi ſacramenti primam gratiam, & directè abſoluatur à venialibus, indirectè verò à mortalibus probabiliter, & inculpabiliter oblitis. Explicatur magis,

Dvbitatio V.

VIII. *An habens caſus reſeruatos vrgente neceßitate communicandi, vel annua confeßionis, poßit licitè, & validè confiteri ſimplici Sacerdoti?*

Dico decimò, fidelis tamen ſciens, & prudens, habens caſus reſeruatos, vel peccata mortalia, ſi neceſſitatem habeat communicandi, vel ſi curtat præceptum annuæ confeſſionis, non poteſt licitè, neque validè confiteri ſimplici Sacerdoti. quia ſimplex Sacerdos non habet facultatem ab Eccleſia extra articulum mortis abſoluendi à venialibus quoties pœnitens putat ſe habere peccata mortalia ſimul cum venialibus. Tum, quia vt poſſint fideles confiteri peccata venialia cuicumque Sacerdoti, originem habet ex conceſſione, & traditione Eccleſiæ; ſed conſuetudine, & vſu Eccleſiæ introductum eſt, vt tunc fideles habeant hanc licentiam quando non habent conſcientiam peccati mortalis, ergo non licet eis confiteri ſimplici Sacerdoti extra articulum mortis, ſi habent conſcientiam peccati mortalis, ac proinde ſi tunc confiteantur ſimplici Sacerdoti, nullum fiet ſacramentum: videatur Bonacina *tom. 1. de ſacramentis, diſp. 5. quaeſt. 7. punct. 4. §. 3. n. 7. verſ. neque obſtat*, Coniochus *diſp. 8. de miniſtro ſacramenti Pœnit. dub. 13. n.* 107.

Dico vndecimò, vrgente tamen aliqua graui neceſſitate, de qua *aſſertione* 2. habens caſus reſeruatos, licitè etiam ſcienter confitetur ei, qui ſolùm habet poteſtatem in peccata mortalia non reſeruata. Tum, quia in Eccleſia eſt talis conſuetudo, vt fatetur Suarez *tom. 4. diſp. 31. ſect. 3. num* 11. Tum, quia Sacerdos habens iuriſdictionem circa peccata mortalia, iam habet id quod præcipuum eſt, & quaſi ſubſtantiale in hac poteſtate. Videatur Nugnus *tom. 2. in 3. part. quaeſt 9. art. 2 dub. 2. §. inter omnes iſtas*. Suarez *loco* immediatè *adducto*, contra Adrianum negantem poſſe Sacerdotem inferiorem extra articulum mortis abſoluere pœnitentes, etiam vrgente aliqua cauſa, à caſibus reſeruatis.

Dico duodecimò. Sacerdos, qui neceſſitatem habet celebrandi, ſed caret copia Sacerdotis approbati pro reſeruatis, debet inferiori Confeſſario reſeruata confiteri, & non reſeruata, vt ab iſtis directè, ab illis indirectè, & conſequutiuè abſoluatur. nam iure diuino ante ſumptionem Euchariſtiæ præmittenda eſt confeſſio ab eo, qui ſcientiam habet peccati mortalis, vt colligitur ex ſacro Concilio Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 7.* ergo Sacerdos obſtrictus peccatis reſeruatis, ſi neceſſitatem habet celebrandi, nec copiam Confeſſarij habeat præter Sacerdotem non habentem facultatem abſoluendi à reſeruatis, poteſt, & tenetur abſolutionem petere à non reſeruatis, confitendo reſeruata, & non reſeruata, cum onere adeundi poſtea Superiorem pro abſolutione reſeruatorum. Vide Bonacinam *tom. 1. de ſacramentis, diſp. 4. q. 6. punct. 1. n. 31.* Suarez *tom. 3. in 3. part. quaeſt. 80. art. 3. diſp. 63. ſect. 4. §. quartus caſus.* Sotus tamen *in 4. diſt. 12. quaeſt. 1. art. 4. §. quartus caſus eſt*, oppoſitum tenere videtur, inquit enim ſi Religioſus habet peccatum reſeruatum, & in die ſolemni cùm totus Conuentus communicat, non communicaret cum illis, tunc ſi Prælatus non adeſt domi, poteſt quidem cum propoſito properandi poſtea ad ipſum communicare, nullatenus tamen ſi adeſt, idque probabile eſſe cenſet Coninchus *tomo 1. quaeſt. 80. art. 4. dub. 2. num.* 21. nam videtur onus graue quòd quis euſdem caſus reſeruatos bis confiteri teneatur.

Dvbitatio VI.

IX. *An teneatur ad præceptum annuæ confeßionis qui habet caſus reſeruatos, & non poteſt Superiorem adire?*

Dico decimotertiò, conſequenter non excuſatur aliquis ab obligatione implendi præceptum de annua confeſſione, quando habet caſus reſeruatos, & non poteſt Superiorem adire. quia poteſt confiteri inferiori reſeruata, & non reſeruata, & ab eo validè abſolui directè à non reſeruatis, indirectè verò à reſeruatis cum onere comparendi, &c. Tum, quia aliàs poſſet quis eo prætextu multis annis non ſeruare præceptum annuæ confeſſionis, & ſæpiùs etiam communicare ſine confeſſione toto tempore, quo non poteſt Superiorem adire; ſed hoc aſſerere eſt ſatis abſurdum. ergo tenebitur iſti confiteri inferiori, &c. Tum, quia illud grauamen, bis ſcilicet confitendi peccatum reſeruatum, ferè nullius momenti eſt, vt excuſare ſufficiat ab obligatione

diuini

diuini præcepti, quo tenemur præmittere confeſſionem ſacramentalem ante communionem, & ab obligatione præcepti Eccleſiaſtici, *cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* quo tenemur ſemel in anno confiteri, cùm hoc redundet in maximam fidelium vtilitatem.

Dvbitatio VII.

X. *An confeſſus non habenti facultatem ſuper reſeruata, dum Superiorem adit vt à reſeruatis abſoluatur, teneatur denuo confiteri non reſeruata?*

Dico decimoquartò, qui aliqua vrgente neceſſitate, extra tamen articulum mortis, confeſſus eſt peccata reſeruata Confeſſori inferiori, tenetur poſtea nacta opportunitate adire Superiorem, vt directè abſoluatur à reſeruatis; non tamen tenetur repetere Superiori peccata non reſeruata. quia ab his directè eſt abſolutus; ſi verò pœnitens in articulo mortis eſt abſolutus à reſeruatis etiam à ſimplici Sacerdote, non tenetur adire Superiorem. nam in articulo mortis quilibet Sacerdos in abſentia habentis facultatem eſt legitimus, & ordinarius, vt habetur in ſacro Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. de pœnit. cap. 7.* Si verò talis pœnitens in articulo mortis abſolutus, fuiſſet excommunicatus, aliqua reſeruata excommunicatione, ſi poſtea euaderet, tenetur adire Superiorem, non vt abſoluatur ab excommunicatione, quia iam eſt abſolutus, ſed vt mandatum Superioris humiliter ſuſcipiat, & nouam pœnitentiam, ſi iniungat ille, cui excommunicatio reſeruata fuit. Ita habetur *in cap. eos, qui, de ſententia excomm. in 6.* Aliàs in eandem ſpecie excommunicationem reincidit: videatur Syl. *verb. Confeſſio 1. num. 21.* Nauarr. *ſumma cap. 26. num. 17.* Sayr. *lib. 2. de cenſuris, cap. 10. num. 27.*

XI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & explicatur*

Dvbitatio VIII.

An Sacerdos non habens facultatem ſuper reſeruata, ſit iudex ſuper illa?

Ad rationem in contrarium poſitam ab initio reſpondetur, ſacrum Concilium Tridentinum ſolùm ibi voluiſſe talem Confeſſarium non eſſe legitimum iudicem talium peccatorum reſeruatorum, atque adeò nihil poſſe quoad directam abſolutionem, ſed debere talem pœnitentem pro hac obtinenda mittere ad Superiorem. Cum hoc tamen conſiſtit, quòd ſi legitimus iudex talis perſonæ reſpectu aliorum peccatorum, & quòd vrgente neceſſitate poſſit eum ab his abſoluere à non reſeruatis directè. quia habet in hæc peccata iuriſdictionem; à reſeruatis verò indirectè, quia horum non eſt legitimus iudex. quod tamen neceſſarium eſt ad directam abſolutionem.

Articvlvs LXVIII.

An Superior teneatur concedere facultatem pœnitenti, petenti per ſe, vel per alium, qua poſſit alteri Sacerdoti peccata reſeruata confiteri?

Svmmarivm.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Explicatur quomodo in Eccleſia ſit iuriſdictio reſeruandi aliqua peccata, vel cenſuras.*
3. *An in articulo mortis omnes Sacerdotes habeant facultatem abſoluendi, etiam approbato præſente.*
4. *An Eccleſia poſſit reſeruare, ne dum mortalia externa, ſed etiam interna.*
5. *An ſummus Pontifex poſſit priuare Sacerdotes inferiores poteſtate abſoluendi ab aliquibus venialibus.*
6. *Dubitatio reſoluitur.*
7. *An talis facultas, de qua in dubitatione, teneatur Superior concedere ſi ex hoc timet damnum aliquod euenturum.*
8. *An Superior debeat eſſe facilis in hac conceſſione.*
9. *Quámnam cautelam debeat adhibere Confeſſarius, petens auctoritatem ſuper reſeruata.*
10. *An pœnitens, cui denegata eſt talis facultas, poſſit confiteri, & abſolui ab omnibus, ab habente auctoritatem communem.*
11. *Ad rationem à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in octaua aſſertione.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm ſanctiſſimus Thomas Aquinas *in 4. diſt. 17. q. 3. art. 3. queſtiunc. 4. ad 6.* ait quòd illi, qui ſunt nimis ſolliciti, vt conſcientias ſubditorum per confeſſiones ſciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, & per conſequens ſibi ipſis; ergo Superior tenetur inferiori petenti veniam alteri confitendi præbere ſe facilem, & concedere ſubdito, quod petit, ne laqueum damnationis & ſubditis, & ſibi ipſi iniiciat.

Dvbitatio I.

II. *Quomodo in Eccleſia ſit iuriſdictio reſeruandi aliqua peccata, vel cenſuras?*

Dico primò, certum eſt ſecundùm fidem in Eccleſia eſſe poteſtatem reſeruandi aliqua peccata iudicibus ſuperioribus, ita vt iudices inferiores non poſſint ab illis abſoluere, etiamſi ſint Confeſſarij expoſiti, & idem dicendum eſt de cenſuris, & hæc ſine dubio videtur eſſe traditio Apoſtolica ex communi conſenſu totius Eccleſiæ. Ita videtur diffinitum in ſacro Concilio Tridentino *ſeſſ. 14 de pœnitentia, cap. 7. de caſibus reſeruatis.* Ratio huius aſſertionis eſt, quia tota iuriſdictio Eccleſiæ dependet à ſummo Pontifice, & iuriſdictio Prælati inferioris à ſuo Superiore; ergo Romanus Pontifex poterit ſibi reſeruare aliquos caſus, & alij ſuperiores Prælati reſpectu inferiorum, à quibus non poſſint inferiores abſoluere, &c.

Dvbitatio II.

III. *An in articulo mortis omnes Sacerdotes habeant facultatem abſoluendi, etiam approbato præſente?*

Dico ſecundò, in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, inquit Concilium Tridentinum *loco* nuper *adducto*, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, immò ſi adſint duo Sacerdotes, aliàs expoſiti ad audiendam confeſſionem illius, qui eſt in articulo mortis, & vnus eorum poteſtatem habeat ad abſoluendum à caſibus reſeruatis, alius verò non, quòd poteſt infirmus confiteri, cui voluerit. quia tunc nullus eſt caſus reſeruatus. Immò addunt

aliqui DD. non pœnitendi, quòd abſoluere poteſt conſtitutum in articulo mortis quiuis ſimplex Sacerdos à quibuſuis reſeruatis, etiamſi adſit proprius Sacerdos, ſeu alius Confeſſor approbatus. quia, inquiunt, ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de caſibus reſeruatis*, abſolutè, & indiſtinctè dicit omnes Sacerdotea ea poteſtate gaudere in eo articulo. Ita Nauarrus *tom.* a. *conſil. lib.* 5. *de pœnitentia, & remiſſ. conſil.* a3. *num.* 2. & 3. Rodriquez *part.* 1. *ſummæ, cap.* 59. *num.* 5. *fine, & tom.* 1. *qq. Reg quæſt.* 56. *art.* 4. *fine.* Conradus noſter *in ſuis reſponſionibus tom.* 1. *quæſt.* 12. *verſic. reſpondetur*, & ſic abſolutus ſi euadat periculum mortis, non tenetur iterum confiteri illa peccata. quia per ſe, & directè fuit abſolutus ab illis, vt optimè docet Palud. *in* 4 *diſt.* 20. *quæſt.* 1. *art.* 2. Syl. *verb. Confeſſor* 1. *num.* 16. *verſic. vigeſimò vtrùm.* Verum tamen eſt quòd ſi peccatum reſeruatum habeat excommunicationem, tenetur poſtea, qui ſic abſolutus eſt, ad comparendum coram Superiore, aliàs ſi ſit in mora culpabili, incidet iterum in eamdem ſpecie excommunicationem. Syl. *loc. cit.* Caiet. *in ſumma, verb. excommunicatio, num.* 69. vti diximus *dub. præcedenti aſſertione* 14.

Dvbitatio III.

IV. *An Eccleſia poſſit reſeruare nedum mortalia externa, ſed etiam interna?*

Dico tertiò, Eccleſia poteſt omnia peccata mortalia reſeruare, non tantùm externa, ſed etiam interna, & ſic poſſet reſeruare mentalem conſenſum in hæreſim, formale odium Dei, infidelitatem interiorem, & deſperationem. quia omnis iuriſdictio inferiorum à ſuperioribus dimanat. Tum, quia ſi Eccleſia reſeruaret peccata interna, hoc non eſſet iuriſdictionem exercere in actus mentis, ſed illam non alteri conferre. Reſeruatio enim in præſenti nihil aliud eſt, quàm ablatio, ſeu non conceſſio iuridictionis ad abſoluendum ab aliquo peccato, quamuis circa alia concedatur. Videatur Caietan. a. 2. *quæſt.* 11 *art.* 3. §. *ex his autem patet.*

Dico quartò, regulariter tamen loquendo, nullum internum peccatum reſeruatur. quia eſſet error illa reſeruare. Nam peccata cordis ſunt frequentiſſima, & occultiſſima, vt vix homo ſecum diſcernere poſſit, conſenſerit, nec ne, & ideo intolerabile eſt cum huiuſmodi ſcrupulis ad Superiorem frequenter recurrere. Quapropter opinio quorumdam Canoniſtarum dicentium hæreſim mentalem eſſe Papæ reſeruatam, & excommunicationi ſubiectam, falſa eſt. Ita benè Magiſter Soto *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 5. §. *vtrùm verò reſeruari.*

Dvbitatio IV.

V. *An Sum. Pontifex poſſit priuare Sacerdotes inferiores poteſtate abſoluendi ab aliquibus venialibus?*

Dico quintò. Summus Pontifex poteſt inferiorea Sacerdotes priuare poteſtate neceſſaria ad abſoluendum ab aliquibus peccatis venialibus. quia quòd omnes Sacerdores poſſint à venialibus abſoluere, prouenit ex conceſſione Eccleſiæ, ſiue Pontificis. ergo poterit efficere Summus Pontifex, quòd talea inferiores Sacerdotes à talibus venialibus non abſoluant. Hæc tamen reſeruatio nunquam fit in Eccleſia, quia ad bonam gubernationem ordinari minimè poteſt. Videatur Nugnus *tom.* 2. *in* 3. *p. quæſt.* 8. *art.* 5. *dub.* 10 §. *dubitant etiam.*

VI. *Dubitatio reſoluitur.*

Dico ſextò. Superior tenetur ex iuſtitia concedere inferiori petenti facultatem, vt poſſit alicui alteri confiteri caſus reſeruatos, & ab eo abſolui, quando inferior probabiliter timet reuelationem ſigilli, aut ne Superior graue odium circa ſe concipiat, aut ne ſcientia ex confeſſione habita abutatur in ordine ad regimen cum damno inferioris. Nam tunc Superior faceret inferiori grauem iniuriam, cogendo cum ſibi in his circumſtantiis confiteri.

Dico ſeptimò. Superior ex charitate tenetur inferiori talem facultatem petenti concedere quoties credit grauiter ei obfuturum ſi negetur, vt quòd vel non ſit confeſſurus, vel non integrè, etiamſi hoc ſolùm proueniat ex inordinata verecundia, vel alia apprehenſione inferioris. quia ſicut confeſſio, ita reſeruatio caſuum inducta eſt in vtilitatem pœnitentium, vt poſſint ita meliùs in vita ſpirituali dirigi; ergo hæc non debet ita obſeruari in eorum detrimentum, & deſtructionem.

Dvbitatio V.

VII. *An talis facultas, de qua in dubitatione, teneatur Superior concedere, ſi ex hoc timet damnum aliquod euenturum?*

Dico octauò, quando Superior timet quòd talis conceſſa facultas non ſit profutura tali pœnitenti, ſed potiùs occaſio iterum peccandi, vel quòd ſequatur aliquod damnum extrinſecum ex conceſſione talis facultatis, non debet ſubdito illam petenti concedere, quia tunc non cedit conceſſio in vtilitatem, ſed potiùs in damnum ipſius petentis.

Dvbitatio VI.

VIII. *An Superior debeat eſſe facilis in hac conceſſione?*

Dico nonò, quando Superior non habet iuſtas cauſas in contrarium, debet ſe ſatis facilem præbere in hac conceſſione. quia communiter grauius malum oritur ex negatione, quàm ex conceſſione. Tum, quia pœnitentes ſunt ita aliquando infirmi, quòd potius ſine confeſſione moriantur, quàm tale peccatum tali Sacerdoti confiteantur. ergo frequentius Superior debet hanc facultatem concedere, quàm negare. Ita benè aduertit S. D. Thomas Aquinas *in opuſculo contra impugnantes Religionem.*

Dvbitatio VII.

IX. *Quam nam cautelam debeat adhibere Confeſſarius petens auctoritatem ſuper reſeruata?*

Dico decimò, quando Confeſſarius facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis petit, ita cautè hoc debet facere, vt Superior nullo modo poſſit aut perſonam, aut caſum, ob quem ea petitur, conijcere. nam aliàs eſſet periculum frangendi ſigillum, ſi Confeſſarius ea ex confeſſione nouiſſet, aut ſecretum naturale, ſi extra confeſſionem ea nouiſſet.

Dvbitatio VIII.

X. *An pœnitens, cui negata eſt talis facultas, poſſit confiteri, & abſolui ab omnibus, ab habente auctoritatem communem?*

Dico vndecimò, ſi negante Prælato ſuam auctoritatem ad reſeruata, ſi adeſt graue periculum, vel ſcandalum, puta ſi pœnitens non communicaret cum aliis in aliquo die ſolemni, poterit pœnitens tunc abſolui à Confeſſario approbato, ſi illi confiteatur peccata non reſeruata, & reſeruata, & tunc remanebit ſi habeat ſaltem debitam attritionem ſupernaturalem abſolutus indirectè à reſeruatis, directè quidem à non reſeruatis cum obligatione confitendi poſtea habenti ad ipſa reſeruata ſpecialem iuriſdictionem; quia vt euitet ſcandalum, & notam pro ſuo iure tuendo, poſſet tunc pœnitens ſine prœuia confeſſione contritus communicare cum aliis, vt docet Sotus *in 4. diſt. 12. quaſt. 21. art. 4. §. Quartus caſus eſt*; ergo vrgente tali neceſſitate poterit Confeſſor approbatus illum abſoluere. Ita bene Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quaſt. 20. art. 30. ad finem.*

Dico duodecimò, ſi Prælatus iniuſtè, & tyrannicè denegaret petitam licentiam ad reſeruata, tunc pœnitens poſſet abſolui à reſeruatis à Sacerdote inferiori approbato habenti tantùm facultatem communem. quia debitè petita licentia habetur pro obtenta ſaltem à Generali abſente, vel à ſummo Pontifice. Tum, quia Prælatus Monaſterij iniuſtè negans, habetur ac ſi non eſſet præſens; ergo tunc pœnitens poteſt confiteri cum reſeruatis ſimul alia, ſaltem ritè abſoluta, aut venialia, à quibus directè abſolueretur, indirectè verò à reſeruatis. Videatur Henriquez *lib. 6. de pœnitentia, cap. 15. num. 6.*

Dico decimotertiò, probabilius tamen, & verius mihi videtur dicendum quòd ſi non adeſt grauis neceſſitas, vel graue damnum alicuius magnæ infamiæ, inferior Sacerdos non poteſt etiam indirectè abſoluere à reſeruatis, licèt tyrannicè, & iniuſtè Superior præſens deneget facultatem. nam licèt in Eccleſia ſit conſuetudo, quòd inferior poſſit indirectè abſoluere à reſeruatis, quando vrget grauis aliqua neceſſitas; & Superior abeſt: ſecus autem ſi eſt præſens, & non vrget grauis neceſſitas, etiamſi Superior tyrannicè, & iniuſtè deneget facultatem. Tum, quia iniuſta denegatio facultatis valida eſt, ſicut eſt valida iniuſta reſeruatio. Tum, quia ſi præcedens aſſertum eſſet verum, ſequeretur quòd negata iniuſtè, & tyrannicè diſpenſatione ab Epiſcopo, cui ſummus Pontifex eam commiſit, poſſet diſpenſandus ſubditus in alium recurrere, allegando in ſuum fauorem tacitam voluntatem Papæ in hoc caſu alteri facultatem delegantis; ſed hoc nihil tunc ſuffragaretur. ergo ſimiliter, &c. Tum, quia non licet à reſeruatis abſoluere extra articulum mortis, vt patet ex ſacro Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 7. de caſibus reſeruatis*, & ex conſuetudine Eccleſiæ tantùm poteſt inferior Sacerdos vrgente aliqua graui neceſſitate indirectè abſoluere; ergo ſi Superior eſt præſens, etiamſi tyrannicè & iniuſtè deneget facultatem, non poteſt inferior non vrgente graui neceſſitate indirectè abſoluere à reſeruatis. Videatur Rodriquez nuperrimè relatus.

XI. *Ad rationem à principio reſpondetur, & magis explicantur dicta in octaua aſſertione.*

Ad rationem à principio poſitam reſpondetur, probare noſtram octauam aſſertionem. tenentur enim Superiores facultatem ſubditis concedere alteri confitendi, quando inſtanter ab eis petitur, iuxta tenorem Canonis *omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* Neque in hoc debent eſſe difficiles, niſi dum eis conſtiterit ſubditos nequiter talem facultatem petere, vt ſcilicet occaſionem accipiant perſiſtendi in delictis. Videatur D. Thom. *in 4. diſt. 17. q. 3. a. 3. quaſtiunc. 4. ad quintum arg.* Sotus *in 4. diſt. 18. q. 2. art. 5. §. Circa tertium arg. verſic. Quocirca tunc ſi Sacerdos.*

Articvlvs LXIX.

An qui tempore alicuius conceſſæ Indulgentiæ, vel Iubilæi, fuit abſolutus à cenſuris, & à peccatis reſeruatis, remaneat directè abſolutus, etiamſi poſtea non præſtet cætera, quæ ad Iubilæi conſequutionem præſcribuntur?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Quidnam ſit Indulgentia, & an per Indulgentiam remittatur culpa mortalis.*
3. *Quidnam ſibi velit Eccleſia, quando concedens Indulgentiam plenariam, addit cum tertia, vel quarta parte peccatorum, vel à tota pœna, & culpa.*
4. *An per Indulgentiam remittatur culpa venialis.*
5. *An Indulgentia ſit relaxatio pœnæ æternæ.*
6. *An per Indulgentias remittantur pœnæ debitæ peccatis, ne dum actualibus, ſed etiam originali.*
7. *An per Indulgentias remittantur pœnæ debitæ peccatis non dimiſſis.*
8. *An Indulgentia proſit homini exiſtenti in peccato mortali.*
9. *An homo quantumuis iuſtus, niſi ſit Prælatus, poſſit concedere Indulgentias.*
10. *An relaxatio pœnæ debitæ, pro peccatis dimiſſis, fiat merè gratis per Indulgentiam.*
11. *Quidnam ſit Theſaurus Eccleſiæ.*
12. *An omne opus bonum, factum in gratia, ſit meritorium, & ſatisfactorium.*
13. *An opus bonum hominis iuſti tranſeat in aliam perſonam, quoad ſatisfactionem.*
14. *An opera ſatisfactoria hominis iuſti, ſemper ſortiantur ſuum effectum.*
15. *An opera ſatisfactoria hominis iuſti, vt alteri proſint, debeant illi ſpecialiter applicari.*
16. *Quidnam acquiratur per participationem, vel communicationem bonorum operum alicuius perſonæ, vel communitatis.*
17. *Quidnam ſit, per priuilegium recipi ad beneficia alicuius Ordinis.*
18. *An aliquis recipiens aliquem ad participationem ſuorum operum bonorum, pro ſe ipſo minus ſatisfaciat.*
19. *An oratio valeat magis ſi applicetur vni, quàm pluribus.*
20. *An Prælati Religionum poſſint ſatisfactiones ſuorum ſubditorum alijs applicare.*

21. Cuinam proſint opera ſatisfactoria Religioſi ſi ſubditus & Prælatus alij illa applicent.
22. An in applicatione operis ſatisfactorij ſufficiat intentio Prælati.
23. An, ſi Prælatus applicet opus bonum ſubditi, ſubdito renuente, tale opus ipſi ſubdito proſit.
24. An Sum. Pontif. vel alio Prælato iubente Sacerdoti, vt Miſſam pro aliquo applicet, ſi iſte applicet alteri, cui nam valeat.
25. An initus cuius ſuperabundantes ſatisfactiones Eccleſia repoſuit, poſſit poſtea alijs applicare illas.
26. An in Theſauro Eccleſiæ reperiantur merita, & ſatisfactiones illorum, qui poſt bona opera ceciderunt, & manent in inferno.
27. Quonam modo opera ſatisfactoria damnatorum maneant in theſauro Eccleſiæ.
28. Ex quibus nam meritis conficiatur Eccleſiæ theſaurus.
29. An merita Sanctorum, repoſita in theſauro Eccleſiæ, ſub propria ratione meriti, à ſatisfactione diſtincta, nobis applicentur per Indulgentias.
30. An Sancti poſſint dici noſtri Redemptores.
31. Explicatur cur addantur theſauro Eccleſiæ, vbi ſunt ſufficientes ſatisfactiones, Chriſti ſatisfactiones, etiam Sanctorum.
32. An dum per ſacramenta iuſtificamur, ſatisfactiones ſuperabundantes Sanctorum iuuent, & quomodo.
33. Quidnam ſit Indulgentia plenaria, quidve non plenaria, ſeu partialis.
34. Quonam modo diſtinguantur Indulgentia plenaria, & Iubilæum; & quid addat Iubilæum ſupra plenariam.
35. Quid nam velint Pontifices, dum concedentes indulgentiam plenariam, addunt tot dies, vel quadragenas Indulgentiæ.
36. Quid conceditur, quando ſub iſta forma indulgetur de pœnitentijs iniunctis.
37. An per Indulgentias, vel Iubilæum, liberetur homo à pœnitentijs iniunctis à Confeſſario, quæ ſunt medicinales? & quæ nam iſtæ ſint.
38. An per Indulgentiam de pœnitentijs iniunctis, vel aliam, eximatur homo à ſatisfactione pœnitentiæ habitæ à Sacerdote in confeſſione.
39. Quidnam requiratur, vt pœnitens tuta conſcientia poſſit omittere pœnitentiam habitam in confeſſione ſi Indulgentiam conſequatur.
40. Explicatur quod conſultius ſit, non relinquere pœnitentiam à Sacerdote impoſitam, etiamſi acquiratur Indulgentia.
41. An pœnitens multis grauatus pœnitentijs, poſſit exonerari à Confeſſario, illi iniungendo, vt accipiat Indulgentiam.
42. An poſſit concedi Indulgentia, vel Iubilæum, abſque vlla pœnitentia.
43. An pœnitens peccet, ſi poſt acceptatam pœnitentiam ſacramentalem, illam non adimpleat, & Indulgentiam conſequatur.
44. Explicatur melius eſſe Confeſſarium iniungere pœnitenti, loco vniuſcuiuſque pœnitentiæ non adimpletæ aliquam leniſſimam pro ſingulis.
45. Quidnam concedatur à R. P. dum conceditur Indulgentia vnius carena.
46. Quidnam intelligatur per Indulgentiam vnius quadragenæ, vel ſeptenæ.
47. Quid ſit Indulgentia tertiæ, aut quartæ partis peccatorum, vel mille, aut bis mille annorum.
48. Titulo dubitationis à principio reſpondetur.
49. An ille, de quo in præced. aſſertione, maneat ſaltem abſolutus à non reſeruatis.
50. An intendens adimplere conditiones Iubilæi, ſi confiteatur caſus reſeruatos, remaneat abſolutus, ſi poſt abſolutionem mutet voluntatem adimplendi conditiones Iubilæi.
51. An vota, quæ commutantur tempore Iubilæi; remaneant benè commutata, ſi poſtea pœnitens non adimpleat conditiones Iubilæi.
52. An abſolutus à reſeruatis, vel accipiens commutationem votorum, peccet mortaliter, mutando voluntatem ſi non adimpleat neceſſaria ad conſequendum Iubilæum.
53. An qui confeſſus eſt reſeruata tempore Iubilæi, ſi poſtea non adimpleat conditiones, & oblitus ſit alicuius reſeruati, poſſit ab hoc abſolui à quolibet Sacerdote.
54. An qui tempore Iubilæi non eſt confeſſus, quia non habet mortalia, ſi poſtea recordetur alicuius caſus, vel cenſuræ reſeruatæ, remaneat immunis à reſeruatione.
55. An vota debita tempore Iubilæi poſſint commutari tranſacto Iubilæo.
56. An qui adimpleuit conditiones Iubilæi, poſſit petere commutationem votorum ante Iubilæum emiſſorum, etiamſi tunc memor noluerit vota commutare.
57. An qui tempore Iubilæi oblitus eſt votorum, & Iubilæum ſibi non comparauit, poſſit tranſacto Iubilæo votorum commutationem petere.
58. An ad acquirendum Iubilæum teneatur confiteri venialia, qui non habet mortalia.
59. An faciens omnia requiſita ad lucrandam Indulgentiam, ſi faciat confeſſionem informem, & tranſacto Iubilæo faciat confeſſionem formatam, vel habeat contritionem, conſequatur Indulgentiam.
60. An exiſtens in peccato poſſit accipere Indulgentiam, pro peccatis ſibi aliàs dimiſſis.
61. An qui virtute Iubilæi abſolutus eſt à reſeruatis, ſi obliuiſcatur alicuius reſeruati, poſſit poſtea ab eo abſolui à Confeſſario habente tantùm facultatem communem.
62. An qui tempore Iubilæi abſolutus eſt à caſibus reſeruatis, & cenſuris, ſi tempore Iubilæi in eadem labatur, poſſit abſolui.
63. An ille, qui diſtulit communionem in ſecunda hebdomada Confeſſario concedente, poſſit abſolui à reſeruatis ſi ante peractam communionem in illa inciderit, vel vota commutarit.
64. Idem inquiritur, ſi Confeſſarius pœnitenti illi conceſſerit, rationabili de cauſa, vt communicet in tertia hebdomada, vel in alia extra finitum tempus Iubilæi.
65. An ad conſecutionem Iubilæi neceſſarium ſit, omnia opera adimplere vna, & eadem hebdomada; & liceat communicare in die Dominico.
66. An qui intra vnam hebdomadam expleuit requiſita ad aſſequendum Iubilæum, ex negligentia tamen fecerit confeſſionem informem, ſed validam, ſi poſtea contritus orauerit ſecundùm intentionem concedentis, lucretur Iubilæum.
67. An qui tempore Iubilæi Anni ſancti, in peccato mortali adimpleuit viſitationes Eccleſiarum, ſi poſtea anno durante benè confiteatur, licet in Patriam ſit reuerſus, conſequatur Iubilæum Anni ſancti.
68. An qui poſt confeſſionem, & communionem incidit in mortale, vt conſequatur Iubilæum, teneatur denuò confiteri.
69. An qui in confeſſione oblitus eſt mortalis, teneatur, ad adquirendum Iubilæum, iterum confiteri, vt fructum Iubilæi conſequatur.
70. An qui in peccato mortali ſacram Euchariſtiam ſuſcipit, ſatisfaciat Iubilæo, ſi poſtea conteratur.

71. Rationi

71. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicatur, an abſolutus vi Iubilæi à reſeruatis, vel à cenſuris, maneat abſolutus, ſi poſtea mutet voluntatem adimplendi neceſſaria ad conſequutionem Iubilæi.*

I. *Pars negatiua probatur.*

QVòd ſcilicet non directè, ſed tantùm indirectè remaneat abſolutus cum obligatione, ſi poſtea non lucretur Iubilæum iterum confitendi peccata reſeruata habenti ſuper illa iuriſdictionem. nam actus, qui fiunt ſub conditione ſaltem tacita, & virtuali, non ſortiuntur effectum conditione non adimpleta, ſed abſolutio à reſeruatis tempore Iubilæi tacitam, & virtualem habet conditionem, ſi poſtea Iubilæus obtineatur; ergo abſolutus à reſeruatis tempore Iubilæi, ſi poſtea non præſtat cætera, quæ ad Iubilæi conſequutionem præſcribuntur, tantùm indirectè abſoluitur à reſeruatis cum onere iterum confitendi reſeruata habenti ſuper illa iuriſdictionem: ſic Angles *part. 1. in floribus, quæſt. de confeſſione, difficult. 4. art. 5.* occaſione huius difficultatis, quæ in tractatu *de ſacramento Pœnitentiæ*, à DD. tractari ſolet aliqua de indulgentia plenaria, ſeu Iubilæo, in quo concedi ſolet facultas abſoluendi à caſibus reſeruatis, breuiter dicemus.

Dvbitatio I.

II. *Quidnam ſit Indulgentia, & an per Indulgentiam remittatur culpa mortalis?*

Dico primò, Indulgentia eſt remiſſio, ſeu relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus iam dimiſſis, conceſſa homini exiſtenti in gratia à Prælato per applicationem theſauri Eccleſiaſtici: videatur D. Thom. 3. *part. in addit. q. 25. art. 1.* Sotus *in 4. diſt. 21. quæſt. 1. art. 2.*

Dico ſecundò, Indulgentia dicitur relaxatio pœnæ. quia homo per Indulgentias abſoluitur à pœna, quam pro peccatis luere in Purgatorio deberet cùm remiſſa culpa per contritionem, ſeu per ſacramentum Pœnitentiæ, regulariter non remittatur tota pœna. Vel dicitur, Indulgentia eſt remiſſio pœnæ. quia per Indulgentias non remittitur per ſe culpa mortalis, aut venialis, ſed pœna. Aliàs enim ſi per Indulgentias remitterentur peccata, præcipuè lethalia, ſequeretur Indulgentiam eſſe ſacramentum remittens ex opere operato peccata lethalia, quod non eſt admittendum.

Dvbitatio II.

III. *Quidnam ſibi velit Eccleſia quando concedens Indulgentiam plenariam, addit, cum tertia, vel quarta parte peccatorum, vel à tota pœna, & culpa?*

Dico tertiò, quando verò ab Eccleſia conceditur Indulgentia plenaria, & adiungitur cum tertia parte peccatorum, vel quarta parte, & aliquando à tota pœna, & culpa, tunc per culpam, ſeu tantùm partem peccatorum intelligere poſſumus venialia ipſa. nam per opus ipſum, quod in Indulgentia ab homine exhibetur, nimirum per orationem Dominicam, aut eleemoſynam, aut quid ſimile cum ipſa indulgentia remittuntur venialia omnia, aut tantam partem ſignatam, quod opus per ſe extra conceſſionem Indulgentiæ factum non poterat facere tantam remiſſionem, etenim Eccleſia habet poteſtatem inſtituendi Sacramentalia in remiſſionem venialium culparum; ergo poteſt inſtituere opus illud exhibitum in conſequutione Indulgentiæ ab ipſa ſignatum, vt quoddam ſacramentale potens in ſe remittere venialia. Vnde ſicut deuotio, quæ adhibetur in ſumptione aquæ benedictæ, aut benedictionis Epiſcopalis, remittit venialia, ratione ipſius ſacramentalis ab Eccleſia inſtituti; ſic opus ab homine exhibitum in conſequutione Indulgentiæ poteſt quaſi quoddam ſacramentale ordinari ab Eccleſia ad remiſſionem culparum venialium: quod fit quando ab Eccleſia conceditur Indulgentia plenaria, & adiungitur cum tertia parte peccatorum, vel quarta parte, vel à tota pœna, & culpa: videatur D. Antoninus 1. *part. tit. 10. cap. 3. §. 1.* Toletus *in ſumma lib. 6. cap. 24. num. 2.*

Dico quartò, poteſt etiam ſenſus eſſe, quando in aliquibus formis Indulgentiarum dicitur fieri condonationem à culpa, & à pœna, vt habetur *in Clementina prima, de Indulgentijs*, per huiuſmodi Indulgentiam concedi facultatem eligendi Confeſſarium, qui abſolutionem impendat à quolibet peccato. Imò tripliciter dici poteſt Indulgentia pœnæ, & culpæ præſuppoſitiuè, id eſt, per præcedentem confeſſionem, finaliter, id eſt, vt ea lucrata ſuccedat mors, & homo ampliùs non peccet, vel concomitanter. quia ſcilicet datur facultas eligendi Confeſſarium, qui abſoluat à culpa. Ita bene Syl. *verb. Indulgentia, num. 24.* Valentia *tom. 4. diſput. 7. quæſt. 20. de Indulgentijs, puncto 3. §. Aduertendum hic eſt.*

Dvbitatio III.

IV. *An per Indulgentiam remittatur culpa venialis?*

Dico quintò, clariùs explicans aſſertionem tertiam, quando in formis Indulgentiarum dicitur fieri condonationem à pœna, & à culpa, non intelligitur à culpa mortali, circa quam Eccleſia nihil poteſt, niſi mediante ſacramentali confeſſione, ſed à veniali. quia ad remiſſionem venialium poteſt Eccleſia inſtituere Sacramentalia, vt aquæ benedictæ ſumptionem, aut generalis confeſſionis recitationem; ergo poteſt Indulgentiam ſic concedere, vt opus pium ad eam lucrandam requiſitum ſit ſacramentale ad culpæ venialis remiſſionem, quæ, teſte ſacro Conc. Trid. *ſeſſ. 14. c. 5. de pœnit.* ſine ſacramento fieri poteſt.

Dvbitatio IV.

V. *An Indulgentia ſit relaxatio pœnæ æternæ, vel tantùm temporalis?*

Dico ſextò, Indulgentia eſt relaxatio pœnæ temporalis. quia per Indulgentias non remittitur pœna æterna, ſed temporalis. nam pœna æterna debetur peccatis mortalibus nondum deletis; ſed per Indulgentias non delentur peccata mortalia. ergo ſequitur per Indulgentias non deleri pœnam æternam, cuius reatus tandiu remanet, quandiu peccatum non deletur quoad culpam.

Dvbitatio V.

VI. *An per Indulgentias remittantur pœnæ debitæ peccatis nedum actualibus, ſed etiam originali?*

Dico ſeptimò, Indulgentia eſt relaxatio pœnæ temporalis, debitæ pro peccatis actualibus. quia

per Indulgentias remittitur pœna debita peccato actuali, non autem originali. nam pœna peccato originali debita eſt pœna damni, id eſt, carentia diuinæ viſionis, quæ non remittitur per Indulgentiam, per quam ſola pœna ſenſus aufertur. Tum, quia peccatum originale non niſi per Baptiſmum in re, vel in voto ſuſceptum remittitur, per quem omnis culpa, & omnis pœna condonatur.

Dvbitatio VI.

VII. *An per Indulgentias remittantur pœna debitæ, peccatis non dimiſſis?*

Dico octauò, Indulgentia eſt relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus iam dimiſſis. quia pro mortalibus non dimiſſis, nemo poteſt Indulgentiam lucrari. nam illis nundum deletis per contritionem, vel per ſacramentum Pœnitentiæ, debetur pœna æterna, quæ per Indulgentiam non remittitur. Tum, quia qui habet ſolùm peccata venialia nondum remiſſa, non poteſt remiſſionem pœnæ illorum peccatorum obtinere, donec peccata quoad culpam deleantur. nam, vt habetur *in Extrauag. vnigenitus, de pœnit. & remiſſ* pœna non remittitur, niſi deleta culpa, in qua fundatur.

Dvbitatio VII.

VIII. *An Indulgentia proſit homini exiſtenti in peccato mortali?*

Dico nonò, Indulgentia eſt relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus iam dimiſſis homini exiſtenti in gratia. quia Indulgentia non prodeſt homini exiſtenti in peccato mortali, non ſolùm pro remiſſione pœnæ debitæ tali peccato mortali, in quo modò exiſtit, ſed nec etiam pro remiſſione pœnæ debitæ aliis peccatis mortalibus, & venialibus aliàs iam dimiſſis. nam homo exiſtens in peccato mortali, eſt inimicus Dei, & dignus pœna æterna; ergo indignus eſt huiuſmodi remiſſione. quia paſſio Chriſti, & ſatisfactiones Sanctorum, quorum virtute Indulgentiæ conceduntur, viuis membris, & non mortuis applicantur.

Dvbitatio VIII.

IX. *An homo quantumuis iuſtus, niſi ſit Prælatus, poſſit concedere Indulgentias?*

Dico decimò, ponitur in deſcriptione Indulgentiæ, quòd Indulgentia conceditur à Prælato. quia Indulgentia non à quolibet concedi poteſt, ſed ab eo, qui ſolùm poteſtatem habet illam concedendi, qualem habent Prælati Eccleſiæ, iuxta illud Matth. 16. *quodcumque ſolueris ſuper terram.* Tum, quia theſaurus Eccleſiæ non dependet à voluntate hominis priuati, ſed à voluntate legitimi Prælati, ad quem theſauri diſtributio ſpectat. Tum, quia licèt homo iuſtus poſſit pro ſe ipſo, vel pro aliis ſatisfacere, applicando ſibi, vel aliis ſatisfactionem ſui operis pœnalis. nam applicatio propriæ ſatisfactionis dependet à propria ipſius ſatisfactoris voluntate, theſauri tamen Eccleſiæ diſpenſatio pertinet ad legitimos Eccleſiæ Prælatos. Ita benè annotauit Sotus *in 4. diſt.* 21. *queſt.* 1. *art.* 4.

Dvbitatio IX.

X. *An relaxatio pœnæ debitæ pro peccatis dimiſſis, fiat merè gratis per Indulgentiam?*

Dico vndecimò, apponitur in deſcriptione Indulgentiæ illa altera particula, *per applicationem theſauri Eccleſiæ.* quia relaxatio pœnæ debitæ, &c. non fit gratis, ſed per ſolutionem ex alienis operibus pœnalibus Chriſti Domini, & Sanctorum compenſantem debitum pœnæ nobis debitæ. Sicuti ſi ciui priuato ſoluturo pecuniarum debitum, Princeps ex ærario publico tribueret vnde poſſet ſoluere, ita Romanus Pontifex diſpenſat per Indulgentias de theſauro Eccleſiæ vt Deo ſatisfaciamus pro pœnis debitis, peccatis noſtris iam dimiſſis. Pro maiori explicatione eorum, quæ dicta ſunt,

Dvbitatio X.

XI. *Quidnam ſit Theſaurus Eccleſiæ?*

Dico duodecimò, Eccleſiæ theſaurus nihil aliud eſt, quàm collectio, ſeu cumulus diuitiarum ſpiritualium, ex ſuperabundantia paſſionum, & ſatisfactionum Chriſti Domini, Beatiſſimæ V. & Sanctorum ac bonorum operum cæterorum fidelium à primo iuſto Abel, vſque ad nouiſſimum iuſtum, coadunatum in mente, & acceptatione diuina diſpenſandum per Prælatos in Eccleſia militanti pro exoluendis debitis Chriſti fidelium.

Dvbitatio XI.

XII. *An omne opus bonum factum in gratia, ſit meritorium, & ſatisfactorium?*

Dico decimotertiò, omne opus bonum factum ab exiſtente in gratia eſſe meritorium, & ſatisfactorium. meritorium quidem ea ratione, qua eſt bonum, & quis meretur pro illo augmentum gratiæ, & beatitudinem: ſatisfactorium autem quatenus eſt pœnale, & per illud quis patitur aliquam pœnam. quia omnis actus virtutis quantumuis ſuauis, eſt laborioſus, & difficilis, virtus enim circa difficilia verſatur, vt ait Ariſt. *lib.* 5. *Eth. cap.* 3. nam conſtare debet ex integra cauſa, ſecundùm D. Dionyſ. *cap.* 4. *de diuinis nominibus,* & ſubinde ex obſeruantia omnium circumſtantiarum, quæ ſine aliquo labore, cura, & difficultate non fit; ergo ex hoc reſpectu opus bonum pœnale eſt affligens animam, licèt alio, vel alio conſoletur, & recreetur. Videatur D. Thom. 1. 2. *q.* 114. *art.* 6. *& in* 4. *diſt.* 15. *q.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 3. *ad* 3.

Dvbitatio XII.

XIII. *An opus bonum hominis iuſti tranſeat in alteram perſonam, quoad ſatisfactionem?*

Dico decimoquartò, opus bonum hominis iuſti vt meritorium, quoad præmium eſſentiale gloriæ, & augmenti gratiæ de condigno non tranſit niſi in perſonam merentis. quia præmium eſſentiale gloriæ & augmenti gratiæ eſt effectus proprius operis meritorij, quatenus ex Spiritus ſancti gratia proficiſcitur, qui non debetur niſi perſonæ merenti, & per conſequens non poteſt aliis communicari. Nullus enim poteſt alteri mereri æternam felicitatem, neque augmentum gratiæ de condigno niſi Chriſtus Dominus, qui

Digitized by Google

qoi ſibi,& omnibus aliis meruit,quia illi data eſt gratia capitis, & vniuerſalia, quæob ſui eminentiam in alios tanquam in membra deriuatur: at cæteris partialis dumtaxat gratia confertur,& obid tantùm pro ſe ipſis mereri poſſunt de condigno præmium eſſentiale, & augmentum gratiæ. Videatur D.Thom. 1.2. *quæſt.114.art.6.*

Dico decimoquintò, opus verò bonum hominis exiſtentis in gratia,vt ſatisfactorium eſt,benè tranſit in aliam perſonam etiam de condigno. quia poteſt vnus homo exiſtens in gratia abſqoe vllo ſui præmij diſpendio, & de condigno ſatiafacere pro alio, dummodo vterque ſit in gratia,remiſſio enim pœnæ debitæ eſt actus amicitiæ, ideo non conceditur inimico. S.Thom. *in 4.diſt.20.quæſt.1.art.2.quæſtiunc.3.*

Dvbitatio XIII.

XIV. ***An opera ſatisfactoria hominis iuſti, ſemper ſortiantur ſuum effectum?***

Dico decimoſextò, opera ſatisfactoria hominis iuſti aliquando ſortiuntur ſuum effectum, vt quando homo iuſtus egebat talibus operibus ad ſatisfaciendum pro pœua debita propriis peccatis, vel applicauit illa alteri, qui talibus operibus, & ſatisfactione indigebat; aliquando verò non ſunt ſortita ſuum effectum,quia ipſe Sanctus non egebat ſatisfactione, & illam non applicauir alteri, vel applicuit illi, qui non egebat, & tunc tale opus ſatisfactorium reponitur in theſauro Eccleſiæ. nam opus ſatisfactorium ſortitur ſoum effectum, quando ipſe iuſtus indiget ſatisfactione pro remiſſione pœnæ ſibi debitæ pro peccatis dimiſſis, vel ipſe illud applicat indigenti. quia communicatio bonorom ſpiritualium quoad vim ſatisfactoriam reqoirit ſpecialem intentionem, & applicationem eioa, qui communicat illa bona ſatisfactoria alteri. Videatur Nugnus *tom.2. in 3.part. in addit.quæſt.25.art.1. difficult.2. §.Deinde notandum eſt.*

Dvbitatio XIV.

XV. ***An opera ſatisfactoria hominis iuſti, vt alteri proſint, debeant illi ſpecialiter applicari?***

Dico decimoſeptimò, magis explicans quod dixi in proximè præcedenti aſſerto, communio bonorum operum quoad vim, & meritum ſatisfactorium requirit ſpecialem intentionem, & applicationem eius, qui communicat tale bonum ſatisfactotiom alteri, ita quòd niſi illi ſpecialiter applicetur talis ſatisfactio, vel ſit illi receptus ad participandum de ſatisfactionibus alicuius perſonæ, ſeu communitatis, non proderunt ei talia bona ſatisfactoria pro ſuis peccatis. quia aliàs ſequeretur quòd quicumque exiſtens in charitate immunis eſſet ab omni pœna, propter infinitatem theſauri Eccleſiæ, quæ communicatur per ſacramenta, vel propter communionem Sanctorum ratione charitatis, Suarez *tom.4. in 3. part. diſp.11. ſect.5. num.6.*

Dico decimooctauò, participatio ad merendum, ſeu potiùs per viam meriti de bonis alterius, non ſemper requirit ſpecialem intentionem, vel applicationem. nam poteſt valere meritum alterius alicui ratione vnionis, quæ ſit per charitatem, etiamſi ne ſpeciali intentione, & applicatione facientis directa ad ipſum participantem, iuxta illud, *Particeps ego ſum omnium timentium te*, Pſal.118.

Dvbitatio XV.

XVI. ***Quidnam acquiratur per participationem, vel communicationem bonorum operum alicuius perſonæ, vel communitatis?***

Dico decimononò, participatio ad merita non valet ad hoc vt ipſi participantes ex hoc immediatè ſine vllo bono opere, & diſpoſitione habeant gratiam gratum facientem, ſeu charitatem, ſeu augmentum gratiæ,& charitatis, ſed quia iuſti poſſunt mereri de congruo, & per bona opera impetrari, vt Deus peccatorem conuertat, auxilia illi præbendo, vt ſe ad iuſtificationem diſponat, vel ad augmentum maioris gratiæ. Valet ergo communicatio meritorum alicuius perſonæ, ſeu congregationis ad habendam à Deo gratiam conuerſionis, non quidem de condigno, ſed de congruo ad virtutom profectum, & ad præſeruationem à peccatis, à morte, & ab aliis malis ſpiritualibus,& corporalibus; ſicut per merita Abraham Dominus liberauit Loth, & propter merita iuſtorum patcit, & benefacit iniuſtis. Videatur Rodriquez *tom.1.qq.Reg.quæſt.33.art.3.*

Dvbitatio XVI.

XVII. ***Quidnam ſit, per priuilegium recipi ad beneficia alicuius Ordinis?***

Dico vigeſimò, hoc ipſo, quòd aliquis ſit peculiari modo membrum, vel ſocius alicuius Religionis, vt ſit per litteras, per quas ſecularibus benefactoribus applicantor à Prælatis Religionum ſuffragia ſubditorum, merita illius Religionis valent apud Dcrm. vt ratione illorum peculiari auxilio aliqua bona conferat perſonis ei coniunctis, etiamſi ad hunc finem talia bona meritoria actualiter, & directè oon referantur. nam ratio amicitiæ poſtulat vt propter amicos aliis eis coniunctis benefaciamus. etiam ipſis amicis nihil directè petentibus, & hic eſt effectus peculiaris admiſſionis, ſeu vnionis ad Religionem, ſeu communitatem aliquam, qui non pendet ex peculiari intentione ſingulorum operantium; ſed hoc ipſo, quòd aliquis ſit membrum, & acceptatur in ſocium talis Religionis, & appellatur talis modus participandi per modum meriti de congruo.

Dvbitatio XVII.

XVIII. ***An aliquis recipiens aliquem ad participationem ſuorum operum bonorum, pro ſe ipſo minus ſatisfaciat?***

Dico vigeſimoprimò, qui recipit alios ad participationem ſuorum bonorum operum, vt ſunt ſatisfactoria ſua opera, ei non ſunt minus vtilia quantum ad meritum, quia iſtud eſt proprium, & competit perſonę benè operanti, & ſecundùm illud quiſque remunerator. nam qui pro alio ſatisfacit, meretur ſibi præmium eſſentiale, & augmentum gratiæ, per illa opera ſatisfactoria applicat alteri ſi ipſe eſt in ſtatu gratiæ; quãtum verò ad remiſſionem pœnæ, ſunt ei minus vtilia opera illa ſatiafactoria, quia vt ſatisfactoria ſunt, proſunt ei, pro quo fiunt. Niſi fortè talis ſatisfactio eſſet maior, quàm exigerent peccata eius, pro quo quis ſatisfacit. nam tunc habet locum illud Dauidis, *Oratio mea in ſinu meo conuertetur*, Pſalm.34. vel fiet de illo ſuperfluo ſecundùm intentionem actualem, vel habitualem ſuffragantis.

Dvbitatio XVIII.

XIX. *An oratio valeat magis ſi applicetur vni, quàm pluribus?*

Dico vigeſimoſecundò, qui communicat orationes ſuas alteri, quatenus orationes ſunt, quoad vim impetratorium nullum patitur diſpendium ſpirituale aliis illas applicando, quia non minùs alicui prodeſt oratio propria ſi pro pluribus fiat. quia oratio ex parte noſtri fidei principaliter innititur, iuxta illud Marc. 11. *Quidquid orantes petitis credite, quia accipietis, & fiet vobis*; ex parte verò Dei innititur ſuæ miſericordiæ: ſed nec fides de vno petito minuit fidem de alio obtinendo, nec liberalitas diuina circa vnum minuitur ex largitione alterius; ergo oratio in quantum impetratoria, non minus ſi pro pluribus, quàm pro vno fiat, valet, ſed magis pro quanto ex maiori fiducia diuinæ largitatis, & ampliori charitate procedit: ſic benè Caiet. *tom. 2. opuſc. tract. 3. cap. 2. §. Et ad ſecundam partem*, quem ſequitur D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 2. de Indulgentijs in communi, quaeſt. 65.* licèt Azor. *part. 1. inſtit. moral. lib. 9. cap. 33. dub. 7.* oppoſitum tradiderit.

Dico vigeſimotertiò, fatemur tamen orationem quoad vim merendi, & ſatisfaciendi, finitum effectum habere, & eo minus ſatisfacere, quo ſe ad plures fundit. quia meritum hominis, & ſatisfactio ex orantis ſtudio, & affectu perpenduntur; ergo quoad vim merendi, & ſatisfaciendi, quo ad plures ſe extendit, eo minus meretur, & ſatisfacit. Quoad vim impetratoriam oratio ſecundùm ſe eſt infinita, & conſequenter poteſt pluribus æquè prodeſſe, ac vni. quia, vt dixi cum D. Caiet. nititur, vt ſic liberalitati, & miſericordiæ Dei, fieri enim poteſt vt Deus ſua miſericordia ita concedat id quod pro pluribus petitur, ac pro vno, & intuitu orationis alicuius iuſti plura, & plura bona concedat, non tamen vni quàm pluribus: quamuis Bonacina *tom. 1. tract. de Horis Canonicis, diſp. 1. q. 4. puncto 2. num.* 10. oppoſitum tenuerit.

Dvbitatio XIX.

XX. *An Prælati Religionum poſſint ſatisfactiones ſuorum ſubditorum alijs applicare?*

Dico vigeſimoquartò, Prælati Religionum poſſunt ſatisfactiones ſuorum ſubditorum ſuperabundantes aliis applicare, vt Generalis poteſt has ſatisfactiones ſubditorum totius Ordinis aliis applicare, Prouincialis totius ſuæ Prouinciæ, Prior localis ſubditorum ſui Conuentus, vbi præeſt. quia eo ipſo, quòd habet curam Congregationis ſuorum ſubditorum, habet auctoritatem diſpenſatiuam communium bonorum ſuperabundantium ipſorum de Congregatione. Videatur Sotus *in 4. diſt.* 21. *quaeſt.* 1. *art.* 4. *prope finem §. Poſtremum hic tamen.* Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quaeſt.* 33. *art.* 2.

Dico vigeſimoquintò, Regulariter tamen loquendo, Prælatus Religionis non poteſt aliis applicare opera bona ſatisfactoria, quæ quis eius ſubditus facit pro ſatisfactione neceſſaria ſuorum peccatorum. quia ex quo talia opera quoad vim ſatisfactoriam fiunt determinatè ab ipſo ſubdito pro ſe, non ſunt bona communia Religionis, ſeu Congregationis. ergo, &c. Tum, quia Prælatus non videtur eſſe illorum dominus niſi cum ſuperabundant. Tum, quia regulariter non poteſt Prælatus applicare, niſi eam, quæ cederent in theſaurum Eccleſiæ, ſi non applicarentur: ſed non cedunt in theſaurum Eccleſiæ, niſi ea quæ ſuperſunt facienti; ergo licèt ſubditus poſſit tollere à ſe ſibi neceſſaria, & alteri tribuere, cum quilibet poſſit cedere iuri proprio, non tamen iuri alterius: non tamen poteſt Prælatus id facere ſubdito inuito, quia non in omnibus bonis ſpiritualibus abſolutè ſubiicitur ſubditus Prælato, ſed in ſpiritualibus tantùm ſuperabundantibus: videatur Nugnus *tom. 2. in 3. part. in addit. quaeſt. 6. art. 1. difficult. vnica. §. Sit ſexta concluſio principalis.*

Dico vigeſimoſextò, rationabiliter mihi videtur quòd in caſu particulari, præſertim in aliqua graui neceſſitate, Prælatus poteſt applicare aliis tale bonum ſatisfactorium quo ipſe ſubditus eget; quia ſubditus licitè poteſt opus ſatisfactorium ſibi neceſſarium alteri applicare; ergo etiam Prælatus poteſt in aliqua graui neceſſitate præcipere ſubdito, vt opus bonum ſatisfactorium, etiamſi neceſſarium applicet alteri inſigni benefactori; præcipuè quia ſubditus non priuatur præmio eſſentiali, ſed tantùm quodam temporali ſubſidio, applicando illud opus bonum ſatisfactorium, vt ſatisfactorium eſt ex voluntate Prælati alicui inſigni benefactori. nam præmium eſſentiale bonorum operum hominis iuſti ipſi operanti debetur, cum vt ſic non transſeat in alios. Ita rationabiliter ſuſtinet Magiſter Sotus *in 4. diſt.* 21. *quaeſt. 1. art. 4. ad finem. § Nam cum ſubditus.*

Dvbitatio XX.

XXI. *Cuinam proſint opera ſatisfactoria Religioſi ſi ſubditus, & Prælatus alijs applicent illa?*

Dico vigeſimoſeptimò, ſi ſubditus ſua bona opera ſatisfactoria applicet vni quoad vim ſatisfactoriam, & Prælatus alteri, proſunt illi, cui ſubditus applicat primò. quia ſubditus ille eſt, qui tenet primum locum in ſuis ſatisfactionibus; ergo cui ille primò applicauerit, illi proderunt. Tum, quia Prælatus non videtur dominus actus merè interni principaliter dependentis à voluntate ſubditi applicantis ſatisfactiones ſuas: videatur Nugnus *tom. 2. in 3. part. in addit. quaeſt. 26. art. 2. difficult. vnica. §. Sit ſexta concluſio, verſic. Tantum eſt dubium.* Henriquez *lib. 9. cap.* 21. *num.* 6.

Dvbitatio XXI.

XXII. *An in applicatione operis ſatisfactorij ſufficiat intentio Prælati?*

Dico vigeſimooctauò, licèt ſubditus nulli applicaret ſuum opus ſatisfactorium ſibi ſuperabundans ex inaduertentia, vel culpabili negligentia: tunc ſola intentio Superioris non ſufficeret ad applicandum illud, quia Superior non habet poteſtatem immediatam in illud opus, ſed ſolùm in voluntatem, à qua procedit obligando illam. ergo quantumuis conetur, nunquam referet opus illud, vt opus humanum eſt ad ſatisfaciendum pro alio, vt ipſe Superior intendit illud opus applicare. requiritur ergo quòd ſubditus, cuius eſt opus ſatisfactorium, etiam applicet illud ſecundùm voluntatem Prælati, vt proſit ei cui Prælatus applicauit: & ideò malè faciunt Prælati ſi talia opera ſatisfactoria ſubditorum aliis applicant ſine eorum intentione. D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 1. de Indulgentijs quaeſt. 67. verſic. Reſpondeo*: ſufficit autem quòd ſubditi ſua opera ſatisfactoria generatim applicent Religioni, vel omnibus membris eius, vt hi, qui

vt

vt Fratres in Religionem per auctoritatem Prælati fuerunt aſſumpti, participent de illis bonis operibus ſatisfactoriis. Vide Laymann *tom. 2. lib. 5. tract. 7. cap. 4. §. Accedit ratio manifeſta, fine:* ſic benè annotauit Suarez *tom. 4. in 3. part. diſput. 55. ſect. 5. num.* 10. *verſic. Quin potiùs.*

DVBITATIO XXII.

XXIII. ***An ſi Prælatus applicet opus bonum ſubdati, ſubdito renuente, tale opus ipſi ſubdito proſit?***

Dico vigeſimononò, ſi Prælatus præcipiat ſubdito ſatisfacere pro aliquo inſigni benefactore, ſi ſubditus non vult pro illo ſatisfacere, quamuis malè faciat, quia in hoc tenetur, & debet obedire Superiori, vt docet Syl. *verb. Miſſa* 1. *num.* 12. Armilla 16. *num.* 36. tamen re vera non ſatisfacit pro illo, etiamſi opus ex ſe ſatisfactorium faciat; quia valor moralis talis operis ad ſatisfaciendum pro hoc, vel illo, pendet intrinſecè ex intentione ipſius operantis, quam non poteſt Superior ſupplere. Imò tale opus quatenus fit contra voluntatem Superioris, amittit bonitatem moralem, & conſequenter etiam ſatisfactorium valorem, ita vt nec illi proſit, cui vult Prælatus, neque ipſi operanti, aut alteri, cui ipſe donat.

DVBITATIO XXIII.

XXIV. ***An ſummo Pontifice, vel alio Prælato iubente Sacerdoti, vt Miſſam pro aliquo applicet, ſi iſte applicat alteri, cui nam valeat?***

Dico trigeſimò, conſequenter ſi iubet ſubdito Sacerdoti Superior, vel Epiſcopus, vel ſummus Pontifex, vt ſacrificium offerat pro tali defuncto, ſi ſubditus pro ſe, vel pro alio offerat, valebit ſacrificium pro illo, pro quo offert ipſe Miniſter Sacerdos, & non pro eo, cui Prælatus applicat: peccaret tamen ſubditus contra præceptum Prælati. Prima pars huius aſſerti probatur, quia applicatio ſacrificij Miſſæ eſt actus Ordinis; ergo non pendet à voluntate Prælati, ſed à libera voluntate celebrantis. ergo quantumuis Superior conetur hunc fructum alicui applicare, ſi tamen celebrans eum non applicet, Superior nihil efficiet, ſed valebit ſecũdùm voluntatem celebrantis. Tũ, quia ſi quis Parocho inuito baptizet, peccabit quidẽ mortaliter baptizans, Baptiſmus tamen tenet: ſimiliter ſi Epiſcopus præcipiat Parocho diſtrictè, & ſub pœna excommunicationis ne matrimonio aſſiſtat, nihilominus ſi Parochus contrauenit mandato Superioris, factum tenet; ergo ſimili modo Sacerdos ſubditus ſacrificando, ſi non applicat ſuam intentionem offerendo ſacrificium pro eo, cui Prælatus præcipit offerri deberi, ſi offerat pro alio, factum tenet, & Miſſa proderit illi, cui ſubditus applicat ſacrificium; licèt peccet contra Prælati præceptum, & ſic vtraque pars noſtræ aſſertionis remanet ſufficienter probata: & ita hanc aſſertionem docet Nugnus *loco cit. aſſertione* 27. Suarez *tom. 3. in 3. part. diſp. 79. ſect. 9. verſic. Alij nihilominus diſtinctione*, &c.

DVBITATIO XXIV.

XXV. ***An iuſtus cuius ſuperabundantes ſatisfactiones Eccleſiæ repoſuit, poſſit poſtea alijs applicare illas?***

Dico trigeſimoprimò, qui ſuas ſuperabundantes ſatisfactiones in theſauro Eccleſiæ repoſuit, non poteſt poſtea eas ſibi applicare poſtquam indiguerit; itaque ſi vir iuſtus multa præſtet opera ſatisfactoria, quibus modò ipſe non indiget, nec aliis illas ſuperabundantes ſatisfactiones applicet. Deinde incidat in peccatum mortale, illiúſque remiſſionem obtinuit, non poteſt ſatisfactiones antea præſtitas ſibi accipere, & applicare. quia ad ipſum non pertinet diſpenſatio theſauri Eccleſiæ, cùm ſit inferior Epiſcopo ſummo Pontifice. Tum, quia ſi eas poſſet ſibi applicare, poſſet etiam alteri applicare, cum ſit eadem ratio; ſed non poteſt aliis applicare ſatisfactiones in theſauro Eccleſiæ poſitas. ergo, &c. ſic optimè Nugnus obſeruauit *tom. 2. in 3. part. in addit. quæſt. 25. art. 1. difficult. 2. §. Sed maius dubium eſt.*

DVBITATIO XXV.

XXVI. ***An in theſauro Eccleſiæ reperiantur merita, & ſatisfactiones illorum, qui poſt bona opera ceciderunt, & manent in inferno?***

Dico trigeſimoſecundò, merita, & opera ſatisfactoria iuſtorum, quæ ſemel in theſauro Eccleſiæ ſunt recondita, deperdi non poſſunt, ſed ibi ſemper permanent, quamuis ille, qui fecit ea, ruat poſtea in peccatum mortale, & cum eo ex hac vita diſcedat; ex quo infertur etiam opera ſatisfactoria eorum, qui ſunt in inferno, in theſauro Eccleſiæ conſeruari, dummodo illa in gratia ſint facta. Ratio eſt, quia ratio ſatisfactionis, quæ prodeſt aliis propter impedimentum quod ipſi operanti poſtea aduenit, non poteſt nec debet infructuoſa reddi, cùm Deus nullum bonum irremuneratum relinquat: item, quia opera meritoria quoad præmium eſſentiale, etiamſi homo poſtea cadat in peccatum mortale, ſemper manent in acceptatione diuina, aliàs ſi homo reſurgat, reuiuiſcere non poſſent; ergo opera ſatisfactoria & meritoria de congruo ſemper in diuina acceptatione manebunt, & aliis prodeſſe poterunt. Tum, quia Eccleſia recipit libros canonicos conſcriptos ab his, qui ad inferos deſcenderunt, ſicut de Salomone tenet D. Auguſt. D. Thom. D. Cyrill. & multi alij; ergo nihil etiam repugnat, Eccleſiam ſatisfactiones eorum, qui poſtea ad infernum damnati ſunt, recipere, & retinere, vt communibus Eccleſiæ vſibus inſeruiant: videatur Viguerius noſter *cap. 16. § 4. verſic 9. fol. 477. mihi.* D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 2. de Indulgentijs in communi, quæſt.* 10. Henriquez *lib. 4 de pœnit. c. 16. num. 4. & lib. 7. de Indulgentijs, cap. 2. num. 3.*

XXVII. ***Explicatur quo nam modo opera ſatisfactoria damnatorum maneant in theſauro Eccleſiæ?***

Dico trigeſimotertiò, in operibus bonis iuſtorum quoſdam effectus reperiri omninò proprios, & quaſi inmanentes, qui non poſſunt aliis communicari, & huiuſmodi ſunt mereri ſibi præmium eſſentiale, vel augmentum gratiæ de condigno. Alij verò ſunt effectus talium bonorum operum, qui poſſunt in alios tranſire, huiuſmodi ſunt impetratio alicuius beneficij, vel auxilij diuini per vim impetrandi, & meriti de congruo, vel ſatisfaciendi pro pœna temporali alterius. Merita igitur, & opera ſatisfactoria recondita in theſauro Eccleſiæ, quamuis ille, qui fecit ea, ruat poſtea in peccatum mortale, & cum eo ex hac vita diſcedat, licèt non remaneant in acceptatione diuina quoad effectus proprios, puta quoad vim merendi

præmium

præmium eſſentiale. Remanent tamen quoad effectus qui in alios poſſunt tranſire, ſecundùm vim impetrandi, & meriti de congruo; quia ob illa membra Eccleſiæ recipiunt à Deo ſpecialia quædam auxilia, & de illis gaudent, & laudant Deum, vt nullum bonum remaneat irremuneratum, ſecundùm ea, quæ docet D.Thom. 3 *part. quæſt.* 89. *art.* 6. *ad tertium.* & ita hanc aſſertionem, & explicationem docere videntur Viguerius, & D.Henriquez *locis* nuper *adductis.*

Dubitatio XXVI.

XXVIII. *Ex quibúſnam meritis conficiatur Eccleſiæ theſaurus?*

Dico trigeſimoquartò, theſaurus Eccleſiæ conficitur nedum ex meritis infinitis, & ſatisfactionibus Chriſti Domini, ſed etiam ex ſatisfactionibus ſuperabundantibus Sanctorum, quibus ipſi non indiguerunt, nec aliis applicauerunt. Item etiam conficitur ex meritis Sanctorum ſub propria ratione meriti à ſatisfactione diſtincta. quia licèt merita iuſtorum quoad vim meritoriam de condigno, vt erant meritoria vitæ æternæ, & augmenti gratiæ, fuerunt præmiata in ipſis Sanctis, hoc enim meritum non tranſit niſi in perſonam merentis, eſt enim effectus omninò proprius, qui non poteſt communicari: nullus enim poteſt alteri mereri de condigno æternam felicitatem, niſi Chriſtus Dominus, quia illi data eſt gratia vniuerſalis, & capitis, gratia verò aliorum eſt particularis, vt docuit D.Thom. *part.* 1. *quæſt.* 114. *art.* 6. *&* 3 *part. quæſt* 8. *art.* 1. Accidentale tamen præmium, quòd iuſti per ſua bona opera de congruo meruerunt, non acceperunt. ergo ſub hac ratione reponitur in theſauro Eccleſiæ communicandum aliis, ne vt ſic remaneat irremuneratum. Tum, quia merita Sanctorum quatenus habent vim impetrandi aliquid merendo aliis, dici poſſunt ſub hac ratione ſuperabundantia, ſeu ſuperflua, quia ſufficientia ſunt ad impetrandum, & obtinendum à Deo ex prædicta ratione meriti plura beneficia, & auxilia, quæ fortaſſe de facto Deus non contulit aliis. ergo vt ſic repoſita ſunt in theſauro Eccleſiæ communicanda aliis, &c. Videatur Viguerius, & Henriquez *locis cit. aſſertione* 32. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 51. *ſect.* 2. *num.* 7.

Dubitatio XXVII.

XXIX. *An merita Sanctorum, repoſita in theſauro Eccleſiæ, ſub propria ratione meriti, à ſatisfactione diſtincta, nobis applicentur per Indulgentias?*

Dico trigeſimoquintò, merita iſta Sanctorum repoſita in theſauro Eccleſiæ ſub propria ratione meriti à ſatisfactione diſtincta non diſpenſantur nobis, ſeu meliùs, non applicantur nobis per Indulgentias. quia ſummus Pontifex, & alij Prælati habentes facultatem concedendi Indulgentias, illas non concedunt, niſi ad pœnæ remiſſionem; ergo per Indulgentias applicantur nobis ſatisfactiones ſuperabundantes Sanctorum vt ſatisfactoriæ ſunt, non autem merita Sanctorum ſub propria ratione meriti à ſatisfactione diſtincta.

Dico trigeſimoſextò, merita Sanctorum ſub propria ratione meriti à ſatisfactione diſtincta, repoſita in theſauro Eccleſiæ, applicantur nobis per modum meriti de congruo per orationes, quæ fundi poſſunt ab ipſiſmet Sanctis in cœlo exiſtentibus; quia Sancti vt nobis aliquod beneficium obtineant, ſua merita, & obſequia Deo interdum repræſentant. Item etiam id fit per noſtras priuatas orationes, aliquando per publicas totius Eccleſiæ poſtulationes dum à Deo poſtulamus vt propter Sanctorum merita bonum aliquod nobis conferat, & hoc modo merita Sanctorum ſub propria ratione meriti applicantur nobis per modum meriti de congruo, quia Deus intuitu talium meritorum concedit nobis aliqua bona beneficia, & auxilia. congruum enim eſt reſpectu meriti Sanctorum conferre nobis Deum talia bona.

Dico trigeſimoſeptimò, ſatisfactiones verò ſuperabundantes Sanctorum, quibus ipſi non indiguerunt, nec aliis applicauerunt, repoſitæ in theſauro Eccleſiæ nobis per Indulgentias applicantur, non vt aliquid, cuius intuitu Deus ob merita infinita Chriſti Domini, nobis relaxet debitam pœnam pro peccatis dimiſſis, ſed verè, & propriè nobis applicantur per Indulgentias, vt iuſtæ ſolutiones, ob quas Deus de iuſtitia nobis pœnas debitas pro peccatis dimiſſis relaxet, quia verè, & propriè liberant nos à reatu pœnæ remanentis poſt remiſſam culpam per ſacramentum. Tum, quia Indulgentiæ non operantur per modum impetrationis, aut meriti de congruo, ſed per modum abſolutionis ex poteſtate clauium, quæ eſt in Eccleſia; ergo ſatisfactiones ſuperabundantes Sanctorum per Indulgentias nobis applicantur, non vt aliquid, cuius intuitu, &c.

Dubitatio XXVIII.

XXX. *An Sancti poſsint dici noſtri Redemptores?*

Dico trigeſimooctauò, ex aſſerto præcedenti non ſequitur Sanctos poſſe dici propriè noſtros eſſe Redemptores quia vt aliquis dicatur propriè, & abſolutè noſter Redemptor, oportet quòd per ſatisfactionem valentem de rigore iuſtitiæ nos expiet à ſeruitute peccati, tam quoad culpam, quam quoad pœnam, & hoc eſt proprium Chriſti Domini, teſte Apoſtolo 1. Corinth. 1. *factus eſt nobis iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio.* liberare autem à reatu pœnæ remanentes poſt remiſſam culpam per ſacramentum, non eſt redimere propriè, & ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, & ſic nullum eſt inconueniens, ſi ſancti viri Redemptores noſtri aliquo modo ſecundùm aliquid, non ſimpliciter, eſſe dicantur.

Dubitatio XXIX.

XXXI. *Cur addantur theſauro Eccleſiæ, vbi ſunt ſufficientes Chriſti ſatisfactiones, etiam Sanctorum ſatisfactiones?*

Dico trigeſimononò, meritis, & ſatisfactionibus Chriſti Domini in theſauro Eccleſiæ non ideo adiunguntur merita, & ſatisfactiones Sanctorum, quia illa per ſe non ſufficiunt, ſed adiunguntur ne ea, quæ illis ſuperfuerunt, remaneant coram Deo infructuoſa. quia ſicut Deus habens virtutem infinitam, atque adeò potens producere effectus ſine cauſis ſecundis, & nihilominus vult aſſumere cauſas ſecundas, quæ verè operentur, ita ſimiliter licèt theſaurus Eccleſiæ conſtans ex meritis, & ſatisfactionibus Chriſti Domini, ſit infinitus, atque adeò ex illo ſufficientiſſimè poſſint concedi Indulgentiæ pro omnibus pœnis debitis peccatis dimiſſis, licèt eſſent infinitæ, voluit tamen Deus, quòd etiam concederentur Indulgentiæ ex ſatisfactionibus Sanctorum, licèt finitæ ad illos honorandos, & ne manerent coram Deo infructuoſæ,

&

& vt membra aſſimilarentur ſuo capiti Chriſto Domino, qui pro aliis ſatisfecit: videatur Nugnus noſter *tom.2. in 3. part. quaſt.25. art.1. difficult.2. verſic. ad primam confirmationem.*

Dvbitatio XXX.

XXXII. *An dum per ſacramenta iuſtificamur, ſatisfactiones ſuperabundantes Sanctorum iuuent, & quomodo?*

Dico quadrageſimò, pro peccati tamen mortalis remiſſione, & æternæ pœnæ ſatisfactione homini attrito ſacramentum recipienti ſola Chriſti Domini ſatisfactio, & meritum applicatur. quia cùm ſacramenta ſint Eccleſiæ fundamenta, in eis ſolus Chriſti Domini ſanguis operatur, tantúmque in eius meritis & ſatisfactionibus nituntur, vt virtutem operandi habeant. ergo cùm per ſacramentum Pœnitentiæ confertur gratia Iuſtificans peccatori attrito, & pœna æterna commutatur in temporalem, ſola ſatisfactio, & meritum Chriſti Domini applicatur. Tum, quia ſolus Ieſus Chriſtus meruit aliis de condigno gratiam iuſtificantem, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ; ergo ſola ſatisfactio Chriſti Domini, & eiuſdem meritum infinitum nobis applicatur dum per ſacramenta iuſtificamur, vel augmentum gratiæ recipimus. Sancti verò non concurrunt niſi per modum exempli, exhortationis, & deprecationis, vt effectus ſacramenti ſit in nobis efficax abſque impedimento. Ita præclarè S. Doctor Thomas Aquinas 3. *part. queſt.*48. *art.* 5. præcipuè *ſolutione ad* 3. Caietanus *ibi* §. *Solutione ad* 3. quos ſequitur Henriquez *ſumma lib.7. de Indulgent. cap.2. n.5. littera E.*

Dvbitatio XXXI.

XXXIII. *Quidnam ſit Indulgentia plenaria, quidve non plenaria, ſeu partialis?*

Dico quadrageſimoprimò, indolgentia per quam nobis applicantur merita, & ſatisfactiones Chriſti Domini, & Sanctorum, eſt vel plenaria, vel non plenaria, ſeu partialis. Plenaria, ſeu totalis eſt illa, quæ per ſe totum reatum pœnæ tollit, qui poſt culpam remiſſam fortè remanſit. dixi *per ſe*, quia per accidens fieri poteſt, quòd indulgentia plenaria totum reatum pœnæ non remittat, puta quando cauſa concedendi talem indulgentiam non eſt ſufficiens ad plenariam indulgentiam concedendam: vel quia com concomitanti peccato veniali, de quo non conteritur ſaltem virtualiter, acquiritur indulgentia: nam tunc pœna illi veniali ad quod habetur complacentia, correſpondens nequaquam tollitur: partialis verò, ſeu non plenaria indulgentia eſt illa, qua per ſe pars tantùm pœnæ remittitur, vt eſt indulgentia 40. dierum, vnius anni, centum, aut centum millium annorum.

Dvbitatio XXXII.

XXXIV. *Quónam modo diſtinguantur indulgentia plenaria, & Iubilaum, & quid addat Iubilaum ſupra plenariam?*

Dico quadrageſimoſecundò, quoad rationem indulgentiæ nulla eſt diſtinctio inter indulgentiam plenariam, pleniſſimam, & Iubilæum, niſi quædam accidentalis ratione adiunctorum, quia in Iubilæo concedi ſolet facultas eligendi Confeſſarium, qui à caſibus etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis abſoluat, ac vota commutet, quæ non datur in indulgentiis plenariis: videatur Sotus *in 4. diſt.21. quaſt.2. art.1. §. Prater hac.* Paludanus verò *in 4. diſt.20. quaſt.*4. affirmat indulgentiam plenariam eſſe qua relaxatur omnis pœna mortalium tantùm, & quòd plenior indulgentia ſit illa, qua relaxantur pœnæ debitæ mortalibus, & venialibus iam dimiſſis. Pleniſſima tandem eſt illa, qua non ſolùm relaxatur pœna mortalium & venialium, ſed etiam ipſa culpa venialis, & in hac pleniſſima poteſt verificari illud, quod dicitur, abſolutio à culpa, & pœna, ſcilicet à tota pœna, & culpa veniali eo modo, quo explicauimus *aſſertione* 5. Iubilæum verò addit quaſdam ſolemnitates, & quia in Iubilæo ſolet concedi maior poteſtas abſoluendi à caſibus, & cenſuris reſeruatis commutandi vota, & interdum diſpenſandi ſuper rebus malè poſſeſſis, quarum veri domini ignorantur: at communior eſt opinio Magiſtri Soti inter DD. nullam ſcilicet dari diſtinctionem quoad rationem indulgentiæ inter indulgentiam plenariam, pleniorem, pleniſſimam, & Iubilæum, niſi quamdam accidentalem ratione adiunctorum. Vnde quoad rationem indulgentiæ ſolo nomine differunt.

Dvbitatio XXXIII.

XXXV. *Quidnam velint Pontifices, dum concedentes indulgentiam plenariam, addunt tot dies, vel quadragenas indulgentia?*

Dico quadrageſimotertiò, quando Pontifices vltra indulgentiam plenariam concedunt tot dies, vel tot quadragenas, vel ſeptenas de indulgentia, id fieri ad cautelam, vt ſi cauſa ob quam conceditur indulgentia, non ſit verè ſufficiens ad indulgentiæ plenariæ conceſſionem, ſaltem is, cui talis Indulgentia conceditur, lucretur illos dies, vel quadragenas: videatur Rodriquez *tom.2. qq. Reg. quaſt.*85. *art.*3.

Dvbitatio XXXIV.

XXXVI. *Quòd conceditur, quando ſub iſta forma indulgetur de pœnitentijs iniunctis?*

Dico quadrageſimoquartò, quando conceditur indulgentia plenaria de pœnitentiis iniunctis, talis indulgentia eſt plenaria, & totalis, quæ ſcilicet totum per ſe pœnæ reatum tollit, qui poſt culpam remiſſam fortè remanſit. quia illa particula *de iniunctis*, non eſt reſtrictiua, ſed magis amplificatiua indulgentiæ, vt ſcilicet intelligatur habere effectum, etiam in cauſis iam judicatis, id eſt, non ſolùm quoad pœnam Purgatorij, verùm etiam quoad pœnitentias ſacramentales; vel intelligenda eſt illa particula *de pœnitentijs iniunctis*, vel à ſacris canonibus, vel à diuina iuſtitia in Purgatorio iniungendis. Tum, quia vbi maius cõceditur, etiã minus conceſſum eſſe videtur. *c. ex parte 27. de decimis*, quæ regula in iis locum habet, quæ eiuſdem generis ſunt. At maius eſt remittere pœnitentias à Sacerdote iniunctas, quippe non diuino tantùm iure, ſed humano etiam præcepto debitas, & determinatas: minor autem remiſſio eſt, ſi nulla pœnitentia Sacerdotis imperio exoluenda reſtet; ergo indulgentia data de iniunctis, extendenda etiam videtur ad non iniunctas; ergo particula illa in conceſſione indulgentiarum addita, *de pœnitentijs iniunctis*, non debet cenſeri reſtrictiua; ſed potiùs ampliatiua, vt ſenſus

ſit etiam de non iniunctis. Tum, quia ſi alicui conceditur priuilegium abſoluendi à peccatis reſeruatis, per benignam interpretationem ſupplendum eſt, vt ſenſus ſit etiam à non reſeruatis. Tum, quia aliàs indulgentiæ non haberent magnam vtilitatem. Nam pœnitentiæ, quæ pro peccatis iniungi ſolent, exiguæ ſunt, & ſæpe tantùm loco medicinæ, ſeu curationis peccatorum imperatæ, & ita hanc ſententiam docet noſter Palud. *in 4. diſt. 20. quæſt. 4. art. 1.* Albertus magnus *in 4. diſt 20. art. 17. ad 5.* Hos ſequitur Laiman *tom. 2. lib. 5. tract. 7. cap. 3. §. At verò ſpectata conſuetudine.* Durandus tamen *in 4. diſt. 20. quæſt. 4. n. 9.* Henriquez *lib. 7. de indulgentijs, cap. 6. num. 2.* tenent oppoſitum, ſi in Bulla, vel canone expreſſa mentio fiat, pœnitentiarum iniunctarum non eſſe conceſſionem extendendam ad pœnitentias iniungendas iudicio Dei in Purgatorio, ſpectata tamen conſuetudine quæ nunc in Eccleſia viget verior eſt prior ſententia indulgentias de pœnitentiis iniunctis ad omnes pœnas etiam non iniunctas ſe extendere.

Dvbitatio XXXV.

XXXVII. *An per indulgentias, vel Iubilæum, liberetur homo à pœnitentijs iniunctis à Confeſſario, quæ ſunt medicinales? & quænam iſtæ ſint?*

Dico quadragesimoquintò, per indulgentias, ſeu Iubilæum non liberatur homo à pœnitentiis ſibi iniunctis à Confeſſario, quæ ſunt medicinales & præſeruatiuæ futurorum peccatorum. quia neque indulgentiæ, neque Iubilæum moderantur paſſiones, nec malos habitus extirpant, nec peccati occaſiones tollunt. Tum, quia indulgentiæ, & Iubilæum non dantur in deſtructionem, ſed in ædificationem animæ: ſed ſi tolleretur pœnitentia curatiua peccati, eſſet inducere animam in interitum damnationis; ergo pœnitentia medicinalis, &c.

Dico quadrageſimoſextò, pœnitentiæ præſeruatiuæ à peccatis præcipuè ſunt, dimiſſio concubinæ, depoſitio officij, quod ſine peccato exerceri nequit, dimiſſio conuerſationis, qua prudens Confeſſor credit in mortale peccatum lapſurum pœnitentem, ſi illam non deſerat, reſtitutio alieni, odij mortalis depoſitio: hæ pœnitentiæ vt ſunt neceſſariò imponendæ, nec abſoluendi pœnitentes ſi ipſas non acceptent, ita per indulgentias ſuppleri non poſſunt; quia habent rationem ſolius medicinæ: videatur Beia *part. 1. caſuum, caſu 28.* Diſſidium tamen eſt inter DD. de pœnitentiis, quæ ſunt ſatisfactoriæ, quæ non ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad ſacramentum, ſed quo ad quantitatem, & qualitatem arbitrariæ, quæ primò, & principaliter à Sacerdote imponuntur pro remittenda pœna, quæ poſt peccatum confeſſum remanet, licèt ſint ſecundariò præſeruatiuæ, veluti ieiunium quod eſt medicina contra carnis concupiſcentias, & eleemoſyna contra auaritiam: an hæ poſſint per indulgentias relaxari, & pœnitens ſuſcipiendo indulgentias deobligatus remaneat ad talem pœnitentiam iniunctam ſoluendam.

Dvbitatio XXXVI.

XXXVIII. *An per indulgentiam de pœnitentijs iniunctis, vel aliam, eximatur homo à ſatisfactione pœnitentiæ habita à Sacerdote, in confeſſione?*

Dico quadrageſimoſeptimò, per nullam, quantumuis amplam, & plenariam indulgentiam, etiamſi concedatur expreſsè de pœnitentiis iniunctis deobligatur pœnitens à pœnitentia perſoluenda ſibi à Sacerdote iniuncta in confeſſione. quia aliàs truncaretur ſacramentum Pœnitentiæ quadam ſui integrali parte, qualis eſt nimirum iure diuino ſatisfactio ipſius pœnitentis, vt eſt declaratum in Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. de pœnitent. cap. 3.* Tum, quia ex communi ſenſu, & vſu Eccleſiæ in pleniſſimis etiam indulgentiis Confeſſarius ſalutarem pœnitentiam pœnitenti iniungit, & pœnitens eam negligere non ſolet, immò expreſsè ab ipſis Pontificibus ſolet tunc etiam exprimi, quòd ſalutaris pœnitentia confitentibus imponatur. Tum, quia nemini eſt infallibiliter certum ſe reuera conſequi beneficium indulgentiæ. ergo propter integritatem ſacramenti tenetur pœnitens pœnitentiam acceptare, & illam exequi, vt ſe liberet à reatu pœnæ ſibi debitæ poſt peccatum dimiſſum: & ita hanc ſententiam tenere videtur Nugnus *tom. 2. in 3. part. in addit quæſt. 25. art. 1. quæſt. 3. poſt 4. concluſionem, §. Ad quod poſſemus primò, verſic. ſecundò verò reſpondetur*, & eam docet expreſsè Valentia *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 20. punct. 3. §. ſunt autem circa hanc indulgentia.*

Dico quadrageſimooctauò, ſatis etiam probabiliter dici poteſt quòd pœnitens poſtquam acceptauit pœnitentiam in punitionem ſuorum peccatorum ſibi à Sacerdote iniunctam, poteſt poſtea aduenientem indulgentia liberari ab illa ſoluenda, & eximere ſe ab omni opere pro pœna ſuorum peccatorum iniuncto. quia opus illud quod præcipitur in indulgentia, habet locum pœnitentiæ, & ſic efficitur ſacramentum integrum. Tum, quia ipſa Indulgentia quæ conceditur, gerit vices omnium pœnitentiarum iniunctarum. Tum, quia *in cap. cùm ex eo, de pœnitent. & remiſſ.* dicitur per indulgentias pœnitentias iniunctas eneruari: tum, quia quamuis pœnitens à pœnitentia quam acceptauit, liberari nequeat, licèt per alium illam adimpleat, ſi id fit auctoritate priuata, poteſt tamen ſi id fiat auctoritate publica, vt fit per conceſſionem indulgentiarum: nam per has non modò de iuſtitia ſoluit omnem pœnam cui erat obnoxius ex Chriſti Domini, & Sanctorum meritis, & ſatisfactionibus, ſed etiam per poteſtatem clauium miſericorditer à debito, in quo erat, de pœnitentia iniuncta, aut iniungenda perſoluenda abſoluitur: pœnitens ergo cui Confeſſarius impoſuit in pœnitentiam, diſciplinam, e.g. ieiunium, eleemoſynam, vel ſimilia alia opera exercenda, ſi indulgentiam conſequatur, non tenetur poſtea illas ſubire pœnas: ſic benè Syl. *verb. indulgentia num. 23. q. 9.* Nugnus hanc aſſertionem tuetur tanquam probabilem *loco citato, & eadem quæſt. art. 3. difficul. 1. poſt primam concl verſ. vltimò prob.* & illam docet expreſsè Toletan. *ſumma lib. 6. cap. 23. num. 3.* Coninchus *diſp. 12. de indulgent. dub. 3. num. 21.*

Dvbitatio XXXVII.

XXXIX. *Quidnam requiratur, vt pœnitens tuta conſcientia poſſit omittere pœnitentiam, habitam in confeſſione, ſi indulgentiam conſequatur?*

Dico quadrageſimononò, vt pœnitens tuta conſcientia omittere poſſit pœnitentiam ſibi iniunctam à Sacerdote in confeſſione, ſi indulgentiam conſequatur, ſufficit quòd ſibi de inualiditate confeſſionis non conſtet, & bona fide ipſe putet eſſe validam, & fuiſſe in gratia tempore effectus

indulgentiæ

indulgentiæ. quia certò, & infallibiliter nemo ſcit an odio, vel amore dignus ſit; ergo ſufficit, quòd bona fide, &c. Videatur D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 3. de Iubilæo anni ſancti, quæſt. 68. fine.*

Dico quinquageſimò, clariùs explicans, quæ dicta ſunt, pœnitens, cui in pœnitentiam à Sacerdote, e.g. impoſitum fuit vt per annum ſingulis diebus ſacratiſſimum Roſarium recitaret, ſi poſtea conceſſa indulgentia plenaria à R. P. omnia peragit pro illa conſequenda, ab iniuncta illa pœnitentia liber remanet. quia, vt diximus, ipſa indulgentia gerit vices omnium pœnitentiarum iniunctarum: neque Confeſſor poteſt illum cogere ad peragendam illam pœnitentiam; quia iam pœnæ peccatis debitæ plenè ſatisfecit, & illud opus quod præcipitur in indulgentia, habet locum pœnitentiæ iniunctæ, & ſic efficitur ſacramentum integrum: vt benè Nugnus docet *loc. cit. quæſt. 3. poſt quartam concluſionem. §. Ad quod poſſemus primò.* Videatur Ludouicus Beia *part. 1. caſuum, caſu 38. ad finem. §. Quo fit vt.*

XL. *Explicatur quòd conſultius, ſit non relinquere pænitentiam à Sacerdote impoſitam, etiamſi acquiratur indulgentia?*

Dico quinquageſimoprimò, conſultiſſimum tamen eſt ſemper totam pœnitentiam ſacramentalem iniunctam à Sacerdote implere. quia nemo eſt omninò certus an re vera conſequutus eſt indulgentiam. Tum, quia per illa opera pœnitentiæ ſacramentalis in ſtatu gratiæ facta conſequitur homo augmentum gratiæ, & gloriæ, per ſolam verò indulgentiam pœnæ temporalis remiſſio fit: plus autem valet vnus gradus gratiæ, quàm magna pœnæ remiſſio.

Dvbitatio XXXVIII.

XLI. *An pænitens multis grauatus pænitentijs, poſſit exonerari à Confeſſario, illi iniungendo vt accipiat indulgentiam?*

Dico quinquageſimoſecundò, pœnitens grauatus multis ſacramentalibus pœnitentiis, ſi de illis conqueritur, poteſt Confeſtarius illas commutare, imponendo pœnitenti aliquid loco cuiuſcumque confeſſionis, vt omnes illæ integræ reddantur, licèt in multa minori quantitate, quàm à principio fuerint illæ aliæ pœnitentiæ iniunctæ, præcipiendo pœnitenti, vt alicuius indulgentiæ ſe participem reddat. nam ad hoc vtilis eſt indulgentia, vt nimis grauatus pœnitentiis iniunctis, liberetur à tanto onere, ne ſuccumbat, vt benè obſeruauit Henriquez *lib. 7. de Indulg. cap. 9. num. 2.* Cauſa autem idonea, & ſufficiens commutandi pœnitentias, eſt quando pœnitens difficile implère poteſt, vel ex fragilitate ſubeſt periculum vel non implendi, vel malè implendi. Henriquez *lib. 7. de Indulg. c. 17. n. 1.* Videatur pro hac aſſertione Nugnus *tom. 1. in 3. part. in addit. q. 15. art. 2. diffic. 3. poſt quartam concluſionem. §. Ad quod poſſemus, verſic. Secundo verò.* Laymann *tom. 2. lib. 5. tract. 7. c. 3. §. At verò ſpectata, ad finem.*

Dvbitatio XXXIX.

XLII. *An poſſit concedi indulgentia, vel Iubilæum, abſque vlla pænitentia?*

Dico quinquageſimotertiò, in omnium opinione, quando conceditur indulgentia, vel Iubilæum pœnitentibus, ſemper eſt imponenda aliqua pœnitentia;

licèt multo minor, quàm imponeretur ſi non eſſet indulgentia, vel Iubilæum præter id, quod in ipſo Iubilæo imponitur. quia cùm talis indulgentia, vel Iubilæum concedatur media confeſſione, debet fieri confeſſio ſecundùm ſuum proprium modum, atque adeò, quòd imponatur aliqua ſacramentalis pœnitentia: tum, quia indulgentia, vel Iubilæum non tollit poteſtatem Confeſſario, ne pœnitentiam taxet, & imponat, ſed ſolùm taxatam, & acceptatam relaxat, & remittit: ergo in confeſſione, quæ fit in Iubilæo, poteſt, & debet Confeſſarius iniungere aliquam pœnitentiam: videatur Nugnus *in fine diffic. 3. cit.*

Dvbitatio XL.

XLIII. *An pænitens peccet, ſi poſt acceptatam pænitentiam ſacramentalem, illam non adimplet, & indulgentiam conſequitur?*

Dico quinquageſimoquartò, pœnitens acceptando pœnitentiam ſibi impoſitam in ſacramentali confeſſione, ſi poſtea indulgentiam conſequatur, non peccat, quia ſuis promiſſis non ſtat ſi poſt conſequutionẽ indulgentiæ pœnitentiam acceptatam, & iniunctam non adimplet. quia ſub hac conditione virtuali, quæ ſemper in ſacramentali iniuncta pœnitentia intelligitur, ſe obligauit ad illã exequẽdam, ſi ab alia Superiori poteſtate per applicationem theſauri Eccleſiæ nõ deobligetur: veluti qui promittit ſoluere decẽ ſcuta Antonio ex ſuis bonis, nõ diceretur fregiſſe promiſſum, ſi ſoluat ex bonis à publico ærario ſibi ad hunc finem datis. nam vera ſatisfactio fit aut per id, quod imponitur, aut per id, quod eſt æquiualens, vel maius, vt fit per indulgentias plenarias: tum, quia opus illud, & diligentia, quæ apponitur ad lucrandam indulgẽtiam, gerit vices ſacramentalis iniunctę pœnitentiæ ex diſpoſitione ſummi Pontificis, ergo pœnitens non peccat, lucrando indulgentiam, ſi non adimplet pœnitentiam ſibi iniunctam, cùm aliquid loco pœnitentiæ æquiualens, imò maius, ex diſpenſatione ſummi Pontificis efficiat. Ita benè, & quidem probabiliter, obſeruauit Nugnus noſter, egregius Thomiſta, *loco* nuperrimè *adducto*, Beia *part. 1. caſuum, caſu 38. §. Reſpondetur indulgentiarum conceſſionem.* Sed iuxta ea, quæ diximus *aſſertione quadrageſima ſeptima,*

XLIV. *Explicatur melius eſſe, Confeſſarium iniungere pænitenti, loco vniuſcuiuſque pænitentia non adimpleta, aliquam leuiſſimam pænitentiam.*

Dico quinquageſimoquintò, melius, & ſecurius eſſe quòd ab ipſo Confeſſario annumerentur omnes illæ pœnitentiæ non adimpletæ in aliis confeſſionibus iniunctæ, & loco vniuſcuiuſque aliqua leuiſſima pœnitentia apponatur, vt ſacramenta reddantur integra. nam imponere, & commutare pœnitentiam ſacramentalem, eſt actus iudicij, quod fit à Sacerdote in ipſa ſacramentali confeſſione; ergo ad iudicem qui eſt Confeſſarius, ſpectat illam imponere, & commutare: videatur Nugnus, & Valentia *locis adductis aſſerto* 47. Paludanus *in 4. diſtinctione* 20. *quæſt. 4. art. 2.*

Dvbitatio XLI.

XLV. *Quidnam concedatur à R.P. dum conceditur indulgentia vnius catenæ?*

Dico quinquageſimoſextò, cùm conceditur à R.P. indulgen

dulgentia plenaria, tunc remittitur pœna peccatorum mortalium, & venialium remiſſorum, ita vt nec vlla in hoc ſæculo, nec in Purgatorio maneat ſoluenda pro illis; quando verò dicitur concedi indulgentiam tot dierum, vel tot annorum, ſenſus eſt tantùm pœnæ in Purgatorio debitæ remitti tunc, quantum remitti poſſet per tot dierum, vel annorum iuſtam pœnitentiam in hac vita peractam, vt rectè declarauit Sotus *in 4. diſt. 21. quæſt. 2. art. 1.* Item indulgentia vnius carenæ eſt relaxatio tantæ pœnæ, quanta redempta fuiſſet per pœnitentiam 40. dierum in ieiunio panis, & aquæ, & per pœnitentiam etiam aliam ſeptem annorum ſequentium: iſti tamen quadraginta dies ſtrictiſſimæ pœnitentiæ includebantur in annis ſeptem ſequentibus, ſicuti quando conceditur indulgentia tot annorum cum quadragenis, quadragenæ non debet computari extra tempus annorum conceſſorum, ſed continentur in illis tot annis indulgentiæ conceſſis.

Dvbitatio XLII.

XLVI. *Quidnam intelligatur per indulgentiam vnius quadragena, vel ſeptena?*

Item indulgentia vnius quadragenæ eſt relaxatio tantæ pœnæ, quanta fuiſſet redempta per pœnitentiam quadraginta dierum, erat aſperiſſima, & ſtrictiſſima pœnitentia, vt ſolo pane, & aqua, qui illam antiquitus peragebat, contenti eſſe deberent. Item indulgentia vnius ſeptenæ eſt relaxatio tantæ pœnæ, quanta fuiſſet redempta per pœnitentiam ſeptem annorum.

Dvbitatio XLIII.

XLVII *Quid ſit indulgentia tertia, aut quarta partis peccatorum, vel mille, aut bis mille annorum?*

Item quando conceditur indulgentia tertiæ, aut quartæ partis peccatorum, tunc intelligitur de remiſſione pœnæ debitæ pro tanta parte peccatorum, quanta ſignificatur in indulgentia: ſimiliter ſi conceditur indulgentia mille annorum, vel bis mille annorum, tunc remittitur pœna illa, quæ remitteretur ſi homo toto illo tempore ſecundùm Canones, aut ſecundùm Dei iuſtitiam pœnitentiam ageret: videatur Syl., *verb. Indulgentia*, præcipuè *num. 8.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 20. punct. 3. ad finem.* Lauorius *part. 2. de indulgentys, cap. 10. num. 36. & ſequent.* Tolet. *ſumma lib. 6. cap. 14.* His poſitis, & præmiſſis pro intelligentia tituli præſentis difficultatis,

XLVIII. *Titulo dubitationis à principio reſpondetur.*

Dico quinquageſimoſeptimò, qui in principio Iubilæi fraudulenter, & ſine animo exequendi opera iniuncta, caſus reſeruatos confitetur, non remanet abſolutus, ſi omnia requiſita ad conſequendum Iubilæum non adimplet. quia cùm priuilegia hæc, quæ conceduntur in Iubilæis abſoluendi à caſibus reſeruatis, & cenſuris, concedantur in ordine ad conſequendum Iubilæum, & per modum præparationis ad illum, vbi deeſt illius comparandi animus, nihil conceditur; ergo, &c. Ita benè Conradus noſter *tom. 1. q* 208.

Dvbitatio XLIV.

XLIX. *An ille, de quo in præcedenti aſſertione, maneat ſaltem abſolutus à non reſeruatis?*

Dico quinquageſimooctauò, qui tempore Iubilæi tali fraude vteretur, non eſſet legitimè confeſſus, nec abſolutus, nedum à reſeruatis, ſed neque etiam à non reſeruatis. quia talis confeſſio non eſſet integra, cùm taceretur iſta fraus; ergo inualida, & conſequenter iteranda: ſic Nauarrus *tomo 2. conſiliorum lib. 5. de pœnitent. & remiſſ. conſilio 19. num. 3.* D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 4. de Iubil. extraord. quæſt. 123.*

Dvbitatio XLV.

L. *An intendens adimplere conditiones Iubilæi, ſi confiteatur caſus reſeruatos, remaneat abſolutus, ſi poſt abſolutionem mutet voluntatem adimplendi conditiones Iubilæi?*

Dico quinquageſimonono, qui verè intendebat lucrari Iubilæum cum intentione, & animo adimplendi omnia requiſita ad conſequendum Iubilæum, & ſic fecit ſe abſoluere ab omnibus caſibus, & cenſuris reſeruatis, ſi poſtea mutata volontate non implet, quæ remanent adimplenda, puta non facit eleemoſynam, non ieiunat, &c. hic licèt non conſequatur indulgentiam plenariam, remanet tamen verè abſolutus à caſibus, & cenſuris reſeruatis. quia quamuis abſolutio impartita fuerit in ordine ad futuram Iubilæi conſequutionem, at non pendet ab ea, vt à conditione de futuro: ſic enim abſoluere nefas eſt. Tum, quia illa abſolutio à caſibus, & cenſuris reſeruatis non eſt data ad reincidentiam, id enim Iubilæus non explicat, & ſolet Pontifex exprimere quando id intendit. ergo, &c. Tum, quia ſi pœnitens, qui verè intendit conſequi Iubilæum, & ſic abſoluitur à caſibus, & cenſuris reſeruatis, ſi morte præuentus poſt abſolutionem ſibi datam non adimplet omnia requiſita ad conſequutionem Iubilæi, iſte eſſet verè abſolutus, etiam quo ad reſeruata, & non per aliam abſolutionem. ergo illa abſolutio fuit valida, etiam quoad reſeruata. ergo cùm non ſit ad reincidentiam, valebit, etiam ſi non moriatur, quamuis omnia requiſita ad conſequutionem Iubilæi poſtea non adimpleat: & ita hanc aſſertionem docent Conradus Nauarrus, D. Bartholomæus à S. Fauſto *locis citatis.* Sanchez *lib. 4. in Decalogum, cap. 54. num. 44.*

Dvbitatio XLVI.

LI. *An vota, quæ commutantur tempore Iubilæi, remaneant benè commutata, ſi poſtea pœnitens non adimpleat conditiones Iubilæi?*

Dico ſexageſimò etiam vota commutata tempore Iubilæi non ampliùs redeunt, ſed manent benè commutata, licèt pœnitens poſtea non praſtet neceſſaria ad conſequutionem Iubilæi. quia tunc vota ſine conditione Iubilæi obtinendi fuerunt commutata, & prima obligatio ſublata eſt, & in aliam ſubrogata; ergo poſtea non reuiuiſcunt, etiamſi pœnitens non adimpleat ea, quæ in Iubilæo præcipiuntur. Tum, quia cenſuræ abſolutio tunc temporis data non reuiuiſcit; ergo ſimiliter nec vota reuiuiſcunt. Rodriquez *part. 1. ſumma, cap. 184. num. 15.* Sanchez *lib. 8. de matrim. diſput. 15. num. 22.* oppoſitum tamen docet Ludouicus Beia *part. 3. caſuum, caſu 22.*

Dvbitatio XLVII.

LII. *An abſolutus à reſeruatis, vel accipiens commutationem votorum, peccet mortaliter, mutando voluntatem ſi non adimpleat neceſſaria, ad conſequendum Iubilæum?*

Dico ſexageſimoprimò, qui animo, & intentione non adimplendi ea quæ imponuntur ad conſequutionem Iubilæi, ſi abſoluatur à reſeruatis, & votorum commutationem obtinuerit verè & propriè, non eſt abſolutus neque à reſeruatis, neque à non reſeruatis, vt diximus aſſertione quinquageſima octaua, quia peccauit grauiter decipiendo in re graui Sacerdotem fingendo ſe habere animum adimplendi, quæ apponuntur pro Iubilæi conſequutione, & verè intentionem talem non habuit: vt docet Nauarr. *loco adducto aſſertione* 58. Rodriquez nouiſſimè relatus. Grauiter tamen non delinquit, qui animo Iubilæi lucrandi fuit ab initio vigore illius abſolutus à reſeruatis, & votorum commutationem obtinuit, ſi poſtea ob negligentiam opera iniuncta ob lucrandum Iubilæum adimplere nolit: quia hic nihil promiſit, nec Confeſſarius obligationem aliquam illi impoſuit, nec Iubilæum, aut Pontifex talem obligationem requirit, nec ex natura rei tale pactum in ea actione includitur, ſatis eſt enim quòd pœnitens bona fide propoſitum habeat illud lucrandi. ergò ſententiam mutans lethaliter non peccat cum nullis promiſſis pacto, aut obligationi contrauenias. Venialiter tamen mihi deliquiſſe videtur: quia cùm ab initio animum Iubilæum lucrandi habuerit, ob negligentiam à bono propoſito, & recta intentione conſequendi illum recedit: videatur Henriquez *libro 6. de pœnitent. cap.16. num.6. fine.* Sanchez *lib.1. de matrimonio, diſput.43. num.9.* contra Coriolanum *de caſibus, part.1. ſect.3. art.17. num.3.* exiſtimantem hunc grauiter peccare.

Dvbitatio XLVIII.

LIII. *An qui confeſſus eſt reſeruata tempore Iubilæi, ſi poſtea non adimpleat conditiones, & oblitus ſit alicuius reſeruati, poſſit ab hoc abſolui à quolibet Sacerdote?*

Dico ſexageſimoſecundò, qui tempore Iubilæi abſoluitur à caſibus & cenſuris reſeruatis, antequam compleat reliqua opera, quæ diploma recipit, ſi obliuiſcitur alicuius caſus, vel cenſuræ, & deinde recuſat facere reliqua opera ad Iubilæum requiſita, talis ab illis peccatis reſeruatis oblitis poteſt à quocumque alio Sacerdote habente ſolùm facultatem communem, abſolui. quia per confeſſionem factam tempore Iubilæi habenti facultatem abſoluendi à reſeruatis omnia peccata remanſerunt non reſeruata. ergo hic poſtea poterit à quolibet Confeſſario approbato abſolui. Tum, quia hic fuit legitimè abſolutus, & in abſolutione fuerunt ei remiſſa non ſolùm peccata confeſſa, verùm etiam oblita. ergo obtinuit liberationem à reſeruatione oblitorum, quia iam vſus eſt priuilegio ſibi conceſſo. ergo licèt poſtea non lucretur indulgentiam, non propterea reincidit in reſeruationem. poterit ergo poſtea confiteri illa oblita cuilibet Confeſſori habenti facultatem communem abſoluendi à mortali: tum, quia Confeſſor abſoluens tempore Iubilæi directè à ſibi detectis, & indirectè ab oblitis, intendit omninò auferre reſeruationem cùm abſoluat quatenus poteſt, & re vera poteſt virtute Iubilæi auferre reſeruationem. ergo, &c. Ita Sanchez *lib.8. de matrimonio, diſput.15. num.1.* Coriolanus *loco cit. num. 4.* D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 4. de Iubilæo extraordinario, quæſtione 226.*

Dvbitatio XLIX.

LIV. *An qui tempore Iubilæi non eſt confeſſus, quia non habet mortalia, ſi poſtea recordetur alicuius caſus, vel cenſuræ reſeruata, remaneat immunis à reſeruatione?*

Dico ſexageſimotertiò, qui verò tempore Iubilæi non eſt confeſſus ex eo, quòd non habet mortalia, ſi poſtea recordetur alicuius caſus, vel cenſuræ reſeruatæ, non remanet immunis à reſeruatione. quia ad hoc exigitur, vt confeſſus fuerit, & obtinuerit abſolutionem, cum illa clauſula ſaltem implicita, *in quantum poſſum, & indiges*, &c. Tum, quia Iubilæum non aufert ipſo facto reſeruationem, ſed confert ius auferendi Confeſſario media abſolutione. ergo cùm tunc abſolutio non fuerit impenſa reſeruatio, non eſt ablata. Vide Sanchez *lib. 8. de matrimonio, diſput. 15. num. 21. ad finem.*

Dvbitatio L.

LV. *An vota debita tempore Iubilæi poſſint commutari tranſacto Iubilæo?*

Dico ſexageſimoquartò, probabile eſt etiam aſſerere, quòd tranſacto tempore Iubilæi poſſint commutari vota oblita ante illud emiſſa, nec tunc commutata. quia quamuis opera in Iubilæo præſcripta ad eum aſſequendum alligentur tempore deſignato in eo, ita vt eo tempore tranſacto fieri nequeant; at his factis conſequens Iubilæum comparat ſibi priuilegium vt abſoluatur ab omnibus reſeruatis, & vt commutentur ſibi vota vſque ad finem Iubilæi comparati emiſſa. ergo tranſacto Iubilæo conſequens illum poterit abſolui à reſeruatis commiſſis vſque ad finem Iubilæi, & ſimiliter poterit Confeſſarius illius vota oblita emiſſa vſque ad finem Iubilæi commutare. Ita tenet Henriquez *lib. 7. de Indulgentijs, cap. 11. num. 4.* Sanchez *lib. 4. oper. mor. cap. 54. num. 39.* oppoſitum tamen tenet Rodriquez *ſumma part. 1. c. 184. num. 18.*

Dvbitatio LI.

LVI. *An qui adimpleuit conditiones Iubilæi, poſſit petere commutationem votorum, ante Iubilæum emiſſorum, etiamſi tunc memor, noluerit vota commutare?*

Dico ſexageſimoquintò, rationabiliter etiam dicere poſſumus, quòd pœnitens ſi tempore Iubilæi memor voti emiſſi noluerit commutationem petere, integrum eſſe ei tranſacto Iubilæo eam petere etiam poſt annum ſi ipſe intra tempus Iubilæi opera ad Iubilæi conſequutionem præſcripta præſtitit, propter rationem allatam *aſſertione præcedenti.* quia hoc ipſo, quo debito tempore fecit opera ad Iubilæi conſequutionem neceſſaria, acquiſiuit priuilegium, quo

poſſint ſibi vota commutari, & hoc priuilegium non eſt certo tempori adſtrictum, vt colligitur ex tenore verborum Iubilæi. Tum, quia ſi Pontifex facienti aliquo certu die priuilegium aliquod indulgeat opus, alligatur quidem tempori ſignato à Papa, non autem priuilegium. Tum qoia in Bulla Cruciatæ ſexprimit Pontifex quòd finito anno ceſſant omnia eius priuilegia. ergo cùm in Iubilæo hoc non exprimat, ſignum eſt priuilegium conceſſum in Iubilæo non ceſſare illo tranſacto. Tum, quia cùm hoc priuilegium ſit abſque limitatione temporis conceſſum, videtur eſſe perpetuum; ergo quamuis tempore Iubilæi noloerit quis illo vti, poterit poſtea tranſacto Iubilæo, mutata voluntate eo vti: videatur Leſſ. *lib.2. de Iuſt.cap.40.dub.16.num.*109. Sanchez *lib.8.de matrim. diſp.15.num.17.& lib.4.in Decalogum, cap.54. num.40.& lib.8.de matrim.diſp.32.num.2.*

Dvbitatio LII.

LVII. *An qui tempore Iubilæi oblitus eſt votorum, & Iubilæum ſibi non comparauit, poſſit tranſacto Iubilæo commutationem votorum petere?*

Dico ſexageſimoſextò, vota verò oblita non poſſunt tranſacto Iubilæo verè non comparato ampliùs commutari. quia cùm ea non ſint verè ſublata, nec auferendi priuilegium ſit verè obtentum, nequibunt auferri. Non enim comparatur priuilegium poſt tranſactum Iubilæum commutandi vota ante Iubilæum emiſſa, niſi verè Iubilæum ſit comparatum. ergo omittens opera in Iubilæo præſcripta, non conſequitur Iubilæum, nec priuilegium poſt illum tranſactum commutandi vota ante illum emiſſa: quamuis vota iam ab initio commutata non reuiuiſcant ſi pœnitens tunc habuit animum præſtandi neceſſaria ad conſequendum Iubilæum, etiam ſi poſtea voluntariè omittat opera in Iubilæo præſcripta, vt diximus *aſſertione* 60. quia cùm abſolutè, & nulla appoſita conditione tunc illa votorum commutatio fuerit facta, ſtatim ſortitur effectum ſuum. ergo non eſt dicendum eam poſtea reuiuiſcere: videatur Sanchez *lib.4.oper.moral.cap.54.num.*51.

Dico ſexageſimoſeptimò, non obſtát contra præcedens immediatum aſſertum id quod diximus *aſſertione* 62. quòd ſcilicet pœnitens abſolutus à caſibus, & cenſuris reſeruatis, antequam compleat reliqua opera, quæ præcipit diploma, ſi obliuiſcitur alicuius caſus, vel cenſuræ reſeruatæ, & deinde requiſita opera ad conſequutionem Iubilæi recuſat adimplere, poſſit à quocumque alio Confeſſore abſolui, hoc, inquam, non officit contra immediatum noſtrum præcedens aſſertum: nam ideò poteſt talis pœnitens expleto Iubilæo à quolibet Confeſſore approbato abſolui à caſibus, & cenſuris reſeruatis tempore Iubilæi oblitis, quia obtinuit generalem abſolutionem, *in quantum poſſum, & indiges*, & Confeſſarius habuit intentionem ſaltem virtualem tollendi omnem excommunicationem, & reſeruationem, vt abſolutio ſacramentalis impenſa ſuum ſortiretur effectum, Cæterùm vouens non obtinuit generalem commutationem votorum; ergo non eſt eadem ratio de abſolutione peccatorum, & commutatione votorum, ergo niſi comparet ſibi priuilegium, adimplendo omnia, quæ in illo ſunt præſcripta, poſt tranſactum Iubilæum vota eius oblita non poterunt commutari niſi ab habente aliàs facultatem illa commutandi extra tempus Iubilæi.

Dvbitatio LIII.

LVIII. *An ad acquirendum Iubilæum teneatur confiteri venialia, qui non habet mortalia?*

Dico ſexageximooctauò, qui tempore Iubilæi omnia ad illius conſequutionem neceſſariò requiſita adimpleuit, non tamen eſt confeſſus eo, quòd præmiſſa ſufficienti conſcientiæ examine nullius peccati mortalis meminit, hic non lucratur Iubilæum, ſi aliàs non confitetur peccata venialia, ſi poſt vltimam ſuam confeſſionem non commiſit peccatum mortiferum. quia acquiſiturus indulgentiam, debet facere opus, & ſubire onus quod ad eam quærendam imponitur; ſed ad eam quærendam imponitur onus confitendi peccata; ergo etſi non teneatur iure communi confiteri peccata venialia, tenebitur tamen pro quærenda indulgentia iure particulari confiteri venialia, cùm confeſſio ſit vnum ex oneribus impoſitis ad lucrandam indulgentiam. Ita benè Rodriquez *ſumma cap.*184.*n.*12. Sanchez *lib.8.de matrim diſp* 15.*num.*19.

Dvbitatio LIV.

LIX. *An faciens omnia requiſita ad lucrandam indulgentiam, ſi faciat confeſſionem informem, & tranſacto Iubilæo faciat confeſſionem formatam, vel habeat contritionem, conſequatur indulgentiam?*

Dico ſexageſimononò, qui facit omnia quæ requiruntur ad lucrandam indulgentiam, & facit confeſſionem informem, exiſtimans ſe facere formatam, tranſacto poſtea tempore Iubilæi, ſi faciat confeſſionem formatam, vel habeat contritionem, homo in iſto caſu non conſequitur indulgentiam. quia indulgentia conceditur per applicationem theſauri Eccleſiæ, ſed applicatur theſaurus Eccleſiæ per indulgentiam pro illo tempore in ea determinato. ergo ſi tempore Iubilæi homo non eſt in gratia, tranſacto poſtea Iubilæo ſi per formatam confeſſionem, vel contritionem conſtituatur in ſtatu gratiæ, etiamſi tempore præſcripto fecerit omnia, quæ ſignantur in Iubilæo, non ideò conſequitur indulgentiam. Ita benè Nugnus noſter *tom.2.in 3.p.in addit. quæſt.27 art.1.difficult.vnica, §. Aliud dubium eſt.* oppoſitum tenuit Bonacina *tom.1.de ſacramentis, diſp.5.q.7. punct.5.num.8.ad finem.*

Dvbitatio LV.

LX. *An exiſtens in peccato poſſit accipere indulgentiam pro peccatis ſibi aliàs dimiſſis?*

Dico ſeptuageſimò, lethali peccato infectus non poteſt quærere indulgentiam, etiam pro peccatis ſibi aliàs dimiſſis. quia Chriſtus Dominus, & Sancti non videntur voluiſſe ſatisfacere pro membris aridis, & inimicia, licèt voluerint eos fieri priùs amicos, & membra viua, & poſtea eis applicari ſua merita. Nauarrus *de Iubilæo, notab.* 17. *num.* 2.3.*& notab.*18.*num.*9.

Dico ſeptuageſimoprimò, quamuis peccatur exiſtens in mortali, toto tempore Iubilæi, poſtea recedente fictione non lucretur indulgentiam: potuit tamen Summus Pontifex hoc concedere, quòd ſcilicet qui fecerit tempore Iubilæi opera

ſignata

ſignata, in illo conſequatur indulgentiã in tempore, in quo habuerit contritionem, quia tunc ſic concederetur indulgentia, itaque tunc contritio, vel confeſſio formata eſſet vltimum opus, ratione cuius homo conſequitur indulgentiam ſecundùm tenorem ipſius conceſſionis; indulgentia tamen ſub tali forma non conceſſa, ſed modo ordinario, non conſequitur effectum ſuum poſt elapſum tempus recedente fictione: videatur Nugnus *loco* nouiſſimè *adducto*, Suarez *tom.4.in 3.part.diſp.52.ſect.1.num.19.*

Dubitatio LVI.

LXI. *An qui virtute Iubilæi abſolutus eſt à reſeruatis, ſi obliuiſcatur alicuius reſeruati, poſſit poſtea ab eo abſolui à Confeſſario habente tantùm facultatem communem?*

Dico ſeptuageſimoſecundò, qui virtute Iubilæi abſolutionem obtinuit à Confeſſario approbato, ſed oblitus eſt alicuius peccati reſeruati, directè remanet abſolutus à reſeruatione peccati inculpabiliter obliti, & ſic non tenetur poſtea tranſacto tempore Iubilæi vt abſoluatur ab illo accedere ad Confeſſarium habentem facultatem abſoluendi à reſeruatis. nam per confeſſionem validam tempore Iubilæi remanet directè ablata omnis reſeruatio, quia Confeſſarius abſoluens virtute Iubilæi cenſetur abſoluere iuxta facultatem ſibi traditam, ſed habet vi Iubilæi facultatem auferendi omnem reſeruationem; ergo directè per abſolutionem ſacramentalem illam tollit: indirectè tamen talis pœnitens remaneret abſolutus à culpa, cui erat adnexa reſeruatio, & ſic tenebitur poſtea quando iterum confitetur ſi in mentem venerit peccatum illud oblitum aperire in confeſſione. quia abſolutio ſacramentalis reſpectu culpę directè cadit ſupra peccata confeſſa, & indirectè ſupra oblita remanebit. ergo obligatio ſi menti occurrerit peccatum etiam inuincibiliter oblitum denuò illud manifeſtandi in confeſſione cuicumque Confeſſario habenti facultatem communem: reſeruatio autem totaliter, & directè remanet vi illius abſolutionis oblata, neque mirum; quia etiam extra actum iudicialem ſacramentalis confeſſionis poteſt auferri.

Dubitatio LVII.

LXII. *An qui tempore Iubilæi abſolutus eſt à caſibus reſeruatis, & cenſuris, ſi tempore Iubilæi in eadem labatur, poſſit abſolui?*

Dico ſeptuageſimotertiò, qui ante tranſactam hebdomadam conceſſionis Iubilæi fuit abſolutus à caſibus, & cenſuris reſeruatis, ſi denuò in eadem labitur ante expleta opera in Iubilæo præſcripta, poteſt iterum eadem hebdomada ab illis abſolui. quia toto illo tempore, quo durat Iubilæum, & non ſunt expleta opera ibi præſcripta, durat etiam facultas abſoluendi à cenſuris, & caſibus reſeruatis. ergo reincidens in caſus, & cenſuras reſeruatas ante expleta opera in Iubilæo ſignata, &c. quando verò omnia opera in Iubilæo iniuncta ſunt expleta, non poteſt ſi relabatur, abſolui iterum à caſibus, & cenſuris reſeruatis, quia Romanus Pontifex tempore Iubilæi Confeſſariis facultatem largitur à peccatis, & cenſuris reſeruatis abſoluendi vt fideles Indulgentiam Iubilæam conſequantur; at in caſu noſtro hic ante expletam hebdomadam conſequutus eſt Iubilæum. ergo non poteſt ampliùs eo vti.

Dico ſeptuageſimoquartò, qui priori hebdomada expletis omnibus operibus in Iubilæo præſcriptis fuit à caſibus, & cenſuris reſeruatis abſolutus, ſi denuò in peccata, & cenſuras reſeruatas reincidat, non poteſt poſteriori hebdomada Iubilæum lucrari, & à prædictis abſolui, ſi iterum opera requiſita perficiat. quia forma Iubilæi apertè indicat illud ſemel tantùm obtineri poſſe, non enim conceditur copulatiuè vt in vna, & altera hebdomada comparari poſſit, nec indefinitè pro illa duplici hebdomada, ſed ſub forma diſiunctiua, in prima ſcilicet, aut ſecunda. ergo qui Iubilæum obtinuit, non poteſt iterum virtute Iubilæi à caſibus reſeruatis abſolui, quamuis nondum fuerit elapſum tempus Iubilæi: tum, quia finis talis gratiæ eſt obtinendi Iubilæum, ſed Iubilæum iam fuit obtentum, & iam ſortitus eſt ſuum effectum. ergo, &c. Sanchez *lib.4.in Decalogum, cap.54. num.300.* Oppoſitum tamen obtinuit Rodriquez *ſumma cap. 184. n.17.* Henriquez *lib.3. de pœnitentia, cap.16. num.3.* Nauarr. *in Iubileo, not.32. num.46. verſic. Circa hoc interregatur*, poſſe ſcilicet qui in prima hebdomada lucratus eſt Iubilæum, lucrari illud iterum in ſecunda, & à caſibus reſeruatis in quos incidit poſt primam confeſſionem, & acquiſitionem Iubilæi iterum abſolui, quod quidem eſt probabile propter grauiſſimorum virorum auctoritatem.

Dubitatio LVIII.

LXIII. *An ille, qui diſtulit communionem in ſecunda hebdomada, Confeſſario concedente poſſit abſolui à reſeruatis, ſi ante communionem peractam, in illa inciderit? vel vota commutari, ſi intra id tempus emiſerit?*

Dico ſeptuageſimoquintò, abſolutus vigore Iubilæi in prima hebdomada à peccatis reſeruatis, ſi extante rationabili cauſa Confeſſario concedente in ſecundam hebdomadam Iubilæi diſtulit communionem, ſi denuò durante tempore Iubilęi in peccata reſeruata ruat, & vota ſimiliter Sedi Apoſtolicæ reſeruata emittat, poteſt ab his peccatis reſeruatis iterum commiſſis abſolui, & vota de nouo emiſſa ſibi poſſunt commutari in ſecunda hebdomada antequam communicet: quia cùm nondum hic Iubilæum ſit conſequutus, adhuc priuilegium, quod per Iubilæum pœnitentibus impartitur abſoluendi à peccatis, & cenſuris reſeruatis, & commutandi vota, durat. ergo, &c. Videatur D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib.4. de Iubilæo extraordinario, quæſt.131.*

Dubitatio LIX.

LXIV. *Idem inquiritur ſi Confeſſarius pœnitenti illi conceſſerit rationabili de cauſa, vt communicet in tertia hebdomada, vel in alia, extra finitum tempus Iubilæi?*

Dico ſeptuageſimoſextò, pœnitens ſimiliter ſi poſt adimpleta opera præſcripta Iubilæi in prima, vel ſecunda hebdomada confeſſionem, vel communionem de conſenſu Confeſſarij diſtulit in aliud tempus extra finitum Iubilæum, poteſt in hoc caſu abſolui ab omnibus caſibus reſeruatis, & ſibi poſſunt commutari vota emiſſa infra ſecundam & primam hebdomadam

Iubilæi finito tempore Iubilæi, putà in alio die tertiæ hebdomadæ: quia tunc Confeſſor electus habet poteſtatem illum à caſibus, & cenſuris reſeruatis abſoluendi,& commutandi vota,ac ſi Iubilæi tempus nondum eſſet elapſum: videatur idem Doctor nuperrimè relatus *eodem loco quaſt.* 133. tamen Confeſſarius in caſu præcedentis aſſertionis non poſſet abſoluete à peccatis reſeruatis commiſſis poſt finitum tempus Iubilæi. Idem dicendum de votis emiſſis finito tempore Iubilæi.Ita benè notauit Sanctarell.*c.* 8.*de Iubilao.*

Dvbitatio LX.

LXV. *An ad conſequutionem Iubilai, neceſſarium ſit omnia opera adimplere vna, & eadem hebdomada? &, An liceat communicare in die Dominico?*

Dico ſeptuageſimoſeptimò, volens Iubilænm obtinere tenetur omnia opera, quæ in Bulla exiguntur, per ſe loquendo, vna eadémque hebdomada adimplere. Itaque qui in prima hebdomada ieiunauit, Eccleſias adiit, eleemoſynas dedit, & in ſecunda confeſſus eſt, vel ſacram Euchariſtiam ſumpſit, non lucratur Iubilæum, quia non licet vno, vel altero die vnius hebdomadæ ieiunate, tranſlato ſecundo, & tertio ieiunio in ſequentem hebdomadam; ergo neque licet aliqua opera adimplere in vna hebdomada, & alia in ſecunda: ſunt igitur adimplenda omnia opera requiſita in vna & eadem hebdomada: videator Sanchez *lib.* 4. *operum moralium, cap.* 54. *num.* 28. D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib.* 4. *de Iubilao extraordinario, quaſt.* 64. Dixi per ſe omnia opera præſcripta in Iubilæo debere adimpleri in vna hebdomada, vt quis conſequatur Iubilæam indulgentiam: nam, vt dixi *aſſertione* 75. & 76. per accidens extante aliqua rationabili cauſa poteſt Confeſſarius ordinare pœnitenti, vt aliquod opus ex præſcriptis in Iubilæu in ſecunda hebdomada adimpleat, & tunc illo vltimo opere completo conſequitur Iubilæum.

Dico ſeptuageſimooctauò, ſatis etiam probabiliter dicitur quòd ſi quis tempore Iubilæi prima hebdomada viſitat Eccleſias, ieiunat, eleemoſynam præbet, & die Dominico immediatè ſequenti confitetur peccata ſua,& communicat, conſequitur Iubilæum, quia ita vſu receptum videtur: videatur Bonacina *tom.* 1. *de Sacrament. diſp.* 6. *q.* 1. *punct.* 5. *n.* 34. Imò ſecundùm Rodriq. *ſumm. part.* 1. *c.* 184. *n* 14. & *n.* 19. lucratur Iubilæum ſi die ſequenti Lunæ ſacra communione reficiatur. Imò tenet Henriq. *lib.* 7. *de Indulgentijs, cap.* 10. *num* 8 *in commento lit.* S. quem ſequitur Rodriq. *num.* 19. *cit.* quòd fideles qui in ſecunda hebdomada Iubilæi adimpleuerunt opera præſcripta ad conſequutionem illius, poſſunt communicare etiam in alio die tertiæ hebdomadæ: verùm communis conceptus fidelium eſt debere fideles illa omnia præſtare duabus hebdomadis præſcriptis,& illis elapſis non comparari Iubilæum, niſi in Bulla aliter exprimeretur.

Dvbitatio LXI.

LXVI. *An qui intra vnam hebdomadam expleuit requiſita, ad aſſequendum Iubilæum, ex negligentia tamen fecerit confeſſionem informem, ſed validam, ſi poſtea contritus, orauerit ſecundùm intentionem concedentis, lucretur Iubilæum?*

Dico ſeptuageſimonono, fidelis, qui intra vnam hebdomadam Iubilæi expleuit omnia opera ſignata pro conſequutione Iubilæi, ſi ex aliqua ignorantia, & negligentia etiam culpabili tunc fuit abſolutus ſine fructu, dummodo confeſſio fuerit vera, licèt informis, & communicauit in peccato mortali, & tamen poſtea intra eandem hebdomadam fundens orationes pro intentione Iubilæi contritus redit ad cor, lucratur Iubilæum. quia vltimum opus ad conſequendum Iubilæum, nempè orationem ſecundùm intentionem concedentis Iubilæam indulgentiam impleuit in gratia. Ita Henriquez *lib.* 7. *de Indulgentijs, cap.* 11. *num.* 1. & *ſuprà lib.* 7. *de Indulgentijs, cap.* 9. *num.* 5. *fine.*

Dvbitatio LXII.

LXVII. *An qui tempore Iubilai Anni ſancti, in peccato mortali impleuit viſitationes Eccleſiarum, ſi poſtea anno durante benè confiteatur, licèt in patriam ſit reuerſus, conſequatur Iubilæum Anni ſancti?*

Dico octogeſimò, qui tempore Iubilæi anni ſancti in peccato mortali impleret viſitationes Eccleſiarum, ſi poſtea anno durante, qui incipit à primis veſperis Natiuitatis Domini, & in eiſdem incluſiuè reuoluto anno finitur confeſſus in Dei gratiam redierit, quamuis etiam in patriam fuiſſet reuerſus, conſequeretur talis fructum Iubilæi anni ſancti: nam in diplomate Iubilæi ſolùm videtur requiri, vt qui indulgentiam ibi conceſſam vult conſequi, tria præſtet, nempè vt ſit verus pœnitens, & legitimè confeſſus, & quòd viſitet Eccleſias quindecies, vel trigeſies; ergo licèt omnes viſitationes in ſtatu peccati mortalis expleuiſſet, & ſuam confeſſionem feciſſet informem, validam tamen, ſi intra annum ſuppleat hunc defectum, legitimè confitendo ſua peccata, fructum Iubilæi conſequetur. Ita Nauarr. *in tract. de Iubilao, not.* 32. *verb. Durante, num.* 37. quem ſequitur Sanctarellus *lib. variarum reſolut. quaſt.* 75. *num.* 38.

Dico octogeſimoprimò, magis explicans aſſertionem 80. ſi quis pro conſequutione indulgentiæ, & cuiuſque Iubilæi fecerit veram, & validam confeſſionem, ea ignorantia tamen informem, & communicauerit in peccato,& ſine fructu, ſerò tamen die Dominico antequam expiraret terminus Iubilæi per contritionem iuſtificaretur etiam ſi tempore præcedenti fuerit inimicus, & omnia opera requiſita perfecerit in peccato, vtique conſequeretur indulgentiam Iubilæam: quia illa contritio eſſet quaſi vltimum opus, & cùm iuſtificet pœnitentem adhuc durante tempore Iubilæi, erit ſufficiens, vt quis lucretur Iubilæum: videatur Henriquez *loco cit. lib.* 7. *de Indulgentijs, cap.* 9. *num.* 5. *fine.*

Dvbitatio LXIII.

LXVIII. *An qui poſt confeſſionem, & communionem incidit in mortale, vt conſequatur Iubilæum, teneatur denuò confiteri?*

Dico octogeſimoſecundò, qui poſtquam confeſſus fuit, & communicauit, ſi poſt communionem incidit in aliquod peccatum mortale, vt conſequatur Iubilæum, non tenetur iterum confiteri, ſed ſufficit, vt de illo peccato conteratur, & ſic durante tempore Iubilæi, cùm ſit in gratia, per contritionem lucrabitur

indul

indulgentiam Iubilæam. quia cùm talis homo, vt ſupponimus, adimpleuit omnia opera præſcripta in Iubilæo, & ex alia parte eſt in gratia per contritionem ſubſequentem, antequam expiret terminus Iubilæi; ergo conſequitur Iubilæam indulgentiam. Ita Nugnus *tom. 2. in 3. part. in addit. q. 27. art. 3. dub. 4.* Suarez tamen exiſtimat neceſſariam tunc eſſe confeſſionem ad conſequutionem Iubilæi, *tom. 4. in 3. p. diſp. 52. ſect. 3.*

Dubitatio LXIV.

LXIX. *An qui in confeſſione oblitus eſt mortalis, teneatur ad acquirendum Iubilæum confiteri iterum, vt fructum Iubilæi conſequatur?*

Dico octogeſimotertiò, ſimiliter recordatus alicuius peccati mortalis obliti, non tenetur iterum confiteri, ſi aliàs primò eſt confeſſus. nam cùm peccatum oblitum per confeſſionem anteactam fuerit indirectè remiſſum, ſolùm remanſit onus confitendi illud tempore opportuno; ergo conſequitur iſte Iubilæam indulgentiam, etiamſi iterum non confiteatur illud peccatum oblitum, ſi omnia alia opera intra terminum Iubilæi perfecerit, & ſit in ſtatu gratiæ. D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 4. de Iubilæo extraord. q. 44.*

Dubitatio LXV.

LXX. *An qui in peccato mortali ſacram Euchariſtiam ſuſcipit, ſatisfaciat Iubilæo, ſi poſtea conteratur?*

Dico octogeſimoquartò, probabile eſt aſſerere, quòd qui in peccato mortali ſacrã Euchariſtiam ſuſcipit, Iubilæo ſatisfaciat, ſuppoſito, quòd communio non ſit vltimum opus iniunctum, & quòd antequam expiret terminus Iubilæi iuſtificetur per contritionem. quia non eſt neceſſarium, vt quis ſit in ſtatu gratiæ toto tempore, quo ſingula opera facit, ſed ſufficit, vt in vltimo inſtanti, in quo vltimum opus perficitur, ſit in gratia, vel vt antequam expiret terminus Iubilæi, iuſtificetur per contritionem.

Dico octogeſimoquintò, probabilius tamen, & verius mihi videtur dicendum, hunc non ſatisfacere Iubilæo ſi ſacrã Euchariſtiam ſuſcipit in peccato mortali. quia talis communio non poteſt vocari communio ſaltem ſecundùm mentem ſummi Pontificis. ergo cùm iſte non perficiat opera in Iubilæo præſcripta, non lucrabitur Iubilæam indulgentiam; vera enim communio ad mentem ſummi Pontificis concedentis Iubilæum requiritur ad illius conſequutionem. Ita benè notauit Sanctarellus *de Iubilæo, c. 7. dub. 2.*

LXXI. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur, & magis explicatur*

Dubitatio LXVI.

An abſolutus vi Iubilæi à reſeruatis, vel à cenſuris, maneat abſolutus, ſi poſtea mutet voluntatem adimplendi neceſſaria, ad conſequutionem Iubilæi?

Ad rationem à principio dubij poſitam, quæ directè militat contra aſſertionem 59. reſpondetur per ea, quæ ibi diximus: nam licèt ea abſolutio fuerit impertita in ordine ad futuram Iubilæi conſequutionem, tamen non pendet ab ea, vt à conditione de futuro, nefas eſt enim ſacramentaliter abſoluere dependenter à conditione de futuro; non enim effectus ſacramenti poteſt eſſe in pendenti: ſimiliter nec abſolutio illa à cenſuris, eſt data ad reincidentiam, nec item ablatio reſeruationis: id enim Iubilæus non explicat, & ſolet Pontifex exprimere quando id intendit. Remanebit igitur talis verè, & directè abſolutus à cenſuris, & caſibus reſeruatis, etiamſi poſtea mutata voluntate non adimplet opera in Iubilæo præſcripta: quia dona Dei ſunt ſine pœnitentia, *ad Rom. 11.*

DISQVISITIO XXV.

De votis.

DE votis ac votorum abſolutionibus, tractatum longè pleniorem materia requireret: verùm vt ſolitæ breuitati conſulamus, in compendium, & ſub vnica diſquiſitione, concluſiones quamplurimas coarctandas duximus. Et vt rem ad aliquam methodum reduceremus, diſquiſitionem iſtam in 30. Articulos diſtinximus; qui tamquam riuuli à dicta diſquiſitione profluunt, caſus varios examinant pariter, ac reſoluunt, ad materiam propoſitam concernentes. Erit igitur huiuſmodi Articulorum

I. De his, quæ pertinent ad votum.

II. De diſpenſatione, vel irritatione votorum facta à Prælatis.

III. De cauſa commutationis votorum.

IV. De diſpenſatione votorum, quæ ſunt iuramento firmata, vel in vtilitatem tertij.

V. De commutatione votorum iam commutatorum, & pœnalium.

VI. Explicabit præcipuè titulum huius diſquiſitionis de commutatione votorum tempore Iubilæi.

VII. Erit de commutatione votorum conditionalium.

VIII. De commutatione votorum caſtitatis, & Religionis.

IX. De votis emiſſis à coniugibus.

X. De votis emiſſis à pueris.

XI. De votis emiſſis à muliere in matrimonium coniuncta.

XII. De votis emiſſis à viro vxorato.

XIII. De Superioribus facultatem habentibus irritandi vota ſuorum ſubditorum.

XIV. De illis qui emiſerunt Religionum vota.

XV. De voto Religionis emiſſo ab habente parentes in neceſſitate.

XVI. De voto Religionis emiſſo ab habentibus fratres, vel ſorores in graui neceſſitate.

XVII. De voto Religionis emiſſo à parentibus habentibus filios paruulos.

XVIII. De illis qui votum caſtitatis, vel Religionis emiſerunt, & poſtea rem habent cum virgine, vel alia muliere ſub ſpe matrimonij futuri.

XIX. De illis, qui vota emiſerunt indeterminatè, vel quæ poſſunt habere aliquam æquiuocationem, aut dubium.

XX. De intentione requiſita in adimplendo voto, vel alia obligatione ex voto, aut ex præcepto.

XXI. De recitantibus Officium diuinum ex voto, vel ex præcepto.

XXII. De illis, qui aliquid operantur ad quod ex duplici voto tenentur, vel ex vno voto, & alio titulo obligationis.

XXIII. De interrumpentibus opera ad quæ tenentur ex præcepto, vel alia obligatione.

XXIV. De

X X I V. De modo, quo diuinum Officium ex voto, vel præcepto recitandum eſt vocaliter.

X X V. De exequentibus opera debita ex voto, vel præcepto cum diſtractione.

X X V I. De ordine ſeruando in recitando diuino Officio debito ex voto, vel ex præcepto.

X X V I I. De omiſſione diuini Officij, ad quod quis ex voto, vel præcepto tenetur.

X X V I I I. De præparatione, & attentione requiſita ad implendum opus debitum ex voto, vel ex præcepto.

X X I X. De requiſitis ad ſatisfaciendum præcepto Miſſæ.

X X X. & vltimus, An Confeſſarij tempore Iubilæi electi poſſint vota commutare.

ARTICVLVS I.

De his, quæ pertinent ad votum.

SVMMARIVM.

1. *Declaratur quid ſit votum, & eius definitio explicatur.*
2. *Quanam ſit differentia inter irritationem, diſpenſationem, & commutationem votorum, & an qui poteſt diſpenſare in votis, poſſit eadem commutare.*
3. *An per Iubilaum vota ipſo facto commutentur.*
4. *An Confeſſary virtute Iubilei poſſint commutare vota in minus.*
5. *An habentes facultatem diſpenſandi in votis, & eadem commutandi, poſſint illa commutare extra Iubilaum in longè minus bonum.*
6. *An ipſemet vouens poſſit commutare votum in melius, vel in aliquod dubium, an ſit melius, vel æquè bonum.*
7. *An quando euidenter conſtat quòd id in quod debet fieri commutatio voti, ſit æquè bonum, vouens poſſit per ſe ipſum facere commutationem.*
8. *An extra ſacramentum Confeſſarius electus virtute Iubilæi, poſſit commutare vota, & abſoluere à cenſuris.*

DVBITATIO I.

I. *Quid ſit votum, & eius definitio?*

DIco primò, votum eſt voluntaria, & deliberata promiſſio facta Deo de aliquo bono meliori. Ita communiter DD. cum D. Thom. 2.2. *quæſt.*88. *art.* 1. *&* 2. Votum dicitur promiſſio, vt ſciatur ad votum non ſufficere propoſitum: nam votum inducit obligationem; propoſitum verò nullam inducit obligationem; quia natura ſimplicis propoſiti variabilis eſt, conſequenter proponens aliquid facere, poteſt mutare propoſitum, illúdque non facere, iuxta illud, ſapientis eſt mutare conſilium, ſeu propoſitum: ſufficit in voto promiſſio interior, & mentalis, quia Deus intuetur cor: ſufficit etiam promiſſio implicita, qualis repetitur in ſuſcipiente Ordines ſacros, quibus ex Eccleſiæ intentione, & inſtitutione annexum eſt ſolemne votum caſtitatis: nam qui vult ſtatum aliquem implicitè, vult etiam onera illi ſtatui annexa. Dicitur votum promiſſio voluntaria; quia votum inuoluntariè factum non habet vim voti. Vnde promiſſio facta Deo metu graui incuſſo ad extorquendum votum non obligat. Dicitur promiſſio voluntaria, & deliberata; quia votum eſt quædam lex priuata, qua quis ſe Deo obligat: ſed nemo cenſetur ſe velle obligare niſi plenam habeat deliberationem eius, quod facit. ergo ſi ſemiplenam habeat deliberationem, votum non tenet, nec obligat ſub mortali. Dicitur promiſſio facta Deo, quia vota ſoli Deo fieri poſſunt: nam votum eſt actus Religionis; Religio verò eſt virtus moralis impellens hominem ad honorandum colendúmque Deum, tanquam primum principium noſtrum, à quo ſumus, & in quo viuimus, ex D.Thom. 2.2. *quæſt.*81. *art.* 1. Sanctos autem colimus virtute Duliæ, D.Thom. 2. 2. *quæſt.* 103. *art.* 4. ergo votum cùm ſit actus Religionis, ſoli Deo fit; vota tamen quandoque fiunt Sanctis quatenus in ipſis Deus honoratur, vel quatenus fiunt coram ipſis tanquam teſtibus ad maiorem reuerentiam, aut tanquam interceſſoribus ad conſequendum id, propter quod vota emittuntur; vel etiam dici poteſt, vota fieri Sanctis, quia fiunt Deo in Sanctis, id eſt, vouemus Deo, nos facturos illud, quod Sanctis promittimus. Dicitur in diffinitione voti, quòd ſit promiſſio de bono aliquo meliori; quia omnis promiſſio fit à nobis vt alteri gratificemur, alteri autem non gratificamur, niſi per aliquod bonum, & illi gratum. Item dicitur de meliori bono, quod non ita intelligitur, vt id quod vouetur, debeat eſſe optimum, ſed ita vt ſit melius, quàm eius oppoſitum: nam materia voti debet eſſe aliquid Deo gratum; ſed id eſt Deo gratum, quod eſt melius, quàm eius oppoſitum. ergo, &c. Videatur D.Thom. 2.2. *q.*88. *art.*2. *&* 2. & DD. *ibi.*

DVBITATIO II.

II. *Quanam ſit differentia inter irritationem, diſpenſationem, & commutationem votorum, & an qui poteſt diſpenſare in votis, poſſit eadem commutare?*

Dico ſecundò, eſſe differentiam inter irritationem voti, diſpenſationem, & commutationem: nam irritatio voti eſt relaxatio voti, tam quoad obligationem, quàm quoad materiam ex beneplacito irritantis: diſpenſatio verò eſt ſublatio voti ab habente aliàs poteſtatem, eſt enim diſpenſatio actus iuriſdictionis, ob id, quòd cauſa, ob quam factum eſt, jam tunc non videtur honeſta, & decens: commutatio verò eſt annullatio obligationis voti in vna materia, cum ligamine, & obligatione ad aliam, vel meliorem, vel æquè bonam. Habentes poteſtatem ad diſpenſandum iure communi, & auctoritate ordinaria, habent etiam ad commutandum; quia magis eſt in votis diſpenſare, quàm commutare: videatur Sotus *lib.* 7. *de iuſt. & iure, quæſt.* 4. *art.* 3. Qui verò haberent auctoritatem diſpenſandi per Iubilæum, ſeu priuilegium tanquam delegati, & ex commiſſione, non haberent facultatem commutandi; quia priuilegium, quod operatur contra ius commune, ſtrictè eſt interpretandum. Bcia *part.* 2. *caſuum, caſu* 20.

DVBITATIO III.

III. *An per Iubilaum vota ipſo facto commutentur?*

Dico tertiò, per Iubilæum vota ipſo facto non commutantur, ſed ſolùm Confeſſariis datur facultas commutandi. quia requiritur vt actu poſitiuo Confeſſarius vigore Iubilæi vota commutet. Quare ſi Sacerdos ea non commutet, retinebunt priſtinam ſuam obligationem, licèt vouens acceperit Iubilæum animo ea commutandi. Lopez noſter *part.* 1. *inſtructorij conſcientiæ, cap.* 50. *col.* 2. *verſ. Aduertant.*

Dico

Dico quartò, Confeſſarius electus per Iubilæum non poteſt in vniuerſum omnia vota commutare. nam in Bulla Iubilæi ſamper excipiuntur duo, caſtitatis ſcilicet, & Religionis: vnde poteſt commutare vota eundi Romam, aut Compoſtellam, aut Hieroſolymam, quia quando textus non excipit, nec nos excipere debemus, non tamen poteſt commutare votum caſtitatis, & Religionis.

Dvbitatio IV.

IV. *An Confeſſarij virtute Iubilæi poſſint commutare vota in minus?*

Dico quintò, qui virtute Iubilæi ſolùm habent facultatem commutandi vota, poſſunt illa commutare in mitius, in minus, aliqualiter. quia alioquin priuilegium Iubilæi nihil operaretur, cùm abſque eo poſſint vota abſque cauſa in melius, & Deo gratius, & in æquè bonum cum cauſa authoritate Prælati commutari: videatur Lopez noſter *part. 1. inſtruct. cap.* 47. Conrad. *tom. 1. quæſt.* 313. §. *Notandum.* Rodriquez *p. 2. ſummæ cap.* 102. *num.* 4.

Dico ſextò, probabiliter etiam dicimus, quòd qui virtute Iubilæi ſolùm habet facultatem commutandi vota, debet in æquale bonum illa commutare. quia etſi priuilegium hoc commutandi vota tempore Iubilæi ſit fauorabile, non eſt tamen extendendum vltra verborum proprietatem; ſed commutatio propriè ſignificat æqualitatem. ergo, &c. Ita benè Dominus Caiet. 2. 2. *q.* 88 *art.* 12. *verſic. in commutatione autem votorum.* §. *Sed ſtando infra limites puræ commutationis.* Hæc auté commutatio in rem æquiualentem non eſt ſcrupulosè, & mathematicè capienda, ſed moraliter, ſufficit enim quòd materia in quam votum commutatur, videatur arbitrio prudentis æqualis: videatur Sanchez *lib. 4 in Decalogum, cap.* 50. *num.* 6.

Dvbitatio V.

V. *An habentes facultatem diſpenſandi in votis, & eadem commutandi, poſſint illa commutare extra Iubilæum in longè minus bonum?*

Dico ſeptimò, qui habent facultatem diſpenſandi in votis, & ſimiliter illa commutandi, poſſunt ſine ſcrupulo commutare illa in longè minus bonum, quia partim tunc hi diſpenſarent in votis, & partim illa commutarent: videatur Caietan. *loco nuperrimè adducto.* §. *In commutatione, verſic. An autem.* D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 4. de Iubilæo extraord. quæſt.* 183.

Dvbitatio VI.

VI. *An ipſemet vouens poſſit commutare vota, in melius, vel in aliquod dubium, an ſit melius, vel æquè bonum?*

Dico octauò. Ad commutandum votum in melius, & magis Deo acceptum, Superioris auctoritas non requiritur, quando res in quam commutatur votum, eſt euidenter melior, & præſtantior. quia votum ideo obligat, quia eſt promiſſio de re grata Deo; ſed qui commutat votum in rem meliorem, reddit Deo rem gratiorem. ergo ſatisfacit voto ſic illud commutando, etiamſi non accedat Prælati authoritas. hæc aſſertio eſt definita *in cap. peruenit el 2. de iureiur.* vbi dicitur, promiſſum etiam iuratum non frangir, qui in melius illud commutat: videatur etiam D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *ad primum.*

Dico nonò, quando res dubia eſt, an id, in quod debet votum commutari, ſit melius, nec ne, non poteſt quis propria auctoritate abſque Prælati licentia in aliud commutare. quia cùm votum ſit promiſſio facta Deo de re illi grata, voluntas Dei non per ſubditum, ſed per Prælatum Chriſti Domini vicesgerentem exploranda eſt, vt ipſe in perſona Dei definiat, quid Deo gratum, & acceptum ſit; ergo ſi res eſt dubia, &c. Ita præclarè D. Thom. nuperrimè relatus, & Caiet. *ibidem.*

Dico decimò, ſi res ſit dubia, an id in quod votum debet commutari, ſit æquè bonum, nec ne, manifeſtum eſt ad hanc voti commutationem neceſſariam eſſe Superioris authoritatem. nam *in c. 1. de voto, & voti redempt.* dicitur requiri authoritatem Prælati, quoties incertum eſt an res, in quam votum debet commutari, ſit Deo gratior. ergo multò magis requiritur auctoritas Prælati, quando non conſtat eſſe æqualem. Ita elegantèr tradit Sotus *lib. 7. de iuſt. quæſt.* 4. *art.* 3.

Dvbitatio VII.

VII. *An quando euidenter conſtat quòd id in quod debet fieri commutatio voti, ſit æquè bonum, vouens poſſit per ſeipſum facere commutationem?*

Dico vndecimò, quando verò euidenter, & manifeſtè conſtat, id in quod fit commutatio eſſe æquè bonum, & gratum Deo, tunc etiam eſt neceſſaria Prælati authoritas ad commutationem voti. quia non eſt certum tunc acceptari à Deo talem commutationem, cùm nulla vtilitas in ea eluceat. ergo oportet intercedere authoritatem Prælati interpretantis, &c. Tum, quia in hac æqualitate materia primò promiſſa excedit, eo quòd ad Dei cultum ſpectet perſeuerantia in priori voti materia. ergo vbi aliquod euidenter melius loco prioris materiæ voti non præſtatur, quo compenſetur receſſus à priori voto, fieri hoc propria authoritate non poterit: & ita hanc ſententiam tenere videtur D. Thom. 2. 2. *q* 88. *art.* 12. & Caiet. *ibi.* §. *Et confirmatur.* Sotus *lib. 2. de iuſtitia, q.* 4. *art.* 3. Saytus *in claui lib. 6. cap.* 12. *num.* 8.

Dico duodecimò, probabiliter etiam dici poteſt ad voti commutationem in id quod eſt euidenter, & manifeſtè æquale bonum, non requiri authoritatem Prælati, ſed quemlibet poſſe propria auctoritate ſic commutare. nam qui vouit intrare certam aliquam Religionem, & poſtea elegit aliam æqualem, vel ſi promiſit, & vouit certam pecuniam elargiri alicui Eccleſiæ, & poſtea dat calicem eiuſdem valoris, ſatis abundè ſuo voto ſatisfacere videtur. Ita Medina *in ſua inſtruct. Confeſſ. lib. 1. cap.* 14. §. 7. Lopez *part. 1. inſtructorij, cap.* 49. §. *Vna ex cauſis, fine.* Rodriquez 2. *part. ſummæ cap.* 102. *num.* 4. Henriquez *lib. 7. de Indulgentijs, cap.* 30. *num.* 5. *in principio.*

Dvbitatio VIII.

VIII. *An Confeſſarius electus virtute Iubilæi extra ſacramentum poſſit commutare vota, & abſoluere à cenſuris?*

Dico decimotertiò, Confeſſarius electus poteſt commutare vota vigore Iubilæi præter votum caſtitatis, & Religionis, & abſoluere à cenſuris extra ſacramentum Pœnitentiæ. quia nullo iure præſcribitur

hæc

hæc fieri in ſacramento Pœnitentiæ; tum, quia cenſuræ & vota non ſunt materia neceſſaria ſacramenti Pœnitentiæ: neque verba illa appoſita in Iubilæo obſtant audita confeſſione, vel peccatis diligenter auditis in confeſſione; quia hæc verba referuntur ad peccata, quæ requirunt abſolutionem ſacramentalem; imò certum eſt de fide abſolutionem à peccatis faciendam eſſe in ſacramento Pœnitentiæ: videatur Sotus *lib.7.de iuſtitia,quæſt.4.art.3. verſic.de priuilegijs*. Henriquez *lib.7.de Indulgentijs, cap.*30. *num.6.* Rodriquez *tom.2. ſumma,cap.*101. *num.6. fine.* Sanchez *lib.4.in Præcept.cap.*54.*num.*16. Hoc aſſertum eſt ſatis probabile, propter auctoritatem grauiſſimorum horum virorum: oppoſitum tamen mihi videtur probabilius, quod tenuit Lopez noſter *part.* 2. *inſtruct. tract.de Clauibus, cap* 9. *verſic.Præterea hic dubitatio hæc obuia ſit*. Sayr. *lib.6.Clauis Regiæ, cap.*11, *num.*105. non poſſe ſcilicet à Confeſſario vigore Iubilæi extra ſacramentum Pœnitentiæ fieri abſolutionem à cenſuris, & commutationem votorum. quia virtute Iubilæi Confeſſariis conceditur facultas commutandi vota in ordine ad factam confeſſionem audiendam, & non per viam authoritatis ordinariæ, vti poſſunt Prælati Eccleſiaſtici extra ſacramentum confeſſionis ob facultatem ordinariam, quam habent.

Articulus II.

De diſpenſatione, vel irritatione votorum facta à Prælatis.

Summarium.

1. *An in diſpenſatione voti, facta à Prælato, requiratur ſubditi conſenſus.*
2. *An Confeſſarius, vel Prælatus, poſſit commutare vota, niſi pœnitens acceptet commutationem.*
3. *An irritatio voti poſſit fieri vouente inuito.*
4. *An Priorißa, & Abbatiſſæ, poſſint Monialium vota irritare, & diſpenſare.*
5. *An Prælati ſecundarij, vt in Religione Dominicana ſunt Superiores, poſſint irritare vota ſubditorum, & illorum confeſſiones audire.*
6. *An Prælati Religionum poſſint vota Nouitiorum irritare.*
7. *An Magiſtri Nouitiorũ poſſint eorum vota ſuſpendere.*
8. *An poteſtas irritandi vota, ſit alijs delegabilis.*

Dubitatio I.

I. *An in diſpenſatione voti facta à Prælato requiratur ſubditi conſenſus?*

Dico primò, diſpenſatio votorum facta à Prælato abſque conſenſu ſubditi acceptantis talem diſpenſationem, non valet. aſſerit Arag. 2.2. *q.*89.*art.*9. quia diſpenſatio eſt beneficium, quod in inuitum non confertur: probabiliter tamen dici poteſt valere; quia ſubditus non poteſt ſua voluntate præiudicare ſpirituali Superiorum poteſtati, quæ eſt ad liberandum à voti obligatione, diſpenſando in eo ſi cauſa iuſta ſubſit. Ita D. Bartholomæus à S. Fauſtu *lib.* 3. *de votorum diſpenſatione, quæſt.*127.

Dubitatio II.

II. *An Confeſſarius, vel Prælatus poßit commutare vota, niſi pœnitens acceptet commutationem?*

Dico ſecundò, Confeſſarius tamen electus vigore Iubilæi, & quilibet alius Prælatus, non poteſt commutare vota ſine conſenſu pœnitentis acceptantis talem commutationem. quia per commutationem emittitur votum circa materiam ſubrogatam: at votum cùm ſit actio perſonalis, abſque vouentis voluntate emitti non poteſt. D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib.4.de Iubilæo extraordinario, quæſt.*141.

Dubitatio III.

III. *An irritatio voti poßit fieri vouente inuito?*

Dico tertiò, irritatio tamen voti fieri poteſt à Superiore etiam vouente inuito. quia cùm irritatio pendeat à dominatiua Superioris voluntate, poteſt exerceri, velit nolit inferior. nam inferior non poteſt poteſtati Superioris præiudicare: videatur Sayr. *lib.5. Clauis, cap.*8. *num.6.* Hæc irritatio fieri poteſt à Superiore qui habet poteſtatem dominatiuam in ſibi ſubditos, non ſolùm reſpectu votorum iam emiſſorum, ſed etiam in poſterum emittendorum. quia vota ſubditorum nulla alia ratione ſunt valida, niſi quia dependent à tacita conditione in eis inhibita, ſi Superior conſenſerit, aut non contradixerit. ergo cùm hæc obligatio conſurgat ex Superioris voluntate ad libitum volentis, aut contradicentis, ſicut poteſt poſt emiſſum votum illam conditionem non ponere, poterit etiam validè antecedenter id facere, auferendo conditionem, ſine qua votum nullam vim habet obligandi: videatur Suarez *tom.* 2. *de Religione, libro* 3. *cap.*3. *num.*15. *fin.* Sanchez *lib.* 4. *oper. moral. cap.* 24. *num.*49.

Dico quartò, Superiorem non ſolùm poſſe irritare vota externa, inuitis ipſis ſubditis, ſed etiam interna abſque alia cognitione: vt ſi ſubditus voueret ſe quotidie vacaturum orationi mentali quatuor horis. quia ſubditus illi interiori occupationi intentus non poteſt eſſe promptus ad alias obedientias. ergo Prælatus poteſt illum expedire ab huiuſmodi obligatione: tum, quia ius Eccleſiaſticum hanc tacitam conditionem votis ſubditorum ineſſe voluit, niſi Superior aliquando contradixerit. ergo, &c. Videatur Bannez 2.2. *quæſt.*11.*art.*4. *in ſecundo argumento contra ſecundam concluſionem.* Conradus *part.*1 *reſponſ. quæſt.*199. *in additione*, Bonacina *tom.*2.*tract.de legibus, diſput.*4. *quæſt.*2. *puncto* 7.§.2.*num.*26. Sed contra hanc aſſertionem vrget argumentum. nam iuxta veriorem ſententiam Eccleſia caret poteſtate circa actus merè internos. ergo poteſtas Prælatorum irritandi vota ſubditorum non ſe extendit ad vota merè interna. Reſpondetur diſtinguendo antecedens, Eccleſia caret poteſtate in actus merè internos, quando iubet, ſeu prohibet aliquid, concedo antecedens, quando liberat aliqua obligatione, negatur antecedens: & quoniam quando Prælati irritant vota interna ſubditorum, liberant ſubditos ab obligatione ſeruandi votum, non tamen iubent, aut prohibent aliquid; ideo, &c.

Ratio diſcriminis inter iſta duo, illa eſt, quia iubere aliquid, ſeu prohibere, cùm ſit onus, ac de re illa legem, aut præceptum imponere petit, poſſe de illa re iudicare, & ad illam cogere, tranſgreſſionémque punire, quæ nulli humanæ poteſtati reſpectu actuum purè internorum conceduntur: liberare autem aliqua obligatione cùm nullum imponat onus, ſed etiam liberet, non indiget poteſtate legis, aut præcepti ferendorum circa illa, & cogendi, ac puniendi, ac proinde tanquam quid fauorabilius, conceditur Superioribus circa actus internos.

Idem

Idem dicendum eſt de aliis Superioribus laicis, qui habent poteſtatem irrirandi omnia vota, vt patres erga filios, quorum omnia vota perſonalia ante pubertatem emiſſa irrirare poſſunt, poſſe ſeilicet hos irritare vota merè ioterna filiorum impuberum: dominos ſimiliter poſſe irrirare vota interna ſuorum ſeruorum, ea tamen ſola, quæ eorum dominio eſſent nocentia: vt ſi ſeruus voueret ſe quoridie vacaturum orationi mentali quatuor horis: boc votum merè interuum poteſt dominus vt nocens ſuo obſequio irritate.

Dvbitatio IV.

IV. *An Prioriſſæ & Abbatiſſæ poßint Monialium vota irritare, ac diſpenſare?*

Dieo quintò, non ſolùm Prælati Religioſorum, ſed etiam Abbatiſſæ, ſimiliter Prioriſſæ Monialium, poſſunt huiuſmodi vota ſupererogationis ſuarum Monialium irritare. quia ſicut pater poteſt irritare votum filij, & maritus vxoris, quia habent dominium in operibus ſupererogationis illorum; ita & Abbatiſſa, & Prioriſſa cùm maiorem auctoritatem & dominium ſuper opera ſupererogationis Monialium habear ratione vôti obedientiæ emiſſi: tum, quia non ſolis Prælaris, ſed ipſis quoque Abbatiſſis, & Prioriſſis emittitur votum obedientiæ: ergo vota emiſſa à Monialibus ineludunt tacitam conditionem peudentem ex Abbatiſſarum, & Prioriſſarum conſeoſu; ergo poterunt illa irritare: tum, quia hæ non habeot minorem poteſtatem in actus Monialium, qnàm mater tutrix in actus impuberũ: ergo cùm marer tutriz poſſir, &c. Videatur Petr. de Ledeſma *tom. 2. ſumma tr.* 10. *c.* 47. *ad finem.* Sayr. *in Claui. lib.* 6. *c.* 10. *u.* 7. *verſ. Hinc eſt.* Prioriſſæ tamen, & Abbatiſſæ in votis ſuarum Monialium diſpenſare oon poſſunt; quia hoe eſt iuriſdictionis ſpiritualis: videatur Sotus *in* 4. *diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 4. Sayr. *lib.* 6. *iu Claui Regia, cap.* 11. *num.* 94.

Dvbitatio V.

V. *An Prælati ſecundarij, vt in Religione Dominicana ſunt Superiores, poßint irritare vota ſubditorum, & illorum confeßiones audire?*

Dico ſextò, ſecundatij Prælati Religionum, quos communiter Superiores vocant, non habent poteſtatem vora irriiandi aliotum Religioſorum. quia reuera hi non ſuut Prælati, ſed Prelatotum adiutores: & ideo poteſtate dominatiua in Religioſos non fruuntur. ergo vota illorum irritandi non habent facultatem, atque adeò non poſſunt ſubditorum conſeſſiones audire, nec licentiam audiendi aliis eoocedere: videatur Syl. *verb. Confeſſor* 1. *q.* 8. *dicto* 3. Sanchez *lib.* 4. *in Præcepta, c.* 33. *n.* 16. quando verò Prælatus eſt abſens, atque adeò tota Conuentus gubernatio ad ipſos ſecundarios Religionum Prælatos ſpectaret tanquam viees illius gerentes, poſſunt vtique tune vota ſubditorum irritare. quia tune Prælatorum viee funguntur, & ſic ſunt Prælati, & poſſent etiam tune ſubditorum audire confeſſiones, & aliis audiendas committere: videatur Syl. *vbi ſuprà,* Sanchez *lib.* 4. *iu Decalogum, c.* 33. *n.* 16.

Dvbitatio VI.

VI. *An Prælati Religionum poßint vota Nouitiorum irritare?*

Dico ſeptimò, Prælati Religionum non poſſunt vota Nouitiorum irrirate. quia eorum volnntas nondum à Superioris voluntate peuder, ſicut illa Profeſſorum, in qua dependentia ſundatur directa votorum irritatio. Lopez noſter *part.* 1. *inſtruct. cap.* 48. *§. Materia voti.* Poſſunt tamen Prælati vota perſonalia Nouitiorum durante Nouitiatu ſuſpendere, illa tamen, quæ probationem impediunt: qualia ſunt, quæ vel exercitiis Regularibus obſtant, vel nimis oneroſam reddunt Religionem. quia cùm Nouitius ſubſit curæ Prælati pro tunc gubernantis, vt ipſe poſſit auſteritates Religionis experiri, & Religio ipſius mores, conſonum eſt rationi, eum omni iuriſdictione neceſſaria ad hunc finem potiri: alia verò vota, quæ tale præiudicium non afferunt, non poſſunt à Prælato ſuſpendi: vt ſi votom ſit ſeruandi præcepta Regulæ, aut ſeruandi præcepta Dei, aut Eccleſiæ. Leſſius *lib.* 2. *de Iuſtitia, cap.* 40. *dub.* 13. *num.* 80. Ex quo colligitur vota Nouitiorum realia non poſſe à Prælato ſuſpendi; quia eorum exequutio Religionis obſeruantiam non impedit: videatur Syl. *verb. votum* 3. *num.* 7. *quæſt.* 7. *verſic. Tertium*, ſecundùm Lopez loco nuperrimè adducto.

Dvbitatio VII.

VII. *An Magiſtri Nouitiorum poßint eorum vota ſuſpendere?*

Dico octauò, Magiſter Nouitiorum poteſt vota Nouitiorum ſuſpendere eo modo, quo diximus de Prælatis Religionum; quia ipſi ſpecialiter & immediatè incumbit regimen Nouitiorum. Ita bene Sanchez *lib.* 4. *oper. mor. cap.* 33. *num.* 35. D. Bartholomæus à S. Fauſto *libro* 2. *de votorum irritatione, quæſt.* 179.

Dvbitatio VIII.

VIII. *An poteſtas irritandi vota poßit alij delegari?*

Dico nonò, poteſtas irritandi vota poteſt alteri à legitimo Superiote delegari. quia hoc nihil aliud eſt, quàm poteſtatem irritandi actus geſti abſque domini conſenſu committere, quam quidem quilibet dominus coucedere poteſt ad reſciodendam rei ſuæ alienationem ipſo inconſulto factam: videatur Saochez *lib.* 4. *in Decalogum, cap.* 24. *num.* 54. vbi citat etiam Suarez *tom.* 2. *de Religione, tract. de voto lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 17.

Articvlvs III.

An in commutatione votorum requiratur iuſta cauſa?

Svmmarivm.

1. *An Confeſſarius vigore Iubilæi, abſque cauſa, poſſit commutare vota.*
2. *An ſimiliter extra tempus Iubilæi, requiratur iuſta cauſa, in commutatione votorum.*
3. *An commutatio voti in æquè bonum, vel in minus, ſine iuſta cauſa, ſit valida.*
4. *An commutatio voti in bonum æquale, vel minus facta propria auctoritate, ſit valida.*
5. *An tempore Iubilæi poſſint commutari vota, nedum emiſſa ante illud, ſed etiam in illo, ante exequutionem vltimi operis.*

Dvbitatio I.

I. *An Confeſſarius vigore Iubilæi abſque cauſa poſſit commutare vota?*

Dico primò. Confeſſarius electus vigore Iubilæi, ſi pœnitens tunc temporis petit ab eo votorum ſuorum commutationem, nullam aſſignans cauſam pro illorum commutatione, poteſt nihilominus ea commutare. quia quando poteſtas commutandi vota non delegatur ſimpliciter, ſed cum aliquo onere ob bonum commune, vt fit per Iubilæum, nulla alia eſt opus cauſa ad commutationem votorum, quàm voluntas præſtandi opera iniuncta, & lucrandi Iubilæum: nam ob eam cauſam Pontifex eam facultatem concedit: videatur D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib.* 4. *de Iubilæo extraord. quæſt.* 144.

Dvbitatio II.

II. *An ſimiliter extra tempus Iubilæi requiratur iuſta cauſa in commutatione votorum?*

Dico ſecundò, extra tamen tempus Iubilæi ſi commutatio fieret in minus, aut in rem, de cuius æqualitate dubitatur, iuſta & legitima cauſa exigitur ad votorum commutationem. quia eo ipſo quòd materia per commutationem ſubrogata non eſt melior, neque euidenter, & manifeſtè æqualis eſt, magis conſentaneum fidelitati Deo debitæ ſoluere materiam promiſſam. ergo vt non fiat hoc quod eſt per ſe debitum, exigitur aliqua legitima cauſa. Videatur Lopez *part.* 1. *Inſtructory*, *cap.* 49. Rodriquez *part.* 2. *ſumma*, *cap.* 102. *num* 4.

Dico tertiò, nulla requiritur cauſa ad commutationem votorum quando commutatio fit in rem euidenter meliorem. quia cùm ex iſta commutatione magis augeatur cultus diuinus, is ſolus exceſſus eſt legitima cauſa. Ita optimè Sotus *lib.* 7. *de Iuſt. quæſt.* 4. *art.* 3. *verſ. ex iſtis conſequitur.* Caiet. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *verſ. in commutatione autem.*

Dico quartò, quando commutatio fit in rem certo æqualem, & probabile eſt eſſe meliorem, aut dubium eſt, an ſit melior, nulla cauſa deſideratur. quia qui ſic commutat, fideliter tractat negotium Dei, cùm ſit certus de nulla iactura, & dubius de lucro. Sanchez *lib.* 4. *in Decalogum*, *cap.* 50. *num.* 16.

Dico quintò, quando commutatio fit in æquale bonum, iuſtam, & debitam cauſam requirit. quia hæc commutatio indiget authoritate Prælati, cuius vſus non poteſt eſſe ad libitum, ſed rationi conſentaneus. ergo aliquam cauſam requirit. Caietan. *in ſumma, verb. votum, cap. vltimo, verſic. rationabilis autem cauſa.* Sayr. *lib.* 6. *Clauis Regia*, *cap.* 15. *num.* 8.

Dvbitatio III.

III. *An commutatio voti in æquè bonum, vel in minus, ſine iuſta cauſa, ſit valida?*

Dico ſextò, Prælatus, ſeu eius delegatus, ſi ſine iuſta cauſa commutet votum in æquè bonum, valida eſt commutatio. quia in hoc caſu adeſt poteſtas in commutante, vtſque de facto commutare, & in ſolo modo peccauit. Valida ſimiliter eſt commutatio votorum ſi Prælatus ſine vlla cauſa legitima commutet votum in minus, cum obligatione tamen ſupplendi id, quod deſuit ad æqualitatem materiæ ſubrogatæ cum promiſſa. quia mitiùs eſt agendum cum Deo, quàm cum hominibus: at inter homines commutatio iniuſta defectu æqualitatis inter res permutatas non eſt omnino irrita, ſed valet quidem cum obligatione ſupplendi exceſſum, vt conſtat ex *l.* 2. *C. de reſcind. vendit.* ergo à fortiori idem eſt dicendum in commutatione voti, quæ eſt contractus initus à vouente cum Deo. Videatur Molina *tom.* 2. *de Iuſtit. diſput.* 349. *verſic. prædicta locum habent.* D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib.* 4. *de votorum commut. quæſt.* 55. *numero* 2.

Dico ſeptimò, non eſſe opus adire Prælatum commutantem, vt eum defectũ ſuppleat, ſed poterit quilibet abſque nouo Prælati conſenſu, vel ad arbitrium boni viri. quia iam Prælatus commutans, quantum in ſe eſt conſenſit in commutationem: tum, quia defectus cauſæ non pertinet ad vitiandum commutationis valorem, ſed ad poteſtatis abuſum. ergo valebit talis commutatio voti in minus, abſque nouo conſenſu commutantis, ſuppleta ea æqualitate per alium quicumque ille ſit, etiam ſi ſit ipſe vouens: videatur Sanchez *lib.* 4. *in Præcepta*, *cap.* 51. *num.* 8. & 10.

Dvbitatio IV.

IV. *An commutatio voti facta in bonum æquale, vel minus, facta propria auctoritate, ſit valida?*

Dico octauò, commutatio voti facta propria auctoritate, aut alterius carentis iuriſdictione in bonum æquale, aut in minus, non eſt omnino irrita, ſed tenetur vouens vel prius votum implere, vel ſupplere, quod commutationi defuit, vt eſſet in bonum euidenter melius. quia Deus pro ſua benignitate ſemper eſt paratus ad acceptandam voti commutationem factam à quocumque, & quando fit à non habente iuriſdictionem in æquale, aut in minus, eſt inuitus quoad ſolum modum. ergo vouens verè ſatisfacit Deo, ſupplendo propria auctoritate quod ad iuſtam commutationem deerat: videatur D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib.* 4. *de commutatione votorum*, *quæſt.* 55. *num.* 3. Sanchez *lib.* 4. *in Præcepta*, *cap.* 51. *num.* 11.

Dico nonò, commutans votum in bonum æquale, aut in minus, abſque iuſta cauſa, peccat mortaliter, vt inquit Suarez *tom.* 2. *de Religione*, *tract. de voto lib.* 6. *cap.* 19. *num.* 14. quia, ait, abutitur ſua poteſtate, & in re graui: ſed dicendum mihi videtur eſſe ſolam culpam venialem, quià talis commutatio valet, & abuſus poteſtatis eſt in re leui, parúmque in ea cultus diuinus læditur. Sanchez *loc. cit. num.* 15.

Dvbitatio V.

V. *An tempore Iubilæi poſſint commutari vota, nedum emiſſa ante illud, ſed etiam illo, in ante exequutionem vltimi operis?*

Dico decimò, tempore Iubilæi poſſunt commutari vota non ſolùm facta ante Iubilæum, verùm etiam illo, quæ poſt illud emiſſa ſunt, etiamſi intra eamdem hebdomadam, qua quis Iubilæũ intendit lucrari, etiã poſt confeſſionem factam, ante tamen vltimũ opus expletum. quia tempore Iubilæi quiſque fidelis poteſt abſolui, non ſolùm à peccatis, & cenſuris reſeruatis commiſſis ante tempus Iubilæi, verùm etiam ab his, quæ poſt illud publicatũ perpetrata ſunt. ergo ſimiliter, &c. Antecedens eſt communiter receptum. Conſequentia probatur, quia in Iubilæo conceditur vtraque facultas

abſol

abſoluendi , & commutandi vota. ergo par debet eſſe vtriuſque intelligentia, coniunctorum enim eadem eſt diſpoſitio : tum, quia hæc conceſſio eſt gratia, fauor, & beneficium Principis. ergo largè, & non ſtrictè eſt interpretandum. ſic Sayr. *lib. 6. Clauis Regiæ, cap.* 12. *num.* 16. oppoſitum tamen tenuit Sotus *lib. 7. de Iuſtitia , quæſt. 4. art.* 3. loquendo de commutatione votorum poſt Iubilæi promulgationem emiſſorum.

ARTICVLVS IV.

De diſpenſatione votorum , iuramento firmata, vel in vtilitatem tertij emiſſa.

SVMMARIVM.

1. *An habens facultatem commutandi, vel diſpenſandi in votis, habeat eandem in iuramentis Deo factis.*
2. *An ſit maior obligatio voti, quàm iuramenti.*
3. *An habens facultatem ad vota commutanda, poſſit commutare vota, iuramento firmata.*
4. *An virtute Iubilæi poſſint commutari vota, facta in vtilitatem tertiæ perſonæ, vel loci ſacri.*

DVBITATIO I.

I. *An habens facultatem commutandi, vel diſpenſandi in votis , habeat eandem in iuramentis Deo factis?*

DIco primò, is cui per Bullam, aut Iubilæum , aut priuilegia Religionis commiſſa eſt facultas cõmutandi, vel diſpenſandi in votis, eo ipſo authoritatem habet commutandi , vel diſpenſandi iuramenta, quæ ſoli Deo fiunt. quia cui conceditur maius, cenſetur etiam conceſſum quod eſt minus, *cap. cùm licèt, de regulis iuris in 6.* Sed iuramenti promiſſorij vinculum per ſe ſpectatum minus eſt, quàm votum. ergo in facultate conceſſa ad vota , comprehenditur à fortiori poteſtas ſimilis ſuper iuramenta , quia communiter hæc iuramenta reputantur vota : & ita hanc ſententiam tenuit Caiet. 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 9. Sayr. *lib.* 5. *Clauis Regiæ, cap.* 8. *num.* 9. *verſic. Dixi abſque priuilegio.* Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 2. *n.* 18. Henriquez *lib.* 7. *de Indulgentijs, cap.* 30. *n.* 5. & alij multi, videndi apud Sayr. Poterit ergo Confeſſarius vigore Iubilæi commutare iuramenta facta circa eandem materiam votorum, quæ poteſt vi eiuſdem commutare.

DVBITATIO II.

II. *An ſit maior obligatio voti , quàm iuramenti ?*

Dico ſecundò, maiorem eſſe obligationem voti, quàm iuramenti. quia per votum obligatur aliquis ſemper Deo, per iuramentum autem obligatur aliquis interdum homini , ſed magis obligatur homo Deo, quàm homini. ergo maior eſt obligatio voti, quàm iuramenti: tum, quia magis tenemur eſſe fideles Deo in promiſſis, quàm reuerentes in verificando , quod per nomen eius promiſimus; ſed qui eſt infidelis Deo, peccat contra reuerentiam, & fidelitatem : qui autem non verificat quod per Deum iurauit , peccat ſolùm contra reuerentiam Deo debitam. ergo, &c. Ita S. Th. 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 8. & Caiet. *ibi.*

Dico tertiò, probabile etiam eſt aſſerere Confeſſarium virtute Iubilæi, cui conceditur facultas commutandi vota, eo ipſo non habere authoritatem commutandi iuramenta. quia ſtylo Romanæ Curiæ introductum eſt , vt facultas circa iuramenta ſpecialiter exprimatur dum poteſtas conceditur circa diſpenſationem & commutationem iuramentorum. ergo facultas circa vota non extenditur ad iuramenta, niſi ipſorum ſpecialis fiat mentio : tum, quia à diuerſis non fit illatio. ergo in Iubilæo ſi datur ſolùm poteſtas commutandi vota , hæc authoritas non extenditur ad iuramenta : videatur Leſſ. *lib.* 2. *de iuſtitia, cap.* 42. *dub.* 12. *num.* 60. & 62.

DVBITATIO III.

III. *An habens facultatem ad vota commutanda , poſſit commutare vota iuramento confirmata?*

Dico quartò, cui poteſtas & facultas delegata conceſſa eſt ad vota commutanda, non poteſt vota iureiurando communita commutare. quia poteſtas ad commutandum minus vinculum , non extenditur ad maius; ſed votum iuratum eſt maius vinculum, quàm nudum votum, vt colligitur ex S. Th. 2. 2. *q.* 89. *art.* 8. ergo facultas tantùm ad votum commutandum non poteſt extendi ad votum iuratum. Ita bene Henriq. *lib.* 7. *de Indulg. c.* 30. *n.* 5. *ad finem.* Rodriq. *tom.* 1. *qq. Reg. q.* 63. *a.* 5.

DVBITATIO IV.

IV. *An virtute Iubilæi poſſint commutari vota, facta in vtilitatem tertiæ perſonæ , vel loci ſacri?*

Dico quintò, virtute Iubilæi non poſſunt commutari vota facta in vtilitatem tertiæ perſonæ , vel loci. v. g. ſi quis vouit ſe daturum eleemoſynam tali Eccleſiæ, vel tali pauperi, ſi Eccleſia , vel pauper acceptauit votum in ſui fauorem factum , quia iam per acceptationem eſt acquiſitum ius illi Eccleſiæ, vel pauperi. Si verò Eccleſia , vel pauper nondum acceptauit votum illud in ſui vtilitatem emiſſum vigore Iubilæi, poteſt illud commutari , quia illud votum principaliter eſt factum in honorem , & cultum Dei , & obligatio acquiſita eſt Deo, non verò Eccleſiæ, vel pauperi: quamuis expreſſus fuerit pauper, vel locus ſacer, circa quem hic honor eſt Deo exhibendus: tum, quia tertius nondum acquiſiuit ius. ergo Confeſſarius nulli facit iniuriam, commutando illud votum etiam abſque conſenſu illius in cuius fauorem & commodum vergit. Ita benè Lopez noſter *part.* 1. *inſtruct. c.* 49. *verſic. Sine conſenſu.* Sanchez *lib.* 4. *c.* 41. *in præcepta, n.* 7.

ARTICVLVS V.

De commutatione votorum iam aliàs commutatorum, & pœnalium.

SVMMARIVM.

1. *Quæſtio reſoluitur quoad vota aliàs commutata.*
2. *An vota reſeruata, v. g. Religionis, & caſtitatis , commutata à ſummo Pontifice in non reſeruata, poſſint ab Epiſcopo, vel Confeſſario vi Iubilæi commutari.*
3. *An virtute Iubilæi poſſit commutari pœna pecuniaria, debita ex fractione voti.*
4. *An obtinens commutationem de obligatione voti in futurum, remaneat liber à pœna iam incurſa, propter fractionem eiuſdem.*

5. *An vouens, qui in obtinenda ſui voti pœnalis commutatione meminit tantùm de obligatione in futurum, non autem de pœna incurſa, maneat liber à pœna incurſa.*

I. *Quæſtio reſoluitur quoad vota aliàs commutata.*

DIco primò, per Iubilæum, vel alia priuilegia coocedeotia commutationem votorum, poſſunt commutari vota, quæ aliàs fuerunt per habeutem facultatem commutata. quia facultas commutandi vota non eſt limitata ad vnam vicem, vt ſuppooitur. ergo votum commutatum iam poteſt iterum, & iterum commutari: tum, quia voti vinculum tranſit in poſteriorem materiam ſubrogatam. ergo iterum poteſt commutari ea materia, in quam eſt votum commutatum. Sic Corduba *in ſumma quæſt.* 150.

Dvbitatio I.

II. *An vota reſeruata, v.g. Religionis, & caſtitatis, commutata à Sum. Pontifice in non reſeruata, poſſint ab Epiſcopo, vel Confeſſario vi Iubilæi commutari?*

Dico ſecondò, ſi vota reſeruata, puta Religionis, & caſtitatis, ſint à Romano Pontifice commutata io materiam noo reſeruatam, vt in confeſſiones menſtruas, & alia pietatis opera, poteſt talis materia poſtea non reſeruata ab Epiſcopo, & à Confeſſario vi Iubilæi commutari. quia vota illa commutata in materiam ooo reſeruatam non remanent per ſe reſeruata, niſi ratione ſolius materiæ reſeruatæ. ergo ſublata obligatione circa illam materiam reſeruatam, & tranſlata in aliam materiam non reſeruatam, poterunt commutari. Ita benè innuit Syl. *verb. votum* 4. *quæſt.* 7. *fine*, quem ſequitur Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 9. *num.* 10. *& diſput.* 15. *eodem lib. num.* 6. quamuis in oppoſitum inclinare videatur Azor. *part.* 1. *inſtit. mor. lib.* 11. *cap.* 18. *quæſ.* 11.

Dvbitatio II.

III. *An virtute Iubilæi poſſit commutari pœna pecuniaria, debita ex fractione voti?*

Dico tertiò, virtute Iubilæi poteſt commutari pœna pecuniaria debita ex fractione voti pœnalis, vt ſi quis vouit non ludere ſub pœna ſoluendi vnum aureum pauperibus quoties luderet, & iam decies luſit, & ideo ad decem aureos ſoluendo teneatur ex illa voti violatione. quia obligatio illa voti ſoluendi vnum aureum ex voto conditionali, adimpleta conditione contracta, non eſt maior, quàm obligatio voti, quo quis, v.g. abſolutè, & directè voueret dare quinquaginta aureos in eleemoſynas, ſed potiùs minor; ſed hæc poteſt commutari. ergo, &c. Videatur Suarez *tom.* 2. *de Religione tract. de voto lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 19. Bonacina *tom.* 2. *in Decalogum, diſp.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 7. §. 4. *num.* 18. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 40. *dub.* 6. *n.* 108. §. *Addo.* contra Sayr. *in Claui lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 20. *verſ. præter hæc, in fine.*

Dico quartò, ſi quis vouit ſe daturum quolibet menſe decem aureos pauperibus, & omiſit dare decem menſibus, & ſic ſit debitor ex voto illo violato centum aureorum: tale votum noo tantùm poteſt commutatioo tolli quoad obligationem futuram, ſed etiam quoad illam præteritam ſoluendæ illius pecuniæ obligationem. quia tota illa obligatio ſoluendi pecunias illas eſt ex voto quod ab initio obligauit ad illas; ergo poteſtas commutandi in tali voto ſe extendit ad pecunias iam debitas, vel impoſterum debendas: videatur Sanchez *lib.* 4. *in Decalogum, cap.* 52. *num.* 10. *& lib.* 8. *de matrim. diſp.* 15. *num.* 14.

Dvbitatio III.

IV. *An obtinens commutationem, de obligatione voti in futurum, remaneat liber à pœna iam incurſa, propter fractionem eiuſdem?*

Dico quintò, vouens ſe non fornicaturum ſub pœna dandi pauperibus vnum aureum pro qualibet vice, & debens decem aureos eo quòd decies votum fregerit fornicando, ſi Pontifex ſic voucoti commutaſſet partem pœoæ, iniungendo, vt alteram partem ſolueret, adhuc poſſet ab habente poteſtatem ordinariam, aut delegatam illa pars pœnæ, quæ remanet ſoluenda, in aliud pium opus commutari. quia adhuc remanet reliqua pars pœnæ ſoluenda ex ſolo voto debita. ergo per poteſtatem ordinariam, aut delegatam commutandi in votis, poteſt illa tolli per commutationem.

Dico ſextò, poteſt etiam illa pars pœoæ ſoluenda propria vouentis authoritate in rem euidenter Deo gratiorem commutari. Probatur, quia ſolus Deus, cui votum factum eſt, eſt creditor illius eleemoſynæ. ergo poterit ea commutari propria vouentis authoritate in rem euidenter Deo gratiorem. Videatur D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib.* 4. *de Iubilæo extraord. quæſt.* 149.

Dvbitatio IV.

V. *An vouens, qui in obtinenda ſui voti pœnalis commutatione meminit tantùm de obligatione in futurum, non autem de pœna incurſa, maneat liber à pœna incurſa?*

Dico ſeptimò, ſi vouens in obtinenda ſui voti pœnalis commutatione ſolùm mentionem fecit de obligatione in futurum, non autem de pœna iam incurſa, & noo ſoluta, non cenſetur liber quoad pœnam incurſam. quia Confeſſarius electus vigore Iubilæi, cui noo fuit expreſſa obligatio pœnæ iam incurſæ, ooo præſumitur habuiſſe intentiooem commutandi pœnam non expreſſam: voluntas enim non fertur io cognitum.

Articvlvs VI.

De commutatione votorum, tempore Iubilæi.

Svmmarivm.

1. *An virtute Iubilæi poſſit Confeſſarius commutare vota, quorum numerum pœnitens non meminit? &, Quomodo talis commutatio debeat fieri?*
2. *An qui tempore Iubilæi noluit commutationem votorum petere, poſſit illo tranſacto, petere eorumdem commutationem.*
3. *An vota emiſſa ſub certa ſpe obtinendi Iubilæum, poſſint commutari.*
4. *An Confeſſarius, tempore Iubilæi occupatus confeſſionibus, poſſit commutare vota, non explicando materiam in quam fit commutatio? &, An tunc pœnitens teneretur ſeruare votum.*
5. *An voto commutato liceat ſeruare primum.*
6. *An vouens de non ludendo, vel non fornicando, poſſit tempore Iubilæi bis votis liberari.*

7. An

7. *An vouens non ludere, ſub pœna ſi luſerit, quòd teneatur ad caſtitatem, vel ingreſſum Religionis, vi Iubilæi poſſit Confeſſarius commutando illi votum non ludendi, etiam commutare votum caſtitatis, vel Religionis.*

8. *An votum caſtitatis, emiſſum ſub hac conditione, quòd ſi violetur, largiatur vouens certam pecuniam, poſſit à Confeſſario, vigore Iubilæi, commutari.*

9. *An tempore Iubilæi poſſit Confeſſarius commutare iuramenta ſeruandi caſtitatem, vel ingrediendi Religionem.*

10. *An Confeſſarius, virtute Iubilæi, poſſit commutare vota pœnalia, caſtitatis, & Religionis, ante impletam conditionem? explicatur quid ſit votum pœnale.*

Dvbitatio I.

I. *An virtute Iubilæi poſſit Confeſſarius commutare vota, quorum numerum pœnitens non meminit? & quomodo talis commutatio debeat fieri?*

Dico primò, virtute Iubilæi poteſt Confeſſarius ſimpliciter commutare omnia vota pœnitentis, quorum numeri eſt oblitus. quia pro illis votis oblitis, æquale eſt illud opus, quod à Confeſſore electo iniungitur, ad quem ſpectat talem æqualitatem ponere perſpecta qualitate perſonæ pœnitentis, & eius conſuetudine in vouendo: ex quo fit, vt ſi poſtea commutatione peracta, & Iubilæi tempore expleto, recordetur pœnitent alicuius voti particularis, alia commutatione non indigebit. quia tunc in tali commutatione adeſſet iuſta cauſa, vt ſupponitur, adeſſet etiam iuriſdictio in commutante; ergo valida eſſet commutatio, cùm illud opus quod à Confeſſore iniungitur, æqualitatem poneret perſpecta qualitate pœnitentis, &c. videatur Bela *in ſuis reſponſis part.* 2. *caſu nono, verſ. Crediderim tamen,* Sayr. *lib.* 6. *Clauis Reg. c.* 12. *n.* 18.

Dvbitatio II.

II. *An ille qui tempore Iubilæi noluit commutationem votorum petere, poſſit, illo tranſacto, petere eorumdem commutationem?*

Dico ſecundò, qui tempore Iubilæi memor ſui voti noluit petere vt Confeſſarius ſibi illud commutaret, quia volebat illud implere, poſtea tranſacto Iubilæo, poteſt, ſi vult, petere illius commutationem, ſi adimpleuit omnia opera præſcripta in Iubilæo. quia cùm hic quidquid ad Iubilæum erat neceſſarium perfecerit, iam priuilegium vt ſibi vota ante conſequutionem emiſſa commutati valeant, acquiſiuit; ſed hoc priuilegium ad tempus Iubilæi non eſt limitatum. ergo tranſacto Iubilæo, priuilegio ſibi parto vti poteſt. Videatur Sanchez *lib.* 4. *in Decalogum, cap.* 54. *num.* 40.

Dvbitatio III.

III. *An vota emiſſa, ſub certa ſpe obtinendi Iubilæum, poſſint commutari?*

Dico tertiò, vota, quæ ſub certa ſpe obtinendi Iubilæum ſunt emiſſa, poſſunt tempore Iubilæi commutari. Probatur, quia qui peccat ſub certa ſpe obtinendi abſolutionem virtute Iubilæi, poteſt ab illo peccato abſolui, niſi in Bulla Iubilæi contrarium exprimatur; ergo à fortiori qui votum emittit ſpe concepta obtinendi commutationem, poterit illi tale votum ex vi Iubilæi commutari. Nauarr. *comment. de Iubilæo, notab.* 34. *num* 6.

Dvbitatio IV.

IV. *An Confeſſarius tempore Iubilæi occupatus confeſſionibus, poſſit commutare vota non explicando materiam, in quam ſit commutatio? & an tunc pœnitens teneretur ſeruare votum?*

Dico quartò, Confeſſarius ſi tempore Iubilæi eſſet multum occupatus in audiendis confeſſionibus, poſſet votum pœnitentis hoc modo commutare: Ego in præſenti tuum votum in illud opus pietatis commuto, quod ego poſtea, aut vir prudens iudicauerit. nam hæc commutatio facta eſt tempore Iubilæi, & obligatio voti circa primam materiam transfertur in materiam à Confeſſore, vel à viro prudenti determinandam. Ita bene Sayr. *lib.* 6. *Clauis Regia, cap.* 12. *num.* 21. *ad finem.*

Dico quintò, pœnitent, qui hoc modo obtinuit commutationem, non peccaret contra votum, ſi donec deſignata fuerit ſibi materia, votum non ſeruaret. quia obligatio voti fuit extincta, & tranſlata in materiam determinandam à Confeſſario, vel à viro prudente. ergo non peccat contra votum, donec illud aliud deſignetur.

Dico ſextò, ſi verò Confeſſarius tantùm dixit: Commutabo votum in id, quod ego attentiùs conſiderata qualitate cauſæ, vel modo commutationis iudicauero; tunc pœnitens peccaret ſi primum votum non ſeruaret. quia in iſto caſu obligatio prioris voti nondum eſt ablata, ſed viget, donec per Confeſſarium auferatur, & in aliquid aliud opus pium transferatur: videatur Sanchez *lib.* 4. *in Decalogum, cap.* 54. *num.* 32.

Dvbitatio V.

V. *An, voto commutato, liceat ſeruare primum?*

Dico ſeptimò, facta commutatione voti licitum eſt vouenti omiſſa commutatione ſeruare primum votum. quia commutatio voti fit in fauorem vouentis: at liberum eſt vnicuique cedere ſuo fauori; ergo poterit primum votum adimplere. Azor. *part.* 1. *inſtit. mor. lib.* 11. *cap.* 18. *dub.* 10. Limitant tamen hoc dictum aliqui DD. eſſe veriſſimum quando votum commutatur in minus bonum, vel in æquale, non autem quando votum commutatur in melius: vt qui priùs Sacerdotium vouit, & poſtea huiuſmodi votum commutauit in votum Religionis, non poteſt deinde relicta Religione Sacerdotium ſumere; quia poſterior obligatio priori præualet, & votum poſterius eſt ex reſeruatis Pontifici: videatur Bonacina *tom.* 1. *tract. de legibus, diſp.* 4. *q.* 2. *puncto* 7. §. 3. *num.* 20.

Dico octauò, non obſtat contra primam partem huius aſſertionis quòd obligatio ſemel extincta non reuiuiſcit; ſed obligatio prioris voti fuit extincta per commutationem: ergo non ampliùs reuiuiſcit, conſequenter vouens non poterit prius votum adimplere prætermiſſo ſecundo in quod facta eſt commutatio. hoc, inquam, non obſtat: quia obligatio prioris voti non fuit abſolutè extincta, ſed ſub conditione, vt vouens ſeruet prius votum, vel id in quod fuit commutatum. Ita bene notauit D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib.* 4. *de Iubilæo extraord. quæſt.* 158.

Dvbitatio VI.

VI. *An vouens de non ludendo, vel non fornicando, poſſit tempore Iubilæi his votis liberari?*

Dico nonò, votum de non ludendo, ludo, qui aliàs ſit peccatum, ſimiliter, & votum non fornicandi, poteſt tempore Iubilæi ex cauſa commutari in melius, vel æquè bonum, arbitrio Conſeſſarij: immò & diſpenſari poteſt ab habente aliàs facultatem diſpenſandi in votis; qoia vna ex legitimis cauſis ad votum caſtitatis commurandum, eſt magna fragilitas, quam vouens in ſe ipſo experitur ad obſeruandum votum, & ob quam moraliter credit oon adimpleturum id quod vouit, vt ait Angel. *verb. votum*, §. 6. & ita in ſacra Pœnitentiaria admittitor pro cauſa legitima diſpenſandi in voto ſimplici caſtitatis vrgeri grauibus ſtimulis carois ad fornicandum, eo quòd putar eſſe bonum liberari iſtum à fractione voti per ſanctum matrimonium; ergo poterit ſimiliter Conſeſſarius tempore Iubilæi commutare votum non ludendi ludo mortali, vel votum non fornicandi, vt ſic habens tale votum liberetur à ſacrilegio fractionis voti: tum, quia commmiſſuro vnum de duobus peccatis recte facir ille, qui conſulit, vt committat minus. ergo cùm vouens non ludere ludo mortali, vel nun fornicari ptopter ſuam fragilitatem, voto ſic aſtrictus ſit commiſſutus duplex peccatum, recte facit Conſeſſarius tempore Iubilæi commutando tale votum vt pœnitens non committat duplex peccatum, & minus peccet ludendo, vel fornicando. Ita benè Nauatr. *tom. 1. conſil. lib. 3. de voto, conſil. 36.*

Dico decimò, non obſtare contra præcedens aſſertum rationem, quæ poſſet contra illud adduci: nam per talem commutationem, & diſpenſationem daretur occaſio liberiùs peccandi, quæ noo eſt danda. l. *conueniri*, *ff. de pactis dotalibus. cap. ex parte, de conſuetud.* reſpondetur hoc non obſtare. nam pet talem commutationem, & diſpenſationem tollitur tantùm, & per ſe, occaſio non committendi duplex peccatum, alterum fornicandi, alterum frangeodi votum: quod reſultat io booorem Dei, & io vtilitatem ipſius peccatoris ſic vouentis iu vtilitatem ipſius peccatoris; quia pet talem commutationem eximitur ab occaſione committendi duplex peccatum in obſeqnium, & honorem Dei, quia duplici peccato non offenderetur: videatur Nauatr. *loco cit. ſolut. ad 2.* Beia *p. 4. in reſponſis, caſu nono*, §. *Ad ſecundum dicimus.*

Dvbitatio VII.

VII. *An vouens non ludere ſub pœna, ſi luſerit, quòd teneatur ad caſtitatem, vel ingreſſum Religionis, vi Iubilæi poſſit Conſeſſarius, commutando illi votum non ludendi, etiam commutare votum caſtitatis, vel Religionis?*

Dico vndecimò, ſi quis voueat non ludere, & ſi ludat promittat caſtitatem, vel ingreſſum Religionis, poteſt Conſeſſarius vi Iubilæi commutando illi votum non ludendi, commutare etiam votum caſtitatis, & Religionis, quia ſublato principali, aufertur etiam acceſſorium; ſed in iſto voto principalius eſt noo ludere, & acceſſorium eſt ſeruare caſtitatem, vel ingredi Religiooem: ergo cùm Conſeſſarius vigore Iubilæi poſſit primum quod eſt principalius, poterit & annexum quod eſt acceſſorium.

Dvbitatio VIII.

VIII. *An votum caſtitatis emiſſum ſub hac conditione, quòd ſi violetur, largiatur vouens certam pecuniam, poſſit à Conſeſſario vigore Iubilæi commutari?*

Dico duodecimò, ſi quis verò voueat caſtitatem, & ſi eam violet, voueat largiri certam pecuniam, Conſeſſarius electus vi Iubilæi poteſt votum eleemoſynæ commmutare, quia noo eſt circa materiam reſeruatam, oon verò poteſt commutare votum priocipale caſtitatis: nam eſt Romano Pontifiei reſeruatum. Videatur Suarez *tom. 1. de Religione, tract. de voto lib. 6. cap. 13. n. 3.* D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 4. de Iubilæo extraord. quæſt. 159.*

Dvbitatio IX.

IX. *An tempore Iubilæi poſſit Conſeſſarius commutare iuramenta ſeruandi caſtitatem, vel ingrediendi Religionem?*

Dico decimotertiò, tempore Iubilæi Conſeſſarius non poteſt commutare iuramenta ſeruandi caſtitatem, vel ingrediendi Religionem. quia talia iuramenta cùm reſpiciant aliquam promiſſionem factam Deo, induunt rationem votorum; ſed Conſeſſarius vigore Iubilæi noo poteſt vota caſtitatis, vel Religionis commutare. ergo oec etiam iuramenta caſtitatis, vel Religionis.

Dvbitatio X.

X. *An Conſeſſarius virtute Iubilæi poſſit commutare vota pœnalia caſtitatis & Religionis, ante impletam conditionem? &, quid ſit votum pœnale?*

Dico decimoquartò, Conſeſſarius poteſt virtute Iubilæi commutare vota pœnalia caſtitatis, & Religionis, ante impletam conditionem. Votum pœnale eſt cùm quis, v. g. vuuet ſe non loſurum, aut aliquid facturum, ſub pœoa ingrediendi Religionem, aut caſtitatem ſeruandi; quia huiuſmodi vota tunc non ſunt emiſſa ex affectu ſeruandi caſtitatem, vel ingrediendi Religiooem, ſed potiùs ſunt non ludendi, vel non peccandi; ergo ante adimpletam conditionem, ideſt, antequam quis luſerit ſtando in exemplo poſito, poterit Conſeſſarius vi Iubilæi illa commurare: videatur Sotus *lib. 7. de iuſt. quæſt. 2. art. 1.* §. *In ſolutione ad 4. verſic. pœnale autem eſt.* Toletan. *ſumma lib. 4. cap. 18. num. 8.*

Dico decimoquintò, etiam poſt adimpletam conditionem huiuſmodi vota pœnalia poſſunt vi Iubilæi commutari. quia talia vota non procedunt ex deuotiooe, & amore ad caſtitatem, ſeu Religionem, ſed potiùs imponuotur à vouente tanquam odia, & tanquam pœnæ pro ludo, vel alio peccato vitando. Summus verò Pontifex reſeruat ſibi illa vota quando procedunt ex amore & deuotione ad caſtitatem, vel ad Religiooem: & ita hanc ſententiam tenent Lopez noſter *part. 1. inſtruct. Conſeſſ. cap. 44.* §. *ſi autem ſub iſta forma.* Corradus *tom. 1. quæſt. 312.* §. *dubium eſt.* Sayr. *lib. 6. Clauis Regiæ cap. 11. num. 72.* Sanchez *lib. 4. in Decalogum, cap. 40. num. 91.* oppoſitum tamen docet Sotus *lib. 7. de iuſt. quæſt. 2. art. 1. ad 4.* Axor. *part. 1. inſtit. mor. lib. 11. cap. 40. dub. 3.*

ARTICVLVS VII.

De commutatione votorum conditionalium?

SVMMARIVM.

1. *An vota conditionalia caſtitatis & Religionis, ante expletam conditionem poſſint à Confeſſario vigore Iubilæi commutari? & explicatur vota conditionalia quanam ſint.*
2. *An vota tantùm apparenter conditionalia, poſſint à Confeſſario vi Iubilæi commutari.*
3. *Quidnam ſit votum conditionale apparenter.*
4. *An poſſit commutari votum illius, qui in infirmitate poſitus, vouit Religionem, ſi venens liberetur ab ea, virtute Iubilæi, ante adimpletam conditionem.*

DVBITATIO I.

I. *An vota conditionalia caſtitatis, & Religionis, ante expletam conditionem poſſint à Confeſſario, vigore Iubilæi, commutari? & explicatur vota conditionalia quanam ſint?*

DIco primò, vota conditionalia caſtitatis & Religionis, vt cùm quis poſitus in aliquo periculo Deo Religionem, vel caſtitatem vouet, ſi ab eo periculo liberetur, ante expletam conditionem poſſunt à Confeſſario vigore Iubilæi commutari. quia durante conditione vota caſtitatis, & Religionis non ſunt vota abſoluta & completa, cùm non ſtatim obligent, niſi poſt adimpletam conditionem appoſitam, ſed quando ſummus Pontifex ſibi caſtitatis, & Religionis vota reſeruat, intelligitur de votis abſolutis, & completis, quæ ſtatim vouentem obligant, non autem cùm obligatio imperfecta eſt, & diminuta, & conditionata: ſic docet Sayr. *lib. 6. Clauis Regia, cap.* 11. *num.* 77. Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio, diſput.* 10. *num.* 12. Leſſ. *lib.* 2. *de Iuſtitia, cap.* 40. *dub.* 18. *num.* 129. §. *Sextus eſt.* Ad maiorem intelligentiam præcedentis aſſerti

Dico ſecundò, ſi conditio appoſita in voto emiſſo conditionato ſit de præſenti, vel de præterito, vt, Voueo Religionem, ſi ita res ſe habet modò, aut ſe habuit: voueo caſtitatem ſi filius meus hodie viuit, aut nudiuſtertius vixit, dicta vota virtute Iubilæi commutari non poſſunt: nam huiuſmodi conditio de præſenti, aut de præterito non ſuſpendit conſenſum vouentis, nec efficit huiuſmodi vota propriè conditionalia, ſed abſoluta, ſi conditio tunc vera ſit, ſiue vouens ſciat, ſiue ignoret conditionem extare. Suarez *tom.* 2. *de Religione tract. de voto lib.* 6. *cap.* 23. *num.* 91. Sanchez *lib.* 4. *in Decalogum, cap.* 4. *num* 88.

Dico tertiò, ſi huiuſmodi vota conditionalia ſunt facta ſub conditione neceſſaria, vt, Si cras ſol orietur, ingrediar Religionem; certum eſt tunc huiuſmodi vota non poſſe à Confeſſario commutari tempore Iubilæi: quia cùm ea conditio ſit neceſſariò euentura, habetur pro impleta. ergo votum eſt per ſe abſolutum: ergo non poteſt Confeſſarius illud commutare. Bonacina *tom.* 2. *in Decalogum, diſput.* 5. *quæſt.* 2. *puncto* 7. §. 4. *num.* 17. *verſic. Idem dicendum.*

DVBITATIO II.

II. *An vota tantùm apparenter conditionalia, poſſint à Confeſſario vi Iubilæi commutari?*

Dico quartò, vota non purè conditionalia, ſed tantùm apparenter, etiamſi ſint ſub conditione de futuro, non poteſt Confeſſarius virtute Iubilæi commutare: nam huiuſmodi vota ſunt verè abſoluta: videatur D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib.* 3. *de votorum diſpenſatione, quæſt.* 110.

III. *Quidnam ſit votum conditionale apparenter?*

Dico quintò, votum conditionale apparenter illud eſt, quando particula *ſi*, non apponitur ad ſuſpendendum conſenſum vſque ad conditionis euentum, ſed apponitur ad determinandum tempus adimplendi votum; vt ſi vouens dicat: Voueo Religionem ſi pater meus obierit; ſenſus huius voti eſt, Voueo ingredi Religionem quando pater meus obierit. Hoc votum conditionale apparenter non poteſt commutari vigore Iubilæi; quia eſt votum abſolutum, vt dixi præcedenti aſſerto, & particula *ſi*, non ſuſpendit conſenſum vouentis vſque ad conditionis euentum, ſed tantùm determinat tempus adimpletionis voti. ergo tale votum apparenter conditionale neque ante, neque poſt conditionis euentum poteſt virtute Iubilæi commutari. Ita bene Petrus de Ledeſma *tom.* 2. *ſumma tract.* 10. *cap.* 8. *in* 3. *part.* vbi agit de potentibus in voto diſpenſare poſt dictum quartum, in dubio, quod ibi de hac re mouet, quem ſequitur, & adducit Sanchez *lib.* 4. *in Decalogum, cap.* 40. *num.* 93.

DVBITATIO III.

IV. *An poſſit commutari votum illius, qui in infirmitate poſitus, vouit Religionem, ſi venens liberetur ab ea, virtute Iubilæi, ante adimpletam conditionem?*

Dico ſextò, quando votum eſt merè conditionale de futuro, vt cùm quis in infirmitate poſitus vouet Religionem ſi ſanus euaſerit, in quo caſu voluntas vouentis non eſt directè circa Religionem, ſed in ſanitatem, ad quam obtinendam offert Deo Religionem, pendétque obligatio hæc à futuro euentu, poteſt tale votum ne dum ante adimpletam conditionem commutari virtute Iubilæi, vt diximus *aſſertione* 1. *huius articuli*; ſed etiam quando conditio eſt expleta. quia cùm talia vota non fiant ex affectu Religionis, ſed potiùs ex affectu commodi, quod vouens à Deo expectat, vt in exemplo poſito, cùm in mortis periculo quis promittit Religionem ſi euaſerit, non id facit ex affectu Religionis, ſed ex affectu vitæ, & timore mortis: vnde obtento beneficio multi dolent ſe vouiſſe. ergo cùm ſummus Pontifex non reſeruet ſibi vota Religionis, & caſtitatis, niſi quatenus procedunt ex affectu Religionis, & ex amore caſtitatis, & hæc non ſint talia, poterit Confeſſarius vigore Iubilæi illa in alia pietatis opera commutare: tum, quia, vt diximus *aſſertione* 15. *art.* 6. *huius diſquiſitionis*; ideo Confeſſarius poteſt commutare vota pœnalia Religionis & caſtitatis etiam poſt culpam commiſſam; quia ea ex affectu rei præmiſſæ non procedunt, ſed potiùs ex affectu ad ipſam conditionem; ergo ſimiliter vota conditionalia poſt adim-

pleiam conditionem poterit commutare, ob eandem rationem: & ita hanc ſententiam tenet noſter Petrus de Ledeſma *part.2. ſumma tract.10.c.8.* Toletus *ſumma lib.4.cap.18. n.8.* vbi abſolutè, & indiſtinctè aſſerit diſpenſationem & commutationem votorum pœnalium & conditionalium caſtitatis, ac Religionis, ac reliquorum reſeruatorum, ad Epiſcopum pertinere: ſed Confeſſarius virtute Iubilæi eo tempore poteſt commutare facultate ſibi delegata à Romano Pontifice ea vota, quæ poteſtate ordinaria poteſt Epiſcopus commutare. ergo, &c. Videatur etiam Sanchez *lib.8. de matrim. diſp.10. n.13.* D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib.3. de votorum diſpenſatione, q.111.* licèt oppoſitum tenuerit Sayr *lib.6. Clauis Regiæ, cap.11. num.77.* Leſſius *lib.2. de Iuſtitia, cap.40. dub.18. num.119. verſ. Senſus eſt,* non poſſe ſcilicet huiuſmodi vota conditionalia de futuro poſt adimpletam conditionem vigore Iubilæi commutari, idque docuit etiam Bonacina *tom. 1. in Decalogum, diſput.4. quæſt.2. puncto 7. §.4. num.17. verſic. Dixi modò conditio.*

Dico ſeptimò, non obſtare contra præcedens aſſertum rationem, quæ poſſet adduci: nam poſt conditionem impletam huiuſmodi vota conditionalia videntur abſoluta, & perfecta. ergo, &c. hoc, inquam, non obſtat: quia ſemper proueniunt ex voluntate imperfecta ad Religionem, ſeu caſtitatem, cùm talia vota non fiant ex affectu Religionis, ſeu caſtitatis, ſed potiùs commodi, quod vouens à Deo expectat: videatur etiam præter DD. citatos aſſertione præcedenti, Antonius Gomes *in Bulla Cruciata, clauſula 10. num. 99.*

Dico octauò, ſi quis tamen in infirmitate poſitus voueat Religionem ſi à morbo liberetur, ſi animus vouentis tunc affectus ſit omnino ad Religionem, & defectus ſanitatis impediat, tunc votum eſt abſolutum, & commutari non poteſt virtute Iubilæi. quia huius voti ſenſus eſt, quando ſanus euaſero, ingrediar Religionem; ergo cùm dictio *ſi*, tunc non ſit verè conditio, ſed potiùs temporis voti implendi determinatio, & conditio tantùm ſit apparenter, cùm non apponatur ad ſuſpendendum vouentis conſenſum, ſed ad determinandum tempus adimplendi votum, votum erit ſimpliciter abſolutum, apparenter, licèt conditionatum; ergo non poterit tunc Confeſſarius vigore Iubilæi, &c. Poteſt tamen Confeſſarius vota verè conditionalia de futuro vi Iubilæi commutare, vt dixi aſſertionibus præcedentibus, etiam poſt adimpletam conditionem; quia tunc affectus vouentis non fertur directè in rem promiſſam, ſed in aliud quod cupit obtinere, quod ponitur ſub conditione: videantur DD. citati, & Sanchez *lib.4. in Decalogum, cap.40. num.99.*

ARTICVLVS VIII.

De commutatione votorum caſtitatis, & Religionis.

SVMMARIVM.

1. *An poſſint commutari vi Iubilæi vota caſtitatis, & Religionis, quando fuerunt emiſſa cum expreſſa intentione non ſe obligandi ad mortale.*
2. *An Confeſſarius vigore Iubilæi poſſit commutare votum, cuius vna pars eſt reſeruata Pontifici, & alia non.*
3. *An votum, de non petendo commutationem votorum, niſi à Romano Pontifice, poſſit ex vi Iubilæi commutari.*
4. *An vota caſtitatis, & Religionis emiſſa ad tempus, poſſint commutari vi Iubilæi.*
5. *An vota caſtitatis, & Religionis, poſſint commutari vi Iubilæi, quando dubitatur de illorum validitate, vel reſeruatione Romano Pontifici.*
6. *An vi Iubilæi poſſint commutari vota Religionis, & caſtitatis, emiſſa ex metu leui, ab extrinſeco, ad extorquendum votum.*
7. *Explicatur quidnam ſint metus leuis, & grauis.*
8. *An votum emiſſum metu mortis, extrinſecus quidem, ſed ex cauſis naturalibus, ſit obligatorium.*
9. *An votum non adulterandi, &c. poſſit vi Iubilæi commutari.*
10. *An votum virginitatis abſolutè emiſſum, ſit ſummo Pontifici reſeruatum; & ſic vouens, ſi ſemel corrumpatur, teneatur poſtea ad perpetuam continentiam.*
11. *An votum virginitatis emiſſum ſine intentione ſeruandi perpetuam virginitatem & caſtitatem, poſſit per Iubilæum commutari.*
12. *An votum non nubendi, poſſit virtute Iubilæi commutari.*
13. *An votum ſuſcipiendi Ordines ſacros, ſit idem quod votum caſtitatis, & tale poſſit per Iubilæum commutari.*
14. *An votum non tangendi mulierem libidinosè, vel non cognoſcendi illam carnaliter, poſſit vi Iubilæi commutari.*

DVBITATIO I.

I. *An poſſint commutari, vi Iubilæi, vota caſtitatis, & Religionis, quando fuerunt emiſſa cum expreſſa intentione, non ſe obligandi ad mortale?*

Dico primò, qui caſtitatem, vel Religionẽ vouit, cum expreſſa intentione non ſe obligandi ad illa ſub mortali, talia vota poſſunt vi Iubilæi commutari. quia talia vota non ſunt perfecta, prout eſſe debent, quando Romano Pontifici reſeruantur, quorum obligatio eſt ſub mortali; ergo ſi vouens dum talia vota emitteret, haberet intentionem obligandi ſe ſub veniali, vel ſub nulla obligatione, talia vota ſic emiſſa non eſſent reſeruata. ergo Confeſſarius vi Iubilæi poſſet illa commutare: videatur Bonacina *tomo 2. tract. in Decalogum, diſput.4. quæſt.2. puncto 7. §.4. num.20.*

DVBITATIO II.

II. *An Confeſſarius vigore Iubilæi poſſit commutare votum, cuius vna pars eſt reſeruata Pontifici, & alia non?*

Dico ſecundò, Confeſſarius tempore Iubilæi poteſt commutare votum Romano Pontifici reſeruatum, quando eſt diſiunctiuè promiſſum cum alio voto non reſeruato, vt votum caſtitatis ſeruandæ, vel ſacros Ordines ſuſcipiendi, modò vouens nondum elegerit partem reſeruatam. quia in alternatiuis electio eſt debitoris, vt conſtat ex regulis iuris in 6. ergo cùm in poteſtate debitoris, ſeu vouentis ſit eligere partem non reſeruatam, votum cuius vna pars eſt reſeruata, & altera non reſeruata, appellandum non videtur reſeruatum ante electionem partis reſeruatæ. ergo tunc poterit, &c. Sayr. *lib.6. Clauis Regiæ, cap.11. num.62.*

Dico tertiò, poſt electionem factam de materia reſeruata caſtitatis, non poteſt Confeſſarius vigore

Iubilæi

Iubilæi tale votum commutare. quia cùm vouens elegerit partem reſeruatam, nempe ſeruare caſtitatem, non poteſt ampliùs voluntatem mutare, & eam in Clericatum commutare: nam Deus propter talem electionem caſtitatis votum acceptauit. ergo non ampliùs dici poteſt tale votum disiunctiuum, ſed abſolutum, quod Pontifici reſeruatur. Azor. *part. 1. inſtit. mor. lib. 11. cap. 19. dub. 10.*

Dvbitatio III.

III. ***An votum de non petendo commutationem votorum, niſi à Romano Pontifice, poſſit ex vi Iubilæi commutari?***

Dico quartò, votum de non petendo commutationem votorum niſi à Romano Pontifice, poteſt ex vi Iubilæi commutari. quia huiuſmodi votum non eſt ſummo Pontifici reſeruatum, vt conſtat, cùm non ſit neque caſtitatis, neque Religionis, neque peregrinationis Hieroſolymitanæ, neque Compoſtellanæ, neque Romanæ: tum, quia priuata vouentis intentio, ſeu voluntas, non poteſt poteſtatem Superioris coarctare. Sayr. *in Claui Regia, lib. 6. cap. 11. num. 67.* Sanchez *lib. 4. in Decalogum, cap. 40. num. 13.*

Dvbitatio IV.

IV. ***An vota caſtitatis, & Religionis emiſſa ad tempus, poſſint commutari vi Iubilæi?***

Dico quintò, vota caſtitatis, vel Religionis ad tempus, puta per decem, vel viginti annus, poſſunt virtute Iubilæi commutari. quia votum quod in Iubilæo excipitur, eſt ſimpliciter votum caſtitatis, vel Religionis: votum autem ſimpliciter Religionis, vel caſtitatis, eſt votum perpetuum. ergo, &c. quòd ſi id votum fiat ad tempus longiſſimum, quod inducat votum perpetuum, puta ad centum annos, non poterit commutari vigore Iubilæi; quia vita hominis non præſumitur ampliùs duratura: videatur Sotus *lib. 7. de Iuſt. quæſt. 4. art. 3.* Henriquez *lib. 7. cap. 30. num. 6.*

Dvbitatio V.

V. ***An vota caſtitatis, & Religionis, poſſint commutari vi Iubilæi quando dubitatur de illorum validitate, vel reſeruatione Romano Pontifici?***

Dico ſextò, votum caſtitatis, vel Religionis poteſt vi Iubilæi commutari, quando de eo dubitatur an ſit validum, vel non, an ſit reſeruatum Romano Pontifici, vel non. quia cùm diſpenſationis, vel commutationis reſeruatio ſit odioſa, eſt reſtringenda ad caſus certos; dubij enim non comprehenduntur ſub reſeruatione: tum, quia vota reſeruata non ſunt dubia, ſed certa, at in dubiis benignior pars eſt accipienda. ergo, &c. Videatur Bonacina *tom. 2. tract. in Decalogum, diſp. 4. quæſt. 2. puncto 7. §. 4. num. 17.*

Dvbitatio VI.

VI. ***An vi Iubilæi poſſint commutari vota Religionis, & caſtitatis emiſſa, ex metu leui, ab extrinſeco, ad extorquendum votum?***

Dico ſeptimò, vi Iubilæi poſſunt commutari vota Religionis, vel caſtitatis emiſſa etiam ex metu leui incuſſo ab extrinſeco ad extorquendum votum. quia non cenſetur Pontifex velle quaſi iniuriam illam fouens reſeruare huiuſmodi vota emiſſa per metum leuem ab extrinſeco incuſſum ad illa extorquenda. ergo vi Iubilæi poterunt hæc vota, &c. Videatur Tabiena *verb. Diſpenſatio, quæſt. 9. num. 11.* Sanchez *lib. 4. in Decalogum, cap. 4. num. 30.*

Dico octauò, præcedens aſſertum non intelligitur de voto Religionis, vel caſtitatis, emiſſo ex metu cadente in virum conſtantem, incuſſo per iniuriam ab homine ad extorquendum tale votum, videlicet in illum finem, vt emittat votum, quia tale votum eſt irritum & nullum, vt patet in terminis ex *cap. perlatum, de his, quæ vi metuſque cauſa fiunt*, vbi determinatur de quodam Nobili, qui cùm vxorem ſuam ſuſpectam haberet, gladio occidere voluit; ſed pietate ductus, ſub tali conditione pepercit ei, quòd in Monaſterio habitum ſuſciperet Monachalem: vbi Alexander III. determinat profitentem Religionem ob talem metum incuſſum ab extrinſeco per iniuriam ad extorquendum votum exire poſſe è Religione, & liberè contrahere matrimonium. Præcedens igitur aſſertum intelligitur de metu leui facto, qui metus non eſt ſufficiens ad votum irritum reddendum: & conſequenter ſic emiſſum eſt validum; poteſt nihilominus Epiſcopos, & Confeſſarius vi Iubilæi illud commutare propter rationem ibi allatam: videatur etiam D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 3. de votorum commutatione, quæſt. 59.* Ad maiorem intelligentiam harum duarum aſſertionum,

Dvbitatio VII.

VII. ***Quidnam ſint metus leuis, & grauis?***

Dico nonò, metus eſt duplex, leuis, & grauis. Grauis eſt quo perturbatur homo fortis & conſtans, vt quando verè, probabiliter, & rationabiliter timetur graue malum à potente aliàs illud inferre, vt eſt periculum mortis, verberum, dedecoris, ſeruitutis, amiſſionis bonorum, & ſimilium malorum, dum probabiliter, & rationabiliter timentur. Metus verò leuis, eſt quo perturbatur homo meticuloſus, & incōſtans, timens leue malum, vel graue malum, ſed leuiter, variè, & irrationabiliter: vt quando quis homo iuuenis, & fortis à puero inermi, vel à ſene defeſſo, & ſenio confecto, mortem ſibi inferendam timeret: videatur Medina 1. 2. *quæſt. 6. art. 6. in principio commenti.* Sayr. *lib. 6. Clauis Regiæ, cap. 4. num. 14.*

Dvbitatio VIII.

VIII. ***An votum emiſſum metu mortis, extrinſecus quidem, ſed ex cauſis naturalibus, ſit obligatorium?***

Dico decimò, votum factum metu mortis extrinſecus quidem, ſed ex cauſis naturalibus veniente, validum eſt, & obligatorium: vt verbi gratia, ſi quis ad euitandum mortis periculum in naufragio conſtitutus voueret caſtitatem, vel Religionem; quia talis metus etſi ſit grauis, tamen non eſt à cauſa libera per iniuriam illatus ad extorquendum votum, & vouens in tali periculo conſtitutus eligit votum, tanquam medium, quo Deo propitio periculum mortis euadat; ergo validum & obligatorium eſt tale votum: videatur Nauarr. *ſumma cap. 12. num. 52. verſ. 21.* Lopez *part. 1. inſtruct. cap. 45.* Videatur pro hac aſſertione *cap. ſicut nobis el 2. de Regularibus.*

Dvbitatio IX.

IX. *An votum non adulterandi,&c. poſſit vi Iubilæi commutari?*

Dico vndecimò, votum non adulterandi, non fornicandi, non comittendi peccatum mollitiei, poteſt virtute Iubilæi commutari. quia tale votum non eſt integræ, & abſolutæ caſtitatis. Sotus *lib.7.de Iuſtitia, quaſt. 4. art.3.*

Dvbitatio X.

X. *An votum virginitatis abſolutè emiſſum ſit ſummo Pontifici reſeruatum, & ſic vouens ſi ſemel corrumpatur, teneatur ad perpetuam continentiam?*

Dico duodecimò, vouens virginitatem abſolutè, & ſimpliciter, nihil cogitans, differat ne virginitas aliqua ratione à caſtitate, nécne, hoc votum eſt abſolutè, & ſimpliciter caſtitatis, & Papæ reſeruatum, & conſequenter vigore Iubilæi commutari non poteſt. Probatur. nam votum virginitatis ſimpliciter, & abſolutè eſt idem quod votum caſtitatis, vt docet D.Thom. 2.2.*quaſt.*88.*art.*3.*ad* 2. Tenebitur igitur vouens ſic virginitatem ſi poſtea corrumpitur ad perpetuam cootinentiam, & conſequenter tale votum cùm ſit Papæ reſeruatum, vi Iubilæi commutari non poterit: videatur D.Thom.*loc.cit.*

Dvbitatio XI.

XI. *An votum virginitatis emiſſum ſine intentione ſeruandi perpetuam virginitatem, & caſtitatem, poſſit per Iubilæum commutari?*

Dico decimotertiò, vouens tamẽ virginitatem ſine intentione ſeruandi perpetuã caſtitatem, ſed tantùm vitandi illum primum actum deflorationis integritatis, non vouet ſimpliciter caſtitatem, ideo poteſt tale votum virtute Iubilæi commutari. Probatur, in iſto caſu, amiſſa virginitate, vouens non tenetur ampliùs voti vinculo ad caſtimoniam ſeruandam; ergo cùm non ſit tale votum perpetuæ caſtitatis, poterit vi Iubilæi commutari. Videatur Caietan. 2. 2. *quaſt.*88. *art.* 3. §. *Ad hoc dicitur.* Lopez *part.*1.*inſtruct. cap.*44. §. *Iam diximus.*

Dvbitatio XII.

XII. *An votum non nubendi poſſit virtute Iubilæi commutari?*

Dico decimoquartò, votum non nubendi poteſt virtute Iubilæi commutari. quia non eſt votum ſimpliciter caſtitatis. ergo, &c. Probatur antecedens. nam votum ſimpliciter caſtitatis dicit omnimodam continentiam à venereis; ſed votum non nubendi non reſpuit tanquam materiam, omnimodam continentiam à venereis. ergo, &c. Maior probatur, nam vouens caſtitatem in quocunque actu venereo peccaret contra votum: vouens autem non nubere non violat votũ ſi poſtea fornicetur, vt rectè animaduertit Sotus *in 4.diſt.*38.*quaſt.*2. *art.*1. *concluſ.* 1. *in fine.* Syl. *verb. votum* 4.*quaſt.*4. *in fine.* Idémque ſeruatur in Prætorio ſacræ Pœnitentiæ, vt notauit Nauarr.*ſumma cap.*12. *num.*76.

Immò matrimonium iniens contra votum abſtinendi ab illo, peccat quidem matrimonium contrahens contra votum emiſſum non nubendi: nullius tamen culpæ erit matrimonium conſummans poſt matrimonium initum, etiam prima vice, ſiue petendo, ſiue reddendo. quia huc votum tantùm habet pro obiecto non inire matrimonium, & ſi obliget ad abſtinendum ab actu matrimonij, non eſt per ſe, & primariò, ſed mediatè & ſuppoſita abſtinentia, ab ipſo matrimonio ineundo, quæ fuit primaria, & immediata voti materia; ergo quando iam primaria materia non eſt poſſibilis, quia initum eſt matrimonium, non obligabit ad ſecundariam, nempe ad abſtinentiam ab vſu.

Tenetur tamen hic mortuo altero coniuge ab aliis nuptiis abſtinere. quia votum non erat extinctum, ſed ſuſpenſum durante matrimonij impedimento: videatur Lopez noſter *part.*1.*inſtruct. cap* 83. §. *Inter peccata verò nubentium, & in § ſequenti.* At iſta ſententia Sanch. *lib.9.de matrim diſp.*23.*n.*12.*& diſp.*24.*num.*7. licèt Caietan. *in opuſcul.tom.*2. *tract.*11. *de voto, quaſt.*1. teneat hoc votum non nubendi æquiualere voto caſtitatis, affirmareque perinde votum habentem non ineundi matrimonium debere abſtinere à debiti petitione poſt initum matrimonium.

Dvbitatio XIII.

XIII. *An votum ſuſcipiendi Ordines ſacros ſit idem quod votum caſtitatis, & tale poſſit per Iubilæum commutari?*

Dico decimoquintò, votum ſuſcipiendi Ordines ſacros non eſt idem quod votum caſtitatis, & conſequenter non eſt Papæ reſeruatum, & per Iubilæum commutari poteſt. Probatur. nam vouens ſuſcipere Ordines ſacros non promittit caſtitatem præſentem, ſed futuram; ſed vouens caſtitatem promittit præſentem. ergo, &c. Probatur maior. nam vouens caſtitatem ſtatim in quocunque actu venereo, facit contra votum; vouens verò ſuſcipere Ordines ſacros ſi commiſceatur cum fœmina, vel committens alium actum venereum ante ſuſceptionem Ordinum ſacrorum, nõ facit contra votum caſtitatis, vt optimè aſſerit Nauar. *cap.*12.*ſumma, num.*47. ergo, &c. Videatur Sotus *lib.*7. *de Iuſtitia, quaſt.*4.*art.*3.*fine.* Lopez *part.*2.*inſtruct. vbi de Clauibus, cap.*9.*columna penultima.* Sayr.*lib.*6. *Clauis Regia, c.*11.*n.*60. Sanchez *lib.*8.*de matrim.diſp.*9.*n.*13.

Dvbitatio XIV.

XIV. *An votum non tangendi mulierem libidinosè, vel non cognoſcendi illam carnaliter, poſſit vi Iubilæi commutari?*

Dico decimoſextò, votum de non tangendo mulierem libidinosè, vel de non cognoſcendo fœminas carnaliter, poteſt per Iubilæum commutari. nam non eſt votum perfectæ, & integræ caſtitatis, etenim ſic vouens committendo peccatum mollitiei non ageret contra votum: videatur D. Bartholomæus à S.Fauſto *lib.*4.*de Iubilæo extraord.quaſt.*175.

Articvlvs IX.
De votis emiſſis à coniugibus.

Svmmarivm.

1. *An votum caſtitatis coniugalis, poſſit vi Iubilæi commutari.*

2. *An*

2. *An votum emiſſum ab vno coninge, vel ab vtriſque, non petendi debitum, poſſit per Iubilaum commutari.*
3. *An votum caſtitatis emiſſum ab vno coninge poſt conſummationem matrimonij, ſine conſenſu alterius, poſſit per Iubilaum commutari.*
4. *An coniunx teneatur reddere debitum alteri coningi illicitè petenti, ex circumſtantia perſona.*
5. *An poſſit petere, vel reddere debitum coniunx, qui conſenſit in votum caſtitatis vxoris.*
6. *An coniunx requiſitus teneatur reddere petenti, quando vterque coniunx eſt obſtrictus voto caſtitatis.*
7. *An quando coniunx vterque vouit caſtitatem, cum alterius licentia, poſſint reddere, vel petere debitum, & tale votum poſſit virtute Iubilai diſpenſari.*
8. *An votum caſtitatis emiſſum ante contractum matrimonium, poſſit per Iubilaum commutari à Confeſſario, vel extra Iubilaum ab Epiſcopo.*
9. *An emittens votum caſtitatis ante contrarium matrimonium, poſt illud contractum teneatur reddere debitum in priori bimeſtri alteri coningi petenti.*
10. *An qui poſt votum caſtitatis tranſit ad nuptias, teneatur poſt ratum matrimonium Religionem intrare.*
11. *An vouens votum Religionis peccet contrahendo.*
12. *An voto Religionis obſtrictus, ſemel conſummato matrimonio, poſſit licitè petere, vel reddere debitum.*
13. *An defuncto altero coninge; qui Religionem vouerat, teneatur illam ingredi.*
14. *An obſtrictus voto aſſumendi Ordines ſacros, ſi ducat vxorem, poſt ratum matrimonium, teneatur Religionem ingredi.*
15. *An obſtrictus voto aſſumendi Ordines ſacros, peccet matrimonium iniens, & prima vice conſummans.*
16. *An qui poſt votum Sacerdotij vxorem duxit, teneatur mortua vxore aſſumere Sacerdotium.*
17. *An votum caſtitatis, poſt matrimonium ratum, emiſſum ab vno coninge, ante conſummationem, ſi vouens habuit animum ingrediendi Religionem, ad votum ſeruandum, poſſit per Epiſcopum diſpenſari, vel per Iubilaum commutari.*
18. *An iſte de quo in pracedenti aſſertione, obligetur ad reddendum debitum, quando redditio eſt voluntaria? &, An poſſit per Epiſcopum diſpenſari ſuper iſto voto.*
19. *An poſt conſummatum matrimonium poſſit Epiſcopus diſpenſare ad petendum debitum cum illo, qui vouit caſtitatem, animo ingrediendi Religionem.*
20. *An vouens caſtitatem poſt ratum matrimonium ante conſummationem, niſi habeat animum ingrediendi Religionem, vel de hoc nihil cogitet, poſſit Epiſcopus diſpenſare in tali voto, vel vi Iubilai commutari.*
21. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto, quando vterque coniunx, poſt ratum matrimonium, ſed non conſummatum, vouerunt caſtitatem, animo ingrediendi Religionem.*
22. *An coniuges, qui poſt matrimonium ratum, & conſummatum, vouerunt continentiam, per modum contractus, poſſint ab Epiſcopo diſpenſari in tali voto.*
23. *An Confeſſarij vi Iubilai poſſint diſpenſare cum ſolutis, qui vouerunt caſtitatem, vel Religionem, ad ineundum matrimonium.*
24. *An hac diſpenſatio poſſit fieri per Epiſcopum.*
25. *Explicatur auctoritas Confeſſariorum ſuper vota, Iubilai tempore.*
26. *An tempore Iubilai poſſit votum Religionis arctioris in laxiorem commutari.*
27. *An per Iubilaum ſit commutabile votum eundi pedeſter ad limina Apoſtolorum, in peregrinationem equeſtrem.*

Dvbitatio I.

I. *An votum caſtitatis coniugalis poſſit vi Iubilai commutari?*

Dico primò, votum coniugalis caſtitatis poteſt ex vi Iubilæi commutari. quia non eſt votum perfectæ, & integræ caſtitatis, quod eſt de omni ſpecie continentiæ: at votum caſtitatis coniugalis in hoc ſolùm conſiſtit, vt à quouis actu illicito cōtra caſtitatem abſtineatur: & ſic talis vouens licitè poteſt matrimonium inite. Henriquez *lib.7.c.30.n.6.*

Dvbitatio II.

II. *An votum emiſſum ab vno coniuge, vel ab vtriſque, non petendi debitum, poſſit per Iubilaum commutari?*

Dico ſecundò, votum factum ab vno coniuge non petendi debitum abſque conſenſu alterius coniugis, poteſt per Iubilæum commutari. quia tale votum non eſt votum omnimodæ caſtitatis, ſed partis, cùm ſic vouens non ſe obligauit ad non reddendum, nec ad non fornicandum, nec ad non nubendum, diſſoluto eo matrimonio: videatur Syl. *verb. votum 5.q.2.n.5.*

Dico tertiò, & ſi votum factum ſit ab vno coniuge non petendi debitum ex licentia alterius coniugis, poteſt id votum commutari vi Iubilæi, propter rationem allatam in præcedenti aſſertione. Idem dicendum, etiamſi vterque ex licentia alterius votum non petendi debitum emiſiſſet. quia adhuc non eſt omnimodæ caſtitatis, cùm vterque libertatem habeat tranſeundi ad alias nuptias. Rodriquez *part. 2. ſumma cap.92.num.3.*

Dvbitatio III.

III. *An votum caſtitatis, emiſſum ab vno coniuge, poſt conſummationem matrimonij, ſine conſenſu alterius, poſſit per Iubilaum commutari?*

Dico quartò, votum caſtitatis poſt conſummatum matrimonium emiſſum ab vno coninge abſque conſenſu alterius, poteſt virtute Iubilæi commutari: itaut ſic vouens prorſus, & omnino ab eius obligatione liberetur; quia non eſt votum integræ caſtitatis. nam ſic vouens tenetur alteri coniugi petenti reddere debitum: videatur Arag. 2.2. *quaſt.88 art.8. dubio vltimo.* Rodriquez *in ſumma part. 2. cap.92. num.6.* Sanchez *lib.8. de matrim. diſp.11. num.4.*

Dvbitatio IV.

IV. *An coniux teneatur reddere debitum alteri coniugi illicitè petenti, ex circumſtantia perſona?*

Dico quintò, coniux poteſt, imò tenetur reddere debitum alteri coniugi petenti illicitè ob ſolam circumſtantiam perſonæ, vt accidit quando coniux, qui petit

petit debitum, eſt obſtrictus voto caſtitatis, vel quando petit animo fornicatio, vel alio prauo fine. Probatur, quia ſi non tenetur reddere, maximè quia reddendo cooperatur peccato petentis illicitè, ſed non cooperatur peccato petentis. nam quantum eſt ex ſe, exercet actum ex ſua natura licitum coniugatis. ergo tenetur reddere: tum, quia petens cum huiuſmodi circumſtantia ſe tenente ex parte perſonæ non amiſit ius petendi, quamuis illicitè petat. ergo ſi alter coniux non reddat, facit contra ius petentis. Henriquez *ſumma lib.11.c.15.n.8.* Coninchus *tom.2.diſp.34.dub.4.num.28.* Quamuis alij, & multi videndi apud Sanchez *lib.9. diſput.6. num.* 11. oppoſitum tenuerint; quia, inquiunt, non licet alieno peccato aut cooperari, aut conſentire, ſed reddens debitum petenti obſtricto voto caſtitatis hoc faceret. ergo peccatet. Sed ad hanc rationem negatur minor: quamquam enim ſic reddens cooperetur externæ actioni, in qua alter peccat, non tamen ei cooperatur, qua peccatum eſt. nam nullo modo eſt alteri cauſa, cur aut debitum petat, aut tali animo exigat, ſed ſolùm ei cooperatur, quatenus eſt actio ſibi licita, ſicut ex iuſta cauſa accipiens mutuum ab vſurario illud dante ad vſuram, vel accipiens eleemoſynam ab eo qui malo animo dat, nullo modo cenſetur illorum peccato cooperari: videatur Coninchus *loc.cit.num* 19.

Dico ſextò, non poteſt coniux reddere debitum alteri coniugi petenti illicitè, non ob ſolam circumſtantiam perſonæ, ſed ob circumſtantiam actus, vt accidit quando quis petit debitum in Eccleſia, aut in loco publico, aut cum periculo impediendi generationem, aut cum periculo mortis fœtus; quia huiuſmodi circumſtantia cùm ſit adnexa actui prout pendet ab vtroque coniuge, reddit illum actum illicitum reſpectu vtriuſque coniugis, ſed quilibet tenetur continere ſe ab actu illicito; ergo tenetur abſtinere à reddendo quando actus eſt illicitus ob circumſtantiam, quæ afficit ipſum actum. ergo ſicut vnus illicitè petit, ita & alter illicitè reddit: videatur Bonacina *tom.1. tract.de matrimonio, quæſt.4.puncto 3.num.4.*

Dubitatio V.

V. *An poßit petere, vel reddere debitum coniunx, qui conſenſit in votum caſtitatis vxoris?*

Dico ſeptimò, coniux poteſt petere & reddere debitum ſuæ vxori, quam ſcit eſſe obſtrictam voto caſtitatis, etiamſi ipſe conſenſerit in illius votum, modò non intenderit renuntiare iuri ſuo: ſed ſolùm permiſerit eam facere, quidquid vellet. quia vir non amiſit ius petendi debitum per votum caſtitatis factum ab vxore, nec ceſſit iuri ſuo per conſenſum in eius votum. ergo poteſt petere, & reddere. Imò tenetur reddere vxori petenti. nam illa ſolùm illicitè petit ob circumſtantiam perſonæ, id eſt, ob votum caſtitatis, quo ſe obſtrinxit: videatur Paludanus *in 4. diſt. 32. quæſt.1.art.2.concluſ.3.num.10.* Sanchez *lib.9.de matrim. diſput.36.num.11.* oppoſitum tamen tenet Lopez *p.1. inſtruct.cap.84.initio.*

Dubitatio VI.

VI. *An coniunx requiſitus teneatur reddere petenti, quando vterque coniunx eſt obſtrictus voto caſtitatis?*

Dico octauò, coniux petitus tenetur reddere petenti, quando vterque coniux eſt obſtrictus voto caſtitatis. nam per votum emiſſum vterque coniux non amiſit ius petendi, neque dominium, quod per matrimonium acquiſiuit ſupra corpus alterius. ergo coniux petitus tenetur reddere, &c. Coniux enim vouens votum caſtitatis, licèt ex virtute Religionis obligetur Deo ad non petendum: non tamen amiſit dominium, & ius petendi per votum emiſſum, quod per matrimonium acquiſiuit ſupra corpus alterius. Tum, quia coniux obſtrictus voto caſtitatis non ſoluitur obligatione reddendi debitum propter votum caſtitatis ab altero coniuge emiſſum. ergo petitus tenetur reddere; quia hæc obligatio reddendi debitum oritur ex matrimonio; ſed per votum caſtitatis emiſſum ab vtroque coniuge non diſſoluitur vinculum matrimonij. ergo, &c. Tum, quia Petro habenti apud me ſuam pecuniam, poſcenti eam reddere teneor, etſi eam petat vt vſuram exerceat, aut cum meretricibus inſumat; quia ipſius mala voluntas non dat mihi ius ei negandi quod ſuum eſt. ergo ſimiliter, &c. Videatur pro hac aſſertione Sotus *in 4. diſt. 38. quæſt. 5. art.1. concluſ.* 3. quem ſequitur, & adducit Bonacina *tom.1. tract. de matrimonio, quæſt.4.puncto 3. num.8.*

Dubitatio VII.

VII. *An quando coniunx vterque vouit caſtitatem, cum alterius licentia, poßint reddere, vel petere debitum? & tale votum poßit virtute Iubilæi diſpenſari?*

Dico nonò, quando vterque coniux ſeorſum continentiam vouit cum alterius licentia, non per modum contractus & reciprocæ conuentionis, vt, Facio, vt facias, voueo, vt voueas, ſed independenter ab alterius voto, tunc vterque petitus tenetur reddere, non tamen petere poteſt, quia in iſto caſu neuter intendit à ſe abdicare ius petendi, & dominium ſupra corpus alterius, licèt vterque illicitè petat contra votum emiſſum & virtutem Religionis: quod ſuum eſt tamen petit propter dominium, quod habet ſupra corpus alterius ob conſtans matrimonium.

Dico decimò, quando tamen vterque coniux communi conſenſu per modum contractus emiſit votum caſtitatis, ſcilicet, Voueo, vt voueas, vt integrè noſtram continentiam Deo promiſſam ſeruemus: tunc nec reddere, nec petere licitè poſſunt debitum coniugale; quia in hoc caſu omni iuri & petendi, & reddendi inter ſe inuicem, vt apparet, renunciare vouerunt. Ita bene Lopez noſter *part.1. inſtruct. cap.84. in principio.* Sotus *in 4.diſt.32.quæſt.vnica, art.3. §.Quo ergo, verſic. Niſi forſan.*

Dico vndecimò, in caſu aſſertionis Superioris, quando ſcilicet vterque coniux poſt contractum matrimonium, & conſummatum ſeorſum continentiam vouit cum alterius licentia, non per modum contractus, & reciprocæ conuentionis, ſed independenter ab alterius voto: poteſt tale votum virtute Iubilæi commutari. quia non eſt votum abſolutæ, & omnimodæ caſtitatis. nam eo non obſtante tenetur alteri debitum reddere: videatur D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib.3. de votorum diſpenſatione, q.116.* Sanchez *lib.8 de matrim.diſp.11.num.7.*

Dico duodecimò, votum quod vterque coniux communi conſenſu emiſit per modum contractus, vt diximus *aſſertione* 10. *huius articuli*, vi Iubilæi non poteſt commutari. quia eſt votum abſolutæ & integræ caſtitatis, & obligat prorſus vtrumque coniugem ad non petendum, nec reddendum debitum. Lopez noſter *part. 1. inſtruct. cap.46.*

Digitized by Google

cap.46. §. Quando vterque coniux. Henriquez *lib. 11. de matrimonio,cap.15.num.*8.

Dico decimotertiò, coniuges, qui ſic vouerunt caſtitatem communi conſenſu per modum contractus, ac reciprocæ conuentionis, ſoluto matrimonio tenentur votum caſtitatis ſeruare, nec ad alias nuptias tranſire poſſunt: quòd ſi de facto coniux ſuperſtes ſoluto eo matrimooio abſque diſpenſatione ad aliud tranſeat, peccat mortaliter, & tenebitur non petere debitum, licèt reddere poſſit. nam obſtrictus voto caſtitatis, ſi abſque diſpenſatione iniit matrimonium, peccat lethaliter, & tenetur non petere debitum. ergo ſimiliter in caſu noſtro, quia votum caſtitatis emiſſum à coniugibus per modum contractus, & reciprocæ conuentionis, eſt votum omnimodæ caſtitatis, &c. Videatur Sanchez *lib.4.in Decalogum,cap.40. num. 58.*

Dvbitatio VIII.

VIII. *An votum caſtitatis, emiſſum ante contractum matrimonium, poßit per Iubilæum commutari à Confeſſario, vel extra Iubilæum ab Epiſcopo?*

Dico decimoquartò, votum caſtitatis emiſſum ante contractum matrimonium, non poteſt per Iubilæum à Confeſſario commutari ad conſummandum, & petendum debitum. quia cùm caſtitatis votum ſit ſummo Pontifici reſeruatum, eidem ipſi obligatio reſeruata eſt, hæc autem eſt ne coniugis debitum petatur. Sanchez *lib.8. de matrimonio,diſp.15. n. 9.* licèt Vinaldus affirmet *3.part.cap.14. n.41.* Sanctarellus *cap.9. de Iubilæo,dub.8.& 9.*

Dico decimoquintò, poteſt tamen Epiſcopus iuſta de cauſa, vt ſi non pateat acceſſus ad vrbem, vel alia vrgenti, puta quando timetur periculum incontinentiæ, cum obſtricto voto caſtitatis, ſi matrimonium contraxit, diſpenſare ad conſummandum matrimonium, & petendum debitum. quia ita vſu receptum eſt in Eccleſia, non tamen vſu receptum eſt vt Confeſſarius ex vi Iubilæi cum tali perſona diſpenſet vt petat debitum. Verùm hæc commutatio durat, durante matrimonio. nam illo ſoluto tenetur ſeruare votum ſimplex caſtitatis. Ita præclarè Sotus *in 4.diſt.38. quæſt.2.art.1.concluſ.3.ad finem.* Rodriquez *part.1. ſumma cap.241.num.2.*

Dvbitatio IX.

IX. *An emittens votum caſtitatis ante contractum matrimonium, poſt illud contractum teneatur reddere debitum in priori bimeſtri, alteri coniugi petenti?*

Dico decimoſextò, emittens votum caſtitatis ante contractum matrimonium, poſt illud contractum reddere non poteſt ſine culpa debitum coniugale in priori bimeſtri, alteri coniugi petenti. quia votum caſtitatis obligat vouentem ad omnino abſtinendum ab omni actu venereo, & ſolùm excuſatur coniux; ſic obſtrictus reddens propter fortius vinculum iuſtitiæ ſuperueniens; ſed in priori bimeſtri poſt contractum matrimonium non tenetur coniux reddere debitum de iuſtitia alteri petenti. ergo ſi voto caſtitatis obſtrictus petitus in priori bimeſtri redderet, peccaret mortaliter prima vice reddendo: tranſacto verò priori bimeſtri, tenetur reddere de iuſtitia, & ſic tunc reddendo non peccat: in ſua tamen libertate eſt ante conſummationem tranſire ad Religionem. Peccat igitur mortaliter obſtrictus voto caſtitatis ſi contrahit matrimonium, & ſimiliter delinquit lethaliter in priori bimeſtri prima vice reddendo conſummans matrimonium: videatur pro hac aſſertione D. Thom. *in 4.diſt.38. q.1. art.3. quæſtiunc.2. ad 4.* Caietan *ſumma verb.matrimonium,cap. vltimo,de peccatis in vſu coniugij.* Syl. *eod.verb.matrim.8.quæſt.15.dict.7.* Sanchez *lib.9. de matrim.diſput.6.num.14.*

Dvbitatio X.

X. *An qui poſt votum caſtitatis tranſit ad nuptias, teneatur poſt ratum matrimonium Religionem intrare?*

Dico decimoſeptimò, qui poſt votum caſtitatis ad nuptias tranſit, peccat lethaliter prima vice conſummando matrimonium in primo bimeſtri, ſiue petendo, ſiue reddendo, vt diximus præcedenti aſſertione, non tamen tenetur poſt ratum matrimonium Religionem intrare, vt ibi votum emiſſum ſeruet. quia niſi ſtatus Religionis ſponte ſuſcipiatur, difficiles ſolet habere exitus. Ita benè Sotus *in 4.diſt.38.quæſt.2. art.1. poſt ſecundam concluſionem, verſic. Quid autem remedij.* Oppoſitum tenuit Azor. *part.1. inſtit. moral. lib.11 cap.19. dubio 20. § Sed dubia quæſtionis eſt.* Sotum ſequitur Sanchez, & alij multi videndi apud Sanchez *lib.9. de matrim.diſput.34.num.3.*

Dvbitatio XI.

XI. *An vouens votum Religionis peccet contrahendo?*

Dico decimooctauò, qui verò voto Religionis aſtrictus matrimonium iniit, peccat lethaliter contrahendo matrimonium, & etiam prima vice conſummando ſiue petendo, ſiue reddendo, mortaliter delinquit. quia poteſt adhuc ſuum votum implere Religionem ingrediendo: imò tenetur illã ingredi. quia ad id ſe expreſſo voto aſtrinxit, & conſummans conſtituit ſe in eo ſtatu, vt implere nequeat. Secus diximus de obſtricto voto caſtitatis, non teneri ſcilicet poſt initum, & ratum matrimonium ingredi Religionem. quia ad id non ſe expreſsè obſtrinxit, & ita hanc aſſertionem docet Sotus nouiſſimè relatus poſt ſecundam concluſionem, *§. Aliud verò ex ſupradictis,&c.* Henriquez *lib.12.de matrimonio,cap.2.num.3.*

Dvbitatio XII.

XII. *An voto Religionis obſtrictus, ſemel conſummato matrimonio, poßit licitè petere, vel reddere debitum?*

Dico decimononò, voto Religionis obſtrictus ſemel conſummato matrimonio licitè poteſt reddere, & petere debitum. quia vouens ſtatum Religioois non ſe obligat ad illius leges donec illũ re ipſa aſſumat, cùm in ſuo voto minime obligationem aliquam ad illius leges exprimat: tum, quia vouens ſe Ordines ſacros aſſumpturum, non tenetur donec aſſumat, recitare preces horarias, nec ad caſtitatem ex vi voti; quare ſi tũc fornicetur, ſimplex erit tantùm fornicatio. ergo ſimiliter qui vouit Religionem, non tenetur ad caſtitatem, ſicut nec ad paupertatem & obedientiam, donec profiteatur, ſed iam conſummato matrimonio nequit votũ Religionis implere, tranſeundo ad ipſam. ergo & reddere & petere poterit licitè debitum coniugale poſt matrimonium conſummatum. Ita bene Caietan.

verb. matrim. cap. vlt. §. & bene nota. Armil. *verb. debitum coniugale, num. 14.*

DVBITATIO XIII.

XIII. *An defuncto altero coniuge, qui Religionem vouerat, teneatur illam ingredi?*

Dico vigeſimò, defuncto altero coniuge tenetur is, qui Religionem vouerat, illam ingredi. quia cùm iam impedimentum ceſſârit, poteſt hic implere ſuum votum. ergo tenetur, non enim eſt cur omnino illius obligatio ceſſet, ſed tantùm ſuſpenſa eſt. Sotus *in 4. diſt. 38. q. 1. art. 1. poſt 4. concluſionem, ad finem.* Rodriquez *part. 1. ſummæ cap. 241. num. 4.*

DVBITATIO XIV.

XIV. *An obſtrictus voto aſſumendi Ordines ſacros, ſi ducat vxorem, poſt ratum matrimonium teneatur Religionem ingredi?*

Dico vigeſimoprimò, aſtrictus voto aſſumendi Ordines ſacros, vxorem ducens poſt ratum matrimonium nun tenetur Religionem ingredi, vt ſuom votum ſeruet. Nam, vt diximus *aſſert. 17. huius art.* voto caſtitatis obſtrictus non tenetur poſt ratum matrimonium ingredi Religionem vt ſuum votum ſeruet. ergo multo minus tenebitur obſtrictus voto aſſumendi Ordines ſacros, poſt ratum matrimonium ingredi, &c. Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 34. n. 6.*

DVBITATIO XV.

X V. *An obſtrictus voto aſſumendi Ordines ſacros, peccet matrimonium iniens, & prima vice conſummans?*

Dico vigeſimoſecundò, qui emiſit votum aſſumendi Ordines ſacros, peccat quidem lethaliter matrimonium ineundo, quia ſe impedit ad illud implendum, ad quod tenetur: non tamen delinquit prima vice conſummans, etiam ad ſui petitionem, nec intra prius bimeſtre à matrimonio inito. quia hoc votum non interdicit debiti petitionem: nec impleri vllo modo poteſt, dum alter coniux ſuperſtes eſt, niſi ingrediendo Religionem ante conſummationem, ad quem tamen ingreſſum non tenetur.

DVBITATIO XVI.

X V I. *An qui poſt votum Sacerdotij vxorem duxit, teneatur, mortua vxore, aſſumere Sacerdotium?*

Dico vigeſimotertiò, ſi poſt votum Sacerdotij quis vxorem duxit, mortua vxore tenebitur id aſſomere. quia votum Sacerdotij, ſicut & votũ ſimplex Religionis, ſuſpẽditur per matrimonium, & eo ſoluto obligat. Sotus *in 4. diſt. 38. q. 1. art. 1. poſt 4. concluſionem, ad finem.*

DVBITATIO XVII.

XVII. *An votum caſtitatis poſt matrimonium ratum emiſſum ab vno coniuge, ante conſummationem, ſi vouens habuit animum ingrediendi Religionem, ad votum ſeruandum, poſſit per Epiſcopum diſpenſari, vel per Iubilæum commutari?*

Dico vigeſimoquartò, votum caſtitatis poſt matrimonium ratum emiſſum ab vno cõiuge, ante tamen illius conſummationem abſque licentia alterius coniugis, vel cum alterius licentia, ſi vouens habuit animum ingrediendi Religionem ad votum implendum, neque Epiſcopus tunc in iſto voto diſpenſare, neque vi Iubilæi commutari poteſt; quia valet vt votum omnimodæ caſtitatis.

DVBITATIO XVIII.

XVIII. *An iſte, de quo in præcedenti aſſertione, obligetur ad reddendum debitum, quando redditio eſt voluntaria? &, An poſſit per Epiſcopum diſpenſari?*

Dico vigeſimoquintò, in caſu præcedẽtis aſſertionis vouens obligatur ad non reddendum quoties redditio eſt voluntaria, vt in priori bimeſtri ante matrimonij conſummationem. quia habẽs votum caſtitatis ſi contrahat, non poteſt matrimonium conſummare, etiam reddendo, niſi quando ex iuſtitia obligatur, puta poſt primum bimeſtre. ergo cùm votum vouentis caſtitatem poſt matrimonium ratum animo ingrediendi Religionem ad illud implendum ſit omnimodæ caſtitatis, non poteſt ſic vouens conſummare matrimonium, etiam reddendo, quando redditio eſt voluntaria: videatur Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 35. n. 23.*

Dico vigeſimoſextò. Epiſcopus licèt poſſit diſpenſare cum obſtricto voto caſtitatis, ſi matrimonium contrahat, vt petat debitum intra primum bimeſtre, vt diximus *aſſert. 15. huius art.* quia ſic vouens non tenetur ingredi Religionem, vt dictum eſt *aſſert. 17. huius art.* & aliàs adeſt periculum incontinentiæ: non tamen poteſt cum eo diſpenſare, qui poſt ratum matrimonium vouit caſtitatem animo ingrediendi Religionem ad petendum debitum ante matrimonij conſummationem; quia iſte tenetur ingredi Religionem, cùm ad illius ingreſſum ſe obligauerit, & adhuc poteſt illam ingredi ante matrimonij conſummationem. ergo videtur Epiſcopus non poſſe, &c.

DVBITATIO XIX.

X I X. *An poſt conſummatum matrimonium poſſit Epiſcopus diſpenſare ad petendum debitum cum illo, qui vouit caſtitatem animo ingrediendi Religionem?*

Dico vigeſimoſeptimò, poſt tamen conſummatum matrimonium poteſt Epiſcopus diſpenſare cum iſto, qui aliàs vouit caſtitatem animo ingrediendi Religionem ad petendum debitum. quia ſemel matrimonio conſummato nequit iam ingredi Religionem, & cùm teneatur ſimul habitare cum coniuge, & reddere debitum, verſabitur in magno periculo incontinentiæ, ni petat. ergo poteſt Epiſcopus cum iſto diſpenſare ad petendum. Videatur idem Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 11. num. 4.*

DVBITATIO XX.

XX. *An vouens caſtitatem poſt ratum matrimonium, ante conſummationem, niſi habeat animum ingrediendi Religionem, vel de hoc nihil cogitet, poſſit Epiſcopus diſpenſare in tali voto? vel vi Iubilæi commutari?*

Dico vigeſimooctauò, vouens caſtitatem poſt ratũ matrimonium, ante eiuſdem cõſummationem abſque licentia

licentia alterius coniugis, ſiue cum alterius licentia, ſi non haboit animum ingrediendi Religionem ad votum ſeruandum, vel tempore voti ſe habuit negatiuè, nec de ingreſſu, nec de oppoſito cogitans, poteſt Epiſcopus in eo voto omninu diſpenſare, liberando prorſus ab eius obligatione vouentem, & vi Iubilæi tale votum ſimilitet poteſt commutari; quia tunc votum non eſt omnimodæ caſtitatis: nam obligate ſe minimè potuit ad non teddendum poſt matrimonium ratum, niſi animo expreſſo tranſeundi ad Religionem: videatur Saochez *lib. 9. de matrim. diſp. 35. n. 23.*

Dvbitatio XXI.

XXI. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto, quando vterque coniunx, poſt ratum matrimonium, ſed non conſummatum, vouerunt caſtitatem, animo ingrediendi Religionem?*

Dico vigeſimononò, etiam quando vterque conjux abſque licentia alterius ſeorſum, vel cum licentia alterius, non tamen per modum contractus poſt ratum matrimonium, ante tamen conſummationem vouit caſtitatem animo ingrediendi Religionem, non poteſt tunc Epiſcopus diſpenſare in tali voto, nec virtute Iubilæi commutari poteſt tale votum; quia valet vt votum omnimodæ caſtitatis: immò ante conſummationem in tali voto non poteſt Epiſcopus diſpenſare ad petendum, quia tenentur hi ſic vouentes ad obſeruandum tale votum ingredi Religionem, cùm expreſſè ad id ſe obligauerint. Poſt conſummationem tamen matrimunij poteſt Epiſcopus ad petendum debitum diſpenſare; quia iam conſummato ſemel matrimonio noo poſſunt ingredi Religionem. Si verò emittentes tale votum negatiuè ſe habuerint, nec de ingreſſu Religionis, nec de oppoſito cogitantes, poteſt tunc Epiſcopus omnino diſpenſare in tali voto, & vi Iubilæi commutari poteſt tale votum: & multo magis ad petendum debitum poteſt Epiſcopus diſpenſare; quia ſimiliter noo eſt votum omnimodæ continentiæ, ſed partis.

Dvbitatio XXII.

XXII. *An coniuges, qui poſt matrimonium ratum & conſummatum, vouerunt continentiam per modum contractus, poſſint ab Epiſcopo diſpenſari in tali voto?*

Dico trigeſimò, quando vterque cooiux emiſit votum caſtitatis communi conſenſu per modum contractus, ac reciprocæ conuentionis, Facio, vt facias, voueo, vt voueas, &c. in tali voto non poteſt Epiſcopus diſpenſare, nec vi Iubilæi commutari poteſt, vt diximus *aſſertione* 12. *huius articuli*, quia hoc votum eſt abſolutæ & integræ caſtitatis, & obligat prorſus ad non petendum, nec reddendum: nec poteſt Epiſcopus cum his coniugatis communiter diſpenſare ad petendum debitum; quia licèt Epiſcopus poſſit diſpenſare ad petendum debitum cum coniugatis obſtrictis, voto caſtitatis ante matrimonium emiſſo, vt dictum eſt *aſſertione* 15. *citata*, non tamen cum iſtis; quia cùm illi poſt primum bimeſtre teneantur ſibi inuicem debitum reddere, licèt petere non poſſint, adeſt periculum euidens incontinentiæ: hi verò qui poſt matrimonium ratum, & conſummatum vouerunt cootineotiam per modum contractus, nec petere, nec licitè reddere poſſunt. ergo non eſt eadem ratio in vtriſque.

Dico trigeſimoprimò, quando tamen eſſet periculum incontinentiæ in alterutro, nec commode Pontifex adiri poſſet præ paupertate, aut alia ratione, tunc poſſet Epiſcopus diſpeoſare, etiam cum iſtis ad petendum debitum, qui poſt contractum matrimonium vouerunt continentiam per modum contractus; quia io ea neceſſitate poteſt Epiſcopus diſpenſare cum ſolutis, qui aliàs vouerunt votum caſtitatis, vel Religionis ad ineundum matrimonium, vt docent, Lopez noſter *part. 1. inſtruct. cap. 49. §. licèt Epiſcopus.* Syl. *verb. votum 4. quæſt.* 4. Henriquez *lib. 7. de Indulgentijs, cap. 30. n. 6. commento litt. B.* Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 9. n. 12.* ergo à fortiori poterit Epiſcopus diſpenſare cum coniugatis his ad petendum debitum: videantur DD. cit. Sanchez *eodem lib. diſp. 11. n. 10.*

Dico trigeſimoſecundò, ſi conioges illi, qui per modum contractus poſt ratum matrimonium vouerunt caſtitatem, ſibi ipſis remittunt renunciationem illam iuris petendi, & reddendi debitum, quam vouendo fecerant iterum conferendo ſibi mutuam corporum poteſtatem: poterit tunc Epiſcopus diſpenſare cum iſtis ad petendum debitum ratione illius periculi, quod grauiſſimum imminet. Si cùm ſint obligati ad reddendum, ſit illis interdicta debiti petitio, quia per illam renunciationem quaſi de nouo contrahitur matrimonium quoad licitam debiti coniugalis redditionem, quamuis petitio debiti ſit illis ratione voti caſtitatis interdicta, diſpenſando poſtea Epiſcopus cum iſtis, poterunt tunc licitè & petere, & reddere coniugale debitum.

Dvbitatio XXIII.

XXIII. *An Confeſſarij vi Iubilæi, poſſint diſpenſare cum ſolutis, qui vouerunt caſtitatem, vel Religionem, ad ineundum matrimonium?*

Dico trigeſimotertiò, Confeſſarius ex vi Iubilæi non poteſt cum ſolutis, qui aliàs vouerunt caſtitatem, vel Religionem, diſpenſare, vel talia vota commutare ad ineundum matrimonium, quamuis expectando diſpenſationem Romani Pontificis, vel Legati periculum incontinentiæ, aut magni ſcandali, vel damni immineret. quia in tali voto, & in tali periculo Epiſcopus iure ordinario non poteſt cum iſtis diſpenſare. ergo neque etiam Confeſſarius ex vi Iubilæi poterit.

XXIV. *An hæc diſpenſatio poſſit fieri per Epiſcopum?*

Dico trigeſimoquartò, Epiſcopus tamen in caſu præcedentis aſſertionis poteſt cum ſolutis, qui aliàs vouerunt caſtitatem, vel Religionem, diſpenſare vt delegatus Sedis Apoſtolicæ ad ineondom matrimonium; quia iure optimo credi poteſt non eſſe mentem Rom. Pontificis velle in tali caſu reſeruare ſibi hæc vota, neque eſt veriſimile velle eum, vt animæ laqueis irretitæ in tanto periculo verſentur: videantur Lopez, Syl. Henriquez, Sanchez *aſſertione 31. huius quæſtionis allegati.*

XXV. *Explicatur authoritas Confeſſariorum ſuper vota tempore Iubilæi.*

Dico trigeſimoquintò, non obſtat contra *aſſert. 32. huius articuli*, illa regula generalis, quam tradunt DD. quòd tempore Iubilæi Confeſſarius electus poteſt commutare votum caſtitatis in illis caſibus, in quibus poteſt Epiſcopus diſpenſare, non, inquam, officit hoc; quia id intelligitur de illis caſibus, in

 quibus

quibus iure ordinario poteſt Epiſcopus diſpenſare, non autem in qoibus poteſt diſpenſare vt delegatus Summi Pontificis, vt eſt in caſu noſtro: videatur D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 4. de Iubilæo extraord. q. 184.*

Dvbitatio XXIV.

XXVI. *An tempore Iubilæi poſſit votum Religionis arctioris in laxiorem commutari?*

Dico trigeſimoſextò. Confeſſarius poteſt ex virtute Iubilæi, cõmutare votum arctæ Religionis in laxiorem, vt qui vouit Religionem Capuccinorum, poteſt huiuſmodi votum per Iubilæum commutari in Religionem S. Auguſtini non reformatam; quia non eſt hoc diſpenſare in Religione, ſed in modo, & qualitate illius: videator Syl. *verb. votum 4. q. 3. verſ. 6.* Sayr. *lib. 6. Clauis Regiæ, cap. 11. num. 63.*

Dvbitatio XXV.

XXVII. *An per Iubilæum ſit commutabile votum eundi pedeſter ad limina Apoſtolorum, in peregrinationem equeſtrem?*

Dico trigeſimoſeptimò, votum eundi pedeſter ad limina Apoſtolorum, vel peregrinandi ad S. Iacobum Compoſtellanum pedetentim, & oſtiatim alimenta quærendo, poteſt ſimiliter virtute Iubilæi commutari in peregrinationem equeſtrem iis etiam conceſſis, quæ ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria ſunt; quia hîc non commutatur ſubſtantia voti, ſed quædam circumſtantia. Bonacina *tom. 2. tract. de voto, diſp. 4. quæſt. 2. punct. 7. §. 4. n. 21.*

Articvlvs X.

De votis emiſſis à pueris.

Svmmarivm.

1. *An in votis Religionis puerorum, emiſſis poſt vſum rationis, licèt ante pubertatem, poſſit diſpenſare Confeſſarius virtute Iubilæi.*
2. *Quiſnam ſit impubes.*
3. *An pater poſſit irritare vota quæcumque, etiam Religionis, filiorum impuberum.*
4. *Explicatur, quid ſit votum perſonale, reale, & mixtum.*
5. *An tutor, vel mater, vel auus, vel auia poſſint filiorum impuberum vota irritare.*
6. *An pater filij impuberis poſſit vota irritare, quæ fecit, exequenda tempore pubertatis.*
7. *An pater poſſit irritare vota realia, vel perſonalia filiorum impuberum, etiam tranſactis annis pubertatis.*
8. *An impubes poſſit abſolui ab Epiſcopo poſt pubertatem ab excommunicatione incurſa propter percuſſionem Clerici, tempore impubertatis.*
9. *An dominus poſſit irritare votum ſerui emiſſum dum erat in illius poteſtate, poſtquam libertatem conſequutus eſt.*
10. *Quid requiratur ad hoc, vt votum emiſſum ab impubere ante pubertatem, cenſeatur ratificatum.*
11. *An vota perſonalia, & realia à filiofamilias emiſſa poſt annos pubertatis, poſſint à patre irritari.*
12. *An votum perſonale filij, de ingredienda Religione, ſimul cum reali, de relinquendo Religioni per profeſſionem ſua bona, poſſit à patre irritari.*
13. *An pater poſſit irritare vota realia emiſſa à pubere ante 25. annũ, de peculio ſuo caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi.*
14. *An pater poſſit irritare vota realia puberis exequenda, pro tempore quo fuerit ſui iuris.*
15. *Explicatur quamdiu duret poteſtas irritandi vota realia filij puberis in patre.*
16. *An pater Profeſſus in Religione approbata, poſſit irritare vota filij impuberis? & , An poſſit irritare vota filij Profeſſi, vel Nouitij.*

Dvbitatio I.

I. *An in votis Religionis puerorum, emiſſis poſt vſum rationis, licèt ante pubertatem, poſſit diſpenſare Confeſſarius virtute Iubilæi?*

Dico primò, votum puerorum Religionis, emiſſum ante pubertatis annos, ſi pueri ſic vouentes habent vſum rationis, commutari minimè poteſt a Confeſſario virtute Iubilæi. quia tale votum eſt Pontifici reſeruatum, & validum eſt, nam ad cuiuſcumque ſimplicis voti valorem ea deliberatio ſufficit, & neceſſaria eſt, quæ exigitur ad peccatum mortale contrahendum, vt egregiè docet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 88. art. 9. & eadem 2. 2. quæſt. vltima. art. 5. ad 3.* ſed in pueris ante annos pubertatis reperitur deliberatio, quæ ſufficit ad peccatum mortale contrahendum. ergo, &c. Videatur D. Thom. *loc. cit.* Caiet. *ibidem.* Sotus *lib. 7. de Iuſtitia, quæſt. 3. art. 2.* licèt Palacius *in 4. diſt. 38 fol. 870.* tenuerit in vniuerſum pueros ante pubertatem nullum votum emittere poſſe, & ſi emittunt, eſſe ipſo facto irritum. Syl. verò *verb. Religio 2. quæſt. 15.* affirmat impuberes non poſſe validè aliquid vouere, niſi ſint prope pubertatem: nam etſi ante eam ætatem rationis vſu ad peccandum ſufficienti vtantur, non tamen ſufficienti ad vouendum; quia, inquit, cùm votum ſit res grauiſſima, non quocunque vſu rationis contentum eſt, ſed pleno, & maturo indiget, qualis prope pubertatem aduenit. Angelus *verb. votum 2. num. 6.* & Roſell. *verb. Nouitius n. 8.* dicunt impuberes doli capaces obligari omni voto præter Religionis; ſed noſtra aſſertio eſt omnino tenenda: nam hi cum tali vſu rationis poſſunt ſe obligare Diabolo per peccatum, & homini per ſponſalia: ergo & Deo per votum.

Dvbitatio II.

II. *Quiſnam ſit impubes?*

Dico ſecundò, impubes dicitur maſculus ante 14. annum completum, & mulier ante 12. completum. Puer prope pubertatem dicitur cùm decimum annum cum dimidio excedit; fœmina verò cùm nonum annum cum dimidia iam habet. Videatur Sanchez *lib. 6. de matrim. diſp. 38 num. 1.*

Dvbitatio III.

III. *An pater poſſit irritare vota quæcunque, etiam Religionis filiorum impuberum?*

Dico tertiò, Pater tamen quæcunque filiorum impuberum vota, ſiue realia, ſiue perſonalia, ſiue mixta, etiam ſi ſint Religionis, vel caſtitatis, irritare poteſt. Ratio huius aſſertionis pẽdet à iuris diſpoſitione: nam ius propter immaturum impuberum iudicium diſponit eorum votis hanc tacitam conditionem ineſſe, niſi pater contradixerit. *c. mulier 32. q. 2.* Tum, quia ante pubertatem non præſumitur filius habere ſatis iudicij, vt maturè, & prudenter vouere queat. ergo ne impuberes imprudenter ſe votis inuoluant, voluit ius omnia impuberum vota eſſe ſubiecta poteſtati patris: videatur D. Thom. 2. 2. *q. 88. art. 9.* Sotus *lib. 7. q. 3. art. 2.*

Dvbitatio IV.

IV. *Quid ſit votum perſonale, reale, & mixtum.*

Dico quartò, votum multiplex eſt, aliud eſt reale, aliud perſonale, aliud mixtum. Perſonale eſt, quo

Deo

Deo promittitur aliqua actio ipſius perſonæ, vel aliqua omiſſio, vt votum ieiunij, caſtitatis, orationis, abſtinentiæ à ludo. Reale eſt quo res aliqua promittitur Deo, vt eleemoſyna. Mixtum includit perſonale & reale, & eſt illud quo promittitur res, & officium perſonæ: vt ſi quis promittat peregrinationem Lauretanam cum intentione offerendi aliquid B. V. cùm ad illius Eccleſiam peruenerit. hæc omnia impuberum vota pater ſua poteſtate dominariua quam habet in filios impuberes, irritare poteſt.

Dvbitatio V.

V. *An tutor, vel mater, vel auus, vel auia, poſſint filiorum impuberum vota irritare?*

Dico quintò, non ſolùm pater, ſed etiam tutor poteſt omnia impuberum vota realia & perſonalia irritare inſtar patris. quia tutor ſuccedit loco patris ad conſulendum imbecillitati intellectus impuberum ne imprudenter ſe votis inuoluant: mater verò viuo, aut non longè abſente patre, nulla filij impuberis vota poteſt irritare. quia ſoli patri hæc facultas competit, vtpote qui ſolus eſt caput totius domus & familiæ, & habet plenam rerum adminiſtrationem, & perſonarũ gubernationem. ergo voluntas filij non eſt poſita in voluntate matris, ſed ſolius patris. Similiter mater defuncto patre nulla filij impuberis vota poteſt irritare, ſi impubes ille tutorem habeat. quia adeſt tutor, qui in plenas patris vices ſuccedit: mater verò, quæ eſt tutrix, poteſt eodem modo prorſus irritare vota impuberum filiorum, quo alij tutores, quia eorum fungitur officio: imò ſi mortuo patre, nec tutores, nec curatores ſint, mater ipſa, etſi tutrix non ſit, poteſt ad inſtar patris, & tutoris omnia vota impuberum filiorum irritare, & deficiente matre ſuccedunt aui, & auiæ, & reliqui aſcendentes propinquiores; quia hi ſunt veluti parentes, ac in eorum locum ſuccedunt: videantur pro iſta aſſertione Syl. *verb. votum 4. quæſt. 2. dicto 1.* Lopez *part. 1. inſtruct. cap. 47. verſ. Imitatores legitimi.* Sanchez *lib. 4. in Decalogum, cap. 35. num. 74.*

Dvbitatio VI.

VI. *An pater filij impuberis poſſit vota irritare, quæ fecit exequenda tempore pubertatis?*

Dico ſextò, etiam vota perſonalia, aut realia, aut mixta quæ filius impubes emiſit, exequenda tempore pubertatis, aut plenæ libertatis, poteſt pater irritare: vt, ſi v.g. vouit Religionem, aut aliud perſonale votum adimplendum mortuo patre, aut poſt pubertatem; quia id votum eſt verè ab impubere emiſſum, & habet imbibitam conditionem pendentem ex patris conſenſu ob imbecille, ac imperfectum impuberum iudicium. ergo cùm nulla mutatio facta ſit aduentu pubertatis, ſi poſt pubertatem non fuerit confirmatum, poterit pater illud irritare, ſicut poterat priùs. Ita bene Syl. *verb. votum 4. q. 2. verſic. Quintum.* Sotus *lib. 7. de iuſt. q. 3. art. 1. ante ſolutionem argumentorum.* Sayr. *lib. 8. Clauis Regia, cap. 10. num. 29.* oppoſitum tenet Nauarr. *ſumma cap. 12. num. 66. verſic. Quartò,* &c.

Dvbitatio VII.

VII. *An pater poſſit irritare vota realia, vel perſonalia filiorum impuberum, etiam tranſactis annis pubertatis?*

Dico ſeptimò, ſi pater vota perſonalia, aut realia à

filiofamilias emiſſa dum erat ſub poteſtate patris, id eſt, impubes, non irritauit, poteſt poſtea dum eſt extra illius curam, id eſt, pubes, illa irritare. v.g. emiſit filius impubes ante 14. votum aliquod perſonale, vt caſtitatem, vel Religionem, vel ante 25. emiſit votum aliquod reale, vt eleemoſynam, quæ à patre his temporibus non fuerunt irritata; poteſt nihilominus pater tranſactis his temporibus illa irritare: quia nulla facta eſt mutatio in votis ex parte rei per hoc quòd filius annos impubertatis exiuit. ergo adhuc manent implicitè conditionata, ſicut erant à principio, nempe niſi pater contradixerit. ergo poſt annos impubertatis irritari poſſunt à patre, ſicut intra annos impubertatis potuerunt: tum, quia vota illa à principio fuerunt infirma, & irritabilia, & nunquam poſt pubertatem fuerunt confirmata, vt ſupponitur. ergo ſemper retinent illam imperfectionem; ergo ſemper irritari poſſunt: ſic Caietan. *2. 2. q. 189. art. 5.* Lopez *part. 1. inſtruct. c. 48. verſ. votum ſolemne.* licèt alij, inter quos eſt Sotus *lib. 7. de Iuſt. q. 3. art. 2.* partem negatiuam ſuſtineant, quia, inquiunt, pater non habet poteſtatem poſt pubertatem in votis perſonalibus filij, nec in realibus poſt 25. annum: at pars affirmatiua verior eſt; quia, vt habetur *in reg. iuris in 6.* Quæ à principio non tenent, tractu ſolo temporis non firmantur. ergo cùm illa vota fuerint à principio infirma, & irritabilia, potuerunt irritari poſt pubertatem, &c.

Dvbitatio VIII.

VIII. *An impubes poſſit abſolui ab Epiſcopo poſt pubertatem ab excommunicatione incurſa propter percuſſionem Clerici, tempore impubertatis?*

Dico octauò, in confirmationem præcedentis aſſerti, impubes poteſt ab Epiſcopo poſt pubertatem abſolui à percuſſione Clerici tempore impubertatis facta, etſi nequeat à facta poſt pubertatem. Ita *in cap. final. de ſententia excomm.* quia in vſu poteſtatis conceſſæ circa actus impuberum non eſt ſpectandum tempus, quo in actus illos exercent, ſed tempus quo effecti ſunt; ſed ab illa excommunicatione contracta tempore impubertatis poteſt Epiſcopus abſoluere. ergo etiam poſt pubertatem poteſt ab illa abſoluere. nam quamuis mutata ſit perſona, quæ in excommunicationem incidit, remanet tamen excommunicatio in natura, & qualitate ſua: videatur D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 2. de votorum irritatione, q. 87. §. Huic fauet.*

Dvbitatio IX.

IX. *An dominus poſſit irritare votum ſerui, emiſſum dum erat in illius poteſtate, poſtquam libertatem conſequutus eſt?*

Dico nonò, dominus ſi votum ſerui dum in illius poteſtate erat, non irritauit, poſtquam is eſt libertatẽ conſequutus, non poteſt irritare. nam in votis filij impuberis, irritatio patri conceditur etiam poſt pubertatem, quia iudicium illius dum erat impubes, erat imbecille, & imperfectum; ſed hæc ratio non currit in votis ſerui. ergo, &c. Tum, quia in votis ſerui domino facultas irritandi datur propter præiudicium, quod ei ex talibus votis irrogatur: vnde quando ea in eius præiudicium non redundant, non poteſt irritare: ſed quãdo ſeruus eſt libertatẽ conſequutus, vota illius quandocunque emiſſa non redundant in præiudiciũ domini. ergo vota ſerui quandocunque emiſſa poſt libertatem conſequutam non poteſt dominus ea irritare.

Dvbitatio X.

X. *Quid requiratur ad hoc vt votum emiſſum ab impubere, ante pubertatem, cenſeatur ratiſicatum?*

Dico decimò, vt votum factum ab impubere ante pubertatem cenſeatur ratificatum, ſic vt à parentibus irritari nequeat, non ſufficit quòd poſt pubertatem intendat illud implere pubes factus, credens illud à principio voluiſſe, ſed oportet, vt ſciens illud à principio fuiſſe irritabile, ratificet. quia confirmatio profeſſionis irritæ, aut matrimonij irriti, non valet ſi nullitas profeſſionis irritæ, aut matrimonij prioris irriti, lateat confirmantem. ergo ſimiliter pubes non cenſetur votum ratificare ante pubertatem emiſſum, ſi illud ratificat, ignorans id eſſe irritabile. Ita præclarè Caietanus 2. 2. *quæſt. vltima, art. 5.* quem ſequitur Nauarrus *tomo 2. conſil. lib. 4. de ſponſalibus, conſilo 12. num. 4.* Lopez *part. 1. Inſtruct. cap. 48. §. votum Religionis.* Sanchez *lib. 4. in Præcepta, cap. 30. num. 43.*

Dvbitatio XI.

XI. *An vota perſonalia, & realia à filio familias emiſſa poſt annos pubertatis, poſſint à patre irritari?*

Dico vndecimò, vota perſonalia à filiofamilias poſt annos pubertatis emiſſa, quæ non præiudicant patriæ poteſtati, vt eſt votum Religionis, vel caſtitatis, non poſſunt à patre irritari. quia in rebus, quæ pertinent ad electionem ſtatus, non eſt ſubiectus filius parentibus: immò ſi filius habuerit 16. annum completum, poterit profiteri etiam inuitis parentibus.

Impuberes verò ſi Religionem abſque parentum, vel tutorum conſenſu ingrediantur, poſſunt parentes, vel tutores id factum irritum facere, & impuberem reuocare, niſi anno, & die id diſſimulauerint, quo tempore tranſacto reuocare nequibunt: hic tamen annus, qui conceditur parentibus ad reuocandos à Religione filios impuberes, includi debet intra annos quibus ille eſt impubes: quòd ſi impubes prope pubertatem ingrediatur Religionem parentibus inſciis, aut tutoribus, non conceditur illis integer annus ad reuocandum, ſed id ſolùm quod ſupereſt vſque ad pubertatem, quâ adeptâ ceſſabit id reuocandi ius; quia deinceps integrum eſt illis contra parentum, & tutorum voluntatem ad Religionem tranſire: non tamen poſſunt parentes, aut tutores propria authoritate vim inferendo extrahere impuberem à Religione, ſed authoritate habentis poteſtatem in Monaſterium illud: videatur *cap. 2. de Regular. cap. puella 20. quæſt. 2.* Syl. *verb. Religio 2. quæſt. 11.* Sanchez *lib. 4. in Decalogum, cap. 18. n. 10.*

Dico duodecimò, vota tamen perſonalia filiorum puberum ſi patriæ poteſtati præiudicent quando graue, & alicuius momenti eſt præiudicium, poteſt pater irritare: vt ſi filiusfamilias voueret ieiunia extraordinaria, ita ut periculum morbi afferrent, vel ſi filiusfamilia tot preces voueret, vt impedimento eſſent obſequio paterno, aut ſtudio, cui vacat ex patris præcepto; quia hæc vota iuri, poteſtati, & domeſticæ gubernationi patris nocent, cùm eius ſit curare vt filius ſtudio, aut alteri operi ad vitam tranſigendam neceſſariò incumbat: tum, quia huiuſmodi vota ex parte materiæ ſunt illicita, vtpote quibus læditur ius paternum. Ita benè notauit Lopez noſter *part. 1. Inſtruct. cap. 47. verſic. Pater, & mater.* Sayr. *lib. 6. Clauis cap. 10. num. 24.*

Dico decimotertiò. Pater poteſt irritare vota realia, quæ filiusfamilias, etſi pubes, minor tamen 25. annis, emiſit; quia filius non habet liberam ſuorum bonorum adminiſtrationem, ſed pater. ergo, &c. Ita Sotus *lib. 7. quæſt. 3. art. 3. art. 2.*

Dvbitatio XII.

XII. *An votum perſonale filij, de ingredienda Religione, ſimul cum reali, de relinquendo Religioni, per profeſſionem, ſua bona, poſſit à patre irritari?*

Dico decimoquartò, ſi votum principaliter eſt perſonale, & acceſſoriè tantùm reale, emiſſum à filio pubere, non poteſt à Patre irritari. quia acceſſorium ſequitur naturam principalis. Regula, *acceſſorium, de reg. iuris in 6.* vt ſi filius pubes ſub patria poteſtate adhuc conſtitutus expreſsè Religionem voueat, & ſimul ſua bona per profeſſionem illi dare, non poteſt pater irritando tale votum impedire, quominus illius bona cum perſona ad Monaſterium tranſeant. Syl. *verb. votum 4. q. 2. verſ. ſecundum.* S Anton. *p. 2. tit. 11. c. 2. §. 7. verſ. ſecundo.* Sayr. *lib. 6. Clauis Regia c. 10. n. 25.*

Dvbitatio XIII.

XIII. *An pater poſſit irritare vota realia emiſſa à pubere, ante 25 annum de peculio ſuo caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi?*

Dico decimoquintò. Pater non poteſt irritare vota realia emiſſa à pubere ante 25. annum expletum de peculio ſuo caſtrenſi, id eſt, in bello acquiſito, vel quaſi caſtrenſi, id eſt, in officio publico acquiſito, puta legendo, docendo, aduocando, medicando, aut ſeruiendo alicui Principi. quia in hoc genere bonorum filius reputatur paterfamilias, & ſui iuris, vt conſtat ex *l. 1. ff. ad S.C. Macedon.* Videatur Syl. *verb. votum 3. q. 6.* Sayr. *loco nuperrimè adducto.*

Dvbitatio XIV.

XIV. *An pater poſſit irritare vota realia puberis, exequenda pro tempore, quo fuerit ſui iuris?*

Dico decimoſextò, Pater non poteſt irritare vota realia puberis exequenda pro tempore, quo fuerit ſui iuris, vt quando vouet eleemoſynam dandam tempore, quo liberam bonorum diſpenſationem habuerit. quia huiuſmodi vota fiunt ex plena animi deliberatione, & referuntur ad tempus, in quo pubes filius erit extra poteſtatem patris. Azor. *part. 1. inſtit. moral. lib. 11. cap. 17. dub. 8. ad finem.*

Dvbitatio XV.

XV. *Quamdiu duret poteſtas irritandi vota realia filij puberis in patre?*

Dico decimoſeptimò, poteſtas hæc irritandi vota realia filij puberis in patre durat vſque dum filius fuerit emancipatus à patria poteſtate: eſt autem emancipatio, quaſi extra poteſtatem patris poſitio, ſeu relaxatio patriæ poteſtatis coram iudice competente, voluntate patris, & filij concurrente, vt benè Syl. *verb. emancipatio.* Soluitur autem patria poteſtas ſi pater tranſit in alterius poteſtatem, puta Superioris per ingreſſum Religionis. Item

quando

Digitized by Google

quando filins poſt pubertatem profitetur Religionem approbatam, vt notauit gloſſ. *in cap.* 1. 20. *quæſt.* 2. Ante pubertatem tamen etiam ante factum Concilium Tridentinum filius impubes profiteri non poterat, patre inuito; quia non deſinit patria poteſtas per ingreſſum Religionis ante pubertatem, ideóque tenetur obedire patri. Syl. *verb. patria poteſtas.* Item filius eſt emancipatus ante 25. annum per matrimonium, & tunc iam pater non poterit irritare eius vota: puſt 25. annum poteſt fieri quòd filins non ſit emancipatus à patria poteſtate, & tonc vota filij realia poterit pater irritare; quia hæc irritatio non fundatur in defectu indicij ad vouendum, ſed in defectu materiæ propter ſubiectionem. ergo ex duratione ſubiectionis pendet duratio poteſtatis, non ex ætate, videatur Suarez *tom.* 2. *de Religione, lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 12. D. Barthulomæus à S. Fauſt. *lib.* 2. *de votorum irritatione, quæſt.* 115. quamuis putent alij hanc patriam poteſtatem durare vſque ad 25. annum; quia filius vſque ad illud tempus cenſetur minor.

Dvbitatio XVI.

X V I. *An pater Profeſſus in Religione approbata poßit irritare vota fidei impuberis, & an poßit irritare vota fily Profeßi, vel Nouity?*

Dico decimooctauò, pater Profeſſus in aliqua Religione approbata, vota perſonalia filij impuberis, nec filij puberis realia vota irritare poteſt. quia per profeſſionem nec patriam poteſtatem, nec aliquam filij curam retinet, ſed ea tota tranſit in tutorem, vel curatorem: vel ſi his omnibus caret, erit ſui iuris, nec poteſt pater vota filij Profeſſi irritare; quia filius ratione profeſſionis eſt extra curam, & poteſtatem patris: poteſt tamen vota filij Nouitij exiſtentis etiam in Nouitiatu irritare, quia per Nouitiatum non amittitur aliquid patriæ poteſtatis, aut iuris in filios.

Articvlvs XI.
De votis emiſſis à muliere coniugata.

S V M M A R I V M.

1. *An vir poſſit irritare omnia vota vxoris, emiſſa inito matrimonio pro tunc implenda.*
2. *An votum non petendi debitum emiſſum ab vxore, poſſit irritari ab eius viro.*
3. *An vir poſſit irritare votum caſtitatis emiſſum ab vxore.*
4. *An vir poſſit irritare votum Religionis, emiſſum ab vxore, poſt contractum matrimonium, nondum tamen conſummatum.*
5. *An votum Religionis emiſſum ab vxore poſt contractum matrimonium, implendum tamen poſt mortem viri, poſſit ab eodem irritari.*
6. *An vota vxoris, emiſſa ante matrimonium, poſſint à viro irritari, & an poſt mortem viri reuiuiſcant.*
7. *Explicatur quid ſit irritatio, & ſuſpenſio voti.*
8. *An vir poſſit irritare votum caſtitatis emiſſum ab vxore ante matrimonium.*
9. *An vota ab vxore tempore prioris matrimonij, aut alterius ſubiectionis emiſſa, quæ vir, aut pater, aut tutor poterant irritare, & non irritauerunt, poſſint à ſubſequente viro irritari.*
10. *An Superior Regularis poſſit irritare vota emiſſa tempore Prædeceſſoris.*

Dvbitatio I.

I. *An vir poßit irritare omnia vota vxoris, emiſſa inito matrimonio, pro tunc implenda?*

Dico primò, Vir poteſt irritare omnia vota vxoris emiſſa inito matrimonio pro tūc implenda. quia mulier eſt imprudens & facilis in verbis, & promiſſis, & ideo Deus ſubdidit eius voluntatem viro in votis emittendis. hæc aſſertio videtur expreſsè D. Thom. 2. 2. *q* 88. *art.* 8. *ad* 3. vbi ſic ait: Quia nullum tempus eſt, in quo Prælatus non poſſit ſubditum circa aliquid occupare, nullum votum Religioſi eſt firmum, niſi ſit de conſenſu Prælati: ſicut nec votum puellæ exiſtentis in domo, niſi ſit de conſenſu patris, nec vxoris, niſi ſit de conſenſo viri. hæc D. Thom. ergo cùm D. Thom. comparet vxorem in vouendo Religioſo, cuius vota poteſt Prælatus in vniuerſum irritare, poterit etiam vir omnia vota vxoris irritare. hanc aſſertionem dicit eſſe tutam & probabilem, Lopez noſter *part.* 1. *inſtruct. cap.* 47. & eam tenet expreſsè Sotus *lib.* 7. *de Iuſtitia, quæſt.* 3. *art.* 1. *verſ. At verò ſicuti.* Sanchez *lib.* 9. *de matrimonio, diſput.* 39. *num.* 4.

Dico ſecundò, probabile etiam eſt aſſerere ea vota vxoris poſſe virum tantùm irritare, quæ ſunt in præiudicium domus, familiæ, & actus matrimonialis, vtpote ei præiudicialia; cætera verò vota non item, vt vota recitandi aliquas preces, aut largiendi eleemoſynas ex bonis quorum habet liberam adminiſtrationem: quia vxor non eſt ſubdita viro, niſi quoad ea, quæ ſunt in mariti præiudicium. Ita Syl. *verb. votum* 4. *quæſt.* 2. *verſ.* 5. Nauarr. *ſumma cap.* 12. *n.* 61. Sayr. *lib.* 6. *Clauis Regiæ, cap.* 10. *num.* 19.

Dvbitatio II.

II. *An votum non petendi debitum emiſſum ab vxore, poßit irritari ab eius viro?*

Dico tertiò, Votum non petendi debitum factum ab vxore, poteſt à marito irritari. quia huioſmodi votum poteſt afferre marito præiudicium, quatenus fieri poteſt, vt ipſe ſemper petendo verecundiam patiatur. Sayr. *lib.* 6. *Clauis Regiæ, cap.* 5. *num.* 13. Hæc ratio licèt videatur ſatis apparens, non tamen eſt firma: nam vxor non petendo debitum, nulli facit iniuriam, vtitur enim iure ſuo, non enim lege matrimonij tenetur petere, ſed ſolùm ſe paratam exhibere. Ratio verò firma & potiſſima eſt. quia quāuis vir & vxor ſint pares quoad libertatem non petendi, & ita materia illa non ſit viro ſubiecta: at quoad illam nouam obligationem, quam ſibi imponit vxor per votum, ſubditur viro tanquam capiti, cuius eſt voluntatem ipſius dirigere ne imprudenter voueat. Bonacina *tom.* 2. *de voto, diſp.* 4. *quæſt.* 2. *puncto* 7. §. 2. *num.* 4.

Dvbitatio III.

III. *An vir poßit irritare votum caſtitatis, emiſſum ab vxore?*

Dico quartò, probabile eſt aſſerere, poſſe virum irritare votum caſtitatis conſtante matrimonio ab vxore abſque ſua licentia emiſſum, propter rationem allatam *aſſertione* 1. *huius articuli*; quia mulier eſt imprudens & facilis in verbis, & promiſſis, & ideo

Deus ſubdidit eius voluntatem viro in votis emittē-dis: vnde ſi eius irritatione facta vxor adulrerium commirrat, non erir voti rea, nec ſoluto matrimonio tenebitur ab aliis nuptiis abſtinere, ad quæ ex vi voti tenebatur; quia illud votum caſtitatis irritarione eſt extinctum.

Dico quintò, rationabiliter etiam dici poteſt votum caſtiraris vxoris, quod poſt conſummatum matrimonium de viri licentia emiſit, poſſe virum illud irritare. quia mulier maner ſubiecta viro, non obſtante illa licentia ohtenta, nec maritus conſtante matrimonio poteſt à ſe abdicare poteſtatem vxorem gubernandi, & ideo valebit irritatio.

Dico ſextò, vir abſque iuſta & rationabili cauſa irritans tale votum caſtitatis vxoris, peccaret mortaliter. quia in re graui abuteretur ſna poteſtate: irritatio tamen valeret, quia mulier non obſtante licentia manet viro ſubiecta: nec tunc vxor facta irritatione votum non implens peccaret, quia ad illud non teneretur ſtante irritarione: videantur pro his tribus aſſertionibus DD. cit. *aſſertione* 1. *huius art.* & præter illos D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib.* 2. *de votorum irritatione, quæſt.* 55. *&* 65. Sanchez *lib.* 4. *in Præcepta, c.* 34. *num.* 9. *& ſequentibus.* Quamnis alij, & multi quidem, & præcipuè citati *aſſertione* 2. *huius art.* teneant partem negatioam; quia, inquiunt, materia huius voti non eſt viro ſubiecta, neque cedir in viri præiudicium.

Dvbitatio IV.

IV. *An vir poßit irritare votum Religionis, emiſſum ab vxore poſt contractum matrimonium, nondum tamen conſummatum?*

Dico ſeptimò, ſi vxor poſt contractum matrimonium, nondum tamen conſummatum, votum Religionis emiſit pro tunc implendum, non poteſt vir id votum irritare. quia per tale votnm vxor ingrediendo Religionem, & ibi profitendo eximitur à viri poteſtate, & diſſoluitur matrimonium: videatur D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib.* 5. *de votorum irritatione, quæſt.* 57.

Dvbitatio V.

V. *An votum Religionis emiſſum ab vxore poſt contractum matrimonium, implendum tamen poſt mortem viri, poßit ab eodem irritari?*

Dico octanò, ſi verò vxor poſt contractum matrimonium emiſit votum Religionis, non pro runc implendum conſtante matrimonio rato, ſed poſt mortem viti exequendum, poteſt vir id votum irritare, ſecundùm ſententiam probabilem, de qua diximus *aſſertione* 1. *huius art.* quia id votum tempore ſubiectionis emiſſum eſt, & dum vxor ſubiecta eſt, irritatur, nec per illud eximitur à viri poteſtate: videatur Sotus *lib.* 7. *de Iuſtitia, quæſt.* 3. *art.* 1. Oppoſitum etiam eſt ſatis probabile; quia vir non poteſt vxoris vota irritare, quæ nun ſunt in eius præiudicium, & domeſticæ domus gubernationis: at id votum eſt huiuſmodi; ergo, &c. Tum, quia votum emiſſum ab vxote implendum poſt mortem viri, nihil viri poteſtatem in adminiſtranda re familiari, & domeſtica lædit, & impedit. Sed primam ſeutentiam renendo ad hanc rationem, reſpondetor quòd vxor non tantùm ſubditur viro quoad materiam promiſſam, ſed etiam quoad voluntatem, qua vouet ne imprudenter ſe liget: ergo votum vxoris emiſſum tempore ſubiectionis, poteſt à viro irritati, licèt non præiudicet, nec impediat poteſtatem viri in adminiſtranda, &c.

Dvbitatio VI.

VI. *An vota vxoris, emiſſa ante matrimonium, poßint à viro irritari? &, An poſt mortem viri reuiuiſcant?*

Dico nonò, vota vxoris ante matrimonium emiſſa nequeunt à viro proprie, & directè irritati, itant non reuiuiſcant. quia quando talia vota fuerunt emiſſa, muliet erat ſui iuris, nec vllo pacto voluntati viri ſubiecta: ſed vota ante ſubiectionem emiſſa, nequeunt propriè, & directè irritari, itaut non reuiuiſcant. ergo, &c. Maior eſt clara. Probatur minor. nam vota non habentia conditionem imbibitam pendentem ex Superioris conſenſu, non poſſunt irritari: ſed vota ante ſubiectionem emiſſa non habent conditionem imbibitam pendentem ex Superioria conſenſu, quia tunc voluntas emittentis vota non pendet ab alio cui ſubiecta eſt. ergo, &c. Videatur Nauarr. *ſumma cap.* 15. *num.* 61.

Dico decimò, vir poteſt talia vota vxoris ante contractum matrimonium emiſſa iudirectè irritare, id eſt, ſuſpendere, quatenus obſequio ei debito præiudicant. Probatur, quia obligatio voti contracta ante matrimonium, non poteſt impedire obligationem iuſtitiæ, conſurgentem ex nouo matrimonio. nam obligatio iuſtitiæ contracta ex nouo matrimonio præualet obligationi conſurgenti ex voto: videatur *cap. noluit* 33. *quæſt.* 5. Sanchez *lib.* 4. *in Præcepta, cap.* 31. *num.* 8.

Dico vndecimò, vota vxoris ante matrimonium emiſſa mortuo viro reuiuiſcunt, & conſequenter poſt mortem viri tenetur mulier vota illa adimplere. quia vota illa non fuerunt mortua, ſed mortificata & ſuſpenſa tempore matrimonij. ergo ſoluto matrimonio pristinam obligationem recuperant: vnde ſi vxor ante matrimonium vouit ieiunare omnibus ſextis feriis totius vitæ, ſi vir tale votum tanquam ſibi præiudiciale impropriè & indirectè irritat, id eſt, ſuſpendit tempore conſtantis matrimonij, durabit talis ſuſpenſio, ſed ſoluto matrimonio tenebitur poſtea ſeruare ſuom votum, ieiunare ſcilicet ſextis feriis.

Dvbitatio VII.

VII. *Quid ſit irritatio, & ſuſpenſio voti?*

Dico duodecimò, duplicem eſſe irritationem, quædam eſt propria, & directa, quæ ſimpliciter irritatio dicitur: alia autem eſt impropria, & indirecta, & ſecundùm quid, quæ propriè dicitur quædam voti ſuſpenſio. Quando eſt vera irritatio, extinguitur protſus voti obligatio; quia obligatio ſemel extincta nnnquam reuiniſcit. *l. cùm ex cauſa, C. de remiſſione pignor.* quando verò eſt ſola impropria, & indirecta voti irritatio, quæ eſt ſola voti ſuſpenſio, manet quidem voti vinculum, & ob ſolam materiæ prohibitionem eius obligatio eſt ſuſpenſa, quandiu prohibitio durat, & ideo ea ceſſante, priſtinas obligandi vires recuperat: videatur Syl. *verb. votum* 4. *quæſt.* 2. *dicto* 3. Sanchez *lib.* 4. *in Præcepta cap.* 24. *num.* 3.

Dvbi

DVBITATIO VIII.

VIII. *An vir poſſit irritare votum caſtitatis, emiſſum ab vxore ante matrimonium?*

Dico decimotertiò, vir poteſt vota vxoris ante matrimonium emiſſa impropriè, & indirectè irritare, id eſt, ſuſpendere quatenus obſequio ei debito præiudicant, vt diximus, & probauimus *aſſertione* 10. *huius art.* non tamen poteſt votum caſtitatis ante matrimonium emiſſum ſuſpendere; quoniam id votum continet duo, non exercere actum venereum, nec reddendo, nec petendo. Quoad primum non indiget irritatione, nec ſuſpenſione. nam à fortiori matrimonij vinculo conſtringitur reddere: quoad ſecundum autem nequit ſuſpendi à viro, quia materia petendi non eſt viro ſubiecta, itaut prohibere poſſit, aut præcipere debiti petitionem; ſed mulier eſt libera, & ſui iuris in hoc: nec tempore voti habebat vir dominium aliquod in vxoris voluntatem, licèt Ioannes de Friburgo *in ſumma Confeſſorum*, concedat id votum emiſſum ante matrimonium poſſe à viro irritari: videatur pro hac aſſertione Sanchez *lib. 4. in Decalogum, cap. 31. num. 9.*

DVBITATIO IX.

IX. *An vota ab vxore tempore prioris matrimonij, aut alterius ſubiectionis, emiſſa, quæ vir, aut pater, aut tutor poterant irritare, & non irritauerunt, poſſint à ſubſequente viro irritari?*

Dico decimoquartò, ſi mulier nupta votis ſe abſque licentia viri aſtrinxit, quæ ille poterat irritare, nec irritauit, vir ſequens talia vota poteſt irritare, ſi ſecundo mulier illa nubat, & ſimiliter ſi nondum nupta, & impubes emiſit votum perſonale, vel pubes: minor tamen votum reale abſque parentum, aut tutoris licentia, ſub quorum erat poteſtate conſtituta, poterit vir cui poſtea nubit, ea vota irritare, ſicut poterant parentes, & tutores; quia maritus ſuccedit in locum patris, aut tutoris, vt gubernet eandem voluntatem, eiúſque defectus ſuppleat. ergo ſicut poterat pater ea vota irritare poſt tempus pubertatis, & facta iam puella maiori, ſi in illa ætate non eſſent denuo ratificata, idem dicendum eſt de viro.

Dico decimoquintò; ſicut pater, tutor, vel prior maritus poteſt talia vota tempore ſubiectionis emiſſa perfectè & propriè irritare, itaut ea vota non reuiuiſcant ampliùs, ita & vir ſuccedens. quia ſuccedit in eandem poteſtatem. ergo ſimiliter perfectè poterit talia vota irritare. Nec contra has duas aſſertiones vrget argumentum. quia vota ante matrimonium emiſſa, non poſſunt à viro perfectè, & propriè irritari, ſed impropriè ſuſpendi, ſcilicet itaut poſtea ſoluto matrimonio reuiuiſcant, vt diximus *aſſertione* 10. *huius art.* non, inquam, officit hoc, quia id verum eſt, quando tunc non erat mulier alicui ſubiecta, qui poſſet irritare vota, & à cuius conſenſu penderent: videatur pro his duabus aſſertionibus Suarez *tom. 2. de Religione, tract. de voto lib. 6. cap. 6. num. vltimo.* D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 2. de votorum irritatione, q. 71.* Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 41. num. 3.*

Dico decimoſextò, probabile etiam eſt aſſerere vota ab vxore tempore prioris matrimonij, vel cuiuſcumque ſubiectionis emiſſa, quæ vir, pater, aut tutor poterat irritare, & non irritauit, non poſſe virum ſubſequentem irritare propriè, & directè, quia poteſtas dominatiua, quam habet ſupra vxorem ſubſequens vir, eſt moraliter diuerſa à poteſtate dominatiua, quam habuit prior vir in vxorem: & ſimiliter poteſtas patris dominatiua in filiam, & tutoris in pupillam, eſt moraliter diuerſa, ſed poteſtas moraliter diuerſa non tribuit facultatem irritandi vota propriè & directè ab alia poteſtate dominatiua pendentia, quia prior hæc poteſtas cùm ſit moraliter diuerſa, omnino cenſetur extincta, nec in poſteriorem tranſit, vt bene notauit Sanchez *lib. 4. in Præcepta, cap. 28. num. 5.* & propter hanc rationem idem Doctor *eodem libro cap. 31. num. 5.* mutans in melius quod dixit *lib. 9. de matrim. diſp. 41. num. 3.* tenet hanc aſſertionem. Dixi in aſſertione probabiliter non poſſe ſubſequentem virum irritare vota vxoris propriè, & directè emiſſa ante matrimonium contractum: nam vota ante matrimonium emiſſa, vt ſunt ſibi præiudicialia, quatenus ſcilicet obſequio ei debito præiudicant, impropriè, & indirectè poteſt irritare, id eſt, ſuſpendere, reuiuiſcunt tamen hæc poſt ſolutum matrimonium.

DVBITATIO X.

X. *An Superior Regularis poſſit irritare vota emiſſa tempore prædeceſſoris?*

Dico decimoſeptimò, certiſſimum eſt, quòd ſi Superior ſuccedens habeat eandem poteſtatem moraliter, qualem habet Superior Regularis ſuccedens priori Superiori Religioſo, quòd poſſit vota emiſſa à ſubdito tempore prioris Superioris irritare, modò ſit ſubditus ſuccedentis Superioris; quia tota, & eadem poteſtas, moraliter loquendo, prioris Superioris deriuatur in ſubſequentem.

ARTICVLVS XII.

De votis emiſſis à viro vxorato.

SVMMARIVM.

1. *An vxor poſſit irritare vota viri, quæ impediunt moderatam debiti redditionem.*
2. *An vxor poſſit irritare votum viri vouentis longam peregrinationem.*
3. *An vxor poſſit irritare votum caſtitatis emiſſum à viro, de illius licentia? & an in caſu irritationis, vir poſſit tranſire ad ſecundas nuptias, vel petere debitum.*
4. *An vxor poſſit irritare votum viri, de non petendo debitum.*
5. *An vota perſonalia viri ante matrimonium emiſſa, poſſint ab vxore ſaltem conſtante matrimonio ſuſpendi.*
6. *An votum integræ caſtitatis, ante matrimonium emiſſum à viro, remaneat poſt initum matrimonium ſuſpenſum.*

DVBITATIO I.

I. *An vxor poſſit irritare vota viri, quæ impediunt moderatam debiti redditionem?*

Dico primò, quamuis vxori non ſit permiſſum omnia viri vota irritare, quia non eſt caput viri, ſed ipſius imperio ſubeſt: poteſt tamen omnia, & ſola viri vota irritare, quæ ipſi præiudicant quoad moderatam debiti redditionem, aut mutuam cohabitationem; quoniam vxor habet dominium, & poteſtatem corporis viri per contractum matrimonium acquiſitam quoad debitum ſibi reddendum mode-

ratè

ratè,& cohabitandum , vt colligitur ex 1. *Epiſtola ad Corinth.cap.7.* ergo vota huic dominio præiudicantia irritare poterit : videatur D.Anton.3.*part.tit.*1.*cap.*22. §.1.Conradus noſter *tom.*1.*reſponſ.quæſito* 304.

Dico ſecundò conſequenter, ſi vir abſque vxoris licentia eas preces, abſtinentias , aut vigilias voueat, quæ ita debilitent vires, vt ineptius ſit ad reddendum moderatè debitum, poſſunt talia vota , quoad exceſſum ſibi præiudicantem ab vxore irritari : non autem in totum reuocari. quia vxor ſolùm poteſt viri vota irritare in quantum actum matrimonialem impediunt : at ſolus exceſſus horum votorum promiſſus eſt huiuſmodi ; ergo ſolus ille ab vxore irritari , reuocaríque poterit. *cap.quidam,& cap. placet,de conuerſione coniug.*

Dvbitatio II.

II. *An vxor poſſit irritare votum viri,vouentis longam peregrinationem?*

Dico tertiò , ſi maritus abſque vxoris conſenſu longam peregrinationem voueat , poteſt id votum ab vxore irritari. quia hoc votum actum matrimonialem impedit : votum tamen vltramarinum non cauſa ſolius deuotionis factum,ſed in ſubſidium Terræ ſanctæ , non poteſt vxor irritare : vt expreſsè definitur *in cap.ex multa, §.in tanta , & in cap. quod ſuper his,de voto.* nam propter bonum commune potuit ius Pontificium priuare vxorem ſuo priuato iure , vti fit *in cap.ex multa , §. in tanta , de voto* : videatur etiam D. Thom.pro hac aſſertione *quodlib.4.art.*11. Sanchez *lib.4.oper.moral.cap.34.num.*23.

Dvbitatio III.

III. *An vxor poſſit irritare votum caſtitatis, emiſſum à viro de illius licentia? & an in caſu irritationis , vir poſſit tranſire ad ſecundas nuptias , vel petere debitum?*

Dico quartò,votum integræ caſtitatis, quod vir de licentia vxoris emiſit,poteſt ab vxore ex iuſta cauſa licitè irritari quoad redditionem debiti , vt ſi ipſa eſſet iuuenis, & in periculo incontinentiæ verſaretur, imò abſque iuſta cauſa validè , ſed cum peccato poſſet id votum quoad redditionem vxor irritare. quia poſt talem licentiam adhuc domina manet corporis viri. ergo , &c. Hæc aſſertio intelligitur de irritatione non propria & directa , ſed de impropria & indirecta , de qua iam diximus *aſſert.*12.*a.*21. Videantur pro hac aſſertione Sotus *in 4.diſt.27.quæſt.1.art.4.§.Id autem fieri bifariam.*Sanchez *lib.4.oper.mor.cap.34.num.*31. *& eod. lib.cap.27.num.*12.

Dico quintò , vir in caſo præcedentis aſſertionis tenebitur non petere,& vxore mortua à ſecundis nuptiis abſtinere,& ſi cum aliena commiſceatur, peccabit contra votum. quia cùm vxor tantùm habeat dominium corporis viri,quoad obligationem quam habet vir reddendi, non autem quoad cæteros caſtitatis actus , ad quos votum integræ caſtitatis obligat, non poterit irritare,niſi quoad illum ſolum actum.

Dvbibatio IV.

IV. *An vxor poſſit irritare votum viri,de non petendo debitum?*

Dico ſextò,vxor votum viri de non petendo debitum abſque eius licentia factum, irritare non poteſt, quia id votum non eſt contra fidem matrimonij,quæ ſolum adſtringit virum ad reddendum debitum , nec vxor dominium aliquod , aut poteſtatem habet in virum,vt compellat ipſum ad petendum debitum,ſed quoad id ſunt pares , & ambo ſui iuris ,& ex altera parte vxor non eſt caput viri,ſed ei ſubdita : ita videtur tenere D.Thom. *quodlib.3.art.*18. Leſſius *lib.2.de Iuſtitia,cap 40.dub.15.num.99.* Sanchez *lib.9.de matrimonio,diſput.42.num.7.*

Dico ſeptimò, eſt etiam ſatis probabile poſſe vxorem votum viri de non petendo debitum irritare abſque eius licentia factum. quia cedit id votum in maximum eius grauamen : nam contra naturalem mulierum verecundiam vxor cogeretur ſemper petere debitum. hanc ſententiam tenet Lopez *part.1.inſtruct. cap.46.§.Coniugis.*Nauarr.*ſumma cap.*12.*num.*60. Henriquez *lib.*11. *de matrimonio,cap.*15. *num.* 8. Rodriquez *part.2.ſumma cap.92.num.*3. hanc opinionem dicit eſſe probabiliſſimam Arag. 2.2.*quæſt.*88. *art.*8. §.*Dico 2. ad finem,fol.*747.

Dvbitatio V.

V. *An vota perſonalia viri, ante matrimonium emiſſa,poſſint ab vxore ſaltem conſtante matrimonio ſuſpendi?*

Dico octauò , vota perſonalia viri ante matrimonium facta poſſunt quoque ab vxore ſuſpendi , ſi aliquo modo damnum ſibi inferunt ,& in eius maximum grauamen cedunt, ac proinde conſtante matrimonio non obligabunt donec ſoluatur matrimonium. quia obligatio iuſtitiæ contracta ex nouo matrimonio præualet obligationi conſurgenti ex voto etiam emiſſo ante matrimonium. Roſella *verb. votum 2. num.*10. Suarez *tom. 2. de Religione , tract. de voto lib. 6. cap. 4. num.* 16. Sanchez *in Decalogum, cap. 31. num.*12.

Dvbitatio VI.

VI. *An votum integræ caſtitatis , ante matrimonium emiſſum à viro , remaneat poſt initum matrimonium,ſuſpenſum?*

Dico nonò , votum integræ caſtitatis ante matrimonium emiſſum à viro, remanet poſt initum matrimonium ſuſpenſum quoad debiti redditionem. quia vir votu caſtitatis obſtrictus iuſtè , & licitè poſt bimeſtre contracti matrimonij tenetur debitum coniugale reddere vxori petenti. Probabiléque mihi videtur poſſe vxorem etiam quoad petitionem tale votum ſuſpendere ; quia, vt diximus ſuprà *aſſertione 7. huius art.* vxor poteſt votum viri de non petendo debitum irritare ; nam cadit id votum in maximum eius grauamen : ſed votum viri integræ caſtitatis emiſſum ante matrimonium etiam quoad petitionem cedit in maximum vxoris grauamen. ergo,&c. Maiorem docent DD. grauiſſimi, Lopez , Nauarr. Henriquez, Rodriquez *ſuprà* citati *aſſertione* 7. Minor verò probatur : nam eſt graue onus vxori in eam neceſſitatem redigi , vt pudore petendi debitum ſemper iſta ſubire cogatur , eo præſertim quòd mulier naturali pudore magis arcetur à debiti petitione , quàm vir , & ſic maius onus illi imponeretur per tale votum , vt optimè notauit Arag. *ſuprà* citatus *aſſertione* 7. ergo poterit ſuſpendere tale votum , etiam quoad debiti petitionem, cùm ſemper exigere debitum coniugale , ſit maximè ſibi

præiudi

præiudiciale. hoc dixetim probabilitet, ſaluo ſemper meliori iudicio.

Neque aſſertum hoc pogoat com his quæ diximos *in artic. præcedenti, aſſertione* 13. vbi docuimus vitum non poſſe votum caſtitatis vxoris ante matrimonium emiſſum ſuſpendere quoad debiti petitionem. quia onus petendi, quod imponitur, & remanet viro contrahenti cum muliere voto caſtitatis obſtricta, eſt parui momenti, cùm viri regulariter naturali pudore non arceantur à debiti petitione, ſicut mulieres: ideo adeſt rationabilis cauſa, cut hoc concedatur vxori, non autem coniugi viro.

ARTICVLVS XIII.

De Superioribus habentibus facultatem irritandi vota ſuorum ſubditorum.

SVMMARIVM.

1. *An potentes irritare vota ſubditorum, poſſint ſua vota infringere, aut id committere ſuis Confeſſariis.*
2. *An poteſtas dominatiua, requiſita ad irritanda vota, ſit ſpiritualis, vel profana.*
3. *An ſummus Pontifex poſſit irritare omnia vota laicorum, vel Clericorum.*
4. *An ſummus Pontifex poſſit irritare vota Religioſorum.*
5. *An Epiſcopus poſſit irritare vota ſubditorum.*
6. *An dominus poſſit irritare vota ſeruorum.*
7. *An dominus poſſit irritare votum caſtitatis ab ancilla emiſſum.*
8. *An dominus poſſit irritare votum ſerui, vel ancillæ, de Religione, vel longa peregrinatione.*
9. *An dominus poſſit irritare vota realia ſerui.*
10. *An dominus poſſit ſuſpendere vota ſerui, emiſſa ante ſeruitutem.*
11. *An dominus poſſit irritare vota ſerui emiſſa tempore ſeruitutis, ſoluta eius dominij poteſtate.*
12. *An dominus poſſit irritare vota ſerui, emiſſa tempore ſeruitutis, implenda tempore libertatis.*
13. *An paterfamilias poſſit famulorum vota irritare.*

DVBITATIO I.

I. *An potentes irriture votu ſubditorum poſſint ſua vota infringere, aut id committere ſuis Confeſſarijs?*

DIco primò, potenies irritare vota ſubditorum, ſupra quos habent poteſtaiem dominatiuam, non poſſunt ſua vota irritare, aut committere id Confeſſatiis ſuis. quia ratione dominij abſoluti qnod habent Superiotes in voluntatem ſubditorum, aut circa materiam promiſſam, ineſt in votis ſubditotum tacita conditio, ſi Superiores hi conſenſerint, aut non contradixerint, & ideo irritationi Superiorum ſubduntur: ſed ipſa Superiorum vota nullam habent tacitam conditionem à ſua voluntate pendentem, ſed à voluntate Superiorum, ſi fortè ipſi alicui poteſtati dominatiuæ ſubduntur. ergo non poſſunt ſua vota irritare, aut aliis irritanda committere: videatur Sanchez *lib. 4. in Decalogum, cap. 24. num. 60.*

DVBITATIO II.

II. *An poteſtas dominatiua, requiſita ad irritanda vota, ſit ſpiritualis, vel profanu?*

Dico ſecundò, poteſtas dominatiua, quæ requititur ad votorum irritationem, non eſt poteſtas iuriſdictionis ſpiritualis, ſed quædam poteſtas œconomica, quæ in gubernatione, & adminiſtratione tei domeſticæ, & familiaris inuititur: vnde non eſt poteſtas Eccleſiaſtica, aut ſpiritualis, ſed potiùs ciuilis & profana, quę aliquando acquiritur per contractum, vel quaſi cootractum, qualis eſt illa domini in ſeruum ſibi venditum, aut Superioris in ſubditum, qui ſibi per obedientiæ votum obedientiam promittit: aut viri in vxorem, cuius caput vir dicitur, & cui vir præeſt per ordinem ad domus, & familiæ gubernationem, aliquando acquiritur naturali origine, & ex vi propagatioois humanæ, qualis eſt poteſtas patris in filium: videatur Bonacina *tom. 2. tract. de legibus, diſput. 1. q. 1. puncto 3. num. 3.*

DVBITATIO III.

III. *An ſummus Pontifex poſſit irriture vota laicorum, vel Clericorum?*

Dico tertiò, ſummus Pontifex non poteſt irritare omnia vota laicorum, aut Clericorum. quia licèt ſummus Pontifex pleniſſimam habeat poteſtatem ſuper fideles circa res ſpirituales, non tamen habet poteſtatem dominatiuam in his quæ fiunt priuata auctoritate, nec homines ſunt illi ita ſubiecti, vt ab eius voluntate omnino pendeant: videatur D. Th. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. Sotus *lib. 7. de Iuſt. q.* 3. *art.* 1. Azor. *part. 1. inſtit. mor. lib. 11. cap. 17. q. 3. §. quares.*

Dico quartò, Vota tamen Clericorum poteſt Romanus Pontifex irritare, quæ in præiudicium Eccleſiæ vergerent, vt eſt votum longæ peregrinationis, vel ſi voueant reſignationem beneficij in fauorem Monaſterij, vel renuntiationem rerum Eccleſiaſticarum. quia huiuſmodi vota tacita conditione facta videntur, ea nimirum, ſi ſummo Pontifici placuerint: nam huiuſmodi vota, aliqua ex parte eius ſupremæ poteſtati obſunt. Sayr. *lib. 6. Clauis Regiæ, c. 10. n. 17.*

DVBITATIO IV.

IV. *An ſummus Pontifex poſſit irritare vota Religioſorum?*

Dico quintò, Romanus Pontifex poteſt irritare vota Religioſorum, quæ alij Regulares eorum Prælati irritare valent. quia ſummus Pontifex ex vi profeſſionis religioſæ, non minus eſt eorum Prælatus, quàm Religionis Prælati, immò eſt ſummus, & ſupremus omnium Religioſorum generalis vtramque poteſtatem, ſpiritualem ſcilicet, & dominatiuam, ſuper eos habens: videatur S. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 5. *ad* 3. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *verſ. Ad ſecunda queſtionis euidendentiam*, Lopez *part. 1. inſtruct. cap.* 49.

DVBITATIO V.

V. *An Epiſcopus poſſit irritare vota ſubditorum?*

Dico ſextò, Epiſcopus neqoe vota Clericorum ſæcularium, neque Religioſorum, neque laicorum irritare puteſt. quia ſuper Clericos ſæculares, & laicos ſibi

ſibi ſubditos, non habet poteſtatem dominatiuam, ſed tantùm ſpiritualem; ſupra Religioſos verò exemptos nullam. Clerici verò ſi vouerint aliquid in Eccleſiarum detrimentum, vt ſi Parochus voueat longam peregrinationem, tale votum poterit Epiſcopus irritare, quia eſt in Eccleſiæ, cui ipſe præeſt, detrimentum. Suarez *tom.1. de Religione, tract. de voto, libro 6. cap.2. num.8.*

Dvbitatio VI.

VI. *An dominus poſſit irritare vota ſeruorum?*

Dico ſeptimò, dominus ea tantùm ſeruorum vota poteſt irritare, quæ eius obſequium impediunt, non tamen ea, quæ non ſunt ei præiudicialia. quia dominus non eſt Superior, quoad voluntatem ſerui ſimpliciter, ſed eius in illum poteſtas eſt ratione ſeruitutis ei debitæ. ergo ea ſola vota poteſt irritare, quæ eius obſequio ac poteſtati aliqua ex parte officiunt. hæc aſſertio videtur eſſe D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 8. *ad ſecundum*, vbi reddens rationem cur ſeruus nequeat ſe ad Religionem obligare, ait eam eſſe quòd domini ſeruitio præiudicaret. Sotus *lib.7. de Iuſtitia, quæſt.3. art.1. in ſolutione ad ſecundum.*

Dico octauò, dominus nõ poteſt irritare votum caſtitatis ſui ſerui. quia in hoc nõ ſubditur domino, nec ipſi præiudicat, nec votum irritũ reddere poteſt ſerui aliquarum orationum. quia preces moderatæ non obſtant domini obſequio, nec vota ieiunij, & abſtinentiæ moderata, quæ non præiudicant ſeruitio domini, nec vota præceptorum à ſeruis emiſſa, vt audiendi Miſſam in die feſto, & ſimilia; quia in his, quæ nec diminuunt, nec defraudant ſeruitium domini, ſeruus domino ſubiectus non eſt, ſed ſui iuris: videatur Syl. *verb. votum 3. quæſt.7.*

Dvbitatio VII.

VII. *An dominus poſſit irritare votum caſtitatis, ab ancilla emiſſum?*

Dico nonò, etiam votum caſtitatis ab ancilla emiſſum, irritum reddere non poteſt dominus. quia licèt huiuſmodi votum cedere videatur in domini damnum, vtpote quæ nubens conciperet ſeruos domino: tamen quia ius non habet dominus ad ancillæ nuptias, ſed libero ipſius ancillæ arbitrio relinquitur, an nũptias, an potiùs vitam cælibem eligat, ideo ius habet ancilla ad hanc promittendam, velit, nolit dominus. Sanchez *lib.4. in Precept. cap.36. num.3.*

Dvbitatio VIII.

VIII. *An dominus poſſit irritare votum ſerui, vel ancillæ, de Religione, vel longa peregrinatione?*

Dico decimò, poteſt tamen dominus irritare votum, quod ſeruus, vel ancilla emiſit de Religione intranda, aut de peregrinatione facienda. quia per hæc ab obſequio domini totaliter ſubtrahitur. *cap. ſi quis ſeruum* 17. *q.*4. & docet D.Th. 2. 2. *q.* 88. *art.*8. *ad* 2.

Dvbitatio IX.

IX. *An dominus poſſit irritare vota realia ſerui?*

Dico vndecimò, dominus poteſt omnia vota ſerui realia irritare, vt de eleemoſyna facienda, &c. quia ſeruus nullum habet patrimonium, ſed quidquid habet, domini eſt, ex conuentione tamen cum domino poteſt ſeruus aliquid proprium habere, & tunc ſi de eo faciat votum reale, irritari non poterit; quia tunc in nullo domino præiudicat. Sayr. *lib. 6. Clauis Regiæ, cap.5. num.7.*

Dvbitatio X.

X. *An dominus poſſit ſuſpendere vota ſerui, emiſſa ante ſeruitutem?*

Dico duodecimò, dominus vota ſerui ante ſeruitutem emiſſa poteſt ſuſpendere, quæ ſuo obſequio præiudicant. quia dominus ius habet irritandi vota ſerui in ſeruitute facta, ſi eius ſeruitium perturbant: ergo habet quoque poteſtatem ea vota ſuſpendere, quæ ante ſeruitutem ſunt facta, ſi eius obſequio aliqua ex parte officiunt, vnde eo mortuo, & ſeruo libertatem adepto, reuiuiſcunt. Azor *part.1. inſtit. mor. lib.11. cap.17. quæſ.2. &* 10.

Dvbitatio XI.

XI. *An dominus poſſit irritare vota ſerui emiſſa tempore ſeruitutis, ſoluta eius dominij poteſtate?*

Dico decimotertiò, ſi dominus vota à ſeruo emiſſa dum erat ſub ipſius poteſtate, non irritauit, poſtea ſoluta eius dominij poteſtate, etiam ſi poſt eam libertatem non ſunt confirmata, non poteſt ea irritare. quia dominus non poteſt vota ſerui irritare, niſi tempore ſubiectionis, quatenus ipſi præiudicant: ergo finita ſubiectione ceſſat poteſtas in domino vota ſerui irritandi. Syl. *verb. votum 4. quæſt.2. verſ. Quintum*, &c. Bcia *part.1. caſuum, quæſito* 49. §. *Nec ratio.*

Dvbitatio XII.

XII. *An dominus poſſit irritare vota ſerui emiſſa tempore ſeruitutis, implenda tempore libertatis?*

Dico decimoquartò, dominus ſimiliter non poteſt irritare ſerui vota implenda tempore libertatis: vt ſi ſeruus voueat ſeruire Hoſpitali ſi libertatem conſequatur. quia hæc non præiudicant domino ex parte obligationis. ergo non poſſunt ab eo irritari. Ita bene Lopez noſter *part.1. inſtruct. c.*48. §. *Vota ſemel.*

Dvbitatio XIII.

XIII. *An paterfamilias poſſit famulorum vota irritare?*

Dico decimoquintò, paterfamilias nequit ſuorum famulorum vota irritare. quia cùm illi mancipia non ſint, minimè ſubduntur dominatiuæ eius poteſtati: poteſt tamen eorum vota ſuo obſequio præiudicantia ſuſpendere vſque ad tempus finitæ obligationis: videatur Sotus *lib.7. de Iuſt. q.3. art.1. verſ. Sciſcitaris autem.* Sanchez *lib.4. in Præcept. c.24. n.14.*

Articvlvs XIV.

De illis qui Religionum emiſerunt vota.

Svmmarivm.

1. *An votum Ordinis S. Ioannis Hieroſol. poſſit vi Iubilæi commutari.*

2. *An*

2. *An vouens Religionem impleat votum, ſuſcipiendo habitum Diui Ioan. Hieroſól. vel Calatraua, aut Alcantara.*
3. *An Regularis Ordinum Mendicantium, diſpenſatus à Rom. Pont. ad aliam Religionem ingrediendam, poſſit ingredi Ordinem D Io. Hieroſol.*
4. *An vouens ſtrictiorem Religionem peccet mortaliter ingrediendo laxiorem? & , An votum ſuum adimpleat, iſtam ingrediendo.*
5. *An vouens ingredi Religionem ſtrictiorem delinquat, ſi mutet tale votum in votum profitendi in laxiore.*
6. *An vouens ingredi Religionem Mendicantium, peccet commutando hoc votum in votum profitendi in Religione S. Ioannis Hieroſolymitani.*
7. *An vi Iubilai poſſit Confeſſarius commutare votum ingrediendi Religionem, quoad circumſtantiam, perſeuerandi in ea.*
8. *An vouens Religionem, & in ea perſeuerandi, ſi poſt ingreſſum, iuſta cauſa egrediatur, poſſit cum eo Epiſcopus diſpenſare, ne iterum ingrediatur in eam.*
9. *An Confeſſarius vi Iubilai poſſit commutare votum Religionis quantum ad exequutionem.*
10. *An per Iubilaum poſſit commutari votum ingrediendi Religionem Equitum militantium.*
11. *An per Iubilaum poſſint commutari vota aſſumendi habitus tertij Ordinis S. Franciſci, vel Dominici, &c.*
12. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare vota paupertatis, vel obedientia, in ſaculo, vel in Religione non approbata emiſſa, & Confeſſarius vi Iubilai, eadem vota commutare.*
13. *In quónam differat votum ſolemne paupertatis, à voto ſimplici.*
14. *Quiſnam remaneat hares vouentis paupertatem, ſi inteſtatus decedat.*
15. *An Confeſſarij virtute Iubilai poſſint commutare vota Religionis non approbata.*
16. *An virtute Iubilai poſſit commutari votum ingrediendi Religionem, emiſſum ad probandũ vtrũ placeat.*
17. *An vouens ingredi Religionem, & in illa perſeuerare, ſatisfaciat voto illam ingrediendo.*
18. *An qui vouit Religionem in communi, & aliquam ingreditur, ſi poſtea iuſta de cauſa egrediatur, teneatur ad aliam tranſire.*
19. *An qui votum alicuius Religionis, auctoritate Apoſtolica commutauit in aliam, ſi in hac non poſſit perſeuerare, vel habitum in hac non poſſit obtinere, teneatur ad priùs promiſſam.*
20. *An qui commutauit ſibimet propria auctoritate votum alicuius Religionis minus ſtricta, in ſtrictiorem, ſi in hac perſeuerare non poſſit, vel ad illam non admittatur, maneat liber à voto.*
21. *An qui vouit Religionem laxiorem, & commutauit in ſtrictiorem, ad quam ingreſſus ſi expellatur propter deficientiam atatis, ſatisfecerit voto.*
22. *An vouens Religionem in communi, & bona fide aliquam ingrediens, à qua poſtea eijcitur, teneatur, impedimento ceſſante, iterum Religionem ingredi, vt voto ſatisfaciat.*
23. *An vouens ingredi, vel perſeuerare in Religione in communi, vel in particulari, ſi nulla illum velit recipere, obligetur ad aliud, & poſſit tranſire ad nuptias, & quot Conuentus, vel quot Religiones debeat requirere, vt maneat liber à voto.*
24. *An fœmina vouentes Religionem debeant perluſtrare Prouinciam, aut Regnum, vt recipiantur.*
25. *An ſatisfaciat voto Religionis in particulari, qui à Generali Religionis fuit repulſus, vel à Prouinciali, ita vt à voto ſolutus maneat.*
26. *An qui vouit Religionem in particulari, & ab illa fuit repulſus, teneatur redire, & vrgere; & ſemel repulſus, ſi poſtea velint admittere, teneatur ex voto ingredi Religionem.*
27. *An voto Religionis adſtrictus, dum habitum petit, teneatur manifeſtare ſe habere votum.*
28. *An voto Religionis ligatus, & in vnam bona fide ingreſſus, ſi ſua culpa expulſus eſt, maneat liber à voto.*
29. *An vouentes Religionem non cogitantes de ſtatu Sacerdotum, vel Conuerſorum, ſi habeant conditiones ad Sacerdotem requiſitas, & admittantur tantùm, vt laici liberi ſint a voto.*
30. *An vouens Religionem, & proponens in ea eſſe illius ſtatus, qui ad Sacerdotium deputatur, teneatur addiſcere Grammaticam, vt voto ſatisfaciat.*
31. *An in caſu pracedentis aſſerti, bona fide ignorans litteras, teneatur eas addiſcere, ex vi voti.*
32. *An vouens Religionem in ſtatu Conuerſorum, ſciens, vel ignorans, requiri ſcientiam alicuius artis, teneatur ex voto addiſcere illam.*
33. *An vouens Religionem, collocandus in Ordine Clericorum, ſciens ad id requiri Grammaticam, quam moraliter addiſcere non poteſt, teneatur ingredi Ordinem Conuerſorum.*
34. *An in dubio, vtrùm vouens ſciuerit, vel ignorauerit, litteras eſſe neceſſarias ad ſtatum Clericorum, ſi eas ignoret, teneatur addiſcere.*
35. *An Scholaſticus, vouens Religionem, quando habuerit ſcientiam neceſſariam, ſi ad hanc, ex iuſta cauſa non perueniat, maneat liber à voto.*
36. *An vouens ingredi Religionem intra triennium, liberetur à voto, tranſacto triennio.*

DVBITATIO I.

I. *An votum Ordinis S. Ioannis Hieroſol. poſſit vi Iubilai commutari?*

DIco primò, Votum quo quis Ordinem militarem S. Ioan. Hieroſolymitani, ſiue Melitenſem, vouit, non poteſt per Confeſſarium virtute Iubilæi commutari. quia hic Ordo, in quo tria ſolemnia, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ vota emittuntur, vera Religio eſt, vt docet Lopez noſter 2. *p. inſtr. c.* 48. *ad* 4. Rodriq. *p.* 1. *ſumma c.* 238. *n.* 2. ergo cùm vota veræ Religionis vi Iubilæi commutati per Confeſſarium non poſſint, neque hoc cùm ſit votum veræ, & approbatæ à Sede Apoſtolica Religionis: videatur etiam Nauarr. *tom.* 1. *lib.* 3. *de conuerſione coniug. conſilio* 2.

DVBITATIO II.

II. *An vouens Religionem adimpleat votum, ſuſcipiendo habitum D. Io. Hieroſol. vel Calatraua, aut Alcantara?*

Dico ſecundò, probabile eſt quòd ſi quis vouit ingredi Religionem ſatisfacere voto emiſſo aſſumpto habitu D. Ioannis Hieroſolymitani. quia hi abſque controuerſia ſunt veri Religioſi, vtpote qui ſolemne caſtitatis votum ſufficiens ad dirimendum matrimonium ratum emittunt, vt docet Lopez, & Nauarr. *locis nuperrimè relatis*. Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio, diſp.* 18. *num.* 8. & ita hanc opinionem tenet Aragon. 2. 2. *q.* 88. *a.* 11. ad vltimum argumentum primæ opinionis. Azor. *part.* 1. *inſtit. mor. lib.* 13. *cap.* 4. *quaſ.* 4. Rodriquez *part.* 2. *ſumma cap.* 95. *num.* 8. Oppoſitum tamen ſuſtinet Sanchez *lib.* 4. *in Pracepta, cap.* 16. *num.* 12. nempe non ſatisfieri voto Religionis aſſumpto habitu Equitum D. Ioannis Hieroſolymitani. quia, inquit, communiter Religiunem promittentes intendunt ſtatũ viuentium

Digitized by Google

in communi, & alienum à tumultu, faſtu, ac curis ſæcularibus. hæc opioio eſt etiam ſatis ratiunabilis.

Dieo tertiò, aſſumpto habitu Equitum D. Iacobi Calatrauæ, & Alcantaræ, non ſatisfit voto Religionis, quia valde controuerſum eſt, an hi veri Religioſi ſint, eo quòd non abſolutam, ſed coniugalem caſtitatem voueant: tum, quia cùm perfecta caſtitas ſit intrinſeca ſtatui Religionis, implicat contradictionem quòd quis ſit verè & propriè Religioſus, qui vxorem ducere poſſit, ſed hi Equites D. Iacobi Alcantaræ, & Calatrauæ ducere poſſunt vxorem, tantùm enim caſtitatem coniugalem voueot. ergo non ſunt verè & propriè Religioſi; ergo voto Religionis non ſatisfit aſſumpto habitu Equitum D. Iacobi Alcantaræ, & Calatrauæ, bene tamen aſſumpto babitu Diui Ioannis. nam Equites Diui Ioannis omnimodam caſtitatem profitentur: videatur pro hoc aſſerto D. Thom. 2.2. *quæſt.* 186. *art.* 4. *ad* 3. vbi ſic ait: Illi modi viuendi, ſecundùm quos homines matrimonio vtuntur, non ſunt Religiones, ſimpliciter, & abſolutè loquendo, ſed ſecundùm quid in quantum participant in aliquo quædam, quæ ad ſtatum Religionis ſpectant. hæc D. Thomas.

Dvbitatio III.

III. *An Regularis Ordinum Mendicantium, diſpenſatus à Rom. Pontifice ad aliam Religionem ingrediendam, poßit ingredi Ordinem Diui Ioan. Hieroſol.*

Dico quartò, Regularis Profeſſus ea Ordine Mendicantium habens diſpenſationem à Romano Pontifice tranſeundi ad aliam Religionem, etiam non Mendicantium, ſiue arctiorem, ſiue laaiorem, poteſt ingredi Ordinem militarem Diui ioannis Hieroſolymitani. quia Religio militaris à Sede Apoſtolica pro Religione approbata verè & propriè Religio eſt. ergo, &c. Ita Nauarr. *tom.* 1. *conſil. lib.* 3. *de Regularibus, conſil* 58. *num.* 1.

Additionator tamen ad hoe conſilium animaduertit per tales licentias, quæ conceduntur clauſtralibos, ooo licere eis tranſire ad non clauſtrales, vt ſunt militares & Hoſpitalariæ, & ita refertur reſolutum à ſacra Congregatione ſuper negotiis Regularium, ſic etiam in praai ſeruatur in prætorio ſacræ Pœnitentiariæ.

Dvbitatio IV.

IV. *An vouens ſtrictiorem Religionem, peccet mortaliter, ingrediendo laxiorem? &, An votum ſuum adimpleat, iſtam ingrediendo?*

Dico qointò, qui ſtrictiorem Religionem vouit, ingrediendo poſtea laxiorem, peccat mortaliter. quia in re graui minus præſtat, ac ſoluit, quàm promiſit: at vbi in laxiori Profeſſus eſt, maoet omnino liber à voto ſtrictioris Religionis. quia votum ſolemne emiſſum in Religione laxiori, quo quis ſe tradit Religioni, fortius eſt quàm votum ſimplea de intranda Religione arctiori, & ideo liberat à voto ſimplici, vt colligitur ex *cap. penult. de Regul. in* 6. & tradit D. Thom. 2.2. *quæſt.* 189. *art.* 8. *ad* 3.

Dvbitatio V.

V. *An vouens ingredi Religionem ſtrictiorem, delinquat, ſi mutet tale votum in votum profitendi in laxiore?*

Dico ſeatò, vouens ingredi ſtrictiorem minimè delioquit, ſi id votũ commutet io votum profitendi, in laxiori, & ſic laxiorem ingrediatur. quia ratione prioris voti non tenebatur ingrediendo Religionem, in illa perſeuerare, ſed ſi eaperta Religio ſtrictior ei diſplicerct, poſſet egredi: at ratione poſterioris voti tenetur perſeuerare in laxiori; ſed plus eſt teneri in hac perſeuerare, quàm illam ingredi ad eaperiendum cum libertate non permanente. ergo, &c. Ita optimè Syl. *verb. votum* 4. *q.* 7. *dicto* 3. Sanchez *lib.* 4. *in præcept. c.* 16. *n.* 18.

Dvbitatio VI.

VI. *An vouens ingredi Religionem Mendicantium peccet commutando hoc votum, in votum profitendi in Religione S. Ioannis Hieroſolymitani?*

Dico ſeptimò. Voto ſimplici obſtrictus ingrediendi Religionem aliquam Mendicantium, ſi id votum commutet in vorum profitendi in laaiori militari D. Ioannis Hieroſolymitani, & hoe animo illum habitum aſſumit, non delinquit. quia, vt probabiliter diaimus *aſſertione* 2. cum Arag. Azur. Rodriquez *ibi* citatis, ſi quis vouit ingredi Religionem, ſatisfacit ſuo voto, aſſumpto habitu D. Ioannis Hieroſolymitani, cùm Religio D. Ioannis Militenſis ſit vera Religio à Sede Apoſtolica approbata; ergo cùm plus ſit teneri in hac vera Religione militari profiteri, & perſeuerare, quam ingredi vnam Religionem Mendicantium cum libertate non permanendi, licitè poterit quis ſuum votum commutare ingrediendi vnam Religionem Mendicantium in votum profitendi in militari D. Ioannis, cùm hoc ſit plus, vt docet D. Thom. 2.2. *q.* 189. *art.* 8. *ad tertium*, profiteri ſcilicet in laaiori, quàm votum ſimplea ingrediendi ſtrictiorem: videatur etiam Nauarr. *ſumma, cap.* 12. *num.* 48. & ita ego conſulius reſpondi cuidam domino.

Dvbitatio VII.

VII. *An vi Iubilæi poßit Confeſſarius commutare votum ingrediendi Religionem quoad circumſtantiam in ea perſeuerandi?*

Dico octauò. Confeſſarius vi Iubilæi poteſt commutare votum, quo quis non ſolùm promiſit ingredi Religionem, verùm etiam in ea perſeuerate, ita ſcilicet non vt ſic vouens ingredi teneatur, ſed ne teneatur ad perſeuerãdum ſi iuſta cauſa adſit egreſſus. quia in hoc caſu vi Iubilæi nõ diſpenſat in voto Religionis, ſed in qualitate voti ſupradicta, quæ Papæ non eſt reſeruauata. ergo & Confeſſarius vi Iubilæi, & Epiſcopus eatra tempus Iubilæi poſſunt hanc qualitatem voti in aliud opus pium commutare. Ita tenet Hoſtienſis *in ſumma tit. de voto, num.* 6. *fine.*

Dvbitatio VIII.

VIII. *An vouens Religionem, & in ea perſeuerandi, ſi poſt ingreſſum iuſtâ cauſâ egrediatur, poßit eum eo Epiſcopus diſpenſare, ne iterum ingrediatur in eam?*

Dico nonò, non tantùm Epiſcopus io caſo præ-

cedentis

cedentis aſſertionis poteſt diſpenſare cum iſto, qui non tantùm Religionem, ſed etiam perſeuerantiam in illa vouit ante ingreſſum, ne teneatur ad perſeuerandum ſi iuſta cauſa egreſſus ſit: ſed etiam poſt exitum, ſi iuſta cauſa ductus exiit, poteſt, inquam, diſpenſare, ne teneatur iterum ingredi. quia iam iſte ſatisfecit voto Religionis, & ſi eo ſolus ligatus eſſet, non teneretur iterum ingredi: nam iam ille ſatisfeciſſet voto Religionis ingrediendo in illam, licèt poſtea ex illa, iuſta ex cauſa exiiſſet: ad iteratum autem ingreſſum ex ſolo perſeuerantiæ voto tenetur, in quo Epiſcopus diſpenſare poteſt; ergo ſi diſpenſat, non tenebitur iſte iterum ingredi: ſic ſentit Sanch. *lib. 4. in Præcept. c. 40. n. 75.* Oppoſitum tamen tenet D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 4. de Iubilæo extraord. quæſt.* 188.

D v b i t a t i o IX.

IX. *An Confeſſarius, vi Iubilæi, poſſit commutare votum Religionis, quantum ad executionem?*

Dico decimò, Confeſſarius vi Iubilæi poteſt commutare votum Religionis quantum ad executionem: vt ſi quis promiſit ingreſſum Religionis intra annũ, & adſit iuſta cauſa differendi ampliùs, poteſt vi Iubilæi Confeſſarius talem ingreſſum intra annum ampliùs differre. quia in hoc caſu non commutat ſubſtantiam voti, ſed ſolùm quandam eius qualitatem, & circumſtantiam temporis, & in hoc etiam poteſt Epiſcopus diſpenſare Ita Angles *in floribus, p. 2. quæſt. vnica, de voto art. 8. diffic. 9. concl. 4.* Sayr. *lib. 6. Clauis Regia, c. 11. n. 65.*

Dico vndecimò, ſi tamen adeſſet periculum vt vouens ob longam dilationem fieret impotens ad ſuum votum perſoluendum, tunc Confeſſarius vi Iubilæi votum Religionis, & quantum ad executionem, commutare non poſſet. quia tunc conceſſio dilationis æquiualeret commutationi circa ſubſtantiam, & finis voti nimium defraudaretur.

D v b i t a t i o X.

X. *An per Iubilæum poſſit commutari votum, ingrediendi Religionem Equitum militantium?*

Dico duodecimò, Virtute Iubilæi votum quo quis ſe futurum vouit militem S. Ioannis Hieroſolymitani, non poteſt à Confeſſario commutari, vt diximus ſuprà *aſſert.* 1. poteſt tamen vi Iubilæi commutari votum quo quis vouit futurum militem Alcantaræ, Calatrauæ, vel D. Iacobi, aut S. Stephani, vel S. Mauritij: quia Ordo horum militum non eſt vera Religio, hi enim non vouent omnimodam caſtitatem, ſed coniugalem ſolùm: at omnimoda caſtitas eſſe videtur intrinſeca ſtatui veræ Religionis: videatur D. Thom. 2. 2. *q. 186. art. 4. ad* 3. Sanchez *lib. 4. in Præcept. c. 40. n. 73.*

D v b i t a t i o XI.

XI. *An per Iubilæum poſſint commutari vota, aſſumendi habitus tertij Ordinis S. Franciſci, vel Dominici, &c.*

Dico decimotertiò, per Iubilæum Confeſſarius commutare poteſt votum aſſumendi habitum tertij Ordinis S. Franciſci, vel S. Dominici, manendo domi. quia iſti non ſunt verè, & propriè Religioſi, cùm tria vota Religionis ſubſtantialia non emittant. Item ſi aliqua mulier vouit aſſumere ſororum S. Dominici, vel S. Franciſci habitum, manendo domi, bene poterit tale votum Confeſſarius virtute Iubilæi commutare. quia aſſumendo hunc habitum domi manendo, non eſt verè & propriè Religioſa. Ita Arag. 2. 2 *q. 88. art. 12. §. Quando votum caſtitatis, verſic. Infero tertio.* Henriquez *lib. 7. de Indulgentijs, cap. 30. num 6.*

Dico decimoquartò, ſi verò aliqua mulier voueret aſſumere habitum S. Dominici, vel D. Franciſci ſororum dicti Ordinis, quæ in communi viuant, & profeſſionem ſolemnem emittant, & clauſuram ſeruent, non poteſt tale votum virtute Iubilæi commutari. quia hæ ſunt verè, & propriè Religioſæ, vt fuit declaratum à Sixto IV.

D v b i t a t i o XII.

XII. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare vota paupertatis, vel obedientiæ in ſæculo, vel in Religione non approbata emiſſa, & Confeſſarius vi Iubilæi eadem vota commutare?*

Dico decimoquintò, Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto paupertatis, & obedientiæ, ſiue in ſæculo, ſiue in Religione non approbata emiſſo. quia hæc non ſunt vota Religionis, nec ſtatui religioſo annexa; ſunt enim facta extra ſtatum religioſum verum & approbatum: & conſequenter hæc vota poterunt vi Iubilæi in alia pietatis opera commutari. quia Confeſſarius electus per Iubilæum poteſt commutare vota omnia, ſuper quæ poteſt Epiſcopus diſpenſare: videatur Leſſius *lib. 2. de Iuſtitia, cap. 40. dub. 18. num. 123.* Sanchez *lib. 4. in Præcept. cap. 40. num. 72.* Nauarr. *tom. 1. conſil. lib. 3. de voto, conſil. 9. n. 5.*

XIII. *In quónam differat votum ſolemne paupertatis à voto ſimplici?*

Dico decimoſextò, Votum ſolemne paupertatis in Religione emiſſum, in hoc differre à voto ſimplici paupertatis in ſæculo facto, quòd ſolemne paupertatis in Religione emiſſum impedit dominij acquiſitionem, reddens incapacem vouentem illius validè acquirendi, ac validè in alium transferendi: votum verò ſimplex paupertatis impedit licitam acquiſitionẽ, & translationem dominij in alium, ſed non reddit vouentem incapacem acquirendi, & transferendi: quare ſi de facto acquirat, aut transferat dominium abſque legitima Superioris licentia, reus erit voti, ſed factum tenebit: nam licèt qui iurauit non emere, aut alicuius rei quærere dominium, peccat quidem emendo, vel quærendo dominium, ſed quod emit, vel quæſiuit, ſuum proprium fit, & ſicut meretrix peccat quidem meretricando, ſed quod ſic quæſiuit proprium eius fit: ſic obſtrictus voto ſimplici paupertatis peccat quidem acquirendo, vel transferendo dominium, factum tamen tenet: at obſtrictus voto ſolemni paupertatis nec validè, nec licitè acquirit, vel transfert dominium, &c. Videatur Nauarr. *loco nuperrimè adducto n. 5.*

D v b i t a t i o XIII.

XIV. *Quiſnam remaneat hæres vouentis paupertatem, ſi inteſtatus decedat?*

Dico decimoſeptimò, vouens in ſæculo votum ſimplex paupertatis, ſi inteſtatus decedit, bonorum poſt votum emiſſum acquiſitorum dominium acquirit Epiſcopus, vel ex eius conſenſu ceduntur pauperibus: in reliqua verò bona, quorum dominium ante

voꝛum acquiſierat, ſuccedunt legitimi eius hæredes, qui alias ab inteſtato ſucceſſuri erant; quia per votum non amiſit totum bonorum dominium, nec in alium tranſtulit. ergo ſi inteſtatus decedit, non priuabit hæredes legitimos iure ſuo in illa ſuccedendi. Ita benè notauit Sanchez *lib.7. in Præcepta, c.18.n.32.*

Dubitatio XIV.

XV. *An Confeſſarÿ virtute Iubilæi poßint commutare vota Religionis non approbatæ?*

Dico decimooctauò. Confeſſarius virtute Iubilæi poteſt commutare votum Religionis non approbatæ. quia Religio non approbata non eſt vera Religio. ergo votum illius non eſt proprium votum Religionis; ergo tale votum poterit vi Iubilæi commutari. qua ratione poteſt etiam commutari virtute Iubilæi votum aſſumendi habitum tertij Ordinis Sancti Francisci, vel S. Dominici domi manendo. quia hic Ordo non eſt approbatus à Sede Apoſtolica tanquam vera Religio: videantur DD. *cit. aſſertione* 12. & præter illos Sanchez *lib. 4. in Præcepta, cap.40. num.71.*

Dubitatio XV.

XVI. *An virtute Iubilæi poßit commutari votum emiſſum ingrediendi Religionem, ad probandum vtrùm placeat?*

Dico decimononò. Virtute tamen Iubilæi nequit commutari votum factum cum intentione ingrediendi Religionem, & probandi num ſibi placeat. quia hoc dicitur proprium Religionis votum, tum, quia votum ingrediendi Religionem ex diſpoſitione iuris humani includit hanc tacitam conditionem, ſi bona fide vouens Religionem, ingrediens illam intra annum probationis deprehenderit eam ſibi congruere; ergo votum Religionis emiſſum cum intentione ingrediendi illam bona fide, & probandi num ſibi placeat, eſt proprium votum Religionis; ergo vi Iubilæi commutari non poteſt.

Dubitatio XVI.

XVII. *An vouens ingredi Religionem, & in illa perſeuerare, ſatisfaciat voto illam ingrediendo?*

Dico vigeſimò. Vouens ingredi Religionem ſatisfacit ſuo voto bona fide ingrediendo cauſa experiendi auſteritates Religionis, quòd ſi intra probationis annum monaſticam vitam expertus ab ea defecerit, ad priorem reuerſus contra votum non facit, ſi Religionis inſtitutum minimè ipſi probetur, & ſatis eſſe ſi ſibi diſpliceat id vitæ genus tanquam minus gratum ſibi, vel tanquam incommodum, aut aſperum, aut durum, quamuis nulla alia iuſta cauſa, & legitima moueatur, niſi ſimul etiam vouerit non ſe ab incepta probatione receſſurum abſque iuſta, & debita cauſa. quia iſti vouenti ingredi Religionem ius relinquit liberrimum egreſſum, ſi ei Religionis inſtitutum minimè probetur: vouens enim ingredi Religionem cenſetur vouere ſecundùm formam iuris, quæ habet vt intra annum probationis ingrediens Religionem poſſit liberè exire, ſi ſibi ingrata ſit Religio. ergo ſatisfacit ſuo voto vouens Religionem, illam ingrediendo, quamuis poſtea inde exeat, quia ingrata ſit ei Religio: videatur *c. ad Apoſtolicam, de Regularibus, & cap. 1. & 2. de Regularibus in 6.* Ita tenet Lopez noſter *part. 1. Inſtruct. cap.45. initio.* Nauarr. *ſumma, cap.12. num.47 verſ.4. quod ius commune.* Azor. *part.1 inſtit. mor. lib.11. c.22. dub. ſexto, §. Demum queres.*

Dico vigeſimoprimò, Vouens non ſolùm ſe ingreſſurum Religionem, ſed in ea profeſſurum, ſeu perſeueraturum, tenetur ex vi voti perſeuerare, & profiteri, & ideo non liberari voto egrediendo ex iuſta cauſa, ſed teneri iterum ingredi, & profiteri. quia hic duo promittit, nempe ingreſſum, & perſeuerantiam; ergo ſolo ingreſſu non ſatisfacit ſuo voto, niſi perſeueret, & profiteatur: tum, quia vouendo hic perſeuerantiam videtur cedere iuri, quod tempus probationis ſibi concedit; ergo exire non poteſt ſine diſpenſatione: immo ſubreptitia eſſet diſpenſatio, ſi ſic vouens ſolùm exprimeret ſe vouiſſe Religionem, & ſubticeret, quòd vouit etiam perſeuerare: & ita hanc aſſertionem tenere videtur D.Th. 2.2. *q.189. art.4. in corp.* Nauarrus *loc. cit.* hos ſequitur Lopez nuperrimè adductus. Sanchez *lib.4. cap.16. in Præcepta num.81.*

Dico vigeſimoſecundò. Satis probabile etiam dici poteſt vouentem ingredi Religionem, & ibi perſeueraturum non obligari ad amplius, quàm eum, qui ſolùm vouit ingredi, hoc eſt, ad experiendum bona fide, an Religionis ſtatus ſibi ſit conueniens, & ſi iudicet bona fide illum minimè ſibi cõuenire ob aſperitatem, vel aliquam legitimam cauſam, poterit abſque peccato ab ea exire, abſolutúſque manebit à voti obligatione. quia vtrumque votum intelligẽdum eſt ſecundùm Canones annum Nouitiatus concedentes: vt ſi experta Religio non placet, integrum ſit vouenti egredi, ac ſubinde in eo perſeuerantiæ voto hæc tacita conditio iure ipſo ineſt; ſic ſuſtinet Sotus *lib.7. de Iuſt. quæſt. 2. art.1. ad tertium, verſic. ex hac definitione.* Arag. 2.2 *q.88. art. 3. circa ſolutionem ad ſecundum, verſic. eſt aliud dubium, vtrùm ille.*

Dubitatio XVII.

XVIII. *An qui vouit Religionem in communi, & aliquam ingreditur, ſi poſtea iuſta de cauſa egrediatur, teneatur ad aliam tranſire?*

Dico vigeſimotertiò, qui vouit Religionem in communi, & in vnam admittitur, quam poſtea iuſta de cauſa deſeruit, non tenetur ex vi voti ad aliam tranſire. nam hic non perſeuerantiam, ſed ingreſſum Religionis vouit; ergo ingrediendo in vnam bona fide, & ex iuſta cauſa egrediens, vt quia eius aſperitates ferre nequeat, planè ſuo voto ſatisfecit. Ita Nauarr. *tom.1. conſil. lib.3. de voto, conſilio 21. num.4. ad finem.*

Dico vigeſimoquartò, qui verò vouit Religionem in communi, ſi in vnam Religionem petitam non admittitur, tenetur aliam petere. quia in vnam petitam non admiſſus non impleuit votum ingrediendi Religionem in communi; ergo tenetur aliam petere, vt adimpleat votum ſuum: at ſemel ingreſſus in vnam Religionem, etiam ſi vouerit Religionem in communi, & ex iuſta cauſa egrediens abundè ſuo voto ſatisfecit: videatur D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 1. de voto ſimplici in communi, quæſt.204. num.2.*

Dubitatio XVIII.

XIX. *An qui votum alicuius Religionis, auctoritate Apoſtolica commutauit in aliam, ſi in hac non poßit perſeuerare, vel habitum in hac non poßit obtinere, teneatur ad priùs promiſſam?*

Dico vigeſimoquintò, qui votum Religionis

detet

determinatæ authoritate Apoſtolica commutauit in ingreſſum alterius Religionis, & deinde ab illa bona fide ſuſcepta ob aliquam iuſtam cauſam recedit, non tenetur ampliùs ad priùs promiſſam, ſed prorſus manet à voto liber. quia per commutationem obligatio prioris voti extinguitur, & illius loco ſuccedit res, in quam commutatur, ac ſi de ea votum tantùm eſſet emiſſum. Idem dicendum ſi hic, de quo loquimur in aſſertione, morali diligentia Religionem hanc, in quam votum commutatur, petat, & in perpetuum repellatur, non teneri ſcilicet ampliùs ad priùs promiſſam: quia eadem ratione ſuo voto ſatisfecit, quærendo diligenter, vt in Religionem, in quam fuit votum commutatum, admittatur.

Dvbitatio XIX.

XX. *An qui commutauit ſibimet propria auctoritate, votum alicuius Religionis minus ſtrictæ, in ſtrictiorem, ſi in hac perſeuerare non poſſit, vel ad illam non admittatur, maneat liber à voto?*

Dico vigeſimoſextò, qui votum laxioris Religionis commutat propria authoritate in ſtrictiorem, & poſtea hanc bona fide ſuſceptam deſerit ex iuſta cauſa; aut ſufficienti diligentia appoſita, ad illam non admittatur, non tenetur ad Religionem priùs promiſſam intrare, etiamſi ad illam admitteretur, ſed prorſus liber manet à voto. quia vnuſquiſque poteſt votum ſuum in melius commutare; ergo vouens laxiorem Religionem ingredi, ſi propria authoritate commutat ſuum votum bona fide ingrediendo ſtrictiorem, & exeundo ex iuſta cauſa, plenè ſatisfecit voto ſuo. ergo ampliùs non tenetur ad laxiorem priùs promiſſam: videatur Sanchez *lib. 4. in Precepta, cap. 16. num. 95.* Vouens tamen aliquam certam Religionem, puta Auguſtinianam, ſi non animo commutandi poſtea ingreſſus eſt ſtrictiorem, prioris voti immemor, aut ſi memor oblitus eſt illud prius votum commutare, vel id poſſe fieri authoritate propria ignorabat, aut noluit commutare, ne ad eam ſtrictiorem obligaretur: tunc enim ex quantumuis iuſta cauſa egreſſus ex ſtrictiori, aut in illam non receptus, teneretur ad prius votum. quia prius votum non erat extinctum, ſed ſuſpenſum, vt incompatibile cum ſtrictioris Religionis ingreſſu, quem tanquam maius bonum impedire non potuit; ergo eo impedimento ablato, obligabit. Ita Nauarr. *tom. 1. conſil. lib. 3. de voto, conſil. 26. num. 1.* Sanchez *loco nuperrimè relato, num. 96.*

Addit etiam Nauarrus, quòd ſi hic, qui vouit certam aliquam Religionem, ſi poſt iſtud votum fuerit ingreſſus, & profeſſus aliam Religionem, iam non tenetur illam primam ingredi, quam vouit, iuxta *cap. qui poſt votum, de Regularibus in 6.*

Dvbitatio XX.

XXI. *An qui vouit Religionem laxiorem, & commutauit in ſtrictiorem, ad quam ingreſſus, ſi expellatur propter deficientiam ætatis, ſatisfecerit voto?*

Dico decimoſeptimò, Vouens Religionem laxiorem, ſi commutat ſuum votum in ſtrictiorem, & illam bona fide ingreditur, ſi tempore Nouitia-

tus expellatur, eo quòd carebat ætate neceſſaria, iuxta illius Religionis ſtatuta, non ſatisfecit ſuo voto, ſed tenebitur priorem, quam priùs vouerat, ingredi, vel illam ſtrictiorem iterum intrare adepta legitima ætate. quia vouens Religionem, tenetur ad illam, cuius ipſe eſt capax, & ſic commutans votum laxioris Religionis in ſtrictiorem, tenetur illam eligere, & ingredi cuius ipſe eſt capax.

Dico vigeſimooctauò, idem aſſerendum eſſe de eo, qui vouit Religionem in communi, & ingreditur aliquam, & inde egreditur, non quia ingrata fuit ei Religio, neque quia viſa fuit ei importabilis, ſed quia ſtatuta Religionis aſſumptæ ei repugnant, puta quia intrauit Religionem ante ætatem, quam eius ſtatuta requirunt, hic non ſatisfecit ſuo voto, ſed tenetur ingredi aliam, quam ſciat, vel credat ſibi eſſe aptam. quia ex vi voti tenetur inquirere, & intrare aliquam Religionem ſibi aptam: videatur pro his duabus aſſertionibus Nauarr. *tom. 1. conſil. lib. 3. de voto, conſil. 23. num. 4.*

Dvbitatio XXI.

XXII. *An vouens Religionem in communi, & bona fide aliquam ingrediens, à qua poſtea eijcitur, teneatur, impedimento ceſſante, iterum Religionem ingredi, vt voto ſatisfaciat?*

Dico vigeſimononò, vouens Religionem in communi, ſi bona fide ingreditur aliquam, & poſtea non quia Religio ſit ei ingrata, ſed ex iuſta cauſa temporali, puta ob morbum egrediens, vel expulſus à Religione ſemel ſuſcepta ob aliquam infirmitatem, vel aliud impedimentum temporale, non tenetur his ceſſantibus ad Religionem iterum redire, vtpotè, qui iam plenè ſuo voto ſatisfecit. quia iſte non inuenit omnia ſibi grata, quia inuenit infirmitatem non gratam. ergo cùm ex iuſta cauſa egrediatur, etiamſi ſit temporalis, non tenetur iterum ingredi cùm ſatisfecerit ſuo voto ſemel ingrediendo: tum, quia promittens recitare Officium Beatiſſimæ Virginis, non tenetur niſi ſemel id recitare, dummodo vtiliter recitet; ergo vouens ingredi Religionem, tenetur tantùm ſemel ingredi, dummodo vtiliter ingreſſus ſit, nempe ad probandum bona fide; ergo ſi ex iuſta cauſa, etiam temporali, exit, vel ſit expulſus à Religione ſemel ſuſcepta, ob infirmitatem, vel impedimentum temporale, non tenetur hoc ceſſante iterum ad Religionem redire, vtpote qui iam plenè ſuo voto ſatisfecit: videatur pro hac aſſertione D. Thom. 2. 2. *quæſt. 189. art. 4. ad ſecundum.* Nauarr. *tom. 1. conſil. lib. 3. de voto, conſil. 24. num. vnico.* Sanchez *lib. 4. in Precept. cap. 16. num. 105.*

Dico trigeſimò, vouens tamen non ſolùm ingredi Religionem, ſed emori, perſeuerare, & profiteri in ea, poſtea egrediens, vel expulſus ab ea, ex quantumuis iuſta cauſa, aut impedimento temporali, tenetur his ceſſantibus ad Religionem redire. quia hic ſolo ingreſſo bona fide non ſatisfacit voto perſeuerantiæ, cùm nondum perſeuerârit: videatur D. Thom. *loco adducto in corpore.* Nauarr. *ſumma cap. 12. num. 47.* D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 1. de voto ſimplici in communi, quæſt. 202. num. 2.*

Dvbitatio XXII.

XXIII. *An vouens ingredi, vel perſeuerare in Religione in communi, vel in particulari, ſi nulla illum velit recipere, obligetur ad aliud, & poßit tranſire ad nuptias? & quot Conuentus, vel quot Religiones debeat requirere, vt maneat liber à voto?*

Dico trigeſimoprimò. Vouens ingreſſum Religionis, & in perpetuum non admiſſus, quando ſcilicet poſt adhibitam ſufficientem diligentiam intrandi in Religionem nullam inuenit, eum recipere volentem, eſt omninò liber à voto, & nihil in ſæculo præſtare tenetur, ſed poteſt ad matrimonium tranſire. quod etiam verum eſt, licèt fuerit perſeuerandi votum, & idem dicendum eſt de eo, qui particularem aliquam Religionem ingredi vouit, ſi illa eum recipere non vult. Probatur, quia hic ſufficienter ſuum votum impleuit, cùm debitam diligentiam appoſuerit, vt admittatur, votumque eam tacitam conditionem habeat, ſi vouens admiſſus fuerit. Ita præclarè Caiet. 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 5. §. *in reſponſione ad ſecundum.* Armil. *verb. votum, num.* 18.

Dico trigeſimoſecundò, qui certi inſtituti Religionem vouit, nimirum D. Dominici, ſatis eſt, ac ſufficit, quòd intra proprium Regnum, ſeu Prouinciam quinque, vel ſex Monaſteria illius Religionis, quam vouit, perluſtret, quòd ſi ab his non admittitur, liber remanet à voti obligatione. quia probabiliter credere poteſt ſe à cæteris quoque fore excludendum. Ita benè Magiſter Sotus *lib.* 7. *de Iuſtit. q.* 2. *art.* 1. §. *tertium argumentum, verſic. ſed eſt dubium.*

Dico trigeſimotertiò, qui verò Religionem vagè, & indeterminatè vouit, ſatis eſt ſi quinque, vel ſex varias Religiones exploret in ſua Prouincia, vel Regno; quod tamen intelligendum eſt, ſi adeat quinque, vel ſex monaſteria cuiuſlibet Religionis ex his. quia perinde ſe habet hic reſpectu Religionis in communi, ac vouens certi inſtituti Religionem reſpectu illius inſtituti: ſed vouens certi inſtituti Religionem, tenetur quinque, vel ſex Monaſteria eiuſdem inſtituti perluſtrare; ergo vouens Religionem in communi, tenebitur totidem Monaſteria cuiuſlibet ex illis quinque, vel ſex Ordinibus adire. Sanchez *lib.* 4. *in Præcept. cap.* 16. *n.* 47. *verſ. quod tamen intelligo.*

Dvbitatio XXIII.

XXIV. *An fœminæ vouentes Religionem, debeant perluſtrare Prouinciam, aut Regnum, vt recipiantur?*

Dico trigeſimoquartò. Fœminæ verò vouentes Religionem tantùm, tenētur in propria ciuitate, vel propè tentare ingreſſum, nec oportet has perluſtrare Prouinciam, vel Regnum. quia communiter non ſolent extra proprias ciuitates vagari, vt ad Religionem recipiantur. Ita Dominus Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. §. *Ad hoc dicitur quòd attendendum eſt, verſ. vnde adoleſcentula.*

Dvbitatio XXIV.

XXV. *An ſatisfaciat voto Religionis in particulari, qui à Generali Religionis fuit repulſus, vel à Prouinciali, ita vt à voto ſolutus maneat?*

Dico trigeſimoquintò. Vouens ingredi Religionem in particulari, vt cenſeatur omnino liber à voto, non ſufficit, quòd paſſus ſit repulſam à Generali illius Religionis. quia iure communi admiſſio, vel refutatio volentis ingredi Religionem ad Priorem Monaſterij cum conſenſu Capituli pertinet; ergo non ſufficit ſi Generalis, aut Prouincialis vouentem Religionem excludat. Ita benè Nauarr. *tom.* 1. *conſil. lib.* 3. *de voto, conſil.* 28.

Dico trigeſimoſextò. Vouens Religionem aliquam particularem, ſi Prouincialem, aut Generalem adierit, & ab eo in Religioſorum Ordinem non admittitur, ſolutus voto cenſetur, ſi Generalis, vel Prouincialis rationem ſufficientem reddiderint, ob quam creditur probabiliter fore, vt nullum Monaſterium ſuæ Religionis eum admittat. quia tunc nulla eſſet ſpes, quòd admittatur in Religionem, quam vouit intrare. Item vouens cenſetur liber à voto ſi à Generali, vel Prouinciali paſſus eſt repulſam, apud quos in aliquibus Religionibus eſt totum ius admittendi, & creandi Religioſos: videatur Nauarrus nouiſſimè relatus *num.* 4. Azor. *part.* 1. *inſtit. mor. lib.* 11. *c.* 22. *quæſ.* 2. D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib.* 1. *de voto ſimplici in communi, quæſt.* 202.

Dvbitatio XXV.

XXVI. *An qui vouit Religionem in particulari, & ab illa fuit repulſus, teneatur redire, & vrgere, & ſemel repulſus, ſi poſtea velint admittere, teneatur ex voto ingredi Religionem?*

Dico trigeſimoſeptimò. Si repulſio facta ſit ad tempus, eo quòd cauſa, ob quam tunc non admittitur, eſt temporalis, tenetur vouens Religionem expectare, rurſuſque vrgere, quia non eſt ſimpliciter repulſus: at ſi repulſa facta eſt ſimpliciter, quia cauſa repulſæ eſt perpetua, non tenetur amplius expectare, ſed omnino liber manet à voto. quia hæc voti obligatio tacitam habet conditionem, ſi facta diligentia morali vouentem Religioſi admittere voluerint. ergo cùm conditio illa admiſſionis defecerit, deficiet quoque omnino voti obligatio. Ita benè notauit Caiet. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 3. §. *In eadem reſponſione, circa eumdem caſum.*

Dico trigeſimooctauò, ſemel ſimpliciter expulſus, poſt factam diligentiam moralem, ſi poſtea Religioſi velint eum ad Religionem admittere, non tenebitur. quia quando duorum voluntas requiritur ad aliquem contractum, vno eorum ſimpliciter renuente, alter liber omnino manet ab obligatione contrahendi; ergo vouens Religionem intrare, ſi ab his, ad quos ſpectat, ſemel, ſimpliciter tamen, repulſam eſt paſſus, non amplius voti vinculo tenetur obſtrictus, cùm ei ſatis ſit, ſi quando petiit admiſſus & receptus non fuit, alioquin toto vitæ tempore incipiri, & ſuſpenſo animo teneretur, & ad nuptias tranſire non poſſet, ſic Azor. *p.* 1. *inſtit. mor. lib.* 11. *cap.* 22. *quæſ.* 5.

Oppoſitum tenet Sanchez *lib.* 4. *in Decalogum, cap.* 16. *num.* 71. vouentem ſcilicet ingredi Religionem refutatum ſemel in perpetuum, ſi Religioſi poſtea eum admittere velint, teneri intrare Religionem. quia ſicut non admiſſus eo quòd literarum ignarus ſit, nec obligatus ad eas addiſcendas, ſi bona fide credidit, non eſſe neceſſarias, & ideo liber ad ineundum matrimonium, tenetur tamen eam Religionem voto promiſſam ingredi, ſi poſtea

addiſcat

Digitized by Google

addiſcat Latinam linguam; ergo ſimiliter non admiſſus in Religionem, ſed in perpetuum repulſus ab ea petita, tenetur voto, ſi poſtea Religioſi eum admittere velint.

Dvbitatio XXVI.

XXVII. *An voto Religionis adſtrictus, dum habitam petit, teneatur manifeſtare, ſe habere votum?*

Dico trigeſimononò, qui vouit Religionis ingreſſum, cùm eam petit, propalare tenetur ſe Deo Religionem vouiſſe. quia hoc votum, ſcilicet manifeſtatum, fortè Religionis induceret ad receptionem. Ita Caietan. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 3. §. *In eadem reſponſione.*

Dico quadrageſimò, ſatis etiam probabiliter dici poteſt, vouentem Religionis ingreſſum, ſeu ſimpliciter repulſum, non teneri votum ſuum Religionis manifeſtare, ſed ſatis eſſe ſi ſe admittendum curet. quia ſicut non tenetur interceſſores ad receptionem obtinendam quærere, quamuis ſciret id adiuturum ad receptionem; ergo neque etiam tenebitur votum ſuum Religionis manifeſtare, licèt ſciret id inductiuum eſſe ad receptionem. Ita ſentit Azor. *part.* 1. *inſtit. mor. lib.* 11. *cap.* 22. *quæſito* 9.

Dvbitatio XXVII.

XXVIII. *An voto Religionis ligatus, & in vnam bona fide ingreſſus, ſi ſua culpa expulſus fuerit, maneat liber à voto?*

Dico quadrageſimoprimò, Voto Religionis ligatus, & in vnam bona fide ingreſſus, à qua ſua culpa fuit expulſus, ſi hic mediocrem diligentiam appoſuit ad ſe Religionis inſtituto accommodandum, non tenetur ſe corrigere, vt iterum admittatur: ſed ſatisfecit ſuo voto, & liber omnino remanet ab illo. quia nemo negaret hunc voto ſatisfeciſſe, ſi experiens ſe non poſſe cum mediocri diligentia ſuis effrænatis paſſionibus reſiſtere, vitiaque corrigere, propria ſponte exiret, cùm hic dicatur non poſſe Religionis onera ferre, & ad illius normam ſe accommodare. ergo à fortiori ſatisfaciet ſi expellatur: videatur Sanchez *lib.* 4. *in Præcepta, cap.* 16. *num.* 108.

Dico quadrageſimoſecundò, ſi verò obſtrictus voto Religionis, & in vnam bona fide ingreſſus, eam mediocrem diligentiam non adhibuit, ſed craſſa negligentia in eas culpas ruit, ob quas à Religioſis è Monaſterio eiicitur, nondum voto ſuo ſatisfeciſſe cenſetur, ſed tenetur ſe corrigere, vt iterum admittatur. quia ille, cuius culpa, & ex ſua craſſa negligentia conditio non impletur, tenetur perinde ac ſi conditio impleta eſſet; ſed in voto Religionis intelligitur conditio, ſi hic in Religione retineatur. ergo ſua culpa, & ex negligentia craſſa non retentus, manet perinde obligatus, ac ſi ingreſſus non fuiſſet, ac ſi dimiſſus non eſſet; ergo vt ſuo voto ſatisfaciat, tenetur ſe corrigere, vt iterum admittatur: & in hoc ſenſu mihi videtur vera ſententia Toleti *lib.* 4. *ſumma cap.* 18. *num.* 3. aſſerentis, quòd culpa ſua e Religione expulſus cenſetur nondum voto ſatisfeciſſe, ſed tenetur ſe corrigere vt admittatur.

Dvbitatio XXVIII.

XXIX. *An vouentes Religionem, non cogitantes de ſtatu Sacerdotum, vel Conuerſorum, ſi habeant conditiones ad Sacerdotem requiſitas, & admittantur tantùm vt laici, liberi ſint à voto?*

Dico quadrageſimotertiò, Qui vouit Religionem, nihil cogitans de gradu Sacerdotum, vel Conuerſorum, ſi non admittitur niſi vt ſit laicus, ſi his dotibus præditus ſit, quales conueniunt his, qui tempore debito ſacris Ordinibus initiantur, tunc ſi non admittatur vt Sacerdos ſit, liber eſt à voto. quia hi communiter vouent vt ſint Sacerdotes: tum, quia prudenter tunc iudicari poteſt, ſi hoc dum vouit, ei in mentem veniſſet, nunquam tale votum feciſſet: ſi verò his conditionibus caret, tunc tenetur ingredi, vt ſit laicus, quia nec expreſſè, nec tacitè vouit hic ignobilis, & linguæ Latinæ ignarus vt ſit Sacerdos: tum, quia hic probabiliter præſumitur ſtatum conuerſorum intendiſſe: videatur Azot. *part.* 1. *inſtit. mor. c.* 22. *lib.* 11. *quæſ.* 4.

Dvbitatio XXIX.

XXX. *An vouens Religionem, & proponens in illa eſſe illius ſtatus, qui deputatur ad Sacerdotium, teneatur addiſcere Grammaticam, vt voto ſatisfaciat?*

Dico quadrageſimoquartò, qui Religionem vouit, & propoſuit illius eſſe Ordinis, qui ad Sacerdotium deputantur, ſcitque ſe ad hunc ſtatum non aliter admittendum, niſi linguam Latinam calleat, proculdubio ſi ignarus eſt linguæ Latinæ, tenetur Grammaticam addiſcere, vt voto ſatisfaciat. quia implicitè promiſiſſe cenſetur media, quæ ſe ad Sacerdotij Ordinem promouendum exigi nouit. Sotus *lib.* 7. *de Iuſtitia, quæſt.* 2. *art.* 1.

Dico quadrageſimoquintò, ſi talis tempore voti putauit eſſe neceſſariam Grammaticam addiſcendam, tamen intra Religionem, ſi Religio nolit eum ad Clericorum gradum admittere, niſi in ſæculo eam addiſcat, non tenetur eam in ſæculo addiſcere, & liber manet à voto, ſi per ipſum non ſtetit, quia ingrediatur admittendus, vt Clericus in Religione. quia ſuperuenit magna difficultas ab ipſo ignorata, nempe ipſum priùs teneri addiſcere Grammaticam in ſæculo, cùm ipſe addiſcendam putauerit tempore voti in Religione.

Dvbitatio XXX.

XXXI. *An in caſu præcedentis aſſerti, bona fide ignorans litteras teneatur addiſcere eas, ex vi voti?*

Dico quadrageſimoſextò, ſi is qui vouit Religionem, propoſuit illius eſſe Ordinis, qui ſacris Ordinibus initiantur, bona fide credens ad hoc non requiri litteras, ſi id poſtea requiratur, non tenetur ex vi voti litteras addiſcere, ſi aliàs non admittitur. quia eſt notabilis mutatio ſuperueniente magna difficultate ignorata, nec tenetur ad ſtatum Conuerſorum tranſire, ſed omnino liber manet à voto. quia id non vouit, ſtatum ſcilicet Conuerſorum, in Religione tenere.

DVBITATIO XXXI.

XXXII. *An vouens Religionem in ſtatu Conuerſorum, ſciens, vel ignorans, requiri ſcientiam alicuius artis, teneatur ex voto addiſcere illam?*

Dico quadrageſimoſeptimò, Religionis voto obſtrictus, ſi ſolum gradum Conuerſorum cogitauit, credens bona fide non eſſe neceſſarium aliquod ſcire artificium, non tenetur ex voto illud addiſcere, ſi ſit ſcitu difficile. quia eſt notabilis mutatio à ſe ignorata, ſecus ſi de facili poſſit addiſci: quia quando de facili poteſt addiſci, non eſt notabilis mutatio; tenebitur igitur illud addiſcere ex voto, ſi de facili addiſci poterit. Ita præclarè Sotus *lib. 7. de Iuſtitia, quæſt. 2. art. 1. §. Tertium argumentum, verſic. Quid autem ſi repelleris.*

Dico quadrageſimooctauò, qui Religionem vouit, & gradum Conuerſorum cogitauit, ſi ſciuit ad ingreſſum requiri aliquod artificium, ex voto tenetur illud addiſcere. quia implicitè cenſetur illud vouiſſe: ſi autem dubium ſit, an ſciuerit, vel ignorauerit id artificium requiri, iudicandum eſt à communiter contingentibus; id ſcilicet ignoraſſe; quia pauci ſunt qui ſciunt id eſſe ad ſtatum Conuerſorum neceſſarium.

DVBITATIO XXXII.

XXXIII. *An vouens Religionem, collocandus in Ordine Clericorum, ſciens ad id requiri Grammaticam, quam moraliter addiſcere non poteſt, teneatur ingredi Ordinem Conuerſorum?*

Dico quadrageſimononò, vouens ingreſſum Religionis, & in Ordine Clericorum collocari, ſciens ad Clericorum gradum eſſe neceſſariam Grammaticam, ſi facultas poſtea addiſcendi linguam Latinam non ſuppetat, excuſabitur à voto ratione impotentiæ moralis: nec hic tenebitur ingredi in Ordinem Conuerſorum. quia hoc excedit ſuam intentionem.

DVBITATIO XXXIII.

XXXIV. *An in dubio vtrùm vouens ſciuerit, vel ignorauerit, litteras eſſe neceſſarias ad ſtatum Clericorum, ſi eas ignoret, teneatur addiſcere?*

Dico quinquageſimò, in dubio autem, an vouens ſciuerit, vel ignorauerit litteras eſſe neceſſarias ad ſtatum Clericorum, præſumendum eſt id non ignoraſſe. quia pauci ſunt, qui ignorant linguam Latinam eſſe ad ſtatum Clericorum in Religione neceſſariam; tenebitur igitur, vi voti illam addiſcere ſi facultas ſuppetat: ignorans tamen Grammaticam eſſe neceſſariam ad ſtatum Clericorum, vel ſi dum vouit, non meminit huius obligationis, non tenetur ex vi voti litteras addiſcere; quia ignorantia excuſat cùm cauſet inuoluntarium. Ita Azor *part. 1, inſtit. mor. lib. 11. cap. 22. quæſ. quarto, fine.*

Dico quinquageſimoprimò, probabilius tamen aſſerendum eſt, quòd vouens Religionem, vt ad ſtatum Clericorum admittatur, ſi re vera ſciebat Grammaticam eſſe neceſſariam ad talem ingreſſum, etſi tempore voti id non aduerterit, tenebitur tamen illam addiſcere. quia non eſt notabilis mutatio, nec ſoperuenit difficultas incognita, nec eſt opus, vt tempore voti aduertat vouens ad omnes rei promiſſæ difficultates: videatur pro hac aſſertione Caietan. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 1. §. *Ad hoc dicitur quòd de voto, verſic, conſtat namque.* Sanchez *lib. 4. in Præcepta, c. 16. n. 62.*

DVBITATIO XXXIV.

XXXV. *An ſcholaſticus vouens Religionem, quando habuerit licentiam neceſſariam, ſi ad hanc ex iuſta cauſa non perueniat, maneat liber à voto?*

Dico quinquageſimoſecundò, vouens ſcholaſticus ingredi Religionē, ſi peruenerit ad ſcientiam ingreſſui neceſſariam, ſi ob ægritudinem, vel aliam iuſtam cauſam ad illam non potuit peruenire, liber eſt à voto. quia moraliter tunc eſt impotens ad ingreſſum, ſecus ſi per ipſum ſtetit, quin ad ſcientiam neceſſariam ingreſſui peruenerit, ſed tenebitur diſcere neceſſaria ingreſſui. Ita Nauarr. *tom. 2. conſil. lib. 3. de voto, conſilio 30.*

DVBITATIO XXXV.

XXXVI. *An vouens ingredi Religionem intra triennium, liberetur à voto tranſacto triennio?*

Dico quinquageſimotertiò, Vouens ingredi Religionem intra triennium, non videtur liberandus ab ea intranda poſt lapſum triennium. quia terminus ille non videtur poſitus cauſa finiendæ obligationis, ſed potiùs cauſa incipiendæ executionis; ergo hic poſt lapſum triennium, adhuc ingredi tenetur in Religionem. Nauarr. *loco* nuperrimè *adducto conſ. 29.*

ARTICVLVS XV.

De vouentibus, vel ingredientibus Religionem habentibus parentes in aliqua neceſſitate conſtitutos.

SVMMARIVM.

1. *An vouens Religionem, in magna parentem neceſſitate obligetur.*
2. *An neceſſitas parentum, impediens adimpletionem voti filij, penſanda ſit ex indigentia perſonæ, vel ex decentia ſtatus.*
3. *An extante neceſſitate parentum, liceat filio ingredi Religionem, quando non poteſt manere in ſæculo, ſine ſuæ ſalutis diſpendio.*
4. *An neceſſitas parentum, obligans filios ad non ingrediendum Religionem, requiratur quòd ſit actualis, vel probabiliter poſſibilis.*
5. *An filius teneatur egredi Religione, ſi neceſſitas parentum accidat tempore nouitiatus.*
6. *An valida ſit profeſſio filij facta, ſtante magna neceſſitate parentum.*
7. *An filius profeſſus, ſtante graui parentum neceſſitate, poſſit petita, & non obtenta licentia egrediendi, Religione egredi, etiam relinquendo habitum, & an poſtea teneatur ad Religionem reuerti illa tranſacta.*
8. *A quónam Prælato debeat concedi licentia Profeſſo, ad egrediendum è Religione, cauſa ſubueniendi parentibus in graui neceſſitate.*

9. *An*

9. *An Superior in caſu præcedentis aſſerti teneatur concedere licentiam præfatam.*
10. *An filius intra monaſterium degens, teneatur ſubuenire parentibus, modis ſuum ſtatum decentibus, Superiore interdicente.*
11. *An Profeſſus poſſit apud ſe retinere pecunias ad ſubueniendum parentibus.*
11. *An filius Profeſſus teneatur petere licentiam à Superiore, vt parentibus ſubueniat, modis ſuum ſtatum conuenientibus.*
13. *An filius Profeſſus teneatur ſubuenire parentibus, arte, quam in Religione didicit.*
14. *An filius qui contracto matrimonio, poteſt ſubuenire parentibus conſtitutis in graui neceſſitate, teneatur illud inire, etiamſi eſſet obſtrictus voto caſtitatis, vel Religionis.*
15. *An filius Profeſſus teneatur ſubuenire parentibus in graui neceſſitate, ſi hæc ſubſequuta fuerit poſt profeſſionem.*
16. *An Monaſterium ſuccedens in bona filij ingredientis Religionem, teneatur alere eiaſdem parentes in neceſſitate conſtitutos.*

Dvbitatio I.

I. *An vouens Religionem, in magna parentum neceſſitate obligetur?*

Dico primò, filiusfamilias ſi exiſtente magna parentum neceſſitate votum Religionis emiſerit, tale votum tali neceſſitate exiſtente minimè obligabit. quia eſt factum tale votum in præiudicium parentum. Ita rectè Rodriquez *tom. 3. qq. Reg. quæſt. 13. art. 5. verſ. Tertiò dico.*

Dico ſecundò, ſiue votum præceſſerit eam parentum neceſſitatem, ſiue eam ſubſequutum ſit, in vtroque caſu filius licitè ingredi non poteſt Religionem durante ea neceſſitate, etſi non ſit qui illius parentum neceſſitatibus ſubueniat. quare ſi ſemper durat ea indigentia, tenetur ſemper, non obſtante voto, manere in ſæculo, vt ſubueniat parentibus. quia quæ ſunt præcepti, non debent emitti propter illa, quæ ſunt conſilij; ſed filij præcepto naturali tenentur ſubuenire parentibus in graui, & magna neceſſitate. ergo filij tenentur durante parentum neceſſitate, non obſtante voto, minimè ingredi Religionem: tum, quia ſi votum ſubſequatur eam indigentiam, non potuit obligare pro illius indigentiæ tempore, vtpote quòd illicitum pro eo tempore eſſet, vtpote contra præceptum naturæ; ſi verò votum præceſſerat, ſuperuenit tanta rerum mutatio, quanta à principio tempore voti contingens impediret eius obligationem; ergo durante ea neceſſitate votum non obligabit, ſiue præceſſerit, ſiue votum ſubſequatur. Ita bene Ioannes noſter de Neapoli, quem ſequitur, & adducit Syl. *verb. Religio 2. num. 7.*

Dico tertiò, filius habens parentes in graui, & magna neceſſitate conſtitutos, ſi per alios poſſit eius parentibus miniſtrari, poteſt, ſi vult Religionem intrare, & ſi votum emiſit, tenetur illam ingredi: nam D. Chryſoſtomus exponens illud Matth. 8. & Lucæ 9. *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*, dicit quòd malum eſt abducere hominem à ſpiritualibus, & maximè cùm fuerint, qui miniſterium parentum compleant, erant enim alij, qui complere poſſent illius funeris ſepulturam; ergo ſi per alios poſſit parentibus miniſtrari, &c. Ita præclarè D. Th. *quodlib. 3. art. 16.*

Dvbitatio II.

II. *An neceſſitas parentum impediens adimpletionem voti filij, penſanda ſit ex indigentia perſonæ, vel ex decentia ſtatus?*

Dico quartò, non poſſunt, nec debent filij ob ingreſſum Religionis deſerere parentes in graui neceſſitate conſtitutos, quando ipſi nequeunt illis niſi manendo in ſæculo, prouidere, nec eis aliter commodè, quàm per filiorum obſequium ſubueniri poteſt, non ſolùm quando hæc neceſſitas eſt magna, & vrgens, reſpectu perſonæ, ſed etiam reſpectu decentiæ ſtatus. puta, quia oporteret parentes mendicare, vel aliis inſeruire, cum notabili indecentia ſtatus, aut conditionis ſuæ. quia omittere præcepta propter conſilia nefas eſt: at eſt naturale, & diuinum præceptum ſubueniendi parentibus ita egenis, & in tali neceſſitate conſtitutis non ſolùm ratione perſonæ, ſed etiam reſpectu decentiæ ſtatus eorumdem. ergo, &c. Videatur pro hac aſſertione D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 101. *art.* 4. *ad quartum.* Ioannes de Neapoli, & Syl. *verb. Religio* 2. *num.* 7. Sanchez *lib. 4. in Præcept. c.* 20. *n* 4.

Dico quintò, clariùs explicans præcedentes aſſertiones, Non licet filiis ob Religionis ingreſſum, etiamſi votum emiſerint ingrediendi Religionem, deſerere parentes in extrema neceſſitate conſtitutos, neque quando ſunt in graui neceſſitate conſtituti, quando ſcilicet præcisè neceſſaria vitæ ſuſtinendæ deſunt, itaut ſi eis non ſubueniatur, timor ſit lapſus in extremam: neque quando ſunt in magna neceſſitate, quoties, ſcilicet parentes ſine dedecore neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem, acquirere nequeunt: vt ſi cogerentur parentes ad ſibi proſpiciendum ea efficere, quæ in notabilem eorum decentiæ ſtatus iacturam cederent, vt artem mechanicam exercere, mendicare, aliis famulari, ſi eſt probabilis ſpes fore vt in ſæculo manentes filij ipſis ſubuenire valeant, nec eſt alius qui ſubueniat. Ita clarè colligitur ex S. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art. 6. in corpore*, & ex Concilio Gangrenſi relato *cap. 1. diſt.* 30. approbato à Leone IV. *cap. 1. de libellis, diſt.* 20. vbi anathematizantur qui ob ingreſſum Religionis deſerunt parentes in neceſſitate conſtitutos.

Dvbitatio III.

III. *An extante neceſſitate parentum, liceat filio ingredi Religionem, quando non poteſt manere in ſæculo, ſine ſuæ ſalutis diſpendio?*

Dico ſextò, relicta tamen parentum neceſſitate integrum eſt filio Religionem ingredi, quando filius non poteſt, abſque graui diſpendio ſuæ ſalutis, remanere in ſæculo. quia tunc non tenetur cauſa ſubueniendi parentibus ſe tali diſcrimini exponere, ſed ſtatim intrare poteſt Religionem. quia ordo charitatis petit vt filius ſalutem propriam ſpiritualem temporali parentum bono præferat. Ita D. Thom. *quodlib. 3. art.* 16.

Dico ſeptimò, idem dicendum, quando parentes ipſi ita filium ad peccandum excitarent, vt veriſimiliter filij lapſus in peccatum timeatur. quia ad pietatem pertinet officium & cultum parentibus exhibere, ſecundùm debitum modum: actus enim virtutis debitis circunſtantiis limitatur, vt docet S. Doctor 2. 2. *quæſt. 7. art.* 2. ergo quando parentes ipſi, &c. Videatur D. Thom. 2. 2. *q.* 101. *art. 4. in corp.*

Dico octauò, ſi tamen ſit dubium an hoc periculum

lum ſit tale, vt eius ingreſſus ſit præcepto ſubuentionis parentum anteponendus, præceptum ſubuentionis parentum obligabit. quia præceptum ſubueniendi parentibus poſſidet. ergo cùm excuſatio ſit dubia, præceptum ſubueniendi parentibus præualebit; ſi verò ſint rationes vtriuſque probabiles, poterit filius vtramuis partem ſequi. quia ſequendo in morabilibus, quod eſt probabile, neque temerè, neque imprudenter facimus: videatur D. Bartholomæus à Sancto Fauſto *lib. 5. de Religioſo ſtatu, q. 143. n. 4.*

Dvbitatio IV.

IV. *An neceſſitas parentum obligans filios ad non ingrediendum Religionem, requiratur quòd ſit actualis, vel probabiliter poſſibilis?*

Dico nonò, filij ingredi licitè non poſſunt Religionem quam vouerunt, non ſolùm quando magna parentum neceſſitas eſt actualis, ſed etiam quando timetur probabiliter futura. quia te vera neceſſitas magna & grauis probabiliter futura arbitrio prudentum, iudicatur magna parentum neceſſitas, vt obliget filium, ne ſe reddat impotentem ad illi ſubueniendum, quando occurrerit. Ita bene Sanchez *lib. 4. in Præcept. cap. 20. num. 5.* Oppoſitum tenet Rodriquez *part. 2. ſumma cap. 6. num. 4.* ſolam ſcilicet actualem neceſſitatem parentum impedire licitum filiorum ingreſſum in Religionem.

Dvbitatio V.

V. *An filius teneatur egredi è Religione, ſi neceſſitas parentum accidat tempore Nouitiatus?*

Dico decimò, ſi dicta magna neceſſitas parentum accidat tempore Nouitiatus, filij tenentur egredi è Religione ſi poſſunt commodè prouidere parentibus, & non ſint alij, qui illorum neceſſitati proſpiciant. quia cùm licitè egredi valeant, & perſeuerantia ſit ſolius conſilij, anteferendum eſt præceptum ſubueniendi parentibus: videatur D. Antoninus *3. part. tit. 16. cap. 2. §. 1.* Emanuel Sà *in ſumma verb. Religio, num. 2.*

Dvbitatio VI.

VI. *An valida ſit profeſſio filij facta, ſtante magna neceſſitate parentum?*

Dico vndecimò, ſi de facto filius parentibus in graui neceſſitate conſtitutis Religionem ingrediatur, & profiteatur, talis profeſſio eſt valida. quia profeſſio ſecundùm iura antiqua, facta ab eo, qui eſt ingenti ære alieno grauatus, vel ratiociniis grauatus, tenet, iuxta *cap. 2. de obligat. ad ratiocinia*, quamuis profitendo peccet. ergo etiam in noſtro caſu. Nauarr. *tom. 2. conſil. lib. 3. de Regularibus, conſilio 3. num. 1.* Rodriquez *tom. 3. qq. Regular. quæſt. 13. art. 5. dicto 4.*

Dico duodecimò, non obſtare contra præcedens aſſertum Motum proprium Sixti V. qui anno 1587. in quadam ſua Extrauag. ſtatuit, profeſſionem illorum, qui obnoxij debitis ſuper vires facultatum ſuarum profeſſi ſunt, eſſe irritam. ergo ſimiliter filius, qui iure naturæ tenetur neceſſaria vitæ alimenta parentibus ſubminiſtrare, ſi ingreditur Religionem, & ibi profitetur, non ſolùm peccabit, ſed etiam profeſſio illius erit irrita: non, inquam, hoc officit, quia licèt filius debitor ſit quodammodo, & parentes neceſſitate preſſos ſuſtentare teneatur, non tamen hoc eſt ex debitis intentis à Sixto V. vt conſtare poterit legenti ex ipſius Motu proprio: vbi expreſsè loquitur de debitis ciuilibus, & de grauatis ære alieno, propter retentionem bonorum alicuius ſupra vires & facultates ſuas, non autem de debito naturali filiorum erga parentes. Ita etiam non obſtat, nam Sanctiſſimus Clemens VIII. poſtea anno Domini 1602. moderatus eſt Motum illum proprium Sixti V. quoad hoc, vt profeſſio ære alieno grauatorum tranſeuntium ad Religionem valeret.

Dvbitatio VII.

VII. *An filius Profeſſus ſtante graui parentum neceſſitate, poſſit petita, & non obtenta licentia egrediendi è Religione, egredi, etiam relinquendo habitum, & an teneatur ad Religionem reuerti illa tranſacta?*

Dico decimotertiò, filius Profeſſus vt parentum neceſſitati ſubueniat, ſi illa ſit extrema, & in monaſterio manens, eorum indigentiæ commodè ſubuenire non poteſt, tenetur petita licentia Superioris, licèt non obtenta, egredi monaſterium ad ſubueniendum parentibus. quia præceptum iuris naturæ & iuris diuini in extrema neceſſitate præeminet omni voto, & vinculo, nec ſolùm pro patre, ſed pro quocunque homine in tali neceſſitate poſito. nam non debent vlla vota eſſe impeditiua operum iuſtitiæ: tum, quia licet aliena bona accipere propter extremam alterius neceſſitatem; ergo licebit filio Profeſſo, vt extremæ neceſſitati parentum ſubueniat, actualem obedientiam Prælato ſubtrahere. Ita præclarè Caiet. *2. 2. q. 101. art. 4. §. ad huius euidentiam.* Lopez *part. 1. inſtruct. cap. 54 §. Peccátque filius.* Conradus *tom. 1. Reſponſionum, quæſt. 61.*

Dico decimoquartò, in caſu præcedentis aſſertionis filius Profeſſus ad ſubueniendum parentibus in extrema neceſſitate poſitis, poteſt, imò tenetur, dimittere habitum, vt eis ſubueniat, ſi aliter eis ſubuenire non poteſt. quia ea neceſſitas præponderat. Ita tenent Corduba *in ſumma q. 141. art. 2. opinione 4. puncto 1.* Oppoſitum tenet Angles *tom. 2. in floribus, quæſt. de voto diffic. 13. art. 2. concl. 2.*

Dico decimoquintò, tenetur tamen talis Profeſſus ad monaſterium ſtatim redire, cùm primùm ei neceſſitati ſubuenerit, eo quòd cauſa egreſſus iam ceſſauit: tum, quia neceſſitas extrema citiſſimè tranſit, modicúmque ad eius remedium ſufficit. Ita bene notauit Conradus noſter *tom. 1. Reſponſionum, quæſtio 61. in additione, ad finem*, quem ſequitur & adducit Sanch. *lib. 4. in Decalogum, cap. 20 num. 14 fine.*

Dico decimoſextò, filius Profeſſus, etiam quando neceſſitas parentum eſt grauis, poteſt è Religione licitè exire, retento tamen habitu, petita priùs facultate à Superiore, licèt non obtenta, ſi commodè poteſt, manendo in ſæculo, ſubuenire eorum indigentiæ, & non ſit alius, qui illis proſpiciat, ſi parentes antequam ipſe emiſit profeſſionem, ſupradictam neceſſitatem patiebantur, & ſi in monaſterio manens eorum inopiæ commodè proſpicere non poteſt. quia ſtante tali graui neceſſitate, nec ingredi, nec profiteri poterat filius. ergo ingreſſus, & emittens profeſſionem, poteſt & debet egredi, petita priùs licentia, licèt non obtenta à Superiore. quia cum eo onere in Prælati poteſtatem tranſit: ſecus autem ſi neceſſitas iſta grauis ſuper

ſuperuenerit poſt profeſſionem. Ita tenent Lopez noſter *part.1.inſtruct.cap.54.§.Sed in hoc caſu grauis neceſſitatis.* Nauarr.*ſumma cap.14.num.14.* Toletao.*ſumma lib.4.cap.1.num.5.* Rodriquez *part.2.ſummæ cap.6.num.4.* Syl.*verb.Religio 6.quaſt.9.§.Quantum autem.* Ratio fundamentalis huius aſſertionis eſt. nam res eum ſuo onere tranſit in poſſeſſorem. *cap. ex litteris, de pignoribus*; ſed ante profeſſionem tenetur filius ſubuenire parentibus in graui neceſſitate conſtitutis. ergo cum iſto onere tranſit filios emittens profeſſionem in Prælati poteſtatem. ergo manente tali indigentia poteſt & debet è Religione exire ad ſubueniendum parentibus, petita licentia, licèt non obtenta, à Superiore: ſi parentes antequam ipſe emiſit profeſſionem ſupradictam, neceſſitatem patiebantur.

Dico decimoſeptimò, rectiùs tamen, & probabiliùs aſſerendum eſt, nunquam teneri Profeſſum è Monaſterio egredi ad ſubueniendum graui parentum indigentiæ, quamuis ea neceſſitas profeſſionem præceſſerit, neque poſſe abſque legitima Superioris licentia. quia ſicuti coniugatus non tenetur relicta vxore ad habitandum cum parentibus cauſa eis ſubueniendi, eo quòd ſtatus matrimonij id non patitur: ergo nec Profeſſus tenebitur Monaſterio dimiſſo, (id enim ſtatui profeſſionis aduerſatur) egredi è Religione abſque legitima Superioris licentia, cauſa ſubueniendi parentibus in graui neceſſitate conſtitutis: tum, quia Religioſus Profeſſus iam mundo eſt mortuus, & Chriſto Domino conſepultus. ergo parentes debent veluti eum mortuum exiſtimare, ac ſi non eſſet. ergo non debet abſque legitima Superioris licentia occaſione ſuſtentationis parentum, inuito Prælato exire clauſtrum, in quo Chriſto Domino conſepelitur, & ſe iterum negotiis ſæcularibus implicare: & ita hanc aſſertionem tenere videtur apertè D.Thom.*quodlib.3. art.16. & 22. quaſt. 101. art. 4. ad quartum.* quem ſequitur Sanchez *lib.4.in Decalogum, cap.20.num.17.*

Dico decimooctauò, neque fundamentum aſſertionis 16. obſtare videtur contra immediatum præcedens aſſertum: nam illud onus quod filius habet ſubueniendi parentibus in graui neceſſitate conſtitutis, tranſit quidem in Religioſum Profeſſum, cùm obligatio ſubueniendi parentibus graui neceſſitate preſſis, ſit antiquior in filio, & eo viuente perſeuerat, modo tamen conſono ſuo ſtatui, ſalua ſcilicet obedientia, & decentia ſtatus Religioſi, quem nunc profitetur: nam filius in Sacris conſtitutus non tenetur fieri miles, quamuis eo ſolo modo parentibus grauem neceſſitatem patientibus ſubuenire valeat, eo quòd ſtatus clericalis in Sacris id non patitur. ergo nec Profeſſus tenebitur Monaſterium dimittere inuito Prælato, aut facere contra regulam, vt parentum inopiæ ſubueniat, id enim ſtatui Profeſſi aduerſatur. fatemur igitur præceptum ſubueniendi parentibus in graui neceſſitate conſtitutis non eſſe abrogabile per ſuperueniens votum, non tamen obligare filium eodem modo in quocunque ſtatu: nam eſt præceptum affirmatiuum, & obligat pro tempore vnomquemque ſecundùm proprium ſtatum, & ſic filium Profeſſum obligabit, ſalua obedientia, & ſtatus Religioſi decentia. Ita præclarè obſeruauit D. Caietanus 2. 2. *quaſt. 101. art. 4. §. Ad huius euidentiam, verſicul. nam præceptum.*

Dvbitatio VII.

VIII. *A quónam Prælato debeat concedi licentia Profeſſo, ad egrediendum è Religione cauſa ſubueniendi parentibus, in graui neceſſitate?*

Dico decimononò, quamuis Profeſſus nequeat Monaſterio egredi, inuito Prælato, vt parentibus in graui neceſſitate conſtitutis ſubueniat, vt ſecundùm veriorem ſententiam diximus *aſſertione* 17. Adeſt tamen iuſta cauſa licentiæ ſibi concedendæ, quando extra Monaſterium poterit, & intra minimè. quam licentiam poſſunt concedere Generalis & Prouincialis, retento tamen habitu. Ita Nauarr. *tom.1.conſil. lib.3.de Regul.conſilio 32.num.4.* Rodriquez *part.2.ſummæ cap.6.num.4.* Sanchez *lib.4. in Decalogum, cap. 20. num.22.* Solus tamen ſummus Pontifex indulgere poteſt Religioſo Profeſſo, vt dimiſſo habitu extra Monaſterium degat ad ſubueniendum parentibus in graui neceſſitate conſtitutis, vt apertè colligitur ex *cap.2.ne Clerici, vel Monachi in 6. & cap. Clerici el 1. de vita & honeſtate Clericorum.* vbi habetur Religioſum etiam ad dignitatem Epiſcopalem euectum debere geſtare ſuæ Religionis habitum: videantur DD. citati Nauarr. Rodriquez Sanchez *locis* nuperrimè *adductis.*

Dvbitatio VIII.

IX. *An Superior in caſu præcedentis aſſerti teneatur concedere licentiam præfatam?*

Dico vigeſimò, Superior, puta Prouincialis, vel Generalis, in caſu præcedentis aſſertionis non tenetur eam licentiam concedere Religioſo Profeſſo, vt habitu retento extra Monaſterium ſit ad ſubueniendum parentibus. quia, vt diximus *aſſerto* 18. tantùm tenetur Religioſus in Monaſterio exiſtens modis ſuo ſtatui decentibus, ſalua ſcilicet obedientia, & decentia ſtatus Religioſi, parentibus ſubuenire. ergo cùm Profeſſus filius non teneatur inuito Prælato egredi Monaſterio, nec ipſe Prælatus tenebitur, &c. nam aliàs integrum eſſet Profeſſo egredi eo iniquè denegante: licèt Nauarr. *Commentario 3. de Regularibus, num. 49.* putet teneri Prælatum eam licentiam concedere, quando neceſſitas præceſſit profeſſionem, & loquitur conſequenter iuxta ſuam ſententiam relatam *aſſertione* 16. quæ eſt quòd quando neceſſitas præceſſit profeſſionem, teneri Profeſſum Monaſterio egredi, petita licentia à Superiore, licèt non obtenta.

Dvbitatio IX.

X. *An filius intra Monaſterium degens teneatur ſubuenire parentibus, modis ſuum ſtatum decentibus, Superiore interdicente?*

Dico vigeſimoprimò, tenetur tamen filius Profeſſus intra Monaſterium degens, ſtante graui parentum neceſſitate, eis ſubuenire modis ſuum ſtatum, & profeſſionem decentibus, quia cùm filius poſt profeſſionem maneat verè filius, perſeuerat in eo pietatis obligatio erga parentes, quam ſtatus Religioſus non impedit, ſed perficit. ergo ſalua ſui ſtatus decentia tenetur pro viribus in Religione niti, vt per ſe, vel per alium ſuis parentibus ſubueniatur. Ita D.Thom. *quodl. 3.art.16. & 2.2.quaſt.101.art.4.ad 4.*

Dico vigeſimoſecundò. Si Prælatus nollet licentiam concedere, vt Religioſus modis ſuum ſtatum & profeſſio

profeſſionem decentibus parentum inopiæ ſubueniat, poſſet hic occultè, & abſque ea id efficere, quamuis Prælatus repugnet, idque ſub pœna excommunicationis interdicat. quia in tali caſu iniquè agit Prælatus licentiam denegans, & cùm talis licentia ſit debita, poterit Religioſus ea non obtenta, ea omnia facere, quæ poſſet ex Prælati licentia facere. Ita bene Lopez noſter *part. 1. Inſtructory, cap. 54. §. Corduba tamen.*

Dico vigeſimotertiò, poterit ergo Religioſus Profeſſus ex neceſſariis ſuo victui taxatis, & quæ ipſe cōſumpturus erat, aliquid ſibi ſubtrahere, vt parentibus ſuccurrat. Poſſet etiam tempore, quo in rebus Religionis non occupatur, aliquod artificium Religioſis honeſtum exercere quo parentum indigentiæ graui proſpiciat. quia hæc omnia poſſet ex licentia Prælati facere. ergo petita licentia, & non obtenta, quia iniquè denegatur, poterit hæc eadem facere in ſubſidiū parentum ſecretò, & ſine ſcādalo: videatur Lopez nouiſſimè relatus Sanch. *lib. 4. in Præcept. cap. 20. num. 19.*

Dvbitatio X.

XI. *An Profeſſus poſſit apud ſe retinere pecunias, ad ſubueniendum parentibus?*

Dico vigeſimoquartò, magis explicans duas præcedentes aſſertiones, filius Profeſſus manens in Monaſterio, ea procurare poteſt parentibus in graui neceſſitate conſtitutis, quæ poſſet ex Prælati licentia procurare ſuo Monaſterio modis ſuum ſtatum, & profeſſionem decentibus: vnde frater Minor S. Franciſci non poteſt accipere pecunias à Chriſti fidelibus apud ſe retinendas, vt parentibus ſubueniat, benè tamen retinendas apud pium aliquem extraneum: quia eas poteſt ſuæ Religioni, vt ſic, quærere de licentia Prælati. ergo ſimiliter poterit pro parentibus grauiter indigentibus quærere pecunias ad aliquem pium fidelem detinendas ad ſubueniendum parentibus.

Dico vigeſimoquintò, cæteri verò Religioſi, quibus ita non ſtrictè interdicitur pecunias apud ſe retinere, quin poſſint de licentia Prælati apud ſe retinere, poſſunt etiam Prælato iniuſtè denegante apud ſe retinere, vt parentibus ſuccurrant. quia hi Religioſi de licentia Prælati vt ſubueniant propriis neceſſitatibus poſſunt apud ſe pecunias retinere in bonos, & licitos vſus impendendas. ergo iniuſtè denegante Prælato, poterit talis Profeſſus retinere apud ſe pecunias ad ſubueniendum parentibus in graui neceſſitate poſitis: quas modis ſtatum ſuum & profeſſionem decentibus acquiſierunt: tum, quia DD. non pœnitendi, immò grauiſſimi, vt Syl. Nauarr. Lopez, Toletus, Rodriquez aſſertione 16. cit. affirmant teneri filium Profeſſum Conuentu egredi, vt parentibus grauiter egentibus ſuccurrat, quamuis Prælatus contradicat. Si parentes antequam filius emiſiſſet profeſſionem, grauem indigentiam patiebantur; ergo, & videatur pro his duabus aſſertionibus Corduba *in ſumm. q. 141 art. 4. opinione 4 punct. 2. & 3.* Lopez *p. 1. Inſtructory, cap. 54. §. Corduba tamen.*

Dvbitatio XI.

XII. *An filius Profeſſus teneatur petere licentiam à Superiore, vt parentibus ſubueniat, modis ſuum ſtatum conuenientibus?*

Dico vigeſimoſextò, filius Profeſſus nō egrediendo ex clauſtro vt modis ſtatum ſuum Religioſum & profeſſionem decentibus, de quibus diximus *duabus præcedentibus aſſertionibus*, parētibus ſubueniat, tenetur priùs petere licentiam à ſuo Superiore, niſi omnino certus ſit fore vt ſibi denegetur, & poſtea nequeat tanta facilitate, & ſecuritate parentibus indigentibus proſpicere. quia Religioſum ſtatum dedecet eam non petere, vbi id damnum non timetur: tum, quia ius Canonicum, *cap. licet, de Regularibus*, eam licentiam peti iubet ad tranſitum ad ſtrictiorem Religionem, cùm tamen ea denegata is tranſitus licitus ſit. ergo ſimiliter & in noſtro caſu.

Dico vigeſimoſeptimò, quando verò eſt dubium, an Superior licentiam ſubueniendi parentibus ſit ſubdito Profeſſo, modis ſtatum Religioſum decentibus, denegaturus, tunc ſubditus poteſt ea vti non petita. quia etſi in dubio potiùs ſit Superioris ius, ſitque illi obedientia præſtanda, hoc tamen fallit, quando id vergit in graue præiudicium tertij, ſicut contingeret in noſtro caſu, nam ea licentia denegata redundat in graue parentum damnum: videatur D. Bartholomæus à S. Fauſtò *lib. 5. de Religioſo ſtatu, quæſt. 131. num. 4.*

Dvbitatio XII.

XIII. *An filius Profeſſus teneatur ſubuenire parentibus, arte quam in Religione didicit?*

Dico vigeſimooctauò, quamuis filius ante Religionis ingreſſum fuiſſet ineptus ad ſubueniendum parentibus in neceſſitatibus conſtitutis, ſi in Religione didicerit artem, aut ſacularem, qua illis ſubuenire poteſt, teneretur adhuc modis ſuo ſtatui aptis ei neceſſitati ſubuenire. quia cùm iam poſſit illis ſubuenire, tenebitur vtique modo conformi ſuo ſtatui. Sanchez *lib. 4. in Præcept. cap. 20. num. 20.*

Dvbitatio XIII.

XIV. *An filius qui contracto matrimonio, poteſt ſubuenire parentibus, conſtitutis in graui neceſſitate, teneatur illud inire, etiamſi eſſet obſtrictus voto caſtitatis, vel Religionis?*

Dico vigeſimononò, filius ſi graui parentum neceſſitati ſubuenire nequiret, niſi matrimonio inito adiutus vxoris dote, teneretur matrimonium contrahere. quia præceptum ſubueniendi parentibus graui neceſſitate oppreſſis, præponderat conſilio vitæ cælibis ducendæ.

Dico trigeſimò, ſimiliter filius voto ſimplici caſtitatis, vel Religionis obſtrictus, ſi non poteſt parentibus ſubuenire, niſi vxorem ducat, tenetur eam ducere propter rationem adductam aſſertione immediatè præcedenti: præponderat enim neceſſitas huius præcepti ſubueniendi parentibus ita egenis voto caſtitatis, vel Religionis.

Dico trigeſimoprimò, voto tamen caſtitatis obſtrictus, ſi ad ſubueniendum parentibus vxorem duceret, ſi cum alia muliere commiſceretur, eſſet ſacrilegus, & matrimonio durante abſque diſpenſatione non poſſet petere debitum, bene tamen reddere poſt primum bimeſtre, nec eo ſoluto poſſet aliud matrimonium inire: & ſi eſſet voto Religionis ligatus, ſoluto matrimonio teneretur ad Religionem tranſire. quia obligatio voti caſtitatis, vel Religionis in caſu poſito non extingueretur, ſed ſuſpenderetur. ergo obligaret quatenus neceſſitati illi non præiudicat: ſed non præiudicat neceſſitati ſubueniendi parentibus, ſi filius voto caſtitatis obſtrictus petat debitum, vel cum alia muliere commiſceatur.. ergo tenebitur filius voto caſtitatis

ſtitatis ligatus contrahens matrimonium ad ſubueniendum parentibus abſtinere à debiti petitione, & faceret contra votum commiſcendo ſe cum aliena. quia obligatio voti caſtitatis tunc obligaret quoad omnia in quibus non præiudicatur neceſſitati ſubueniendi parentibus. Similiter vouens ingredi Religionem, ſi contrahit matrimonium ad ſubueniendum parentibus, mortua vxore, & ceſſante parentum neceſſitate, ingredi poſtea teneretur Religionem. quia votum Religionis tunc non extingueretur, ſed ſolùm ſuſpenderetur: videatur pro his tribus proximis aſſertionibus D.Thom. *quodlib.* 10. *art.* 9.

Dvbitatio XIV.

XV. ***An filius Profeſſus teneatur ſubuenire parentibus in graui neceſſitate, ſi hac ſubſequuta fuerit poſt profeſſionem?***

Dico trigeſimoſecundò, etiam quando parentum grauis neceſſitas ſubſequitur ingreſſum, & profeſſionem filij in Religione, tenetur filius modis ſtatum Religioſum, & profeſſionem decentibus ſubuenire parentibus. quia filios Profeſſus ad omnia ſtatum Religioſum decentia impendenda parentibus indigentibus aſtringitur: nam filius Profeſſus poſt profeſſionem manet verè filius. ergo in eo perſeuerat obligatio pietatis erga parentes, quam ſtatus Religioſus impedire non debet, ſed perficere, imò etiam in iſto caſu, petita licentia, & non accepta à Superiore, poſſet filius Profeſſus manens in monaſterio modis ſuo ſtatui aptis parentum graui neceſſitati proſpicere, nam iniquè tunc talis licentia à Superiore denegaretur. hæc aſſertio colligitur apertè ex S.Thom. 2.2. *q.* 101. *art.* 4. *ad quartum.* & Caietanus *ibi in fine commenti.* Lopez *part.* 1. *Inſtructorij*, *cap.* 54. §. *Sed in hoc caſu grauis*, &c.

Dvbitatio XV.

XVI. ***An Monaſterium ſuccedens in bona filij ingredientis Religionem, teneatur alere eiuſdem parentes, in neceſſitate conſtitutos?***

Dico trigeſimotertiò, ſi filius ex ingreſſu Religionis efficitur impotens ad ſubueniendum parentibus in neceſſitate graui conſtitutis, ſi Monaſterium ſucceſſit in bona ingredientis, tenetur alimenta eius parentibus ſubminiſtrare. quia Monaſterium eſt loco hæredis, & filij, *cap. in præſentia*, *in fine*, *de probat.* ſed hæres etſi extraneus, ad legantis debita à te contracta tenetur; ergo, &c. Ita Syl. *verb. Religio* 6. *quaſt.* 9. ſecus autem ſi Monaſterium non ſucceſſit in bona ingreſſi. quia filius non ex iuſtitiæ, ſed ex ſolius pietatis lege tenetur parentibus alimenta præbere; ergo Monaſterium admittens hunc filium ad Religionem, non peccat contra iuſtitiam commutatiuam, quæ ſola reſtituendi obligationem inducit. Sanchez *lib.* 4. *in Decalogum*, *cap.* 20. *num.* 21.

Articvlvs XVI.

De vouentibus, vel ingredientibus Religionem, fratres, vel ſorores habentibus, in neceſſitate conſtitutos.

Svmmarivm.

1. *An habens fratres, vel ſorores in graui neceſſitate, impediatur ab ingreſſu Religionis, vt illis ſubueniat.*

&, An ſi vouit ingredi Religionem, poſſit ad hunc finem tale votum differre.

2. *An Epiſcopus, vel Confeſſarius vi Iubilei poſſit differre ingreſſum vouentis Religionem ſtante graui neceſſitate conſanguineorum.*

Dvbitatio I.

I. ***An habens fratres, vel ſorores in graui neceſſitate, impediatur ab ingreſſu Religionis, vt illis ſubueniat? &, An ſi vouerit ingredi Religionem, poſſit ad hunc finem tale votum differre?***

Dico primò, qui habent fratres, & ſorores, nepotes, & alios ſimili graui egeſtate laborantes, poſſunt ingredi Religionem, nec tenentur talem ingreſſum differre, etiamſi voto Religionis non ſint obſtricti. quia non tenentur ſuccurrere fratribus, & ſororibus, ſicut & parentibus, priuando ſe tanto bono, vt illis ſubueniant.

Dico ſecundò, fratres qui habent ſorores periculo impudicitiæ expoſitas, ſi ab ipſis dimittantur, non poſſunt ingredi Religionem. quia charitas ſuadet, vt earum impudicitiam frater caueat, immo ſi frater Religionis voto ſit obſtrictus, poteſt in tali caſu eius ingreſſum differre: quando tempus non eſt præfixũ voto implendo. quia id votum abſque determinato exequutionis tempore emiſſum obligat vouentem, quamprimum commodè poterit; ſed non eſt cómoda opportunitas, quando frater ſua præſentia in ſæculo manens poteſt impudicitiæ, & tantæ ſororum neceſſitati ſubuenire. ergo in tali caſu poteſt frater voto Religionis ligatus ingreſſum differre, vt ſubueniat, &c.

Dico tertiò, frater vouens Religionem, ſi tempus præfixum voto non ſit, & poteſt differre ingreſſum aliquo tempore, ſi habet alios fratres in graui neceſſitate conſtitutos, quamuis non teneatur, vt diximus *aſſertione* 1. quia votum abſque determinato exequutionis tempore obligat vouentem, quamprimum commodè poteſt exequi, ſed quando præſentia vouentis in ſæculo eſt neceſſaria ad ſubueniendum perſonarum adeò ſibi coniunctarum neceſſitati, non eſt commoda opportunitas ingrediendi Religionem. ergo poteſt differri ingreſſus, &c. Videatur pro hac aſſertione Caietan. 2.2. *quaſt.* 88. *Art.* 3. §. *Præterea obligatio.* Sanchez *lib.* 4. *in Præcepta*, *cap.* 20. *num.* 31.

Dico quartò, etiam ſi voto tempus præfixum ſit, illúdque accedat, poteſt ingreſſus differri ratione magnæ ſororum neceſſitatis, quando impudicitię periculum eſſet ratione paupertatis: at citra id periculũ, aut ratione ſubueniendi fratribus, aut aliis fœminis conſanguineis patientibus idem periculum, non videtur ingreſſus vltra tempus pręfixum differendus. Probatur prima pars. quia cura ſororum auxilio deſtitutarum fratri incumbens, ſimul cum eo impudicitiæ periculo præponderat obſequio illi diuino ingrediendi ſtatim Religionem. ergo ingreſſus tunc poteſt differri, &c. Secunda pars aſſertionis probatur; quia fratres ſibi facilius, & cum minori periculo, quàm ſorores proſpicere poſſunt, & aliarum fœminarum conſanguinearum cura non ita incumbit vouenti: videatur Azor. *part.* 1. *inſtit. mor. cap.* 1. *quaſ.* 8.

Dvbitatio II.

II. ***An Epiſcopus, vel Confeſſarius, vi Iubilæi, poſſit differre ingreſſum vouentis Religionem, ſtante graui neceſſitate conſanguineorum?***

Dico quintò, ad differendum votum ingreſſus, cui

eſt præfixum tempus, eſſet iuſta diſpenſandi cauſa ſororum grauis neceſſitas, quamuis in illis id impudicitiæ periculum non eſſet, & vrgens, & fratrum neceſſitas, cui ſolus alter frater ſuccurrere poſſet. quia non in ſubſtantia voti, ſed in ſola dilatione illud exequendi tunc diſpenſaretur. Et hæc diſpenſatio poteſt ab Epiſcopo concedi, & tempore Iubilæi hæc dilatio poteſt ſimiliter à Confeſſario electo fieri.

Articvlvs XVII.

De parentibus ingreſſum Religionis vouentibus, ſi filios habeant paruulos.

Svmmarivm.

1. *An parentes, qui Religionis votum emiſerunt, teneantur ad illud, ſi habeant filios paruulos, & ſi profeſſionem emiſerint, teneantur egredi ad ſubueniendum iis.*
2. *An aui, & proaui habentes nepotes, carentes parentibus, voto Religionis emiſſo, vel expleto, ad ſubueniendum illis adſtringantur.*

Dvbitatio I.

I. *An parentes, qui Religionis votum emiſerunt, teneantur ad illud, ſi habeant filios paruulos? & , ſi profeſſionem emiſerint, teneantur egredi ad ſubueniendum illis?*

Dico primò, parentes multo minus poſſunt deſerere filios paruulos ſi in magna neceſſitate ſint, & paterna indigeant cura, & ingredi Religionem, etiamſi Religionis votum emiſerint. quia obligatio bene educandi filios, & illis ſubueniendi per ſe, & ex natura rei, eſt annexa parentibus. ergo tali obligationi, voto aliquo non poteſt præiudicari. Ita docet optimè D.Thom. 2.2.q.189.*art.6.in corp.*

Dico ſecundò, parentes ſi omiſſa filiorum cura iniquè ad Religionem migrarent, valeret quidem eorum profeſſio, nec tam Profeſſi tenerentur Conuentu egredi ad eis ſubueniendum, ſed ſalua obedientia, & ſui ſtatus decentia, illorum neceſſitati ſubuenire. nam filij Profeſſi tenentur, ſalua obedientia, & ſui ſtatus decentia, ad ſubueniendum parentibus in magna neceſſitate conſtitutis, vt diximus *aſſert.* 21. *art.* 15. ergo multo magis ad hoc tenentur parentes; parentes enim habent rationem principij, & ideo per ſe eiſdem conuenit filios ſuos alere, & ipſorum curam habere, non tantùm ad tempus, ſed per totum vitæ curriculum: filiis autem per accidens conuenit ſubuenire parentibus ratione magnæ neceſſitatis. hanc differentiam inter parentes & filios habet ſanctiſſimus Præceptor 2.2. nuperrimè cit. *in corpore.*

Dvbitatio II.

II. *An aui, & proaui habentes nepotes carentes parentibus, voto Religionis emiſſo, vel expleto, ad ſubueniendum illis adſtringantur?*

Dico tertiò, aui, & proaui, quando deſcendentes filij parentibus carent, non poſſunt ſimiliter deſertis deſcendentibus in magna neceſſitate conſtitutis tum educationis, tum ſuſtentationis, ingredi Religionem, etiam ſi votum Religionis emiſerint, & ſi iniquè ingrediantur, & ibi profiterentur, valida eſt quidem eorum profeſſio, ſalua tamen obedientia, & ſui ſtatus decentia, modis eis aptis tenerentur illis deſertis deſcendentibus proſpicere. quia ſuccedunt parentum loco, eadémque obligatione tenentur, habent enim rationem principij reſpectu deſcendentium: videatur Sanchez *lib.4. in Decalogum, cap.20. num.37.*

Articvlvs XVIII.

De illis qui votum caſtitatis, vel Religionis emiſerunt, & poſtea rem habent cum virgine, vel alia muliere, ſub ſpe futuri matrimonij.

Svmmarivm.

1. *An vouens Religionem, ſi poſtea defloret puellam, teneatur ad ingreſſum Religionis.*
2. *An puella deflorata ſub ſpe futuri matrimonij, teneatur admittere aliquam compenſationem.*
3. *An habens votum caſtitatis, ſi virginem defloret ſub ſpe futuri matrimonij, teneatur petere diſpenſationem voti, & poſſit debitum petere ſi illam ducat.*
4. *An habens votum caſtitatis, vel Religionis, ſi cum vidua bonæ famæ rem habeat cum ſpe futuri matrimonij, teneatur illam ducere.*
5. *An qui vouit caſtitatem, vel Religionem, & poſtea deſponſauit ſibi puellam de futuro, & inter illos non interceſſit copula, ſed magna familiaritas, obligetur ad votum.*
6. *An habens votum caſtitatis, vel Religionis, ſi cum puella, vel vidua rem habuerit ſub ſpe futuri matrimonij (ſcientibus tamen, illum habere votum caſtitatis, vel Religionis) teneatur votum ſeruare.*
7. *An habens votum Religionis, ſi vi, aut dolo, puellam defloret, ſub ſpe futuri matrimonij teneatur ingredi Religionem.*
8. *An habens votum Religionis, ſi promittat matrimonium puellæ, ſe virginem dicenti, quam tamen virginem non inuenit, teneatur ad votum.*
9. *An obſtrictus voto caſtitatis, qui puellam deflorauit ſub ſpe futuri matrimonij, teneatur illam ducere, ſi cum alio fornicetur.*
10. *An ille, de quo in aſſerto præcedenti, teneatur propter copulam aliquid tribuere.*
11. *An validum ſit matrimonium illius, qui contraxit de præſenti, licèt erret circa qualitatem perſonæ.*
12. *An voto Religionis obſtrictus, ſi vxorem duxerit, & matrimonium non conſummauerit, poſſit adhuc ingredi Religionem.*

Dvbitatio I.

I. *An vouens Religionem, ſi poſtea defloret puellam, teneatur ad ingreſſum Religionis?*

Dico primò, qui vouerat Religionem, ſi poſtea puellam, ſub promiſſione vera, vel ficta defloraruit, tenetur eam ducere, ſi ipſa votum eius omnino ignorauit, & recuſet omnẽ aliam ſatisfactionem. quia ingreſſus Religionis iam eſt ei factus illicitus. nam non poteſt ingredi Religionem, niſi grauem iniuriam irrogando puellæ. ergo, &c. Ita Leſſius *lib. 2. de Iuſtit. cap.10. dub.4. num.32.* oppoſitum tenet Nauarr. *tom.2. conſiliorum lib.4. tit. Quia Clerici, vel vouentes, conſil.1. num.1.* quia, inquit, priùs fuit obligatus Deo, quàm puellæ, & conſequenter priùs debet Deo ſolui votum.

Dvbit

DVBITATIO II.

II. *An puella deflorata ſub ſpe matrimonij futuri, teneatur admittere aliquam compenſationem?*

Dico ſecundò, puella illa deflorata ſub promiſſione vera, vel ficta matrimonij, non tenetur admittere aliquam compenſationem. quia pudicitia non eſt pecunia æſtimabilis: tum, quia non tenetur ſubire infamiam amiſſæ virginitatis, vt ille votum ſuum impleat. ergo deflorans virginem ſub ſpe, & promiſſione matrimonij, etiam ſi antea vouiſſet Religionem, ſi puella deflorata non acceptet aliam compenſationem, tenetur illam ducere.

DVBITATIO III.

III. *An habens votum caſtitatis, ſi virginem defloret, ſub ſpe futuri matrimonij, teneatur petere diſpenſationem voti, & poſſit debitum petere ſi illam ducat?*

Dico tertiò, habens votum caſtitatis, vel Religionis, ſi poſtea deflorauit virginem ſub promiſſione matrimonij, tenetur quidem ducere puellam ſtupratam, cui grauem iniuriam irrogauit, non tamen videtur neceſſarium, quòd priùs impetret voti antè emiſſi diſpenſationem. quia exequutio voti facta eſt illicita. ergo abſque voti diſpenſatione puellam defloratam ducere poteſt: non poterit tamen debitum petere, ſi antea vouiſſet caſtitatem, ſed tantummodo reddere eã implicitè, vel explicitè petente.

DVBITATIO IV.

IV. *An habens votum caſtitatis, vel Religionis, ſi cum vidua bonæ famæ rem habeat ſub ſpe futuri matrimonij, teneatur illam ducere?*

Dico quartò, obſtrictos voto caſtitatis, vel Religionis, ſi poſtea cum vidua bonæ famæ ſub promiſſione futuri matrimonij rem habet, non poteſt ingredi Religionem, nec ob votum caſtitatis à promiſſione futuri matrimonij recedere, ſed tenetur eam ducere, ſi aliàs vidua illa honeſta, nec infimæ ſortis, notabilem famæ iacturam faceret. quia votum non obligat rebus notabiliter mutatis, vt tradunt DD. *tract. de voto*; ſed in iſto caſu notabiliſſima eſt mutatio cùm vinculum iuſtitiæ fortiſſimum ſuperuenerit, & grauiſſimum proximi damnum, nempe notabilis famæ iactura perſonæ honeſtæ, & bonæ famæ, ſi votum impleatur. ergo, &c. Ita bene Sanchez *lib. 1. de matrim. diſput. 45. num. 4.*

DVBITATIO V.

V. *An qui vouit caſtitatem, vel Religionem, & poſtea deſponſauit ſibi puellam de futuro, & inter illos non interceſſit copula, ſed magna familiaritas, obligetur ad votum?*

Dico quintò, qui priùs votum Religionis, aut caſtitatis emiſit, ſi poſtea deſponſauit ſibi puellam de futuro, quamuis non interceſſerit inter eos copula, ſed magna familiaritas, quæ mouet inter vicinos magnam ſuſpicionem copulæ, itaut abſque notabili infamia puellæ non poſſit recedere à contractu ſponſalium, non poteſt ingredi Religionem, nec arcere ſe ob votum caſtitatis priùs emiſſum à matrimonio ineundo, ſed tenetur talem puellam ducere. quia iuſtitiæ vinculum

fortius eſt, quàm charitatis, ſed ob charitatis vinculũ ſuperueniens tenetur quiſpiam Religionis votum præcedens ſuſpendere, vt ratione parentum indigentiæ; ergo à fortiori propter vinculum iuſtitię, quale eſt hoc, ne puella maximam infamiæ notam incurrat, tenetur, &c. Videatur Lopez noſter *p. 1. inſtr. cap. 77. §. Sed grauius hic*, quem adducit & ſequitur Leſſius *lib. 3. de Iuſtitia, cap. 10. dub. 4. num. 35.*

DVBITATIO VI.

VI. *An habens votum caſtitatis, vel Religionis, ſi cum puella, vel vidua, rem habuerit ſub ſpe futuri matrimonij (ſcientibus tamen illum habere votum caſtitatis, vel Religionis) teneatur votum ſeruare?*

Dico ſextò, ſi puella, vel vidua illa ſciuit votũ promittentis, ſi iſte illam deflorauit, vel viduam dehoneſtauit, ſub promiſſione futuri matrimonij, promittens non tenetur eam ducere, ſed potiùs tenetur votũ Religionis priùs emiſſum implere. quia tunc puella, vel vidua illa bona fide non contraxit, cùm ſcirent ipſum promittentem non poſſe ob votum futurum matrimonium promittere: nec in hoc caſu promittens tenetur aliter compenſare damnum; quia non fuit ab ipſo fœmina decepta, ſciuit enim ipſa promiſſum non poſſe licitè ab illo impleri: ergo tenebitur ſuum votum implere, & fœminam derelinquere, cùm hæc ſciuerit virum voto Religionis obſtrictum, non poſſe nuptias promittere, vel debuit ſcire virum voto caſtitatis, vel Religionis ligatum, illicitè ſibi polliceri matrimonium: videantur Sanchez, & Leſſius *locis* nouiſſimè *adductis*, & D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 5. de Religioſo ſtatu, quæſt. 128.*

DVBITATIO VII.

VII. *An habens votum Religionis, ſi vi, aut dolo puellam defloret, ſub ſpe futuri matrimonij, teneatur ingredi Religionem?*

Dico ſeptimò, ſi puella vi, vel dolo fuit deflorata, vel precibus importunis violentiæ æquipollentibus, & corruptor vt huic iniuriæ ſatisfaciat, ſponte promittat ei matrimonium, tunc tenetur ſtare promiſſis, nec poteſt illa inuita Religionem intrare, etiam ſi voto ad illam capeſſendam, ſe priùs obſtrinxiſſet. quia in hoc caſu magis iniurioſa eſt violatio, vtpote violenta, quàm dum ſua ſponte fœmina conſenſit promiſſo ſibi matrimonio, ſed non poteſt corruptor à promiſſis reſilire, quando puella ſponte conſenſit præcedente ea promiſſione, tranſeundo ad Religionem, etiamſi priùs vouerit illam intrare, propter notabilem iniuriam puellæ illatam. ergo ratione maioris iniuriæ ex violatione coacta illatæ id non poterit, quando promiſſio matrimonij in illius ſatisfactionem ſubſequuta eſt. Ita benè docet Sanchez *lib. 8. de matrim. diſput. 36. num. 11.*

DVBITATIO VIII.

VIII. *An habens votum Religionis, ſi promittat matrimonium puellæ ſe virginem dicenti, quam tamen virginem non inuenit, teneatur ad votum?*

Dico octauò, ſi puellæ dicenti ſe virginem obſtrictus voto Religionis promiſit nuptias, vt ea poteretur, & poſtea deprehendit non eſſe virginem, non tenebitur ſtare promiſſis, & licitè intrare poterit

Religionem. quia illa deceptio eſt ſufficiens cauſa ſponſalia diſſoluendi. Ita Lopez *p.1.Inſtruct. c.77.col.1.*

DVBITATIO IX.

IX. *An obſtrictus voto caſtitatis, qui puellam deflorauit, ſub ſpe futuri matrimonij, teneatur illam ducere, ſi cum alio fornicetur?*

Dico nonò, ſi puallam ſub promiſſione futuri mattimonij quis voto obſtrictus caſtitatis, vel Religionis, deflorauit, ſi illam poſtea contingat cum alio fornicari, non tenetur eam ducere, ſed tenetur ingredi Religionem, vel ſuum votum caſtitatis ſeruare. quia iu promiſſione ſponſalium hæc condirio tacitè ſubintelligitur, dummodo fœmina poſt contracta ſponſalia cum alio non foroicetur, nec renetur illi alitet ſatisfacete: nam ex vi promiſſionis ſolùm tenetor eam ducete, ſed hæc obligatio extinguitur pet ſuperuenientem fornicationem; ergo niſi antea hæc obligatio fuerit mutata in obligatiooem pecuniariam, oihil ei ex iuſtitia debebitur. Sanchez *lib. 1. de matrimonio, diſp. 10. num. 13.*

DVBITATIO X.

X. *An ille, de quo in aſſerto præcedenti, teneatur propter copulam aliquid tribuere?*

Dico decimò, ſi promittens futurum matrimonium exiſtimabat puellam eſſe virginem, & poſtea comperiat non eſſe, non tenetur eam ducete. quia hæc viri deceptio eſt etiam ſufficiens cauſa diſſoluendi ſponſalia: tenebitur ramen vir in hoc caſu reſtituere aliqoid ratione copulæ, quia fœmina non fuit cauſa deceptionis, oec aliquam iniuriam intulit viro, qua compenſetur iuiuria ipſi illata. Ita Rodriquez *part. 1. ſummæ, cap. 107. num. 8.*

DVBITATIO XI.

XI. *An validum ſit matrimonium illius, qui contraxit de præſenti, licèt erret circa qualitatem perſonæ?*

Dico vndecimò, conttahens ramen mattimonium de præſenti, licèt erret circa qualitatem perſonæ, puta ſi quis contrahat cum Berta ſimulante ſe ſanam, cùm leproſa ſit, aut ſimulante ſe virginem, cùm corrupta ſit: aut potaos illam eſſe ſanam, cùm ſit leproſa, aut putans illam virginem, cùm corrupta ſit, validum eſt matrimonium. quia matrimoniom cum huiuſmodi errore, & dolo celebratum eſt ſimpliciter voluntarium quoad natoram & ſubſtantiam rei, quamuis quoad accidentia non ſit voluntarium; ſed matrimonium voluntarium ſimpliciter quoad ſubſtantiam eſt validum, quamuis deſit conſenſus ſecuodùm quid, ideſt, quoad accidentia. ergo mattimooium celebratum cum errore, vel cum dolo qualitatis perſonæ eſt validum: videatur Syl. *verb. matrimonium 8. q. 1.*

Dico duodecimò, ſi verò contrahens de præſenti cum Berta actualem habeat intentionem non accipiendi illam in vxorem, niſi ſana ſit, aut niſi ſit virgo, & illa aliàs non eſt ſana, ſed leproſa, non eſt virgo, ſed cortupta, tunc irritom eſt matrimonium ſiue verbis exprimitur hæc condisio, ſiue mente contrahentis tenta ſit. quia tunc qualitas in qua erratur, ſiue decipitur contrahens, apponitur per modom conditionis iu ipſo matrimonij contractu: vt ſi dicat verbis, vel mente, Duco Bertam, ſi diues, aut nobilis, ſi ſana, aut virgo ſit. ergo deficiente ea qualitate deficit condirio, & iubiode cooſeoſus ſub illa præſtitus, atque ita matrimonium erit nullum, non tamen irritum redderet matrimonium error in qualitate, ſi per modum coooditionis illa qualitas in ipſo matrimonij contractu non apponeretur, vt diximus *aſſertione* immediatè *præcedenti*: & ita hanc aſſerrionem docet Sotus *in 4. diſt. 30. q. 1. art. 1. verſic. Error fortunæ.* Layman *tract. 10. cap. 2. de impedimentis matrimonij, num. 2. verſic. limitari autem,* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 18. num. 21.*

DVBITATIO XII.

XII. *An voto Religionis obſtrictus, ſi vxorem duxerit, & matrimonium conſummauerit, poſſit adhuc ingredi Religionem?*

Dico decimotertiò, voto Religionis adſtrictus, ſi vxorem duxit, & intra bimeſtre oon conſummauit, poteſt adhuc ingredi Religionem. quia licèt peccauerit negando debitum petenti alteri coniugi poſt elapſum primum bimeſtre, minimè tamen amiſit ios ingrediendi Religionem; quia abſolutè conceditur hoc priuilegium profeſſioni Religionis, vt ſcilicet ſemper dirimat matrimonium ratum, uou dum tamen conſummatum.

ARTICVLVS XIX.

De vouentibus aliquid indeterminatè, vel aliquid, quod poteſt habere aliquam æquiuocationem, aut dubium?

SVMMARIVM.

1. *An votum de materia indeterminata, ſit validum.*
2. *An vouens dare pauperibus, vel Eccleſiæ, menſuram frumenti indeterminatè, ſatisfaciat voto, dando minimam menſuram.*
3. *An vouens dare calicem Eccleſiæ, ſatisfaciat voto, dando ex minima materia.*
4. *An qaando ignoratur id de quo votum emiſſum ſit, & ex verbis vouentis colligi non poteſt, liberum ſit illi eligere ex his, quæ dubitat, quod maluerit.*
5. *An vouens caſtitatem, abſolutè ſatisfaciat voto, ſeruando coniugalem? & An hanc ſeruando, ſatisfaciat voto, niſi recordetur, an vouerit abſolutè caſtitatem, vel tantùm coniugalem.*
6. *An dare eleemoſynam pauperibus, vouens voto ſatisfaciat, dando minimam.*
7. *An vouens recitare aliquam orationem indeterminatè, ſatisfaciat voto, recitando Angelicam.*
8. *An vouens ieiunare indeterminatè, ſatisfaciat voto ieiunando vno die? vel vouens ieiunare plures dies indeterminatè, ſatisfaciat ieiunando duobus diebus.*
9. *An vouens ieiunare diebus Veneris, vel alio hebdomadæ die, in perpetuum ieiunare teneatur.*
10. *An qui dubitat, an votum emiſerit, nec ne, ſi poſt adhibitam ſufficientem diligentiam remaneat dubius, teneatur illud obſeruare.*
11. *Explicatur illud axima: In dubijs tutior pars eſt eligenda.*
12. *An qui vouit peregrinationem, non determinando, pedeſter, vel equeſter, teneatur ire pedeſter.*
13. *An pueri, vel puellæ votum ſit validum, ſi dubitetur vtrùm in emiſſione habuerint vſum rationis.*
14. *Explicatur quòd communiter ſeptennio incipit vſus rationis.*

DVBI

Dvbitatio I.

I. *An votum de materia indeterminata, ſit validum?*

Dico primò, cùm aliquid omnino indeterminatum quis Deo vouet, itaut ex circumſtantiis colligi non poſſit quid, aut quantum promiſſum ſit, ſi de obligationis ſubſtantia, ac animo ſe obligandi conſter, id votum eſt validum, quantitatémque, & qualitatem huius voti determinandá eſſe arbitrio prudentis viri, conſideratis perſonarum, & cauſæ promittendi circumſtantiis. quia etſi iure ciuili ea incertitudo vitiet promiſſionem: at in ſpiritualibus in fauorem cauſæ piæ nunquam vitiat. ergo reductio talis voti cùm ſit validum, ad prudentis arbitrium modo explicato pertinebit: tum, quia ſicut ob dotis fauorem obligatio inducitur, etiamſi dos generaliter promittatur, & quantitas definiri debet arbitrio boni viri facultatibus, & dignitate perſonarum inſpectis. *l. cùm poſt, §. gener, ff. de iure dotium.* ergo ſimiliter in votis in fauorem piæ cauſæ, &c. Videatur Azor *part. 1. inſtit. mor. lib. 11. cap. 20. quæſ. 1.*

Dvbitatio II.

II. *An vouens dare pauperibus, vel Eccleſiæ, menſuram frumenti indeterminatè, ſatisfaciat voto, dando minimam menſuram?*

Dico ſecundò, qui vouit dare alicui Eccleſiæ, vel pauperibus annuatim menſuram frumenti, non explicando quam, vel cuius quantitatis, nec conſtare poteſt, quam determinauerit vouendo, ſatisfacit voto data minima méſura, minimæque quantitatis. quia in iſto caſu eam, quam vult eligere, poteſt, vt expreſsè diffinitur *in cap. ex parte, de cenſibus.* Tum, quia in dubiis vnuſquiſque præſumitur minus ſe ipſum voluiſſe grauare, quàm potuerit. ergo niſi aliunde magna ſit præſumptio, interpretatio facienda eſt in fauorem vouentis, itaut minus grauetur. Et ita hanc aſſertionem tanquam probabilem docet Syl. *verb. votum 2. q. 15.* Satisfaceret etiam dando eam menſuram, de qua cogitabat, aut determinaſſet ſi cogitaſſet: videatur Tabiena *verb. votum 3. quæſt. 5. num. 6.*

Dvbitatio III.

III. *An vouens dare calicem Eccleſiæ, ſatisfaciat voto, dando ex minima materia?*

Dico tertiò, promittens dare calicem Eccleſiæ, non ſatisfacit dando ex minima materia, nempe ærea, vel lignea, ſed tenetur dare argenteum, vel aureum. quia intelligitur promiſſus calix cultui diuino aptus, qualis eſt ſolus argenteus, vel aureus. *c. calix, de conſecratione, diſt. 1.* quamuis dare non teneatur aureum, ſed ſatisfaciet dando argenteum: ſicut menſuram tritici promittens dare in eleemoſynam pauperibus, ſatisfacit ſoluendo minimam ex vſitatis. quia ſub iſto voto ſolæ menſuræ vſitatæ comprehenduntur; ergo ſimiliter ſatisfaciet promittens calicem Eccleſiæ, dando argenteum, qui inter vſitatos calices dandos Eccleſiæ comprehenditur, videatur gloſſ. *cap. ex parte, de cenſibus, verbo paruiſſimam.*

Dvbitatio IV.

IV. *An quando ignoratur id, de quo votum emiſſum ſit, & ex verbis vouentis colligi non poteſt, liberum ſit illi, eligere ex his, qua dubitat, quod maluerit?*

Dico quartò, quando ex intentione vouentis, vel ex verbis, quibus emiſſum eſt votum, comprehendi non poteſt, quidnam ſit, de quo votum emiſerit, liberum eſt illi ex his, de quibus dubitat, eligere quod maluerit, non enim tunc tenetur amplecti id, quod eſt rigoroſius, quod ooo magis ad illud, quàm ad hoc, de quo dubitat, obligatur. Suarez *tract. 6. de Religione, lib. 4. cap. 8. num. 5.*

Dvbitatio V.

V. *An vouens caſtitatem abſolutè ſatisfaciat voto, ſeruando coniugalem? & An hanc ſeruando ſatisfaciat voto, niſi recordetur, an vouerit abſolutè caſtitatem, vel tantùm coniugalem?*

Dico quintò, vouens abſolutè caſtitatem, non ſatisfacit ſola caſtitate coniugali, quæ caſtitas etiam dicitur, & eſt minima, ſed tenetur ad omnimodam caſtitatem. quia nomine caſtitatis communiter omnimoda caſtitas intelligitur: ſi verò is immemor eſt verborum, quibus ſuum votum expreſſit, & ſimiliter non recordatur intentionis, vouerit ne omnimodam caſtitatem, an coniugalem, hanc ſolam ſeruare tenetur, quia in hoc dubio reputatur votum quaſi rei indeterminatæ, in quo euentu ſolam minorem partem obligare diximus *aſſertione 2.*

Dvbitatio VI.

VI. *An dare eleemoſynam pauperibus vouens, voto ſatisfaciat, dando minimam?*

Dico ſextò, vouens dare pauperibus eleemoſynam, nulla ſignata quantitate, ſatisfacit erogata quacunque minima eleemoſyna. quia in illa veræ eleemoſynæ ratio ſaluatur. Ita Valentia *2. 2. diſp. 6 quæſt. 6. puncto 4. verſ. Tertiò quæritur.*

Dico ſeptimò, præcedens immediatum aſſertum intelligitur quando prudentis arbitrio, ad quem in ſimilibus caſibus confugiendum eſt, conſideratis circumſtantiis perſonæ vouentis, & cauſæ, & operis ad quod promiſit, explicari non poſſit quæ quantitas præſumpta voueatur: nam tunc cùm res ſit omnino dubia, ſatisfacit vouens dare eleemoſynam, nulla ſignata quantitate erogata, quacunque minima eleemoſyna. quia in dubio quod minus eſt cenſetur promitti, iuxta regulam deſumptam ex *cap. ex parte, de cenſibus.*

Dvbitatio VII.

VII. *An vouens recitare aliquam orationem indeterminatè, ſatisfaciat voto, recitando Angelicam?*

Dico octauò, vouens recitare aliquam orationem indeterminatè, ſatisfacit ſuo voto, ſemel aliqua quauis oratione recitata, vt Angelica, quando prudentis arbitrio attentis circumſtantiis perſonæ, cauſæ, & operis, ad quod promiſit, non cenſetur maior quantitas promiſſa. Et ſimiliter vouens recitare Roſarium, ſatisfacit recitata tertia illius parte, quæ verè Roſarium eſt, & eſt minima pars ſub voto incluſa. quia in obſcuris & dubiis eſt ſemper minimum ſequendum, iuxta regulam *in obſcuris, de regulis iuris in 6.* Idque intelligitur, niſi aliter prudentis arbitrium explicet, vt diximus *præcedenti aſſertione.*

Dvbitatio VIII.

VIII. *An vouens ieiunare indeterminatè, ſatisfaciat voto, ieiunando vno die? vel vouens ieiunare plures dies indeterminatè, ſatiſfaciat ieiunando duobus diebus?*

Dico nonò, ſimiliter vouens ieiunate, non determinans dierum numerum, ſatisfacit vnico ieiunio, quod eſt minimum ſub eo voto comprehenſum. quia voti interpretatio ſtriĉtè ſacienda eſt, vt in quantum fieri poteſt, minus obliget. Similiter vouens plura ieiunia, aut aliquot ieiunia, ſeu aliquot, ſen plutibus diebus ſe ieiunaturum, aut recitatutum, & ſic de ſimilibus, oec certum numerum determinauir, ſatisſaciet duabus diebus ieiunando, aut recitando. quia plutalis loquutio duorum numero eſt contenta. Ita in regula *pluralis, de reg. iuris in 6.* niſi aliter vir prudens determinauerit, quia in obſcuris vir prudens inſpicere debet, quod veriſimilius eſt, vt in regula *inſpicimus, de reg. iuris in 6.* habetur.

Dvbitatio IX.

IX. *An vouens ieiunare diebus Veneris, vel alio hebdomadæ die, in perpetuum ieiunare teneatur?*

Dico decimò. Vouens ſe ieiunatutum diebus Veneris, aut alia die hebdomadæ, aut diebus Veneris, vel Sabbati Anni, ſi oeſcit diſcernete, an in tempus determinatum, an potiùs in perpetuum vouerit: tunc profeſſio eſt pro communi verbotum intellectu, perpetuitatem quandam denotantium, dum de contraria vouentis intentione non conſtat: votum igitur ſic vouentis cenſetur perpetuum; quia in communi concipiendi modo ea oratio indefinita æquipollet vniuerſali: videatur pro hac aſſertione D. Caietan. 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 2. *dubio* 4. § *ſed quid dicendum eſt.* Sanchez *lib.* 4. *in Decalogum, cap.* 13. *num.* 16.

Dvbitatio X.

X. *An qui dubitat an votum emiſerit, nec ne, ſi poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, remaneat dubius, teneatur illud obſeruare?*

Dico vndecimò, qui dubitat an votum vouerit, an non, ad illud obſeruandum non tenetur, ſi poſt ſufficientem adhibitam diligentiam ſciendi veritatem adhuc remanet anceps, & dubius vtrùm emiſerit votum, nec poteſt iudicium ferre, quòd emiſerit illud. quia ex *reg. 65. iuris in 6.* in dubio melior eſt poſſidentis conditio; ſed in hoc dubio voluntas poſſidet ſuam libertatem cùm de vinculo contracto dubitatur. ergo in hoc dubio pro libertate iudicandum eſt, ac proinde ſi hæſitet, an quippiam vouerit, iurauerit, promiſeritve, tutò iudicare poteſt ſe non vouiſſe, neque iuraſſe, aut promiſiſſe. Ita docet Sotus *lib. 7. de Iuſtitia, quæſt. 2. art. 2. §. ſed eſt hic,* Lopez *p. 1. Inſtruct. cap.* 45. Medina *lib. 1. ſumma, cap.* 14. §. 7. Suarez *tom. 5. de cenſuris, diſp.* 40. *num.* 15. Sanchez *lib. 1. in Decalogum, c.* 10. *num.* 36. contra Azor. *part. 1. inſtit. moral. cap.* 15. *quæſ.* 2. Sayr. *lib. 1. Clauis, cap.* 13. *num.* 36.

XI. *Eplicatur illud axioma*, In dubiis tutior pars eſt eligenda.

Dico duodecimò, non obſtare contra præcedens immediatum aſſertum illud axioma, *c. iuuenis, de ſponſal.* In dubio facti tutior pars eſt eligenda; ſed dubium voti eſt dubium facti. ergo, &c. Non, inquam, officit hoc axioma: quia intelligendum eſt non de præcepto, ſed de conſilio. Reſpondetur ſecundò illud axioma intelligendum eſſe de dubio practico, & tunc non eſt conſilium, ſed verè præceptum. Exemplum ſit, dubitans practicè hic, & nunc an teneatur ieiunare, tenetur dum id dubium non deponitur, ieiunate; quia aliàs actus fieret cum conſcientia practicè dubia: at ſi deponitur dubium titulo poſſeſſionis libertatis, voluntatis, vel titulo poſſeſſionis in materia ad iuſtitiam pertinente, tunc non eſt præceptum, ſed conſilium, ſequi in dubiis tutiorem partem: ſic in caſu noſtro dubitãs ſpeculatiuè an vouerit deponendo practicè dubium ob titulum poſſeſſionis libertatis, non tenetur, &c. Reſpondetur tertiò quòd in dubio eligendum eſt tutius, quando cætera ſunt paria, ideſt, quando ex neutra parte intercedit ius poſſeſſionis: videatur Syl. *verb. dubium, q.* 1. Sanchez *lib. 2. de matrim. diſp.* 41. *num.* 9.

Dvbitatio XI.

XII. *An qui vouit peregrinationem, non determinando, pedeſter, vel equeſter, teneatur ire pedeſter?*

Dico decimotertiò, qui vouit peregrinari, nec determinauit in voto an pedeſter, vel equeſter peregrinaturus ſit, poteſt equeſter peregrinari. quia votum eſt ſtrictè interpretandum, ita ut inquantum fieri poſſit, minus obliget. ergo id votum non eſt de difficiliori peregrinatione intelligendum: imò ſi dum vouit, habuerit animum eundi pedeſter, non tamen vouit pedeſtrem peregrinationem, non tenetur ratione voti ire pedeſter. quia non omnis intentio ratione concepta obligat ſub voto, ſed quæ ſub illo comprehenſa eſt.

Dvbitatio XII.

XIII. *An pueri, vel puellæ votum, ſit validum, ſi dubitatur vtrùm in emiſſione habuerint vſum rationis?*

Dico decimoquartò, puer, vel puella anceps an dum votum conſit vſum rationis habuerit, ſi dum vouit ſeptennium compleuerat, votum valebit. quia præſumitur in ea ætate vſus rationis: tum, quia ius cenſet ſponſalia poſt ſeptennium completum valida, vt conſtat ex *cap. litteras, & cap. acceſſit, de ſponſal. impuber. & cap. ad diſſoluendum, eodem titulo.* ergo poſt ſeptennium completum præſumitur vſus rationis. ergo ſi puer, vel puella votum emiſit poſt ſeptennium completum, votum valebit; quia præſumitur in ea ætate vſus rationis.

Dico decimoquintò, puer certus de voto, dubius autem an ſeptennium compleuerat, tunc votum valere mihi videtur. quia ante ſeptennium completum ferè nunquam, aut raò emittuntur vota. ergo ex his, quæ vt pluſimum contingunt, in dubio præſumitur id votum poſt ſeptennium completum emiſſum, ac proinde obligabit. Ad maiorem harum aſſertionum intelligentiam,

XIV. *Quòd communiter ſeptennio incipit vſus rationis.*

Dico decimoſextò, ſeptennio completo incipit communiter vſus rationis, & libertas. Ita D. Th. *in 4. diſt.* 27. *q. 2. art.* 2. quem omnes ſequuntur: ſufficit tamen ſi vltima ſeptennij dies non ſit completa, ſed incepta, vt ſponſalia ſint valida: vna tamen die deficiente verè non diceretur ſeptennium completum, ſed inceptum, Metaphyſicè loquendo; moraliter tamen dicitur ſeptennium completum, etiam ſi duo, vel

tres

rres dies deficiant. quia quod parum diſtat à re, parum, aut nihil diſtare videtut, teſte Ariſt. 2. *Phyſ.* ad contraheudum ſponſalia ſufficit ſeptennium moraliter completum. Ita Syl. *verb. ſponſalia, num.* 2. Alij verò requirunt ſeptennium Methaphyſicè completum: quia ad teſtamentum vt ſit validum, in quo requiruntur 14. anni completi, ſi vna dies deeſſet, ooo valeret, & *l. qua ætate ff. de teſtam.* tanquam quid ſpecialiter notandum, definitut ſat eſſe vltimam diem anni 15. cœptam eſſe. ergo ſimiliter DD. aſſerunt modò eitandi ad validitatem ſponſalium requiri ſeptennium completum Metaphyſicè, & fauore matrimonij ſatis eſſe, vltimam diem ſepteunij iochoatam eſſe, ſic Ludouicus Lopez 2. *part. inſtruct. de matrim. c.* 37. Henriquez *lib.* 11. *de matrimonio, cap.* 13. *num.* 9. Sanchez *lib.* 1. *de matrimonio, diſput.* 16. *num.* 4.

Articvlvs XX.

De intentione requiſita ad adimplendum votum, vel aliquam obligationem ex voto, aut ex præcepto.

Svmmarivm.

1. *An obſtrictus aliquo voto, ſatisfaciat voto, dum illud adimplet, non attendent talem obligationem voti.*
2. *An ad implendum præceptum, requiratur intentio actualis illud adimplendi.*
3. *An ſatisfaciat præcepto Miſſæ in die feſto, qui illam audit ignorans eſſe diem feſtum.*
4. *An in ſatisfactione voti iuramenti, vel pœnitentiæ ſacramentalis, requiratur intentio actualis.*
5. *An ſatisfaciat voto, iuramento, vel pœnitentiæ ſacramentali, qui hæc exequitur ebrius, aut dormiens.*
6. *An qui omnino inuitus votum, vel præceptum adimplet, ſatisfaciat voto, vel præcepto.*
7. *An debitor ſatisfaciat creditori, ſi coactus ſoluat.*
8. *An qui ex metu graui adimpleat iuramentum, vel votum, ſatisfaciat.*
9. *An famuli, vel filijfamilias, audientes Miſſam, auctoritate dominorum, vel parentum coacti, ſatisfaciant præcepto.*
10. *An obſtrictus ad audiendam quotidie Miſſam ex voto, vel ex pœnitentia ſacramentali, ſatisfaciat ſi præſens in Eccleſia diuina contemplando adſit Sacro abſque animo illud audiendi.*
11. *An recitans Officium, animo legendi, vel addiſcendi Pſalmos, & non animo orandi, aut recitandi Officium, ſatisfaciat.*
12. *An qui omnino inuitus implet præceptum Superioris latum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, maneat excommunicatus.*
13. *An incurrant excommunicationem illi, quibus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, per Eccleſiaſticum præceptum mandatur, vt ſoluant decimas, vel aliud debitum, ſi inuiti ſoluant.*
14. *An debens creditori centum, immemor debiti, ſatisfaciat ſi illi centum donet? &, An obſtrictus reſtitutione incertorum ſatisfaciat, applicando eleemoſynas, quas poſt illam obligationem ex ſua deuotione fecerat.*
15. *An faciens opus, ad quod ex voto, vel pœnitentia ſacramentali tenetur, ſi nolit per illud opus ſatisfacere voto, vel pœnitentiæ, ſatisfaciat, ſi poſtea illud opus applicet, pro tali voto, vel pœnitentia.*
16. *An ſatisfaciat præcepto, qui opus præceptum exequitur, cum intentione non ſatisfaciendi præcepto.*
17. *An peccet mortaliter, adimplens votum, vel præceptum, cum intentione non ſatisfaciendi.*
18. *An ſaltim probabile ſit, ſatisfacere præcepto, qui opus præceptum exequitur, cum intentione non ſatisfaciendi.*
19. *An recitans ex deuotione Officium, ad quod tenetur ex Ordine ſacro, vel beneficio, vel ex iuramento, abſque intentione ſatisfaciendi, ſatisfaciat.*
20. *An ad hoc quòd opus (ad quod quis ex præcepto, vel voto tenetur) ſit ſatisfactorium, dum fuit factum abſque intentione ſatisfaciendi, requiratur reuocatio actualis huius intentionis, intra tempus obligationis.*
21. *An exequens votum, vel præceptum, abſque animo tunc ſatisfaciendi, cum intentione ſatisfaciendi alia vice, teneatur poſtea mutare intentionem, & non mutans peccet contra præceptum naturale diuinum, quo quis tenetur ſubiectus eſſe legi, & legiſlatori.*
22. *An interrumpens Officium diuinum, animo repetendi iam lecta, ſi poſtea non repetat, ſed tantum ſequentia adiungat, ſatisfaciat penſo recitandi Officium.*
23. *An poſſit votum impleri per opus, quod ſit peccatum mortale.*
24. *An præceptum poſſit impleri per opus, quod ratione finis, vel alterius circumſtantia, eſt peccatum mortale.*
25. *An pœnitentia ſacramentalis, facta in peccato mortali, ſufficiat ad integritatem Sacramenti.*
26. *An ad adimplendum præceptum requiratur, nedum adimpletio operis præcepti, ſed etiam adimpletio modi.*

Dvbitatio I.

I. *An obſtrictus aliquo voto, ſatisfaciat voto, dum illud adimplet, non attendens talem obligationem voti?*

Dico primò, voto obſtrictus dicendi, e.g. ſingulis diebus Roſarium, ſatisfacit ſuæ obligationi exequendo ſibi per votum iniunctum Roſarium, etiamſi non habuerit intentionem & voluntatem ſatisfaciendi voto per id opus: quare qui voti immemor, aut ignorans voto teneri ad recitandos calculos virgineos perſolueret Roſarium, verè votum ſuum impleret, quia votum id ſolum iniungit, vt ſponte, & voluntariè actu humano opus per illud iniunctum exequamur: non autem vt peculiari alio voluntatis actu velimus etiam voto ſatisfacere, cùm nullibi hæc obligatio inueniatur: tum, quia obligatio voti intentionem non præcipit, ſed vt exequamur id, quod per votum nobis faciendum iniunximus. ergo, &c. hanc aſſertionem non obſcurè indicat S. Doctor 2. 2. q. 104. *art.* 3. *ad ſecundum*, dicens poſſe quempiam actum virtutis implere non attendendo ad rationem præcepti. ergo ſimiliter non attendendo ad rationem, & obligationem voti, poterit quis illius obligationi ſatisfacere, dummodo ſponte, & voluntariè illud ad quod voto tenetur, adimpleat.

Dvbitatio II.

II. *An ad adimplendum præceptum requiratur intentio actualis adimplendi illud?*

Dico ſecundò, fateri etiam debemus, quòd quam-

tis ad cuiuſcumque præcepti impletionem exigatur intentio, & voluntas exequendi operis iniuncti per præceptum, v.g. audiendi Sacrum, non tamen exigitur intentio & voluntas actualis ſatisfaciendi præcepto per id opus quod exequimur. quia ſimiliter præceptum ſolum iniungit opus actu humano ac libero implendum, & non vt ex illa formali intentione ſatisfaciendi præcepto, illud opus exequamur. Ita bene Sotus *lib. 10. de Iuſtitia, quaeſt. 5. art. 5. verſic. Quod ſi contra hoc poſtremum.* vbi ait, Præceptum audiendi Miſſam non obligat, niſi taliter audire, vt ſit actus humanus.

Dvbitatio III.

III. *An ſatisfaciat præcepto Miſſæ in die feſto, qui illam audit ignorans eſſe diem feſtum?*

Dico tertiò, qui præcepti immemor, aut ignorans eſſe diem feſtum, audit Sacrum, verè ſatisfacit præcepto, nec eſt neceſſarium, vt poſtea cùm illud præceptum nouit, ſatisfacere per illud opus velit. quia præceptum id ſolum exigit, vt liberè opus per illud iniunctum exequamur, non autem vt quis actuali, & formali intentione velit etiam præcepto ſatisfacere. Ita Suarez *tom. 3. in 3. part. diſput. 88 ſect. 3. §. Circa poſteriorem partem maior eſt, verſic. vnde infertur eum.*

Dvbitatio IV.

IV. *An in ſatisfactione voti, iuramenti, vel pœnitentiæ ſacramentalis, requiratur intentio actualis?*

Dico quartò, idem dicendum eſſe de voto, iuramento, & pœnitentia ſacramentali, illis enim ſatisfit exequendo opera promiſſa, vel in pœnitentiam iniuncta, dummodo pro alia re non applicentur, etiam ſi non adſit intentio implendi votum, vel iuramentum, vel pœnitentia, ſed penitus horum obligatio memoria exciderit, nec eſt neceſſarium, vt poſtea cùm recordamur voti, iuramenti, & pœnitentiæ ſacramentalis nobis iniunctæ, ſatisfacere velimus per illud opus iam effectum: ſed ſolùm ſi meminimus poſtea voti iuramenti & pœnitentiæ ſacramentalis iniunctæ, iudicemus nos ſatisfeciſſe per illud opus iam impletum. quia hæc vtpotè leges ſpeciales inſtar legis, & præcepti generalis obligant. ſed vt ſatisfaciamus legi, & præcepto generali ſolùm ſufficit exequutio humana, & libera operis præcepti, nec eſt neceſſaria actualis intentio, & volitio illi ſatisfaciendi, neque vt poſtea cùm præceptum nouimus, requiritur actualis intentio, vt ſatisfacere velimus per opus iam expletum. ergo, &c. Hæc aſſertio colligitur apertè ex doctrina S. Thom. 2. 2. *quaeſt. 104. art. 3. ad ſecundum.* Soto, Suarez *locis cit.* Sanchez *lib. 1. in Decalogum, cap. 13. num. 10.*

Dvbitatio V.

V. *An ſatisfaciat voto, iuramento, vel pœnitentia ſacramentali, qui hæc exequitur ebrius, aut dormiens?*

Dico quintò, non ſatisfacit voto, præcepto, vel pœnitentiæ ſacramentali ſibi iniunctæ, qui non ſui compos exiſtens, ſed ebrius, aut dormiens illa adimplet. quia illa tunc non adimpleret actu humano, & libero: tum, quia in vniuerſum nullum præceptum poteſt impleri niſi per actum humanum, & liber[um], quo quis velit efficere id quod præceptum iniungi[t], nempe velle audire Miſſam, ieiunare, &c. præcept[um] enim hominibus imponitur non brutorum more, [ſed] humano modo implendum; ſed votum, iuramentum etiam, & pœnitentia ſacramentalis inſtar præcepti obligaret. ergo, &c. Videatur Magiſter Sotus *lib. 2. de Iuſtitia, quaeſt. 3. art. 9. verſic. Reſpondetur nihilominus, nullum præceptum.*

Dvbitatio VI.

VI. *An qui omnino inuitus votum, vel præceptum adimplet, ſatisfaciat voto, vel præcepto?*

Dico ſextò, qui omnino inuitus votum adimplet ſuæ obligationi non ſatisfacit, ſed tenetur iterum illud adimplere. quia vbi eſt ea coactio, deficit mens adimplendi votum. Vnde non implet ieiunium voto, præcepto, vel pœnitentia iniunctum, qui omnino inuitus ablato ſibi cibo ieiunat. quia deeſt voluntas, & actio humana, ac proinde id non eſt ieiunare, ſed pati. Ita præclarè Sotus nouiſſimè relatus *verſ. forte ſunt, qui.* Medina 1. 2. *q. 100. art. 9. §. Sed contra hanc ſententiam.*

Dvbitatio VII.

VII. *An debitor ſatisfaciat creditori ſi coactus ſoluat?*

Dico ſeptimò, qui omnino inuitus debitum ſuo creditori, puta debitum centum aureorum, ſoluere cogeretur, quamuis non teneretur iterum ſoluere, exteriùs enim iuſtitiæ præceptum impleret. quia quomodocunque pecunia in manus creditoris deueniat, ſatisfit debito, itaut ſoluendi obligatio ceſſet: interiùs tamen peccat mortaliter coram Deo contra iuſtitiæ præceptum. quia deeſſet omnino voluntas ſoluendi, quæ ad impletionem præcepti coram Deo requiritur. Ita bene Sotus, & Medina nouiſſimè relati.

Dvbitatio VIII.

VIII. *An qui ex metu graui adimplet iuramentum, vel votum, ſatisfaciat?*

Dico octauò, metu, quantumuis graui, adimplens votum, iuramentum, ſacramentalem pœnitentiam, aut quoduis aliud præceptum, eis ſatisfacit, quamuis peccet voluntatem non implendi habens, ſi in ſua omnimoda libertate eſſet. quia cùm metus, quantumuis grauis, non tollat, ſed ſolùm minuat libertatem, illa impletio eſt actus humanus, & liber, ac proinde ille ſatisfit voto, iuramento, ſacramentali pœnitentiæ, & cuiuis alteri præcepto, itaut obligatio illa implendi ceſſet. Sotus *lib. 2 de Iuſtitia, q. 3. art. 9. verſic. Ille autem qui metu implet.*

Dvbitatio IX.

IX. *An famuli, vel filij familias audientes Miſſam auctoritate dominorum, vel parentum coacti, ſatisfaciant præcepto?*

Dico nonò, famuli qui quaſi coacti gratia comitandi herum interſunt Sacro, aliàs non audituri ſatisfaciunt præcepto audiendi Miſſam, itaut ampliùs audire non teneantur, ſi attentione requiſita audiant Sacrum, quamuis dum audiunt actualem non audiendi voluntatem habeant, niſi ratione heri. quia cum

ibi

ſibi vincti non detineantur, non eſt ea coactio præciſa, quæ ſola impletionem præcepti impedit. Similiter pueri ſatisfaciunt præcepto Miſſæ, ſi Miſſam debita cum attentione audiunt, quam non audiſſent, niſi pater, vel mater præcepiſſet illis adire Eccleſiam, vel niſi Pædagogus eos ad Eccleſiam traxiſſet: nam Miſſam audiunt humano modo, id eſt, debita attentione, & intentione audiendi Miſſam.

Dico decimò, peccarent tamen hi lethaliter ſi actualiter haberent conditionalem intentionem non audiendi Sacrum, niſi herum comitarentur, niſi pater, vel mater præcepiſſet, niſi præceptor dixiſſet. quia tenetur habere abſolutam voluntatem implendi præceptum audiendi Sacrum, vt ſine peccato illud adimpleant: re vera tamen illud adimplent. nam Miſſam audiunt humano modo: videatur Petrus de Ledeſma *in ſumma ſacram.* vbi *de Euchariſtia, cap. 27. poſt 10. concluſ.* Bonacina *tom. 2. tract. de legibus, diſput. 1. quæſt. 1. puncto 10. num. 5.*

DVBITATIO X.

X. *An obſtrictus ad audiendam quotidie Miſſam ex voto, vel ex pænitentia ſacramentali, ſatisfaciat, ſi præſens in Eccleſia, Diuina contemplando, adſit Sacro, abſque animo illud audiendi?*

Dico vndecimò, voto obſtrictus ſingulis diebus audiendi Sacrum, vel ſi ad id teneretur ex pœnitentia ſacramentali, ſibi à Confeſſario iniuncta, ſi in templo eſſet gratia contemplandi Diuina, & caſu tūc fieret Sacrum, cui in ea meditatione perſiſtens aſſiſteret non habens animum illius Sacri audiendi, tunc eo Sacro non ſatisfaceret voto, vel pœnitentiæ iniunctæ audiendi Sacrum, ſed iterum audire teneretur, ſi voto, vel pœniteotiæ iniunctæ ſatisfacere vellet. quia vt votum, præceptum, ſeu pœnitentia iniuncta adimpleatur, requiritur intentio faciendi opus ad quod tenemur ex voto, ex præcepto, ſeu ex pœnitentia iniuncta. ergo licèt attentio ad rei diuinæ contemplationem ſit ſufficiens, vt attentioni requiſitæ in audiendo Sacro ſatisfaciamus, ſi deſuit intentio illius audiendi, non ſatisfacit voto, præcepto, vel pœnitentiæ iniunctæ, cum ad talem ſatisfactionem intentio & voluntas Sacrum audiendi requiratur: videatur pro hac aſſertione Aragon. 2. 2. *quæſt. 83. art. 13. verſ. Sed dubitabit aliquis hoc loco, an ille, fine.*

DVBITATIO XI.

XI. *An recitans Officium animo legendi, vel addiſcendi Pſalmos, & non animo orandi, aut recitandi Officium, ſatiſfaciat?*

Dico duodecimò, conſequenter ad præcedens aſſertum recitans horas Canonicas non animo orandi, aut dicendi, & recitandi diuinum Officium, ſed intentione legendi, aut Pſalmos addiſcendi, etiam ſi attentiſſimè legat vt addiſcat, non ſatisfacit præcepto recitandi horas precatias, ſed tenetur vt ſatisfaciat hoc animo, recitandi ſcilicet, & dicēdi diuinum Officium, iterum eas recitare. quia obſtrictus ad penſum diuini Officij tenetur orare, non autem oramus quando deeſt orandi voluntas. ergo attentiſſimè legens horas Canonicas vt addiſcat Pſalmos, non ſatisfacit præcepto recitandi, id enim non eſt orare. Ita bene Arag. nuper relatus. Leſſ. *lib. 2. de Iuſt. c. 37. dub. 11. n. 67.* Sotus *lib. 10. de Iuſt. q. 5. art. 5. concl. 7.*

DVBITATIO XII.

XII. *An qui omnino inuitus implet præceptum Superioris, latum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, maneat excommunicatus?*

Dico decimotertiò, qui omnino inuitus impleret præceptum Superioris latum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, maneret ſine dubio excommunicatus. quia verè hic inuitus omnino non implet præceptum. ergo, &c. Tum, quia ſi in excommunicationis ſententia diceretur liberè non audientem Sacrum diebus feſtis ipſo facto incurſurum excommunicationem, incurreret non audiens liberè Miſſam diebus feſtiuis. At hæc conditio tanquam præcepto intrinſeca ſemper in eo intelligitur: quia vt præceptum adimpleatur, requiritur intentio faciendi opus, quod præcipitur; ergo. Ita bene Medina 1. 2. *q.* 100. *art. 9. §. Ad vltimum argumentum reſpondetur.*

DVBITATIO XIII.

XIII. *An incurrant excommunicationem illi, quibus ſub pœna excommunicationis lata ſententia, per Eccleſiaſticum præceptum mandatur, vt ſoluant decimas, vel aliud debitum, ſi inuiti ſoluant?*

Dico decimoquartò, quando præcepto Eccleſiaſtico ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Chriſti fidelibus præcipitur, vt ſoluant decimas, vel aliis ciuilibus debitis obſtricto mandatur ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, vt ſoluat debitum, hi etſi inuiti omnino ſoluerent, non incurrerent excommunicationem. quia in excōmunicatione ea ſola externa debiti ſolutio intenditur ne Eccleſia, aut creditores ſuo debito defraudentur: peccarent tamen hi lethaliter, quia coram Deo non implerent præceptum, quo tenentur alienum reſtituere: videatur pro hac aſſertione Medina 1. 2. *q.* 100. *art. 9. § Sed contra, verſic. Ad hoc dicendum eſt.* Sanchez *lib. 1. in Decalogum, cap. 13. num. 6. fine.*

DVBITATIO XIV.

XIV. *An debens creditor centum, immemor debiti, ſatiſfaciat, ſi illi centum donet? & An obſtrictus reſtitutione incertorum ſatiſfaciat, applicando eleemoſynas, quas poſt illam obligationem ex ſua deuotione fecerat?*

Dico decimoquintò, debens ſuo creditori centum, ſatisfacit huic debito ſi debiti prorſus immemor animo liberali tantumdem ei donet. Similiter obnoxius reſtitutioni incertorum pauperibus, poteſt omnes eleemoſynas, quas poſtea ignarus, aut illius obligationis immemor ex ſua deuotione largitus eſt, computare in eius reſtitutionis partem. quia ſi hi conſcij, aut prædictæ obligationis memores eſſent, non animo liberali, ſed ſatisfaciendi dediſſent. Ita tenet D. Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 6. de voto obedientia, quæſt. 47. num. 4.*

Dico decimoſextò, ſatis etiam probabile eſt per donationem acceptatam vt donationem, non ſatisfieri debito iuſtitiæ. quia in obligatione iuſtitiæ id peculiare eſt, vt illi minimè ſatisfiat, quando alio titulo, vt donationis, vel eleemoſynæ, quàm ſoluendi debitum

debitum redditur. Tum, quia iuſtitia obligat ad æqualitatem ſeruandam inter rem debitam, & ſolutam, quæ non ſeruatur, quando debitum non ſoluitur vt debitum, ſed liberali donandi animo: ſic Ludouicus Lopez *lib. 2. de contract. cap. vltimo, verſicul. ſupereſt nunc*, quem ſequitur Sanchez nuper relatus *num. 11.*

Dvbitatio XV.

XV. *An faciens opus, ad quod ex voto, vel pænitentia ſacramentali, tenetur, ſi nolit per illud opus ſatisfacere voto, vel pænitentiæ, ſatisfaciat, ſi poſtea illud opus applicet, pro tali voto, vel pænitentia?*

Dico decimoſeptimò, exequens opus, ad quod ex voto, vel ex pœnitentia ſacramentali ſibi iniuncta tenebatur, ſi expreſsè ſtatuit ſe nolle voto, aut pœnitentiæ ſacramentali per illud opus impletum ſatisfacere, verè voti obligationi, aut pœnitentiæ ſacramentali non ſatisfacit, ac proinde tenetur iterum opus ſibi impoſitum per votum, aut per pœnitentiam ſacramentalem iniunctum adimplere: quod adeò eſt verum, vt ſi intra tempus obligationis voti, vel pœnitentiæ ſacramentalis illum pœniteat, & dicat velle ſe per illud opus impletum ſatisfacere ſuo voto, vel pœnitentiæ ſacramentali, adhuc non ſatisfaceret, ſed neceſſe eſt, vt de nouo expleat opus illud. quia actus non operantur vltra agentium intentionem, *l. non omnis ff. ſi certum petatur*. Ita Petrus noſter de Ledeſma *ſumma ſacram.* vbi de Euchariſtia, *cap. 27. poſt 10. concluſionem.* Azor. *part. 1. inſtit. mor. lib. 7. c. 2. q. 6.*

Dvbitatio XVI.

XVI. *An ſatisfaciat præcepto, qui opus præceptum exequitur, cum intentione non ſatisfaciendi præcepto?*

Dico decimooctauò. Similiter quando expreſſim adeſt voluntas & intentio nõ ſatisfaciendi alicui præcepto per opus impletum ad quod ex præcepto tenemur, verè ei nõ ſatisfit: vt ſi quis ex deuotione in die Dominico Miſſam audiat, expreſſim intendens non ſatisfacere præcepto per id Sacrum, verè non adimpleret præceptum, ac proinde ad aliud Sacrum audiendum teneretur, quia ille actus audiendi Sacrum fuit ex deuotione, itaut ad libitum abſque culpa omitti poſſet. ergo cùm tam præceſſerit, nequit poſtea fieri neceſſariò, & ſub præcepto. Videantur Petrus de Ledeſma, & Azor *cit.* Rodriquez *part. 1. ſumm. cap. 144. concluſ. 2. num. 3.*

Dvbitatio XVII.

XVII. *An peccet mortaliter, adimplens votum, vel præceptum, cum intentione non ſatisfaciendi?*

Dico decimononò, implens votum, vel præceptum cum expreſſa intentione non ſatisfaciendi illi, ſi non habet voluntatem & intentionem iterum illud adimplendi. v. g. audiendo aliud Sacrum, vel recitando aliud Roſarium intra tempus obligationis voti, vel præcepti, peccat lethaliter. nam ſtatuens expreſsè ſe nolle præcepto per opus impletum ſatisfacere, verè ei non ſatisfacit. ergo ſi non habet intentionem intra tempus obligationis voti, vel præcepti, iterum opus illud implere, peccat lethaliter, cùm intra tempus obligationis voti, vel præcepti non ſatisfecerit, nec habeat, vt ſupponimus, intentionem intra id tempus iterum illud adimplere: videatur Petrus de Ledeſma *loco aſſertione 17. citato.* Suarez *tom. 3. in 3. part. diſput. 88. ſectione 3. §. Circa poſteriorem partem, verſic. Imò licet.*

Dvbitatio XVIII.

XVIII. *An ſaltim probabile ſit, ſatisfacere præcepto, qui opus præceptum exequitur, cum intentione non ſatisfaciendi?*

Dico vigeſimò, ſatis etiam eſt probabile, quòd qui habet expreſſam voluntatem, & intentionem non ſatisfaciendi voto, vel præcepto per opus impletum, ad quod tenetur ex voto, vel præcepto, adhuc eis ſatisfacit: vt ſi quis ex deuotione in die Veneris Sacrum audit, & expreſsè intendens non ſatisfacere obligationi per id Sacrum ad quod audiendum teneretur ex voto, verè impleret votum, vel ſi ex præcepto ad illud audiendum teneretur, verè impleret præceptum. quia vota emiſſa ſolùm obligant ad ſubſtantiam actus promiſſi exequendam actu quodam humano. ergo non eſt in vouentis poteſtate voto non ſatisfacere, poſito quòd id opus promiſſum exequi velit; ergo etiamſi habet expreſſe intentionem voto non ſatisfaciendi, votum adimplet, poſito, quòd id opus promiſſum exequi velit per votum. Idem dicendum de præcepto: nam nullus tranſgreditur præceptum eo quòd nolit id, ad quod præceptum non obligat; ſed præceptum non obligat ad habendam intentionem illi ſatisfaciendi. ergo non violatur habitu contraria intentione, ſcilicet non ſatisfaciendi, dummodo opus ad quod tenemur ex præcepto, exequi velimus, & ita hanc aſſertionem tenet tanquam veram & probabilem, Arag. 2. 2. *quæſt. 83. art. 13. §. Sed dubitabis aliquis hoc loco, verſic. Cæterum quamuis hac ſententia.* Sed vt clariùs hoc aſſertum alio exemplo explicetur, quæritur

Dvbitatio XIX.

XIX. *An recitans ex deuotione Officium, ad quod tenetur ex Ordine ſacro, vel beneficio, vel ex iuramento, abſque intentione ſatisfaciendi, ſatisfaciat?*

Dico vigeſimoprimò, qui manè Officium diuinum recitaret, nolens tunc præcepto ſatisfacere, ſed omnino poſtea iterum dicendi ad ſatisfaciendum, non tenetur iterum ſub obligatione præcepti recitare, ſi ſit in Sacris, vel beneficiarius, cùm ſatisfecerit penſo dicendi horas precarias: nam præceptum orandi, ſolùm obligat ad recitandum diuinum Officium, non autem ad hoc vt quis peculiari actu voluntatis velit, etiam ſatisfacere præcepto; ſed ſi quis recitet diuinum Officium quantumuis nolens tunc ſatisfacere, verè nihilominus illud recitat. ergo verè eo ipſo ſatisfacit præcepto. Similiter in materia voti, & iuramenti dicendum, ſi quis vouerit, vel iurauerit ſingulis diebus ſe precationem Dominicam recitaturum, verè votum perſoluit, & iuſiurandum ſeruat, ſi illam recitet, etiamſi habeat in animo iterum illam recitare, vt ſuo voto, vel iuramento ſatisfaciat. quia votum, vel iuramentum recitandi orationem Dominicam non eſt illam dicere cum animo implendi votum, vel iuramentum, ſed ſimpliciter illam recitare attentè, & deuotè: videatur Leſſius *lib. 2. de Iuſtitia, cap. 37. dub. 10. num. 59.*

Valentia

Valentia 2. 2. *diſput. 6. quæſt. 2. puncto vltimo, fine. §. Sed hoc videtur verum.*

DVBITATIO XX.

XX. *An ad hoc quòd opus (ad quod quis ex præcepto, vel voto, tenetur) ſit ſatisfactorium, dum fuit factum abſque intentione ſatisfaciendi, requiratur reuocatio actualis huius intentionis, intra tempus obligationis?*

Dico vigeſimoſecundò, exequens opus, ad quod tenebatur ex voto, vel ex præcepto, cum expreſſa intentione non ſatisfaciendi voto, vel præcepto, vt ſatisfaciat voto, vel præcepto, requiritur quòd tempore opportuno, id eſt, intra tempus obligationis voti, vel præcepti reuocet animum non implendi votum, vel præceptum, & ita cupiat opere illo præterito ſatisfeciſſe obligationi, quia illi operi ad quod tenebatur ex voto, vel præcepto, hæc ſola voluntas deerat, velle ſcilicet opere illo præterito ſatisfeciſſe obligationi. Ita Aragon 2. 2. *quæſt. 88. art.* 11. *§. Sed dubitabit aliquis hoc loco.*

Dico vigeſimotertiò. Probabiliter etiam aſſerimus hanc voluntatis mutationem non deſiderari, vt votum, vel præceptum per illud opus præteritum impleatur, ſed ſatis eſſe, vt ſatisfiat voto, vel præcepto, per opus præteritum, vt exequens illud opus ſi credat ſe voto, vel præcepto non ſatisfeciſſe, hanc conſcientiam erroneam deponat, ſciens ſe ſatisfeciſſe, etiam ſi nullam intentionem ſatisfaciendi habeat per opus præteritum. quia hic per illud opus præteritum ſatisfecit voto, ſeu præcepto, vt probabiliter diximus *aſſertione* 20. ergo non requiritur ea voluntatis mutatio, ſed ſatis eſt quòd norit ſe per illud opus iam impletum ſuo voto, vel præcepto ſatisfeciſſe. Ita tenet Bartholomæus à S. Fauſto *lib. 6. de voto obedientiæ, q.* 48. *n.* 3. Perſiſtendo in hac ſententia,

DVBITATIO XXI.

XXI. *An exequens votum, vel præceptum, abſque intentione tunc ſatisfaciendi, cum animo ſatisfaciendi alia vice, teneatur poſtea mutare intentionem, & non mutans, peccet contra præceptum naturale diuinum, quo quis tenetur ſubiectus eſſe legi, & legiſlatori?*

Dico vigeſimoquartò, exequens opus ad quod tenetur ex voto cum actuali intentione non ſatisfaciendi ſuo voto, puta ſi recitat Roſarium, ad quod recitandum obſtringitur ex voto, ſine intentione actuali ſatisfaciendi illi, ſi habuit intentionem recitandi aliud Roſarium, quo votum ſuum impleret intra tempus obligationis ſui voti, tunc nullatenus peccauit habendo intentionem priori recitato Roſario non ſatisfaciendi, dummodo aliud Roſarium intra tempus obligationis recitare poſſit, nec tenetur poſtea mutare intentionem intendendo ſuo voto ſatisfacere priore illo Roſario recitato, ſed ſatis eſt ſi ſe ſatisfeciſſe ſciat priore illo Roſario dicto, non obſtante contraria ſua voluntate. quia iam verè & plenè ſatisfecit voto illi, nec ius aliquod aliud eſt tranſgreſſus, vtpote, qui alio Roſario ſatisfaciendi voto ſuo voluntatem habuit. Sic bene Sanchez *lib.* 1. *in Decalogum, cap.* 13. *num.* 15.

Dico vigeſimoquintò, exequens opus ad quod tenetur ex voto, vel ex præcepto, cum intentione non ſatisfaciendi illis ſi habet voluntatem iterum illud opus non adimplendi intra tempus obligationis voti, vel præcepti, peccauit mortaliter non contra votum emiſſum, vel illud præceptum ſpeciale, ad quod tenebatur: nam & votum, & illud præceptum ſpeciale per opus exercitum impleuit, cùm & votum, & præceptum tantùm obligent ad exercendum actu humano opus iniunctum; ſed peccauit mortaliter contra præceptum naturale diuinum, quo vnuſquiſque tenetur ſubiectus eſſe legi, & legiſlatori. quia exequens opus ad quod tenetur ex voto, vel præcepto ſine intentione illis ſatisfaciendi intra tempus obligationis, non vult eſſe ſubiectus legi, neque legiſlatori, qui præcipit nos debere velle ſatisfacere obligationi nobis impoſitæ per votum, vel per aliud præceptum ſpeciale tempore opportuno, intra tempus ſcilicet obligationis: videatur pro hac aſſertione Leſſius *lib. 2. de Iuſtitia, cap. 37. dub. 10, num. 59.*

DVBITATIO XXII.

XXII. *An interrumpens Officium diuinum, animo repetendi iam lecta, ſi poſtea non repetat, ſed tantùm ſequentia adiungat, ſatisfaciat penſo recitandi Officium?*

Dico vigeſimoſextò, ex ſupradictis aſſertionibus deducitur, quòd ſi quis interrumpat Officium diuinum animo repetendi iam lecta, quia non ea deuotione, qua vellet recitauit, ſatisfacit penſo recitandi horas precarias, ſi poſtea non repetat iam recitata, ſed ſolùm ſequentia adiungat, ſufficit enim vt mutet propoſitum, & adiungat cætera. quia intentio illa ſuperueniens repetendi iam lecta, non obſtat quominus continuari poſſint iam recitata, & ita præcepto recitandi horas Canonicas ſatisfit: videatur Azor. *lib. 10. inſtit. mor. part. 1. cap.* 8. *quæſ.* 7. Oppoſitum tamen tenet Nauarr. *de orat. cap.* 16. *num.* 73. *&* 74. hunc ſcilicet, qui incepit horam Canonicam, & eam intermiſit animo iterum incipiendi, non ſatisfacere poſtea continuando; ſed quod diximus eſt probabilius.

Dico vigeſimoſeptimò, recitans precationem horariam, ſi ab initio non habuit animum ſatisfaciendi, ſi illam intermittit animo iterum repetendi, ſatis eſt probabile quòd ſatisfaciat præcepto dicendi diuinum Officium, continuando poſtea iam lectum, & quod intermiſſum eſt proſequendo. quia, vt ſuperiùs diximus, intentio non ſatisfaciendi minimè impedit, quin verè præceptum impleatur, ſi opus per illud iniunctum perficiatur. Ita probabiliter Sanchez *lib.* 1. *in Decalogum, c.* 13. *n.* 16. licèt Azor. oppoſitum teneat.

DVBITATIO XXIII.

XXIII. *An votum poſſit impleri per opus quod ſit peccatum mortale?*

Dico vigeſimooctauò, per opus quod eſt peccatum poteſt votum impleri: vt ſi quis ob inanem gloriam circulum Virginis recitaret, ad quem tenetur ex voti obligatione. quia cùm votum ſit lex quædam particularis, quam homo ſibi imponit, obligat inſtar aliorum præceptorum, ad ſolam ſcilicet actus promiſſi ſubſtantiam, etſi modus ſit inutilis. ergo impletur votum ſi opus exequutioni mandatum ſit bonum, & vtile quoad ſubſtantiam, licèt ratione finis, & modi ſit inutile, & malum: tum, quia leges præcipiunt ſubſtantiam

tiam actus, non modum, ſed votum, eſt quædam lex particularis, quam ſibi homo imponit. ergo, &c. Videatur pro hac aſſertione D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 9. *&* 10. & Caiet. *ibi.*

Dvbitatio XXIV.

XXIV. *An præceptum poſſit impleri per opus, quod ratione finis, vel alterius circumſtantiæ, eſt peccatum mortale?*

Dico vigeſimunonò, conſequenter ad dictum præcedens: Adimpleret præceptum ieiunij, qui formam ieiunij ſeruaret abſtinendo à carnibus ſemel in die & hora competenti comedendo, licèt lautè, & delitioſè comedat, & in ſtatu peccati mortalis ieiunet, itaut nec opus ſatisfactorium, nec meritorium ſit illud ieiunium, & tamen finem præcepti, qui eſt fame carnem affligere, non ſeruat. quia finis præcepti non cadit ſub præcepto; ergo præcepti ieiunij tranſgreſſor non eſt ſeruans formam, & ſubſtantiam præcepti ieiunij, non autem eius finem: videatur Sotus *lib.* 10. *de Iuſtitia, quæſt.* 5. *art.* 5. *verſic. Conuincit autem præfata.* Nauarr. *ſumma cap.* 21. *num.* 7.

Dvbitatio XXV.

XXV. *An pœnitentia ſacramentalis, facta in peccato mortali, ſufficiat ad integritatem ſacramenti?*

Dico trigeſimò, pœnitentia ſacramentalis exhibita in ſtatu peccati mortalis, & ob inanem gloriam, ſufficit ad integritatem ſacramenti, & ad implēdam obligationem à Confeſſore impoſitam. quia ſacramentalis pœnitentia iniuncta à Confeſſario obligat inſtar aliorum præceptorum, imponitur enim ex quodam Confeſſoris præcepto, ſed in aliis præceptis ſatis eſt ſubſtantia operis, etiamſi extra charitatem fiant, & ob aliquem malum finem. ergo, &c. Tum, quia Confeſſor tantùm præcipit opus, & non modum eius; ergo opus ſatisfactorium impoſitum à Sacerdote, ſi malè fiat, vel ex aliqua circumſtantia peccatum ſit, ſufficiet ad implendam obligationem à Confeſſore impoſitam. Videatur Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſput.* 38. *ſect.* 8. *num.* 1.

Dvbitatio XXVI.

XXVI. *An ad adimplendum præceptum, requiratur nedum adimpletio operis præcepti, ſed etiam adimpletio modi?*

Dico trigeſimoptimò, licèt quando modus non eſt de intrinſeca ratione præcepti, adimpleatur præceptum adimpleto opere quod præcipitur, non adimpleto modo: tamē quando modus eſt de intrinſeca ratione actus præcepti, non adimpletur præceptum adimpleto opere, quod præcipitur, niſi ſimul & mòdus intrinſecus adimpleatur; nam quia aſſiſtentia humana eſt modus intrinſecè pertinens ad ſubſtantiam præcepti audiendi Sacrum diebus feſtiuis, Caius, v.g. dormiens, ſiue ebrius, non dicitur ſatisfacere præcepto Miſſæ audiendæ. Similiter beneficiatius, ſiue in Sacris conſtitutus recitans diuinum Officium ſine deuotione, & attentione, non dicitur ſatisfacere præcepto diuini Officij. quia in recitatione diuini Officij Eccleſia præcipit orationem; ſed attentio, & deuotio eſt modus de intrinſeca ratione orationis, cùm oratio ſubſiſtere non valeat ſine deuotione, & attentione; ergo quando modus eſt de intrinſeca ratione actus præcepti, non adimpletur præceptum adimpleto opere, quod præcipitur, niſi modus etiam eius intrinſecus adimpleatur.

Articvlvs XXI.

De recitantibus diuinum Officium ex voto, vel ex præcepto.

Svmmarivm.

1. *An qui ex voto, vel iuramento tenetur recitare Roſarium, vel Officium diuinum, ſatisfaciat, ſi voluntariè diſtractus perſoluat.*
2. *An Eccleſia habeat poteſtatem ſupra actus externos occultiſſimos.*
3. *Quandònam Eccleſia habeat poteſtatem ſupra actus internos.*
4. *An quando Eccleſia præcipit actum externum, præcipiat etiam internum.*
5. *An Eccleſia poſſit prohibere, vel præcipere actum mentis, ſimpliciter internum.*
6. *An Religioſi teneantur obedire Prælato præcipienti actus internos.*
7. *An recitans Officium diuinum, vt ſatisfaciat, teneatur deuotè, & attentè illud recitare.*

Dvbitatio I.

I. *An qui ex voto, vel iuramento tenetur recitare Roſarium, vel Officium diuinum, ſatisfaciat, ſi voluntariè diſtractus perſoluat?*

Dico primò, qui ex voto, vel iuramento tenetur ad recitandum ſacratiſſimum Roſarium ſponte diſtractus, non ſatisfacit voto, vel iuramento, etiamſi animo orandi illud perſoluat. quia cùm recitatio ſacratiſſimi Roſarij ſit quædam oratio, & attentio, & deuotio ſit modus de intrinſeca ratione Orationis, ſpõte diſtractus neque attentè, neque deuotè illud recitat. ergo non ſatisfacit ſuo voto, vel iuramento. Idem dicendum eſt de perſolutore diuinum Officium voluntariè diſtracto, hunc ſcilicet non ſatisfacere præcepto Eccleſiæ; quia deuotè, & attentè non orat, ſicut eſt ei præceptum ab Eccleſia. Sed vt explicetur quomodo Eccleſia poſſit imperare attentionem & deuotionem, quæ ſunt actus interni in perſoluendo diuino Officio, quæritur

Dvbitatio II.

II. *An Eccleſia habeat poteſtatem ſupra actus externos occultiſſimos?*

Dico ſecundò, Eccleſia vim, & poteſtatem habet ſupra actus externos etiam occultiſſimos. quia quòd in foro iudiciali huiuſmodi actus probari non poſſint, id eſt, per accidens, eo quòd deſint legitimæ probationes: vnde hæreticus exterior quamuis ſit penitus occultus, eſt ipſo iure excommunicatus: vt bene docet Sotus *lib.* 1. *de Iuſtitia, quæſt.* 6. *art.* 6. *verſic. At quoniam de occulto hæretico.*

Dvbitatio III.

III. *Quandònam Eccleſia habeat poteſtatem ſupra actus internos?*

Dico tertiò, quando præceptum Eccleſiæ eſt conuentio quædam, vim, & poteſtatem habet in actus

internos,

by Google

internos, non quidem quatenus præceptum humanum,ſed quatenus habet conuectionis naturam:vnde Eccleſia potuit præcipere, vt is qui ad beneficium curatum aſſumitur,ad Sacerdotium intra annum promoueatur, quod ſi noluerit,eo ipſo collatio beneficij ſit irrita. quia Eccleſia & quiſque alius poteſt ſua bona in alterum transferre, ea conditione & pacto, vt hoc,vel illud præſtet: videatur *cap. commiſſa, §. cæterum, de electione in 6.*

Dvbitatio IV.

IV. *An quando Eccleſia præcipit actum externum,præcipiat etiam internum?*

Dico quartò,Eccleſia hoc ipſo quòd præcipit, aut vetat aliquid extrinſecum, ſimul etiam imperat, aut prohibet actum internum, qui requiritur,vt actus externus ſit humanus.v.g.præcipit Eccleſia ieiunia, vel ſacramentalem confeſſionem ſemel in anno,eo ipſo imperat vt velimus ieiunare, aut ſemel in anno confiteri: nam actus humanos quem Eccleſia iubet, abſque actu interno voluntatis eſſe nequit.

Dico quintò,Eccleſia poteſt præcipere, vel prohibere ne actus externi fiant hoc, vel illo fine, nimirum odio, ira, timore, vel quocunque alio humano affectu, & tunc directè, ſimpliciter & per ſe præcipit actus exteriores; ex accidenti verò præcipit, vel prohibet actus interiores: & ita Pontifex excommunicationem fulminat contra Inquiſitores S.Officij,ſi odio, vindicta,aut alio prauo affectu procedant, vt habetur *in Clementina de hæret.cap.10.*

Dvbitatio V.

V. *An Eccleſia poſſit prohibere, vel præcipere actum mentis,ſimpliciter internum?*

Dico ſextò,actus mentis ſimpliciter internos Eccleſia non poteſt præcipere,vel prohibere.quia vt Superior poſſit aliquid præcipere, aut vetare,oportet vt de illo poſſit iudicare,& ad id cogere:at Eccleſia non poteſt iudicare de internis, hoc enim excedit omnem humanam poteſtatem. ergo ſimpliciter actus mentis internos Eccleſia præcipere,vel prohibere non poteſt: tum,quia *in cap.ſicut tuis,de ſimonia*, habetur quòd Eccleſia non iudicat de occultis.Ita tradit S.Doctor 2.2. *q.104.art.5.in corpore*,vbi habet hæc verba:In his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire,ſed ſolùm Deo.

Dvbitatio VI.

VI. *An Religioſi teneantur obedire Prælato præcipienti actus internos?*

Dico ſeptimò, conſequenter ad præcedens aſſertum, Religioſus non tenetur obedire ſuo Prælato per ſe in actibus interioribus, & in his quæ ſimpliciter ſpectant ad interiorem motum volontatis.quia de his poteſt Prælatus legem,& præceptum ferre, de quibus poteſt iudicare; ſed Prælatus iudicare non poteſt de interioribus actibus,qui per ſe lateot, ſed ſolummodo de exterioribus actibus,qui appatent. ergo in illis non tenetur Religioſus obedire.Ita D.Thom.nuperrimè relatus.

Dico octauò, bene tamen Prælatus per accidens,in quantum interior motus voluntatis coniungitur eum actibus exterioribus,poteſt præcipere, atque iudicare de actibus interioribus.nã Eccleſia,vt patet *in Clem.1. de ſtatu Monach.*excommunicat Religioſos ad Romanam Curiam accedentes animo offendendi ſuum Prælatum, in qua non prohibetur animus offendendi, cùm ſit actus Interior;ſed prohibetur actus offendendi, vt coniungitur eum tali acceſſu: itaque Eccleſia prohibet talem acceſſum ſub tali pœna non cuicumque,ſed habenti animum nocendi. ergo per accidens poteſt Prælatus,&c. Videatur pro hac,& præcedentibus duabus aſſertionibus D.Thom. 1.2.*quæſt.91. art.4. in corp.verſicul.Tertiò,quia*,&c.

Dvbitatio VII.

VII. *An recitans Officium diuinum vt ſatisfaciat teneatur deuotè & attentè illud recitare?*

Dico nonò,qui ad Horas Canonicas perſoluendas compelluntur, tenentur eas ſtudioſè,attentè,& deuotè interiore animi attentione, & deuotione recitare. quia interna animi attentio, & deuotio ſunt de iure naturali debita orationi.nam ſi preces ad Deum fundimus,ipſa ratio,& natura precationis poſtulat,vt interna animi deuotione attentè, piè & religioſè precemur: ergo qui ad Horas Canonicas, &c. Ita bene Caietanus *ſumma verb feſtorum violatio.*

Dico decimò, non bene igitur aſſerunt DD. inter quos eſt Durandus *in 4.diſt.15. q.11.n.6.* Hoſtienſis & alij videndi apud Leſſ.*lib.2.de Iuſt.cap.37.dub. 11.n.63.* quòd recitantes in præcepto Eccleſiæ Horas Canonicas,ſi ſponte, & voluntariè in varias cogitationes diſtrahantur, ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ, *cap.dolenter, de celebrat. Miſſarum.* vbi ſtatuitur vt diuinum Officium attentè,ſtudioſè,& deuotè recitetur, ſi habent intentionem velle ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, & habeant deuotionem externam: quæ ſita eſt in eo, vt quis ſe gerat in ſpeciem orantis,vt ſcilicet dum recitant,non fabulentur,non piogant, non ſcribant. Ratio horum DD.eſt, quia attentè orare in Horis Canonicis recitandis non eſt de iure diuino, ſed poſitiuo; ſed ius poſitiuum Eccleſiaſticum ad interiora non ſe extendit: ergo ſufficit quòd recitantes habeant intentionem velle ſatisfacere præcepto Eccleſiæ,& habeant deuotionem externam.

Non bene,inquam,aſſerunt hi Doctores, quia deuotio externa non eſt deuotio, ſed ſimulatio deuotionis; ergo dum Eccleſia præcipit Horas Canonicas,attentè,& deuotè recitare, loquitur de deuotione, & attentione interna:tum,quia Eccleſia præcipiendo vt deuotè,attentè, & ſtudioſè Officium diuinum recitetur,præcipit vt preces ad Deum fundamus;ſed precationis,& orationis ratio & natura poſtulat vt attentè, piè & religioſè animi interna deuotione & attentione precemur, eſt enim oratio eleuatio mentis in Deum,ergo,&c.Ita bene Sotus *lib.10. de Iuſt.q.5.art.5. concl.6.& 7.*quem ſequitur Azor *part. 1.inſtit.mor.lib.5. cap.10.§.Ad argumenta verò.*

Dico vndecimò,non officere contra hanc aſſertionem id quod adducitur ab oppoſitum ſentientibus,ius ſcilicet poſitiuum Eccleſiaſticum ad interiora non ſe extendere:nam licet Eccleſia actus mentis ſimpliciter internos non poſſit præcipere, & prohibere, vt diximus *aſſertione 6.* Tamen quaſi ſecundariò, & ex accidenti præcipit etiam actus internos quatenus ſunt neceſſarij ad conſtituendos actus externos in aliqua virtutis ſpecie: & ſic Eccleſia proximè,& per ſe directè præcipit,vt Horas Canonicas perſoluamus, & deinde præcipit vt debito modo interna mentis attentione, & deuotione eas recitemus, quem modum ratio, & natura virtutis orationis poſtulat: videatur Sanchez *lib.6.in Decalogum,cap.1.num.6.* loquens conſequenter ad præcedentes aſſertiones.

Articvlvs XXII.

De illis qui operantur opera, ad quæ ex duplici voto, vel ex voto, & alio titulo obligationis tenentur.

SVMMARIVM.

1. *An Prælatus poſſit præcipere ſubdito, vt Miſſas, ſecundum ſuam intentionem, applicet.*
2. *An qui ex voto, & pœnitentia tenetur recitare Roſariũ B.V. vnico Roſario ſatisfaciat voto, & pœnitentiæ.*
3. *An qui ex voto tenetur audire Miſſam, & ſimiliter ex pœnitentia, vnica Miſſa ſatisfaciat vtrique obligationi? vel non cogitans de obligationibus voti & pœnitentiæ, ſatisfaciat potius obligationi voti, quam pœnitentiæ.*
4. *An qui ex præcepto Eccleſiæ, vel ex voto, vel ex pœnitentia tenetur Miſſam audire, vnicam Miſſam audiendo ſatisfaciat omnibus obligationibus, ſi omnibus ſatisfacere decreuit: & ſi non omnibus, cuinam ſatisfaciat.*
5. *An qui pluribus votis, vel præceptis æqualibus, tenetur ad opus bonum indiuiſibile, v. g. ieiunium, vel Miſſam, vnico ieiunio, vel Miſſa cuinam ſatisfaciat harum obligationum.*
6. *An qui ex multis titulis tenetur præſtare opus diuiſibile, v.g. dare centum nummos ex voto, & ex pœnitentia, ſi ſemel ſoluat, ſatisfaciat vtrique obligationi, & non decernens cui obligationi ſatisfaciat, cuinam ſatisfaciat.*
7. *An qui ex voto duplicem Miſſam tenetur audire, eas ſimul audiendo ſatisfaciat.*
8. *An vnico actu poſſimus diuerſis præceptis ſatisfacere.*
9. *An omittens opus duplici præcepto debitum, committat duplex peccatum.*
10. *An omittens Miſſam in die feſto, incidente in Dominica, vel ieiunium vigiliæ, incidentis in Quadrageſima, committat duplex peccatum.*
11. *An obſtrictus voto audiendi Miſſam, poſſit in eadem recitare Officium diuinum, ad quod ex obligatione aliqua tenetur.*
12. *An habens votum recitandi Roſarium B.V. ſatisfaciat ſi tantùm mente recitet, vel cum alio.*

Dvbitatio I.

I. *An Prælatus poſſit præcipere ſubdito, vt Miſſas ſecundùm ſuam intentionem applicet?*

Dico primò. Prælatus poteſt Religioſis ſibi ſubditis præcipere, vt quas celebrant Miſſas, pro eius intentione offerant. quia in tali obedientia non præcipitur ſimpliciter ſubditis interior animi motus, qui eſt applicatio valoris Miſſæ, ſed præcipitur ipſis interior animi motus, vt coniunctus cum actu exteriori celebrationis eiuſdem, in quo Religioſi Prælato non obedientes peccant mortaliter, quia in re graui obedientiam violant.

Dvbitatio II.

II. *An qui ex voto & pœnitentia tenetur recitare Roſarium B. V. vnico Roſario ſatisfaciat voto, & pœnitentiæ?*

Dico ſecundò, qui ex voto, & pœnitentia ſibi impoſita à Confeſſario tenetur Roſarium B. V. recitare, ſi ſemel circulum B.V. recitet animo adimplendæ pœnitentiæ, non ſatisfacit obligationi voti. Idem dicendum de eo, qui domum Lauretanam B. Virginis ex voto, & ex pœnitentia ſibi à Sacerdote iniuncta viſitare tenetur: nam ſi viſitet illam animo ſatisfaciendi pœnitentiæ, tenetur iterum eam viſitare, vt obligationi voti ſatisfaciat; quia actio ad eum finem valet, ad quem dirigitur, & ordinatur.

Dvbitatio III.

III. *An qui ex voto tenetur audire Miſſam, & ſimiliter ex pœnitentia, vnica Miſſa ſatisfaciat vtrique obligationi? vel non cogitans de obligationibus voti & pœnitentiæ, ſatisfaciat potiùs obligationi voti, quàm pœnitentiæ?*

Dico tertiò, qui ex voto, & pœnitentia tenetur duas Miſſas audire, aut bis ieiunare, putans ſe vnica Miſſa, vel vnico ieiunio ſatisfacere vtrique obligationi, aut nihil cogitãs de obligationibus, ſatisfacit obligationi voti ſemel audiẽdo Miſſam, aut ſemel ieiunando. quia Miſſa, vel ieiunium eſt opus indiuiſibile, & obligatio voti eſt ſtrictior. nam Religio, cuius votum eſt actus, ſtrictius obligat, quàm pœnitentia: ſed vno opere indiuiſibili non poſſumus duabus obligationibus diuerſis ſatisfacere. ergo exequens opus indiuiſibile duobus titulis debitum, cogitans ſe vtrique obligationi ſatisfacere, vel nihil cogitans de obligationibus, ſatisfacit ſolùm ſtrictiori & grauiori. Ita colligitur ex *l. pluribus, ff. de obligationibus.*

Dvbitatio IV.

IV. *An qui ex præcepto Eccleſiæ, vel ex voto, vel ex pœnitentia, tenetur Miſſam audire, vnicam Miſſam audiendo ſatisfaciat omnibus obligationibus, ſi omnibus ſatisfacere decreuit? &, ſi non omnibus, cuínam ſatisfaciat?*

Dico quartò, conſequenter, qui ex præcepto Eccleſiæ ex voto, & ex pœnitentia tenetur Miſſam audire, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ vnicam Miſſam audiendo, ſi non decreuit cuinam obligationi velit ſatiſfacere, aut ſi decreuit omnibus obligationibus ſatiſfacere. quia obligatio ieiunij, vel Miſſæ ab Eccleſia impoſita grauior videtur obligatione contracta ex propria voluntate, aut ex intentione Confeſſarij; & opus quod præſtatur, nempe auditio Miſſæ, vel ieiunium eſt indiuiſibile. ergo, &c. Videatur Sanchez *lib. 1. in Decalogum, cap. 14. num. 8.*

Dvbitatio V.

V. *An qui pluribus votis, vel præceptis æqualibus, tenetur ad opus bonum indiuiſibile, v.g ieiunium, vel Miſſam, vnico ieiunio, vel Miſſa, cuínam ſatiſfaciat harum obligationum?*

Dico quintò, ſi quis pluribus votis, ſeu præceptis æqualibus teneatur ſæpiùs ad rem indiuiſibilem, vt ad ieiunium, aut Miſſam, putat ſe omnibus illis obligationibus ſatisfacere poſſe ſemel ieiunando, aut Miſſam audiendo, vel ſi nihil cogitauit de obligationibus ſemel ieiunet, aut Miſſam audiat, liber remanet ab vna obligatione, vel ſatisfacit vni ex illis obligationibus quæcunque illa ſit. quia cùm ieiunium, vel Miſſa ſit opus indiuiſibile, non poteſt pro rata circa omnes obligationes prodeſſe, & cùm obligationes ſint æquales, non magis vni, quàm alteri determinatè per illud opus indiuiſibile ſatisfit. ergo ſatisfiet vni obligationi per illud opus impletum cui debitor voluerit: videatur

Bonacina

Bonacina *tom. 2. tract. de legibus, diſput. 1. quæſt. 1. puncto 10. num. 17.*

DVBITATIO VI.

VI. *An qui ex multis titulis tenetur præſtare opus diuiſibile, v.g. dare centum nummos, ex voto, & ex pænitentia, ſi ſemel ſoluat, ſatisfaciat vtrique obligationi, & non decernens cui obligationi ſatisfaciat, cuinam ſatisfaciat?*

Dico ſextò, qui multis titulis præſtare debet opus diuiſibile, vt ſi ex voto, & ex pœnitentia debeat centum aureos titulo eleemoſynæ in pauperes diſtribuere, ſemel pro voto, & alia vice pro pœnitentia ſibi iniuncta, ſi dando centum aureos in eleemoſynam, decreuit vni ex illis obligationibus ſatisfacere, puta voto, vel pœnitentiæ illi ſatisfacit, quia illi intendit ſatisfacere; ergo re ipſa illi ſatisfacit: ſi verò decreuit illis duabus obligationibus ſatisfacere, ſemel erogando centum aureos pauperibus, ſatisfacit vtrique obligationi pro rata, manente adhuc onere adimplendi aliã vtriuſque obligationis partem. quia opus quod non valet, vt agitur, valere debet eo meliori modo, quo poteſt, *c. vnico, §. idem quoque, de deſponſatione impuberum 6.* Sed opus elargitionis centum aureorum in eleemoſynam pauperum applicatum vtrique obligationi, voti ſcilicet, & pœnitentiæ, non prodeſt ad integrè ſatisfaciendum pro vtraque: poteſt tamẽ prodeſſe cùm ſit opus diuiſibile ad partialem vtriuſque partis ſatisfactionem; ergo dicendum eſt prodeſſe ad ſatisfaciendum partialiter pro rata vtrique obligationi.

Dico ſeptimò, qui ſæpiùs ad rem diuiſibilem tenetur, puta ad eleemoſynam erogandam pauperibus decem aureorum, & ex voto, & ex iuramento, ſi vnica traditione decem aureorum in eleemoſynam, ſi non decreuit cui obligationi ſatisfacere velit, ſatisfacit obligationi ex voto. quia cùm obligationes ſunt inæquales, ſi nihil decreuit debitor, cuinam obligationi velit ſatisfacere per opus exhibitum aliàs multis titulis debitum, ſatisfacit obligationi ſtrictiori, & graniori; ergo debens ex voto decem aureos in eleemoſynam pauperibus, & ſimiliter alios decem ex iuramento vnica traditione decem aureorum in eleemoſynam, ſi nihil decreuit cui obligationi ſatisfacere velit, ſatisfacit obligationi ex voto; quia voti vinculum eſt grauius, & ſtrictius, & maius quàm vinculum iuramenti, vt docet D. Th. 2. 2. *q. 89. art.* 8. & *ibi* Caiet.

Dico octauò, ſi obligationes ſunt æquales, vt quando quis ex pluribus votis, ſeu præceptis æqualibus, tenetur pluries vnum aureum pauperibus tradere, non intendens cuinam voto, vel præcepto velit ſatisfacere, ſi ſemel aureum ſoluit pauperibus, cenſetur pro rata illis æqualibus obligationibus ſatisfacere: nam cùm aureum ſit opus diuiſibile, & obligationes ſunt æquales, ſemel tradendo aureum, ſi non decreuit, cui obligationi ſatisfacere velit, ſatisfacit pro rata, manente adhuc onere adimplendi aliam vtriuſque obligationis partem, ſi pro ſingulis duabus obligationibus æqualibus tenebatur tradere aureum. Ita colligitur ex *l. cum pluribus, de obligationibus.*

DVBITATIO VII.

VII. *An qui ex voto duplicem Miſſam tenetur audire, eas ſimul audiendo ſatisfaciat?*

Dico nonò, qui ex voto nuncupato duplicem Miſſam audire tenetur, poteſt eas ſimul audire, dum eæ

ſimul in duplici Altari celebrantur, quando Altaria ita eſſent contincta, vt verè diceretur audiens eſſe præſens moraliter illis. quia poteſt vtrique corpore eſſe præſens, & vnica attentione ad Deum habita ſatisfacere. Ita P. de Ledeſma *in ſumma ſacram.* vbi de Euchariſtia, *cap. 27 paulo ante concluſionem 9.*

DVBITATIO VIII.

VIII. *An vnico actu poſſimus diuerſis præceptis ſatisfacere?*

Dico decimò, Vnico actu poſſumus diuerſis præceptis ſatisfacere. v.g. vnico ieiunio poſſumus voto ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, & pœnitentiæ ſacramentali, vt ſi ieiunium quadrageſimale voueam, ac mihi imponatur in pœnitentiam: nam obligatus ad diuinum Officium ratione Ordinis, & beneficij, eadem vna recitatione vtrique obligationi plenè ſatisfacit, & quando feſtum in Dominicam incidit, & ſi ratione vtriuſque teneamur audire Sacrum, vnico Sacro audito vtrique obligationi ſatisfacimus. ergo ſimiliter, &c.

DVBITATIO IX.

IX. *An omittens opus duplici præcepto debitum, committat duplex peccatum?*

Dico vndecimò, omittens opus duplici præcepto, & titulo debitum, vt ſi omittatur ieiunium quadrageſimale, ad quod quis ex voto, & ex præcepto Eccleſiæ tenetur, committit duplex peccatum. quia etſi hæ duæ obligationes ſint de eadem materia, pertinent tamen ad diuerſas virtutes, ad virtutem ſcilicet Religionis, qua tenemur emiſſum votum ſeruare, & ad virtutem temperantiæ, qua ieiunium quadrageſimale ſeruare tenemur: videatur Sayr. *lib. 2. Clauis Regiæ, cap. 5. num. 14 & 15.*

DVBITATIO X.

X. *An omittens Miſſam in die feſto, incidente in Dominica, vel ieiunium Vigiliæ incidentis in Quadrageſima, committat duplex peccatum?*

Dico duodecimò, omittens tamen Miſſam in die feſto incidente in Dominicam, vel ieiunium Vigiliæ incidentis in Quadrageſimam, vnum committit peccatum. quia hæc præcepta ſunt de eadem materia, & ob idem virtutis motiuum, P. de Ledeſma *tom. 2. ſumm. tract. 27. c. 2. poſt 6. concluſionem*; licèt Nauarr. oppoſitum ſuſtineat *in manuali, c. 11. num. 4.* vbi docet duplex eſſe peccatum non ieiunare in Vigilia, quæ occurrit in Quadrageſima, vel in quatuor temporibus anni, exiſtimans ex duplici præcepto eſſe duplicem malitiam; ſed verius eſt quod diximus: videatur Zumel 1. 2. *quæſt. 72. art. 6. dub. 3.*

DVBITATIO XI.

XI. *An obſtrictus voto audiendi Miſſam, poſſit in eadem recitare Officium diuinum, ad quod ex aliqua obligatione tenetur?*

Dico decimotertiò, obſtrictus ex voto ad audiendã Miſſam aliquo ſignato die, puta die Veneris, poteſt vno, & eodem tempore ſatisfacere obligationi voti, & diuinum Officium perſoluere, ad quod tenetur ex

ex Ordine ſacro, vel ex beneficio, & ſic eodem tempore diuerſis actibus, duobus ſatisfacete præcepiis. quia neutra ex bis obligationibus attentionem ad verba requirit, quamnis ea ſit ſufficieus, ſed vtique ſatisfit attendendo ad Deum, réſque diuinas, & ita eadem attentione eodem rempore ſatisfit vtrique obligationi: videatur Sotus *in 4. diſt. 19. quæſt. 2. art. 1. concluſ. 2.* Sanchez *lib. 1. in Decalogum, cap. 14. num. 11.*

Dvbitatio XII.

XII. *An habens votum recitandi Roſarium B. V. ſatisfaciat, ſi tantùm mente recitet, vel cum alio?*

Dico decimoquartò, qui vouit dicere Roſarium Beatiſſimæ Virginis, non ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi illud ſola mente reciter. quia id votum accipiendum eſt inſtar præcepti Eccleſiaſtici, de hac re, quod ſola mentali oratione non impletur; ſatisfaceret tamen ſuo voto, ſi Roſarium cum altero perſolueret alternatim: ſicut qui vouit Officium B. V. vel Pſalmos pœnitentiales, vel Litanias recitare, voto ſatisfacit, ſi alternatim perſoluat. quia huiuſmodi ſunt intelligenda inſtar præcepti Eccleſiaſtici de recitando Officio Canonico, quod alternatim perſoluitur: tum, quia modò eſt conſuetudo in multis Eccleſiis vt Roſarium Virginis alternatim perſoluatur. Bonacina *tom. 2. tract. de voto, diſput. 4. q. 2. punct. 6. n. 27.*

Articvlvs XXIII.

De his qui cum interruptione exequuntur opera, ad quæ tenentur ex voto, vel alia obligatione.

Svmmarivm.

1. *An qui ex voto tenetur recitare Coronam Beatiſſimæ Virginis, ſatisfaciat recitando vno contextu vnam decadem, omittendo alias in aliud tempus? &, an ſatisfaciat interrumpendo etiam ipſas decades.*
2. *An recitans diuinum Officium, ſi illud per longum tempus interrumpat, ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ.*
3. *Explicatur, an interruptio informis ſacramentorum, reddat irrita ſacramenta.*
4. *An interruptio Officij, vel operis debiti ex voto, ſit peccatum.*
5. *An recitans Roſarium, vel Officium diuinum ex deuotione, peccet non recitando attentè.*
6. *An Pſalmum recitans, ad animum diſtrahendum, vel memoriæ mandandũ, peccet non attentè recitando.*
7. *An ſatisfaciat obligationi diuini Officij, qui per ſe ipſum non recitat, ſed dum in Eccleſia recitatur, detinetur in pulſandis organis, vel transferendis libris, &c.*

Dvbitatio I.

I. *An qui ex voto tenetur recitare Coronam Beatiſſimæ Virginis, ſatisfaciat recitando vno contextu vnam decadem, omittendo alias in aliud tempus? &, an ſatisfaciat interrumpendo etiam ipſas decades?*

Dico primò, qui tenetur ex voto, vel pœnitentia recitare calculos virgineos, ſeu Coronam virginis, ſatisfacit dicendo ſaltem vnico contextu ſingulas decades, ſeu decenas, omittendo alias in aliud tempus, ſicut contingit in ſingulis horis Canonicis. quia ſingulæ decades, ſeu decenæ reputantur vt vna hora Canonica; ſed poſſumus vnam horam Canonicam recitare, dilata aliarum recitatione in aliud tempus. ergo. Ita benè Beia *part. 1. caſuum conſcientiæ, caſu 51.*

Dico ſecundò, obſtrictus voto recitandi ſacrum Roſarium B. V. ſatisfacit voto, facta etiam interruptione in ipſiſmet decenis. quia obligatus ex præcepto ad preces horarias, ſatisfacit præcepto, ſi illas reciret cum interruptione, quæ in partibus vnius, & eiuſdem horæ fit. ergo obſtrictus ad Roſarium, vel Coronam Virginis recitandam, ſatisfacit ſuo voto, etiam ſi vna decas interrumpatur: videatur Sanchez *lib. 4. in Præcepta, cap. 11. num. 39.* Sed vt magis hoc aſſertum probent, explicatur

Dvbitatio II.

II. *An recitans diuinum Officium, ſi illud per longum tempus interrumpat, ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ?*

Dico tertiò, recitans diuinum Officium cum interruptione, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, quoad ſubſtantiam, ſiue ad longum, ſiue ad breue tempus interrumpat: quare interrumpens horam in medio, vel etiam Pſalmum, ſatisfacit ſuæ obligationi, modò poſtea reliquam partem abſoluat, etiam ſi priùs partem dictam non repetat. quia verum eſt dicere hunc intra eumdem diem totum diuinum Officium recitaſſe. ergo verum eſt dicere præcepto Eccleſiæ ſatisfeciſſe. quia ille præcepto Eccleſiæ ſatisfacit, qui facit opus ab Eccleſia præſcriptum; ſed hic facit opus ab Eccleſia præſcriptum, cùm totum recitet Officium, nec vllam ipſius partem omittit. ergo, &c. Videatur Caiet. *verb. Hora Canonica, num. 12. §. quoad quartum, verſ. quia in huiuſmodi.* Leſſ. *lib. 2. de Iuſt. cap. 37. dub. 10. num. 57.* Sanchez *loco nuperrimè adducto*, contra Azor. *part. 1. inſtit. mor. lib. 10. cap. 8. dub. 5.* aſſerentem interrumpentem diuinum Officium ad longum tempus, non ſatisfacere oneri diuini Officij recitandi, ſed ad illius repetitionem obligari.

Dvbitatio III.

III. *An interruptio informis Sacramentorum, reddat irrita Sacramenta?*

Dico quartò, non officit contra præcedens aſſertum. nam irritum, & inane redditur ſacramentum ſi forma ſacramentorum cum longa, & notabili interruptione proferatur. ergo ſi diuinum Officium recitetur cum notabili interruptione, inanis, & irrita erit huiuſmodi recitatio. ergo ſic recitans tenebitur ad illius repetitionem: non obſtat hoc. nam non eſt eadem ratio diuini Officij, & formæ ſacramentorum: quia forma ſacramenti efficit ſignificando, & ſignificat efficiendo; ſuam autem ſignificationem non haberet, ſi notabili, & lõga interruptione proferretur, vnde tunc nõ haberet ſuum effectum, & ſic irritum eſſet, & inane ſacramentum. In diuino autem Officio non adeſt huiuſmodi practica ſignificatio; cùm diuinum Officium non ſit inſtitutum ad aliquid ex vi verborum producendum, & ſic de ſubſtantia ſingularum precum diuini Officij non eſt continuatio, & preces interruptæ efficiunt vnum Officium, ſuámque habent ſignificationem; ſicut multæ confeſſiones interruptæ integrant vnam confeſſionem obtenta in fine abſolutione: videatur Bonacina *tom. 1. tract. de Horis Canonicis, diſp. 1. quæſt. 3. punct. 2. §. 1. n. 28. & 29.*

Dvbi

Dvbitatio IV.

IV. *An interruptio Officij, vel operis debiti ex voto, ſit peccatum?*

Dieo quintò, interruptio Roſatij, Coronæ, aliarúmqne orationum ex voto, vel Confeſſarij præcepto debitatum, & etiam ipſius diuini Officij ex præcepto Eeclesiæ debiti, abſque ioſta cauſa, etiamſi duret per vnam, vel duas horas, non eſt peccatum mortale, nec eſt tepetendum quod antea tecitatum eſt. quia manet ſubſtantia precom etiamſi in medio curſu fiat aliqua intermiſſio: tum, quia ſinguli Pſalmi, imò ſinguli penè verſiculi, ſunt per ſe vel precatio quædam, vel laudatio, vel ſententia non habens neceſſariam eum aliis connexionem. ergo recitans quis ea, ad quæ tenetur ex voto, ex pœnitentia, vel ex præeepto Eccleſiæ, cum tali interruptione ſatisfacit quoad ſubſtantiam ſuæ obligationi. ergu nec peccat mottaliter, nec tenetor repetere ea quæ antea tecitauerat: videatur Leſſ. *lib. 2. de Iuſtitia, cap.* 37. *dub.* 10. *num.* 57.

Dico ſextò, interruptio orationum, ex voto, vel præcepto Confeſſatij debitarom, vel diuini Officij, non earet eolpa veniali ſi abſque iuſta cauſa contingat. quia eſt irreuerentia inſtituto eum aliquo ſermone illum interrumpere. ergo idem dieendum etit de oratione, quæ Deo funditur, eſſe ſeilicet peccatum veniale irreuerentiæ ſi abſque iuſta cauſa interrumpatur. Ita bene Arag. 2.2. *quæſt.* 83. *art.* 12. *fine, §. De interruptione, quæ in Officio diuino.*

Dico ſeptimò, interruptio vero Roſarij, Coronæ, aliarúmque orationum ex voto, iuramento, vel ex præcepto Confeſſoris debitarum, & ipſius etiam diuini Officij ex iuſta cauſa, nullum eſt peccatum: nam qui aliquid ex iuſta cauſa facit, prudenter operatur. ergo excuſari poteſt etiam à veniali ſi inceptis obligationibus ex voto, iuramento, ex præcepto Confeſſoris, vel Eeclesiaſtico illas interrumpat, ſi adeſt iuſta, & rationabilis eauſa. Ita DD. communiter, & Azor. *part.* 1. *inſtit. mor. cap.* 8. *dub.* 3.

Dieo octauò, eauſa iuſta, & rationabilis intetrumpendi obligationes ex voto, iuramento, ex præeepto Confeſſoris, vel Eeeleſiaſtico excuſans à peccato etiam veniali, cenſetur opus aliquod ſaluti, honori, famæ, aut aliis bonis noſtris, vel proximotum neceſſarium, cùm tale ſit quod in aliud tempus differri commodè nequeat, quotum ſi alterum deſit, obligationes huiuſmodi inceptæ minimè iure intermittuntur: videatue Nauarr. *tract. de oratione, num.* 68. & 69.

Dvbitatio V.

V. *An recitans Roſarium, vel Officium diuinum ex deuotione, peccet non recitando attentè?*

Dieo nonò, recitans ſacrum Roſarium, vel Coronam, vel horas precarias ſolùm ex deuotione, ſi has preces recitet ſine attentione, peccat venialiter. quia licèt tunc non teneatur ex præcepto affirmatiuo orare, nihilominus ex præcepto negatiuo Religionis, tenetur eauere actus irreuerentiæ ex ſuppoſitione, quòd Deum alloqui, & orare velit: videatur Beia *part. 2. caſuum conſcientiæ, caſu vltimo, §. Notandum eſt tandem.*

Dvbitatio VI.

VI. *An Pſalmum recitans, ad animum diſtrahendum, vel memoriæ mandandum, peccet non attentè recitando?*

Dico decimò, qui tamen aliquem Pſalmum, vel Hymnum dicit, non animo orandi, ſed vt mentem abſtrahat à moleſtis cogitationibus, vel vt memoriæ mandet, vel vt alium doceat modum recitandi diuinum Officium, vel vt ſe recreet, hic non peccat ſi ſine attentione recitet. quia non facit eontra vllum præceptum, & eùm non intendat orare, nec Deum alloqui, non tenetur attendere. Ita præclarè notauit Caiet. *ſumm. verb. Oratio, num.* 2.

Dvbitatio VII.

VII. *An ſatisfaciat obligationi diuini Officij, qui per ſe ipſum non recitat, ſed dum in Eccleſia recitatar, detinetar in pulſandis organis, vel transferendis libris, &c.*

Dieo vndeeimò, qui ex Officio, vel mandato Superioris detinentur in pulſandis organis, vel transferendis libris ex vna parte ad aliam, vel in thure præbendo, oon tenentur per ſeipſos illam partem recitare, quæ ab aliis perſoluitur. quia tunc temporis cùm detineantur iis, quæ pertinent ad diuinum Officium, eenſentur Officio eooperari, & ſuppleri per alios. Ita Arag. 1. 2. *q.* 83. *art.* 12. *fine.*

Dico duodecimò. Probabiliter etiam dici poteſt hos, de quibus diximus *aſſertione præcedenti*, ſatisfacere quidem aſſiſtentiæ, & obligationi Chori, eonſequenter poſſe diſtributiones accipere, non verò ſatisfacere obligationi diuini Officij, niſi illud poſtea priuatim recitent, vel ſaltem niſi attendant ad ea, quæ interim recitantur. quia non dicitur recitare diuinum Officium, qui verba Officij diuini non profert, vel ad illa non attendit: videatur Eman. Sà *verb. Hora Canonica, num.* 8.

Articvlvs XXIV.

De modo quo diuinum Officium recitandum eſt dum quis ad illud recitandum ex voto, vel ex præcepto, tenetur.

SVMMARIVM.

1. *An recitans per ſe ipſum diuinum Officium, vel Roſarium ex voto, teneatur proferre verba diſtinctè, ita vt ſeipſum audiat.*
2. *An recitans Officium diuinum cum ſocio, debeat audiri à ſocio.*
3. *An exiſtent in Choro ſatisfaciat Officio diuino, ſi ſubmiſſa voce ſuam partem recitet: itaut nec à propinquis audiatur, & partem aliorum audiat.*

Dvbitatio I.

I. *An recitans per ſeipſum, diuinum Officium, vel Roſarium ex voto, teneatur proferre verba diſtinctè, itaut ſeipſum audiat?*

Dico primò, recitans ſacrum Roſarium, ad quod recitandum tenetur ex voto, ſimiliter priuatim perſoluens diuinum Officium obſtrictus ex præcepto Eeclesiæ, non eſt neceſſe, vt ſuæ obligationi

ſatisſaciat, vt ita verba proferat vt ſe ipſum audiat, ſed ſufficit vt omnia verba diſtinctè proferat, ſiue ſeipſum audiat, ſiue non. quia nullo iure probatur recitantem ex voto Roſarium, vel Officium diuinum ex præcepto Eccleſiæ ad hoc teneri, cùm votum dicendi Roſarium, vel præceptum recitandi diuinum Officium, ſolùm obliget ad dicendum, non tamen ad audiendum. Ita benè Azor. *part.* 1. *inſt. moral. lib.* 10. *cap.* 11. *quæſtio* 4. Bonacina *tom.* 1. *tract. de horis Canonicis diſput.* 1. *quæſt.* 3. *puncto* 1. §. 1. *num.* 14. licèt Valentia *tom.* 3. *diſput.* 6. *quæſt.* 1. *puncto* 10. §. *circa quartum, verſic. eſt igitur vi.* Beia *part.* 1. *caſuum, caſu* 55. arbitrentur teneri recitantes diuinum Officium ſeipſos audire: imò addit Valentia *loco* nuper *adducto*, teneri recitantes horas precarias ita clarè recitare, vt ſaltem à propè adſtantibus, ſi adeſſent, neque eſſent impediti, audiri poſſent. Sed prima opinio eſt verior: nam qui ſolus ſacrum Roſarium, vel diuinum Officium perſoluit, ſatis eſt ſi ſic recitet, ac proferat vt verè dici queat ore, & voce preces fundere, ſiue ab alio, ſiue à ſe audiri poſſit, ſiue non

Dubitatio II.

II. *An recitans Officium diuinum cum ſocio, debeat audiri à ſocio?*

Dico ſecundò, recitans tamen diuinum Officium cum ſocio, ita diſtinctè verba proferre debet, vt audiatur à ſocio, ſi hic aliqua obligatione tenetur ad recitandum diuinum Officium. quia aliàs erit in cauſa, vt ſi ſocius cum quo recitat obſtrictus hoc onere recitandi, ſcilicet horas Canonicas, non ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ de dicendis precibus horariis: nam recitans diuinum Officium cum ſocio, ſupplere debet audiendo quod omittit recitando. Medina *de oratione quæſt.* 7.

Dico tertiò, perſoluens penſum diuini Officij, ſi ſocius, cum quo recitat, non tenetur hoc onere, ſatiſfacit obligationi de dicendis horis Canonicis, etiamſi non audiatur à ſocio, ſed ſufficit, vt omnia verba partis, quam ipſe recitat, diſtinctè proferat, ſiue ſe ipſum audiat, ſiue non; aliam verò partem ſocij recitantis audiat. quia quod omittit recitando, debet ſupplere audiendo. ergo ſi ſuam partem diſtinctè proferat, & aliam partem ſupplet, audiendo ſatisſacit, &c. Tum, quia viri nobiles timoratæ conſcientiæ ne fatigentur in recitando diuino Officio, adhibere ſolent ſocium in recitandis horis Canonicis, non habentem obligationem diuini Officij recitandi, & ipſi ſubmiſſa voce recitant, & communicant in parte ſocij communicantis illis ſuam partem, licèt illi ſubmiſsè recitantes non communicent ſuam partem ſocio. ergo, &c. Videatur pro hac aſſertione Tabiena *verb. hora*, §. *vltimo*, *num.* 33. Bonacina *tom.* 1. *tract. de horis Canonicis*, *diſput.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 2. §. 1. *num.* 16.

Dubitatio III.

III. *An exiſtens in Choro, ſatisfaciat Officio diuino ſi ſubmiſſa voce ſuam partem recitet, itaut nec à propinquis audiatur, & partem aliorum audiat?*

Dico quartò, exiſtens in Choro, qui ſubmiſſa voce recitat ſuos verſiculos, & audit ſocios canentes ſuam partem, ſatisfacit obligationi diuini Officij, nec illud iterum dicere tenetur. quia ipſe recitat ſuam partem, & communicat in parte ſociorum communicantium ſibi ſuam partem, quamuis ipſe ſubmiſsè recitando non communicet ſuam partem ſociis. Ita tenet Caietanus *ſumm. verb. Hora Canonica, fine.* §. *de illo autem*, *verſic. ſi tamen intelligerem.* Rodriquez *ſumma part.* 1. *cap.* 143. *num.* 2. Arag. 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 12. *dub.* 6. *concluſ.* 2. Addunt tamen Rodriquez, & Arag. Satisfacit quidem hic obligationi diuini Officij ſubmiſsè recitans in Choro, dummodo à propinquis ſibi qui circumſtant audiri poſſit. Cæterùm ſufficere mihi videtur, vt hic ſubmiſsè recitans in Choro ſatisſaciat obligationi diuini Officij, ſi omnia verba partis, quam ipſe recitat, diſtinctè proferat, etiamſi non audiatur à ſociis, & partem aliorum recitantium audiat attentè. quia etſi non communicet cum eis quatenus canunt, communicat tamen quatenus recitant. Saluo, &c.

Dico quintò, qui ſuos verſiculos ſubmiſſa voce recitat in Choro, & alios alterius Chori attentè audit, non ſatisfacit debito ſeruitio Chori, quamuis, vt diximus *aſſertione præcedenti*, obligationi diuini Officij recitandi ſatisfaciat, nec Officium repetere teneatur: nam recitans in Choro, vt ſatisfaciat debito ſeruitio Chori, debet cum aliis communicare canendo, ſed qui ſubmiſsè recitat in Choro non communicat cum aliis canendo; ergo. Caietanus *tom.* 1. *opuſcul. tract. vltimo, Reſponſ.* 8. Leſſ. *lib.* 2. *de Iuſtitia, c.* 34. *dub.* 33. *num.* 184.

Articulus XXV.

De modo, quo opera debita ex voto, vel ex præcepto, exequi debeant.

Summarium.

1. *An ſatisfaciat ſuæ obligationi, qui recitat Roſarium, ad quod ex voto tenetur; vel diuinum Officium ex obligatione debitum, ſi illud recitet, dum ſe induit, vel ſpoliat, vel campum aſpicit.*
2. *An recitans orationes debitas ex voto, vel præcepto Eccleſiæ, peccet, ſi ſine attentione interna illas recitet, & denuò teneatur perſoluere.*
3. *An recitans diuinum Officium, mente diſtracta voluntariè, vltra peccatum, teneatur iterum perſoluere Officium.*
4. *An qui ex voto, vel præcepto tenetur audire Miſſam, ſatisfaciat voto, vel præcepto, ſi tempore Miſſæ, voluntariè, ſua mente, negotia ſæcularia reſoluat.*
5. *An qui tenetur ex voto, vel ex præcepto, audire Miſſam, ſatisfaciat audiendo dimidiam ab vno, & dimidiam ab alio.*

Dubitatio I.

I. *An ſatisfaciat ſuæ obligationi qui recitat Roſarium, ad quod ex voto tenetur, vel diuinum Officium ex obligatione debitum, ſi illud recitet, dum ſe induit, vel ſpoliat, vel campum aſpicit?*

Dico primò, qui ex voto tenetur ſacrum Roſarium recitare, vel horas Canonicas ex præcepto Eccleſiaſtico perſoluere, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi recitet Roſarium, vel Horas Canonicas dum ſe veſtit, manus lauat, vel ſpoliat, vel ambulat, vel dum campum aſpicit. quia hic non detinetur in re aliqua exteriori ſuapte natura incompoſſibili cum attentione interna. Ita benè Sotus

lib. 10.

lib.10.de Iuſtitia, quæſt.5.art.5. verſic.Quo autem ad rem redeamus.

Dico ſecundò, recitans ex voto Coronam Beatiſſimæ Virginis, vel preces horarias ex præcepto Eccleſiæ, voluntariè, & aduertenter occupans ſe in aliqua re incompoſſibili cum attentione interna, vt ſi inter recitandum ſcribat, vel depingat, aut aliud legat, tunc non ſatisfacit præcepto, ſed iterum recitare tenetur ſub mortali, vt voto, vel præcepto Eccleſiæ ſatisfaciat. quia recitans ex voto, vel præcepto Eccleſiæ aliquas orationes, interna attentione recitare tenetur. ergo ſi ſe occupat voluntariè, & aduertenter in aliqua re incompoſſibili cum attentione interna, non ſatisfacit. Sotus *loco* nouiſſimè *relato.* quòd autem iterum recitare teneatur, vt voto, vel præcepto ſatisfaciat, dicemus *aſſertione* 7.

Dico tertiò, qui recitat Roſarium, ad quod tenetur ex voto, vel diuinum Officium ex præcepto Eccleſiæ, ſi voluntariè & inaduertenter detinetur in aliqua re incompoſſibili cum attentione requiſita, ſatisfacit voto, vel præcepto Eccleſiæ. nam illa diſtractio dicitur inuoluntaria, ſed cum diſtractione inuoluntaria adeſſe poteſt virtualis attentio ſufficiens ad ſatisfaciendum voti obligationi, vel præcepto Eccleſiaſtico. ergo, &c. Quare recitans Roſarium ex voto, vel diuinum Officium, & non aduertens ſe ab oratione diſtrahi, licèt fortè aduertat ſe alia cogitare, ſatisfacit voto, & præcepto. Ita præclarè Caietan. *ſumma verb. Hora Canonica, num.8.§.nec propterea loquens.*

Dvbitatio II.

II. *An recitans orationes debitas ex voto, vel præcepto Eccleſiæ, peccet, ſi ſine attentione interna illas recitet, & denuo teneatur perſoluere?*

Dico quartò, recitans orationes ex voto, vel præcepto, ſine attentione voluntaria interna, ſi habet propoſitum actuale iterum eaſdem orationes dicendi: talis ſine dubio tenetur eaſdem orationes iterum perſoluere, quamuis in eo quòd ſine attentione orauerit, non peccet mortaliter, ſed tantùm venialiter. quia cùm nolit illa ſua oratione ſatisfacere voto, vel præcepto, idem iudicium habendum erit de illa oratione, ac de aliis orationibus voluntariis; ſed orans voluntariè, non ex voto, vel præcepto, ſine attentione, non peccat mortaliter, ſed tantùm venialiter. nam defectus illius circumſtantiæ, ſcilicet attentionis in opere alioqui non debito, tantùm inducit quandam indecentiam, quæ tamen contra charitatem non militat. ergo, &c. quòd autem hic teneatur iterum eaſdem orationes recitare, probatur. tum hic non intendit ſatisfacere voto, vel præcepto expreſſim, nec ſatisfacit, quia ſine voluntaria attentione orat: videatur Sotus *lib.10.de Iuſtitia, quæſt. 5. art.5.* Arag. *2.2.quæſt.83.art.13.§.Eſt aliud dubium, vtrùm orantes ex præcepto.*

Dico quintò, recitans Horas Canonicas ex voto, vel præcepto, vel partem notabilem illarum cum diſtractione voluntaria, ſi habet propoſitum virtuale, repetendi, & ſupplendi defectus, quia conſuetudinem habet repetendi, & ſupplendi, quæ ſine attentione recitauit, hic non grauiter peccat, ſed tantùm venialiter. quia hic ſimiliter virtualiter non intendit ea recitatione voto, vel præcepto ſatisfacere. ergo perinde eſt ac ſi orationes voluntarias recitaret. ergo non peccat grauiter: tenebitur tamen vel iterum recitare, vel ſupplere defectus: videatur Bonacina *tom.1. tract.de Horis Canonicis, diſp.1. quæſt.3. puncto 2.§.2.num 9.*

Dvbitatio III.

III. *An recitans Officium diuinum, mente diſtracta, voluntariè, vltra peccatum teneatur iterum perſoluere Officium?*

Dico ſextò, recitans preces horarias ex voto, vel præcepto Eccleſiæ debitas, mente vltrò diſtracta, lethali peccato ſe ille contaminet, ſi non habet propoſitum formale, vel virtuale illas repetendi, vt diximus *aſſertione* 2. Cenſet tamen Corduba hunc non debere eas preces iterum repetere, vt voto, vel præcepto Eccleſiæ ſatisfaciat: quia licèt hic lethaliter peccauit, diuinum tamen Officium perſoluit: ſicut qui debitum ſoluit, & alienum reſtituit ex odio, & maleuolentia, non tenetur iterum alienum reſtituere. ergo ſimiliter, &c. Ita *in ſuis quæſtionibus, lib. 4. quæſt.13. ad finem de poteſtate Papæ*, idque probabile putat eſſe Azor. *part.1. Inſtit.mor.lib.*10. *cap.*12.*quæſ.6. §. in hac quæſtione.* Sed hoc aſſerere eſt omnino falſum, & improbabile: vnde,

Dico ſeptimò, voluntariè, & mente vltrò diſtracta recitantem orationem ex voto, vel ex præcepto Eccleſiæ debitam, cum animo ſatisfaciendi voto, vel præcepto Eccleſiæ per illam orationem, nec iterum eam recitandi, non ſolùm peccare mortaliter, quia non orat ſicut debet cum attentione interna, nec habet animum iterum legitimo modo orandi, ſed etiam teneri iterum illam orationem perſoluere: nam adhuc tempus, & facultatem habet id faciendi, vt ſupponitur, vt ſi nondum eſſet elapſa dies, intra quam illam recitare teneretur; ergo adhuc tenetur voto, & præcepto de illa oratione dicenda. Ita probè Magiſter Sotus *lib.10. de Iuſtitia, quæſt.5. art.5. § Supra autem hæc.* Arag. *2.2.quæſt.83. art.13. §. Eſt aliud dubium, verſic.in hoc tamen dico quartò.* Azor. *loco* nouiſſimè *adducto*, aſſerens hanc Soti ſententiam eſſe veriorem, & probabiliorem.

Dvbitatio IV.

IV. *An qui ex voto, vel ex præcepto tenetur audire Miſſam, ſatisfaciat voto, vel præcepto, ſi tempore Miſſæ voluntariè ſua mente negotia ſæcularia reuoluat?*

Dico octauò, qui Sacrum audire vouit, ſimiliter qui in die feſto tenetur audire Miſſam, non ſatisfacit voto, neque præcepto Eccleſiæ, ſi tempore Miſſæ vltrò, & voluntariè mente ſua negotia ſæcularia reuoluit. quia nedum corporaliter, ſed etiam mentaliter intereſſe debet Sacro, vt quis ſatisfaciat voto, vel præcepto de audienda Miſſa. ergo aduertens ſe mente vagari, ſi voluntariè vagetur, non ſatisfacit, &c. Tum, quia nomine auditionis Miſſæ intelligitur ea actio per quam quis intereſt Miſſæ humano modo, corpore ſcilicet, & mente in tali diſtantia, vt poſſit ſaltem videre Sacerdotem, & attendere ad illius miniſterium: tum, quia de eo, qui vltrò aſſiſtendo ſacrificio Miſſæ, mente diſtrahitur, non poteſt verificari quòd audiat Miſſam, quòd aſſiſtat ſacrificio, quòd offerat ſimul cum ipſo Sacerdote. ergo ad implendum votum audiendi Miſſam, vel præceptum Eccleſiæ in diebus feſtiuis, requiritur moralis præſentia cum debita attentione. Ita bene Nugnus *tom. 1. 3.part. quæſt. 83. art.6. dub.2. concluſione 6.*

Dico nonò, eſſe omnino improbabile fidelem quemlibet ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam feſtis diebus, ſi ſecundùm externum corporis habitum Miſſæ decenter interſit, licèt interna mente Deo, aut rebus diuinis non intendat: nam eſt omnino falſum aſſerere, quòd Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat, ideóque mortaliter non peccet Clericus ſi officium Canonicum externa oris, & corporis compoſitione perſolnat, licèt interna mente Deo, aut rebus diuinis non intendat. ergo ſimiliter fidelis quilibet ſi ſecundùm externum corporis habitum Miſſæ interſit, ſi interna mente Deo, aut rebus diuinis non intendat, non ſatisfacit præcepto audiendi Miſſam, & conſequenter idem dicendum eſt de eo, qui ex voto tenetur ad Miſſam audiendam: tum, quia Eccleſia non ſolùm voluntarios, ſed etiam attentos poſtulat auditores, nec inde fit vt præcipiat per ſe actum internum, ſed actum externum ex interno profectum, & huiuſmodi actum poteſt Eccleſia imperare, vt ſuprà diximus contra Syl. *verb. Miſſa 2. quæſt.* 6. Coninchus 3. *part. q.* 83. *art.* 6. *dub. vnico, num.* 197. Laymann *tom.* 2. *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 3. *de feſtorum obſeruatione, num.* 2. Azor. *part.* 1. *inſtit. moral. lib.* 7. *cap.* 5. *quæſ.* 2. §. *Quod ergo vocatur in dubium.*

Dvbitatio V.

V. *An qui tenetur ex voto, vel ex præcepto, audire Miſſam, ſatisfaciat audiendo dimidiam ab vno, & dimidiam ab alio?*

Dico decimò, adimplet votum ſuum de audiendo Miſſam & præceptum Eccleſiæ audiendi Sacrum feſtis diebus, qui audit Miſſam dimidiam ab vno Sacerdote, & aliam dimidiam ab alio. v. g. Ingreditur quis Eccleſiam, & inuenit Miſſam in conſecratione hoſtiæ, & audit vſque ad finem, adimplet votum & præceptum ſaltem quantum ad ſubſtantiam, audiendo poſtea alteram Miſſam vſque ad illam partem. quia in iure ſolùm habetur quòd audiatur tota Miſſa integra, ſed iſte audit integram Miſſam ſaltem, moraliter loquendo; ergo cùm iſta lex ſit pœnalis, non eſt amplianda, ſed potiùs reſtringenda, itaut ſimpliciter adimpleatur in caſu poſito. Ita clarè colligitur ex Magiſtro Soto *in* 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 2. *art.* 1. §. *In calce demum articuli, verſ. Neque verò.*

Dico vndecimò, qui audit Miſſam partim ab vno Sacerdote, & partim ab alio, adimplet quidem præceptum quoad ſubſtantiam, non tamen quoad modum, ideo non peccat mortaliter, bene verò venialiter, ſi ſine magna neceſſitate hoc faciat. quia ſaltim iſte non audit Miſſam debito ordine. ergo ſaltem peccat venialiter ſi ſine neceſſitate hoc faciat. Nugnus *tom.* 1. *in* 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 6. *dub.* 12. §. *Ad hanc difficultatem reſpondetur.* Laymann *tom.* 2. *lib.* 4. *tr.* 7. *de feſtorum obſeruatione, cap.* 3. §. *Addunt verò plerique.*

Articvlvs XXVI.

De ordine ſeruando in recitando diuino Officio debito ex voto, vel ex præcepto.

Svmmarivm.

1. *An recitans diuinum Officium ex voto, vel præcepto, ſi non ſeruet ordinem, etiam intra eandem horam, peccet.*
2. *An Religioſus, vel Clericus ſerò ad Chorum veniens, teneatur recitare, quod à Choro dictum eſt, ſi non multum proceſſum ſit.*
3. *An recitans Officium in Choro, ſi aliquid omittat, poſſit omiſſum differre, repetendum, expleto Choro, vel aliam orationem loco partis omiſſæ, recitare.*
4. *An liceat alicui in aliquo caſu, recitatis Pſalmis matutinis, proſequi abſque recitatione lectionum.*

Dvbitatio I.

I. *An recitans diuinum Officium ex voto, vel præcepto, ſi non ſeruat ordinem etiam intra eandem horam, peccet?*

Dico primò, qui ex voto, vel ex præcepto Eccleſiaſtico tenetur Horas precarias recitare, ſi non ſeruat illarum ordinem, recitando, e.g. primam ante Matutinum, aut Veſperas ante alias horas, peccat quidem venialiter dum hoc facit aduertenter, & ſine iuſta cauſa; quia non obſeruat conſuetudinem, & modum præcepti: non tamen peccat mortaliter, nec tenetur repetere, quia adimplet præceptum quoad ſubſtantiam: immo neque peccat venialiter, dum hoc facit ex iuſta cauſa, quia ordo, & modus cenſetur à Superiore præſcriptus ſub hac tacita conditione, niſi aliter poſtulet iuſta cauſa. Syl. *verb. Hora, q.* 9. §. *Quartum ſi quis.*

Dico ſecundò, qui inuitatur ab amico, vel à Superiore ad recitandam Primam, cùm ipſe nondum recitauit Matutinum, poteſt licitè, & abſque culpa etiam veniali cum eo Primam recitare, recitando poſtea Matutinum. quia hæc cenſetur iuſta cauſa ordinem Horarum variandi. Idem dicendum ſi hoc fieret in adiutorium Chori: niſi præceſſiſſet negligentia, vel mora in dicendo quod Chorus dixit, tunc enim eſſet veniale. Syl. nouiſſimè relatus. Azor. *part.* 1. *inſtit. mor. lib.* 10. *cap.* 10 *quæſ.* 1.

Dico tertiò, qui dum Tertiam recitat, recordatur ſe nondum recitaſſe Primam, vel Matutinum, poteſt Tertiam proſequi, cum intentione recitandi poſtea Matutinum, vel Primam, quoniam ordo Horarum non ſpectat ad ſubſtantiam præcepti de perſoluendo Officio diuino. Armilla *verb Hora Canonica, n.* 15. Addens recitata Tertia ante Primam, vel Nona ante Sextam, non opus eſt eam poſtea recitatam horam repetere, ſed ſufficit dicere omiſſa.

Dico quartò, non ſolùm recitans ex voto, vel ex præcepto Eccleſiaſtico Horas precarias, ſecluſo contemptu, & ſcandalo, peruertit ordinem Horarum Canonicarum, inter ſe non committit peccatum mortale, verùm etiam ſi peruertit ordinem eiuſdem Horæ, non delinquit lethaliter. e. g. dicendo Pſalmum ante Hymnum, aut vnum Pſalmum ante alium, imò ſi hoc fiat ex iuſta cauſa, excuſari poteſt ab omni peccato, vt accidit quando Clericus, vel Religioſus legitimo detentus impedimento tarde ad Chorum venit Hora iam incepta, poteſt tunc cum aliis cantando pergere, & poſtea quæ omiſſa ſunt, ſupplere. Prima pars huius aſſertionis probatur, quia ille rem præceptam implet ſecundùm ſubſtantiam, licèt in accidentali modo peccet. ergo excuſatur à peccato mortali ſecluſo contemptu, & ſcandalo. Secunda verò pars probatur, quia quod ex iuſta cauſa fit, rationabiliter, & prudenter fieri dicitur. ergo ſic agens excuſabitur ab omni culpa: videatur pro hac aſſertione Syl. *verb. Hora, q.* 12. *n.* 15. Sà *verb. Horæ Canonicæ, n.* 8. Bonacina *tom.* 1. *tract. de Horis Canonicis, diſput.* 1. *q.* 3. *puncto* 4. *n.* 5.

Dvæ

DVBITATIO II.

II. *An Religioſus, vel Clericus ſerò ad Chorum veniens, teneatur recitare quod à Choro dictum eſt, ſi non multum proceſſum ſit?*

Dico quintò, Clericus, ſiue Religioſus tardè ad Chorum veniens, horâ iam cœpta, non ſolùm poteſt cum aliis cantando pergere, & poſtea quæ emiſſa ſunt, ſupplere, ſed etiam probabiliter dici poteſt, nihil ab eo ſupplendum eſſe, ſi non multum in Choro proceſſum eſt. quia ſicut in Miſſæ auditione, ita & in Officio Canonico omiſſio modici æſtimati non ſolet, præſertim cùm propter ſocietatis vinculum, alij cantantes vnius defectum ſupplere cenſeantur. Ita Henricus *quodlib*. 11. *quæſt*. 29. Maior *in* 4. *diſt*. 12. *q*. 6. Laymann *tom*. 2. *lib*. 4. *tract*. 1. *cap*. 5. *de Oratione, num*. 7. §. *Adde primò*.

DVBITATIO III.

III. *An recitans Officium in Choro, ſi aliquid omittat, poſſit differre repetendum, expleto Choro, vel aliam orationem loco partis omiſſa recitare?*

Dico ſextò, qui dicendo Officium cum aliis in Choro ex aliqua neceſſitate, puta, quia oportuit illum alicui reſpondere, vel quærere librum, vel huiuſmodi, intermiſit Pſalmum, vel orationem, non tenetur illud reaſſumere, nec etiam ſi ex negligentia emiſit, debet reaſſumere, ſed pœniteat, & expleto Officio ſuppleat omiſſum, ſi eſt quid notabile. Idem dicendum eſt, ſi recitans in Choro in aliqua parte dormiuit; ſi verò omiſſum eſt quid minimum, aliquid loco illius poterit recitare. Ratio huius aſſertionis eſt, quia iuſtam cauſam habet differendi, cùm enim Chorus ſemper proſequatur Officium, non poteſt qui partem aliquam omiſit, eam cum aliis, per ſe loquendo, recompenſare, non enim canit cum aliis dum aliquid omiſſum recitat. Ita bene Syl. *verb. Hora, q*. 12. §. *Secundum qui dicendo Officium*.

Dico ſeptimò, quamuis qui in Choro aliquid omiſit, non debeat omiſſum repetere durante Officio in Choro, & illud poſſit reſeruare repetendum poſt expletum Officium, & ſi ſit pars exigua, & parua, aliquid loco illius poſſit recitare: tamen, ſi eſt quid notabile, ipſamet pars omiſſa debet repeti. quia non eſt in poteſtate perſoluentis diuinum Officium ex voto, vel ex præcepto Eccleſiæ, partes illius notabiles immutare, ſed illud iuxta Eccleſiæ præſcriptum recitare debet.

DVBITATIO IV.

IV: *An liceat alicui in aliquo caſu recitatis Pſalmis matutinis, proſequi Laudes, abſque recitatione Lectionum?*

Dico octauò, ſi quis dictis Pſalmis matutinis non habet Breuiarium ad manum, in quo Lectiones recitare poſſit, vel eas ratione itineris, v. g. legere non poſſit, atque inſtat cauſa, ſiue neceſſitas aliqua exoluendi ſe penſo Horarum Canonicarum, permiſſum eſt ei Lectiones differre, & cætera, etiam Laudes perſoluere; & eadem multo magis eſt ratio, ſi commemoratio de feſto, vel aliquid ſimile, ad manum non ſit, ſupplendo poſtea omiſſum ſi aderit commoditas: quia iſte iuſtam cauſam habet non ſeruandi ordinem dicendorum in Officio diuino: videatur Laymann *tom*. 2. *lib*. 4. *tract*. 1. *c*. 5. *de Oratione & Horis Canonicis, num*. 7. *verſic. Adde ſecundò*.

ARTICVLVS XXVII.

De omiſſione diuini Officij, ad quod tenetur quis ex voto, vel ex præcepto.

SVMMARIVM.

1. *An qui tenetur ex voto, vel præcepto ad Officium diuinum, non valens recitare partem, teneatur ad illam.*
2. *An Breuiarium omittens, ſi memoriter ſciat Pſalmos, teneatur recitare illos, impotens legere Lectiones, & Reſponſoria.*
3. *An in Horis Canonicis minoribus, omittens voluntariè partem notabilem, peccet? &, quænam ſit pars notabilis horæ paruæ.*
4. *An certus de voto, vel iuramento recitandi Horas Canonicas, ſi ſit dubius, an illa die recitauerit, illas recitare teneatur.*

DVBITATIO I.

I. *An qui tenetur ex voto, vel præcepto ad Officium diuinum, non valens recitare partem, teneatur ad illam?*

Dico primò, qui tenetur ex voto, vel præcepto Eccleſiæ, ad preces Canonicas, ſi probabiliter credit ipſum integram aliquam Horam, etiam minimam, v. g. Tertiam, recitare poſſe, licèt alias Horas non poſſit, tenetur illam recitare. quia quæuis Hora per ſe eſt Canonica oratio à reliquis Officij partibus diuidua: videatur Sanchez *lib*. 1. *in Decalogum, cap*. 19. *num*. 9.

Dico ſecundò, obſtrictus ex voto, vel præcepto Eccleſiæ ad recitandum diuinum Officium, ſi alicuius Horæ, v. g. Matutini, vel Veſperarum notabilem partem recitare non poteſt, omnino ab ea Hora excuſatur. quia illæ Horæ ſine notabili parte recitatæ non ſunt Horæ Canonicæ, ſeu Officium diuinum, ſed Eccleſia ſolùm præcipit ad recitandum Officium diuinum. ergo. Laymann *tom*. 2. *lib*. 4. *tract*. 1. *cap*. 6. *de Oratione, & Horis Canonicis, num*. 2.

DVBITATIO II.

II. *An Breuiarium omittens, ſi memoriter ſciat Pſalmos, teneatur recitare illos, impotens legere Lectiones, & Reſponſoria?*

Dico tertiò, ſi quis Breuiarum ſuum omiſit, & in Matutinis alicuius feriæ omnes Pſalmos memoriter ſciat, ſed tres Lectiones cũ Reſponſoriis neſciat, obligatur ad Pſalmos recitandos. quia tunc pars, quæ omittitur, non eſt notabilis. In caſu noſtro, licèt talis omiſſio trium Lectionũ cum Reſponſoriis, abſolutè loquendo, & ſecundùm ſe, ſit notabilis: aliud verò dicendum eſt de Matutinis nouem Lectionum, quarum omiſſio notabilis cenſetur; quare qui eam partem recitare nequit, à toto Matutino excuſatus eſſe videtur: videatur Bonacina *tom*. 1. *tract. de Horis Canonicis diſp*. 1. *quæſt*. 6. *puncto* 2. *num*. 7. Laymann *tom*. 1. *lib*. 1. *tract*. 4. *cap*. 19. *de legibus, num*. 6. Sanchez *lib*. 1. *in Decalogum, cap*. 19. *num*. 7.

Dvbitatio III.

III. *An in Horis Canonicis minoribus, omittens voluntariè partem notabilem peccet? & quanam ſit pars notabilis Horæ paruæ?*

Dico quartò, in Hotis Canonicis minotibus pars notabilis dicitur totum principium vnà cum Pſalmo, vnde qui tenetur eas recitare ex voto, vel præcepto, omittens totum principium vnà cum Pſalmo aduertenter Primæ, vel Tertiæ, vel Sextæ, vel Nonæ, peccat lethaliter. quia totum principium vnà cum Pſalmo in Hotis Canonicis minoribus eſt pars notabilis, cùm ſit tertia pars illarum; ſed omittens partem notabilem voluntariè cuiuſcunqoe Horæ Canonicæ peccat lethaliter. ergo omittens totum principium vnà cum Pſalmo in Horis Canonicis minoribus peccat lethaliter: videatur Nauarr. *cap. quando, de conſecratione diſt.* 1. *cap.* 10. *num.* 44. Azor. *part.* 1. *inſtit. mor. lib.* 10. *cap.* 7. *quaſ.* 5.

Dico quintò, medietatem Horæ paruæ, non verò tertiam partem, eſſe materiam notabilem, aſſerunt aliqui DD. nam aliàs, inquiunt, ſi quis omitteret tertiam partem alicuius Pſalmi, peccaret mortaliter, cùm illa pars ſit notabilis per ordinem ad illud cuius eſt pars; ſed non eſt peccatum lethale tertiam partem alicuius Pſalmi omittere. ergo, &c. Tum, quia quantitas notabilis non ſolùm penſanda eſt per ordinem ad id cuius eſt pars, verùm etiam ſecundùm ſe, ſed tertia pars Horæ paruæ ſecundùm ſe, non videtur pars notabilis, etiam ſi per ordinem ad id cuius eſt pars notabilis, cenſeatur. ergo, &c. & ita tenent Rodriquez *part.* 1. *ſumma cap.* 141. *num.* 17. & multi alij cit. à Bonacina *tom.* 1. *tract. de Horis Canonicis, diſput.* 1. *quaſt.* 5. *puncto* 1. *num.* 2. *verſ. Sylu. verò.*

Dico ſextò, Horam paruam eſſe materiam grauem, non verò tertiam partem, vel medietatem Horæ paruæ, docent aliqui Doctores non pœnitendi. quia pars, inquiunt, infra Horam paruam ſecundùm ſe videtur modica, & leuis, & conſequenter non eſt ſufficiens ad mortale peccatum: tum, quia veroſimile non eſt, piam matrem Ecclesiam velle perpetuis gehennæ incendiis illum ſubiicere qui leuiorem partem dimittit, qualis eſt tertia pars Horæ paruæ, vel medietas. Ita docet Leſſ. *lib.* 2. *de Iuſtitia, cap.* 37. *dub.* 9. *num.* 52. adducens Angelum, & Paludanum, & hos ſequitur Bonacina nouiſſimè adductus.

Dico ſeptimò, inter has tres vltimas aſſertiones verior mihi videtur quarta. Ducor, quia tertia pars vnius Horæ paruæ, licèt ſecundùm ſe, & reſpectu omnium ſeptem Horarum Canonicarum non ſit pars notabilis, eſt tamen notabilis reſpectu totius huius paruæ Horæ, & hoc ſufficit vt dicatur pars notabilis: nam non eadem quantitas conſtituenda eſt pars notabilis in ſingulis Horis Canonicis, cuius omiſſio ſit mortalis, ſed pro rata, & pro cuiuſlibet portione iuxta ſingularum Horarum longitudinem, aut breuitatem id eſt ſpectandum; ſed tertia pars vnius Horæ paruæ, eſt pars notabilis reſpectu huius Horæ longitudinis, aut breuitatis. ergo, &c. Ita bene Moneta *de diſtributionibus quotidianis* 2. *part. quaſt.* 3. *num.* 32. Videatur pro hac aſſertione etiam Sanchez *lib.* 1. *in Decalogum, cap.* 4. *num.* 18. & 19.

Dvbitatio IV.

IV. *An certus de voto, vel iuramento, recitandi Horas Canonicas, ſi ſit dubius an illa die recitauerit illas, recitare teneatur?*

Dico octauò, certus de voto, vel iuramento dicendi Horas Canonicas, dubitans poſtea an illo die recitauerit poſt adhibitam ſufficientem diligentiã, ſi adhuc eſt dubius an recitauerit, tenetur recitare. quia cùm executio obligationis voti, vel iuramenti dicendi diuinum Officium ſit quid facti, non præſumitur, ſed ei qui obligatus eſt incumbit illam probare. quare dum eam non probant, ſed dubius fuerit, ſtat præſumptio, & poſſeſſio pro obligatione voti, vel iuramenti: ergo certus de voto, & iuramento, dubitans an illas recitauerit, tenetur, &c. Ita Rebellus *de Iuſtitia, part.* 2. *lib.* 1. *quaſt.* 3. *sect.* 2. *num.* 13. Sanchez *lib.* 1. *in Decalogum, c.* 10. *num.* 36. *fine.*

Dico nonò, qui ex voti obligatione, vel ex Eccleſiæ præcepto diuinum Officium recitauit, ſed dubitat an Pſalmum aliquem, Antiphonam, vel quid ſimile prætermiſerit, non tenetur Pſalmum illum, vel Antiphonam iterum recitare: ſimiliter qui actu recitat diuinum Officium, & poſtea penitus obliuiſcitur id quod antea recitauerat, ampliùs repetere non debet, nec Pſalmum illum recitare, de quo dubitat an recitauerit. quia aliàs via infinitis ſcrupulis aperitur, & ſemel repetita ſæpiùs repeterentur, ſicque à capite ſine vlla conſcientiæ tranquillitate ſæpiùs incipiendum eſſet: tum, quia adeſt ſufficiens ratio deponendi dubium, cùm non facile ſoleat quidquam prætermitti: videatur Azor. *part.* 1. *inſtit. mor. cap.* 12. *quaſ.* 12.

Articvlvs XXVIII.

De attentione requiſita ad implendum opus debitum ex voto, vel ex præcepto.

Svmmarivm.

1. *An qui ex voto tenetur recitare Roſarium, ſi deuotè illud incipiat, poſtea non aduertens, mente diſtrahatur, & ſic perſoluat bonam partem, teneatur illud repetere.*
2. *Explicatur quotuplex ſit attentio requiſita ad recitanda ea, quæ ex voto, vel præcepto, recitare tenemur.*
3. *Explicatur quid ſit attentio actualis, virtualis, & habitualis.*
4. *An attentio actualis ſit neceſſaria ad ſatisfaciendum Officio ex voto, vel præcepto debito.*
5. *An attentio virtualis ſit ſufficiens ad ſatisfaciendum Officio diuino.*
6. *Quantónam durare dicatur attentio actualis.*
7. *An attentio habitualis ſufficiat ad ſatisfaciendum Officio diuino, vel orationi ex voto debita.*
8. *An requiratur attentio formalis expreſſa initio recitationis precum debitarum ex voto, vel ſufficiat tacita.*
9. *An Religioſus, vel Clericus, qui, dum ſignum ad Officium diuinum datur, ad Chorum de more vadis, vel ſi priuatim recitet, de more accipit Breuiarium, licèt non expreſſè proponat recitare Officium, ſuæ ſatisfaciat obligationi, ſic recitando.*

Dvbitatio I.

I. *An qui ex voto tenetur recitare Roſarium, ſi deuotè illud incipiat, poſtea non aduertens, mente diſtrahatur, & ſic bonam partem perſoluat, teneatur illud repetere?*

Dico primò, qui tenetur ex voto Roſarinm Virginis recitare, & illud attentione actuali, vel virtuali incipit dicere, poſtea nihil aduertens bonam partem illius perſoluit animo variis cogitationibus diſtracto, non teoetur illud repetere. quia illa mentis diſtractio non fuit voluntaria.

Dvbitatio II.

II. *Quotuplex ſit attentio requiſita ad recitanda ea, quæ ex voto, vel præcepto recitare tenemur?*

Dico ſecundò, attentio quæ requiritur ad recitanda ea, quæ ex voto, vel ex præcepto Eccleſiæ recitare tenemur; eſt triplex, ſuperficialis, litteralis, ac ſpiritualia, & vna ex iſtis ſufficit, vt attentè, & deuotè recitare dicamur. Superficialis attentio eſt ad verba, vt rectè & integrè proferantur: litteralis eſt ad verborum ſenſum, ſeu intelligentiam: ſpiritualis eſt ad Deum, vt ſi dum lingua verba profert ſpiritus, pia meditatione alicuius myſterij circa Chriſti Domini humanitatem, paſſionem, vel rei poſtulandæ neceſſitatem occupetur, puta petendo caſtitatem, humilitatem, fidem, ſpem, diuinam amicitiam, cæleſtem patriam, & alia huiuſmodi: videatur D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 13. Caiet. *ſumma verb. Hora Canonica*, *num.* 9.

Dvbitatio III.

III. *Quid ſit attentio actualis virtualis, & habitualis?*

Dico tertiò, triplex adhuc eſt attentio, actualis, virtualia, & habitualis. Actualis eſt illa, qua quis actualiter attendit ad verba, vt rectè, & integrè proferantur, vel ad ſenſum verborum, vel ad piam meditationem Paſſionis Domini, vel diuinitatis. Virtualis illa dicitur, cùm quis initio orandi attendit ad verba vt integrè, & rectè proferantur, vel ad eorum ſenſum, vel ad piem aliquam meditationem, & virtute iſtius attentionis recitans proſequitur orationem, quamuis inter orandum inuoluntariè diſtrahatur. Attentio habitualis contingit dum quis recitat aliquid ex habitu & vſu, nihil ad illud aduertens, vel nulla præcedente aduertentia in principio, vt ſi quis canat & recitet in ſomnis Pſalmos ex habitu, iuxta quem in vigilie canere conſueuit: videatur Arag. 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 13. §. *his conſtitutis.*

Dvbitatio IV.

IV. *An attentio actualis ſit neceſſaria ad ſatisfaciendum Officio diuino, ex voto, vel præcepto debito?*

Dico quartò, attentio actualis, qua quis actualiter attendit ad verba, vt integrè, & rectè proferantur, vel ad ſenſum verborum, vel ad piam meditationem Paſſionis Chriſti Domini, vel Diuinitatis, eſt quidem ſufficientiſſime ad ſatisfaciendum voto recitandi aliquam orationem, vel præcepto perſoluendi penſum diuini Officij, quia eſt maxima attentio, non tamen eſt neceſſaria. quia difficilimum eſt ſemper eam habere, nec credibile eſt hominem ad opus tam arduum, támque difficile obligari.

Dvbitatio V.

V. *An attentio virtualis ſit ſufficiens ad ſatisfaciendum Officio diuino?*

Dico quintò, attentio virtualis, quando quis orationem, vel aliud opus aggreditur, attento animo illud perficiendi, licèt dum in oratione verſatur animum aliò conuertit, non tamen dedita opera, nec ex propoſito ad ſatisfaciendum voto, vel præcepto diuini Officij. quia in aliis operibus meritoriis non eſt neceſſarium quòd ſemper attentio actualis adſit; ſed vis primæ intentionis eſt ſufficiens efficere illud dignum præmio. ergo idem erit dicendum in oratione: ſufficiet igitur attentio virtualis in qua durat vis actualis attentionis ad ſatisfaciendum voto, vel præcepto diuini Officij, & cuiuſcunque orationis debitæ. Ita colligitur apertè ex S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 13. & docet etiam Sotus *lib.* 10. *de Iuſtitia*, *quæſt.* 5. *art.* 5. *concluſione ſeptima.*

Dvbitatio VI.

VI. *Quantónam durare dicatur attentio actualis?*

Dico ſextò, actualis attentio durare dicitur in proceſſu orationis, vel in proceſſu cœpti operis, niſi expreſsè, vel tacitè reuocetur: expreſsè reuocatur dum recitans, vel exequens opus expreſsè vult non attendere: tacitè reuocatur dum recitans, vel exequens opus aduertit ſe diſtractum, & nihilominus non repellit diſtractionem, nec reuocat mentem ad attentionem. quia ceſſat & interrumpitur quoad ſuam virtutem actualis attentio per actum contrarium, quo quis expreſsè actu poſitiuo non vult attendere orationi, vel alteri operi incepto, vel tacitè per diſtractionem voluntariam. ergo niſi expreſsè, vel tacitè reuocetur, durat in proceſſu orationis, vel alterius operis incepti, videatur Beia *part.* 2. *caſuum conſcientiæ*, *caſu* 33. §. *Hoc autem propoſitum.*

Dvbitatio VII.

VII. *An attentio habitualis ſufficiat ad ſatisfaciendum Officio diuino, vel orationi ex voto debitæ?*

Dico ſeptimò, attentio habitualis, qua quis recitet aliquid ex habitu, & vſu, nihil aduertens, non ſufficit ad ſatisfaciendum voto, vel præcepto de aliqua oratione dicenda. quia nullum præceptum in vniuerſum poteſt impleri niſi per actum humanum, & liberum, quo quis velit efficere id quod per præceptum iniungitur, ſed quod fit ex ſola attentione habituali, non fit liberè & voluntariè; ergo non ſufficit ad ſatisfaciendum, &c. Videatur Magiſter Sotus *lib.* 2. *de Iuſt. q.* 3. *a.* 9.

Dvbitatio VIII.

VIII. *An requiratur attentio formalis expreſſa initio recitationis precum debitarum ex voto, vel ſufficiat tacita?*

Dico octauò, attentio in initio recitandi preces ex voto debitas, vel præcepto, non requiritur quòd ſit

formalis

formalis expreſſa & explicita, ſed ſufficit quòd ſit tacita, & implicita. nam qui recitaturus eſt diuinum Officium ex voto, vel præcepto, non requiritur quòd expreſsè proponat Officium recitare attentè, & ſtudioſè, ſed ſufficit quòd in genere intendat recitare diuinum Officium modo conſueto: ergo attentio tacita, & implicita ſufficit. Ita bene Leſſius *lib.2.de Iuſtitia, cap.37.dub.11.num.72.*

DVBITATIO IX.

IX. *An Religioſus, vel Clericus, qui dum ſignum ad Officium diuinum datur, ad Chorum de more vadit, vel ſi priuatim recitet, de more accipit Breuiarium, licèt non expreſsè proponat attentè recitare Officium, ſuæ ſatisfaciat obligationi ſic recitando?*

Dico nonò, Religioſus, vel Clericus, qui dum ſignum ad Officium diuinum datur ad Chorum, de more vadit, vel ſi priuatim recitat, accipit Breuiarium de more, etiamſi non expreſsè proponat Officium recitare attentè, & deuotè, ſatisfacit ſuæ obligationi ſic recitando diuinum Officium. nam habet attentionem tacitam, & implicitam deuotè & attentè perſoluendi diuinum Officium: quia eo ipſo quo de more vadit ad Chorum, & de more accipit Breuiarium, ſatis indicat ſe ire ad Chorum, & Breuiarium accipere ad eum finem, ad quem aliàs ſigno dato ad diuinum Officium perſoluendum itur ad Chorum, & accepto Breuiario de more perſoluitur diuinum Officium; ſed mos eſt, imò præceptum eſt, quòd Officium diuinum deuotè, & attentè perſoluatur. ergo pergens ad Chorum dum ſignum datur ad Officium diuinum, vel quando priuatim recitat accipiens de more Breuiarium ad dicendum Officium, tacitam, & implicitam habet attentionem in recitando poſtea diuinum Officium, idque ſufficiens eſt ad ſatisfaciendum ſuæ obligationi: videatur Magiſter Sotus *lib.10.de Iuſtitia, q.5.art.5.concluſione 7.* Beia *part.2. caſuum conſcientiæ, caſu 33.§. Dicitur autem propoſitum actuale.* Azor. *p.1.inſtit. mor.lib.10.cap.12.quæſ.4.*

ARTICVLVS XXIX.

De requiſitis ad ſatisfaciendum præcepto Miſſæ.

SVMMARIVM.

1. *Quænam attentio requiratur dum auditur Sacrum.*
2. *An qui per tertiam partem Miſſæ confabulatur, ſatisfaciat præcepto de audienda Miſſa in die feſto.*
3. *An ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam in die feſto, recitans in illius auditione ea, ad quæ ex præcepto, vel voto, vel pœnitentia ſacramentali, tenetur.*
4. *An peccet omittens notabilem partem Miſſæ in die feſto.*
5. *An qui omittit Miſſam, vſque ad Euangelium incluſiuè, ſatisfaciat præcepto, ſi extra Miſſam legat, vel audiat legere Euangelium.*
6. *An ſatisfaciat præcepto Miſſæ qui non adeſt oblationi, vel conſecrationi, vel communioni, licèt adſit alijs partibus.*
7. *An aſſiſtens ſacrificio Miſſæ, dum nec audit, nec videt celebrantem, ſatisfaciat præcepto Miſſæ.*
8. *An audiens ſimul Miſſam ab vno Sacerdote vſque ad conſecrationem, & ab alio vſque ad finem, ſatisfaciat præcepto.*
9. *An inſeruientes Miſſæ ſatisfaciant præcepto ſi toti Miſſæ non adſint.*
10. *An qui conſitentur peccata tempore Miſſæ, ad quam ex obligatione tenentur, ſatisfaciant obligationi.*
11. *An ſuſcipientes longam nauigationem, teneantur ex præcepto audire Miſſam, quam vocant ſiccam.*
12. *An occurrente feſto aliquo in die Paraſceues, qui non aſſiſtunt illi ceremoniæ Eccleſiaſticæ, peccent.*

DVBITATIO I.

I. *Quænam attentio requiratur, dum auditur Sacrum?*

Dico primò, ſicut in precibus ex voto, vel præcepto Eccleſiæ debitis, tribus modis poſſumus attendere, vel ad verba, quæ dicimus, ne dicendo erremus, vel ad ſenſum verborum, vel ad Deum ipſum, quem oramus, vel ad res diuinas, quas orando petimus, vel optamus, vt diximus *aſſertione 4. artic. præcedentis*, cum S.Thom. 2.2.*quæſt.83.art.13.* Ita dum quis Sacrum audit ex voto, vel ex præcepto Eccleſiæ, vt deuotè & attentè Miſſam audiat, poteſt attendere vel ea quæ dicit, aut facit Sacerdos, vel poteſt attendere ad Deum ipſum cui ſacrificium offertur, vel ad diuina arcana, quæ in Miſſæ ſacrificio ſignificantur, vel ad diuina beneficia, quæ per Miſſæ ſacrificium conferuntur. Videatur D.Thom. nouiſſimè relatus. Azor. *part.1.inſtit.mor.lib.7.cap.5. quæſ.5.* Suarez *tom.3.in 3.p. diſput.88.ſect.3.§. Alij verò.*

DVBITATIO II.

II. *An qui per tertiam partem Miſſæ confabulatur, ſatisfaciat præcepto de audienda Miſſa in die feſto?*

Dico ſecundò, non ſatisfacit præcepto de audiendo Sacro qui notabiliter, puta per tertiam partem Miſſæ, confabulatur, nugatur, ridet, ludit. quia qui confabulatur, nugatur, ridet, & ludit notabiliter tempore Miſſæ, prorſus impeditur à te diuina audienda. ergo cùm non ſola præſentia corporalis, ſed etiam mentalis requiratur ad Miſſæ præcepto ſatisfaciendum, vt diximus *aſſertione 8. artic. 25.* qui notabiliter confabulatur, nugatur, ridet, non ſatisfacit præcepto, quia hic ſolùm corporaliter aſſiſteret, non autem mentaliter. Ita bene Nugnus noſter *tom.1. in 3.p.q.83. art.6. dub. 2. §. Circa tertiam partem huius concluſionis, verſic. Ad argumentum*, ergo: qui benè addit quòd ſi tempore Miſſæ admiſceantur aliqua colloquia in parua quantitate, adimpletur quidem præceptum, ſed eſt veniale peccatum irreuerentiæ: quoniam res diuina non ita religioſè, decenter, & piè, vt æquum eſt, auditur ſi in illius auditione colloquia admiſceantur.

DVBITATIO III.

III. *An ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam in die feſto, recitans in illius auditione ea, ad quæ ex præcepto, vel voto, vel pœnitentia ſacramentali, tenetur?*

Dico tertiò, ſatisfacit Chriſti fidelis præcepto audiendi Sacrum ſi tempore Miſſæ pro deuotione ſua vocaliter oret, ſiue recitet ea, quæ aliàs ex obligatione aliqua recitare tenetur, aut ratione Ordinis, aut beneficij, aut ex voto, aut ex pœnitentia iniuncta. quia huiuſmodi

huiuſmodi oratio ſiue ſit voluntaria, ſiue ex obligatione, non impedit præſentiam, neque attentionem ad Miſſam oeceſſariam non præſentiam, vt pater, oeque attentionem. nam audiens Miſſam, non tenetur aduertere ad verba Sacerdotis, ſed ſufficit aſſiſtendo ibi contemplari Diuina, quod poteſt optimè facere recitando orationes voluntarias, vel Horas Canonicas ex obligatione: & ita hanc aſſertionem docet Caietanus *ſumma verb. feſtorum violatio, num.6.* Nugnus noſter nouiſſimè allegatus, §. *Ad quod Caietanus*, Sotus *in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 1. §. Ex hu colligitur.* Nauarr. *ſumma cap.* 21 *num.*8. Suarez *tom. 3. in 3. part. diſput.* 88. *ſect. 3. fine.* Oppoſitum tenet Syl. *verb. Miſſa 2. quæſt. 6. §. Tertium qui audit*, & alij.

Dvbitatio IV.

IV. *An peccet omittens notabilem partem Miſſæ in die feſto?*

Dico quartò, peccat mortaliter qui omittit partem notabilem Miſſæ, quando ex præcepto illam audire tenetur. communi omnium conſenſu para notabilis cenſetur dimidia Miſſa, aut etiam tertia pars. quia hæe eſt natura virtutis moralis, vt in materia graui obliget ſub mortali, quando ipſa virtus eſt ſimpliciter neceſſaria; in materia verò leui ſolùm ſub veniali; ſed Religio ad quam ſpectat hoc præceptum audiendi Miſſam diebua feſtiuis, eſt virtus neceſſaria ſimpliciter. ergo omittens partem notabilem Miſſæ, cùm hæc ſit materia grauis, mortaliter peccat, ex prauitate verò materiæ erit tantùm peccatum veniale. Syl. *verb. Miſſa 2. quæſt. 1. § Dicitur quintò.*

Dico quintò, omittens à principio Miſſæ vſque ad Epiſtolam incluſiuè, non peccat lethaliter. quia hæc omiſſio non cenſetur notabilis. Ita Azor. *part. 1. inſtitutionum mor. lib. 7. cap. 3. quæſ.* 2. Secus autem ſi cum Epiſtola omittat ſimul Euangelium. Alij verò probabiliùs aſſerunt peccare mortaliter omittentes à principio vſque ad Epiſtolam incluſiuè. quia videtur omiſſio partis notabilis: nam vt homo audiens Miſſam ſit ſecurus non committere peccatum mortale, debet eſſe certus, quòd ſolùm omiſit quartam partem Miſſæ; ſed pars Miſſæ à principio vſque ad Epiſtolam incluſiuè eſt maior quarta parte. ergo. Ita Nugnus *vbi ſuprà*, §. *Alij verò dicunt, verſicul. Inter has ſententias.* Idem ſentit Toletus *ſumma lib. 6. cap. 7. num. 2. §. Dico ſecundò* Nauar. *ſumma cap.* 21. *num.* 2. Azorium ſequitur Rodriquez *ſumma part. 1. cap.* 123. *num.* 1. & ante Azor. & Rodriquez, priorem partem huius aſſertionis docuit etiam Sotus *in 4. diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 1. §. *In calce demum articuli, verſic. Tametſi, neque tam exactè*, &c.

Dvbitatio V.

V. *An qui omittit Miſſam, vſque ad Euangelium incluſiuè, ſatisfaciat præcepto, ſi extra Miſſam legat, vel audiat legere Euangelium?*

Dico ſextò, qui prætermittit principium Miſſæ vſque ad Euangelium, non ſatisfacit voto, vel præcepto de audiendo Sacro diebus feſtiuis, ſi poſtea partem illam omiſſam per ſeipſum legat, vel ab alio attentè audiat. quia impertinens eſt omnino, quòd poſtea legatur Euangelium, Epiſtola, & pars alia à principio omiſſa, ſiquidem per hoc quòd per ſeipſum legat quis partem illam omiſſam, vel ab alio attentè audiatur, non efficitur pars Miſſæ. Ita bene notauit Nugnus nuperrimè relatus, licèt Nauarr. *ſumma c. 21. num. 2.* Emanuel Sà *verb. Miſſæ auditio, num. 2.* tenuerint quòd ſi quis incipiat audire Miſſam ab Offertorio, vel à Symbolo fidei, dummodo poſtea legat, vel ſibi legere faciat Euangelium, non peccat mortaliter; ſed quod diximus cum Nugno eſt verius.

Dvbitatio VI.

VI. *An ſatisfaciat præcepto Miſſæ qui non adeſt oblationi, vel Conſecrationi, vel Communioni, licèt adſit alijs partibus?*

Dico ſeptimò, non ſatisfacit præcepto Miſſæ qui non intereſt Sacro, dum fiunt tres partes ſubſtantiales Sacrificij, quæ ſunt Conſecratio, Oblatio, & Conſumptio, etiamſi non dimittat tertiam partem Miſſæ: vt ſi quis audiat Miſſam vſque ad Conſecrationem excluſiuè, & tunc egrediatur ab Eccleſia, & poſtea poſt eleuationem hoſtiæ iterum reuertatur ad audiendam illam Miſſam. quia id quod pertinet ad ſubſtantiam Sacrificij ſecundùm ſe eſt res grauiſſima, ſed hoſtiæ eleuatio pertinet ad ſubſtantiam ſacrificij Miſſæ. ergo omittens hanc partem cùm ſit res grauiſſima pertinens ad ſubſtantiam ſacrificij, peccaret mortaliter, ſi non audiret aliud Sacrum. Videatur Henriquez *lib. 9. de Miſſæ Sacrificio, cap. 25. num. 7.*

Dico octauò, loquens conſequenter: qui Miſſam audit vſque ad Communionem Sacerdotis excluſiuè, licèt poſtea reuertatur ad audiendum reliquam Miſſæ partem, non excuſatur à peccato lethali, ſi poſtea non audit aliam. quia Communio pertinet ad ſubſtantiam ſacrificij.

Dvbitatio VII.

VII. *An aſſiſtens ſacrificio Miſſæ, dum nec audit, nec videt celebrantem, ſatisfaciat præcepto Miſſæ?*

Dico nonò, aſſiſtens ſacrificio Miſſæ, ſi præ nimia populi multitudine non videt Sacerdotem celebrantem, & longè diſtans à Sacerdote, illum non audit, ſatisfacit præcepto de audiendo Sacro: dummodo, moraliter loquendo, mente, & corpore interſit. nam cæcus, & ſimiliter ſurdus tenentur ad hoc præceptum, & ille non videns celebrantem, & iſte non audiens illum, ſatisfaciunt præcepto ſi mente, & corpore interſunt. ergo, &c. Tum, quia verbum *audire Miſſam* in iure accipitur pro intereſſe cum deuotione: videatur Nauarr. *ſumma cap. 21. num. 8.*

Dvbitatio VIII.

VIII. *An audiens ſimul Miſſam ab vno Sacerdote vſque ad Conſecrationem, & ab alio vſque ad finem, ſatisfaciat præcepto?*

Dico decimò, non ſatisfacit præcepto, vel voto de audienda Miſſa, qui Sacrum duorum Sacerdotum media ex parte audit: vt ſi audiat Miſſam vnius Sacerdotis vſque ad Conſecrationem, & eodem tempore audiat Miſſam alterius Sacerdotis à Conſecratione vſque ad finem. quia res ſucceſſiua non poteſt eſſe ſimul ſecundùm ſuas partes; ſed actio audiendi Miſſam eſt ſucceſſiua habens varias partes: ergo impoſſibile eſt quòd ſit ſimul. ergo quando quis audit ſimul duas Miſſas ſecundùm differentes partes, non poſſunt

illæ duæ partes reputari tanquam partes eiuſdem Miſſæ, etiam moraliter loquendo; ergo non ſatisfacit voto, vel præcepto audiens eodem tempore partem Miſſæ vnius Sacerdotis à conſecratione vſque in finem, & partem alterius Sacerdotis à principio vſque ad conſecrationem: videatur Nugnus *tom. 1. in 3. part. quæſt. 83. art. 6. dub. 2. poſt tertiam concluſionem, in ſolutione ad 3. argumentum.* Azor. *part. 1. inſtit. moral. lib. 7. cap. 3. quæſ. 3.*

DVBITATIO IX.

IX. *An inſeruientes Miſſæ ſatisfaciant præcepto, ſi toti Miſſæ non adſint?*

Dico vndecimò, qui inſeruiunt celebranti, quamuis aliquoties recedant pro afferendo libro, vino, thure, aut pro pulſatione cymbali, aut aliis ad Miſſam pertinentibus, cenſentur moraliter intereſſe Miſſæ, & ſatisfacere præcepto. quia non præſumuntur moraliter abeſſe, dum hæc faciunt in ſolemnitatem Miſſæ. Ita Syl. *verb. Miſſa 2. quæſt. 1. §. dicitur quintò* Henriquez *lib. 9. de vero Miſſæ ſacrificio, c. 55. n. 8.*

DVBITATIO X.

X. *An qui confitentur peccata tempore Miſſæ, ad quam ex obligatione tenentur, ſatisfaciant obligationi?*

Dico duodecimò, qui confitetur peccata ſua tempore Miſſæ, ad quam audiendam tenetur ex voto, vel ex præcepto Eccleſiæ, non ſatisfacit voto, vel præcepto. quia Eccleſia præcipit aſſiſtere Miſſæ per modum orationis: qui autem peccata ſua confitetur tempore Miſſæ, non videtur aſiſtere per modum orationis: videatur Suarez *tom. 3. in 3. part. n. 3. diſput.* 88. *ſect. 6. §. ſeptimum*, &c. Azor. *par. 1. inſtitut. mor. lib. 7. cap. 7. quæſ. 8.*

DVBITATIO XI.

XI. *An ſuſcipientes longam nauigationem, teneantur ex præcepto audire Miſſam, quam vocant* ſiccam?

Dico decimotertiò, qui longam nauigationem ſuſcipiunt, Miſſam quam *ſiccam* vocant, & quæ aliquando in nauigiis celebrari ſolet, non tenentur audire, & immunes ſunt à culpa, ſi eam diebus feſtis omiſerint. quia nullum extat præceptum eam Miſſam audiendi: nam in ea non conſecratur Chriſti Domini Corpus, nec vllum ſacrificium offertur, ſed epiſtola, Euangelium, & aliæ preces recitantur. Azor. nuper relatus *quæſ. 6.*

DVBITATIO XII.

XII. *An occurrente feſto aliquo in die Paraſceues, qui non aſſiſtunt illi ceremoniæ Eccleſiaſticæ, peccent?*

Dico decimoquartò, ſi in die Paraſceues incideret feſtum Dominicæ Annuntiationis, in qua die nulla Miſſa celebratur, fideles ſi non aſſiſtunt ſacratiſſimæ illi ceremoniæ, in qua non conſecratur, nec offertur ſacrificium, ſed ſolùm hoſtia, quæ erat reſeruata, à Sacerdote conſumitur, non peccant contra præceptum audiendi Sacrum. quia illa grauiſſima ceremonia non eſt Miſſa, cùm non conſecretur, ſed ſolùm quod erat reſeruatum conſumitur: Miſſa enim eſt actio quædam ſacra, quæ conficitur Chriſti corpus, quod Deo in Miſſa offertur, & à Sacerdote ſumitur per Communionem: videatur pro hac aſſertione Lopez noſter *part. 2. Inſtructorij, cap. 79. de Eucharistia, §. Hinc corollariè infertur, fol. 296. col. 1.* Nauarr. *ſumma, cap. 55. num* 88. In Paraſceue igitur ſi incidat feſtum Annuntiationis Beatæ Virginis, non tenentur fideles ad Miſſam audiendam: ita etiam declarauit ſacra Rituum Congregatio Romæ die 19. Februarij 1612. nec in eadem die diſtribuenda eſt Eucharistia aliis, quàm infirmis: eadem ſacra Congregatio eadem die.

ARTICVLVS XXX.

An Confeſſarius tempore Iubilæi electus poſſit vota commutare?

SVMMARIVM.

1. *Explicatur reſolutio dubitationis.*
2. *Argumentum proponitur contra reſolutionē, & ſoluitur.*
3. *Explicatur, an res ſacra poſſit applicari ad vſus prophanos.*

I. *Explicatur reſolutio dubitationis.*

HVius dubij tota reſolutio pendet ex dictis in ſuperioribus quæſtionibus dubitationis iſtius, ex quibus clarè patet multa vota poſſe per Confeſſarium tempore Iubilæi electum commutari: vnde ne eadem repetamus, huius dicti probationem relinquimus. Contra hanc tamen veritatem

II. *Argumentum proponitur contra reſolutionem, & ſoluitur.*

Nam *Leuit.* 27. habetur, *Animal quod immolari poteſt Domino, ſi quis vouerit, ſanctum erit, & mutari non poterit, nec melius malo, nec peius bono.* ergo non poterunt Confeſſores, &c.

Reſpondetur negando minorem, votum ſcilicet à Prælato Eccleſiaſtico, vel à Confeſſario facultate ſibi delegata per Bullam Cruciatæ Iubilæum, vel aliquod priuilegium non poſſe commutari, Prælatus enim Eccleſiaſticus, vel Confeſſarius poteſtate ſibi delegatâ determinare poteſt materiam huius voti, in hoc caſu non eſſe congruam voti materiam, & ideo poteſt aliam loco illius ſubrogare, & per conſequens votum commutare.

DVBITATIO VNIC.

III. *An res ſacra poſſit applicari ad vſus prophanos?*

Ad illud autem *Leuit.* 27. reſpondetur quòd animal ex hoc ipſo quòd vouebatur, ſanctum reputabatur, quaſi diuino cultui mancipatum, & hæc erat ratio, quare non poterat commutari: ſicut nec modò poſſet aliquis rem, quam vouit iam conſecratam, puta Calicem, commutare in melius, vel in peius, manente eadem forma, conſecratione, & deputatione, ad vſum ſacrum: ablata tamen illa forma, vel deputatione ad cultum diuinum, quæ tolli poteſt auctoritate Eccleſiaſtica, poſſet vendi, emi, & locari ad vſus prophanos; ſicut Religioſus Profeſſus, quamdiu talis eſt, voto caſtitatis adſtringitur, nec eſſe, aut fieri poteſt vt quis ſit Religioſus, quin ſit votiua caſtitate deuinctus. Cæterùm ſi auctoritate Pontificia deſinit eſſe Religioſus, poteſt eſſe coniux, & ex matrimonio licitè filios procreare: videatur Caietan. 2. 2. *quæſt* 88 *art.* 11 § *Ad hoc breuiter.* Et hæc de hac diſquiſitione.

DISQVI

DISQVISITIO XXVI.

De Iuramentis.

An Confeſſarius cui virture Iubilæi, vel alterius Bullæ, faculras commutandi vora concedirur, poſſit etiam vi huius conceſſionis, iuramenra commutare?

VT diſquiſitio iſta connexionem habet cum antecedenti; ſic eam, pari methodo, in Articulos diſtribotam pertractabimus; vt paueis & faciliùs accipiat lectot, plura quæ ſpectant ad iuramentum; vnde Articulus

I. Erit de iuramenri natura.
II. De adimpletione iuramenti.
III. De iuramento ſub æquiuocatione emiſſo.
IV. De iuramento circa ſponſalia.
V. De iuramento circa res per legem prohibitas.
VI. De iuramento in cootractibus.
VII. De iurameoto cum errore, & dolo.
VIII. De iuramento per Procuratorem.
IX. De iuramento aſſertorio.
X. De iuramento promiſſorio, & comminatorio.
XI. De iuramento io tebns noo bonis.
XII. De iuramento obligatorio.
XIII. De iuramento de non fornieando, vel noo ludendo.
XIV. De iuramento Medieorum.
XV. De diſpenſatione, & cõmutatione iuraméti.
XVI. De iuramento in promiſſione.
XVII. De abſolutione iuramenti: vt ex his
XVIII. & vltimò ſingulariter inquiramus, An Cõfeſſatius, cui viitute Iubilæi, vel alterius Bullæ facultas commurandi vota conceditur, poſſit etiam vi huius coneeſſionis iuramenta commutare. Sit igitur

ARTICVLVS I.

De natura iuramenti.

SVMMARIVM.

1. *Explicatur, quid, & quotuplex ſit iuramentum.*
2. *Quanam requirantur ad hoc vt iuramentũ ſit licitum.*
3. *An poſſit iurare ita eſſe quod auditur à viro fide digno.*

DVBITATIO I.

I. *Quid, & quotuplex ſit iuramentum?*

DIco primò, Iuramentum eſt inuocatio diuini teſtimonij in dicti alicuius confirmationem, vnde iurare eſt Deum in teſtem vocate. D.Th. 2.2.q.89.*a*.1. Quatuor ſunt ſpecies iuraméřI. Aliud eſt aſſertorium, promiſſorium, commi natorium, & execratorium. Aſſertorium eſt quando negatur, aut affirmatur aliquid præſens, aut prçteritum: promiſſorium in quo affirmatur futurum, aut negatur commioatorium, in quo promittitur malum pœnæ, vt, Per Deum caſtigabo te: execratorium in quo affirmatur, vel negatur aliquid ſibi apponendo pœnam, vt dicendo, Deus me deſtruat, niſi hoc ita ſit: videatur S.Th. cit. *in corp. & ſolutione ad* 3.

DVBITATIO II.

II. *Quanam requirantur ad hoc vt iuramentum ſit licitum?*

Dieo ſecundò, tria tequiruntur, vt ſit lieitum iuramentum, videlicet veritas, iuſtitia, & iudicium. Veritas in iuramento requiſita conſiſtit in hoc vt iurans nun leui, ſed ptobabili coniectura, & prudenter arbitretur verum eſſe quod iurat: iuſtitia iutamenti conſiſtit in hoc vt iuramentum non fiat de re illicita, quia fit irreuerentia ipſi Deo, ipſum adducendo in teſtem rei illicitæ: propterea iurans ſe fornicaturum, grauiter peccat; quia grauem Deo facit ininriam ipſum adducendo in teſtem illius, quod eſt valde contrarium diuinę legi, & à quo tenetur ſub mortali abſtinere: qui verò iurat ſe facturum aliquod veniale, vt ptolaturũ verbum otioſum, peceat venialiter; quia facit aliqualem Deo iniuriam ipſum adducendo in teſtem illius faciendi, à quo tenetur ſub veniali culpa abſtinere. Iudicium in iuramento requiſitum in hoc eonſiſtit, vt iuramentum fiat cum neceſſitate & reuerentia, ideò ſi fiat ſine neceſſitate, yt in re leui, quam non ſit neceſſe iuramento confirmare, committitur peccatum defectu iudicij: quamquam hoc peccatum ſit ſolum veniale; quia non fit grauis iniuria Deo, ſed eſt quædam vanitas, & ſuperfluitas: videatur D.Thom. 2.2.*quæſt*.89.*art*.3.

DVBITATIO III.

III. *An poſſit iurari ita eſſe, quod auditur à viro fide digno?*

Dico terriò, ſi quis audiuit aliquid à viro fide digno, poteſt extra iudicium iurare ita eſſe. quia res videtur certa, ob teſtimonium viri fide digni: in iudicio verò non poterit iurare ita eſſe, quia in iudicio iuramus ea, quæ nouimus de viſu, & præſentia: tum, quia *cap. teſtes* 3. *quæſt*. 9. Calixtus Papa præcipit teſtes de his ſolis teſtificari, quæ in ipſorum præſentia facta ſunt: quin etiam poteſt in iudicio teſtis iurare id quod audiuit à viro fide digno, modò exprimat cauſam ſuæ ſcientiæ, dicendo ſe hoc ſcire, quia hoc accepit à viro fide digno. nam ſic nullom decipit, nee rem falſam iuramento confirmat: videatur Sayr. *lib*. 5. *Clauis Regia*, *cap*. 4. *num*. 18.

ARTICVLVS II.

De adimpletione iuramenti.

SVMMARIVM.

1. *An quis teneatur ſeruare iuramentum, factum abſque animo iurandi.*
2. *An quis teneatur ſeruare iuramentum, factum animo iurandi, ſed non animo ſe obligandi.*
3. *An vouens, cum expreſſa intentione ſe non obligandi, teneatur ſeruare votum.*
4. *An ex iuramento, facto cum animo non adimplendi, oriatur obligatio.*
5. *An ex voto facto cum animo ſe obligandi, ſed non adimplendi, oriatur obligatio.*
6. *An vouens, non conſiderando an obligetur, nécne, teneatur ad votum.*
7. *An iurare ſine intentione iurandi, ſit peccatum? & iurans teneatur ſeruare iuramentum.*
8. *An peccet qui iniuſtè cogitur iurare, ſi falſum ſit quod iurat, & ipſe non habet animum iurandi.*
9. *An aliquis coactus per iuramentum à latrone, ad dandum illi centum aureos, teneatur dare.*
10. *An dubius vtrùm iurauerit, nécne: vel an habuerit intentionem ſe obligandi, teneatur ad iuramentum.*

11. *An ſit periurus, qui coactus à latrone ad iurandum, vt det centum, iurat retinendo in mente, ſi mihi placuerit.*

12. *An vt iuramentum obliget, requiratur intentio actualis iurantis ſe obligandi.*

DVBITATIO I.

I. *An quis teneatur ſeruare iuramentum factum abſque animo iurandi?*

Dico primò. Ex iuramento facto abſque animo iurandi, non oritur obligatio ex vi iuramenti coram Deo. quia tunc iuramentum factum ſine animo iurandi, non eſt verum iuramentum, ſed fictum, apparens, & extrinſecom: ſicut matrimonium, quod fit ſine interno conſenſu, & voluntate, non eſt verum, ſed fictum, & apparens. ergo: tum, quia omnis actus, qui eſſentialiter requirit intentionem agentis, eſt inualidus ſi ea intentio deeſt; ſed tale eſt iuramentum actus, ſcilicet requirens intentionem agentis. ergo. Ita præclarè Caiet. 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 7. *§. ex quibus patet ſolutio, verſ. ſi autem tertio modo.*

Dico ſecundò, in foro tamen externo iurans abſque animo iurandi cogeretur ad ſeruandum iuramentum ob præſumptionem veri iuramenti: nam forum externum accipit verba iuxta ipſorum ſignificationem, *cap. ex literis, de ſponſalibus.*

Dico tertiò, ratione tamen ſcandali, quod orietur ex tranſgreſſione iuramenti, obligatur iurans ſtare iuramento facto animo ficto abſque voluntate iurandi: ſicut etiam ſtare tenetur iuramento quando iuramenti adimpletio neceſſaria eſt ad impediendum damnum cuius eſſet cauſa iurans, non adimpleto iuramento fictè & dolosè facto: nam iurans fictè & dolosè, cenſeretur per ſuam fictionem cauſa huius damni, ſi non haberet iuſtam cauſam iurandi: videatur Caietan. nouiſſimè relatus, Leſſ. *lib.* 2. *de de Iuſtit. cap.* 42. *dub.* 8. *num.* 36.

DVBITATIO II.

II. *An quis teneatur ſeruare iuramentum, factum animo iurandi, ſed non animo ſe obligandi?*

Dico quartò, ex iuramento facto animo iurandi, ſed cum animo non ſe obligandi, oritur obligatio ex vi iuramenti. quia ratio iuramenti conſiſtit in adducendo Deum in teſtem. ergo verè illum adducens in teſtem, qualiter adducit habens iurandi animum, ſubiicitur obligationi implendi velit nolit, nec poteſt naturalem hunc effectum iuramenti impedire propria voluntate, volendo ſe non obligare, quæ obligatio ſeruandi iuramentum non ſolùm obligat in foro iudiciali, ſed etiam in foro conſcientiæ: ſic Caiet. 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 7. *§. dicendum eſt ergo.* quem ſequuntur Soto *lib* 8. *de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 7. *ad quartum, verſ. at verè profectò.* Aragonia 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 7. *verſ. quarta concluſio.* Oppoſitam tamen ſententiam tenuit Sanchez *lib.* 3. *in Præcepta, cap.* 10. *art.* 8. & alij, quos ibi adducit, non teneri ſcilicet vi iuramenti implere quod iurauit, qui animo quidem iurandi, non tamen ſe obligandi iuramentum præſtitit; quia, inquiunt, Deus non acceptat iuramentum, niſi ſecundùm hominis intentionem: ſed quia verius & probabilius eſt quod diximus, ad hoc reſponderi poteſt illud intelligendum eſſe quoad id, quod quis iurat, non autem quoad modum obligandi, vel non obligandi. Ita Leſſ. ſequens ſententiam Caietani *lib.* 2. *de iuſtitia, cap.* 42. *dub.* 8. *num.* 39. *§. Ad tertium.*

DVBITATIO III.

III. *An iurans, cum expreſſa intentione, ſe non obligandi, teneatur ſeruare votum?*

Dico quintò, vouens tamen cum expreſſa intentione, ſe non obligandi, non tenetur ſeruare votum. quia obligatio voti naſcitur ex voto ſi ſit verum votum, ſed non eſt verum votum, ſed ſimulatio voti, ſi mens interiùs nolit ſe obligare. ergo. Ita Syl. *verb. metus, quæſt.* 8 *& verb. pactum, num.* 4. quem ſequitur Sanchez *lib.* 4. *in Præcepta, cap.* 1. *num.* 27. *& lib.* 1. *de matrimonio, diſp.* 9. *num.* 5. Sotus tamen *lib.* 7. *de iuſtitia, quæſt.* 1. *art.* 2. *verſic. tertiò eodémque medio*, tenet oppoſitum, vouentem ſcilicet, qui habet animum promittendi, etiam ſi poſitiuè non habeat animum ſe obligandi, manere re vera ad votum obligatum, quia dans formam, ſubinde dat conſequentia; ergo ſi vouens habet animum promittendi, ſubinde apponit obligationem, quæ conſeqoitur promiſſionem. Reſpondetur quòd qui promittit aliquid per votum abſque animo ſe obligandi, non verè promittit, non verè vouet, præcipuè ſi expreſſa, ac formali intentione ſeipſum non obligandi, emittit votum, vnde ad ſolam promiſſionem in voto non ſequitur neceſſariò obligatio ſi fictè & apparenter vouens, expreſsè animum ſe non obligandi habuerit.

DVBITATIO IV.

IV. *An ex iuramento, facto cum animo non adimplendi, oriatur obligatio?*

Dico ſextò. Ex iuramento facto cum animo non adimplendi, naſcitur obligatio ex vi iuramenti. quia ex contractu facto animo non ſoluendi, naſcitur obligatio; ergo etiam ex iuramento facto cum animo non adimplendi: tum, quia ſublato poſteriori non tollitur quod prius eſt; ſed in iuramento animus exequendi eſt poſterior animo ſe obligandi. ergo ſublato animo exequendi, non tollitur animus ſe obligandi, conſequenter, neque tollitur obligatio, quæ naſcitur ex iuramento facto cum animo iurandi, & ſe obligandi. Ita Caiet. 2. 2. *q* 89. *art.* 7. *§. dicendum eſt ergo.*

DVBITATIO V.

V. *An ex voto facto cum animo ſe obligandi, ſed non adimplendi, oriatur obligatio?*

Dico ſeptimò, vouens ſimiliter aliquid cum animo ſe obligandi, voluntate tamen non adimplendi quod vouit, tenetur ad votum. nam quis audeat dicere profitentem ſolemniter obedientiam, caſtitatem, paupertatem abſque propoſito eas ſeruandi, talem coram Deo non obſtringi ſuo voto, etenim vouens cum animo ſe obligandi verè, & non fictè & apparenter vouet. ergo. videantur Caiet. & Sotus *locis citatis.* Leſſ. *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 40. *dub.* 1. *num.* 7.

DVBITATIO VI.

VI. *An vouens non conſiderando, an obligetur, nec ne, teneatur ad votum?*

Dico octauò, magis explicans aſſertionem quintam, vouens aliquid Deo ſciens ac volens, nihil tamen cogitans ſe obliget, nec ne, voti nexu, & vinculo tenetur. quoniam ex ipſo voto obligatio naſcitur, ac fluit, ſi vouens noſit expreſsè ſe voto non obligare. Cæterùm vouens non obſtringitur voto, ſi ſimul dum vouens expreſsè nolit ſe voto obligare. quia ſic vouens

videtur

videtur eo ipſo voluntatem mutare,& à vouendo recedere. ergo perinde eſt, ac ſi vouere nolit: videatur Azor *part. 1. inſtit. mor. lib. 11. cap. 13. dub. 9.*

Dvbitatio VII.

VII. *An iurare, ſine intentione iurandi, ſit peccatum? & iurans teneatur ſeruare iuramentum?*

Dico nonò, iurare verum ſine intentione iurandi, ſi rationabiliter exigitur iuramentum, vel ſi fiat in iudicio, eſt peccatum mortale: & ad obſeruantiam iuramenti ſic iurans tenetur, non quia fuerit verum iuramentum, ſed propter ſcandalum. Probatur hæc aſſertio, quia in iuramento rationabiliter requiſito intercedit grauis deceptio, ſi ſine intentione iurandi fiat, quæ repugnat vſui, & fini iuramenti valde neceſſario rebus humanis. Sotos *lib. 8. de Iuſt. q. 1. art. 7. verſicul Ex ſecundo autem membro.* Valentia 2. 2. *diſput. 6. quæſt. 7. puncto 4. fine.*

Dico decimò, quando quis iniuſtè, & irrationabiliter cogitur iurare, non committit peccatum mortale iurando cum animo non iurandi, ſi iurans iuret verum. quia non facit grauem iniuriam homini, cùm irrationabiliter extorqueat iuramentum, neque iniuriam grauem Deo irrogat, cùm non adducatur Deus in teſtem falſi, ſed exteriùs adducatur in teſtem rei verè: venialiter tamen peccat, quando vult ſignificare ſe habere animum iurandi, cùm re vera non habeat, quia eſt mendacium, non tamen pernicioſum. Ita colligitur ex Soto *lib. 8. de Iuſtitia, quæſt. 1. art. 7. §. Ex ſecundo autem membro, verſicul. vbi autem per vim & metum.* Sanchez *lib. 3. in Decalogum, cap. 6. num. 10.*

Dico vndecimò, iurans verò cum animo non iurandi, quando iuramentum irrationabiliter exigitur, ſi falſum eſt quod iurat, & iuramentum ad rem falſam refert, peccat mortaliter. quia externo actu adducit Deum in teſtem falſi: ſicut mortaliter peccat qui exteriùs ſacrificat idolo abſque animo ſacrificandi: tum, quia exterior ille latriæ cultus, ad quem iuramentum pertinet, exhibetur materiæ indebitæ, nempe rei falſæ. ergo ſicut eſt mortale fictè externum latriæ cultum idolis exhibere, vtporè, quæ indebita illius externi cultus materia ſunt, ſic fictè iurare falſum, mortale eſt: videatur Caietan. 2. 2. *quæſt. 89. art. 7. §. Ad euidentiam primi duby.* Armilla *verb. Periurium, num 3.*

Satis etiam rationabiliter dici poteſt, quòd iurans falſum, ſi per iniuriam irrationabiliter, & iniuſtè cogatur iurare, ſi non habet animum iurandi, & falſitas ſit penitus occulta, non peccare lethaliter, ſed tantùm venialiter. quia re vera hic cùm non habeat animum iurandi, non intendit Deum in teſtem falſi vocare, ſed tantùm ſimulat Deum in teſtem vocare, neque ſecundùm prudentum æſtimationem poteſt cenſeri iurare falſum: tum, quia falſitas eſt penitus ignota: tum, quia iuſta cauſa adeſt alia mente iurandi.

Neque eſt eadem ratio de illo, qui fictè externum latriæ cultum idolis exhibet. quia hic ratione ſcandali peccat mortaliter, etiamſi non habeat animum cultum latriæ idolis exhibere: iurans verò fictè falſum, ſi falſitas ſit penitus occulta, nullum aliis ſcandalum ingerit, & ex alio capite non habet animum iurandi, nec Deum adducendi in teſtem falſi: non erit igitur improbabile, hunc ſolùm venialiter peccare propter fictionem, fingit enim ſe iurare, cùm non habeat animum iurandi: non tamen mortaliter, quia neque re vera iurat falſum, cùm non intendat Deum in teſtem vocare, neque arbitrio prudentis poteſt cenſeri iuraſſe falſum, cùm falſitas ſit penitus occulta, vt ſupponimus: tum, quia iuſta cauſa adeſt alia mente iurandi: videatur Leſſ. *lib. 2. de Iuſt. c. 42. dub. 8. n. 43.*

Dvbitatio VIII.

VIII. *An peccet qui iniuſtè cogitur iurare, ſi falſum ſit quod iurat, & ipſe non habet animum iurandi?*

Dico duodecimò, iniuſtè, & irrationabiliter coactus ad iurandum, ſi non habet animum iurandi, ſi falſum eſt quod iurat, ſiue in iuramento aſſertorio affirmando falſum, ſiue in promiſſorio, non habendo animum implendi, ſi per iuramentum illud extrinſecum non intendit materiam illam falſam confirmare, ſed ſolùm vſurpat illa verba ad ſignificandum aliquid mente conceptum, aut non intendit per illa verba quidquam confirmare, non peccat mortaliter ſecluſo ſcandalo. quia tunc non applicatur iuramentum materiæ indebitæ, & iuſta cauſa cogit iniuſtè, & irrationabiliter coactum ad iurandum vti æquiuocatione: nec facit iniuriam extorquenti iuramentum irrationabiliter: videatur Sotus, & Sanchez *locis* nuper *citatis.* Bonacina *tom. 2. tract. de iuramento, diſput. 3. quæſt. 1. puncto 7. num. 6.*

Dvbitatio IX.

IX. *An aliquis, coactus per iuramentum à latrone, ad dandum illi centum aureos, teneatur dare?*

Dico decimotertiò, quando aliquis inuitus compellitur ad hoc quòd ſub iuramento aliquid promittat, vt ſi coactus vi & metu à latrone iurat ei daturum ſe centum aureos, tenetur illi dare. quia iuramentum, quod non vergit in diſpendium ſalutis æternæ, ex parte iurantis metu extortum obligat, iuxta *c. verum, & cap. ſi verò, de iureiurand.* Tum, quia ex iuramento duplex oritur obligatio, altera expreſſa facta homini, & ex hac parte iuramentum turpiter extortum non obligat, homo enim per iniuſtitiam nullum ius acquirit: altera obligatio eſt facta Deo qui in teſtem inuocatur, atque ita tenetur iurans Deo ſeruare quod per nomen ſuum promiſit, ſi licitum ſit, & non vergat ex parte iurantis in diſpendium ſalutis æternæ, etiam ſi metu & vi ſit extortum iuramentum. Ita egregiè D. Thom. 1. 2. *quæſt. 89. art. 7. ad 3.*

Dvbitatio X.

X. *An dubius vtrùm iurauerit, nécne? vel, An habuerit intentionem ſe obligandi, teneatur ad iuramentum?*

Dico decimoquartò, dubitans vtrùm iurauerit, nécne, & an habuerit veram intentionem iurandi, & obligandi ſe, nécne, talis ſi poſt adhibitam ſufficientem diligentiam inquirendo, an habuerit veram intentionem iurandi, nécne, adhuc remanet dubius, poteſt deponere dubium, & coram Deo deobligatus manebit à vinculo iuramenti, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis immunitatem à iuramento obligatorio: quamuis alij cenſeant interpretandum eſſe iuramentum cum animo vero emiſſum fuiſſe. quia in dubiis, quantum fieri poteſt pars tutior eligenda eſt, argum. *cap. iuuenis, de ſponſalibus,* videatur Sayr. *lib. 5. Clauis Regiæ, cap. 6. num. 10.*

Dvbitatio XI.

XI. *An ſit periurus, qui coactus à latrone ad iurandum vt det centum, iurat, retinendo in mente, ſi mihi placuerit?*

Dico decimoquintò, coactus à latrone iurare ſe daturum illi nummos, poteſt abſque periurio id iurare, retinendo mente, ſi ad id ſecluſo iuramento teneor, nec eſt periurus ſi intendit non dare, ſciens minimè teneri: ſimiliter ſi iurat ſe daturum, concipiendo intra ſe, ſi mihi placuerit, tunc nec peccat, nec tenetur illos perſoluere. quia ſic iurando non mentitur, ſed dicit verum iuxta mentem propriam, quamuis non iuxta mentem latronis, ad cuius mentem non tenetur iurare. ergo nec peccat, nec aureos illos perſoluere tenetur, quandoquidem non id iurauit, nec placet iuranti ſic coacto pecunias dare latroni: ſic benè Sotus *lib.8. de iuſtit.quæſt.1.art.7. in fine.* Syl.*verb. iuramentum 4 quæſt.7.§.ſecundùm.* Lopez *par.1. Inſtructorij, cap.41. §. peccat iurans ob metum.*

Dvbitatio XII.

XII. *An vt iuramentum obliget; requiratur intentio actualis iurantis, ſe obligandi?*

Dico decimoſextò, vt iuramentum obliget, non requiritur vt iurans formalem & actualem habeat intentionem ſe obligandi, ſed ſufficit vt iurans velit iurare, ſciens naturam iuramenti, ſeu ſciens iuramentum obligare: nam eo ipſo, quòd ſcit naturam iuramenti, & non habet poſitiuam voluntatem non ſe obligandi, cenſetur velle iurare iuxta naturam iuramenti; ſed natura iuramenti eſt obligare. ergo eo ipſo, quòd habet verum iurandi animum, cenſetur ſe velle obligare, licèt non habeat formalem intentionem ſe obligandi.

Articvlvs III.

De iuramento ſub æquiuocatione, tam extra iudicium emiſſo, quàm in iudicio.

Svmmarivm.

1. *An in iuramento ſit licitum vti æquiuocatione ſi quis iuret abſque neceſſitate.*
2. *An qui crimen fratris reuelauit, ex quo infamatus eſt, niſi aliter poſſit famam reſtituere, valeat vti æquiuocatione, dicendo ſe fuiſſe mentitum, & falſum dixiſſe.*
3. *An qui alium diffamauit, teneatur cum iactura propriæ famæ, diffamati famam reſtituere.*
4. *An iurans vtendo amphibologijs, ſi id tantùm faciat ioci cauſa, peccet.*
5. *An liceat vti verbis ambiguis, in iuramento facto, in iudicio.*
6. *An teſtis etiam iuratus, ſi ex denunciatione, ſibi, vel ſuis, aliquod damnum immineat, poſſit vti æquiuocatione in iudicio.*
7. *An veniens è loco qui falsò putatur infectus peſte, vel per locum infectum peſte tranſiens, non ſit offenſus; interrogatus vnde veniat cum iuramento, poſſit æquiuocatione vti, dicendo ſe non venire è loco infecto.*
8. *An Clerici, & Religioſi, venientes ex locis peſtilentibus, teneantur iurare, iuxta mentem cuſtodum vrbis interrogantium.*
9. *An Clerici, & Religioſi, interrogati ab vrbis cuſtodibus, an ferant aliquid gabellæ ſubditum, poſſint vti æquiuocatione iurando non ferre.*
10. *An debitor celans neceſſaria ad ſuſtentationem, poſſit iurando ſe non celaſſe, vti æquiuocatione.*
11. *An adultera, interrogata à marito, an adulterium commiſerit, poſſit vti æquiuocatione, iurando ſe non commiſiſſe.*
12. *An rogatus vt mutuet pecuniam, poſſit iurando ſe non habere, æquiuocè reſpondere.*
13. *An fœmina, quæ ob occultum impedimentum, ſcit virum non eſſe ſuum, ſi cogatur ad cohabitandum cum eo, iurando ſe velle cum illo cohabitare, poſſit vti æquiuocatione.*
14. *An liceat mercatoribus, ſiue emptoribus, in venditione, aut emptione mercium, alio ſenſu iurare.*
15. *An iniquè interrogatus, iurando poſſit vti æquiuocatione.*
16. *An debitor, ſi nouerit alia via pecuniam ſibi deberi, quàm ab altero mutuam accepit, iurando ſe illi aliquid non debere, poſſit vti æquiuocatione.*
17. *An mutuo accipiens centum, ſi integrè, vel ſecundam partem reſtitueris, & iuridicè interrogatus de toto mutuo ſoluendo poſſit iurando, ſe non accepiſſe, vti æquiuocatione.*
18. *An interrogatus de mutuo à iudice, dum pro illo tempore non tenetur reſtituere, poſſit ſub æquiuocatione negare, ſe accepiſſe.*
19. *An promittens mulieri, illam accipere in vxorem, poſſit id negando, vti æquiuocatione. ſi fornicata ſit.*
20. *An interrogatus vtrùm debeat centum, dum debet 50. vel ſi fundum ſit ſuum, ſi illius habet partem, ſit periurus, negans debere centum, vel fundum non eſſe ſuum.*
21. *An reus ſub iuramento interrogatus à iudice legitimè iuridicè, poſſit vti amphibologijs.*
22. *An reus iuratus, iuridicè interrogatus, poſſit vti verbis ambiguis, ad contegendam veritatem, ſi crimen non ſit plenè probatum.*
23. *An Religioſi grauiſſimis delictis notati, & à ſuis Prælatis interrogati ſub iuramento poſſint verbis ambiguis contegere veritatem.*
24. *An reus, vel teſtis iuratus, teneatur crimen fateri, dum dubitat an iudex, ſeruato iuris ordine, illum interroget.*
25. *An quando interrogatio iudicis, vel Superioris, eſt tantùm ad impediendum peccatum, teneatur ſubditus iuratus dicere veritatem.*
26. *An qui hominem occidit, ad ſui defenſionem, ſub iuramento interrogatus, an hominem occiderit, poſſit vtendo æquiuocatione, negare occidiſſe illum.*
27. *An qui crimen non commiſit, ſi iuratus interrogetur de circumſtantijs, poſſit ſub æquiuocatione reſpondere.*
28. *An Confeſſarius poſſit abſoluere reum legitimè interrogatum, & iuratum, ſi negauerit veritatem, niſi ſe retractet.*
29. *Quid requiratur vt reus iuratus teneatur iudici veritatem aperire.*
30. *Quid ſit infamia, explicatur.*
31. *Quid ſint indicia, explicatur.*
32. *Quid ſit ſemiplena probatio criminis, explicatur.*
33. *An denuncians vel actor, vel accuſator, poſſint facere ſemiplenam probationem.*
34. *An iuramentum in materia indifferenti, vel impoſſibili, vel impeditiua maioris boni, vel contraria diuinis conſilijs, ſit validum.*
35. *An iuramentum præſtitum in vtilitatem hominis, obliget, licèt ſit impeditiuum maioris boni.*
36. *An iuramentum de re indifferenti vt ſic, præſtitum Deo, vel homini, obliget.*

37. Quidnam

37. *Quidnam requiratur ad hoc vt iuramentum de re indifferenti præſtitum homini, obliget.*
38. *An iurans tranſire extra muros ciuitatis, vel aliquod ſimile, iuramentum ſeruare teneatur.*

DVBITATIO I.

I. *An in iuramento ſit licitum vti æquiuocatione, ſi quis iurat abſque neceſſitate?*

Dico primò, non eſt illicitum in iuramento vti æquiuocatione & verbis amphibologicis, addendo reſtrictionem aliquam in mente, quoties aliquid incommodi, vel iniuriæ nobis impendet loquendo ad mentem interrogantis, ſi interrogatus ſit perſona priuata. quia adeſt iuſta cauſa ita loquendi, nempe incommodum & iniuria nobis imminens, & non iuridicè perſona priuata poſtulat à nobis iuramentum. ergo non eſt illicitum, &c. Syl. *verb. iuramentum 3. quæſt. 2. §. licèt autem, verſic. ſi autem exigat.* Nauarr. *ſumma cap. 12. num. 18. fine.* Sayr. *lib. 5. Clauis Regia, cap. 4. num. 26.*

Dico ſecundò, quando quis nemine petente ſe ad iurandum offert, ſi nulla neceſſitas, aut vtilitas ad iuramentum cogit, nequit vti æquiuocationibus, aut verbis amphibologicis iurando. quia interrogatus à proximo tenetur ratione boni communis, & ciuilitatis reſpondere determinatam veritatem, de qua interrogatur, niſi attentis circumſtantiis peculiare ius ad eam veritatem interroganti occultandam habeat. ergo ſi nulla neceſſitas, aut vtilitas ad iurandum cogit, nequit, &c. Tum, quia cum in hoc caſu nulla ſit ratio ob quam iuret, non debet iurare, aut ſi iurat ſine fraude, iurare tenetur, cùm iuramentum fiat ad confirmationem veritatis. ergo, &c. *loc. cit.* Philiarcus *tom. 1. de officio Sacerdotis, part. 2. lib. 3. cap. 14.* Sayr. *vbi ſuprà, num. 21.*

Dico tertiò, ſi neceſſitas, vel vtilitas vtendi æquiuocationibus & verbis amphibologicis cogit, parum refert ſiue rogatus, ſiue non rogatus quis iuret, vt ad placandum proximum, vel ad reſtituendam famam iniuſtè ablatam, & ita poteſt quis ſe ſponte ſua ad ſic iurandum inuitare: nam qui verum crimen occultum proximi iniuſtè detexit, poteſt ſe offerre ad famam reſtituendam amphibologica loquutione vtendo, vt docet Magiſter Bannez 2. 2. *quæſt. 62. art. 2. dub. 8. concluſ. 3.* Sayr. *lib. 11. cap. 4. Clauis Regiæ, num. 27.* ergo ſi neceſſitas, vel vtilitas cogit, ſiue rogatus, ſiue non rogatus poteſt quis iurando vti æquiuocationibus, & verbis amphibologicis: videatur Sanchez *lib. 3. in Decalogum, cap. 6. num. 21.*

DVBITATIO II.

II. *An qui crimen fratris reuelauit, ex quo infamatus eſt, niſi aliter poſſit famam reſtituere, valeat vti æquiuocatione, dicendo ſe fuiſſe mentitum, & falſum dixiſſe?*

Dico quartò, quando quis crimen occultum fratris reuelauit, ex quo iniquè infamauit proximum, ſi alio modo famam proximo reſtituere non poteſt, niſi dicendo ſe falſum dixiſſe, & mentitum fuiſſe, poteſt ita dicere iuſtè & licitè. quia cùm ad vtilitatem proximi teneatur illi reſtituere famam, ſi aliter reſarcire famam non poteſt, niſi vtendo verbis ambiguis, poteſt licitè & iuſtè illis vti. ergo licitè & iuſtè dicere poteſt ſe dixiſſe falſum & mentitum fuiſſe: nam falſum & mendacium non ſolùm dicit peccatum, quod committitur in falſitate verborum, ſed omne peccatum, quod eſt mendacium practicum, iuxta illud *Pſalm. 4.* dictum peccatoribus, *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*, id eſt, peccatum quod eſt mendacium practicum, ſed reuelans crimen occultum fratris, licèt verum, graue peccatum committit. ergo ſi aliter reſtituere famam non poteſt niſi dicendo ſe falſum, & mendacium dixiſſe, licitè poteſt dicere ſe falſum dixiſſe, & mentitum fuiſſe, mente concipiendo ſe grauiter peccaſſe. Ita Bannez & Sayr. *locis citatis.* Henriquez *lib. 5. de pænitentia, cap. 12. num. 6.* Ad maiorem huius aſſertionis explicationem

Dico quintò, qui crimen occultum, licèt verum, alterius manifeſtauit, poteſt ſic licitè famam reſtituere, ſi dicat ſe quidem tale quid narraſſe, ſed in eo fuiſſe mentitum, aut dixiſſe falſum. quia etſi vno ſenſu dictum infamatoris falſum, & mendacium non fuerit, nempe quia erat conforme rei, verè enim proximus commiſerat crimen, quod infamator dixerat eum commiſiſſe, alio tamen ſenſu falſum fuit, idque dupliciter. Primò, quia non fuit conforme legi diuinæ, vtpote graue peccatum, quod in Scripturis ſacris vocatur falſitas, & mendacium, iuxta illud Pſalm. 115. *Omnis homo mendax*, id eſt, peccans, & deficiens, ſicut omne opus bonum, quia conforme legi diuinæ, vocatur veritas, vt Pſalmiſta dixit Pſalm. 118. *Omnia mandata tua veritas.* Secundò, quia non fuit verum veritate publica, licèt veritate occulta verum fuerit. ergo licitè & iuſtè poteſt infamator reſtituere proximo famam, vtendo verbis ambiguis, dicendo ſe dixiſſe falſum & mendacium, mente concipiendo ſe dixiſſe verbum legi diuinæ contrarium, & quia non fuit verum veritate publica. Ita bene Rodriquez *ſumma part. 1. cap. vltimo, num. 3.* Leſſius *lib. 2. de Iuſtit. cap. 11. dub. 20. num. 110.* Oppoſitum tamen tenet Azor. *part. 3. inſtit. moral. lib. 3. cap. 9. dub. 7.* cum ſcilicet, qui verum crimen, ſed occultum detexit per infamiam, non poſſe dicere ſe falſum dixiſſe, ſe dixiſſe mendacium.

DVBITATIO III.

III. *An qui alium diffamauit, teneatur cum iactura propriæ famæ, diffamati famam reſtituere?*

Dico ſextò, qui famam abſtulit alteri, falſum crimen ei imponendo, vel crimen verum, ſed occultum detegendo per infamiam, non tenetur dicere reſtituendo ei famam ſe eſſe mentitum, ſe dixiſſe falſum, ſi notabilem iacturam propriæ famæ incurreret, quæ longè maioris momenti ſit, quàm fama illius, quem diffamauit. Vt ſi Prælatus, vel vir illuſtris infamauit plebeium, non tenetur cum iactura ſui nominis dicere ſe eſſe mentitum, ſe falſum dixiſſe, ſed ſufficit ſi illum laudet in eo genere virtutis vbi infamauit, quòd ſi ſic videatur non ſatis reſtituta, reliquum poterit pecuniâ compenſare, arbitro prudentum, vel potiùs remiſſionem reſtitutionis impetrare. Ratio eſt, quia iuſtitia non obligat ad reſtitutionem cum damno notabili maiori, quàm ſit damnum illatum: videatur Sotus *lib. 4. de Iuſtitia, quæſt. 6. art. 3. ad 4. verſ. Hoc autem dubium, alterum parturit.* Bannez 2. 2. *quæſt. 62. art. 2. dub. 9. concluſione 2.* Hos ſequuntur Valentia *tom. 3. ſuper 2. 2. diſput. 5. quæſt. 6. puncto 5. poſt primam aſſertionem, §. Adhibet autem Sotus.* Leſſ. *lib. 2. de Iuſtitia, cap. 11. dub. 26. num. 138.* Bonacina *tom. 2. tract. de reſtitutione, diſput. 2. quæſt. 4. puncto vltimo, num. 12. & 13.* Sayr. *lib. 11. Clauis Regia, cap. 3. num. 26.* inquiens nunquam teneri infamatorem, ſi ne crimen falſum alicui impo-

ſuetit, ſiue reuelauerit, ctimen verum, ſed occultum cum maiori ſuo detrimento in eodem, vel diuerſo genere detrimentum proximi reſarcire : quòd ſi infamatus aliqua alia compenſatione noluerit eſſe contentus, non tenetur infamator ampliùs facere.

. Dico ſeptimò. Cũ æquali infamia tenetur infamator famam alterius iniuſtè lęſam reparare, & dicere, ſi aliter fama proximo reſtitui non poteſt, ſe eſſe mentitũ, ſe falſum dixiſſe. quia infamator tenetur reſtituere famam ſecundùm æqualitatem iuſtitiæ, etiam in eodem genere. ergo cum æquali infamia tenetur qui alterum diffamauit iniuſtè famam illios iniuſtè læſam reparare ſi aliter fama alterius iniuſtè ablata reſarciri non poteſt, niſi cum damno æquali propriæ famæ. Ita bene Lopez noſter *part. 1. inſtruct. cap. 116. conclusione prima.*

Dico octauò, contra præcedens aſſertum non officit : quia ordine charitatis quilibet tenetur ſe ipſum potius diligere, & famam propriam conſeruare, quàm famam alterius : ſi ergo non poterit famam alterius reſtituere, niſi diffamando ſe ipſum, dicendo ſe eſſe mentitum, ſe falſum dixiſſe, ad hoc faciendum non erit obligatus. hoc, inquam, non obſtat : quia licèt ſimpliciter bona propria præferenda ſint bonis alienis eiuſdem generis, ſecus tamen quando bona aliena iniuſtè fuerunt ablata : quoniam potior eſt conditio iniuſtè patientis iniuriam, quàm inferentis iniuſtè : ideo cum detrimento æquali propriæ famæ tenetur infamator famam alterius iniuſtè ablatam reparare.

Dvbitatio IV.

IV. *An iurans vtendo amphibologijs ſi id tantùm faciat ioci cauſa, peccet?*

Dico nonò, doloſè iurans, & ſophiſticè vtendo æquiuocationibus, & amphibologiis, quoties id neceſſarium, aut vtile non eſt, neque ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium actum virtutis, itaut veritatis occultatio cenſeatur expediens, ac ſtudioſa, ſed ſolùm ioci cauſa ſic iurat, vt quando quis iurat, Seium, v.g. eſſe ſuſpenſum, mente concipiendo, eius imaginem ſuſpenſam eſſe ad feneſtram, vel ad parietem, ſecluſo ſcandalo, & damno, peccat tantùm venialiter. Ratio eſt, quia iuramentum tunc non cadit ſupra materiam falſam, ſed ſupra rem, quam iurans mente concipit, quæ vera eſt : tum, quia hoc non eſt maius peccatum, quàm ſit iuramentum de re venialiter mala; ſed iuramentum de re venialiter mala, eſt tantummodo peccatum veniale. ergo hæc aſſertio colligitur apertè ex Caietano 2. 2. *quaſt. 89. art. 7. §. Ad hoc dicitur, verſicul. ſi autem artificioſè*, quem ſequuntur Sanchez *lib 3. in Pracept. cap. 6. num. 22.* Bonacina *tom. 2. de legibus, tract. de iuramento, diſput. 4. quaſt. 1. puncto* 12. *num.* 10. Oppoſitum tenent Sayr. *lib. 5. Clauis Regia, cap. 4. num. 11.* Lopez *part. 1. inſtruct. cap. 42. verſ. Doloſè iurans*; culpam ſcilicet eſſe mortalem iurare, his amphibologiis vtendo, abſque neceſſitate. quia eſt contra præcipuum iuramenti finem, qui eſt veritatem determinatam teſtificari, quæ ſententia eſt ſatis probabilis.

Dico decimò, caret culpa vti amphibologiis in ioco & in ridiculis, ſi id fiat abſque iuramento, & cauſa iuſtæ recreationis. quia honeſtus ludus cauſa iuſtæ recreationis exercitus honeſtum redderet amphibologiæ vſum : at ſi iuramentum adeſſet, eſſet manifeſta culpa; quia tunc vana, & indiſcreta diuini nominis adeſſet vſurpatio : at ſola eſſet culpa venialis, iuxta dicta *in aſſertione pracedenti*, quia tunc id contingeret in materia leui, ac proinde non eſt mortale : videatur Sotus *de. ſecreto, membro 3. quaſt. 3. fine*, Caietanus, Sanchez, & Bonacina *locis citatis.*

Dvbitatio V.

V. *An liceat vti verbis ambiguis in iuramento, facto in iudicio?*

Dico vndecimò, in iudicio vero, iudice legitimè interrogante, & in materia aliis præiudiciali, eſt peccatum mortale verbis quibuſuis ambiguis vti. quia tunc ſic iurans, vtendo ſcilicet verbis ambiguis, ſeu æquiuocationibus, ageret contra finem iuramenti in re graui abſque iuſta & rationabili cauſa : tum, quia quando iuſtè, & iuridicè ſub iuramento præſtito interrogamur, tenemur reſpondere iuxta ſanam, & communem mentem illios cui iuratum eſt. ergo, &c. Ita Caietanus nuper relatus. Lopez *vbi ſuprà cap. 42. §. Doloſè iurans.*

Dico duodecimò, qui ab alio quàm à ſuo iudice competente interrogatur, vel etiam dum interrogatur à ſuo iudice, ſed non iuridicè rogatus vt iuret de dicenda veritate, poteſt licitè vti amphibologia, & poteſt reſpondere ſe neſcire, vel non vidiſſe id de quo interrogatur, etiam ſi aliàs ſciret, & vidiſſet, addita reſtrictione in mente, vt teneatur dicere. quia tunc iuſta cauſa adeſt vtendi æquiuocatione, & amphibologia. ergo non tenetur reſpondere iuxta mentem interrogantis cùm iniuſtè interroget, ſed iuxta id, quod ipſe mente concepit, poterit licitè reſpondere. Ita bene Caietanus *in opuſculo Reſponſionum, reſponſ. 5.* vbi dicit quòd interrogatus contra ordinem iuris, an habeat complices, poteſt reſpondere, non habeo, mente concipiendo, vt dicam tibi : neque hoc eſt fallere iudicem, ſed tantùm permittere, vt iudex fallatur : quia non tenetur iniuſtè, & contra ordinem iuris interrogatus ſuam explicare amphibologiam. Ita colligitur apertè ex S. Thom. 2. 2. *quaſt. 89. art. 7. ad* 4. Bannez 2. 2. *quaſt. 69. art. 2. §. Ita tertia parte dicendum eſt.*

Dvbitatio VI.

VI. *An teſtis etiam iuratus, ſi ex denunciatione ſibi, vel ſuis aliquod damnum immineat, poſſit vti aquiuocatione in iudicio?*

Dico decimotertiò, Teſtis etiam iuratus ſi ex denunciatione, vel teſtificatione aliquod notabile damnum ſibi, ſuiſque timet, poteſt vti interrogatus etiam iuridicè, æquiuocationibus & amphibologiis ſine mendacio, & ſine periurio. quia ea cauſa excuſante, nempe cum notabili ſuo damno, vel ſuorum, non tenetur iuxta ſenſum interrogantis reſpondere, ſed iuxta ſenſum poteſt licitè reſpondere, quem ipſe mente concepit, & ſic verè dicit ſe neſcire, non vidiſſe, nec audiuiſſe, intelligendo, itaut dicere teneatur. Videatur Nauarrus *ſumma cap. 25. num. 50.* Leſſius *lib. 2. de Iuſtitia, cap. 30. dubio 6. num. 51.* Sanchez *lib. 3. in Pracepta, cap. 6. num. 24.*

Dvbitatio VII.

VII. *An veniens è loco, qui falsò putatur infectus peſte, vel per locum infectum peſte tranſiens, non ſit offenſus: interrogatus vnde veniat, cum iuramento poſſit æquiuocatione vti, dicendo ſe non venire è loco infecto?*

Dico decimoqnartò, qui venit è loco, qui falsò putatur infectus peſte, poteſt cuſtodibus vrbis eum iuramento reſpondere, ſe non venire à tali loco, addendo racitè, vel mente concipiendo, hodie, vel vbi ſit peſtis. quia iuſtam haber cauſam æquiuocatione vtendi. Tum, quia hæc cenſetur debita intentio intetrogantium. Irem ſi ita celeritet tranſitr per locum peſte infectum, vt nihil omnino peſtis eum læſerit, poteſt cuſtodibus vrbis iurans dicere, ſe illac non tranſiſſe. quia licitè intelligere mente poteſt ſe illac non tranſiſſe, itaut peſtis ipſum aliqua in parte infecerit, hæc enim videtur intentio cuſtodum vrbis interrogantium. Ira benè Syl. *verb. Iuramentum 3. quæſt. 2. fine.* Tolerus *lib. 4. cap. 21. num. 6.*

Dvbitatio VIII.

VIII. *An Clerici, & Religioſi venientes ex locis peſtilentibus, teneantur iurare iuxta mentem cuſtodum vrbis, interrogantium?*

Dico decimoquintò, Clerici & Religioſi venientes ex loco verè peſtilenti, ac de hoc rogati ab vrbis cuſtodibris tenentur ad ipſorum cuſtodum mentem iurare. quia etſi laici exigentes ab eis iuramentum, non ſint eorum legitimi Superiores, id tamen licitè exigunt, non enim vi illata, ſed ex ſuppoſitione, ſi in ciuitatem ingredi velint, id ab eis petunt: ſic benè Syl. *loco nouiſſimè adducto, §. Ex quibus patet.*

Dvbitatio IX.

IX. *An Clerici & Religioſi, interrogati ab vrbis cuſtodibus, an ferant aliquid gabellæ ſubditum, poſſint vti æquiuocatione, iurando non ferre?*

Dico decimoſextò, Clericus, vel Religioſus rogatus à cuſtodibus vrbis, an aliqua portet eo fine vt gabellam ſoluere compellatur, poteſt iurare ſe nihil portare, intelligendo ex quo gabellam debeat. quia iuſtam cauſam habet vti, dum iurat, æquiuocatione, cùm non debeat ſoluere gabellam. quia Clericus, ſeu Religioſus eſt exemptus: tum, quia ſi quis interrogetur de eo, qui quæritur ad mortem, an tranſierit per talé viam, ſi reſpondeat, Non tranſiuit hàc, intendens per locum proprium, & indiuiduum, quem pede, aut manu tãgit, & ſic adhibeat iuramentũ, non eſt mendax, neque periurus. quia ad vtilitatem proximi iurando vti poteſt æquiuocationibus. ergo ſimiliter Clericus, ſeu Religioſus ne iniuſtè grauetur ſoluendo gabellam, poteſt, &c. ſic benè Syl. *verb. mendacium, q. 6. §. Tertiò quando.*

Dvbitatio X.

X. *An debitor celans neceſſaria ad ſuſtentationem, poſſit vti æquiuocatione, iurando ſe non celaſſe?*

Dico decimoſeptimò, qui habet iuſtam cauſam celandi aliqua bona ne capiantur à creditoribus, quæ ſibi neceſſaria ſunt ad vitæ ſuſtentationem, & ſine quibus cogeretur mendicare, poteſt negare etiam cum iuramento ſe occultaſſe, intelligendo quæ non poſſet occultare, vel quæ teneatur manifeſtare. Idem poſſent iurare teſtes etiam coram iudice, ſcientes ipſum licitè occultaſſe. quia adeſt iuſta cauſa vtendi reſtrictione, vel amphibologia. hæc aſſertio colligitur apertè ex doctrina S. Thom. 2. 2. *quæſt. 89. art. 7. ad 4.* ex Bannez 2. 2. *quæſt. 69. art. 2. dub. penultimo*, & eam docet Sanchez *lib. 3. in Decalogum, cap. 6. num. 31.*

Dvbitatio XI.

XI. *An adultera interrogata à marito, an adulterium commiſerit, poſſit vti æquiuocatione, iurando ſe non commiſiſſe?*

Dico decimooctauò, adultera rogata à marito an adulterium admiſerit, poteſt iurare ſe non fregiſſe matrimonium. quia adhuc matrimonium integrum, & ſtabile perſeuerat: quamuis vir ea verba in eo ſenſu percipiat, vt fidem tori non violatit, ea enim oratio vtrumque ſenſum admittit, ſed poteſt tunc mulier ad vtilitatem propriam vti verbis ambiguis. ergo. ita Sotus *de ſecreto, membro 3. quæſt. 3. concl. 7.* Arag. 2. 2. *q. 69. art. 2 fine. § Vt ſi mulier.*

Dico decimononò, licitum eſt etiam adulteræ rogatæ à marito, an adulterium commiſerit, negare illud commiſiſſe, etiam cum iuramento, concipiendo intra ſe aliam diem ab ea in qua id admiſit. quia rationabiliter ſophiſticè reſponderet ad ſui vtilitatem, vt euitet graue & maximum incommodum. Similiter poteſt iurare ſe non feciſſe, intelligendo in mente, vt tibi reuelem: videatur Nauarr. *in conſimili caſu ſumma cap. 12. num. 87. §. Quartum dubium.* Sayr. *lib. 5. Clauis Regia, cap. 4. num. 24.*

Dico vigeſimò, mulier tamen adultera nequit iurare interrogata à marito, an adulterium commiſerit, ſe adulterij crimine carere, eo quòd illud confeſſa eſt. quia veniam de adulterio ſibi conceſſam à Deo, ignorat. Ita bene Syl. *verb. Iuramentum 2. quæſt. 8.* Nauarr. *ſumma cap. 12. num. 18. verſic. Decimonono.* Quamuis Sayr. nuperrimè relatus concedat mulierem præfatam iurare poſſe ſe non habere peccatum adulterij; quia, inquit, moraliter credit verum eſſe poſt factam confeſſionem; ſed verius & probabilius eſt quod diximus cum Syluestro, & Nauarro, neſcit enim homo vtrùm odio, vel amore dignus ſit: videatur *cap. accepimus, de purgatione Canonica, §. Porrò cum ab eis.*

Dvbitatio XII.

XII. *An rogatus, vt mutuet pecuniam, poſſit æquiuocè reſpondere, iurando ſe non habere?*

Dico vigeſimoprimò, is à quo mutua pecunia petitur, quam re vera habet, poteſt interiurando affirmare abſque periurio & peccato, ſe eam non habere, intelligendo intra ſe, vt mutuo det, vel ſe non habere pecunias in alio loco, ab eo in quo re vera habet, ſi adeſſet iuſta cauſa non mutuandi: vt ſi ſic iurans illis pecuniis eget ad alium vſum, aut credit fore, vt accipiens ſit tardus, aut difficilis in ſoluendo, aut ignorat qualiter habiturus ſit circa ſolutionem. quia tunc adeſt iuſta cauſa, & rationabilis vti æquiuocatione, nempe proprium commodum, vel timor alicuius damni imminentis: videatur Salon. 2. 2. *q. 69. a. 2. controuerſ. 11.* Sanch. *lib. 3. in Decalogũ, c. 6. n. 43.*

Dico

Dico vigeſimoſecundò, ſi res, quæ petitur, eſt aliquo modo petenti debita, is à quo petitur, ſi iurat, tenetur ſub mortali reſpondere ſecundùm intentionem petentis. quia facit contra finem iuramenti in materia graui, & abſque iuſta cauſa, iurando vtitur æquiuocatione: ſic Sayr. *lib. 5. Clauis Regiæ, cap. 4. n. 26.* non tamen eſſet periurus, ſi cum reſtrictione, & æquiuocatione iuraret. quia non iuraret cum mendacio, cùm iuret ſecundùm id, quod mente concepit. Bonacina *tom. 2. tract. de legibus, diſput. 4. quæſt. 1. puncto 12. num. 3. § Obſerua.*

Dico vigeſimotertiò, ſi verò res, quæ petitur, non eſt debita aliquo modo petenti rogatus ad illam dandam, vel commodandam, non peccat mortaliter, iurando ſecundùm intentionem propriam, ſcilicet non habere rem illam vt det illi, vel accommodet, etiamſi nullam aliam iuſtam cauſam habeat ſic iurandi, niſi quia non tenetur. qoia hic non videtur agere contra finem iuramenti in re graui, cùm etiam non teneri ad rem dandam, vel commodandam videatur aliqualis iuſta cauſa non dandi, vel commodandi: & ita hanc ſententiam tenet Nauarr. *ſumm. c. 12. n. 18. fine.*

Dico vigeſimoquartò, is à quo mutua res aliqua petitur, non debita petenti, quamuis non ſit periurus iurando ſe non habere, quam re vera habet, intelligendo in mente, non habeo vt tibi mutuare velim. quia ea verba vera ſunt iuxta additum mente retentum: nec peccet mortaliter, quia in huiuſmodi iuramento deficit ſola diſcretio, ſeu iudicium; ſed iuramentum cui ſola diſcretio, ſeu iudicium deficit, non videtur eſſe mortaliter peccaminoſum. ergo. Peccabit tamen hic venialiter in ea iuramenti æquiuocatione, ſi nulla non dandi, vel mutuandi cauſa ſit; quia quòd res non ſit debita, non videtur iuſta omnino cauſa vtendi in iuramento æquiuocatione: & cùm aliàs ſit hæc materia leuis, cùm non ſit tertio præiudicialis, erit culpa venialis vti æquiuocatione in huiuſmodi iuramento. Ita bene Lopez noſter *part. 1. inſtr. cap. 41. §. Item qui non tenetur.* Sanchez *lib. 3. in Præcepta, cap. 6. num. 43.*

Dvbitatio XIII.

XIII. *An fœmina quæ ob occultum impedimentum, ſcit virum non eſſe ſuum, ſi cogatur ad cohabitandum cum eo, iurando ſe velle cum illo cohabitare, poſſit vti æquiuocatione?*

Dico vigeſimoquintò, fœmina morti proxima, ac excommunicata, eo quòd viro non cohabitet, quem nouit ob impedimentum occultum non eſſe ſuum, coactaque iurare, vt abſoluatur, forè vt adepta ſanitate illi cohabitet, poteſt illud licitè iurare, intelligendo intra ſe, ſi id mihi licet. quia non eſt mens exigentis iuramentum vt ipſa peccet: tum, quia quoties iuramentum exigitur exequendi aliquid, quod ſine peccato exequi nequit, poteſt ſic iurans intra ſe intelligere, ſi abſque peccato id efficere potuero. Sylu. *verb. Iuramentum 3. q. 2. §. In iuramento verò.*

Dvbitatio XIV.

XIV. *An liceat mercatoribus, vel emptoribus in venditione, aut emptione mercium, alio ſenſu iurare?*

Dico vigeſimoſextò, mercatores vendentes ſua mercimonia, qui cùm non poſſint alia via pretium iuſtum ab emptore obtinere, iurant rem tanti, vel tanti ſibi ſtetiſſe, alio ſenſu quàm emptores intelligant, non ſolùm ad quidquam non teneri præcisè ratione iuramenti. quia iuramentum ex natura ſua ſolùm obligat iuxta intentionem iurantis. ergo mercatores iurantes ſecundùm id quod mente perceperunt, ſecundùm illud tantummodo obligantur, &c. Verùm etiam huiuſmodi venditores non videntur peccare mortaliter; quia dicunt ſe alia ratione iuſtum pretium ſuarum mercium ab emptoribus non poſſe obtinere, nec per hoc velle aliquid iniuſti committere. ergo non peccant mortaliter, &c. Leſſius *lib. 2. de Iuſtitia, cap. 41. dub. 9. num. 46.*

Dico vigeſimoſeptimò, idem dicendum de emptoribus, qui ne cogantur emere mercimonia à mercatoribus ſupra iuſtum pretium, affirmant ſub iuramento res alias minoris emiſſe, vel ſibi offerri minori pretio vt venditores deſcendant ad iuſtum, vel ad infimum pretium, intra iuſtum tamen mente concipiendo res minoris emiſſe, vel ſibi oblatas minori pretio, quas alio tempore emerunt: tunc hi non ſunt periuri. quia iurant verum, quod iuxta ſuam mentem conceperunt, nec peccant mortaliter, quia habent iuſtam cauſam vtendi verbis amphibologicis, & iurandi alio ſenſu, quàm venditores intelligant: videatur Bonacina in conſimili caſu *tom. 2. tract. de reſtit. diſput. 3. quæſt. 2. puncto 4. num. 31.*

Dvbitatio XV.

XV. *An iniquè interrogatus, iurando, poſſit vti æquiuocatione?*

Dico vigeſimooctauò, ſi quis iniquè interroget excludendo omnem æquiuocationem, vt ſi quis interroget Confeſſarium, num aliquid ſciat, excludendo omnem æquiuocationem, ſi videlicet ſciat vt homo, vel vt miniſter Dei, ſiue illud ſciat in confeſſione, ſiue extra confeſſionem: ſimiliter ſi iudex teſtem iniquè interroget, an ſciat delictum, ſiue publicè, ſiue occultè commiſſum vt reſpondeat ſecluſa omni æquiuocatione: tunc adhuc poſſunt ſic iniquè interrogati licitè vti æquiuocatione, apponendo aliquam particulam in mente per quam verum efficiatur iuramentum: vt ſi reſpondeant nullo modo illud audiſſe, vel commiſiſſe, mente concipiendo, vt teneantur iniquè interrogantibus illud dicere. quia cùm non teneantur ad formalem interrogantis mentem reſpondere, ſed ad debitam, illa reſponſio iuxta debitam eorum mentem vera eſt; ergo nec ſunt periuri, nec peccant; ergo, &c. Videantur Magiſter Sotus *in 4. diſput. 18. quæſt. 4. art. 5. ad 4 §. At qui eodem loco.* Bannez *2. 2. q. 69. art. 2. dubio penultimo,* & *ibi* Salon. *controuerſia 11. verſic. Quòd ſi iudex.*

Dvbitatio XVI.

XVI. *An debitor ſi nouerit, alia via pecuniam ſibi deberi, quàm ab altero mutuam accepit, iurando ſe aliquid illi non debere, poſſit æquiuocatione vti?*

Dico vigeſimononò, creditor ſi virtute inſtrumenti publici exigit coram iudice ſibi debitas pecunias à debitore, etiam ſi pars illius ſummæ debitæ ſoluta ſibi ſit, ſi tantumdem pecuniæ, quantumdem ſolutum eſt, ſit alia via ſibi debitum ab eodem debitore, de quo nullum eſt inſtrumentum publicum, virtute cuius illud exigere poſſit, poteſt iureiurando aſſerere totam quantitatem in eo inſtrumento contentam eſſe ſibi debitam, mente concipiendo ex alio debito, ſimul

cum

cum iſto tanta pecuniæ quantitas mihi debetur, quanta in hoc inſtrumento exprimitur: imò negare poteſt partem ſibi ſolutam fuiſſe, intelligendo vt modò tantumdem non debeatur. quia iuſtam cauſam habet vtendi tergiuerſatione, vt ſcilicet ſibi conſulat, ſibique iuſtum debitum recuperet. Ita benè Bonacina *tom. 2. de legibus, diſput. 4. quæſt. 1. puncto 12. num. 5. verſic. Octauò creditorem.*

Dvbitatio XVII.

XVII. *An mutuo accipiens centum, ſi integrè, vel ſecundùm partem reſtituerit, & iuridicè interrogatus de toto mutuo ſoluendo, poſſit, iurando ſe non accepiſſe, vti æquiuocatione?*

Dico trigeſimò, ſi quis mutuo accepit ab aliquo centum, & ea integrè ſoluit, poſtea iniquè conuenitur in iudicio, & rogatur ſimpliciter, acceperit, néc ne mutuo à mutuante, Franciſco, e.g. centum, poteſt iurare ſe non accepiſſe mutuo centum à Franciſco, nam intelligit mutuum eſſe ſolutione reſciſſum, & mutuum non debetur quod eſt redditum, & ſolutum: tum, quia à iudice ſolùm rogatur de mutuo quod debet; eodem modo ſi accepit mutuo centum, & ſoluit quinquaginta, & repetuntur ab eo centum, poteſt iurare ſe non accepiſſe mutuo centum, quia quinquaginta iam ſoluit, ac reddidit. Ita bene Azor. *part. 1. inſtitut. moral. lib. 11. cap. 4. dub. 5. §. Secunda regula.*

Dvbitatio XVIII.

XVIII. *An interrogatus de mutuo à iudice, dum pro illo tempore non tenetur reſtituere, poſſit ſub æquiuocatione negare ſe accepiſſe?*

Dico trigeſimoprimò, mutuo accipiens centum aureos ſoluendos poſt annum, ſi terminus, ad quem mutuum datum fuit, non eſt impletus, rogatus à iudice de mutuo, iurare poteſt ſe illud non accepiſſe, intelligendo, itaut teneatur illud ſoluere ante terminum impletum. quia iudex ad eum effectum rogat vt cogat ſtatim ſoluere: ergo negans ſe accepiſſe, intelligendo itaut ſtatim debeat ſoluere, verè ad debitam iudicis mentem reſpondet. Idem dicendum de eo, qui præ nimia paupertate excuſatur à tunc ſoluendo: poteſt hic iurare ſe non accepiſſe mutuo illos centum aureos, ſi in maxima neceſſitate conſtitutus cogeretur à iudice illos ſoluere, mente concipiendo ſe non accepiſſe mutuo illos centum aureos tunc ſoluendos, cùm non habeat vnde ſoluat. Videatur pro hac aſſertione Sanchez *lib. 3. in Præcept. cap. 6. num. 32.*

Dvbitatio XIX.

XIX. *An promittens mulieri, illam accipere in vxorem, poſſit id negando, vti æquiuocatione ſi fornicata ſit?*

Dico trigeſimoſecundò, ſi Titius, v.g. verè promiſit Bertæ, etiam cum iuramento, ducere illam in vxorem, non tenetur poſtea ſeruare fidem, ſi illa poſt fidem datam fornicata eſt, immo cum iuramento negare poteſt promiſſionem, intelligendo itaut teneatur: nam in iſto caſu habet iuſtam cauſam vtendi æquiuocatione, nempe fornicationem ſubſequutam poſt fidem datam.

Dvbitatio XX.

XX. *An interrogatus vtrùm debeat centum, dum debet 50. vel fundus ſit ſuus, ſi illius habet partem, ſit periurus negans debere centum, vel fundum non eſſe ſuum?*

Dico trigeſimotertiò, non eſt periurus qui abſolutè negat cum iuramento ſe debere centum, cùm re vera debeat tantùm quinquaginta: aut qui interrogatus de fundo, an ſit ſuus abſolutè, negat ſuum eſſe, ſi ſola fundi pars ſua ſit. nam verum fatetur, cùm falſum ſit fundum abſolutè ſuum eſſe, aut centum debere. Ita Couarr. *lib. 1. variarum, cap. 4. num. 5.*

Dico trigeſimoquartò, non ſolùm eſt periurus ille, qui abſolutè negat cum iuramento ſe debere centum, cùm tantùm debeat quinquaginta, & interrogatus de fundo, an ſit ſuus, abſolutè negat ſuum eſſe, cùm tantùm ſola fundi pars ſua ſit, verùm etiam ſi iniquè interrogetur, videlicet vt ſoluat centum, cùm tantùm debeat quinquaginta, vel vt ſoluat maiorem penſionem, quàm ſoluere non debet, ſi fatetur fundum ſuum eſſe; ſed eſt etiam liber ab omni culpa, mente concipiendo ſe non debere centum, & totum fundum non eſſe ſuum; quia iniquè interrogatus iuſtam habet cauſam vtendi tergiuerſatione: videatur Azor. *p. 1. inſtit. moral. lib. 11. cap. 8. dub. 14.*

Dico trigeſimoquintò, licèt is, de quo diximus duabus præcedentibus immediatè aſſertionibus, non ſit periurus, & liber ſit à culpa, ſi iniquè interrogatur: tamen ex alio capite culpæ reus eſſe poteſt: vt ſi neget centum debere, ne cogatur ſoluere partem, quam debet, vel neget fundum eſſe ſuum cauſa alicuius fraudis, puta ne ſoluat penſionem, quam debet ex parte fundi, quæ ſua eſt. quia hoc eſſet in tertij præiudicium, quod eſſet iniuſtum & iniquum. Ita bene notauit Gutterrez *quæſtionibus practicis, lib. 1. quæſt. 61. num. 2.*

Dvbitatio XXI.

XXI. *An reus ſub iuramento interrogatus à iudice legitimo iuridicè, poſſit vti amphibologijs?*

Dico trigeſimoſextò, reus ſub iuramento interrogatus à iudice legitimo, ſeruato iuris ordine, non poteſt vti amphibologiis, immo peccat mortaliter illis vtendo, & tenetur veritatem aperire, etiamſi manifeſtata veritate damnandus ſit ad mortem. Prima pars huius aſſertionis iam ſuprà *aſſertione* 11. probata remanet: ſecunda verò probatur; quia Superior & iudex ſeruato iuris ordine legitimè præcipit, & interrogat; ergo reus tenetur obedire, & veritatem aperire. Ita apertè colligitur ex doctrina D. Thom. 2. 2. *quæſt. 69. art. 1.* & docet expreſsè Bannez *ibi. 6. In ſecunda parte tractatus, dubio 1. concl. 1.* licèt Petrus de Nauarra *lib. 2. de reſtitutio, cap. 5. in ſecunda parte*, aſſerit oppoſitum, inquiens, piè, & probabiliter poſſe teneri in cauſa criminali, præcipuè capitis, poſſe reum in conſcientia verbis ambiguis veritatem contegere, etiamſi ad interrogationem iudicis præceſſerint indicia, vel infamia, vel ſemiprobatio, quoniam, inquit, in cauſa ſanguinis ob rei magnitudinem, & naturalem & vehementem inclinationem, quam natura hominibus dedit ad ſui conſeruationem, ipſa eadem natura tribuit ſummam, ac liberrimam facultatem ſe tuendi; ergo reus iuratus, & interrogatus etiam iuridicè in cauſa ſanguinis, præcipuè capitis, poterit vti verbis amphibologiis

bologicis ad contegendam veritatem ; ſed hoc eſt omninò improbabile,& falſum: quia Reſpublica habet poteſtatem ad punienda crimina ſecundùm leges, ſed eſt neceſſarium ad talem punitionem vt poſſit obligare reum iuridicè interrogatum ad reſpondendum veritatem.ergo,&c. Neque ratio,quæ adducitur pro Petro de Nauarra, aliquid probat: nam conſeruatio Reipublicæ præualet bono vitæ priuatorum hominum: & ita hanc ſententiam & veritatem cum D.Thom.tenent,Bannez 2.2.*quæſt.*69.*art.*1.§.*In ſecunda parte tractatus*, *dub.*1. *concluſ.*1. Sayr. *in Claui Regia*, *lib.*12. *cap.*16.*dub.*1.*num.*1. Nauarr.*ſumma cap.*25.*n.*36. Azor.3.*part.inſtit.mor.lib.*13. *cap.*25. *dub.*3. & eſt communis ſententia inter DD.bene ſentientes.

Dvbitatio XXII.

XXII. *An reus iuratus iuridicè interrogatus, poſſit vti verbis ambiguis, ad contegendum veritatem, ſi crimen non ſit plenè probatum?*

Dico trigeſimoſeptimò,eſt etiã falſum, & omnino improbabile aſſerere reum iuratum iuridicè interrogatum poſſe vti verbis ambiguis ad contegendam veritatem,negando crimen, præſertim in cauſa criminali, quamdiu eſt ſpes euadendi, eo quòd crimen nondum ſit plenè probatum, & ex ipſius confeſſione reus eſt occidendus.quia iudex ex poteſtate ſibi commiſſa, ſi iuridicè reum interroget, authoritatem habet puniendi delicta, conſequenter authoritatem habet ad vtendum viis licitis, & neceſſariis ad punitionem delictorum; ſed iudex punire non poteſt delicta, niſi per rei confeſſionem, & teſtium teſtimunio cognoſcantur,nemo enim condemnari debet niſi crimen confeſſus, aut facti euidentia, vel teſtimoniis conuictus fuerit, vt habetur 2.*quæſt.* 1. *cap. nos in quemquam.& cap.iudex*; ergo reus ſi iuridicè interrogatur,non poteſt vti verbis ambiguis, & peccat mortaliter ſi veritatem non indicet, &c. Hæc aſſertio eſt D.Thom.& DD. ſuprà *aſſertione præcedenti cit.* contra Bonacinam *tom.*2. *de legibus*, *diſput.* 10. *quæſt.* 3. *puncto* 2. *num.*7.

Dvbitatio XXIII.

XXIII. *An Religioſi, grauiſſimis delictis notati, & à ſuis Prælatis interrogati ſub iuramento, poſſint verbis ambiguis contegere veritatem?*

Dico trigeſimooctauò, eſſe omnino falſum, & improbabile, aſſerere Religioſos grauiſſimis delictis notatos, non tamen plenè probatis, vt ſe non prodant, etiamſi à ſuis. Prælatis ſint ſub iuramento iuridicè interrogati de dicenda veritate, poſſe ipſam veritatem verbis amphibologicis celare. quia obedientia eſt pars iuſtitiæ legalis; ſed obedientia præcipit vt quis Superiori iuſtè, & iuridicè præcipienti obediat, iuxta illud ad Roman. 11. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, & *qui poteſtati Superioris reſiſtit*, intellige iuridicè procedentis, *Dei ordinationi reſiſtit*; ergo iuridicè iudici, ſeu Prælato interroganti, tenetur ſubditus obedire: ergo negando veritatem quando ſic interrogatur, mortaliter peccat. ergo. contra Rodriquez *tom.* 2. *qq.Reg. quæſt.*4. *fine*,Leſſ.*lib.*2. *de Iuſtitia*, *cap.*31. *dub.*3. *num.*17.

Dvbitatio XXIV.

XXIV. *An reus, vel teſtis iuratus teneatur crimen fateri dum dubitat, an iudex ſeruato iuris ordine, illum interroget?*

Dico trigeſimononò,reus iuratus non tenetur crimen fateri quando dubitat vtrùm iudex iuridicè, id eſt,ſeruato iuris ordine,interroget.idem dicendum de teſte. quia nemo tenetur parere Superiori cum graui ſuo,vel alterius incommodo, niſi conſtet eum legitimè præcipere, & habere auctoritatem obligandi: tum, quia in dubio fauendum eſt reo. Ita Arrag. 2.2.*quæſt.*69.*art.*1. §. *Sed dubitabit aliquis*, *verſic. Quod dicendum potius.* Sotus *de ſecret. membr.* 3. *quæſt.* 2. *concl.*2. Oppoſitam ſententiam probabiliorem exiſtimat Bonacina *tom.*2.*tract.de legibus*, *diſput.*10.*quæſt.*3. *puncto* 2.*num* 4.§. *Mihi probabilior videtur.*

Dvbitatio XXV.

XXV. *An quando interrogatio iudicis, vel Superioris eſt tantùm ad impediendum peccatum, teneatur ſubditus iuratus dicere veritatem?*

Dico quadrageſimò, quando interrogatio iudicis, vel Superioris non tendit ad punitionem, ſed ad impediendum peccatum,ſubditus iuratus tenetur fateri veritatem etiam de occultis, etſi nulla præceſſit infamia,aut ſemiplena probatio,aut indicia, vt cùm promouendus ad Ordines rogatur de natalibus,de cenſuris,de irregularitate,cùm ini
turi matrimonium interrogantur de impedimentis.quia Superior cauſa impediendi peccati habet ius interrogandi,& ſubditus non habet iuſtam cauſam celandi,cùm non poſſit ſine graui peccato cum talibus impedimentis illa ſuſcipere, aut illis vti,& aliàs liberè poſſit abſtinere: ſic Leſſius *lib.*2.*de Iuſt.cap.*31.*dub.*3.*num.*9.

Dvbitatio XXVI.

XXVI. *An qui hominem occidit, ad ſui defenſionem, ſub iuramento interrogatus, an hominem occiderit, poſſit, vtendo æquiuocatione, negare ſe occidiſſe illum?*

Dico quadrageſimoprimò, qui defendendo ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ,vel ſaltem abſque notabili exceſſu, ſeu ſine mortali culpa occidit hominem,non tenetur iuratus fateri ſe hominem occidiſſe,ſed vtendo reſtrictione in mente negare poteſt ſe homicidium commiſiſſe, etiamſi de homicidio ab ipſo commiſſo præceſſerit infamia.quia iudex inquirit de occiſione criminoſa,qualis non eſt illa,quæ facta eſt ad ſui defenſionem abſque notabili exceſſu. Salon.2.2.*q.*69.*art.*2.Idem dic de teſtibus.

Dvbitatio XXVII.

XXVII. *An qui crimen non commiſit, ſi iuratus interrogetur de circumſtantijs, poſſit ſub æquiuocatione reſpondere?*

Dico quadrageſimoſecundò, qui crimen non commiſit, non tenetur etiam iuratus fateri illas circumſtantias, ex quibus vehemens ſuſpicio capi poteſt ipſum fuiſſe criminis auctorem, ideo negare poteſt hunc eſſe ſuum pugionem, quamuis re vera ſuus ſit, aut ſe eo loci fuiſſe,quamuis ibi verè fuerit,adhibita

tamen

tamen conuenienti æquinocatione. quia quoties iuſta de caſa æquiuocatio, vel reſtrictio adhibetur, nihil fieri præſumitur contra rationabilem iudicis voluntatem. Bonacina *vbi ſuprà, num. 6. §. Excipe.*

DVBITATIO XXVIII.

XXVIII. *An Confeſſarius poſſit abſoluere reum legitimè interrogatum, & iuratum, ſi negauerit veritatem, niſi ſe retractet?*

Dico quadrageſimotettiò, reus iutatus & legitimè interrogatus ſi neger veritatem metn mortis, ad quam iuſtè damnaretur, oon tenetur Confeſſarius ei præcipere vt dictom ſuum tetractet, & iniuſtè repellit ab abſolurione ſi nolit illud rettactare. quia eſſet eogere reum ad ſe prodendum, & hoe præſertim ſi ex tormentis liber euaſit, & eſt ſolutus à catcere. Azor. *3. p. inſtit. mor. lib. 13. cap. 25. dub. 5.*

Dicò quadrageſimoquartò, tenetur Confeſſarius monere reum iuratum vt ſit animo ptæparato, & voluntate confitendi veritatem, ſi iterum interrogetur, quantumuis ſit condemnandus ad mortem. quia quoties legitimè interrogatur, tenetur dicere vetitatem, etiamſi ſit oecidendus, vt diximus *aſſert. 36.* ergo licèt quando non itetum interrogatur, non teneatur ſe ipſum prodere dictum ſuum rettactando, deber tamen eſſe paratus dicere veritatem, quandocunque fuerit iterum iuridieè iuterrogatus: & ita hane aſſertionem tenere debent conſequenter DD. quos eitauimus pro aſſertione 36. Suſtinendo verò aſſertionem 37. & vltra illos Bannez 2. 2. *q. 69. art. 1. §. In ſecunda parte tract. concl. 2.*

Dico quadrageſimoquintò, ſi reus legitimè ſeruato iuris ordine inſertogatus, etiamſi non iuret abſolutè, ſe eum reſtrictione ſe dicturum veritatem, ſi prima viee interrogatus, & iuratus iuxta mentem iudicis non teſpondit, ſed ioxta reſtrictionem ſuam mentalem reſpondit, contegendo veritatem, etiamſi adfuerit ſpes euadendi pœnam grauiſſimam ſibi à iudice imponendam ex ſua confeſſione, ſi iterum eſſer interrogandus, tenetur Confeſſarius illum eogere ad veritatem aperiendam, & deber illum ab abſolutione repellere, ſi noller iterum interrogatus aperire veritatem: quia etiam tune reus peccanit mortaliter non dicendo veritatem. nam iuſtè, & legitimè fuit interrogatus, & iuxta mentem iudicis iutidicè interrogantis tenebatnt reſpondete: & quia non eſt animo patatus ad veritatem confitendam iudici legitimè interroganti, deneganda eſt ſacramentalis abſolutio. nam non haberet ſufficiens propoſitom vitandi peccara in futurum. Ita optimè Bannez *loc. cit.* nupetrimè adductò, contra Rodriquez *tom. 2. qq. Reg. queſt. 19. art. 4. verſicul. Quod maximè.*

DVBITATIO XXIX.

XXIX. *Quid requiratur vt reus iuratus teneatur iudici veritatem aperire?*

Dico quadrageſimoſextò, reus iutatus vt teneatur iudici reſpondere veritatem, neceſſatium eſt quòd priùs iudex ei notificer contta ipſum eſſe infamiam, vel indicia ſufficientia, vel ſemiplenam probationem, vt ſic ſciat ipſum iuridieè intetrogare, & conſequenter non tenetur ſtatim ei fidem adhibere, credereque quòd iuridicè interroget vt veritatem illieo manifeſter. quia vt reus teneatur aperire veritatem, debet manifeſtè ſcire ſe eſſe in tali articulo conſtirutum quòd teneatur obedite iudiei præcipienti & extorquenti vetitatem. ergo reputare poteſt ſe eſſe occultum quoad vſque index non notificet coutra ipſum eſſe infamiam, &c. ergo non tenebitur, &c. Ita bene Caiet. 2. 2. *q. 69. art. 1. §. Tertiò quod quthor dicit, verſ. Tertiò ad proceſſum.* Arag. *ibid. §. Sed dubitabit aliquis hoc loco vtrùm*; ſed vt ea quæ diximus clatiùs explicentur, operæ pretium erit explieare, quid ſit infamia, quid indieia ſufficientia, quid ſemiplena probatio: vnde,

DVBITATIO XXX.

XXX. *Quid ſit infamia?*

Dico quadrageſimoſeptimò, infamia eſt frequens vox bonorum & proborum virorum, quæ hominem de tali crimine ſuſpectum teddit; ad infamiam ergo iudicialem tequiritur, vt ſit freqoens opinio & vox bonorum, vox enim diſcolorum, & hominum infimæ ſortis, non efficit legitimam, & iudicialem infamiam. quia hæc infamia induci poteſt abſque indiciis, & coniecturis ſufficientibus. Ita benè Caiet. nuperrimè relatus, ferè in principio illius commentarij. Syl. *verb. Infamia, quaſt. 1. num. 2.*

Dico quadrageſimooctauò, vt infamia probet, deſideratur vt ipſa plenè, & verè probata ſit, vt ſaltem duplici teſte probata ſit: nam id eſt generale, vt non minus, quàm duo teſtes probēt, *c. in omni negotio, & c. qualiter el 2. de accuſatio.* & tales teſtes debent eſſe omni exeeptione maiores, deponántque ſe audiſſe à fide dignis. quia fama, vel infamia nihil probat, vt eſt vana vulgi vox, niſi oriatut à fide dignis. *c. in cunctis, 21. queſt. 3.* Videatur Menoch. *volum. 1. conſil. 70. num. 21.* Sanchez *lib. 1. de matrim. diſput. 46. num. 16.*

DVBITATIO XXXI.

XXXI. *Quid ſint indicia?*

Dico quadtageſimononò, indicia ſunt ſigna & circumſtantiæ ex quibus prudenter, & rationabiliter iudieamus de actibus aliorum. Sunt antem indicia in tripliei differentia, alia ſunt leuia, alia grauia, alia probabilia. Leue indicium dicitnt illud, cui frequenter contingit abeſſe veritatem, & tale eſt reiiciendum. Graue indicium eſt, cui frequenter contingit veritatem adeſſe: probabile autem indicium eſt medium inter vtrumque, quod & facit aliqualem ſuſpicionem: grauia debent eſſe indicia vt iudex iuridicè interroget, & reus iuratus aperire veritatem teneatur. quia non qualiacunque, ſed adeò expreſſa debent eſſe indicia, vt vehementer teum indicent antequam ius emergat procedendi contra illum: videatur D. Thom. 2. 2. *quaſt. 69. art. 2. in corpore.* Arag. 2. 2. *q. 69. art. 2. §. de indicijs qua ſecluſa infamia.*

DVBITATIO XXXII.

XXXII. *Quid ſit ſemiplena probatio criminis?*

Dico quinquageſimò, ſemiplena probatio eſt dictum vnius teſtis oculati, vel aliàs fide digniſſimi deponentis cum iuramento, & hic teſtis dicitur omni exceptione maior, regulariter loquendo. quia nullus maior teſtis reperiri poteſt, quàm teſtis oculatus, & fide dignus deponens cum iuramento, quoties eriminis perpetratio eadit ſub viſu, vel qoi deponit cum iuramento ſe crimen audiſſe, quoties teſtificatio criminis non eadit ſob viſu, ſed ſub potentia auditus, vt eſt crimen hæreſis, vel blaſphemiæ: iudex igitur ſeruato iuris ordine procedit, quando infamia, vel indicia ſufficientia, vel ſemiplena probatio præcedunt: vt docet D. Thom. 2. 2. *queſt. 69. art. 2. in corpore*, communiter receptus:

& tunc reus iurstus tenetur veritatem fateri, etiamſi damnandus eſſet ad mortem, vt diximus *ſuprà in hoc art. aſſertione 30. & 35.*

Dubitatio XXXIII.

XXXIII. *An denuncians, vel actor, vel accuſator, poßint facere ſemiplenam probationem?*

Dico quinquagesimoprimò, denuncians non facit ſemiplenam probationem vt reus ex ſola ſimplici denunciatione veritatem aperire teneatur, ſed præter ipſum requiritur alius teſtis omni exceptione maior, qui, e. g. vidit reum occidere, vel furari. Item actor, & accuſator non ſufficit ad faciendam ſemiplenam probationem: nam, vt dicitur *in l. nullus, ff. de teſtibus*, nullus in cauſa propria eſt idoneus teſtis, ſed actor, accuſator, ſiue denunciator intendens punitionem, ſuſcipit cauſam boni communis vt propriam contra reum; ergo ſolum eius teſtimonium non debet valere. ergo, &c. Ita præclarè Caietan. 2. 2. *quæſt. 69. art. 1. §. Ad ſecundam dicitur, verſic. eſt ſermo Dei, &c.* quem ſequitur Valentia *tom. 3. in 2. 2. diſp. 5. quæſt. 13. punct. 2. §. Caietanus verò ait.*

Dubitatio XXXIV.

XXXIV. *An iuramentum in materia in differenti, vel impoßibili, vel impeditiua maioris boni, vel contraria diuinis conſiliis, ſit validum?*

Dico quinquageſimoſecundò, materia iuramenti ſoli Deo præſtiti non eſt res indifferens quamdiu res illa manet indifferens, aut impoſſibilis, aut impeditiua maioris boni, ſeu contraria diuinis conſiliis: immo iuramentum non obligat ſi fiat de re indifferenti, vel quando meliùs eſt non fieri. quia Deus non vult obligare ad aliquid vanum, & otioſum, vel contrarium ſuis conſiliis, ſeu ad aliquid impeditiuũ maioris boni; ergo qui iurauit, non tenetur vinculo iuramenti ad ſeruandam rem promiſſam indifferentem, impoſſibilem, vel impeditiuam melioris boni, ſeu contrariam diuinis conſiliis: tum, quia cùm iuramentum Deo præſtitum induat naturam voti, exigitur eadem materia ad eius valorem, quam votum ad ſui valorem petit. ergo ſicut de re mala, aut impoſſibili, aut indifferenti, aut impedienti maius bonum, contrariáque diuinis conſiliis non obligat, ita nec iuramentum Deo præſtitum de his obligabit: videatur D. Thom. 2. 2. *quæſt. 89. art. 7. ad* 2. Caietan. *ſum. verb. periurium, num.* 14. Sotus *lib. 8. de iuſtitia, quæſt. 1. art. 7. ad* 2. Sanchez *lib. 3. in Decalogum, cap. 8. num. 11.*

Dubitatio XXXV.

XXXV. *An iuramentum præſtitum in vtilitatem hominis, obliget, licèt ſit impeditiuum maioris boni?*

Dico quinquageſimotertiò, quando præſtatur iuramentum hominis in eius vtilitatem, obligat vtique, etiamſi impediat maius bonum, licèt tale iuramentum ſoli Deo præſtitum non obſtringat iurantem ad ſui obſeruationem. quia iuramentum ducendæ fœminæ ipſi præſtitum obligat, quamuis impediat maius bonum, cùm tamen id iuramentum factum ſoli Deo ſit prorſus irritum. ergo. videatur Caietan. 2. 2. *q. 89. art. 5. circa ſolutionem ad 3. in primo dubio, verſic. ad euidentiam huius.*

Dubitatio XXXVI.

XXXVI. *An iuramentum de re indifferenti vt ſic, præſtitum Deo, vel homini obliget?*

Dico quinquageſimoquartò, iuramentum de re indifferenti vt ſic ſecundùm ſpeciem, ſiue homini præſtetur, ſiue ſoli Deo, non obligat. quia cùm in indiuiduo non detur actus indifferens, vt docet D. Thom. 1. 2. *quæſt. 18. art. 9.* ſi non eſt bonus, debet eſſe malus ſaltem venialiter, & otioſus; ergo erit iuramentum rei malæ; ergo iuramentum de re indifferenti vt ſic, ſiue homini, ſoli Deo præſtetur, non obſtringit, cùm iuramentum rei malæ non ſit obligatorium, neque Deo præſtitum, neque homini: quia iuramentum nequit eſſe vinculum iniquitatis, *cap. quanto, de iureiurando.*

Dubitatio XXXVII.

XXXVII. *Quidnam requiratur ad hoc vt iuramentum de re indifferenti præſtitum homini, obliget?*

Dico quinquageſimoquintò, iuramentum præſtitum homini de re in ſe indifferenti, ſi in indiuiduo res promiſſa induat rationem boni, honeſti, vtilis, aut delectabilis, eſt obligatorium. quia vt iuramentum præſtitum homini obliget, id tantùm ſpectandum eſt, an res illa iuramento promiſſa poſſit abſque peccato mortali, & veniali impleri à iurante; ſed res promiſſa in ſe indifferens induens rationem boni in indiuiduo, honeſti, vtilis, delectabilis, abſque peccato mortali, & veniali impleri poteſt à iurante; ergo tale iuramentum præſtitum in vtilitatem hominis obligabit: videatur pro his duabus vltimis aſſertionibus Caietanus *ſumma verb periurium num.* 14. Sed vt magis explicentur hæ duæ immediate præcedentes aſſertiones,

Dubitatio XXXVIII.

XXXVIII. *An iurans tranſire extra muros ciuitatis, vel aliud ſimile, iuramentum ſeruare teneatur?*

Dico quinquageſimoſextò, ſi quis iurauerit tranſire extra muros ciuitatis, aut aliquid eiuſmodi efficere, tale iuramentum non eſt obligatorium, ſi nulla ſit ratio ſic tranſeundi. quia iuramentum non eſt vinculum ad otioſum aliquid agendum: ſed tranſire extra muros ciuitatis, ſi nulla ſit ratio boni, honeſti, vtilis, aut delectabilis, eſt res in ſe indifferens, & conſequenter quid otioſum ſi abſque aliquo bono fine adimpleatur in indiuiduo. ergo, ſi quis iurauit, &c. non tenetur ſeruare tale iuramentum: tum, quia ſi quis iuret ſe non aditurum emendi gratia apothecam alicuius, vel cauſa coquendorum panum furnum alicuius, ſi nulla ſit ratio ſic agendi, iuramentum non erit obligatorium; quia hoc eſſet quid indifferens, & in indiuiduo quid otioſum. ergo.

Dico quinquageſimoſeptimò, ſi verò quis iuraret tranſire extra muros ciuitatis ad cautelam, ſeu vtilitatem ſpiritualem, vel temporalem ſui, vel alterius, iuramentum tunc eſſet obligatorium. quia licèt in ſe tranſire extra muros ciuitatis ſit actus indifferens, tamẽ in indiuiduo ſi fiat ob vtilitatẽ proximi, vel ſui, eſt actus bonus, & materia ſufficiens iuramenti. Similiter ſi quis ex aliquo pacto cedente in alterius vtilitatem iuraret ſe non aditurum aliam apothecam, niſi ſuam,

vel

vel alium furnum, niſi ſuum iuramentum eſſet obligatorium, quia iuramentum promiſſorium de re non illicita obligat ad ſui impletionem: ſi is cui eſt præſtitum, vult illud impleri. ergo, &c. Videatur Caietanus *loco* nouiſſimè *adducto* Nauarr. *ſumma cap.* 12. *n.* 17. Sanchez *lib.* 1. *in Decalogum, cap.* 9 *num.* 19.

ARTICVLVS IV.
De iuramento facto circa ſponſalia.

SVMMARIVM.

1. *An qui contraxit ſponſalia cum iuramento, poſſit ingredi Religionē, ſi poſt ſponſalia copula ſequuta ſit.*
2. *An priora ſponſalia diſſoluantur per poſteriora, facta cum iuramento, & diſſolutis prioribus aliqua cauſa, ſecunda maneant valida.*
3. *An iuramentum rei illicitæ, ſi poſtea licita fiat, ſit obligatorium.*
4. *An iurans ſponſalia, aliud iniens poſtea matrimonium, peccet? &, An hoc ſoluto, teneatur ad priora ſponſalia? vel ſi matrimonium aliquo impedimento irritum fuerit, teneatur ad priora ſponſalia? & an alter ſponſus maneat liber à fide ſponſalium.*
5. *An ſponſalia iuramento firmata, ſi iuramentum ſit præſtitum in fauorem partis, vel in honorem Dei, licitè, mutuo conſenſu, diſſolui poſſit.*

DVBITATIO I.

I. *An qui contraxit ſponſalia cum iuramento, poſſit ingredi Religionem, ſi poſt ſponſalia, copula ſequuta ſit?*

Dico primò, qui contraxit ſponſalia cum iuramento, poteſt ingredi Religionem ante contractum matrimonium. quia acceſſorium ſequitur naturam & conditionem principalis, *ex cap. quemadmodum, de iureiurando*; ſed principale in hoc caſu eſt promiſſio, acceſſorium eſt iuramentum. ergo ſicut promiſſio matrimonij cenſetur facta cum hac conditione, niſi melior ſtatus eligatur; ita conſequenter cenſetur factum iuramentum. ergo ſicut promittens ſine iuramento poteſt Religionem ingredi, ita etiam poteſt qui promiſit cum iuramento. Ita optimè Syl. *verb. Iuramentum* 3. *quæſt.* 5. *& verbo Religio* 2. *quæſt.* 5. *&* 9.

Dico ſecundò, non obſtat contra præcedens aſſertum *cap. commiſſum, de ſponſalibus*, vbi conſultus Pontifex de hac re, reſpondit, Tutius eſt ei, Religione iuramenti ſeruata, priùs contrahere, & poſtea ſi elegerit, ad Religionem intrare. ergo vis iuramenti cogit ad prius contrahendum matrimonium ſi ſponſalia fuerunt cum iuramento promiſſa. ergo iuranti ſponſalia non eſt liberum ingredi Religionem: hoc, inquam, non officit; quia ille, de quo conſultus eſt Pontifex, ſponſalia iurauerat, & nondum de ingreſſu Religionis deliberauerat, vt conſtat ex iis verbis textus, *& poſtea ſi elegerit*, quaſi nondum animo ſtatuiſſet, & ex alia parte inſtabat tempus quo iuramentum aſtringebat, & ideo dixit Pontifex, tutius eſſe ſtatim contrahere matrimonium, ne termino tranſacto in periurium incidat, & contractu matrimonio ſupererat ei bimeſtre ad deliberandum de Religionis ingreſſu. Videatur Innoc. ſuper *cap. commiſſum, de ſponſalibus*. Sotus *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 5. *verſic. dubium hic.*

Dico tertiò, Contra eandem primam aſſertionem non officit, quia iuramentum factum in fauorem tertij, cui eſt ius acquiſitum, non poteſt in melius commutari: vt ſi iuraui Petro me daturum illi centum aureos, non ſatisfacio ſi pauperiori dem mille. ergo ſimiliter, ſi quis promiſit cum iuramento alicui fœminæ ſponſalia, non poteſt ingredi Religionem. hoc, inquam, non obſtat contra veritatem illius aſſertionis: nam illud antecedens eſt verum, niſi in iuramento inſit tacita conditio, ſi in melius non commutauero: in iuramento autem ducendi aliquam fœminam in vxorem, ſemper ſubintelligitur tacita conditio, promitto ſub iuramento te ducere, niſi moriar ciuiliter: videatur Syl. *verb. Iuramentum* 3. *quæſt.* 5. *verſicul. Dico quòd ſubintelligitur*, Sanchez *lib.* 2. *de ſponſalibus, diſput.* 43. *num.* 5. *verſ. ad tertium dico.*

Dico quartò, qui contraxit ſponſalia cum iuramento, ſi virtute ſponſalium copulam habuit cum ſponſa de futuro, licitè poſtea non poteſt ingredi Religionem, ſed debet contrahere matrimonium cum ſponſa. quia in hoc caſu obſtat vinculum iuſtitiæ, cùm ſponſus teneatur reſarcire iniuriam quam non videtur, moraliter loquendo, poſſe aliter reſarcire, quàm contrahendo matrimonium cum ſponſa.

Dico quintò, ſi quis celebrauerit ſponſalia cum iuramento, ſiue ſine iuramento, cum virgine, quam poſtea ante contractum matrimonium defloravit de præſenti, ſiue etiam contraxit ſponſalia cum iuramento cum vidua bonæ famæ, cum qua rem habuit, quæ alioquin grauem infamiam pateretur, niſi duceretur in matrimonium. Similiter ſi promittens alicui fœminæ illam ducere in vxorem, tantam cum illa habuit familiaritatem, vt inde oriatur ſponſæ grauis infamia, ſi nolit ſponſam in matrimonium ducere, licitè non poteſt ingredi Religionem. quia obligatio naturalis, qua tenemur reſarcire damnum, & iniuriam aliis illatam, præferenda eſt actui Religionis: videatur pro his duabus aſſertionibus, Syl. *verb. Religio* 1. *quæſt.* 9. Lopez *part.* 1. *inſtruct. cap.* 77. *verſic. Sed grauius hic.* Nauarr. *tom.* 1. *conſil. lib.* 3. *de voto, conſilio* 3. *fine.*

DVBITATIO II.

II. *An priora ſponſalia diſſoluantur per poſteriora facta cum iuramento, & diſſolutis prioribus aliqua cauſa, ſecunda maneant valida?*

Dico ſextò, priora ſponſalia non diſſoluuntur per poſteriora, etiamſi poſteriora facta ſint cum iuramento. quia ſecunda ſponſalia ſunt de re, quæ non poteſt ſine peccato adimpleri, & ſunt in præiudicium alterius; ſed promiſſio etiam iurata, quæ non poteſt adimpleri ſine peccato, aut quæ eſt in præiudicium alterius, non obligat. ergo per poſteriora ſponſalia iurata non diſſoluuntur priora, iuramentum enim non eſt vinculum iniquitatis, *cap. cùm contingat, de iureiurando.* Ita bene Sotus *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 4. *dubio* 3. *verſic. Quin etiam*, Armilla *verb. ſponſalia, num.* 7.

Dico ſeptimò, ſponſus non tenetur ſtare ſecundis ſponſalibus etiam iuratis, contractis eo tempore quo valida erant priora minimè iurata, etiam ſi poſtea illa priora diſſoluantur nouo aliquo ſuperuenienti. quia quod ab initio validum non eſt, tractu temporis non conualeſcit, *reg. non firmatur, de regulis iuris in* 6. Sed ſecunda

ſponſalla etiam iurata celebrata eo tempore, quo priora erant valida, non ſubſiſtebant, ideſt, non erant valida. ergo non fiunt valida ſi poſtea diſſoluantur priora: tum, quia votum de re impoſſibili non obligat, poſtea ea poſſibili facta. Similiter promiſſio tempore inhabili, non obligat tempore babili, vt tradit Abb. *cap. placet, num. 4. de conuerſ. coniugato.* ergo cùm ſecunda promiſſio ſecundorum ſponſalium iuratorum ſit illicita, cùm ſit in præiudicium alterius, quando poſtea ſuperuenienti aliquo oooo licitè impleri poſſit, non obſtringet: videatur Lopez noſter *part. 1. Inſtruct. cap. 41. §. ſtultum eſt.* Sanchez *lib. 1. de matrim. diſput. 50. num. 6.*

Dico octauò, ſi iuraos ſecunda ſponſalia facta contra alia priora celebrata cum iuramento, ſiue ſine ioramento, babuit intentionem obligandi ſe pro tempore, quo fuerit licitum adimplere ſecunda ſponſalia, vel aliam rem promiſſam, tuoc remaneret obligatio pro eo tempore, & conſequenter ſi prima ſponſalia ob aliquam iuſtam cauſam diſſoluantur, ſecunda ſponſalia remanerent valida. quia tale iuramentum eſſet de re licita, & tractum ſucceſſiuum haberet: videatur Bonacina *tom. 1. tract. de legibus, diſput. 4. quæſt. 1. punct. 4. num. 3. verſic. hoc tamen limita.*

Dvbitatio III.

III. *An iuramentum rei illicitæ, ſi poſtea licita fiat, ſit obligatorium?*

Dico nonò conſequenter ad ſuperiora: Iuramentum rei illicitæ, ſi poſtea licita fiat, non eſt obligatorium pro tempore, quo licita fuerit. Probatur, quia ſicut habens votum caſtitatis ſi contrahat ſponſalia, non tenetur ad ea, quamuis poſtea in voto diſpenſatus ſit. quia ab initio nulla fuerunt ratione impedimenti impedientis; ergo ſimiliter ſi iuramentum rei illicitæ ab initio non fuit obligatorium, ſi poſtea res licita fiat, non obligabit, promiſſio enim emiſſa tempore inhabili, non obligat pro tempore habili: videatur Sanchez *lib. 1. de ſponſalibus, diſp. 50. num. 7.*

Dvbitatio IV.

IV. *An iurans ſponſalia, aliud iniens poſtea matrimonium, peccet? &, An hoc ſoluto, teneatur ad priora ſponſalia? vel ſi hoc ex aliquo impedimento irritum fuerit, teneatur ad priora ſponſalia? &, An alter ſponſus maneat liber à fide ſponſalium?*

Dico decimò, iurans ſponſalia, aliúdque iniens de præſenti matrimonium, peccat mortaliter. quia facit contra priorem promiſſionem in re graui; ſoluto tamen matrimonio per mortem nulla obligatio remanet perficiendi, ſeu adimplendi priora ſponſalia. quia per matrimonium de præſenti ſponſalia de futuro extinguuntur; ſed obligatio ſemel extincta ampliùs non reuiuiſcit, *cap. quæris, de conſecrat. diſt. 4.* ergo. Ita Palud. noſter *in 4. diſt. 28. quæſt. 1. art. 1. concluſ. 4. n. 8.* Rodriquez *ſumma, cap. 244. num* 8.

Dico vndecimò, neque officit contra præcedens aſſertum: nam ſimplex promiſſio Religionis, ſeu votum ſimplex ingrediendi aliquam Religionem, non extinguitur per ſubſequens matrimonium conſummatum, ſed ſuſpenditur, & eo ſoluto ſi vouens iam Religionem ſuperſtes fuerit, tenetur illam ingredi. ergo matrimonium de præſenti ſolùm ſuſpendit priora ſponſalia, non autem illa omnino extinguit. hæc ratio non aduerſatur præcedenti aſſertion; quia votum & matrimonium ſunt obligationes diſtinctæ rationis, quædam enim fit Deo, altera autem homini, ideo non mirum ſi obligatio voti non extinguatur, ſed tantùm ſuſpendatur conſtante matrimonio, & eo ſoluto debet impleri; ſecus eſt de ſponſalibus, & matrimonio, quæ ſunt obligationes eiuſdem rationis factæ homini: videatur Henriquez *lib. 1. de matrimonio, cap. 14. num. 5.*

Dico duodecimò, poſt ſponſalia tamen iurata cōtrahens de præſenti cum altera, ſi matrimonium aliquo impedimento dirimente eſſet irritum, priorem illam ſponſalium promiſſionem adimplere tenetur. quia non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum, *reg. non præſtat, de reg. iur. in 6.* ergo matrimonium de præſenti contractum ſi ſit irritum, non tollit priorum ſponſalium iuratorum vinculum. ergo contrahens de præſenti ſi matrimonium ſit irritum, ſeruare priora ſponſalia tenetur.

Dico decimotertiò, maneret tamen alter ſponſus à ſponſalium fide liber, quia per eam contrahendi matrimonium, vel contractum licèt fuerit nullum, viſus eſt alter contrahens nulliter à prioribus ſponſalibus recedere. ergo alius maneret liber à fide ſponſalium: tum, quia ſponſus de futuro voto ſe obſtringens ſuſcipiendi Ordines ſacros, cenſetur renunciare ſponſalibus, atque ita alter liber remaneret à ſponſalium fide; ergo ſimiliter contrahens de præſenti matrimonium, licèt nulliter, videtur à prioribus ſponſalibus reſilire. ergo alter ſponſus liber remanet à fide ſponſalium. quia quando alter tantùm ſponſus de futuro à ſponſalibus recedit, quamuis ab obligatione immunis non ſit: alter tamen immunis remanet, eo quòd prior ſponſalibus renunciat, vt benè docet Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 14. num. 6.*

Dvbitatio V.

V. *An ſponſalia iuramento firmata, ſi iuramentum ſit præſtitum in fauorem partis, vel in honorem Dei, licitè mutuo conſenſu diſſolui poſſit?*

Dico decimoquartò, quando ſponſalia iuramento firmata ſunt, ſi iuramentum in fauorem partis præſtitum ſit, licitè mutuo conſenſu diſſolui poſſunt. quia iuramentum dirigitur in Deum tanquam in teſtem promiſſionis factæ homini. ergo remittente homine, remittit etiam ipſe Deus. ergo ſponſalia iuramento firmata, ſi iuramentum in fauorem partis præſtitum ſit, mutuo conſenſu licitè diſſolui poſſunt: videatur D. Thom. 2. 2. *quæſt. 89. art. 9. ad 1.* Syl. *verb. ſponſalia, quæſt. 10. caſu 1.*

Dico decimoquintò, etiam quando ſponſalia iuramento firmata ſunt, & iuramentum eſſet præſtitum in honorem Dei, vt ſi intuitu pietatis quiſquam iuraret fœminæ pauperi, ſe eam ducturum, mutuo conſenſu diſſolui poterunt. quia etiam in iſto caſu tota res promiſſa Deo ſub iuramento cedit in fauorem partis. ergo remittente parte, in cuius fauorem cedunt, ſponſalia promiſſa diſſolui poſſunt: tum, quia quamuis iuramentum Deo præſtitum ſit, ipſe Deus recipit illud in partis vtilitatem; ergo pars cui debetur, remittere poteſt, ſicut alia debita condonare. Ita benè Lopez noſter *p. 2. Inſtruct. cap. 38. de matrim. fol. 1048. col. 1.*

col.1.in principio , verſicul.Quæritur ergo. Nauarr.*ſumma cap.22.num.25.*

Dico decimoſextò , non obſtat contra præcedens aſſertum D.Thom. 2.2.*eit. queſt.* 89. *art.9.ad* 2. vbi ait eum cui aliquid promittitur ſub iuramento , intuitu pietatis non poſſe promiſſum remittere , hoc non officit : nam D.Thom. ibi expreſsè loquitur , vt conſtat ex exemplis in ea ſolutione poſitis , quando res promiſſa tota non cedit in vtilitatem hominis : vt ſi quis iurat alicui ſe ingreſſurum Religionem , hoc iuramentum non poteſt remitti ab homine. quia totum promiſſum cedit in honorem Dei. Cæterùm quando tota res promiſſa per iuramentum cedit in vtilitatem hominis , parte remittente , ceſſat vinculum & obligatio iuramenti. quia pars condonare poteſt ſponſionem in ſui fauorem factam , qua ſublata , iuramentum ceſſat : videatur Lopez nouiſſimè relatus. Viualdus *Candelabro 1.part.de ſponſalibus, cap.5. num.31.*

Articvlvs V.

De iuramento, emiſſo in rebus prohibitis per legem.

SVMMARIVM.

1. *An iuramentum factum de re prohibita per legem ciuilem ſit obligatorium.*
2. *An iuramentum Clerici, quo renunciat priuilegio fori, ſit validum.*
3. *An iuramentum factum contra legem ciuilem, quæ principaliter reſpicit cōmodum perſonæ priuatæ, obliget.*
4. *An fœmina, quæ iurauit non habere regreſſum ad bona paterna, teneatur ſtare iuramento.*
5. *An iuramentum factum per minorem de alienando bona immobilia, vel mobilia, ſit ſeruandum.*
6. *Explicatur quot modis dicatur, iuramentum eſſe contra bonos mores.*
7. *Explicatur, quando lex ciuilis primariò, & principaliter reſpiciat bonum commune, & quando primariò reſpiciat bonum particulare.*

Dvbitatio I.

I. *An iuramentum factum de re prohibita per legem ciuilem ſit obligatorium?*

Dico primò, iuramentum factum de re prohibita per legem ciuilem, quæ primariò , & immediatè dirigitur ad bonum publicum , non eſt obligatorium. quia lex ciuilis , quæ immediatè dirigitur ad bonum commune & publicum, obligat ad culpam ; ſed iuramentum quod adimpleri non poteſt abſque mortali, ſeu etiam veniali, non eſt obligatorium, non enim iuſiurandum eſt vinculum iniquitatis. ergo , &c. Tum, quia iuramentum quod directè vergit in aliquod iniuſtum præiudicium tertij, non obligat. *c. quamuis, de pactis in 6.* alioquin obligaret ad rem iniuſtam ; ergo multo minus obligat ſi fiat de re aliqua prohibita per legem ciuilem , quæ immediatè dirigatur ad bonum commune. nam tale iuramentum vergit in præiudicium boni communis: videatur *cap. cùm contingat , ad finem, de iureiurando.*

Dico ſecundò, id iuramentum appoſitum contractui prohibito per legem ciuilem, principaliter ob publicam vtilitatem, relaxatione non indiget. quia omnino inualidum eſt. ergo. Tum, quia relaxatione iuramentum non indiget , quando eſt in præiudicium tertij. *cap. cùm contingat , de iureiurando.* ergo à fortiori non indigebit ea, quando bonum commune lædit : videatur Sanchez *lib.1.de matrim diſput.31.n.9.*

Dvbitatio II.

II. *An iuramentum Clerici, quo renunciat priuilegio fori, ſit validum?*

Dico tertiò , conſequenter inualidum , & non ſeruandum eſt iuramentum Clerici quo renunciat priuilegio fori. quia id iuramentum exequi ſine peccato non poteſt , vt habetur *cap. ſi diligenti , de foro compet.* Tum, quia quando contractus prohibetur ob fauorem publicum, non confirmatur iuramento , immò iuramentum eſt inualidum, itaut non indigeat relaxatione : tum, quia non poteſt ius publicum ob publicam vtilitatem conſtitutum pactis priuatorum tolli : tum, quia hoc iuramentum eſt de re illicita , vt quæ redundat in ignominiam Ordinis Eccleſiaſtici : videatur *cap. ſi diligenti, de foro compet.*

Dvbitatio III.

III. *An iuramentum, factum contra legem ciuilem , quæ principaliter reſpicit commodum perſonæ priuatæ, obliget?*

Dico quartò, iuramentum factum contra legem ciuilem, quæ primariò , & principaliter reſpicit fauorem, & commodum perſonæ priuatæ, obligat : modò non vergat in præiudicium tertij. quia lex reſpiciens immediatè bonum priuatæ perſonæ, non intendit illi laqueum peccati ex tranſgreſſione illius legis iniicere, ſed ſolum intendit in fauorem illius perſonæ actum irritare; ergo ſi perſona illa, in cuius fauorem lex facta eſt, cedat huic fauori, nullum incurrit laqueum peccati. ergo tenebitur ſeruare iuramentum; ergo iuramentum factum contra legem quæ primariò, & principaliter reſpicit fauorem, & commodum perſonæ priuatæ, obligat: videatur Syl. *verb. Donatio 1.q.6 fine, n.*10.

Dvbitatio IV.

IV. *An fœmina, quæ iurauit non habere regreſſum ad bona paterna, teneatur ſtare iuramento?*

Dico quintò, conſequenter fœmina, quæ iurauit ſe non habituram regreſſum ad bona paterna , tenetur ſtare iuramento, quamuis lex ciuilis irritet promiſſionem , qua fœmina promittit ſe ampliùs non habituram regreſſum ad paterna bona : nam huiuſmodi lex reſpicit immediatè bonum priuatum, ſed iuramentum factum contra legem immediatè reſpicientem bonum priuatum, obligat. ergo.

Dvbitatio V.

V. *An iuramentum factum per minorem , de alinando bona immobilia , vel mobilia, abſque auctoritate curatoris, vel decreto iudicis, ſit ſeruandum?*

Dico ſextò, iuramentum validam reddit alienationem immobilium , & multo magis mobilium factam per minorem abſque curatoris authoritate ac iudicis decreto , quamuis lex ciuilis irritet talem alienationem , ſi non fiat ſeruato iuris ordine. quia hæc lex non alienandi bona immobilia , & mobilia pretioſa abſque curatoris authoritate , ac iudicis decreto, facta eſt in fauorem minoris , vt perſona priuata

eſt,ſed iuramentum factum contra legem ciuilem primariò & principaliter reſpicientem priuatum commodum, eſt obligatorium. ergo, &c. Tum,quia iuramentum , quod tantùm eſt contra bonos mores ciuiles,non tamen contra bonos mores naturales , firmat contractum , & eſt obligarotium ; ſed alienatio fieri immobilium & mobilium pretioſorum abſque auctoritate curaroris , ac ſine iudicis decreto facta pee minorem adiuncto iuramento , eſt tantùm contra bonos mores ciuiles , nou tamen naturales ; ergo eſt valida , cùm ſit iuramento firmata : quod tantùm eſt contra bonos mores ciuiles, non autem naturales. Ad buius aſſertiouis intelligentiam,

Dvbitatio VI.

VI. *Quot modis dicatur iuramentum eſſe contra bonos mores?*

Dico ſeptimò , dupliciter dicitur eſſe iuramentum contra bonos mores,aut tantùm cnntra bonos mores ciuiles,aut contra bonos mores naturales. Contra bonos mores eiuiles tautùm dicitur eſſe iuramentum, ſi fiat contra legem ciuilem reſpicientem immediatè bonum priuatum , & tale iuramentum eſt obligarorium : nam hoc iuramentum non eſt de re illicita, & peccaminoſa , cùm aduerſerur legi non obliganti ad culpam ; quilibet enim iuri ſuo cedere poteſt. Contra bonos mores naturales eſſe dicitur , quando res promiſſa impleri non poteſt abſque culpa lethali, vel veniali. Dum igitur dicitur iuramentum contra bonos mores non obligare , *regul. non eſt obligatorium, de reg. iur. in 6.* intelligitur quando eſt coutra bonos mores narorales , quale eſt iuramentum præſtitum contra legem ciuilem reſpicientem principalitee bonum publicum : nam cùm hoc iuramentum ſit in præiudicium communitatis , impleri non poteſt abſque culpa ; non erit ergo tale iuramentum obligatoriom : videatur Couar. *de pactis 3.p. in principio num.*1. Syl. *verb. pactum , num.* 11. Sanchez *lib.*1*.de matrim. diſp.*32*. num.*1. Sed vt magis ea quæ diximus explicentur,

Dvbitatio VII.

VII. *Quando lex ciuilis primariò & principaliter reſpiciat bonum commune , & quando primariò reſpiciat bonum particulare?*

Dico octauò , lex ciuilis immediatè & principaliter reſpicit bonum commune , quaodo ex eius trauſgreſſioue immediatè læditur bonum commune , vt eſt lex de non extrahendis equis , aut armis , aut frugibus ex ſtatu. nam ex violatione huiuſmodi legis ſtatus ipſe , & communitas patitur detrimentum, cùm deſtituatur cibo & armis neceſſariis ad ipſius ſecuritatem : tunc verò lex ciuilis reſpicit bonum priuatum , quando ex ipſius legis tranſgreſſione non læditur immediatè bonum commune , vt ſunt leges, quibus cauetur ne ſit valida alienatio fundi dotalis ſine licentia Principis , vel ne minor contrahat ſine curatore, &c. Nam Reipublicæ non multum intereſt vt bona ſint vnius potius , quàm alterius eiuis. ergo ex tranſgreſſione legum ciuilium reſpicientium bonum priuatum principaliter,non læditur commune Reipublicæ bonum. Ita Abbas *cap. cùm contingat, de iureiurando.*

Articvlvs VI.

De iuramento emiſſo in contractibus.

SVMMARIVM.

1. *Quidnam ſit , iuramentum firmare promiſſionem , vel contractum.*
2. *An promiſſio,vel contractus, per vim, metum , aut dolum extortus , firmetur iuramento.*
3. *An idem ſit , iuramentum firmare contractum , & iuramentum eſſe validum.*
4. *An iuramentum mutet naturam contractus , & faciat de inualido validum.*
5. *An iuramentum aſſertorium de præſenti , ſufficiat ad confirmandum contractum , vel requiratur iuramentum de futuro.*
6. *An iuramentum , vel promiſſio , facta contra prius iuramentum , vel promiſſionem,obliget.*
7. *An contractus firmetur iuramento , quando iuramentum eſt contrarium alteri priori iuramento.*
8. *An quando contractus , vel promiſſio non firmatur iuramento , poſſit iurans obtinere relaxationem iuramenti.*
9. *An iuramentum obliget , quando ius irritat , ne dum contractum , ſed etiam iuramentum.*
10. *An leges ciuiles , vel laici legiſlatores, poſſint prohibere , ne iuſiurandum in contractibus humanis , vel pactis, interponatur ? & , ne contractus, lege ciuili irriti , iuramento firmentur.*
11. *An quando contractus humanus , ſpectans ad forum ſæculare , non firmatur iuramento , ex lege ciuili, irritante huiuſmodi confirmationem , iuramentum ſit ſeruandum.*
12. *An contractus in ſe validus,ſed ſecluſo iuramento infirmus,appoſito iuramēto fiat firmus, & irreuocabilis.*
13. *Explicatur quidnam ſit priuilegium reſtitutionis in integrum.*
14. *Explicatur, quando emptor, vel venditor, decipiantur citra , vel vltra dimidium iuſti pretij.*
15. *An minores poſſint vti beneficio reſtitutionis in integrum.*
16. *An emptori,vel venditori,detur actio in iudicio,quando ſolùm decepti ſunt circa dimidium iuſti pretij.*

Dvbitatio I.

I. *Quidnam ſit , iuramentum firmare promiſſionem , vel contractum?*

Dico primò, iuramentum dicitur firmare promiſſionem , ſeu contractum , cùm facit illum validum,qui alioquin eſſet irritus,& inualidus: nam contractus quo vxor conſentit in alienationem fundi dotalis, iure poſitiuo eſt irritus & inualidus ſine iuramento; ſi verò illi addatur iuramentum, eſt validus,& ſeruandus,& firmus ; ergo iuramentum dicitur firmare contractum ſi facit illum validum , firmum, & ſeruandum , qui alioquin ſine iuramento eſſet irritus & inualidus ob legem ciuilem principaliter reſpicientem vtilitatem priuatam : videatur *cap. cùm contingat, de iureiurando*

Dico ſecundò , iuramentum non firmat contractum , qui alioquin eſt irritus , & inualidus , ſi aliqua turpitudo inueniatur in creditore , in cuius fauorem præſtatur iuramentum , & ſic promiſſio facta vſurario cum iuramento de ſoluendis vſuris , non firmatur iuramento,quia in vſurario recipiente reperitur culpa : tum , quia , ſi quando in receptione rei

promiſſæ

promiſſæ cum iuramento reperitur aliqua culpa, promiſſio firmaretur iuramento, ſequeretur illum, puta vſurarium, in cuius fauorem præſtatur iuramentum, acquirere aliquod ius, ſicut acquiritur per contractum validum; ſed non poteſt acquirere ius ad actionem ſibi illicitam. ergo quoties in receptione rei promiſſæ cum iuramento ex parte recipientis reperitur aliqua turpitudo, promiſſio, ſeu contractus non firmatur iuramento: videatur *cap. debitores, de iureiurando.*

Dvbitatio II.

II. *An promiſſio, vel contractus, per vim, metum, aut dolum extortus, firmetur iuramento?*

Dico tertiò, promiſſio, ſeu contractus, qui per vim, dolum, vel metum fuit extortus, non firmatur iuramento, propter rationem allatam aſſertione præcedenti, quia ſcilicet turpitudo reperitur ex parte exigentia iuſiurandum per vim, dolum, vel metum: tale tamen iuramentum ſi ex parte iurantis ſine diſpendio ſalutis æternæ ſeruari poteſt, ſeruandum eſt; quia iuramentum eſt ſeruandum, quoties ſine peccato mortali, vel veniali ſeruari poteſt. ergo ſi ex parte iurantis iuramentum extortum per vim, dolum, vel metum, ſeruari poteſt, ſeruandum eſt, ne Deus videatur adductus in teſtem falſi: videatur *cap. debitores, de iureiurando*, Syl. *verb. Pactum, num.* 11. D. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad tertium.*

Dvbitatio III.

III. *An idem ſit, iuramentum firmare contractum, & iuramentum eſſe validum?*

Dico quartò, ex dictis ſequitur aliud eſſe iuramentum firmare contractum, aliud verò iuramentum eſſe ſeruandum. nam quando iuramentum firmat contractum aliàs inualidum, tunc oritur duplex obligatio, vna erga Deum, qua iurans curare debet ne Deus adductus ſit in teſtem falſi. Altera erga hominem, qui acquiſiuit ius erga iurantem, ob validitatem contractus: quando verò iuramentum non firmat contractum, ſi abſque peccato ſeruari poteſt, eſt ſeruandum, vna tamen tantùm tunc oritur obligatio, ſcilicet erga Deum, cùm homo, in cuius fauorem eſt præſtitum iuramentum, non acquirat ius erga iurantem, cùm iniuſtè exigat iuramentum; ergo aliud eſt iuramentum firmare contractum, aliud verò iuramentum eſſe ſeruandum: tum, quia quando iuramentum non confirmat contractum, licèt ſit ſeruandum, ſi poteſt abſque peccato adimpleri, nulla tamen datur actio in foro externo aduersùs iurantem, ſed quando firmat contractum, datur actio in foro externo aduersùs iurantem; quia tunc acquiritur ius tertio. ergo aliud eſt iuramentum eſſe ſeruandum, aliúdque eſt iuramentum firmare contractum: videatur pro hac aſſertione D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 89 *art.* 7. *ad tertium argumentum.* Suarez *tom.* 2. *de Religione, tract. de iuramento, lib.* 2. *cap.* 25 *num.* 2. & 7.

Dvbitatio IV.

IV. *An iuramentum mutet naturam contractus, & faciat de inualido validum?*

Dico quintò, quando iuramentum obligat, non tamen confirmat contractum, vt eſt iuſiurandum præſtitum vſurario de ſoluendis vſuris, dimittitur contractus in ſua natura; quare ſi erat inualidus, adhuc remanet poſt iuramentum irritus, & inualidus, quia iuramentum tunc temporis nullum contractui robur addit, ſed ſolam obligationem in ordine ad Deum inducit. ergo ſi contractus tunc eſt irritus & inualidus, manet immutatus in ſua priſtina natura irritus, & inualidus, vtpote qui nullum ius homini tribuit: ſi verò iuramentum confirmat contractum, manet contractus firmus & validus, quamuis priùs eſſet irritus, & inualidus. quia tunc oritur duplex obligatio, altera erga Deum, altera erga hominem: videatur Iaſon *in authentica Sacramenta puberum.* Sanchez *lib.* 3. *oper. mor. cap.* 12. *n.* 11. 12. & 58.

Dvbitatio V.

V. *An iuramentum aſſertorium de præſenti, ſufficiat ad confirmandum contractum, vel requiratur iuramentum de futuro?*

Dico ſextò, vt iuramentum firmet contractum, & faciat illum de inualido, & irrito validum, & irreuocabilem, puta vt iuſiurandum faciat contractum venditionis fundi dotalis, qui iuris prohibitione eſt irritus, & inualidus (licèt ex ſui natura primordiali ſine iuramento talis contractus ſit validus) non ſufficit vt ſit iuramentum aſſertorium de præſenti: vt ſi vxor contrahens dicat, Iuro me vendere, iuro me donare fundum dotalem; quia per tale iuramentum aſſertorium ſolùm vxor contrahens, vel vendens fundum dotalem cenſetur iurare eam eſſe veram, & liberam voluntatem, nec fictè vendere, aut donare; ſed hæc voluntas vera & libera expreſſa per iuramentum de præſenti, non facit contractum qui iuris prohibitione eſt irritus, & reuocabilis, validum & irreuocabilem; ergo iuramentum de præſenti non firmat contractum, &c. Videatur Couarr. *rub. de teſtam.* 3. *part. n.* 14. *concl.* 4. Bonacina *tom.* 2. *tract. de reſtit. diſput.* 3. *quæſt.* 1. *puncto* 1. *num.* 7. §. *Aduertendum tamen eſt.*

Dico ſeptimò, vt firmetur contractus iuramento qui iuris prohibitione eſt irritus & reuocabilis, requiritur vt iuramentum ſit de futuro, vt videlicet contrahens, vel donans iuret ſe non repetiturum, aut ſoluturum, aut non reuocaturum contractum, vel donationem, vel non reſiliturum à contractu, vel non contrauenturum contractui; quia quando apponitur iuramentum de futuro, contrahens committit periurium, ſi iuramentum non ſeruauerit, ſecus ſi ſolùm apponitur iuramentum de præſenti; ergo vt contractus firmetur iuramento, neceſſe eſt vt iuramentum ſit de futuro. Sed vt magis hæ duæ præcedentes aſſertiones explicentur, & probentur,

Dico octauò, voluntas vera & libera aliquid vendendi, vel alienandi expreſſa, & confirmata per iuramentum de præſenti, non facit contractum, qui iuris prohibitione eſt irritus, & inualidus, validum & firmum: nam reſiliens à contractu, qui aliàs iuris prohibitione erat irritus, & reuocabilis, firmatus tamen per iuramentum, validus & irreuocabilis effectus, eſt periurus, ſed reſiliens à contractu appoſito iuramento de præſenti, non incurrit periurium. ergo, &c. Maior huius argumenti probatur: nam non ſeruans id, quod tenetur ſeruare ſub iuramento, eſt periurus, ſed contractus firmus & validus per iuramentum, eſt ſeruandus. ergo qui illum non ſeruat, eique contrauenit, eſt periurus. Minor principalis argumenti probatur, quia per iuramentum de præſenti iurans, non promiſit ſe non reuocaturum talem contractum, ſeu donationem, ſed confirmauit mentem ſuam eſſe

veram & liberam, & non fictam tunc vendendi, &c. quæ ſi in rei veritate ficta fuit, iam admiſſum eſt periurium. ergo contraueniens poſtea contractui non eſt periurus. Reſiliens verò à contractu firmato per iuramentum de futuro, eſt periurus; quia promiſit per tale iuſiurandum ſe non contrauenturum contractui qui propter iuramentum redditur firmus, validus, & ſeruandus; ergo per iuramentum de præſenti non firmatur contractus, bene tamen per iuramentum de futuro: videantur DD. cit. & Sanchez *lib. 6. de matrim. diſput. 11. num. 5.*

Dvbitatio VI.

VI. *An iuramentum, vel promiſſio facta, contra prius iuramentum, vel promiſſionem obliget?*

Dico nonò, iuramentum contra prius iuramentum factum, ſimiliter ſimplex promiſſio contra priorem promiſſionem facta, non obligant. quia huiuſmodi iuramentum, ſiue promiſſio ſunt de re mala, cùm adimpleri nequeant ſine violatione prioris iuramenti, ſiue prioris promiſſionis; ſed iuramentum & promiſſio de re mala non obligant, non enim iuramentum, & promiſſio ſunt vinculum iniquitatis. ergo. Ita bene Syl. *verb. iuram. 4 quæſt. 12.*

Dico decimò, geſta tamen contra obligationem prioris iuramenti valida ſunt, niſi aliunde ſint irrita: ideo reuocatio teſtamenti facta contra iuramentum de non reuocando teſtamento valida eſt. Similiter venditio facta contra promiſſionem iuratam de non vendendo valida eſt: ſimiliter matrimonium contra votum ſimplex caſtitatis, aut contra ſponſalia iurata cum alia, validum eſt. quia iuramentum, ſeu prior promiſſio non reddit iurantem inhabilem ad faciendum actum contrarium ex ſe validum. ergo geſta contra iuramentum, ſeu priorem promiſſionem ſunt valida, ſi aliunde non ſint irrita: eſſet tamen hic periurus: nam ageret contra iuramentum à ſe primò præſtitum. Syl. *loco cit.*

Dico vndecimò, geſta contra obligationem prioris iuramenti, etiam iurata, ſi aliunde ſunt irrita, puta ex iuris prohibitione, ſunt illicita, & inualida, & ſic alienatio fundi dotalis iurata facta contra prius iuramentum eſt illicita, & inualida. eſt illicita, quia eſt contra prius iuſiurandum; eſt inualida, quia interdicitur à lege fauore ipſius iurantis, nec robur accipit à ſecundo iuramento, cùm iuramentum non ſit vinculum iniquitatis. Ita præclarè Syl. nouiſſimè relatus, *verſicul. Si verò.*

Dvbitatio VII.

VII. *An contractus firmetur iuramento, quando iuramentum eſt contrarium alteri priori iuramento?*

Dico duodecimò, conſequenter contractus non firmatur iuramento, quoties iuramentum eſt contrarium alteri priori iuramento: vt ſi vxor vendat fundum dotalem cum iuramento, quem priùs iurauerat non vendere, aut ſi donet aliquid marito contra prius iuramentum præſtitum non donandi: nam tam donatio, quàm venditio fundi dotalis eſſent tunc actus illiciti, vtpotè contrarij priori iuramento de non dando atque alienando fundum dotalem; ſed iuramentum additum actibus illicitis non præbet eis robur, valorem, & firmitatem, cùm iuramentum non obliget ad rem illicitam, non enim eſt vinculum iniquitatis, *cap. quanto, de iureiurando* ergo, &c. Sic optimè ſumma ſummarum Syl. *quæſt. illa 12. cit.*

Dvbitatio VIII.

VIII. *An quando contractus, vel promiſſio non firmatur iuramento, poſſit iurans obtinere relaxationem iuramenti?*

Dico decimotertiò, quando contractus, ſeu promiſſio non firmatur iuramento, poteſt iurans obtinere relaxationem iuramenti, & hoc modo excuſaretur ab impletione rei promiſſæ, aut ſi nolit petere relaxationem iuramenti, poteſt facta & adimpleta ſolutione rei promiſſæ repetere rem ſolutam, modò non iurauerit ſe non repetiturum: nam repetendo non facit contra iuramentum, cùm iuramentum factum ſit de ſolutione facienda, & ſolutio iam ſit adimpleta: ex alia verò parte cùm ille qui accepit, non habeat iuſtum titulum, ob quem poſſit rem acceptam retinere; ergo ſequitur eum, qui ſoluit, poſſe repetere, cùm tantummodo iurauerit ſe ſoluturum, non verò non repetiturum: videatur *cap. debitores, de iureiurando.*

Dvbitatio IX.

IX. *An iuramentum obliget, quando ius irritat, nedum contractum, ſed etiam iuramentum?*

Dico decimoquartò, quando ius irritum reddit non ſolùm contractum, ſed etiam iuramentum appoſitum, tunc iuramentum non obligat. Patet ex Concilio ſacro Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 16. de Regular.* vbi irritum reddit omnem renunciationem & diſpoſitionem Nouitij, etiam iuratam, niſi facta ſit cum licentia Epiſcopi, vel eius Vicarij ante profeſſionem, & ſtatuit vt etiam tunc non poſſit effectum ſortiri, niſi ſequuta profeſſione. Leſſ. *lib. 2. de Iuſtitia, cap. 17. dub. 7. num. 51.*

Dvbitatio X.

X. *An leges ciuiles, vel laici legiſlatores, poſſint prohibere, ne iuſiurandum in contractibus humanis, vel pactis interponatur? & contractus lege ciuili irriti, ne iuramento firmentur?*

Dico decimoquintò, leges ciuiles, & laici legiſlatores poſſunt prohibere ne iuſiurandum in contractibus humanis, vel pactis interponatur: nam propter iuſiurandum res deuoluitur ad forum Eccleſiaſticum, *c. finali, de foro compet. in 6.* ergo iuſtè poteſt lex ciuilis & laicus legiſlator ſua lege ciuili ſubditis interdicere ne iuramento appoſito in contractibus iuriſdictionem prorogent Eccleſiaſticam, non ad illam impediendam, ſed ad defendendam iúriſdictionem Regiam, & ita hanc ſententiam tenent noſter Petrus de Ledeſma *2. tomo ſummæ tract. 11. cap. 4. dub. 2.* quem ſequitur Sanchez *lib. 3. oper mor. cap. 22. num. 5.* licèt oppoſitum tenuerit Azor. *part. 3. lib 6. cap. 6. dub. 9. §. Altera opinio*, non poſſe ſcilicet legibus, vel ſtatutis ciuilibus prohiberi ne contractus, vel pacta, vel conuentiones iurentur.

Dico decimoſextò, leges ciuiles, & laici legiſlatores nedum ob bonum Reipublicæ poſſunt prohibere ne iuramentum in contractibus ad forum ſeculare

ſpectanti

ſpectantibus apponatur, ſed etiam cauere, & impedire poſſunt ne contractus aliàs lege ciuili irriti & inualidi, iuramento appoſito confirmentur: vt ſi lex ciuilis ſtatueret, contractum minoris ſine decreto iudicis iuramento non firmari, appoſito iuramento contra prohibitionem legis talis contractus non firmaretur. quia contractus ad forum ſeculare ſpectantes quoad robur, & vim ſuam, ſubiiciuntur legibus ciuilibus humanis; ergo non firmantur iuramento, quando leges ciuiles irritant huiuſmodi confirmationem: tum, quia ſtatutum legis ciuilis poteſt præſumere dolum, vel metum in contractibus ſine ſolemni formula iuris: at iuſiurandum dolo, vel metu extortum, etiam iure Canonico huiuſmodi contractus non confirmat. ergo, &c. Ita Petrus de Ledeſma, & Sanchez nouiſſimè adducti, Bonacina *tom. x. tract. de contractibus, diſput. 3. q. 1. puncto 1. num. 13.* Oppoſitum docet Azor. *vbi ſuprà*, negans poſſe legibus, & ſtatutis ciuilibus prohiberi ne contractus rati, & firmi habeantur, tametſi iureiurando confirmentur, vel cenſeantur tanquam metu, vel dolo facti, ſi iureiurando confirmentur; quia laicus non poteſt cognoſcere de vi & firmitate iuriſiurandi, vel alterius cuiuſuis rei ſpiritualis. *cap. ſi iudex laicus, de ſentent. excomm. in 6. cap. ſuam, de ordine cognit. & cap. lator, qui filij ſint legitimi.*

Dico decimoſeptimò, non obſtat contra noſtrum aſſertum ratio adducta pro ſententia Azor. nam Princeps ſæcularis ſua lege ciuili ſtatuendo ne contractibus ad forum ſæculare ſpectantibus apponatur iuramentum, & ne iureiurando tales contractus firmentur, non cognoſcit directè & immediatè de vi, & firmitate iuramenti, vtpote, quod eſt vinculum ſpirituale, eius facultatem excedens: ſed indirectè & remotè, nempe irritando contractum humanum antequam ineatur, quo omnino destructo, ſtatuit iuramentum illi appoſitum, illum non confirmare: tum, quia ſicut Eccleſia non poteſt directè, & immediatè irritare matrimonium clandeſtinum, quatenus eſt Sacramentum, ſed id ſolius Chriſti Domini eſt habentis poteſtatem excellentiæ, at poteſt indirectè & remotè, destruendo ſcilicet directè & proximè contractum humanum, quo destructo tanquam fundamento, destructum conſequenter manet Sacramentum matrimonij ipſi contractui humano innitens. ergo ſimiliter, licèt Princeps ſecularis directè non habeat cognoſcere de vi & firmitate iuramenti, vtpotè quod eſt vinculum ſpirituale ſuam facultatem excedens, indirectè tamen, & remotè poteſt vim, & firmitatem iuramenti impedire destruendo contractum, cuius vis, & robur legi ciuili ſubiicitur: videatur Petrus de Ledeſma nuper allegatus, & Sanchez *vbi ſuprà, num. 10.* Bonacina nouiſſimè adductus.

Dvbitatio XI.

XI. *An quando contractus humanus, ſpectans ad forum ſeculare, non firmatur iuramento, ex lege ciuili irritante huiuſmodi confirmationem, iuramentum ſit ſeruandum?*

Dico decimooctauò, licèt contractus humanus ſpectans ad forum ſeculare, non firmetur iuramento, quando lex ciuilis irritat huiuſmodi confirmationem propter bonum Reipublicæ: iuramentum tamen eſt ſeruandum. nam Princeps ſecularis, & lex ciuilis non poteſt auferre obligationem iuramenti, quam iuramentum habet ex lege naturali, & diuina: tum, quia prohibitio legis ciuilis ne contractui apponatur iuramentum, & ne confirmetur iureiurando, ſolùm operatur ne contractus humani ad forum ſeculare ſpectantes firmitatem iuris ciuilis habeant, non tamen talis prohibitio legis ciuilis operatur, ne contractus humani firmitatem habeant iuris gentium, & Canonici, ſi illis iuramentum apponatur. ergo iuramentum eſt ſeruandum cùm iuris Canonici firmitatem habeant; non tamen talis prohibitio legis ciuilis operatur, ne contractus humani firmitatem habeant iuris gentium, & Canonici ſi illis iuramentum apponatur. ergo iuramentum eſt ſeruandum cùm iuris Canonici firmitatem habeat, licèt non iuris ciuilis. Et ita hanc aſſertionem tenent Couarr. *de pact. 1. p. §. 1 num. 8.* Barboſa *lib. 1. part. 1. num. 73. 74. & 75. ff ſolut. matrim.* Bonacina *vbi ſuprà.*

Dico decimonono, probabile eſt etiam aſſerere iuſiurandum adiectum contractibus ad forum ſeculare ſpectantibus aduersùs legum ciuilium prohibitionem omnino irritari, ac proinde nullam ex illo oriri obligationem, nec indigere relaxatione, vt illi contractui contraueniatur. quia ſublato fundamento tollitur ædificium. *cap. cùm Paulus 1. quaſt. 1.* & ſublato priori, tollitur poſterius ab illo dependens. *cap. translato, de conſtitutio.* ſed contractus humanus ſpectans ad forum ſeculare, qui ſubiacet poteſtati legis ciuilis, eſt fundamentum & quaſi materia iuramenti adiecti ad illum; ergo irritato per legem ciuilem contractu humano, indirectè, & conſequenter irritatur etiam omnino iuramentum illi appoſitum, ac proinde nulla ex illo oritur obligatio, nec illud adiectum iuſiurandum indigebit relaxatione, vt illi contractui contraueniatur. Confirmatur ratione adducta pro *aſſertione* 17. nam licèt Eccleſia non potuerit directè & immediatè irritare matrimonia clandeſtina: indirectè tamen potuit omnino irritare, & de facto. Ita fecit Sact. Concil. Tridentinum *ſeſſ. 25 cap. 1 de matrimonio*, vel inhabilitando perſonas, vel directè annullando ipſum contractum naturalem, qui ſubiacet Eccleſiaſticæ poteſtati, quique eſt fundamentum, & quaſi materia Sacramenti matrimonij. ergo ſimiliter lex ciuilis indirectè, & mediatè poterit omnino irritare iuramentum, directè & immediatè irritando contractum humanum ſpectantem ad forum ſeculare, cui contractui tanquam fundamento, & materiæ iuramentum erat adiectum: videatur Matienzo *lib. 5. recopil. tit. 1. gloſſ. 3. num. 7. & 12.* Molina *tom. 1. de Iuſt. diſput. 149. col. 8. verſicul. Quod ad poteſtates, & tom. x. diſput. x71. col. 5. verſicul. Hoc tamen loco*, Sanchez *lib. 3. oper. moral. cap. 1x. num. 12.*

Dvbitatio XII.

XII. *An contractus in ſe validus, ſed ſecluſo iuramento infirmus, appoſito iuramento fiat firmus, & irreuocabilis?*

Dico vigeſimò, quando contractus ſecluſo iuramento eſt in ſe validus, at infirmus, eo quòd poteſt reuocari, ſeu fas eſt contra ipſum reclamare, qualis eſt contractus, quem minor cum ſui curatoris authoritate init, abſque iuramento tamen, & cum decreto etiam iudicis, quando eſt circa res immobiles, hic quidem contractus validus eſt: at minor ex eo læſus poteſt reclamare implorando beneficium reſtitutionis: adiecto tamen iuramento huic contractui firmatur, & fit irreuocabilis, & reclamandi facultas minori per appoſitionem iuramenti denegatur. quia talis contractus iuramento firmatus eſt omnino ſeruandus, vt habetur ex *c. quamuis pactum, de pactis in 6.* Sed ea dictio *omnino* importat abſque vlla exceptione, & ſine remedio, vt aduertit Tiraquell. *l. ſi vnquam, C. de reuoc. donat.*

*donat. verb. reuertatur num.*78. *&* 79. Sanchez *lib.*1. *de matrimonio, diſput.*32. *num.* 6. ergo contractus ſecluſo iuramento in ſe validus, ſed infirmus, adiecto iuramento fit firmus & irreuocabilis, cùm propter iuſiurandum ſit omnino ſeruandus: videatur Azor. 3. *part. inſtitut. moral. lib.*6. *cap.*14. §. *Quæres an ſi minor.* Pro intelligentia huius aſſertionis,

Dvbitatio XIII.

XIII. *Quidnam ſit priuilegium reſtitutionis in integrum?*

Dico vigeſimoprimò, priuilegium reſtitutionis in integrum, eſt beneficium, ſeu remedium, quo aliquæ perſonæ læſæ reſtituuntur à iudice in priſtinum ius, & ſtatum, itaut contractus validi cum ipſis celebrati reſcindantur, ſi ipſis propter læſionem expediat vt contractus reſcindantur, vel vt æquetur pretium, ſi in pretio læſæ ſunt tam infra, quàm ſupra dimidium, modò læſio notabilis ſit: nam propter læſionem adeò leuem, vt quaſi pro nihilo reputetur, non conceditur reſtitutio in integrum: videatur Syl. *verb. minor,* Azor. nuper relatus *toto illo cap.*4. Sed vt explicetur quid ſit læſio infra, vel ſupra dimidium iuſti pretij,

Dvbitatio XIV.

XIV. *Quando emptor, vel venditor decipiantur citra, vel vltra dimidium iuſti pretij?*

Dico vigeſimoſecundò, tunc venditor decipitur, vel læditur ſupra, vel vltra dimidium iuſti pretij, quando non recipit dimidium iuſtæ æſtimationis; æſtimatur, e.g. res aliqua decem aureis, & dati ſunt venditori tantùm quatuor aurei, dicitur eſſe deceptus vltra dimidium iuſti pretij. quia defraudatus eſt ſex aureis, qui ſunt pluſquam dimidium iuſti pretij, nec recipit quinque aureos, qui ſunt dimidium iuſtæ æſtimationis: deciperetur autem venditor citra dimidium iuſti pretij, ſi res vendita valeat decem, ipſe verò tantùm reciperet ſex, quia defraudatus eſt quatuor aureis, qui ſunt minùs, quàm dimidium iuſti pretij, & recipit ſex aureos, qui ſunt plus quàm dimidium iuſti pretij: videatur Syl. *verb emptio, quæſt.*7.

Dico vigeſimotertiò, emptor decipitur vltra dimidium iuſti pretij, quando ſoluit verum & iuſtum pretium, & præterea pluſquam dimidiam partem, vtpote cùm res valet decem aureos, venditur emptori ſexdecim, tunc venditor decipit emptorem vltra dimidium iuſti pretij: deciperetur autem emptor citra dimidium iuſti pretij, ſi rem valentem decem, emeret quatuordecim: nam ſolueret iuſtum pretium, & aliquid citra dimidium iuſti pretij: nempe daret quatuor ſupra iuſtum pretium, quæ non ſunt dimidium iuſti pretij, ſed aliquid citra dimidium iuſti pretij: videatur Magiſter Sotus *lib.* 6. *de Iuſtitia, quæſt.* 3. *art.* 1. §. *Primum igitur argumentum.* Azor. 3. *part. lib.*8. *cap.*22. *dub.*5. §. *Altera ſententia.*

Dvbitatio XV.

XV. *An minores poſſint vti beneficio reſtitutionis in integrum?*

Dico vigeſimoquartò, Minores igitur, videlicet qui nondum expleuerunt vigeſimumquintum annum (iſti enim *minores* appellantur, iuxta ius commune) quando contractum celebrarunt in ſuum incommodum, poſſunt reſcindere contractum tanquam irritum, & non obligantem, quamuis alios obliget: ita habetur *Inſtitut. de inutilibus ſtipulationibus.* §. *pupillus.* Minores etiam poſſunt vti beneficio reſtitutionis in integrum, quando ſe aliquo contractu, licèt valido, non tamen firmo, læſos deprehendunt tam infra, quàm ſupra dimidium iuſti pretij, modò læſio ſit notabilis. Ita *ex l.*3. *&* 5. *de in integrum reſtitutione, & ex l. ait prætor, ff. de minoribus viginti quinque annis.* Talis tamen minorum contractus in ſe validus, non tamen firmus, propter læſionem, quam minoribus affert, firmatur adiecto iuramento, & fit irreuocabilis; quia minor efficitur maior ratione iuramenti ſupplentis defectum minoris ætatis. Ita docent communiter DD. iuris ciuilis interpretes *in Authentica ſacramenta puberum, C. ſi aduerſus vendit.* & iuris Canonici Doctores *in cap. cùm contingat, de iureiur. & in cap. quamuis pactum, de pactis in* 6. Dummodo tamen iuſiurandum non ſit interpoſitum, vi, metu, aut dolo. Ita *in d. cap. quamuis pactum, de pactis in* 6.

Dvbitatio XVI.

XVI. *An emptori, vel venditori, detur actio in iudicio, quando ſolùm decepti ſunt circa dimidium iuſti pretij?*

Dico vigeſimoquintò, *in l. rem maioris, & l. ſi voluntate, C. de reſcindenda vend.* decernitur ne in iudicio detur actio emptori, ac venditori, quando ſolùm decepti ſunt citra dimidium iuſti pretij. quia iſta deceptio infra dimidium iuſti pretij ægrè & lubricè poteſt ſemper percipi: videatur Sotus *lib.* 6. *de Iuſtitia, q.*3. *art* 1. §. *Primum argumentum:* minoribus tamen datur actio in iudicio, & quando infra dimidium iuſti pretij ſunt decepti, vt patet ex *l.*3. *&* 5. *de in integrum reſtitutione:* videatur Bonacina *tom.*2. *tract. de contractibus, diſput.*3. *quæſt.*1. *puncto vltimo, num.*2.

Dico vigeſimoſextò, certiſſimum tamen eſt, talem venditorem, qui decipit emptorem infra dimidium iuſti pretij, peccare, & cogi ſecundùm conſcientiam ad reſtitutionem quandocunque vendit pluris iuſto pretio, & emptorem qui minoris emit, quamuis id modicum ſit, & infra dimidium iuſti pretij, quia *l. rem maioris*, & altera *ſi voluntate, C. de reſcindenda vendit.* nullum ius tribuunt venditori vel exigendi plus quàm res valeat, vel retinendi quod accepit infra dimidium iuſti pretij, ſed ſolùm decernunt ne in iudicio detur actio emptori, ac venditori, quando ſolùm eſt deceptio citra dimidium iuſti pretij. Ita bene Sotus nuperrimè relatus. Azor. 3. *part. inſtit. mor. lib.*8. *cap.*22. *dub.*4. §. *At communis eſt Theologorum.*

Dico vigeſimoſeptimò, non obſtat contra præcedens aſſertum Axioma illud: *Qui peccat, non peccat legis authoritate, ſed quia contra legem agit,* & idem fermè habetur *l. Gracchus, C. ad legem Iul. de adult.* ergo, &c. Hoc, inquam, non obſtat. nam illud Axioma intelligitur de lege iuſſoria, ſecus autem de lege permiſſoria. Ille, inquam, qui agit, quod lex iubet, non peccat, ſecus de illo qui agit quod lex humana impunè permittit; non enim omne illud permittit diuina, alioquin meretrices, quia lege permittuntur, non peccarent: vnde D. Chryſoſtom. vt habetur 31. *q.* 1. *cap. hac ratione,* quod permittimus, inquit, nolentes præcipimus, quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non poſſumus: videatur Sotus nuperrimè adductus, §. *Sed alleget forſan.*

Articvlvs VII.
De iuramento facto cum errore, & dolo.

SVMMARIVM.

1. *An quando in iuramento adeſt error, vel dolus, circa ſubſtantiam, vel qualitatem rei promiſſa, teneatur iurans adimplere iuramentum.*
2. *An error, vel dolus concomitans, circa ſubſtantiam rei iurata, tollat obligationem iuramenti, & quid ſit dolus concomitans.*
3. *Quid ſit error dans cauſam iuramento, vel error incidens in iuramentum.*
4. *An error, vel dolus, circa qualitatem rei promiſſa, infirmet iuramenti obligationem.*
5. *An error, vel dolus, circa qualitatem perſone, infirmet matrimonium.*

Dvbitatio I.

I. *An quando in iuramento adeſt error, vel dolus, circa ſubſtantiam, vel qualitatem rei promiſſa, teneatur iurans adimplere iuramentum?*

Dico primò, inramentum non obſtringit quoties error, & dolus ſunt circa ſubſtantiam rei promiſſæ. quia vt inramentum obliget, requiritur conſenſus, & voluntas; ſed quoties error, & dolus ſunt circa ſubſtantiam, deeſt conſenſus, & voluntas. ergo, &c. Maior eſt clara. probatur minor: nam quando eſt error, & dolus in ſubſtantia, iurans non intendit iurare rem illam, ſed aliam. ergo quando eſt error in ſubſtantia rei, ibi deeſt conſenſus, & voluntas, &c. Vide Syl. *verb. Iuramentum* 4. *queſt.* 8. *& verb. Iuramentum* 5. *q.* 12. Nauarr. *ſumma cap.* 12. *num.* 13.

Dico ſecundò, etiam quando error, & dolus verſatur circa rei qualitatem, ſi error & dolus dedit cauſam iurandi & promittendi, & aliàs cognita illa qualitate non iuraſſet promittens, iuramentum non obligat. quia iuramentum non obligat extra mentem, & intentionem iurantis *cap. veniens, de iureiurando.* At intentio iurantis non eſt in hoc caſu ſe obligare, nam mens eius tacitè repugnat, ſi enim ſciret qualitatem rei, nollet contrahere, & iurare. ergo quando dolus & error eſt circa qualitatem rei, ſi dedit cauſam iurandi, & promittendi, non obligat iuramentum, cùm Deus non acceptet iuramentum, niſi ſecundùm intentionem eius, qui bona fide iurat, non autem ſecundùm intentionem eius, qui fraude extorſit illud. *cap. humana aures* 2. 2. *queſt.* 5. Ita Syl. Nauarr. *loco cit.* Leſſ. *lib.* 2. *de Iuſt. cap.* 42. *dub.* 7. *num.* 34. Sed vt clariùs præcedentes duæ aſſertiones explicentur,

Dico tertiò, qui aliquo errore, vel dolo circumuentus iurauit, ſi dolus, & error eſt huiuſmodi, vt ſi à principio rem præuidiſſet, nullatenus iuraſſet, non peccat non adimplendo illud iuramentum, ſiue error, & dolus ſit circa ſubſtantiam rei iuratæ, ſiue circa qualitatem. Quoniam iuramentum non obligat extra intentionem illius, qui bona fide iurat, ſiue in genere, ſiue in particulari iurauerit, ſe hoc, vel illud facturum. ergo, &c. Tum, quia qui iuramento promiſit puellæ nuptias, putans eſſe virginem, poſtea intelligit eam occultè fuiſſe fornicatam, non tenetur iuramento, ſi non promiſiſſet, ſi ſciuiſſet eam fuiſſe fornicatam. ergo ſi dolus, vel error eſt huiuſmodi, vt ſi à principio iurans rem præuidiſſet, nullatenus iuraſſet, ſiue error & dolus ſit circa rei ſubſtantiam, ſiue circa qualitatem, iuramentum non obligat: mens enim iurantis tacitè repugnat tali iuramento, ſi enim ſciret rei qualitatem, nollet contrahere, nec iurare: videantur Doctores cit. & D. Anton. *part.* 2. *tit.* 10. *cap.* 6. §. *Quintus caſus.*

Dvbitatio II.

II. *An error, vel dolus concomitans, circa ſubſtantiam rei iurata, tollat obligationem iuramenti? & , Quid ſit dolus concomitans?*

Dico quartò, error, ſeu dolus circa ſubſtantiam rei iuratæ, etiamſi ſit non dans cauſam promiſſioni, ſeu ſit tantùm error concomitans, id eſt, etiamſi iurans cognito errore iuraſſet, tollit obligationem iuramenti. quia ad valorem iuramenti ſunt neceſſaria conſenſus & voluntas poſitiua; ſed error concomitans, quamuis non efficiat actum eſſe inuoluntarium, eo quòd non ſit cauſa alicuius repugnantis voluntati, immo amplectendi ab ipſa voluntate, at efficit eſſe non voluntarium, & tollit actualem conſenſum in rem illam promiſſam circa quam erratur. ergo error concomitans circa ſubſtantiam rei iuratæ, tollit obligationem iuramenti: videatur Sotus *in* 4. *diſt.* 35. *quaſt. vnica*, *art.* 2. §. *Quid autem, verſicul. ſed ſi ſeorſum.* Sanchez *lib.* 3. *oper. mor. cap* 11. *num.* 43.

Dico quintò, dolus, ſeu error concomitans ille dicitur, qui ſic concomitatur contractum, ſeu iuramentum, vt nullo modo ad illud inducat, ſed eo ſublato adhuc contractus fieret, & iuramentum quis præſtaret: vt ſi liber inter ſponſalia, vel contrahat matrimonium cum ſerua, non cognita cognitione ſeruitutis, qua cognita nihilominus contraxiſſet ſponſalia, & matrimonium; ſic celebrata cum errore iſto concomitante, non ſunt valida: quia ad validitatem iuramenti & contractus ſponſalium, ſeu matrimonij requiritur conſenſus & voluntarium; ſed cum errore concomitante non adeſt conſenſus, non enim poteſt aliquis conſentire in id, quod non cognoſcit, nihil enim eſt volitum, quod non ſit præcognitum: cum errore autem concomitante non adeſt cognitio illius, quod fieret ſecluſo illo errore; ergo. videatur D. Thom. pro hac re 1. 2. *quaſt.* 6. *art.* 8. Sotus nouiſſimè relatus. Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio, diſput.* 18. *num.* 6. Sed vt magis explicemus quæ dicta ſunt,

Dvbitatio III.

III. *Quid ſi error dans cauſam iuramento, vel error incidens in iuramentum?*

Dico ſextò, dolus aliquando dicitur dare cauſam iuramento, vel contractui, quando quis ſuppoſito dolo inducitur ad contrahendum, non contracturus, ſi dolus non adeſſet. Dolus incidens in iuramentum, vel in contractum ille dicitur, quando adhuc eſſet præſtitum iuramentum, & adhuc contrahentes contraxiſſent, ſecluſo dolo, vterque dolus tollit obligationem iuramenti. Dolus dans cauſam iuramento, tollit obligationem iuramenti; quoniam iuſiurandum non obligat extra mentem, & voluntatem iurantis, *c. veniens, de iureiurando*; ſed mens iurantis ſuppoſito tali dolo tacitè repugnat: ergo ſecundus etiam dolus incidens in iuramentum, tollit obligationem iuramenti; quia tollit actualem conſenſum in rem iuratam. ergo, &c. Videantur DD. allati, Syl. Sotus, Nauarr. Leſſ. Sanchez.

Dvbi

Dvbitatio IV.

IV. *An error, vel dolus circa qualitatem rei promiſſæ infirmet iuramentum?*

Dico ſeptimò, magis explicans aſſertum ſecundum, ſi error, vel dolus verſetur circa accidentalem rei conditionem, vel circumſtantiam, non infirmat obligationem iuramenti, ſi ſublato illo errore, vel dolo iuramentum eſſet quidem præſtitum à iurante, quamuis non ita libenter, non ita facilè. e.g. Iurauit quis dotem ſe daturum puellæ, quam credidit eſſe cognatam, vel conciuem ſuam; poſtea verò intelligit ſe deceptum inueniens non eſſe cognatam, neque conciuem ſuam, obligatur iſte ſtare iuramento, quamuis ſublato illo errore non ita facilè, non ita libenter iuraſſet dare illi puellæ dotem, quam putauit eſſe conſanguineam, vel conciuem ſuam; quia non deeſt ei, vt ſuppono, conſenſus ſubſtantialis in rem iuratam, in dotem puellæ dandam, quamuis non ita facilè & libenter iuraſſet, ſi qualitatem puellæ cognouiſſet. ergo error, vel dolus circa accidentalem rei conditionem non infirmat, &c. Tum, quia talis conſenſus eſt ſufficiens ad iurandum, vt patet in matrimonio celebrato cum errore circa qualitatem perſonæ: nam ſi quis contrahat matrimonium cum Berta, e.g. credens illam eſſe virginem, aut diuitem, validè contrahit, etiamſi poſtea inueniat illam pauperem, & defloratam. ergo ſimiliter, &c.

Dico octauò, ſi verò qualitas, ſiue circumſtantia, quæ rei quidem accidentalis, aut extrinſeca eſt, tamen ſecundùm intentionem iurantis adeò intrinſeca ſit obiecto, vt in illud non feratur, niſi quatenus tali conditione, aut circumſtantia affectum eſt, tunc ea deficiente per errorem, aut dolum, deficit etiam obligatio iuramenti, & ſic error, vel dolus circa rei qualitatem infirmat obligationem iuramenti, ſi iurantis explicita, vel virtualis voluntas fuit non ſe obligare iuramento, niſi ſubſiſtente tali qualitate in ſubſtantia rei, quam iurauit. Hinc eſt quòd iurans ſe tali puellæ dotem daturum, quam actualiter, vel virtualiter intendebat eſſe cognatam, vel ſuam conciuem, non obligatur iuramento ſi poſtea adinuenit neque cognatam, neque conciuem eſſe, quia, vniuerſim loquendo, actus agentium, præſertim obligatorij, non ſe extendunt vltra eorum intentionem: videatur pro hac aſſertione Syl. *verb. Iuramentum 3. quæſt. 1. §. Nam tertiò ſubintelligitur, verſicul. ſecundò quando eſt talis.* Laymann *lib. 4. tom. 2. tract. 3. cap. 7. quæſ. 5. § Porrò limitanda eſt.* Explicatur magis præcedens aſſertum ex ſimili caſu: vnde

Dvbitatio V.

V. *An error, vel dolus circa qualitatem perſonæ, infirmet matrimonium?*

Dico nonò, error, vel dolus circa qualitatem perſonæ, nullo modo infirmat matrimonium, puta ſi quis contrahat cum Caia, v.g. ſimulante ſe ſanam, aut ſimulante ſe virginem, cùm leproſa ſit, cùm corrupta ſit. quia matrimonium cum huiuſmodi errore & dolo celebratum eſt ſimpliciter voluntarium quoad naturam & ſubſtantiam rei; ſed matrimonium voluntarium ſimpliciter quoad ſubſtantiam eſt validum, quamuis deſit conſenſus ſecundùm quid, id eſt, quoad accidentia. ergo matrimonium celebratum cum errore qualitatis perſonæ ſimpliciter eſt validum. Idem dicendum eſt de iuramento præſtito cum errore, vel dolo circa qualitatem.

Dico decimò, ſi verò qualitas perſonæ, circa quam erratur, fuerit appoſita in contractu matrimonij per modum conditionis, tunc ſi contingeret error, vel dolus circa qualitatem perſonæ, matrimonium eſſet inualidum: vt ſi quis dicat, Duco te in vxorem ſi es virgo; quia deeſt qualitas quæ appoſita fuit tanquam conditio validitatis contractus matrimonij. Similiter eſſet nullum matrimonium ſi contrahens habeat actualem voluntatem non accipiendi mulierem hanc in vxorem, niſi virgo ſit ſi ipſa aliàs ſit corrupta, etiamſi actualis intentio fuiſſet ſolo animo retenta non accipiendi eam niſi virgo ſit: nam contractus vim ſuam obligatoriam habet à voluntate contrahentium; ſed contrahentes non habent voluntatem contrahendi, niſi ſubſiſtente tali qualitate, puta vt mulier, cum qua quis contrahit, ſit virgo. ergo non ſubſiſtente tali qualitate, inualidus eſt contractus matrimonij: validus verò eſt ea ſubſiſtente. Idem conſequenter aſſerendum eſt de iuramento: videatur Sotus *in 4. diſt. 30. quæſt. 1. art. 1. §. Error fortunæ, verſicul. vnde quamuis.* Lopez noſter *tom. 1. de matrim. cap. 47. §. Circa prædictam doctrinam.*

Articvlvs VIII.

De iuramento facto per nuncium, vel Procuratorem.

Svmmarivm.

1. *An iuramentum per nuncium, & Procuratorem præſtari poſſit.*
2. *An iuramento ligetur ille, cuius nomine præſtatur, vel Procurator.*
3. *An pœnis in periuros conſtitutis, mandans falſum iurare afficiatur, vel Procurator.*
4. *An Procurator ſcienter falſum iurans, vel dubium vt certum peccet, peccato periurij.*
5. *An Procurator bona fide præſtans iuramentum, ſi quod iurat ſit falſum, immunis ſit à culpa.*
6. *An exigatur ſpeciale mandatum, vt nomine alterius quis iuret.*
7. *Explicatur, quæ verba debeant intereſſe, quando matrimonium contrahitur per Procuratorem.*
8. *An matrimonium contractū per epiſtolam, ſit validū.*
9. *An matrimonium celebratum per litteras, vel per Procuratorem, ſit ſacramentum.*
10. *An qui dedit mandatum generale Procuratori ad contrahendum, vel iurandum, teneatur ſtare contractibus, per Procuratorem factis.*

Dvbitatio I.

I. *An iuramentum per nuntium & Procuratorem præſtari poſſit?*

Dico primò, iuramentum per nuntium, vel Procuratorem po eſt præſtari. Probatur à ſimili. nam matrimonium quamuis ſit actio perſonalis, poteſt tamen præſtari per Procuratorem, vt conſtat ex *c. vlt. de iuram. calumniæ in 6.* ergo licèt iuramentum perſonale ſit ex parte iurantis, poterit per Procuratorem præſtari. Sotus *lib. 8. de Iuſt. q. 1. art. 2. ad finem, verſ. Per hæc, de iureiurandis.* Caiet. 2. 2. q. 89. *art. 2. fine.*

Dvbitatio II.

II. *An iuramento ligetur ille, cuius nomine præſtatur, vel Procurator?*

Dico ſecundò, is cuius nomine præſtatur iuramentum, obligatur iuramento, non verò nuntius, vel

Procutator emittens iuramentnm nomine alterins. nam nuntius, vel Procurator non emittit iuramentum nomine proprio, ſed alieno. ergo is, euius nomine iuramentum emittitur, obligator vinculo iuramenti. Ita bene notat Sotus nupertimè relatus, *verſic. ſi tamen dominus cauſa.*

Dvbitatio III.

III. *An pœnis in periuros conſtitutis mandans falſum iurare afficiatur, vel Procurator?*

Dico tertiò, mandans ſuo Proenratori iurare, ſi ſalſum eſt, quod inrare mandatur, afficitur pœnis in petiuros conſtiiutis, non verò Procurator. quia dominus mandans, non verò Proeurator, nomine illius iurans, propriè, & ſtrictè diceretur petiutus. Syl. *verb. Periurium, quæſt.* 3.

Dvbitatio IV.

IV. *An Procurator ſcienter falſum iurans, vel dubium vt certum, peccet peccato periurij?*

Dieo quartò, Procurator iurans nomine alterius ſeienter ſalſum, vel dubium tanquam certum, peccaret peccato periurij, non quia vinculo iuramenti afficiatur, ſed quia cooperatur periurio alterius. nam inducens alterum ad iurandum ſalſum, eſt reus periurij. ergo ſimiliter Procurator cooperans ad periurium iurare falſum mandantis, reus erit peceati periurij. Syl. nuper adductus.

Dvbitatio V.

V. *An Procurator bona fide præſtans iuramentum, ſi quod iurat, ſit falſum, immunis ſit à culpa?*

Dieo qnintò, ſi Procnrator nomine partis bona fide præſtet id iuramentum, ignorans ſalſitatem, aut dubinm inſtructionis partis, immunis eſt à cnlpa periurij, totaque hæc in partem refundetur. quia mala fide, & ſcienter non conſentit in perinrium partis: ſic probè Caiet. 1. 2. *q.* 98. *art.* 2. in calce commentarij.

Dvbitatio VI.

VI. *An exigatur ſpeciale mandatum, vt nomine alterius quis iuret?*

Dico ſextò, vt Proeuratot nomine partis præſtet iuramentum, exigitur ſpeciale mandatnm iurandi illi commiſſum. quia iuramentum eſt res maximi momenti, & ſtrictè obligat eum, euius nomine fit; ergo non debet ſine ſpeciali ipſius mandato emitti. Sotus *loco cit.*

Dico ſeptimò, ad iuramentum nomine alterius emittendum, non ſufficit ſpeciale mandatum ad iurandum in quacunque cauſa mandantis, ſed requiritur ſpeciale mandatum in cauſa particulari. quia matrimonium vt contrahatur per nuntium, & per Procuratorem, exigitur ſpeciale mandatum, & quoad matrimonium, & qnoad perſonam. ergo ſimiliter ad iurandum nomine alterius, requiritur ſpeciale mandatum in eauſa particulari. Videatur pro hac aſſertione *c fin. de Procuratoribus* 6. & *ibi* gloſſa *verb. Speciale.* Syl. *verb. Matrimonium* 5. *quæſt.* 9. Ad maiorem intelligentiam præcedentis aſſertionis,

Dvbitatio VII.

VII. *Quæ verba debeant intereſſe, quando matrimonium contrahitur per Procuratorem?*

Dico octauò, quando Procurator contrahit matrimonium nomine alterius, contrahendo iſta verba debet adhibere: Recipio te in vxorem nomine Titij, v.g. Similiter fœmina reſpondere debet: Ego, te mediante, duco Titium in virum: vel, Talis conſentit in te, vel accipit te in vxorem, vel in virum, me mediante. quia ferè eſt idem ſenſus vtriuſque modi: videatur Syl. *verb. matrimonium* 5. *quæſt.* 14. Idque poſt Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de matrim.* fieri debet coram Parocho, & duobus teſtibus: videatur etiam Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 2. *num.* 1.

Dvbitatio VIII.

VIII. *An matrimonium, contractum per epiſtolam, ſit validum?*

Dico nonò, iure antiquo matrimonium contractum per epiſtolam validum erat, ex *l. mulierem ff. de ritu nuptiarum*, & docet Sotus *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 1. *art.* 3. *verſ. At verò.* Quamuis etiam poſt Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de matrim.* conſtat matrimonium per epiſtolam celebratum. quia finis Concilij Trid. irritantis matrimonia clandeſtina, eſt, vt conſtat *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de matrimonio, in proœmio*, vt notum ſit Eccleſiæ matrimonium, probatique poſſit, ne aliud publicè, aliud verò occultè celebretur; ſed qnando matrimonium celebratur per epiſtolam coram Parocho & teſtibus, ſatisfit huic fini, iam enim conſtat Eccleſiæ, probarique poteſt. ergo. & ita hanc ſententiam docet Lopez noſter *p.* 2. *inſtructorij, de matrim. cap.* 35. *fol.* 1028. *col.* 1. *verſicul. vt de propriè loquendo.*

Dvbitatio IX.

IX. *An matrimonium celebratum per litteras, vel per Procuratorem, ſit Sacramentum?*

Dieo decimò, matrimonium celebratum per litteras, vel Procuratorem, ne dum eſt validum, ſed etiam Sacramentum. quia matrimonium inter præſentes eelebratum, eſt Sacramentum; ergo etiam celebratum inter abſentes. nam tunc etiam concurrit materia, forma, & intentio miniſtri, id eſt, contrahentium intendentium recipere Sacramentum, vel ſaltem facere quod intendit ſacra Mater Eccleſia. ſic Sotus *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 3. §. *Nihilominus reſpondetur, verſic. At verò.* licèt Caietan. *tom.* 1. *opuſcul. tract.* 12. *de contractu matrimonij, q.* 1. partem negatiuam tenuerit.

Dvbitatio X.

X. *An qui dedit mandatum generale Procuratori, ad contrahendum, vel iurandum, teneatur ſtare contractibus per Procuratorem factis?*

Dico vndecimò, Is qni generale mandatum dedit ad contrahendum, & iurandum ſuo nomine, non tenetur ex vi iuramenti, ſed ex vi contractus ſtare contractibus per Proeuratorem mandantis nomine celebratis cum iuramento. quia hoc mandatnm generale non eſt legitimum ad iurandum nomine alterius, licèt ſufficiat ad contrahendum. Ita Caiet. 2. 2. *quæſt.* 98. *art.* 2. quem ſequitur Sanchez *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 19.

Articvlvs IX.

De iuramento aſſertorio.

SVMMARIVM.

1. *An iuramentum aſſertorium de re in ſe falſa poſſit cohoneſtari.*
2. *An iuramentum falſum, emiſſum ioci cauſa, ſit peccatum.*
3. *An iurans dubium vt certum, vel certum vt dubium, vel dubium vt dubium, peccet.*

Dvbitatio I.

I. *An iuramentum aſſertorium de re in ſe falſa cohoneſtari poſſit?*

Dico primò, iuramentum aſſertorium in omni materia etiam leui eſt peccatum mortale, quoties iurans credit non eſſe verum, quod aſſerit. quia Deum adducere in teſtem mēdacem eſt grauiſſima iniuria in quacumque materia: tum, quia tam falſum eſt te, e. g. non fricaſſe barbam (ſi falſum eſt,) aut non aqua lauaſſe dentes, quàm te non patraſſe homicidium, quod tamen commiſiſti. ergo, &c. Ita benè Magiſter Sotus *lib. 8. de Iuſtitia, q. 1. art. 3. concluſ. 2.*

Dico ſecundò, iuramentum aſſertorium deſtitutum veritate ſemper eſt mortale, quantumuis finis apponatur ſanctus ac neceſſarius, nec etiam excuſat à mortali quicunque timor. quia mentiri eſt ita intrinſecè malum, vt nunquam honeſtari valeat. ergo ex quacunque cauſa iuramento firmatum excuſari non poteſt à mortali. Ita optimè Caiet. *ſumma verb. periurium, n. 5. verſ. Inchoando igitur.*

Dvbitatio II.

II. *An iuramentum falſum, emiſſum ioci cauſa, ſit peccatum?*

Dico tertiò, emittere iuramentum falſum cauſa ioci eſt mortale. quia Deo fit magna irreuerentia inducendo illum in teſtem, quaſi mendacem; ſi verò quis ex lapſu linguæ non aduertens iuret falſum, excuſatur à peccato lethali. quia ſi non aduertat, non videtur habere intentionem iurandi. Ita præclarè D. Thom. 2. 2. *quæſt. 98. art. 3. ad 2.*

Dvbitatio III.

III. *An iurans dubium vt certum, vel certum vt dubium, vel dubium vt dubium, peccet?*

Dico quartò, ſi quis rem ſibi dubiam vt certam iurat, eſt periurus, & peccat lethaliter. quia mentitur aſſerens tanquam certam rem de qua eſt dubius, non tamen eſſet periurus, ſi rem illam iuret, & aſſerat tanquam dubiam: vt dicendo, Suſpicor ita eſſe, vel, credo ita eſſe, quia tunc verum iurat. Syl. *verb. periurium, quæſt.* 1. §. *tertium eſt iuratio falſa, verſic. tertiò quando iuratur.*

Dico quintò, iurans etiam rem ſibi certam vt dubiam, eſt periurus peccans lethaliter. quia ſicut eſt reus mortalis mendacij, fatens peccatum mortale quod certò nouit ſe admiſiſſe vt dubium. ergo reus eſt periurij iurans rem ſibi certam vt dubiam. Ita Sanchez *lib. 3. oper. mor. cap. 4. num. 8.*

Articvlvs X.

De iuramento promiſſorio, & comminatorio.

SVMMARIVM.

1. *An iuramentum promiſſorium, ſit peccatum dum ſit animo non adimplendi, vel animo dubio ad implendum, vel creditur probabiliter non poſſe impleri.*
2. *An iuramentum promiſſorium obliget, ſi ſuperueniat impoſſibilitas, vel neceſſitas, aut magna difficultas.*
3. *An quicunque defectus in veritate de futuro, faciat peccatum mortale in iuramento promiſſorio, & quanam veritas in illo requiratur.*
4. *An iuramentū comminatorium, emiſſum ex aliqua paſſione, vel ira, vel vindicta inordinata, ſit validum.*
5. *An transgreſſio in iuramentis comminatorijs, facta à parentibus, vel dominis, ſit ſemper peccatum.*
6. *An parentes comminantes grauiter punire filios, vel domini ſeruos, cum iuramento teneantur adimplere illud.*
7. *An pueri iurantes accuſare alios pueros coram parentibus, vel magiſtris, niſi id faciant, ſint periuri.*
8. *An iurans dare fœminæ pecuniam pro copula carnali, teneatur illam ſoluere ante crimen patratum.*
9. *An promiſſio prodiga iuramento firmata, obliget.*

Dvbitatio I.

I. *An iuramentum promiſſorium ſit peccatum, dum ſit animo non implendi, vel animo dubio ad implendum, vel creditur probabiliter non poſſe impleri?*

Dico primò, iuramentum promiſſorium eſt ſemper mortale ex defectu veritatis de præſenti, ideſt, quoties, iurans non habet animum ſeruandæ rei promiſſæ, ſiue ea licita, ſiue illicita, ſiue magna, ſiue parua ſit. quia iurans veritate de præſenti deficiente, ſemper eſt periurus, ſi ſciens, & prudens præſtet, & emittat iuramentum. ergo. Ita præclarè Caiet. 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 7. §. *Ad ſecundum autem dubium.*

Dico ſecundò, lethaliter etiam peccat emittens iuramentum promiſſorium animo dubio implendæ rei promiſſæ. nam affirmans iuramento aſſertorio rem dubiam delinquit mortaliter, vt diximus *aſſert. 4. art. præcedentis, ergo ſimiliter*: tum, quia ad veritatem iuramenti promiſſorij exigitur, vt adſit animus firmus & certus adimplendi rem promiſſam; ergo. ſic benè notauit Sotus *lib. 8. de Iuſtit. quæſt. 1. art. 7. §. in argumentis D. Thom. verſic. ſed ad iuramentum.*

Dico tertiò, præſtans iuramentum promiſſorium, credens probabiliter fore, vt implere nequeat, quod promittit, peccat mortaliter: ſimiliter ſi non habeat cauſam probabilem credendi fore, vt poſſit implere quod promittit. quia ſicuti certitudo rei quam quis iuramento aſſertorio iurat, deſideratur ad euitandum periurium: ita in iuramento promiſſorio. ergo, &c. Secus autem ſi probabiliter credit facere quod promittit. Sic probè Syl. *verb. iuramentum 4. q. 18.*

Dvbitatio II.

II. *An iuramentum promiſſorium obliget, ſi ſuperueniat impoſſibilitas, vel neceſſitas, aut magna difficultas?*

Dico quartò, iuramentum promiſſorium ſi ſuperueniat impoſſibilitas, vel neceſſitas, aut magna

difficul

difficultas non obligat. nam de impoſſibilitate dicitur, *Impoſſibilium nulla eſt obligatio, ff. de reg. iur.* de neceſſitate verò & magna difficultate dicunt DD. *in c. querelam, de iureiur. & cap. breui, eodem tit.* quòd excuſat à periurio. Ratio huius eſt, quia Deus reſpicit animum, non manum. 14. *quaeſt. 5. cap. ſi quid inueniſti.* Videatur Syl. nouiſſimè relatus.

Dvbitatio III.

III. *An quicunque defectus in veritate de futuro, faciat peccatum mortale in iuramento promiſſorio, & quanam veritas in illo requiratur?*

Dico quintò, quando iuramento promiſſorio ſola veritas de futuro deficit, (quia nimirum adfuit animus adimplendi tempore iuramenti emiſſi: at poſtea res promiſſa non impletur) quæcumque ſit materia promiſſionis, ſiue magna, ſiue parua, ſiue illa parua ſit totalis, ſiue partialis materia iuramenti promiſſorij, hoc eſſe lethale, fatetur Leſſius ſtatim citandus. Probatur, quia ſi quis iuret daturum ſe mille nummos, habens animum non integrè dandi, ſed in modica quantitate deficiendi, lethaliter delinquit: ergo ſimiliter culpa lethalis erit quicunque defectus in veritate de futuro, etiam ſi in re modica ſit. Ita Leſſ. *lib. 2. de Iuſtitia, cap. 42. dub. 5. num. 23. verſicul. verius tamen videtur.* Bonacina *tom. 2. diſput. 4. quaeſt. 1. de iuramento, puncto 14. num. 2.*

Dico ſextò, in iuramento promiſſorio duplex veritas exigitur, altera de præſenti, nempe vt adſit animus rei iuramento promiſſæ adimplendæ, in quo conuenit cum iuramento aſſertorio: altera verò de futuro, vt res promiſſa adimpleatur ſuo tempore. quia Deus in iuramento promiſſorio non ſolùm adducitur vt teſtis veritatis præſentis, nempe animi exequendi, ſed etiam ſub diuina authoritate promittitur rei futuræ promiſſæ exequutio. ergo: videatur D. Thom. 2. 2. *quaeſt. 89. art. 7. ad* 1. Caiet. *ibi. §. In eodem art. 7. eiuſdem.*

Dico ſeptimò, probabilius tamen aſſerendum mihi videtur, in iuramento promiſſorio, ſi exigua materia promiſſa, ſit partialis materia iuramenti, eſſe ſolùm venialem culpam illam emittere: vt ſi quis iurauit dare centum aureos, ſi omittat dare obolum, peccat tantummodo venialiter: ſecus ſi materia exigua ſit materia totalis iuramenti promiſſorij: vt ſi quis iurauit dare aſſem in eleemoſynam pauperi, ſi poſtea cùm poſſit non dat, reus eſt culpæ lethalis. quia in priori caſu non violatur omnino iuramenti fides, ſed in re minima; in poſteriori verò omnino iuramentum violatur. ergo. ſic optimè Caiet. 2. 2. *quaeſt. 89. art. 7. dubio* 1. Sayr. *lib. 5. Clauis Regia, cap. 4. num. 31.*

Quamuis Sanchez *lib. 3. oper. mor. c. 4. num. 23.* teneat peccare tantùm venialiter promittentem ſub iuramento ſi non adimplet promiſſum, ſi res promiſſa ſit parua, ſiue ſit tota materia iuramenti, ſiue pars tantùm: vnde ſecundùm hanc ſententiam iuramenta matrum de dando filiis plorantibus pomum, vel aliquid exiguum, non impleta, non faciunt eas culpæ lethalis reas. hanc opinionem antè Sanchez docuit Sotus *lib. 8. de Iuſtitia, quaeſt. 1. art. 7. dub. 1.* Syl. *verb. Iuramentum 4. quaeſt. 1. §. Circa hoc autem, fine.* Nauarrus *ſumma cap. 12. num. 10.* & alij videndi apud Henriquez *lib. 5. de pœnit. cap. 20. num. 4. in commento littera M.* quæ ſententia mihi ſatis probabilis videtur, ob tantorum DD. auctoritatem.

Dvbitatio IV.

IV. *An iuramentum comminatorium emiſſum ex aliqua paſſione, vel ira, vel vindicta inordinata, ſit validum?*

Dico octauò, qui emiſit iuramentum comminatorium de infligenda alicui pœna, tenetur iuramentum adimplere, modò eius impletio non ſit impeditiua maioris boni, aut non ſit ſublata cauſa ob quam adimpleri debeat. quia iuramentum comminatorium obſtringit ne Deus in teſtem falſi adductus videatur: tum, quia parentes, & domini comminantes filiis, aut ſeruis aliquas pœnas ad correctionem, tenentur ſeruare iuramentum, ſi adhuc ſubſiſtit cauſa puniendi; ergo ſi facti iuramenti comminatoria cauſa ſubſiſtit, eſt ſeruandum: videatur Caiet. *verb. Periurium, num.* 20.

Dico nonò, cenſetur cauſa emiſſi iuramenti comminatorij quoties ſuperuenit ratio non puniendi: vt ſi turbaretur pax domus, vel ſi non ſit opus medicinâ talis pœnæ, vel ſi filius ſatisfecit, aut veniam petiit, aut amicus pro illo veniam & condonationem impetrauit, vel aliter ob aliam cauſam expedire iudicetur, & tunc tale iuramentum non eſt obligatorium. quia præſtans tale iuramentum de infligenda pœna, tacitam hanc habet intentionem: Si non turbatur pax familiæ, infligam filio, vel ſeruo pœnam, vel ſi opus ſit medicina talis pœnæ, &c. ergo: videatur Syl. *verb. Iuramentum 3. quaeſt. 2. §. In iuramento verò, & verb. Iuramentum 4. quaeſt. 6.*

Dico decimò, iuramentum comminatorium de infligenda alicui pœna, ſi oriatur ex paſſione, ex ira, ſeu ex animo vindictæ inordinatæ, non eſt ſeruandum. quia iuramentum vt ſic non habet materiam bonam, cùm fiat potiùs cauſa vindictæ: cenſetur autem iuramentum comminatorium ex ira fieri, dum quis iuratus alicui pœnam minatur, cui in eundem errorem labenti non minaretur depoſita ira: videatur Bonacina *tom. 2. de legibus diſput. 4. quaeſt. 1. puncto 14. num. 4.* Caiet. 2. 2. *quaeſt. 89. art. 7. dub. 1. §. Inſpice igitur, verſic. quod autem refertur.*

Dvbitatio V.

V. *An tranſgreſſio in iuramentis comminatorijs facta à parentibus, vel dominis, ſit ſemper peccatum?*

Dico vndecimò, tranſgreſſio iuramentorum, quibus parentes, heri, domini, iurant ſe punituros filios, famulos, aut ſeruos, quoties iuſta cauſa excuſandi abeſt, excuſatur à mortali. quia paruitas materiæ illos excuſaret à culpa lethali, vt diximus cum probabili ſententia Soti, Sylu. Nauarri, Sanchez *aſſertione* 7. & ita hanc aſſertionem apertè docet Sotus *lib. 8. de Iuſt. quaeſt. 1. art. 7. verſic. quartò id denique confirmatur.*

Dico duodecimò, ſi verò punitio iurata per iuramentum comminatorium expediret maximè ad Dei obſequium, neceſſariò dicendum eſt, eiuſdem adimpletionem obligare ſub mortali. quia tunc materia eſſet grauis. Ita bene notauit Sanchez *lib. 3. oper. moral. cap. 9. num. 16. verſicul. At ſi ea punitio.*

Dvbitatio VI.

VI. *An parentes comminantes grauiter punire filios, vel domini ſeruos cum iuramento, teneantur adimplere illud?*

Dico decimorertiò, parentes dum iuramento comminatorio iurant ſe filios caſtigaturos ſi illos arripuerint, dicendo, Si te arripuero, te interficiam, etiam ſi non habeant animum arripiendi, & huiuſmodi iuramentis veritas de præſenti deeſſe videatur, non peccant mortaliter, & excuſantur à periurio. quia huiuſmodi iuramenrum non eſt arripiendi, ſed puniendi, data ea hypothesi.

Dico decimoquartò, parentes & alij comminatoriè ſic iurando, Si te atipuero, interficiam te, debent habere animum grauitet puniendi filios, vel alios, data hypotheſi quòd arripuerint filios, &c. quia illius hyperboles is eſt ſenſus, grauiter ſcilicer puniendi data hypotheſi: videatur Sayr. *lib.5. Clauis Regia, c.5. n.12.* Sanchez nouiſſimè relatus.

Dico decimoquintò, excuſantur à periurio iuramenta comminatoria, quibus parentes iurant ſe filios, & ſeruos occiſuros, eorum capita fracturos, quamuis quando iurant, non habeant animum occidendi, & frangendi capita, & inferendi graue nocumentum: & conſequenter videtur deeſſe veritas præſens, quia non ſeriò iurant, ſed per quandam exaggerationem ita loquuntur: & ita excuſantur à mortali, non tamen à veniali graui.

Dvbitatio VII.

VII. *An pueri iurantes accuſare alios pueros coram parentibus, vel Magiſtris, niſi id faciant, ſint periuri?*

Dicò decimoſextò, pueri leuiter iurantes ſe alium puerum accuſaturos coram parentibus, vel Magiſtris, excuſantur à periurio, & à culpa mortali, tranſgrediendo tale iuramentum. quia gratia ſumendæ vindictæ, & non ſeriò, communiter iurant: tum, quia etiam ſi in bonum correctionis iurent, omittunt tamen accuſare cauſa melioris boni, vel vitandi inter ſe rixas: tum, quia excuſantur à mortali, ratione paruitatis materiæ, quod eſt ſatis probabile, vt ſuſtinent DD. *cit. ſuprà.* Videatur D. Antoninus 2. *part. tit.* 10. *c.* 4. §. 1.

Dvbitatio VIII.

VIII. *An iurans dare fæminæ pecuniam pro copula carnali, teneatur illam ſoluere ante crimen patratum?*

Dico decimoſeptimò, is qui iurauit tradere pecuniam meretrici pro copula, tenetur ſequuta copula illam ſoluere. quia eſt promiſſio rei licitæ & debitæ ex iuſtitia, quamuis ſupponat actionem turpem. Ita Sotus *lib. 7. de Iuſt. queſt. 1. art. 3. verſic. quod ſi contra.* Arag. 2. 2. *queſt.* 88. *art.* 2. *dub.* 2. *concluſ.* 3. *verſic. promiſſio facta homini.*

Dico decimooctauò, promiſſio tamen iurata facta fœminæ vt corporis ſui copiam faciat, ante crimen patratum nullo pacto eſt ſeruanda, ſed potius diſſoluenda. quia ordinatur ad finem turpem, & vt alter crimen perpetret, ergo ante patratum crimen tenetur vterque diſſoluere contractum, etiam iuramento firmatum: eo tamen patrato nulla eſt culpa in rei promiſſæ ſolutione, ſed impletio debiti iuſtitiæ: ſic optimè Caiet. 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. §. *Aliter ergo, verſ. dare autem.*

Dico decimononò, non officit contra aſſertionem 17. ratio quæ contra illam poſſet adduci: nam non poteſt accipi pretium pro malitia, & peccato, cùm peccatum non ſit vendibile; ergo non poteſt accipi pretium pro patrato iam opere illicito: hoc, inquam, non obſtat, quia pretium non accipitur pro malitia, vel approbatione peccati, ſed pro aliis circumſtantiis, vt patet in homicida, qui non accipit pretium pro peccato, & homicidio patrato, ſed pro labore, & periculo, cui ſe exponit in patrando homicidio. Similiter meretrici non traditur pretium poſt culpam patratam pro peccato præciſè, ſed quia locauit corpus ſuum in obſequium, & voluptatem alterius. Ita colligitur ex Caietano nuperrimè relato *verſ. nam in meritricio.* Videatur etiam Bannes 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *dub.* 5. *poſt tertiam concluſionem,* §. *Ad argumenta.*

Dvbitatio IX.

IX. *An promiſſio prodiga, iuramento firmata, obliget?*

Dico vigeſimò, promiſſio prodiga iuramento firmata non obligat quoad illam partem, in qua eſt prodigalitas. quia vt ſic eſt promiſſio rei venialiter malæ, quę non obligat. Eſſet tamen obligatoria, quoad quantitatem, in qua nulla eſt prodigalitas. quia vt ſic eſt promiſſio rei licitæ. Bannes *eodem loco, concl.* 3. Sotus *lib. 4. de Iuſt. q. 7. art. 1.* §. *maius autem dubium eſt, verſic. an verò,* contra Salon. 2. 2. *quaſt.* 62. *art.* 5. *controuerſ.* 4. *poſt* 3. *concluſ.* §. *ex quo ſequitur.*

Articvlvs XI.

De iuramento emiſſo in rebus peccaminoſis, vel non bonis.

Svmmarivm.

1. *An iurans committere, vel omittere aliquid ad quod tenetur ſub mortali, peccet mortaliter.*
2. *An iurans ſe facturum aliquod peccatum veniale, teneatur adimplere iuramentum.*
3. *An iurans committere aliquod malum, animo illud exequendi, grauius peccet, quàm ſi iuraret ſine tali animo.*
4. *An iurans ſe aliquid facturum contra conſilia Euangelica, peccet.*
5. *An alteri detrahens, ſi detractionem confirmet iuramento, peccet duplici peccato.*
6. *An iurans facere aliquid quod eſt mortale, vel veniale, peccet iterum, illud faciendo.*
7. *An iuramentum, quo quis promittit opus bonum ad malum finem, ſit obligatorium.*
8. *An iurans opus bonum, conſurgens ex aliquo malo, vel opus, quod ſecundum finem principalem eſt bonum, ſed ratione ſecundarij malum, teneatur ſeruare iuramentum.*
9. *An iurans ſe facturum eleemoſynam, propter finem malum venialiter, teneatur ſeruare iuramentum.*
10. *An emittens profeſſionem in aliqua Religione approbata, ob malum finem venialem, peccet mortaliter, & profeſſio ſit valida.*
11. *An iurans facere peccatum, peccet iurando, & iuramentum ſeruando? &, an iurans, ſe non facturum melius bonum, peccet iurando, & iuramentum ſeruando.*
12. *An iuramentum promiſſorium poſſit eſſe à principio licitum, & in impletione fieri illicitum.*
13. *An iurans de non præſtādo obſequio proximo, vel inſeruiendo communitati, peccet, & teneatur ſeruare.*
14. *An iurans, ſe non facturum rem indifferentem, vel impoſſibilem, obligetur ad iuramentum.*

Dvai

Dubitatio I.

I. *An iurans committere, vel omittere aliquid, ad quod tenetur ſub mortali, peccet mortaliter?*

Dico primò, promiſſio iurata committendi aliquod lethale, eſt peccatum mortale: vt ſi quis ſe occiſurum inimicum iuret. quia magna Deo infertur iniuria afferendo Deum in teſtem, perpetrando aliquid contrarium eius legi. Ita Sotus *lib.8. de iuſt.q.2. art.3. concl.* 3. Idem dicendum ſi quis iurat ſe omiſſurum, quod omittendo peccat mortaliter, puta ſi iurat ſe non ieiunaturum diebus ab Eccleſia indictis. Syl. *verb. Iuramentum* 2.*quæſt.7.*

Dico ſecundò, peccat mortaliter iurans ſe perpetraturum aliquod mortale, ſiue ſe omiſſurum id, ad quod tenetur ſub culpa lethali, ſiue adſit animus implendæ rei illius iuramento promiſſæ. quia cùm ſic iurans teneatur ſub mortali efficere contrarium, perinde eſt, ac ſi falſum iuraſſet: ſiue deſit animus adimplendi quod iurauit, quia tunc manifeſtè eſſet iuramentum mendax. Azor. *part.1 inſtit.mor.lib.*11. *cap.5. quæſt.*1.*§.Deinde qui iurat.*

Dico tertiò, qui iurat aliquid lethale committere, vel aliquid omittere, quod ſub mortali adimplere tenetur cum animo exequendi, bis peccat lethaliter. Primò, quia facit contra Religionem ex defectu iuſtitiæ, iurando quod illicitum eſt in re graui. Secundò, quia habet propoſitum committendi quod lethale eſt; qui verò iurat ſe aliquid lethale perpetraturum, ſine animo adimplendi, vno tantùm modo peccat: quia vnicum tantùm mortale periurium committit. Nauarr. *ſumma cap.*12 *num.*13.

Dubitatio II.

II. *An iurans ſe facturum aliquod peccatum veniale, teneatur adimplere iuramentum?*

Dico quartò, iurans facturum ſe aliquid in quo faciendo peccatum veniale contrahitur: vt ſi quis iuret ſe mendacium iocoſum, aut officioſum dicturum, biliturum, aut pranſurum plus æquo, ſi habeat in animo id facere quod iurat, peccat venialiter defectu iuſtitiæ, præter illud veniale propoſitum peccandi venialiter, & ita erit duplex veniale. quia ſicut in faciendo eo culpa tantùm venialis admittitur, ſic is, qui iurat ſe id facturum, voluntate illud præſtandi venialis tantùm peccati reus erit. Syl. *verb. Iuramentum* 4.*q.*1.*§.Circa hoc autem*, licèt Angelus *verb. Iuramentum* 5. *n.*2. aſſerat id iuramentum rei venialis eſſe mortale, tum in iurando, tum in ſeruando iureiurando: ſed verius eſt quod diximus cum Syl. *loc.cit.* Cajet. *verb. Periurium, n.*8. Azor *part.*1.*inſt.mor.lib.*11.*c.*5.*q.*1. Iurans tamen ſe admiſſurum rem venialem animo non adimplendi, lethaliter delinqueret, quia huic iuramento deeſſet veritas de præſenti, & in iurando ſic præſtans iuramentum mentitur: videatur Caiet. 2.2.*q.*89.*art.*7. §.*Ad ſecundum autem dubium.* Azor. nouiſſimè adductus, §.*Præterea qui, verſ. Reſpondeo.*

Dico quintò, clariùs explicans aſſertionem præcedentem, iurans quis ſe facturum aliquid, quod eſt veniale, venialiter tantùm delinquit. quia iniuria, quæ fit Deo in huiuſmodi iuramentis, non eſt niſi leuis, etiamſi iuramentum adimpleatur. Caietan. Syl. Azor. *locis citatis.*

Dico ſextò, iurans veniale ſe patraturum, etiamſi poſtea adimpleat quod iurauit, non peccabit mortaliter. quia ex reuerentia iuramenti Deo præſtiti videtur impleſſe iuſiurandum, non autem ex contemptu. Syl. *verb Iuramentum* 4.*q.*7.*§ Sextum cùm excludit, verſic. ſeruando autem iuramentum.*

Dico ſeptimò, iurans quamcumque iniuſtitiam etiã venialem abſque animo adimplendi, & faciendi, peccat mortaliter. quia cùm in hoc iuramento deeſſet veritas de præſenti, maxima iniuria Deo inferretur, adducendo illum in teſtem falſi. Ita bene Lopez *part.*1. *inſtruct.cap.*42.*ante finem.§.Iurare verum, verſicul. Ad hæc ſine exceptione.*

Dico octauò, certum tamen eſt iurantem ſe facturum aliquam iniuſtitiam venialem, vel mortalem, nullo pacto obligari ad faciendum. quia iuſiurandum non eſt vinculum iniquitatis. Ita benè Sayr. *lib.*5. *Clauis Regia, cap.*4.*num.*35.*fine.*

Dubitatio III.

III. *An iurans committere aliquod malum, animo illud exequendi, grauius peccet, quàm ſi iuraret ſine tali animo?*

Dico nonò, minus malum eſt aliquem iurare ſe facturum rem venialem animo exequendi, quàm abſque eo animo. quia in priori caſu eſt ſolùm veniale, vt probauimus *aſſertione* 6. At in poſteriori eſt periurium lethale, vt diximus *aſſerto* 7.

Dico decimò, minus tamen malum eſt iurare rem mortalem animo non exequendi, quàm animo adimplendi. quia in priori euentu eſt vnica culpa lethalis, in poſteriori verò duplex. Prima contra iuſtitiam iuramenti in re graui, ſecunda autem eſt propoſitum illud mortale adimplendi. Et licèt hoc ſecundo modo iurare non ſit periurium, eſt tamen iuſiurandum temerarium & incautum.

Dubitatio IV.

IV. *An iurans ſe aliquid facturum contra conſilia Euangelica, peccet?*

Dico vndecimò, ſi quis iuret ſe facturum aliquid contra conſilia Euangelica, vt ſe non facturum Religioſum, non erogaturum eleemoſynam, quando ad eam non tenetur, eſt peccatum veniale defectu iuſtitiæ iuramenti. quia materia hæc non eſt apta iuramenti: & eſt leuis irreuerentia in Deum vti diuino teſtimonio ad non ſeruanda diuina conſilia: videatur Armilla *verb. Iuramentum num.*15.

Dubitatio V.

V. *An alteri detrahens, ſi detractionem confirmet iuramento, peccet duplici peccato?*

Dico duodecimò, eum qui de alio detrahit, & iniuſtam ſuam detractionem iureiurando confirmat, præter graue peccatum detractionis, committere culpam grauem defectu iuſtitiæ iuramenti, non enim materia peccaminoſa eſt apta materia iuramenti, & quòd grauiter peccet, probatur, quia videtur grauem iniuriam Deo irrogare, adducendo illum in teſtem rei mortaliter peccaminoſæ. Ita colligitur ex Toleto *lib.*4. *ſummæ cap.*21.*n.*10. & apertè docet Bonacina *tom.*2. *de legibus, diſp.*4.*q.*1.*puncto* 3.*n.*9.*§.Hinc colligi poteſt.* Licèt alij velint regulariter committi ſolùm culpam venialem, quoties iuramentum aſſertorium cadit ſupra rem veram, etiamſi res ſit mortaliter illicita, & peccaminoſa: videatur Suarez *tom.*2. *de Religione, tract. de iuramento, lib.*3.*c.*2.*n.*5.*& c.*12.*num.*7.*&* 8. Quod aſſerere videtur ſatis probabile, quia hic defectus in iuramento aſſertorio non euacuat directè finem iuramenti, nec facit Deum teſtem mendacij.

Dico decimotertiò, quando iuramentum aſſertorium aſſumitur vt inſtrumentum illius peccati, ideſt, vt augeatur, probabilior fiat infamia grauis proximi eo iuramento confirmata, tunc certum eſt tale iuramentum eſſe peccatum mortale. nam iuſtitia requiſita in iuramento aſſertorio, propriè non ſolùm ad rem iuratam ſpectat, verùm etiam & ad iurandi cauſam; ſed in caſu noſtro cauſa iurandi eſſet lethaliter peccaminoſa. ergo, &c. Ita præclarè notauit Sotus *lib. 8. de Iuſt. q. 1. art. 3. verſic. de ſecundo autem comite.*

Dvbitatio VI.

VI. *An iurans facere aliquid quod eſt mortale, vel veniale, peccet iterum illud faciendo?*

Dico decimoquartò, iurans ſe facturum aliquam iniuſtitiam venialem, aut mortalem, non ſolùm non obligatur ad ſeruandum tale iuramentum, vt diximus *ſupra aſſertione* 8. ſed etiam ſi ex vi iuramenti rem illam iuratam malam adimplet, nouam culpam admittit: vt ſi quis iurauit ſe fornicaturum cum meretrice, & poſtea ex vi iuramenti vt illud impleat fornicatur, eſt noua culpa ſacrilegij mortalis vltra fornicationem. quia eadem eſt irreuerentia contra Deum in emittendo tale iuramentum, & in implendo malum iuratum ex vi iuramenti formaliter: videatur Sanchez *lib. 3. oper. mor. cap. 9. num. 14. verſ. Sed exiſtimo.*

Dvbitatio VII.

VII. *An iuramentum, quo quis promittit opus bonum ad malum finem, ſit obligatorium?*

Dico decimoquintò, iuſiurandum, quo quis promittit opus bonum ad conſequendum malum finem, non eſt obligatorium: vt ſi quis iuret, & promittat Deo ſe traditurum tali Eccleſiæ eleemoſynam ad obtinendam vindictam, vel vt beneficium Eccleſiaſticum malis artibus obtineat, vel vt rem turpem habeat cum certa fœmina: nam impium eſt te aliquid promittere Deo ſub iuramento, vt mali aliquid efficias, quaſi Deus fuerit mali, ſiue ſceleris auctor: tum, quia peccatum non poteſt eſſe materia iuramenti defectu iuſtitiæ in iureiurando requiſitę; ergo neque opus, quod alioqnin eſſet bonum, poteſt eſſe materia iuramenti, ſi dirigitur, & ordinatur ad malum obtinendum tanquam ad finem: tunc enim cenſetur iuramentum rei malæ, & peccaminoſæ. Ita præclarè Caietan. *in ſimili de voto* 2. 2. *q. 88. art. 2. §. In primo ergo ſenſu.* Azor. *part. 1. inſt. moral. lib. 11. cap. 5. quaſ. 2.*

Dico decimoſextò, quando quis iurat opus bonum ad agendas gratias pro malo fine obtento, vel ad malum finem obtinendum, tunc etiam iuſiurandum non eſt obligatorium, ſicut etiam nec ſimile votum. quia tunc Deus non acceptat aliquid in gratiarum actione quaſi fuerit actor peccati: videatur Caiet. *eodem loco.* Sanchez *lib. 4. cap. 6. oper. mor. num. 12.*

Dvbitatio VIII.

VIII. *An iurans opus bonum, conſurgens ex aliquo malo, vel opus quod ſecundùm finem principalem eſt bonum, ſed ratione ſecundarij malum, teneatur ſeruare iuramentum?*

Dico decimoſeptimò, iurans opus bonum ad conſequendum bonum conſurgens ex aliquo malo, ſeu ſupponens actionem malam: vt ſi quis iuret ingredi Religionem, vel dare centum aureos in eleemoſynam, ſi ex duello incolumis extiterit, vel ſi non fuerit comprehenſus in delicto, vel ſi ex fornicatione filium ſuſceperit, tenetur ſeruare iuramentum. quia iuramentum de re bona non relatum ad malum finem, validum eſt; ſed iuramentum in caſu poſito eſt de re bona, non relatum ad malũ finem. ergo, &c. Maior videtur clara, minor autem probatur. Nam Religio, & eleemoſyna bona ſunt: ſimiliter incolumitas, & filius ſuſceptus non ſunt quid malum, ſed bonum. ergo, &c. ſic Caiet. nouiſſimè adductus, *verſic. ex his autem patet quid dicendum eſt.*

Dico decimooctauò, quando opus bonum promittitur ſub iuramento ob finem principalem bonum, ſed ſecundarius finis, ſeu cauſa applicandæ voluntatis ad iuramentum, ſeu cauſa impulſiua ad præſtandum tale iuramentum, eſt mala; vt ſi quia iuret ingredi Religionem, vt lautè viuat, tunc validum, & obligatorium eſt iuramentum. quia tale iuramentum quoad finem primarium eſt de re grata, & acceptata Deo: tum, quia lautus victus non eſt finis primarius iuramenti, ſed eſt tantùm cauſa impulſiua; ergo; videatur Leſſ. *lib. 2. de Iuſt. c. 40. dub. 7. n. 36.*

Dvbitatio IX.

IX. *An iurans ſe facturum eleemoſynam, propter finem malum venialiter, teneatur ſeruare iuramentum?*

Dico decimonono, iurans ſe facturum eleemoſynam ob finem malum venialiter, puta ob inanem gloriam, iuramentum ſeruare non tenetur. quia eſt de re mala. Nam licèt eleemoſyna ſit ſecundùm ſe bona, relata tamen ad malum participat malitiam illius, actus enim ſumit ſpeciem ab obiecto, & participat bonitatem, vel malitiam finis: peccaret tamen hic tantummodo venialiter, quia finis ad quem refertur tunc eleemoſyna, eſſet tantummodo venialiter malus: videatur Syl. *verb. iuramentum 4. quaſt. 1. §. ſextum non excludit.*

Dvbitatio X.

X. *An emittens profeſſionem in aliqua Religione approbata, ob malum finem venialem, peccet mortaliter, & profeſſio ſit valida?*

Dico vigeſimò, emittens tamen votum ſolemne profeſſionis in aliqua approbata Religione ob malum finem, licèt venialem, puta ob inanem gloriam, tunc profeſſio eſſet inualida, & lethaliter peccaret. nam decipit Religionem in re graui, & fieri poteſt vt Religio graue damnum patiatur. Ita Caietanus *ſumma verb. votum, cap. 1. num. 5. §. circa illicitorum.* Bonacina *tom. 2. diſput. 4. quaſt. 2. punct. 4. §. 1. num.* 10. Sanchez *lib. 4. oper. mor. cap. 6. num. 15. & eodem lib. 4. ſuprà cap. 1. num. 38.*

Dvbitatio XI.

XI. *An iurans facere peccatum, peccet iurando, & iuramentum ſeruando? &, An iurans ſe non facturum melius bonum, peccet iurando, non iuramentum ſeruando?*

Dico vigeſimoprimò, ſi quis iuret ſe facturum aliquod peccatum, puta adulterium, & peccat iurando, & peccat iuſiurandum ſeruãdo: at ſi iuret ſe non facturũ aliquod melius bonũ, puta ſe nõ ingreſſurum Religionem, peccat quidem iurando, quia ponit obicem Spiritui ſancto, qui eſt boni propoſiti inſpirator, non tamen peccat iuramentum ſeruando; ſed multo melius facit

facit ſi non ſeruet, quia ingreſſus in Religionem eſt opus bonum ſupererogationis. Ita optimè D. Thom. 2. 2. *quæſt. 89. art. 7. ad ſecundum.*

Dvbitatio XII.

XII. *An iuramentum promiſſorium poſſit eſſe à principio licitum, & in impletione fieri illicitum?*

Dico vigeſimoſecundò, iuramentum promiſſorium poteſt eſſe à principio licitum, impletio tamen eius propter aliquid quod de nouo emergit, poteſt eſſe illicita. nam iuramentum Herodis, quo iurauit puellæ ſaltanti ſe daturum quod petiiſſet, licitum potuit eſſe, intellecta debita conditione, ſcilicet ſi peteret quod dare deceret; impletio tamen fuit illicita, & ſacrilega: nam necem ſanctiſſimi Præcurſoris præſtauit Herodes ſeruando iuramentum. Idem ſanctiſſimus Præceptor D. Thom. *eod. loco ad ſecundum.*

Dvbitatio XIII.

XIII. *An iurans de non præſtando obſequia proximo, vel inſeruiendo communitati, peccet, & teneatur ſeruare?*

Dico vigeſimotertiò, ſi quis iuret ſe nihil mutuo daturum, fideiuſſorem non futurum, non facturum obſequium alicui, eleemoſynam huic, vel illi non erogaturum, nunquam futurum Prætorem, vel Magiſtratum accepturum, incautè iurat, & venialis ſe culpæ reum conſtituit, quando id quod iurat præcepti vim non habet. quia huiuſmodi iuramenta charitati aduerſari videntur, ergo ſic iurans venialiter ſaltem delinquit, quia incautè iurat ſi id quod iurat præcepti vim non habet: videatur Azor. *part. 1. inſtit. mor. lib. 11. c. 5. dub. 1. §. Inſuper ſi iuret quis.*

Dico vigeſimoquartò, iuramenta enumerata aſſertione præcedenti non ſunt ſeruanda. quia aduerſari videntur charitati, & communi bono. Idem dicendum de iuramento facto Deo contra conſilia Euangelica. quia huiuſmodi iuramentum non obligat: immo non ſolùm non ſunt obſeruanda, ſed propria authoritate frangenda, quia cùm non ſint obligatoria, nulla indigere videntur relaxatione: videatur D. Thom. 2. 2. *q. 89. art. 7. ad ſecundum.* Nauarrus *ſumma cap. 12. n. 17.* D. Anton. 2. *p. tit. 10. cap 6. §. Tertius caſus.*

Dico vigeſimoquintò, non obſtare contra præcedens aſſertum *cap. cùm quidam, §. vltimo, de iureiurand.* vbi dicitur præſtantes iuramentum de non loquendo parentibus, aut fratribus, & de non exhibendo eis humanitatis ſubſidia, abſoluendos eſſe ab eius iuramenti obſeruantia, eo quòd id iuramentum illicitum ſit: textus, inquam, hic non officit contra præcedens aſſertum, quia intellectus illius textus eſt, taliter iurantem abſoluendum eſſe à iuramenti obſeruantia, id eſt, declarandum eſſe eum abſolutum & liberum ab eius obſeruantia, ſolámque pœnitentiam eſſe iniungendam pro peccato malè iurandi: videatur ibi gloſſa *verb. Abſoluendi.* Couar. *de pact. 2. p. initio n. 4.*

Dvbitatio XIV.

XIV. *An iurans, ſe non facturum rem indifferentem, vel impoſſibilem, obligetur ad iuramentum?*

Dico vigeſimoſextò, iurans ſimiliter rem aliquam indifferentem, aut impoſſibilem, obligatur ad iuramentum. v. g. ſe cum hoc, aut illo homine non colloquuturum, hunc, vel illum in domum ſuam non admiſſurum, vel ex illius, vel illius officina nihil empturum, vel nunquam venialiter peccaturum: quamdiu res illa indifferens eſt, tunc iuramentum nullam obligationem gignit, imò propria authoritate poteſt infringi, quia Deus non volt obligare ad aliquod vanum, & otioſum, vel ad aliquod moraliter impoſſibile: nunquam autem in vita venialiter peccare eſt moraliter impoſſibile, & conſequenter cùm tale iuramentum non ſit obligatorium, relaxatione non indigebit: videantur D. Antoninus, Nauar. nuper relati. Sanchez *lib. 3. oper. mor. cap. 9. num. 13.*

Articvlvs XII.

De iuramento obligatorio: in quibus ſcilicet caſibus ſit obligatorium, & in quibus non ſeruandum iuramentum?

Svmmarivm.

1. *An Alumni Collegij Anglicani, iurantes, abſolutis ſtudijs, in Angliam ituros, ad propagandam fidem, poſſint licite ingredi Religionem.*
2. *An obligatio iuramenti tranſmittatur ad heredes iurantis.*
3. *An parte communitatis, vel Capituli ſe obligante, ſub iuramento ad aliquid, alijs in minori parte non conſentientibus, iſti obligentur ad illud iuramentum.*
4. *An Epiſcopus, vel alius, qui ſine iuramento ad aliquam dignitatem non admittitur, ſi ſine iuramento admittatur, teneatur ad iuramentum ſuorum prædeceſſorum.*
5. *An iuramentum ex parte eius, cui præſtatur, tranſeat in poſteros.*
6. *An ſubditus iurans obedientiam alicui Superiori, teneatur ex vi iuramenti obedire ſucceſſoribus, vel eidem Superiori ab ea dignitate amoto.*
7. *An Eccleſia remouente ſtatuta alicuius Religionis, vel Collegij, qui in illa iam iurauerunt, vel vouerunt illa ſeruare, teneantur ampliùs ad illa.*
8. *An iurans, conſtitutus in aliquo officio, vel dignitate, his finitis, remaneat liber à iuramento.*
9. *An obligatio contractus iurati, tranſeat ad hæredes.*
10. *An hæredes iurantis ſe ſoluturum vſuras vſurario, vel pecuniam latroni daturum, & ab illo non repetiturum, teneantur ſeruare iuramentum.*
11. *An iuramentum ſoli Deo præſtitum, de dando eleemoſynam, & huiuſmodi, obliget hæredes.*
12. *An iurans vrbanitatis gratia, mortaliter peccet non obſeruando.*
13. *An iuramenta ſeruandi ſtatuta alicuius Reipublicæ, officij, &c. ſe extendant ne dum ad edita, ſed etiam ad edenda, & ad edita, quæ non ſunt in vſu.*
14. *An iuramenta, ſeruandi ſecretò ea, quæ in Republica, vel communitatibus tractantur, obligent ſub mortali.*
15. *An iurans ſeruare ſtatuta alicuius Religionis, obligetur ad culpam, tranſgrediendo, ſi ſtatuta non obligant ad culpam.*
16. *An iurans ſeruare ſpeciale ſecretum, peccet illud non ſeruando, & ſi illud ſit in ſui, vel alterius damnum, ſit obligatorium.*
17. *An ſcholaſtici, non ſeruantes præcepta, iurata Rectoribus,*

ctoribus Vniuerſitatis, vel Academia, peccent mortaliter.

18. *An promittens aliquid alteri cum iuramento, teneatur promiſſioni iuratæ ante illius acceptationem? & an qui tacet, acceptare cenſeatur.*

19. *An promiſſio purè mentalis iurata interna habita in gratiam hominis obliget? & an promiſſio facta ſurdo, vel abſenti, obliget.*

20. *An iuramentum internum, Deo factum in fauorem tertij, ſit ſeruandum ante acceptationem.*

21. *An iurans mulieri, ſe eam ducturum, ad ſubleuandum illius inopiam, teneatur ad iuramentum.*

22. *An iurans Deo, per modum voti, ducere pauperem, vel meretricem, in honorem eiuſdem teneatur iuramentum implere? præſertim id dum iurat ſub conditione quòd vxorem ducat.*

23. *An iuramentum præſtitum de caſtitate ſeruanda, vel ingrediendi Religionem, validum ſit, dum experitur magna incontinentia? &, An melius ſit nubere, quam ſeruare iuramentum caſtitatis in magna incontinentia.*

DVBITATIO I.

I. *An Alumni Collegij Anglicani, iurantes abſolutis ſtudijs, in Angliam ituros, ad propagandam fidem, poſſint licitè ingredi Religionem?*

Dico primò, Alumni Collegij Anglicani Romæ, qui iuramentum præſtant ſe abſolutis ſtudiis in Angliam ituros, fidei Catholicæ propagandæ cauſa, non poſſunt ſine diſpenſatione Religionem ingredi, in qua iuramento ſuo ſatisfacere non poſſunt. quia iuramentum quod in gratiam, vel vtilitatem hominis, vel Eccleſiæ, vel alterius communitatis editum eſt de opere honeſto, ſemper obligat, neque in aliud quamuis melius opus arbitratu iurantis commutari poteſt, vt colligitur ex *cap. quamuis pactum, de pactis in 6.* & docet Syl. *verb. Iuramentum 4. quæſt. 20. verſicul. Secundam quando iuramentum*; ſed iuramentum Alumnorum Collegij Anglicani Romæ editum fuit in vtilitatem Eccleſiæ Anglicanæ; ergo. Videatur Syl. *loc. cit.* Nauarr. *tom. 2. conſil. lib. 3. de Regularibus, num. 5.* Laymann *tom. 2. lib. 4. tract. 7. de iuramento, cap. 6. num. 6. §. Exinde.* contrarium tamen tenuit Azor. *part. 1. inſtitutionum moral. lib. 11. cap. 5. dub. 4. §. Animaduertendum tamen eſt.*

DVBITATIO II.

II. *An obligatio iuramenti tranſmittatur ad hæredes iurantis?*

Dico ſecundò, obligatio iuramenti præcisè non tranſmittitur ad hæredes, & ſucceſſores iurantis. quia obligatio iuramenti propria, & præcisè ex virtute Religionis eſt omnino perſonalis, ſed obligatio omnino, & præcisè perſonalis non tranſit ad hæredes; ergo. Ita præclarè D. Thom. 2. 2. *q 98. art. 2. ad* 4. Quod quidem verum eſt, etiam ſi quis pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus iurauerit, ex vi iuramenti tunc ſucceſſores non tenebuntur ad id, quod iuramento firmatum eſt, propter rationem adductam, eſt enim obligatio iuramenti perſonalis; ergo eâ à nemine alio poteſt quiſpiam obligari, vt bene notauit Syl. *verb. Iuramentum 4. quæſt. 3. verſ. Ad ſecundum dicit.* Et magis confirmans præcedens aſſertum,

Dico tertiò, poteſt quis hæredem obligare temporaliter, immo etiam non faciendo mentionem de hæredibus, pactum regulariter tranſit in eos, ſpiritualiter tamen non poteſt, & conſequenter obligatio iuramenti propria, & præciſe non tranſit in hæredes. quia licèt ſit honeſtum, vt in ſpiritualibus obligationibus filius ſequatur voluntatem patris, non tamen eſt neceſſarium; ſed obligatio iuramenti eſt ſpiritualis. ergo, &c. Videatur *cap. ex litteris, de deſponſat. impuber.*

DVBITATIO III.

III. *An parte communitatis, vel Capituli, ſe obligante ſub iuramento, ad aliquid, alijs in minori parte non conſentientibus, iſti obligentur ad illud iuramentum?*

Dico quartò, ſi pars maior alicuius communitatis, v. g. Capituli, iuramento ſe obſtrinxit ad aliquid præſtandum quibuſdam contradicentibus, vel non conſentientibus, hi non obligantur ex vi iuramenti, & ſub periurij reatu, ſed interdum ex vi pacti legis, aut conſuetudinis. quia minor pars Collegij ſuffragia maioris partis, aut conuentionem ſequi tenetur vi pacti, legis, aut conſuetudinis: non tamen vi iuramenti. quia iuramentum eſt actio perſonalis voluntaria; ergo contradicentes, vel non conſentientes vi iuramenti non obligantur: videatur D. Thom. 2. 2. *quæſt. 98. art. 2. ſolut. ad quartum.* Laymann *tom. 2. lib. 4. tom. 3. cap. 10. quæſ. 3.*

DVBITATIO IV.

IV. *An Epiſcopus, vel alius, qui ſine iuramento ad aliquam dignitatem non admittitur, ſi ſine iuramento admittatur, teneatur ad iuramentum ſuorum prædeceſſorum?*

Dico quintò, Epiſcopus, aut Canonicus, aut quæuis alia dignitas habens annexa multa iuramenta, ſi admitteretur ad ſuum officium abſque vllo iuramento, non teneretur ex prædeceſſorum iuramento illa ſeruare, & ita ſi non eſſet aliud vinculum obligans ad illa, niſi iuramentum, eſſet liber ab illis; ſed ſi eſſet aliud vinculum obligans officium illud, ſeu dignitatem, vt vinculum ſtatuti, aut contractus, teneretur ratione huiuſmodi vinculi ſeruare illa, quæ non iurauit, quia vinculum ſtatuti, aut contractus tranſit ad ſucceſſores in dignitate, vel in officio, non autem vinculum iuramenti, cùm ſit perſonale. Ita optimè obſeruauit Caiet. 2. 2 *quæſt. 98. art. 2.* Sotus *lib. 8. de Iuſt. quæſt. 2. art. 5. ad finem, verſ. tenebitur tamen.*

DVBITATIO V.

V. *An iuramentum ex parte eius, cui præſtatur, tranſeat in poſteros?*

Dico ſextò, iuramentum ex parte eius cui præſtatur, non eſt perſonale, & ſic tranſit in eius hæredem: vt ſi Titius iurauit dare Caio centum aureos, tenetur ex vi iuramenti defuncto Caio ante ſolutionem, ſoluere eos centum aureos hæredibus Caij. quia actiones defuncti tranſeunt in hæredem; ſed Caius defunctus habebat actionem, vt ex vi iuramenti illa centum ſibi darentur. ergo ea actio ad hæredem tranſibit. Syl. *verb. Iuramentum 4. quæſt. 2. §. Primum quando vniuerſitas, verſicul. ex parte verò eius.*

Dubitatio VI.

VI. *An ſubditus iurans obedientiam alicui Superiori, teneatur ex vi iuramenti, obedire ſucceſſoribus, vel eidem Superiori, ab ea dignitate amoto?*

Dico ſeptimò, ſubditus iurans obedientiam alteri in dignitate, aut officio conſtituto, expreſſo eius dignitatis, aut officij nomine, Religioſus, v.g. iurans obedientiam Generali ſui Ordinis, tenetur ex vi illius iuramenti ad obedientiam omnibus ſucceſſoribus in ea dignitate, aut officio conſtitutis: ſimiliter ſi quis iuraret obedientiam alicui Epiſcopo, aut Rectori alicuius communitatis, tenetur ex vi illius obedire etiam ſucceſſoribus. quia licèt iuramentum ex parte iurantis perſonale ſit, reſpectu tamen eius cui iuratur, reale eſt, id eſt, tranſitorium cum re, puta dignitate, hæreditate, &c. ſicut explicat Abbas *in cap. veritatis, de iureiurand. num. 3.*

Dico octauò, iuramentum præſtitum Epiſcopo, vel alteri Prælato nomine proprio, vt dicendo: Iuro tibi Petro obedientiam, non ratione dignitatis, ſed perſonaliter, & tanquam priuatæ perſonæ, eo mortuo, vel amoto cui iuratum eſt, non tranſit ad ſucceſſores, præcipuè ſi id iuramentum non præſtetur illi circa rem ad dignitatem pertinentem. quia tunc tale iuſiurandum non eſt actus realis, ſed perſonalis. ergo non tranſit ad ſucceſſores: videatur Syl. *verb. Iuramentum 4. quæſt. 3.*

Dico nonò, iuramentum obedientiæ præſtitum alicui in dignitate conſtituto ratione illius dignitatis, non ampliùs obligat iurantem eo ab ea dignitate amoto: & ſic ſi Eccleſia deponeret Epiſcopum ex naturali ſequela, omnes iuramento illi obſtricti non tenerentur ei ampliùs ſeruare iuramentum. Similiter ſi Eccleſia iuſtè priuet aliquem Regem Regno, omnes, qui illi perſonæ iurauerant ſe futuros illum in Regno, non tenentur ampliùs. quia ex hoc ipſo quòd iuſtè indignus eſt iudicatus dignitate, vel Regno, nullus tenetur ei ampliùs obedire, vel eum in Regno fouere. Ita optimè notauit Caiet. 2.2.*q.89.art.9.§. Eodem autem articulo, verſic. Sed hic opus eſt ſale.*

Dubitatio VII.

VII. *An Eccleſia remouente ſtatuta alicuius Religionis, vel Collegij, qui in illa iurauerunt, vel vouerunt illa ſeruare, teneantur ampliùs ad illa?*

Dico decimò, ſi Eccleſia remoueret ſtatuta alicuius Religionis, vel Collegij ex naturali ſequela, qui vouerunt, aut iurauerunt illa ſeruare, non ampliùs ad ea ſeruanda ſub voto, vel iuramento tenerentur. quia ampliùs non ſunt illa ſtatuta; ergo ampliùs ſub voto, vel iuramento non ſunt ſeruanda. Caietanus nouiſſimè adductus. Sotus *lib. 8. de Iuſtitia, quæſt. 1. art. 9. §. Tertiò argumentatur.* S.Thom. *verſicul. indirectè verò fit diſpenſatio.*

Dubitatio VIII.

VIII. *An iurans conſtitutus in aliquo officio, vel dignitate, his finitis remaneat liber à iuramento?*

Dico vndecimò, quando quis præſtat iuſiurandum ratione alicuius dignitatis, aut officij in ſua propria perſona exiſtentium, ceſſantibus illis, ceſſat quoque iuramentum obligare: vt ſi Epiſcopus ab Eccleſia priuetur Epiſcopatu, aut Canonicus aliquis ſuo Canonicatu, vel aliquis iudex ſuo officio, quamuis iurauerint ſeruare ſtatuta ſuæ Eccleſiæ, & iudex ſtatuta iudicum ad illa ſeruanda, non tenentur ſub iuramento. quia ea iuramenta ſunt dignitati & officio annexa. ergo illis ceſſantibus, ceſſat obligatio iuramenti: ſic Abbas *in cap. veritatis, de iureiurand. n. 3.*

Dubitatio IX.

IX. *An obligatio contractus iurati tranſeat ad hæredes?*

Dico duodecimò, quamuis obligatio iuramenti præciſè non tranſmittatur ad hæredes, quia iuramentum eſt vinculum perſonæ, quod iurans voluntariè aſſumit, vt dixi *aſſertione* 2. tamen obligatio contractus, ſupra quem cadit iuramentum, tranſit ad hæredes, modò contractus ſit validus, vel ſaltem validus efficiatur, ſeu firmetur iuramento. quia obligatio quæ oritur ex contractu, eſt obligatio realis: obligatio autem realis tranſmittitur ad hæredes. ergo: videatur Sotus *lib. 8. de Iuſtitia, q. 2 art 2 §. In quarto argumento, verſic. qua vtique ratione.*

Dico decimotertiò, hæredes non ſeruantes contractum iuratum, vel promiſſionem iuratam defuncti, nõ peccant peccato periurij contra Religionem. quia ipſi non tenentur vinculo iuramenti: peccant tamen contra iuſtitiam, ſi contractus ſit validus, vel firmetur iuramento. quia obligatio contractus validi & firmi eſt obligatio realis tranſiens ad hæredes. Ita colligitur ex doctrina S.Thom. 2.2.*q.98. art. 2. ad 4.* & docet apertè Sotus nouiſſimè relatus, quos ſequitur Sanchez *lib. 3. oper. mor. cap. 13. num. 5.*

Dubitatio X.

X. *An hæredes iurantis ſe ſoluturum vſuras vſurario, vel pecuniam latroni daturum, & ab illo non repetiturum, teneantur ſeruare iuramentum?*

Dico decimoquartò, hæredes illius qui iurauit ſe ſoluturum vſuras vſurario, nullo pacto tenentur eas illi ſoluere, non ex vi promiſſionis, quia promiſſio facta vſurario non eſt valida, neque iuramento fit firma. nam turpitudo & peccatum inuenitur in tali promiſſione ex parte vſurarij vſuras recipientis: neque ex vi iuramenti, quia obligatio iuramenti cùm ſit perſonalis, non deſcendit ad hæredes, ergo, &c. Videantur DD. cit. *aſſertione præcedenti.* Bonacina *tom. 2. diſput. 4. quæſt. 1. puncto 15. num. 3.*

Dico decimoquintò, conſequenter ad aſſertionem immediatè præcedentem, ſi quis iurauit ſe pecunias latroni daturum, & ſolutas non repetiturum, hæredes non tenentur illas ſoluere, & ſolutas poſſunt repetere. quia tale iuramentum non eſt confirmatorium promiſſionis, ſed per ſe ſtans, & nulla ex eo obligatio ad hæredes tranſit. ergo non ſolutas pecunias latroni non tenentur dare, quia non ligantur vi iuramenti, & ſolutas poſſunt repetere, quia iuratur latroni, qui rem ſibi latam reſtituere tenetur: videatur pro hac aſſertione D. Thom. 2. 2. *quæſt. 89. art. 7. ad 3.* & DD. *duabus præcedentibus aſſertionibus.*

Dico decimoſextò, hæredes illius, qui iurauit ſe non repetiturum certam pecuniam, quæ illi debetur, non peccant peccato periurij repetendo, quia obligatio iuramenti non tranſit ad hæredes, ſed

peccant

peccant peccato iniuſtitiæ, modò iuramentum non repetendi liberè ſit præſtitum, & non ſit per iniuriam extortum. quia promiſſio tunc eſt valida, & per ſe ſtans; ergo hæredes peccarent peccato iniuſtitiæ illam non ſeruando; ſi verò per iniuriam extortum ſit iuſiurandum, hæredes nullo pacto peccant illam repetendo: non vi iuramenti; quia eius vinculum ad eos non tranſmittitur: neque vi promiſſionis, cùm hæc fuerit inualida, cum per iniuriam fuit extorta: videatur Sanchez *lib.3.oper. mor. cap.13.num.4.* Sotus *lib.8.de Iuſtitia,quæſt.2.art.2. §.In quarto argumento,verſ. qua vtique ratione.*

Dvbitatio XI.

XI. *An iuramentum ſoli Deo præſtitum, de dando eleemoſynam, & huiuſmodi, obliget hæredes?*

Dico decimoſeptimò, iuramentum ſoli Deo præſtitum erogandæ alicuius eleemoſynæ, vel dandi dotem puellæ, vel ædificandi Eccleſiam, tranſit ad hæredes, quoad onus erogandæ eleemoſynę, dandi dotem puellæ, vel ædificandi Eccleſiam. quia omnia onera, ſeu obligationes reales ſecundùm vires hæreditatis aditæ in ſe ſuſcipit hæres; ſed onus erogandæ eleemoſynæ, dandi dotem puellæ, ædificandi Eccleſiam, eſt reale. ergo: tum, quia promiſſionem illam iuramenti pręſtiti ipſi ſoli Deo acceptat ille, non ob iuramenti ſolam religionem, ſed etiam in quantum redundat in pauperum vtilitatem, & in diuinum cultum. ergo etſi non tranſeat ad hæredes ex vi iuramenti, tranſit ex vi contractus illius cum Deo initi. Ita ſuſtinet Couarr. *de pactis 2.p.§.1.n.7. verſ. quidquid ſit, in fine.* Sanchez nuper relatus *n.4.* contra Laymann *tom.2. lib.4. tract.3.c.10. q.3.§. Dico 2.verſic.ſimile ferme.*

Dico decimooctauò, non obſtat contra præcedens aſſertum ratio, quæ poſſet adduci: nam iuramentum præſtitum latroni dandi illi centum aureos, obligat quidem iurantem, non tamen hæredes: neque ex vi iuramenti, neque ex vi contractus & promiſſionis; ergo ſimiliter iuſiurandum ſoli Deo, & nulli pauperi factum dandi eleemoſynam, obſtringet quidem iurantem, non tamen hæredes: hæc, inquam, ratio non officit, quia promiſſionem illam iuratam ſoli Deo præſtitam dandi eleemoſynam, vel dotem puellæ, acceptat Deus non ob ſolam iuramenti obligationem, ſed etiam in quantum redundat in pauperum vtilitatem, atque ideo etſi illud iuſiurandum ex vi iuramenti non tranſmittatur ad hæredes, tranſit tamen ex vi illius contractus cum Deo initi: vnde non eſt eadem ratio. nam iuramentũ latroni præſtitum dandi illi centum aureos, per iniuriam extortum, non acceptat Deus in quantum redundat in vtilitatem extorquentis, immo eo modo ſibi diſplicet, cùm latro acceptas pecunias reſtituere teneatur, ſed ſolùm acceptat ob iuramenti religionem, quæ cùm ſit perſonalis, obligabit iurantem, non tamen hæredes; quia tale iuramentum non eſt confirmatorium promiſſionis, cùm inualidam illam promiſſionem non firmet, vt ſuprà diximus *aſſertione 3.art.6.huius diſquiſ.*

Dvbitatio XII.

XII. *An iurans vrbanitatis gratia, mortaliter peccet, non obſeruando?*

Dico decimonono, iuramenta vrbanitatis gratia ſolita præſtari in ingreſſu, vel egreſſu alicuius loci non ingrediendi, aut egrediendi, priùs non violantur, nec grauiter peccant iurantes contraueniendo. quia huiuſmodi iuramenta imbibunt tacitam conditionem, nempe, quod ad me attinet non præcedam. ergo non violat iuramentum ſi altero contendente alter præcedat. Caiet. *verb. Periurium, cap.3.num.17.*

Dvbitatio XIII.

XIII. *An iuramenta ſeruandi ſtatuta alicuius Reipublicæ, officij, &c. ſe extendant ne dum ad edita, ſed etiam ad edenda, & ad edita, quæ non ſunt in vſu?*

Dico vigeſimò, iuramenta ſeruandi ſtatuta Reipublicæ, Collegij, Vniuerſitatis alicuius, Confraternitatum, officij ad ſtatuta edita, non autem ad edenda, in poſterum obligant. quia iuramentum ob periurij periculum, & ob detrimentum, quod ſequi poteſt, eſt ſtrictiſſimi iuris & interpretationis; ergo iuramenta præſtita ſeruandi ſtatuta Reipublicæ, Collegij, &c. debent intelligi & explicari de ſtatutis editis, non autem de edendis in poſterum, niſi expreſsè iurans ad futura & edenda ſtatuta ſuum iuramentum extendere velit. Ita præclarè D.Thom. 2.2.*q.98. art.2.ad 4.* Syl. *verb. Iuramentum 4.quæſt.23.*

Dico vigeſimoprimò, præſtans iuramentũ ſeruandi ſtatuta alicuius Collegij, vel cõmunitatis, non tenetur ſeruare ſtatuta vſu non recepta, etiamſi in indiuiduo petitum ſit ab eo iuramentum ſeruandi illa peculiaria ſtatuta: nam cenſetur iuraſſe obſeruantiam ſtatutorum quatenus vſu recepta ſunt, non enim præſumitur iuraſſe res illatas ſtatutis contentas independenter à ſtatutis, ſed dependenter quatenus ſtatuta obligant: videatur pro hac aſſertione Caietan. *ſumma verb. Medici peccata, num.6.§. Siſte tamen pedem*, quem ſequitur & adducit Suarez *tom.4. in 3.part. diſput.55. ſect.3 num.5.*

Dico vigeſimoſecundò, iurantes ſeruare ſtatuta Reipublicæ, Collegij, alicuius Vniuerſitatis, ſeu Confraternitatis, ſeu officij, ſi res contentæ in ſtatutis ſint graues, & tanti momenti, vt obligent ad mortale, obligantur ſub mortali ad illa ſeruanda. quia hi iurantes ſeruare talia ſtatuta non iurant præciſè ſeruare rem illam in ſtatuto contentam, ſed prout continetur in ſtatuto, ſeu ſtatutum ipſum. ergo ſi res contenta in ſtatutis ſit grauis, & magni momenti, ſtatuta iurata obligabunt ſub mortali, ſecus ſi ſit leuis, & minimi momenti, vt dicemus *aſſertione ſequenti.*

Dico vigeſimotertiò, ſi verò res ſeruanda per ſtatutum ſit leuis, itaut per ſe ſtans ad veniale ſolùm obliget, erit peccatum veniale, eam præterire ſine cauſa. quia obligatio iuramenti metienda eſt iuxta ſtatutorum obligationes; ſed ſtatuta rerum leuium obligant tantùm ad veniale. ergo iurans ſeruare ſtatuta alicuius Reipublicæ, Collegij, Vniuerſitatis, ſi ſit illorum tranſgreſſor, non peccat lethaliter, ſi res ſeruanda contenta in ſtatutis ſit leuis, & minimi momenti. Ita bene notauit Medina 2.*quæſt.96. art.4. §.Ex his patet ad argumenta.*

Dvbitatio XIV.

XIV. *An iuramenta ſeruandi ſecretò, ea quæ in Republica, vel communitatibus tractantur, obligent ſub mortali?*

Dico vigeſimoquartò, conſequenter iuramenta ſeruandi ſecretò ea, quę in Collegiis, Vniuerſitatibus, Confraternitatibus, ſeu officiis tractantur, non obligant

gant ſub mortali in quauis re modica, ſed iuxta materiam, quæ deregitur, iudicanda eſt culpa, ſi enim ſit grauis momenti, derectio erit mortalis: ſi autem leuis, erit venialis. quia iurantes ſecretò ea ſeruare quæ in Collegiis, Vniuerſitatibus, &c. tractantur, cēſentur ſe voluiſſe tantùm obligare iuxta qualitatem eorum, quæ ſecretò ſunt ſeruanda, ſi res ſint graues, & magni momēti, ſub lethali ſe obſtringere ad eas ſecretò ſeruandas; ſi verò leues, ſub veniali. ergo: tum, quia ſola culpa venialis eſt tranſgreſſio iuramenti in re leui, ſiue res illa ſit totalis, ſiue partialis materia iuramenti, vt *aſſertione 7. art. 10. huius diſquiſ. in fine*, dixi. ergo ſimiliter, &c. Videatur Sotus pro hac aſſertione *lib. 8. de Iuſtitia, quæſt. 1. art. 7. dub. 1.* Syl. *verb. Iuramentum 4. quæſt. 1. §. Circa hoc autem, ad finem.* Bonacina *tom. 2. diſput. 4. quæſt. 1. puncto 16. num. 2. §. Septimò cum.*

Dvbitatio XV.

XV. *An iurans ſeruare ſtatuta alicuius Religionis, obligetur ad culpam tranſgrediendo, ſi ſtatuta non obligant ad culpam?*

Dico vigeſimoquintò, ſi ſtatutum alicuius Religionis, Collegij, Vniuerſitatis, &c. ad nullam culpam obliget, ſed tantùm ſub conſilio ſit, iuramentum præſtitum ad ſeruandum illud ſtatutum, ad nullam quoque culpam obſtringet. quia, vt diximus, obligatio iuramenti metienda eſt iuxta ſtatuti obligationem. ergo ſi ſtatutum ad nullam culpam aſtringit, neque iuramentum præſtitum ſuper illud ſtatutum obligabit ad culpam: tum, quia Religioſi, qui vouent ſe ſeruaturos ſui Ordinis conſtitutiones, ſi hæc obſeruatio non obſtringit ad culpam, ex eo non eſt conſequens, quòd continuò, ac violant conſtitutionem aliquam, ſint violatores voti. ergo ſimiliter iurantes in Collegiis, Vniuerſitatibus, &c. ſeruare illorum ſtatuta, ſi hæc non obligant ad culpam, tranſgrediendo illa ſtatuta, quamuis iurata, non ſunt periuri. Ita clarè colligitur ex doctrina Medinæ 1. 2. *quæſt. 96. art. 4. §. Ex his patet*, quem ſequitur, & adducit Sanchez *lib. 3. oper. mor. cap. 14. num. 2.*

Dico vigeſimoſextò, qui iurant ſtatuta alicuius Collegij, communitatis, Vniuerſitatis, &c. decernētia aliquid ſub certis pœnis faciendum, aut omittendum, nullam culpam contrahunt illa tranſgrediendo. quia ea ſtatuta ad ſolam pœnam ſoluendam legitimè petitam obſtringunt; ſed obligatio iuramenti penſanda eſt iuxta ſtatuti vinculum. ergo ſi ſtatutum obligat tantùm ad pœnam, præcipuè ſi hæc ſit leuis, iurantes ſeruare illud tranſgrediendo nullam culpam contrahunt, ſed ſolùm ad pœnam ſoluendam erunt obſtricti. Ita colligitur ex Doctoribus *aſſertione præcedenti* allegatis.

Dvbitatio XVI.

XVI. *An iurans ſeruare ſpeciale ſecretum, peccet illud non ſeruando, & ſi illud ſit in ſui, vel alterius damnum, ſit obligatorium?*

Dico vigeſimoſeptimò, ſi aliquod ſpeciale ſecretum iuret quiſpiam ſe ſeruaturum, non erit mortalis tranſgreſſio, ſed venialis, ſi leuis momenti id ſecretum ſit. quia promiſſio etiam iurata in rebus paruis, maiorem obligationem non imponit. ergo: tum, quia iuramentum ſortitur conditiones actus, ſuper quem cadit, *C. de non numerata pecunia*, & eſt acceſſorium actus ſupra quem cadit; ſed acceſſorium ſequitur naturam principalis, *reg. 42. de regulis iuris in 6.* ergo ſi ſpeciale ſecretum ſub iuramento ſeruandum eſt leuis momenti, non erit mortalis tranſgreſſio, ſed ſolùm venialis, vti eſt tranſgreſſio ſimplicis promiſſionis rei leuis ſub ſecretu ſeruandæ: quòd ſi res ſub ſecreto ſeruanda ſit magni momenti, tranſgreſſor erit periurus, peccans lethaliter: videatur D. Anton. *2. part. tit. 10. cap. 8. §. 3.* Azor. *3. part. inſtit. moral. lib. 13. cap. 31. dub. 1.* Sanchez *lib. 3. oper. mor. cap. 14. num. 2. & 5.*

Dico vigeſimooctauò, qui iurauit celare ſecretum ſibi commiſſum, non peccat contra iuramentum detegendo ſecretum, quoties illud celare non poteſt abſque graui ſuo, vel alterius damno: nam promiſſio ſecreti cenſetur facta cum hac conditione, Modò non noceat mihi, vel alteri grauiter: videatur *cap. ſicut noſtris, de iureiurand.* Syl. *verb. Iuramentum 4. quæſt. 15. verſ. & idem cùm quis.*

Dvbitatio XVII.

XVII. *An ſcholaſtici, non ſeruantes præcepta iurata Rectoribus Vniuerſitatis, vel Academiæ, peccent mortaliter?*

Dico vigeſimonono, Scholaſtici non ſeruantes præcepta Rectorum Vniuerſitatis, vel Academiæ ſub pœna iuramenti præſtita, non ſunt rei periurij mortalis, vbi materia non eſt grauis. Vt cùm præcipitur eis ſub pœna præſtiti iuramenti intereſſe certæ congregationi Miſſarum, ſacrificio, publicæ, & ſolemni ſupplicationi. quia in his leuibus non obedire, videtur eſſe tantùm culpa venialis: tum, quia huiuſmodi præcepta piè interpretanda ſunt, vt Rectorum mens non ſit ſcholaſticos obligare, ſub periurio mortali ſi non obedierint, ſed potiùs vt ſcholaſtici memores præſtiti iuramenti, præcepta non contemnant. Ita bene Medina 1. 2. *quæſt. 96. art. 4. §. Verùm vt veritas.*

Dvbitatio XVIII.

XVIII. *An promittens aliquid alteri cum iuramento, teneatur promiſſioni iuratæ, ante illius acceptationem? &, An qui tacet acceptare cenſeatur?*

Dico trigeſimò, qui promittit aliquid alteri cum iuramento, non obligatur ſtare promiſſioni iuratæ, antequam promiſſio acceptetur. quia iuramentum ſequitur naturam promiſſionis; ſed promiſſio non obligat antequam acceptetur, cùm cenſeatur facta ſub hac tacita conditione, ſi acceptetur, imò reuocari poteſt promiſſio iurata ante acceptationem. nam ante acceptationem nullam induxit obligationem: videatur Leſſ. *lib. 2. de Iuſtitia, cap. 17. dub. 7. num. 52. & 53.* contra Sayrum *lib. 6. Clauis Regiæ, cap. 6. num. 23.* tenentem promiſſionem internam iuratam vi iuramenti obligare. Idem tenere videtur Azor. *3. part. inſtit. mor. lib. 11. cap. 15. dub. 4. §. Porrò ſi promiſſio.*

Dico trigeſimoprimò, conſequenter promittens cum iuramento aliquid alteri abſenti dandum tali certa die, ſi non adimplet promiſſionem non acceptatam non eſt periurus. quia iuramentum eſt acceſſorium promiſſioni. ergo ſequitur naturam promiſſionis tanquam principalis; ſed natura promiſſionis talis eſt, vt fiat cum hac tacita conditione, ſi acceptetur; ergo ſicut ſimplex promiſſio poteſt non adimpleri,

&

& reuocari ante acceptationem, ſimiliter promiſſionem iuratam non adimplere, & reuocare antequam acceptetur, nullum eſt periurium. Sanchez *lib. 1. de matrim. diſput. 7. num. 24.*

Dico trigeſimoſecundò, ſimplex promiſſio facta præſenti, qui tacet, valida eſt, & multo magis ſi ſit iurata, & reuocari non poteſt, etiam ſi nondum acceptata videatur, modò tacens cui ſit promiſſio, ſit præſens moraliter, & intelligat ſibi fieri promiſſionem. quia promiſſio acceptata obligat, & reuocari non poteſt, ſed ille qui tacet, cenſetur acceptare ea præcipuè, quæ ſunt ſibi commoda, & fauorabilia. *l. qui tacet, ff. de regulis iuris.* nam quoties de tacentis commodo agitur, cenſetur tacens in ſui fauorem conſentire, vt probat Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 5. num. 5. & diſput. 6. num. 11. §. Nihilominus.* Ita Syl. *verb. Pollicitatio, num. vnic.* contra Rodriquez *part. 2. ſumma cap. 29. num. 4.* Quia, inquit, tacens reſpuere videtur, cùm mens ſit recipientem beneficium ſtatim gratias agere; ſed hæc ratio non officit: nam recipiens beneficium ob verecundiam, vel aliam cauſam tacet, vnde ea taciturnitas non eſt ſignum contemptus promiſſionis, vel donationis.

Dubitatio XIX.

XIX. *An promiſſio purè mentalis iurata interna, habita in gratiam hominis obliget? &, An promiſſio facta ſurdo, vel abſenti, obliget?*

Dico trigeſimotertiò, promiſſio purè mentalis, id eſt, quæ ſit interiùs in mente, & iurata, non obligat, niſi fiat per modum voti. quia promiſſio non obligat niſi acceptetur; ſed interna promiſſio acceptari non poteſt. ergo neque tenetur promittens in conſcientia ad explicandam huiuſmodi promiſſionem ei, cui in mente promiſſio facta eſt. quia promittens abſque omni iniuria decretum, & propoſitum ſuum mutare ac reuocare poteſt antequam promiſſio acceptetur: videatur D. Thom. 2. 2. *quaſt.* 88. *art.* 1. *in corpore.* vbi ait quòd promiſſio, quæ ab homine fit homini, non poteſt fieri niſi per verba, vel quæcunque exteriora ſigna: Deo autem fieri poteſt promiſſio per ſolam interiorem cogitationem. Sotus *lib. 4. de Iuſtitia, quaſt. 4. art. 1. ad* 1. Sanchez *lib. 3. oper. mor. cap. 9. num.* 10. licèt Sayr. *loco cit. aſſertione* 30. *§. Ad alterum,* ſuſtineat promiſſionem mentalem ſimplicem non obligare, nec teneri promittentem ei, cui facta eſt promiſſio, illam manifeſtare: promiſſionem tamen iuratam vi iuramenti obligare; ſed probabilius eſt promiſſionem internam etiam iuratam non obligare. quia promiſſio etiam iurata cenſetur facta ſub hac conditione, ſi acceptetur: videatur Bonacina *tom. 2. tract. de reſtitut. diſput. 3. q. 1. punct. 1. n. 4.*

Dico trigeſimoquintò, promiſſio etiam iurata facta ſurdo, & abſenti non obligat. quia antequam alter acceptet, poteſt reuocari. Lopez noſter *part. 2. inſtruct. cap. 30. §. Sed tandem ſtatuitur.* quamuis Salon. 2. 1. *q.* 5. *de dominio art. 2. dub. 1. concl. 3. ſolutione ad 7. argum.* non improbabile putet promiſſionem factam ſurdo obligare ante acceptationem, eo, quòd per accidens eſt promiſſionem illam non audiri à ſurdo, ſatis enim eſſe putat, quòd promiſſionem ſuam promittens verbis expreſſerit.

Dico trigeſimoſextò, promiſſio tamen interna facta in gratiam hominis per modum voti, eſt adimplenda: vt ſi quis promittat Deo ſe daturum eleemoſynam pauperi, aut daturum dotem puellæ pauperi. quia Deus intuetur cor, & ſcrutatur internas animi cogitationes; homo verò ſicut non intuetur cor, & animi cogitationes, ita non poteſt illas acceptare; ergo interna promiſſio facta in gratiam hominis per modum voti obligabit, licèt facta homini abſenti, & in mente non obliget ante acceptationem: videatur D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. *in corpore.* Sed vt meliùs explicetur aſſertum præcedens,

Dico trigeſimoſeptimò, promiſſio iurata, ſiue non iurata, interna facta in gratiam hominis per modum voti, eſt adimplenda, quamuis ille cui facta eſt promiſſio, nullum ius acquiſierit eam acceptando, dummodo ſit de meliori bono, aut non impeditiua maioris boni. quia votum Deo factum non eſt illi acceptum, niſi ſit de meliori bono. ergo promiſſio iurata interna facta in gratiam hominis per modum voti non obligat ſi ſit impeditiua melioris boni, votum enim eſt promiſſio melioris boni, teſte D. Thom. quem omnes ſequuntur, 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. *in corpore, fine.*

Dubitatio XX.

XX. *An iuramentum internum, Deo factum in fauorem tertij, ſit ſeruandum ante acceptationem?*

Dico trigeſimooctauò, qui promiſit iurando matrimonium fœminæ, tenetur eam ducere. quia iuramentum homini præſtitum ſeruandum eſt quotieſcunque ſine peccato, & ſine ſalutis æternæ diſpendio ſeruari poteſt, ex *cap. quamuis pactum, de pactis in 6. & cap. cum contingat, de iureiurand.* & notat *ibi* Abb. *num.* 7. qui verò iurauit in mente per modum voti, ducere fœminam in matrimonium, abſolutè non tenetur adimplere tale votum. quia tale internum iuramentum factum Deo, habet rationem voti, & conſequenter debet eſſe de meliori bono; ſed votum matrimonij ineundi non eſt de meliori bono, immo eſt impeditiuum melioris boni, id eſt, cœlibatus. ergo, &c. Videatur Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de matrim. Canone* 10. vbi diffinitur cœlibatum digniorem eſſe matrimonio: videatur Paludanus 4. *diſt.* 38. *quaſt.* 1. *num.* 22. Sanchez *lib. 1. de matrim. diſput. 4. num.* 1. Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. *§. Ad euidentiam huius difficultatis, verſic. Primò abſolutè.*

Dico trigeſimononò, qui iureiurando promiſit Deo ſe ducturum aliquam fœminam in vxorem ob vitandam fornicationem, vel alia peccata carnis, cognoſcens ex frequenti lapſu ſe imbecillem, & inſufficientem ad ſuperandas carnis tentationes, tenetur ad matrimonium. quia attentis circumſtantiis hic, & nunc, melius bonum eſt matrimonium, quàm eius omiſſio. melius eſt enim nubere, quàm vri, 1. *Corinth.* 7. Ita præclarè Caiet. nouiſſimè relatus *verſicul. Secundò poteſt dictum votum,* Nauarr. *ſumma cap. 12. num. 43. ad finem.* licèt Sotus *lib. 7. de Iuſt. q. 1. art. 3. verſic. contra hanc autem.* Arag. 2. 2. *quaſt.* 88. *art.* 2. *ante §. Sed reſtat nunc,* oppoſitum tenuerint.

Dico trigeſimononò, habens concubinam à qua difficillimè recedere poſſet, ſi iuraret, ſeu voueret Deo ſe illam ducturum, vt ſic à peccati ſtatu deſiſteret, niſi mallet Religionem ingredi, teneretur vtique ſeruare votum, ſeu iuramentum factum Deo de illa ducenda. quia hæc circumſtantia, difficillimus ſcilicet receſſus à culpa, facit quaſi maius bonum, quod de ſe eſt minus bonum: videatur Lopez noſter *part. 1. inſtruct. cap. 44. §. Votum abſolutè.* Sanchez *lib. 1. de matrimonio, diſput. 4. num. 7.*

Dvbitatio XXI.

XXI. *An iurans mulieri ſe eam ducturum ad ſubleuandum illius inopiam, teneatur ad iuramentum?*

Dico quadrageſimò, ſi quis iuraret mulieri ſe eam ducturum vt illius inopiam ſubleuaret, tenetur eam ducere. quia iuramentum præſtatur in fauorem hominis; ſed dum aliquid homini promittitur, modò id licitum ſit, nihil refert, perfectius ne, an imperfectius ſit id quod promittitur. ergo: tum, quia licèt Deo minus grata ſit promiſſio matrimonij, quàm perſeuerantia in ſtatu continentiæ, homini tamen cui facta eſt promiſſio matrimonij, magis grata. ergo. Ita præclarè Caietanus 2.2.q.88.*art.*2. §. *Ad rationes autem in oppoſitum.*

Dvbitatio XXII.

XXII. *An iurans Deo, per modum voti, ducere pauperem, vel meretricem in honorem, eiuſdem, teneatur iuramentum implere, præſertim dum id iurat, ſub conditione, quòd vxorem ducat?*

Dico quadrageſimoprimò, iurans tamen Deo per modum voti ducere pauperem in honorem Dei, vel meretricem, vt illa ſe recipiat ad meliorem frugem, non tenetur promiſſionem implere. nam huiuſmodi iuramentum factum Deo per modum voti, non videtur validum, vtpote impeditiuum melioris boni; melius eſt enim abſtinere à matrimonio, quàm illud inire, & melior eſt ſtatus continentiæ, quàm matrimonij; ſed promiſſio, quæ fit Deo per iuramentum, non obligat ſi ſit impeditiua maioris boni, licèt obliget ſi fiat homini; ergo. videatur Bonacina *tom.*2. *tract. de reſtit. diſput.*3.*quæſt.*11.*puncto* 1.*num.*51. Sanch. *vbi ſuprà, num.*12.

Dico quadrageſimoſecundò, probabiliter etiam dici poteſt, promittentem Deo ducere meretricem, vel pauperem in honorem Dei, teneri talem promiſſionem adimplere. quia ſic iurans videtur iuraſſe opus charitatis, & miſericordiæ, eleemoſynam ſcilicet dandam pauperi, ducendo illam abſque dote, & reſipiſcentiam, & emendationem meretricis, opus valde pium. Ita colligitur ex Armilla *verb. votum, n.*51. Henriquez *lib.*11.*de matrim. c.*6.*n.*5. At quod diximus *aſſertione præcedenti* probabilius eſt. quia licèt talis eleemoſyna & reſipiſcentia meretricis ſit opus pium, tamen non eſt materia voti, impedit enim perfectius bonum: nam conſummato matrimonio præcluditur omnino via ad perfectius bonum, nempe ad ſtatum continentiæ, aut Religionis.

Dico quadrageſimotertiò, ſi quis iuraret Deo ſub conditione, ita dicens: Si ducturus ſum vxorem, ducam pauperem, aut meretricem, in honorem Dei, tunc poſito quòd nubat, tenebitur ducere pauperem, vel meretricem, quia melius eſt in honorem Dei ducere pauperem, vel meretricem, quàm aliam: abſolutè tamen ſub iuramento promittens, vel vouens Deo ducere pauperem, vel meretricem in honorem Dei, non tenetur vi voti, vel iuramenti illam ducere. quia matrimonium non eſt legitima voti, aut iuramenti Deo præſtiti materia, impedit enim matrimonium conſummatum altiorem ſtatum continentiæ, aut Religionis: vt diximus cum cit. DD. *aſſertione* 3. *art.*8. *huius diſquiſ.* Immo iurans Deo abſolutè & ſine conditione ducere pauperem, aut meretricem in honorem Dei, poteſt, ſi velit, cum alia contrahere. quia cùm illud iuramentum Deo præſtitum ſit inualidum, liber remanet ſic iurans ab obſeruantia illius; ergo ſi velit, poterit cum alia contrahere. Ita bene notauit Bonacina *tom.*2. *tract. de voto, diſput.*4. *quæſt.*2. *puncto* 1. *num.*21. *verſ. Imò hoc modò vouentem.*

Dvbitatio XXIII.

XXIII. *An iuramentum præſtitum de caſtitate ſeruanda, vel ingrediendi Religionem, validum ſit, dum experitur magna incontinentia? & , An melius ſit nubere, quàm ſeruare iuramentum caſtitatis, in magna incontinentia?*

Dico quadrageſimoquartò, iuramentum Deo præſtitum ſeruandi caſtitatem, vel ingrediendi Religionem, vel non nubendi, factum ab eo cui ſalubrius videtur eſſe matrimonium ob incontinentiam, & frequentem lapſum in res venereas, validum eſt. quia quantumuis aliquis carnis illecebris vexetur, & incontinens ſit, ſi voto caſtitatis ſe deuinciat, aut antea deuinxerit, ſolet à Romano Pontifice diſpenſationem impetrare; ergo ſi eget diſpenſatione, non eſt irritum, ſed validum iuramentum Deo præſtitum per modum voti ſeruandi caſtitatem, ingrediendi Religionem, vel non nubendi, ab eo cui ſalubrius, &c. contra Bonacinam nuperrimè adductum *num.*26.

Dico quadrageſimoquintò, Non obſtat contra præcedens aſſertum ratio, quæ poſſit adduci: nam illi homini qui carnis illecebris maximè vexatur, & frequentes lapſus in res venereas patitur, melius eſt matrimonium contrahere, quàm manere in ſtatu continentiæ; ergo inualidum eſt iuramentum Deo præſtitum ſeruandi caſtitatem, vel non nubendi, factum ab eo, qui carnis illecebris continuò vexatur, cùm ſalubrius ſit iſti matrimonium contrahere, quàm ſeruare caſtitatem, &c. Hoc, inquam, non officit: quia is qui vouit caſtitatem, vel Religionem, quandiu Superior cum eo non diſpenſat, non poteſt certò moraliter ſcire quòd ſibi, vt parti ſaltem communitatis Eccleſiæ, matrimonium ſit melius, quàm ſtatus continentiæ, vel Religionis; imò contrarium potiùs certiſſimum eſt, ſcilicet eum ſtatum eſſe tali, vt parti communitatis Eccleſiæ, atque adeò omnibus conſideraris, meliorem, & Deo gratiorem, quandiu Superior cum eo non diſpenſat: videatur Valentia *tom.* 3. *in* 2.2. *diſput.*6. *quæſt.*6. *de voto, puncto* 5. §. *Ad probationem autem illius ſequela.* Sed vt magis explicetur præcedens aſſertum,

Dico quadrageſimoſextò, licèt patienti frequentes lapſus in res venereas, vt ſingulari perſonæ ſit melius, iuramento Deo præſtito ſeruandi caſtitatem, vel ingrediendi Religionem, minimè ſeruato, ad matrimonium tranſire: at ipſimet vt parti communitatis Eccleſiæ, atque adeò omnibus conſideraris melius eſt, gratiúſque Deo, vt quandiu Superior cum eo non diſpenſat, cenſeatur eo voto obſtrictus. quia plurima mala, & ſcandala in Eccleſiæ communitate futura eſſent, ſi vnuſquiſque ſuo iudicio poſſet ob incontinentiam voto, vel iuramento continentiæ, vel ingrediendi Religionem non ſeruato ad nuptias tranſire; ſed hæc mala in quemlibet tanquam Eccleſiæ partem redundarent. ergo vt hæc mala in Eccleſia, & in membris ipſius euitentur, melius & gratius, &c. Quòd autem multa mala in Eccleſia ex oppoſita ſententia orirentur, patet: nam aperiretur oſtium incontinentiæ, homines enim ad illam procliues obcæcati facilè exiſtimarent adeſſe cauſam, neglecto iuramento continentiæ

Deo præſtito, ant Religionis tranſcundi licitè ad nuptias: atque ita plurima merita continentiæ, & egregia opera Religionis commodirati Eccleſiæ vtiliſſima impedirentur: tum, quia apta materia iuramenti, ſeu voti Deo præſtiti, non eſt id ſolum quod eſt ſalubrius iuranti, ſeu vouenti, vt eſt ſingularis perſona, ſed id quod eſt ſalubrius, & præſtantius eidem, vt pars eſt communitatis Eccleſiæ; ſed ſalubrius & præſtantius eſt iuranti, ſeu vouenti caſtitatem vexato ſtimulis carnis, vt ipſe pars eſt communitatis Eccleſiæ, ſeruare illam, quàm tranſire ad nuptias, vt vitentur in Eccleſia, mala explicata, quæ in illum tanquam Eccleſiæ membrum redundarent. ergo quandiu Superior cum eo non diſpenſat, manebit iuramento, vel voto obſtrictus, cùm omnibus conſideratis melius, & præſtantius ſit iſti ſeruare caſtitatem, aut ingredi Religionem, quàm tranſire ad nuptias: videantur Valentia nuper adductus, Sanchez *lib.4.oper.mor.c.8.n.10.*

Articvlvs XIII.

De iuramento edito de non fornicando, vel non ludendo.

SVMMARIVM.

1. *An iurans non ludere, vel non fornicari, ſub pœna quòd non poſſit abſolui niſi à Sum. Pontif. ſi tranſgreſſus fuerit, poſſit abſolui ab Epiſcopo, vel ab habente eius facultatem.*
2. *An iurans, vel vouens, non cognoſcere fœminas, teneatur ex vi talis iuramenti, à matrimonio abſtinere.*
3. *An iurans fœminæ ſanæ, virgini, & bonæ famæ, nuptias, ſi hæc poſt iuramētū incidat in infirmitatem, vel fornicationem, teneatur ſeruare iuramentum.*
4. *An iurans non offendere inimicum, teneatur ſeruare iuramentum, ſi hic illi nouam inferat iniuriam.*
5. *An iurans non cognoſcere fœminam, peccet contra iuramentum, illam cognoſcendo præpoſterè, vel cum illa tactus turpes habendo.*
6. *An iurans non fornicari, teneatur ſub eodem iuramento abſtinere ab omnibus venereis.*
7. *An iurans non ludere, debeat abſtinere ab omni ludo, etiam licito.*
8. *An iurans non ludere, poſſit ludere nomine alieno.*
9. *An iurans non ludere per ſeipſum, poſſit tradere ſuam pecuniam alteri ad ludendū, ipſo præſente ad ludū.*
10. *An iuramentum non ludendi cum determinata perſona, ſit validum.*
11. *An iuramentum non fornicandi cùm determinata fœmina, ſit validum.*
12. *An iurans non ludere, etiamſi ludus ſecundùm ſe licitus ſit, ſi in illo exponatur ampla pecunia, teneatur abſtinere à ludo.*
13. *An pœnitens, qui ludendo exponit magnam quantitatem pecuniæ, poſſit abſolui à Confeſſario, niſi habeat intenſionem abſtinendi à ludo.*
14. *An Clerici in ſacris conſtituti, vel habentes beneficium Eccleſiaſticum, vel Monachi, poſſint ludere ludis prohibitis alearum, & taxillorum.*
15. *An Clericis ſit interdictus ludus larualis.*
16. *Explicatur quotuplex ſit ludus, & an iurans non ludere, abſtinere teneatur ab omnibus ludis.*
17. *An ſuſceptores luſorum, vacantium ludis mortalibus, ſint abſoluendi nolentes abſtinere ab huiuſmodi ſuſceptione? & an ſuſcipientes ſcienter fraudulentos luſores [illegible] quod iſti cū fraude lucrātur.*
18. *[illegible] peccandi venia[illegible] & ſimiliter, An va[illegible] numquam peccādi mortaliter.*

Dvbitatio I.

I. *An iurans non ludere, vel non fornicari, ſub pœna quòd non poſſit abſolui, niſi à Sum. Pontif. ſi trangreſſus fuerit, poſſit abſolui ab Epiſcopo, vel ab habente eius facultatem?*

Dico primò iurans ſe non ampliùs, e. g. luſurum, vel fornicaturum, ſub pœna, quòd ſi luſerit, vel fuerit fornicatus, non poſſit abſolui, vel diſpenſari præterquam à Romano Pontifice, poteſt adhuc ab Epiſcopo abſolui, immo à ſimplici Confeſſario, niſi aliàs ſit caſus iſte Epiſcopo reſeruatus. nam huiuſmodi iuramentum non aufert ab Epiſcopo iuriſdictionem ordinariam, qua poteſt ab huiuſmodi tranſgreſſionibus abſoluere, vel cum ſic iurantibus diſpenſare: nec aufert poteſtatem commiſſam, ſeu delegatam ſimplici Confeſſario abſoluendi, dummodo eam Epiſcopus non ſibi reſeruauerit.

Dico ſecundò, iurans ſimiliter ſe non ampliùs fornicaturum, ſub pœna, quòd ſi fornicationem commiſerit, teneatur Romam adire, & ab alio non poſſit abſolui, quàm à Summo Pontifice, poteſt adhuc abſolui ab Epiſcopo, vel ab eo cui ſuam delegauit iuriſdictionem. quia, vt diximus, huiuſmodi iuramentum non aufert ab Epiſcopis ſuam iuriſdictionem: quamquam obtenta abſolutione adhuc teneatur Romam adire, niſi etiam quoad hanc partem diſpenſationem obtineat: nam iuramentum quoad hanc partem eſt de re licita & poſſibili.

Dvbitatio II.

II. *An iurans, vel vouens non cognoſcere fœminas, teneatur ex vi talis iuramenti non vti matrimonio?*

Dico tertiò, iurans, vel vouens non cognoſcere fœminam, non tenetur abſtinere à matrimonio ex vi talis iuramenti, vel voti, ſi intentio iurantis, ſeu vouentis colligi nequeat ex motiuo, vel ex aliis circumſtantiis. quia iuramentum, ſeu votum non cognoſcendæ fœminæ iuxta communem intelligendi modum, videtur importare abſtinentiam à cognoſcenda fœmina concubitu illicito: videatur Bonacina *tom.1. tract.de voto, diſp.4 q.2.punct.5.§.5.num.9.*

Dvbitatio III.

III. *An iurans fœminæ ſanæ, virgini, & bonæ famæ, nuptias, ſi hæc poſt iuramentum incidat in infirmitatem, vel fornicationem, teneatur ſeruare iuramentum?*

Dico quartò, qui cum iuramento promiſit nuptias alicui fœminæ ſanæ, virgini, vel bonæ famæ, ſi hæc poſt promiſſionem incidit in infirmitatem, in fornicationem, vel in malam famam, non tenetur ſtare iuramento. Nam promiſſio illa iurata cenſetur facta cum hac conditione, ſi illa fœmina, cui præſtitum eſt iuramentum, non incidat in infirmitatem, in fornicationem, &c.

Dvbitatio IV.

IV. *An iurans non offendere inimicum, teneatur ſeruare iuramentum, ſi hic illi nouam inferat iniuriam?*

Dico quintò, promittentem non offendere inimicum ſub iuramento, non eſſe periurij reum, ſi ex noua inimicitia, & illata denuo iniuria eum offendat.

quia

Digitized by Google

quia illa promiſſio intelligitur ratione iniuriæ præteritæ. Abbas *cap. 2. de renunciat. n.* 10. Similiter promittentem cum iuramento date centum aureos Cain, v.g. non teneri ſeruare iuramentum ſi Caius de amico fiat inimicus, vel de grato ingratus: nam promiſſio iurata intelligitur facta ſub tacita conditione, ſi ſe inimicum, vel ingratum Caius non præbuerit.

Dvbitatio V.

V. *An iurans non cognoſcere fœminam, peccet contra iuramentum illam cognoſcendo præpoſterè, vel cum illa tactus turpes habendo?*

Dico ſextò, iurans, vel vouens non cognoſcere fœminam, non peccaret contra iuramentum non cognoſcendæ fœminæ ſi cognoſceret illam ſodomiticè. quia id peccatum non eſt cum fœmina vt talis eſt; ergo cognitio fœminæ ſodomiticè non comprehenditur ſub tali iuramento, ſeu voto emiſſo. Similiter peccando contra naturam cum aliis eiuſdem ſexus, vel pollutione voluntaria abſque deſiderio concubitus fœminei, & moroſa in illum delectatione, non peccat contra id iuramentum, ſeu votum, quia iſta peccata non eſſent cum fœmina.

Dico ſeptimò, iurans non cognoſcere fœminam, ſi tactus turpes habeat cum illa, peccat contra iuramentum emiſſum. quia cùm tactus turpes fœminarum non habeant ſpeciem conſummatam, & ſint via ad concubitum cum fœmina, pertinent ad eandem ſpeciē concubitus cum fœmina; ergo vi illius præſtiti iuramenti habent eandem prohibitionem; ergo iurans non cognoſcere fœminam, ſi tactus turpes habeat cum illa, peccabit contra id iuramentum. Cæterùm copula ſodomitica cum fœmina, habet ſuam ſpeciem completā, nec dicitur congreſſus cum fœmina, vt talis eſt, ideo iurans non cognoſcere fœminam, ſodomiticè illam cognoſcens, non ageret contra iuramentum emiſſum: videatur Sanchez *lib. 4. ſumma c.* 21. *n.* 27.

Dvbitatio VI.

VI. *An iurans non fornicari, teneatur ſub eodem iuramento, abſtinere ab omnibus venereis?*

Dico octauò, iurans non fornicari tenetur ſub iuramento ab omnibus venereis abſtinere extra matrimonium, & peccat contra id iuramentum admittendo quodlibet venereum extra matrimonium. quia iuramentum de aliqua re emiſſum, dum de contraria intentione non conſtat, intelligitur inſtar præcepti de illa re; ſed præceptum non fornicandi comprehendit omnia venerea extra matrimonium. ergo iurans non fornicari, tenetur ſub iuramento ab omnibus venereis extra matrimonium abſtinere, & peccat contra id iuramentum admittendo, &c.

Dvbitatio VII.

VII. *An iurans non ludere, debeat abſtinere ab omni ludo, etiam licito?*

Dico nonò, iuramentum non ludendi intelligitur de ludo illicito, non verò de licito, qui recreationis gratia ſuſcipitur, niſi aliter coniiciatur de iurantis intentione, quia hæc videtur eſſe benigna intentio iurantis: tum, quia vbi agitur de obligatione contrahenda, ſtricta interpretatio facienda eſt, *cap. id eſt, de iureiurand. in* 6. ergo iuramentum quoad ſui obligationem reſtringendum eſt, vt quantum fieri poteſt minus obliget: ergo iurans non ludere, ſi non

conſtat ſibi de ſua intentione, obſtringitur à ludo illicito abſtinere, non autem à licito, qui ſit recreationis gratia: videatur Rodriquez *part. 1. ſummæ cap.* 189. *num.* 10. Ludus autem illicitus intelligitur ludus in magna quantitate, quando magna quantitas pecuniæ periculo amiſſionis exponitur. Videatur Nauarr. *ſumma cap.* 12. *num.* 11. Hæc autem parua, vel magna quantitas prudentis arbitrio menſuranda eſt penes ludentis facultates.

Dico decimò, iuramentum non ludendi ſi conſter iurantem voluiſſe ſe obligare ad abſtinendum ab omni ludo etiam licito, validum eſt iuramentum, & ex vi iuramenti tenebitur iurans abſtinere à ludo etiam licito: nā licèt ludus honeſtus ſit actus virtutis Eutrapeliæ, vt docet D. Th. 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. Nihilominus eius omiſſio eſt melior, cùm ludus etiam honeſtus inducat mentem ad res terrenas; ergo eius omiſſio eſt materia voti, cùm ſit melius bonum: tum, quia quamuis matrimonium licitè contrahatur, eius tamen omiſſio eſt perfectior & melior, & conſequenter validum eſt iuramentum de non nubendo, vtpote factum de meliori bono. ergo cùm omiſſio omnis ludi ſit melior, &c. Ita bene Sotus *lib. 7. de Iuſt. quæſt.* 2. *art.* 1. §. *Concluſio ergo non eſt dubia, verſ. contra hoc autem.* licèt Nauarr. *tom.* 1. *conſil. lib.* 3. *de voto, conſil.* 36. tenuerit votum, & iuramentum non ludendi ludo honeſto, & virtutis Eutrapeliæ, non tenere, nec obligare iurantem; ſed quod diximus eſt probabilius, quod docuit Palud. *in* 4. *diſt.* 38. *q.* 1 *num.* 22.

Dico vndecimò, qui timore iacturæ facultatum iurauit abſtinere à ludo, tenetur abſtinere à ludo non ſolùm illicito in magna quantitate, verùm etiam licito in parua quantitate, præcipuè ſi adeſt probabile periculum ita in ludo incaleſcendi, vt magna pecunia prodigatur, & periculo amiſſionis exponatur. nam hæc videtur intentio iurantis ad vitandam iacturam, quæ fieri poteſt non ſolùm in ludo illicito, verùm etiam in licito, quando adeſt probabile periculum ita in ludo incaleſcendi, &c.

Dico duodecimò, iurans abſtinentiam à ludo ob timorem iacturæ facultatum, ſi modicam pecuniæ ſummam ludo exponit, & non adeſt probabile periculum exponendi magnam quantitatem, ludendo non committit culpam pluſquam venialem. quia ſatis eſt probabile, vt ſuprà diximus *art.* 10. *aſſert.* 7. iuramentum promiſſorium in materia parua non obligare, niſi ſub culpa veniali ratione paruitatis materię, vt locis adductis *aſſert.* 7. *art.* 10. *huius diſquiſ.* docent Sotus, Syl. Nauarr. Henriquez, Sanchez *lib. 3. operis moralis, cap.* 18. *num.* 3. contra Bonacinam *tom.* 2. *tract. de iuramento, diſput.* 4. *quæſt.* 5. *puncto* 16. *num.* 5. §. *Tertiò eum, verſ. Sed contrarium,* &c.

Dvbitatio VIII.

VIII. *An iurans non ludere poßit ludere nomine alieno?*

Dico decimotertiò, iurans non ludere per ſeipſum, neque nomine proprio, neque alieno ludere poteſt, ſi finis iuramenti fuit, iacturam temporis non facere, vt pote quia ludo occupatus ſuo miniſterio non vacabat. quia eandem iacturam temporis facit ſi per ſeipſum ludat, etiamſi alieno nomine ludat; iurans verò abſtinentiam à ludo, ſi huius iuramenti finis fuit vitare iacturam pecuniarum, poteſt ludere nomine alieno. quia cùm nullam propriæ pecuniæ iacturam faciat, intentio iurantis non fertur ad hoc.

Dico decimoquartò, iurans abſtinentiam à ludo, ſi finis quo mouetur ad tale iuramentum præſtandum, fuit vitare rixas, diſcordias, blaſphemias, & ſimilia

ex ludo orta, ſi hæc naſcuntur ex eo ſolùm quòd iacturam pecuniarum in ludo faciat, tunc poterit ludere nomine alieno. quia tunc non adeſt cauſa diſcordiarum, rixarum, & blaſphemiarum, cùm nullam faciat iacturam pecuniarum, ſi nomine alieno, & non proprio ludat. ergo, &c.

Dico decimoquintò, iurans abſolutè non ludere, ſi intentio ipſius colligi non poteſt ex coniecturis, quo fine ſcilicet ductus tale iuramentum emiſit, tunc non ſolùm non poteſt nomine proprio ludere, verùm etiam neque alieno. quia ludus factus nomine alieno, eſt propriè ludus. ergo licèt Sanchez *cit. aſſert. 20. art. 12. huius diquiſ. num. 6. fine*, tenuerit poſſe hunc nomine alieno ludere. quia damna ex ludo oriri ſolita, quæ iurantes abſtinentiam à ludo intendunt frequentiſſimè vitare, non oriuntur quoties quis nomine alieno ludit.

Dubitatio IX.

IX. *An iurans non ludere, poßit tradere ſuam pecuniam alteri, ad ludendum ipſo præſente ad ludum?*

Dico decimoſextò, præſtans iuramentum abſolutè abſtinentiæ à ludo, poteſt tradere pecuniam alteri ad ludendum ſuo nomine, & inſpicere ſocium ludentem, niſi aliter colligatur de mente iurantis. quia non emiſit votum de non tradenda alteri pecunia, vel inſpiciendis ludentibus, ſed de non ludendo, neque aliter conſtat de intentione ipſius.

Dico decimoſeptimò, non obſtare contra præcedens aſſertum, rationem quæ poſſet in contrarium adduci: nam finis iuramenti abſtinentiæ à ludo eſt vitare iacturam propriarum pecuniarum, ſeu temporis iacturam, vel ſimul iacturam pecuniarum, & temporis, facit ſæpè ſæpiùs iurantem non ludere, dum alter nomine ipſius ludit, & ipſe ludo aſſiſtit; ergo non poteſt tradere pecuniam alteri vt nomine ipſius ludat, &c. hoc, inquam, non officit, quia hic verè non dicitur ludere; ergo traditio nummorum vt alter nomine tradentis ludat, non comprehenditur ſub materia per iuramentum interdicta: vnde non ſufficit quòd concurrat idem finis ſi res geſta verè, & propriè non comprehendatur ſub materia promiſſa.

Dubitatio X.

X. *An iuramentum non ludendi cum determinata perſona, ſit validum?*

Dico decimooctauò, iuſiurandum non ludendi cum perſona determinata, vel in domo determinata, vel in determinato ludo manente libertate ludendi cum aliis, & in aliis locis, & in aliis ludis, communiter non obligat. quia eſt de re indifferenti. Ita benè Sotus *lib. 7. de Iuſtit. queſt. 1. art. 3. His demum inſtructus*. Arag. 2. 2. *queſt.* 88. *art. 2.* §. *Dico 2. verſic. Infero ſecundò.*

Dico decimonond, iuramentum abſtinentiæ à ludo cum tali perſona, quia illa perſona eſt occaſio rixarum, ſimiliter iuramentum non ludendi tali ludo, ſi iſte ludus eſt ſpecialiter occaſio magnæ iacturæ pecuniarum: ſimiliter iuramentum non ludendi in domo determinata. quia illa domus ſpecialem rixarum occaſionem habet: hæc iuramenta ſunt valida. quia res illæ promiſſæ ſub iuramento non ſunt indifferentes, ſed bonæ, & gratæ Deo. ergo, &c. Ita clarè colligitur ex Soto *loco* nouiſſimè *adducto*, & ex Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art. 2.* §. *Circa indifferentia verò.*

Dubitatio XI.

XI. *An iuramentum non fornicandi determinata fæmina ſit validum?*

Dico vigeſimò, iuramentum verò non fornicandi cum certa fœmina, puta cum Berta, eſt validum, abſolutè loquendo, etiam relicta libertate fornicandi cum cæteris aliis fœminis. quia abſtinentia à quacunque re mala, eſt de ſe honeſta, & bona, abſolutè loquendo; ergo cùm fornicari cum Berta ſit ſecundùm ſe malum, abſtinentia à fornicatione cum Berta erit bona. ergo materia congrua iuramenti: tum, quia valet iuramentum non exercendi alicuius operis ſeruilis in diebus feſtiuis, etiam ſi relinquatur facultas alia ſeruilia exercendi; ergo ſimiliter, &c.

Dico vigeſimoprimò, iuramentum non fornicandi cum certa fœmina, licèt relinquatur facultas fornicandi cum aliis, validum eſt ſi aliquo fine honeſto abſtinentia ab illa certa fœmina afficiatur, puta ſi finis non fornicandi cum illa ſit vitare rixas, & diſcordias cum aliis concurrentibus ad fornicandum cum illa, vel vitare iacturam maximam pecuniarum, vel vitare aliam mali occaſionem vltra fornicationem. quia tunc aliquo fine honeſto afficitur non fornicare cum illa certa perſona. ergo res illa promiſſa bona eſt. ergo materia iuramenti.

Dico vigeſimoſecundò, iuramentum tamen emiſſum non fornicandi cum certa fœmina, ſi abſtinentia ab eius fœminæ concubitu ordinetur ad vindictam de illa ſumendam, vel eo quòd deformis, parùmque voluptatis eius concubitus afferat, ſi remanet facultas iuranti cum aliis fœminis fornicandi, videtur irritum. quia tunc finis rei promiſſæ malus eſt, nempe vindicta ſumenda de fœmina illa fornicaria. ergo vi iuramenti tunc fornicans cum illa, non tenetur ab illo concubitu abſtinere, ſed tantùm ob ſolam malitiam fornicationis abſtinere aſtringitur: videantur pro hac aſſertione, & duabus præcedentibus, Caietanus, Sotus, Arag. *loc. cit.* Sanchez *lib. 4. oper. moral. cap. 7. num. 17.*

Dubitatio XII.

XII. *An iurans non ludere, etiam ſi ludus, ſecundùm ſe, licitus ſit, ſi in illo exponatur ampla pecunia, teneatur abſtinere à ludo?*

Dico vigeſimotertiò, iurans non ludere neceſſariò, tenetur abſtinere à ludo in quo ampla pecunia exponitur ludenda. nam talis ludus eſt illicitus, & vix ſine peccato mortali exercetur. quia huiuſmodi ludus vix exercetur abſque rixis, diſcordiis, & periuriis, blaſphemiis, vel fraudibus, præſertim inter viros nulla ingenuitate præſtantes; ergo vix vacat culpa lethali. ergo iurans non ludere, neceſſariò tenetur abſtinere, &c. Abſtinentia enim à culpa lethali legitima iuramenti materia eſt: videatur pro hac aſſertione Sotus *lib. 4. de Iuſt. quæſt. 5. art. 2. verſic. Vix tamen dum ampla.* Lopez noſter *p. 2. Inſtruct. cap* 31. §. *Secunda propoſitio.*

Dubitatio XIII.

XIII. *An pænitens qui ludendo exponit magnam quantitatem pecuniæ, poßit abſolui à Confeſſario, niſi habeat intentionem abſtinendi à ludo?*

Dico vigeſimoquartò, luſor qui propter ludum ſubtrahit ſuæ familiæ, videlicet vxori, & filiis

neceſſaria

neceſſaria ad victum, & veſtitum, vel in ludo, habet in vſu admiſcere graoes fraudes, perioria, blaſphemias, vel ſi ſolitus ſit aduerſùs à ſe lucrantes magnum odium concipere, graues rixas, & diſcordias excitare, non eſt abſoluendus in ſactamentali confeſſione, ſi noluerit deſiſtere à tali ludo, qui cum mottalibus iſtis circumſtantiis exercetur. quia pœnitens tenetur, dolere in ſacramentali confeſſione de præteritis oulpis, & cauere à mottalibus circumſtantiis in futurum; ergo luſor ſi non habet propoſitum deſiſtendi à tali ludo, qui cum mortalibus iſtis circumſtantiis exercetur, non eſt abſolueodus. Ita Lopez *loc. cit.* §. *Quare pro hoc ſit*, citans Medinam *in Inſtruct. lib. 1. cap. 13.*

Dico vigeſimoquintò, laici etiamſi magnam pecuniarum copiam ludo exponant, principaliter propter lucrum, & quæſtum, dum abſunt prædictæ circumſtantiæ mortales, à Confeſſariis abſolui poſſunt, etiamſi in tali caſu animo abſtinendi à tali ludo careant. quia his mottalibus ſeclusis circumſtantiis tantùm eſt veoiale ad quæſtum & luctum ludere, etiamſi magna quantitas pecuniarum in ludo exponatur; ergo cùm obicem non ponant abſolutioni, & gratiæ, quæ confertur in ſactamento, & ſi in hoc caſu animo abſtinendi à tali ludo careant, abſoluendi ſunt: nam abſolutionis ſunt capaces ſi alia peccata confiteantur ſimul cum iſto à quibus in futurum habent propoſitum abſtinendi: videatur Lopez *loco citato.* §. *Quinta propoſitio.* Nauarr. *ſumma cap. 19. n. 10. verſicul. Quartò quod non audeo.* Sayt. *lib. 11. cap. 12. in Claui Regia, num. 41. fine.*

Dubitatio XIV.

XIV. *An Clerici in Sacris conſtituti, vel habentes beneficium Eccleſiaſticum, vel Monachi, poſſint ludere ludis alearum, & taxillorum?*

Dico vigeſimoſextò, mortale tamen eſt peccatum Clericis in Sacris conſtitutis, vel Monachis, ludis prohibitis alearum & taxillorum frequenter vacare in notabili quantitate, & gratia quæſtus. quia ex ſacris canonibus ſtatim citandis Clerici aleatores iubentur à beneficio remoueri; ſed hæc pœna non infligitur niſi propter peccatum mortale. ergo: videatur *cap. Clerici 15. de vita, & honeſtate Clericorum*, & *cap. inter dilectos, 11. de exceſſibus Prælatorum*, & Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. cap. 1. de Reformatione* Sotus *lib. 4. de Iuſt. quæſt. 5. art. 2.* §. *Quamobrem, verſ. Sacerdotibus autem.* Azot. *1. part. lib. 5. cap. 27. dub. 2.*

Dico vigeſimoſeptimò, Clerici in ſactis Ordinibus conſtituti, vel habentes beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſemel, bis, vel ter per annum ſic luſerint aleis, vel taxillis, non ſunt damnandi peccati mortiſeri ſi abſit ſcandalum: nam ius commune ſolùm punit aleatores, quod nomen, ſicut ſimilia nomina, vt eſt communis omnium ſenſus, ſignificat aſſiduitatem, & frequentiam actus. ergo ſi ſemel, bis, vel ter per annum luſerint, ſi abeſt ſcandalum, &c. Videatur Azor. noniſſimè relatus, Leſſ. *lib. 2. de Iuſt. c. 26. dub. 1. n. 6.*

Dico vigeſimooctauò, Clerici in Sacris conſtituti, vel habentes beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſecluſo ſcandalo, modicum quid gratia ſolatij, & recreationis luſerint taxillis, & aleis, etiam ſi crebrò ad breue tempus ſic luſerint, non ſunt damnandi culpæ lethalis. quia hoc tempore Canones præcitati non videntur recepti, niſi quatenus prohibent id fieri cum ſcandalo; ergo ſi in loco ſecreto, & abſque ſcandalo aliorum, modicum quid, gratia ſolatij, & recreationis ad breue tempus, etiam ſi crebrò Clerici in Sacris conſtituti, vel habentes beneficium Eccleſiaſticum hiſce ludis luſerint, non ſunt, &c. videatur pro hac aſſertione Caiet. *2. 2. q. 168. a. 3.* §. *Ad dubium tertium, verſ. de circumſtantia autem perſonæ*, vbi addit quòd rationabili cauſa ſubſiſtente, ſi abeſt ſcandalum abſque omni culpa, poteſt Clericus ad aleas ludere, puta ſi Clericus infirmus nõ poteſt alia via à ſomno auerti: ex leuitate autem & ſine ſcandalo ludere Clericis veniale eſt. Ita Caiet. videatur etiam Leſſ. *loco* nuperrimè *adducto*, Lopez noſter *p. 2. inſtr. c. 31.* §. *Sit ergo ſexta propoſitio, verſic. Secus eſt ſi ſecluſo.* Salon. *2. 2. q. 5. art. 6. de dominio, controu. 1. concluſ. 2.* §. *Dixi in hac 2. concluſione.*

Dubitatio XV.

XV. *An Clericis ſit interdictus ludus laruualis?*

Dico vigeſimononò, Clericis tamen omnibus in Sacris conſtitutis interdicitur ludus laruualis, quem exercent perſonati ſub peccato mortali. quia non poſſunt habitum mutare ſine cauſa rationabili. Ita Sayt. *lib. 11. Clauis Regiæ, c. 12. n. 4.* §. *Quod intelligendum eſt.* quibus addo Salon. *loco* nuper *allegato, paulo poſt ſecundam concluſionem, verſ. vbi non deſinam*, & multo magis Religioſis talis ludus laruualis prohibetur: quia ſub cenſura *cap. 1. ne Clerici, vel Monachi 6.* illis interdicitur, ne ſine iuſta cauſa habitum ſuæ Religionis mutent. Excuſandi ſunt fortè à mortali culpa Clerici ludos laruales facientes ſi id faciant breui tempore, & abſque ſcandalo: breue autem tempus hoc loco appellarem vnam horam. Ita Bonacina *tom. 2. tract. de reſt. diſput. 2. q. 3. puncto 1. n. 17.* Sed vt clariùs explicentur præcedentes aſſertiones, maximè 9. & 10.

Dubitatio XVI.

XVI. *Quotuplex ſit ludus, & an iurans non ludere, abſtinere teneatur ab omnibus ludis?*

Dico trigeſimò, triplicem eſſe ludum, primum honeſtum, ſeu virtuoſum, ſiue actum virtutis Eutrapeliæ, qui exercetur recreationis honeſtæ, & ſolatij cauſa: ſecundum ludum malum venialiter, qui exercetur principaliter cauſa lucri, & quæſtus, abſque tamen fraude, & iniuſtitia: tertium malum mortaliter, qui fit in magna pecuniarum quantitate periuriis, blaſphemiis, dolis, & fraudibus plenus. Abſtinentia ab omni iſto triplici ludo eſt apta materia iuramenti: abſtinentia à primo ludo, quia priuatio actus virtutis Eutrapeliæ eſt melior, quàm eius actus. nam hic inducit animum ad res terrenas: priuatio verò eiuſdem potiùs ad cœleſtia; ergo eſt materia apta iuramenti. Abſtinentia ſimiliter à ſecundo ludo malo venialiter eſt congrua materia iuramenti, quia votum de cauendo veniali in aliqua peculiari materia, vt de non mentiendo, eſt validum, vt optimè docet Caiet. *2. 2. q. 88. art. 8. ad finem.* §. *Ad ſecundum verò dubium.* ergo iuramentum abſtinendi à ludo venialiter malo, eſt ſeruandum; ergo abſtinentia à ludo venialiter malo, eſt apta materia iuramenti. Abſtinentia multo magis à ludo mortaliter malo eſt optima materia iuramenti: nam validum eſt votum fugiendi omnia peccata mortalia, nam eſt votum de re moraliter bona, & poſſibili per gratiam Dei; ergo iuramentum abſtinendi à ludo mortaliter malo erit ſimiliter validum, & conſequenter abſtinentia à ludo mortaliter malo erit ſatis apta materia iuramenti: videatur pro prima parte huius aſſertionis Sotus *lib. 7. de Iuſt. q. 2. a. 1.* §. *Concluſio ergo non eſt dubia.* Caiet. *loco cit. pro 2. parte.* pro tertia verò idem doctiſſimus Sotus *lib. 7. de Iuſt. q. 1. art. 3.* §. *Vtrùm verò votum.*

Dvbitatio XVII.

XVII. *An ſuſceptores luſorum, vacantium ludis mortalibus, ſint abſoluendi nolentes abſtinere ab huiuſmodi ſuſceptione? & An ſuſcipientes ſcienter fraudulentos luſores, teneantur reſtituere quod iſti cum fraude lucrantur?*

Dico trigeſimoprimò, ſuſceptores luſorum, qui in domo ſua ſuſcipiunt vacantes luſibus mortalibus, eiſdem menſas ſternentes, aleas, taxillos, chartas, lumina ad ludendum diu noctúque ſubminiſtrant, delinquunt mortaliter. quia huiuſmodi ſuſceptores ludentium luſibus mortalibus illorum culpæ mortali conſentire videntur. nam ad mortale eorum exercitium præſtant iuuamen; ergo non excuſantur à culpa mortali, & conſequenter arbitror non eſſe abſoluendos tales ſuſceptores ludentium luſibus mortalibus ſi deſiſtere à tali iuuamine præſtando noluerint: videatur Lopez noſter *part. 2. Inſtruct. cap. 32. in principio.* Nauarr. *ſumm. cap. 19. num. 16.*

Dico trigeſimoſecundò, non obſtat contra præcedens aſſertum ratio quæ in contrarium adduci poſſet. nam vendere ornamenta, & fucos meretrici ad excolendum & venuſtandum corpus, non eſt mortale; ergo nec etiam ſi quis huiuſmodi aleatores receptet domi, aleas, taxillóſque ſubminiſtrando ad ludendum luſibus mortalibus, illi erit tribuendum ad culpam lethalem. Similiter licet locare domum meretrici ad meretricandum; ergo multo magis aberit à culpa ſuſcipere huiuſmodi luſores domi ad ludendum. Reſpondetur ad vtrumque, argumentum negando conſequentiam, multum enim diſcriminis eſt inter caſum noſtræ aſſertionis, & inter exempla in argumentis allata: nam vendere ornamenta & fucos meretrici, ſimiliter locare eidem domum, nulla lege humana eſt prohibitum: at verò aleatores hos domi receptare, eiſque ſubminiſtrare aleas, & taxillos, ſternere menſam diu, noctúque, præbere lumina, lege humana interdictum eſt, adiuncta graui pœna, vt patet *l. 1. ff. de alea luſu, & aleatorib. & Auth. alearum vſus, C. de Relig. & ſumpt. funer.* Sed lex iſta iuſtiſſima eſt propter immenſa damna ex eo ludo mortali alearum & taxillorum conſurgentia; ergo ſufficientiſſimam habuit rationem, vt ſub mortali obliget tranſgreſſores: vnde non eſt eadem ratio inter caſum noſtræ aſſertionis, & exempla allata in argumentis: videantur pro hac ſolutione Lopez & Nauarr. *locis cit.* Caſtro *lib. 1. de lege pœnali, c. 12. verſ. ſecunda pars.* Sanchez *lib. 1. oper. mor. c. 7. n. 39.*

Dico trigeſimotertiò, neque officere videtur contra noſtram aſſertionem. Nam ſi iſte ſuſceptor luſorum luſibus mortalibus ad aleas, vel taxillos non ſuſciperet in domo ſua, eiſque menſam ſterneret, aleas, taxillóſque ſubminiſtraret: alij tamen eſſent parati ad ſimilia ſubminiſtranda; ergo lethaliter non peccant, &c. Reſpondetur negando conſequentiam, ſicuti non excuſatur percuſſor occidens hominem, quòd ſi ipſe illum non percuſſiſſet, alius occidiſſet. quia ſi aliquis dominus ſuis famulis præciperet, vt occiderent Caium, v.g. & cùm quiſque eorum vellet & poſſet illum occidere, vnus anticiret, & occideret, non excuſaretur à reſtitutione, nec etiam ab extremo ſupplicio per ipſum iudicem infligendo, ob id quòd vel dominus fieri præceperit, vel quod etiam ſi homicidium illud non perpetraſſet, alius iuſſu eiuſdem, vel omnes ſimul illud erant perpetraturi. Ita ſimiliter, &c. Videatur Nauarr. *ſumma, cap. 17. num. 20.*

Dico trigeſimoquartò, ſuſcipientes in domo ſua fraudulentum luſorem, ſternentes menſam, & miniſtrantes aleas, vel taxillos, ſi ille ludendo per fraudem aliquid lucratur, ſi ſint conſcij talis fraudis, luſore non reſtituente tenentur ad reſtitutionem: vel ſi talis luſor lucrifacit aliquid à minore ſub paterna cura, vel tutore conſtituto, interatur id non reſtituente, ſuſceptor qui in domo ſua miniſtrauit aleas ad ludendum, vel taxillos, ad id tenetur, quia qui cauſam damni dat, ipſum damnum dediſſe videtur, *l. qui occidit, §. in hac, ff. ad legem Aquil.* Ita Lopez noſter *part. 2. Inſtruct. cap. 32. §. iam ſcitis*, citans Nauarrum, & Ioſephum Angles *part. 2. florum Theologicarum qq. queſt. de ludo, dub. 6. propoſitione 3. verſic. perinde etiam*

Dvbitatio XVIII.

XVIII. *An iurans, vel vouens Deo, numquam peccandi venialiter, iuramentum ſit validum? & ſimiliter, An validum ſit iuramentum numquam peccandi mortaliter?*

Dico trigeſimoquintò, iurans, ſeu vouens Deo nunquam peccandi, aut nunquam peccandi venialiter, ad nihil ex vi huius iuramenti, ſeu voti obligatur, quia inualidum eſt tale iuramentum, ſeu votum Deo factum: nam videtur iuramentum, & votum de re moraliter impoſſibili, cùm nemo poſſit cum ſolo Dei auxilio ordinario vitare omnia peccata venialia: ſi enim dixerimus (vt ait D. Ioannes) quoniam peccatum non habemus, ipſi non ſeducimus. ita præclarè Sotus noſter *lib. 8. de Iuſt q. 1. art. 3. verſ. vtrùm verò votum*, contra Nauarr. *ſumma, c. 12. n. 34.* vbi ait iurantem, ſeu vouentem Deo in genere ſe ampliùs non peccaturum, teneri dum peccat exprimere voti circumſtantiam.

Dico trigeſimoſextò, valeret tamen iuramentum, & votum vitandi omnia venialia, quando conſtaret intentionem iurantis fuiſſe obligare ſe ad illa vitanda, non collectiuè, id eſt, per modum vnius, ſed diuiſiuè. quia diuiſiuè eſt moraliter poſſibile quodlibet veniale in particulari, & independenter ab alio vitare: tum, quia licèt ſint aliqua peccata venialia, quæ omnino vitare collectiuè ſit moraliter impoſſibile, at nullum eſt quod diuiſiuè hîc, & nunc moraliter vitari non poſſit. Ita Sanchez *lib. 4. oper. mor. cap. 5. num. 14.*

Dico trigeſimoſeptimò. Non obſtare contra has duas immediatas aſſertiones id, quod poſſet obiici. nam qui iuraret per modum voti Deo confiteri omnia peccata venialia, iuramentum eſſet validum, & vi iuramenti teneretur ſaltem confiteri ea, quæ moraliter occurrunt. ergo ſimiliter qui iurauit Deo omnia peccata venialia vitare, validum erit iuramentum, & vi iuramenti tenebitur vitare ea, quæ moraliter poteſt vitare. ergo tenebitur ſi peccat venialiter, exprimere in confeſſione circumſtantiam iuramenti emiſſi. Similiter ſi quis iuraret ieiunare totam Quadrageſimam in pane, & aqua, vel dare alicui Eccleſiæ centum aureos: validum eſſet iuſiurandum Deo præſtitum, & ſi non poteſt iuramentum ſeruare quoad totum, tenetur ſaltem ſeruare partem poſſibilem. ergo idem erit dicendum in noſtro propoſito, cùm ſit vtriuſque vna, & eadem ratio. Hæ rationes non officiunt contra duas noſtras proximas aſſertiones: vnde ad hæc argumenta conceſſis antecedentibus negatur conſequentia. Nam qui iurauit, vel vouit Deo ieiunare totam Quadrageſimam, vel confiteri omnia venialia, aut dare centum aureos, ſenſus illius iuramenti, ſeu voti eſt, quòd ſic iurans, & vouẽs intẽdit ſe obligare ad id quod ipſe facere poteſt.

Quare

Digitized by Google

Quare cùm obiectum huius iuramenti, ſeu voti ſit bonum, & poſſibile, validum erit. Cæterùm quando quis iurat, & vouet omnia peccata venialia vitare, iuramentum, & votum cadit ſupra totam materiam ſimul ſumptam, quæ cùm moraliter & collectiuè ſit impoſſibilis, ipſum quoque iuramentum, & votum reddit nullum, neque obligatorium. Ita bene Arag. 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 2. § *Si quis autem quærat, vtrùm qui vouerit.*

Dico trigeſimooctauò, iuramentum Deo præſtitum nunquam peccandi mortaliter, eſt validum & obligatorium. quia eſt de bono, & obiecto moraliter poſſibili per gratiam Dei, quam omnibus concedere eſt paratiſſimus: conſulendum tamen erit ne huiuſmodi iuramentum fiat, præſertim quantum ad peccata cordis, quæ maxima cum difficultate cognoſci poſſunt, & difficile cauentur. Ita Sotus *lib. 7. de Iuſtit. q. 1. art. 3. verſic. vtrùm verò votum.* Arag. nouiſſimè relatus, §. *Circa eandem quartam concluſionem.* licèt Nauar. *ſumma c. 12. n. 65. verſic. Item votum*, renuerit iuramentum, & votum factum Deo de nunquam peccando mortaliter eſſe de re tam difficili, vt non obliget, ac facilè in illo diſpenſari valeat.

Articvlvs XIV.

De iuramento emiſſo à Medicis in ſua profeſſione.

Svmmarivm.

1. *An Medici non admonentes infirmum vt confiteatur poſt tertium diem infirmitatis, peccent peccato periurij, & teneantur iuramentum ſeruare, vbi non eſt in vſu, nec ſperatur fructus monitionis? &, An debeant id facere per ſe, vel poſſint etiam per alium.*
2. *An æger, qui admonitus non vult confiteri, debeat dimitti à Medico, cum periculo grauioris morbi.*
3. *An illud iuramentum obliget Medicos, etiam quando morbus non eſt periculoſus.*
4. *An Medicus teneatur ad hanc monitionem, etiam cum periculo vitæ, vel magno damno bonorum temporalium.*

Dvbitatio I.

I. *An Medici non admonentes infirmum vt confiteantur poſt tertium diem infirmitatis, peccent peccato periurij: & teneantur iuramentum ſeruare, vbi non eſt in vſu, nec ſperatur fructus monitionis? &, An debeant id facere per ſe, vel poſſint etiam per alium?*

Dico primò, Medici non admonentes ægrotum vt cõfiteatur, illúmque viſitantes, nondũ facta poſt tertium diem confeſſione, incurrunt culpam periurij. quia faciunt contra iuramentum emiſſum: nam Sanctiſſimus Pius V. in ſuo quodam Motu proprio, edito 1566. cuius initium eſt, *Supra gregem Dominicum*, præcipit Vniuerſitatibus & Collegiis, vt dum licentiam medendi alicui conceſſerint, exigant ab eo iuramentum, ne vltra tertium diem ægrotum viſitent, niſi moneant ægrotum vt confiteatur, & per Confeſſarij ſcriptum ipſi de infirmi confeſſione fides fiat: ergo. videatur conſtitutio Sanctiſſimi Pij V. in Bullario, quæ eſt in ordine tertia.

Dico ſecundò, Medici non ſeruantes hoc decretum vbi non eſt receptum, non peccant contra hoc præſtitum iuramentum. quia iuramentum cenſetur factum de ſeruando decreto, quatenus obligat, vbi autem non eſt receptum, non obligat: videatur pro hac aſſertione Caiet. *ſumma verb. Medici, num. 6. § Siſte pedem.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſput. 35. ſect. 3. num. 5:* Sanch. *lib. 3. oper. mor. cap. 16. num. 15.*

Dico tertiò, Medici ad hoc præceptum ſeruandum tenentur, dum ſperatur admonitionem profuturam, propterea ſi conſtet admonitionem non eſſe profuturam, Medici non tenentur admonere. quia admonitionis ratio tunc ceſſat: ſi verò dubitatur an ſit profutura, obligat præceptum, & iuramentum. quia in dubio tenetur homo vitare notabile damnum proximi, ſi poteſt. Ita bene Syl. *verb. Medicus, quæſt. 3. § Quartum ſi autem.*

Dico quartò, hanc monitionem ſatis eſſe, ſiue fiat per ipſummet Medicum, ſiue per alium. nam decretum Innocentij III. *cap. cùm infirmitas, de pœnitent. & remiſſ.* & Motus proprij Sanctiſſimi Pij V. cuius initium eſt, *Super gregem Dominicum*, quod intendunt, eſt vt æger Sacramenta recipiat, ſed id obtineri poteſt admonente Medico, vel aliis. ergo nihil refert qui ipſum admoneat: videatur Armill. *verb. Medicus, n. 1.*

Dvbitatio II.

II. *An æger qui admonitus non vult confiteri, debeat dimitti à Medico, cum periculo grauioris morbi?*

Dico quintò, ſi æger admonitus confiteri nolit, attento Motu proprio Sanctiſſimi Pij V. iubetur Medicus deſerere infirmum: quod tamen decretum non adeò ſtrictè obligat, vt Medicus teneatur deſerere infirmum, dum eo derelicto, morbus fieret grauior, & infirmus graue pateretur damnum ſi deſereretur: nam præceptum humanum non obligat ad faciendum contra charitatem, ſed charitas præſcribit vt ſubueniatur ægris. ergo. Ita D. Anton. *3. part. tit. 7. c. 2. §. 4.* Sylu. *verb. Medicus, quæſt. 3. dicto 2.*

Dvbitatio III.

III. *An illud iuramentum obliget Medicos, etiam quando morbus non eſt periculoſus?*

Dico ſextò, hoc iuramentum & præceptum obligat Medicos ad ſui obſeruantiam in locis vbi eſt receptum, quando morbus eſt grauis, vel dum periculum eſt vt fiat grauis. quia durum videtur obligare Medicos dum infirmitas eſt leuis, vel non eſt periculum vt fiat grauis: tum, quia infirmus dum graui non laborat infirmitate, non tenetur confiteri; ergo nec Medicus tenetur illum admonere ad confeſſionem: atque adeò aliqui DD. aſſerunt hoc decretum obligare ſolum, dum morbus eſt periculoſus mortis: videatur Syl. *verb. Medicus, quæſt. 3. dicto 3.*

Dvbitatio IV.

IV. *An Medicus teneatur ad hanc admonitionem, etiam cum periculo vitæ, vel magno damno bonorum temporalium?*

Dico ſeptimò, Medicus ſeruare tenetur iuramentum emiſſum admonendi infirmum vt confiteatur etiam cum proprio periculo vitæ, vel magni damni proprij temporalis, quando infirmus eſt in extrema neceſſitate, dum ſcilicet eſt in periculo finiendi vitam, in peccato mortali, ſi adeſt ſpes probabilis fructus & emendationis. quia ex præcepto charitatis tene-

mut vitam ſpiritualem proximi in extrema neceſſitate exiſtentis præferre noſtræ ſaluti temporali; ergo Medicus,&c. Ita colligitur ex S.Th. *in 3. diſt.26. q.2. art.8 ad 2.* vbi ait, Cùm ſcimus fratrem poſſe liberari per mortem corporis à morte animi, ſine periculo animæ noſtræ, tunc ponere animam pro fratre non eſt perfectionis, ſed neceſſitatis: ac ſi diceret, non eſt ſolùm hoc in conſilio, ſed in præcepto: videatur Banoez *2.2.q.33.art.3.dub.4.concluſione 3.*

Dico octauò, alio verò homine faciente admonitionem infirmo in extrema neceſſitate conſtituto vt confiteatur, non tenetur Medicus cum periculo propriæ vitæ & magni damni temporalis iuramentum præſtitum obſeruare. quia vt aliquis in extrema neceſſitate ſpirituali exiſtere dicatur, ad quam ſubleuandam cum periculo vitæ teneamur, duo moraliter conſtare debent, primum eſt vt proximus in æternum damnandus ſit, niſi auxilium ei præbeatur: ſecundò vt non habeat à quo ſubleuetur. ergo ſi adeſt alius admonens infirmum vt confiteatur, Medicus non tenebitur cum periculo vitæ,&c. Videatur pro hac aſſertione D.Thom. *2.2.q.26.art.5.in corpore, & ſolutione ad tertium argumentum.* Sequentibus aſſertionibus explicabimus, quinam obligationem iuramenti tollere, & relaxare poſſint.

Articvlvs XV.

De diſpenſatione & commutatione iuramentorum.

Svmmarivm.

1. *An habens facultatem diſpenſandi, & commutandi vota, habeat eandem in iuramentis.*
2. *An iuramentum poſſit irritari a Superioribus erga ſubditos, à parentibus erga filios, & à dominis erga ſeruos.*
3. *An obligatio iuramenti tollatur per remiſſionem illius, in cuius fauorem præſtitum eſt, etiamſi principaliter præſtitum ſit in honorem Dei.*
4. *An iuramentum factum in fauorem hominis, poſſit commutari, vel diſpenſari, nolente eo, in cuius fauorem præſtitum eſt iuramentum.*
5. *An ad hoc, vt relaxatio iuramenti ſit valida, requiratur iuſta cauſa.*
6. *An in iuramentis caſtitatis, Religionis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ Pontifici reſeruatis, poſſit aliquando ab Epiſcopo diſpenſari.*
7. *An homo, in cuius fauorem, vel obſequium, præſtitum eſt iuramentum, indigeat cauſa, vt illud relaxet.*
8. *An non obſeruans id, in quod iuramentum fuit commutatum, peccet contra iuramentum.*
9. *Explicatur magis, An iuramentum factum in honorem Dei, principaliter tamen in gratiam hominis, poſſit à Prælato Eccleſiaſtico, nolente eo in cuius fauorem præſtitum eſt, diſpenſari.*
10. *An poteſtas delegata commutandi vota, extendatur ad commutanda iuramenta, ſoli Deo facta.*
11. *An quando eiuſdem rei vinculum voti, & iuramentum emittitur, poſſit ab habente facultatem per Bullam, aut Iubileum, commutari tale votum & iuramentum.*
12. *An poteſtas delegata diſpenſandi in iuramentis, extendatur ad diſpenſandum in votis.*
13. *An poteſtas delegata, per Iubileum, aut Bullam, ad diſpenſandum in votis, ſe extendat ad diſpenſandum in iuramentis, factis in fauorem tertij, ſi in illis aliqua turpitudo reperiatur ex parte recipientis.*
14. *An poteſtas delegata per Iubilæum, ad diſpenſandum in votis, ſe extendat ad iuramenta facta in fauorem tertij, qui ea quæ ſub iuramento promittuntur, nondum acceptauit.*
15. *An iurans poſſit a ſe ipſo commutare iuramentum, factum in honorem Dei, in melius, aut in rem euidenter æque bonam.*

Dvbitatio I.

I. *An habens facultatem diſpenſandi & commutandi vota, habeat eandem in iuramentis?*

Dico primò, habens facultatem diſpenſandi ordinariam, & commutandi vota, poteſt etiam diſpenſare, & commutare iuramenta ſoli Deo præſtita: quales ſunt Epiſcopi, ac Superiores Antiſtites, & cæteri Epiſcopalem iuriſdictionem ordinariam habentes. quia cùm arctius ſit vinculum voti, quàm iuriſiurandi habens ordinariam poteſtatem ſuper maius, habebit etiam facultatem ſupra id quod eſt minus, ergo: videatur Azor. *part.1.inſtit.mor lib.11.c.10.q.2.*

Dvbitatio II.

II. *An iuramentum poſſit irritari à Superioribus erga ſubditos, à parentibus erga filios, & à dominis erga ſeruos?*

Dico ſecundò, obligatio iuramenti tollitur per Superiores quibus ſubiecta eſt materia iuramenti per irritationem, & ſic poterunt Superiores irritare iuramenta facta de re ſibi ſubiecta, ſicut poſſunt irritare vota eiuſdem materiæ, & hanc facultatem habent parentes reſpectu filiorum, & filiarum, Superior reſpectu ſubditorum, dominus reſpectu ſeruorum, maritus reſpectu vxoris in his rebus, in quibus tales perſonæ ſunt ſubiectæ. quia nullus iurare poteſt in præiudicium alterius. ergo: videatur ſanctiſſimus Præceptor *2.2.q.89.art.9.ad 3.* Syl. *verb. Iuramentum 5.q.7.*

Dvbitatio III.

III. *An obligatio iuramenti tollatur per remiſſionem illius, in cuius fauorem præſtitum eſt, etiamſi principaliter præſtitum ſit in honorem Dei?*

Dico tertiò, tollitur etiam obligatio iuramenti remiſſione eius, in cuius fauorem præſtitum eſt iuramentum: vt ſi iures te daturum certo pauperi eleemoſynam, paupere condonante obligationem, libereris ab obligatione iuramenti. quia qui hoc modo iurat, cenſetur ſe obligare ſub conditione tacita, ſi ille in cuius fauorem iurat, velit acceptare ergo illo, in cuius fauorem iuſiurandum præſtitum eſt, remittente obligationem, aut nolente obligationem acceptare, iurans liber erit ab obligatione iuramenti: tum, quia tale iuramentum dirigitur in Deum tanquam in teſtem promiſſionis homini factæ. ergo remittente homine, remittit etiam ipſe Deus. Ita præclarè D.Thom. *2.2.q.89.art.9. ad 2.* Sa[...] *lib.5.Clauis Regia,c.7.n.10.*

Dico quartò, etiam quando iuramentum eſt principaliter in honorem Dei præſtitum, vt ſi intuitu pietatis quiſpiam iuret fœminæ pauperi, ſe eam ducturum, & tota res promiſſa cedit in fauorem & commodum partis, parte condonante obligationem, liber erit iurans

iurans à vinculo iuramenti. quia quamuis iuramentum intuitu pietatis Deo præſtitum ſit, ipſe tamen Deus recipit illud in partis commodum & vtilitatem; ergo parte cui debetur condonante talem obligationem, liber erit iurans à vinculo iuramenti. Ita bene Lopez noſter *p.2.Inſtr.de matrim.c.*38.§.*Secus autem eſſet,verſ. Quæritur ergo.an in hoc caſu,fol.*1048.*col.*1. *in principio*, quem ſequitur Sanchez *lib.* 1. *de matrim. diſput.* 52.*num.*8.licèt Sotus *lib.8.de Iuſt.q.*1.*art.*9. *ad* 2. teneat partem negatiuam, iurantem ſcilicet per remiſſionem promiſſionis alterius non manere liberum ab obligatione iuramenti, etiam ſi tota res promiſſa cedat in fauorem partis, ſi iuramentum fuit principaliter in honorem Dei præſtitum: vnde ſi poſt remiſſionem promiſſionis remittens velit poſtea rem promiſſam ſibi dari, tenetur iurans ſeruare iuramentum, dare, e.g. pauperi intuitu pietatis eleemoſynam ſub iuramento promiſſam: quod docet etiam Syl.*verb.ſponſalia,quæſt.*10.*caſu* 1.& eſt probabile.

Dvbitatio IV.

IV. *An iuramentum factum in fauorem hominis, poßit commutari, vel diſpenſari, nolente eo, in cuius fauorem præſtitum eſt iuramentum?*

Dico quintò, iuramentum factum in fauorem hominis qui illud acceptauit, non poteſt commutari, vel diſpenſari, nolente eo in cuius fauorem factum eſt, quando nulla verſatur turpitudo ex parte recipientis iuramentum, nec tenetur rem ſibi iuramento promiſſam reſtituere. quia Superior non poteſt tollere ius alterius ſine vrgentiſſima cauſa; ſed ille in cuius fauorem præſtitum eſt iuramentum, acquiſiuit ius per acceptationem iuramenti; ergo ſi non adeſt vrgentiſſima cauſa, non poteſt, &c. Ita optimè Sotus *lib.8.de Iuſt. q.*1.*art.*9.*in ſolutione ad* 3.*argum.in fine.*

Dico ſextò, ſi aliqua præceſſit iniuria, aut aliqua turpitudo verſatur ex parte recipientis iuramentum, vt quando iuramentum à latrone fuit extortum, ſub promiſſione certæ pecuniæ ad ſeruandam vitam, aut quando factum fuit vſurario tale iuramentum, poteſt relaxari non ſolùm à Papa, verùm etiam ab Epiſcopo. quia per id iuramentum nullùm parti ius acquiritur, ſed ſolùm agitur de reuerentia diuino nomini ſeruanda; ſed Prælatus qui vices Dei gerit, poteſt eius nomine eam obligationem iuramenti relaxare. ergo, &c. Ita bene Syl. *verb.Iuramentum* 4.*q.*7.*dicto* 1.*& eodem verb. Iuramentum* 5. *quæſt.*3. Sanchez *lib.* 1. *de matrim. diſp.*32.*num.*15.

Dico ſeptimò, poteſt conſequenter, loquendo ad præcedens aſſertum, ſimiliter Epiſcopus diſpenſare ſuper iuramento metu extorto: & idem dicendum, quamuis metu coactus aliquis ſit ad iurandum ſe facturum id, ad quod aliàs tenebatur. quia iniuriam paſſus eſt ob violentam iuramenti extorſionem, Syl. *verb.Iuramentum* 5.*q.*3.*fine*: videatur etiam Arag. 2.2. *q.*89 *art.*7.§.*Ad tertium reſpondetur.* Sanchez *loco nouiſſimè adducto, & in ſumma lib.*3.*cap.*21.*num.*6.

Dvbitatio V.

V. *An ad hoc vt relaxatio iuramenti ſit valida, requiratur iuſta cauſa?*

Dico octauò, vt iuramenti relaxatio valida ſit, requiritur iuſta cauſa: nam iuramentum obligat ad ſui obſeruantiam, non ex iure humano, in quo diſpenſatio conceſſa abſque cauſa valet, ſed obſtringit ex iure naturali diuino, in quo nec Pontifex validè diſpenſare poteſt abſque cauſa: cauſa autem ſufficiens ad diſpenſandum in votis, ſufficiet etiam ad diſpenſandum in iuramentis Deo præſtitis, nam hæc vim & rationem voti habent: videatur Sotus *lib.*8. *q.*1. *art.*9. *ſolut. ad* 3.*verſic.In dubium autem repetere.*

Dico nonò, ſi quis iurauit pecuniam debitam creditori ſuo ſoluere, quamuis Pontifex non poſſit illum abſoluere ab illo debito, quin virtute iuſtitiæ ſoluere teneatur, ſi abſque vlla cauſa diſpenſet in iuramento, nō tollitur debitori Religionis. Ratio, quia inſuper tenebatur, & ſic non erit liber à periurio, ſi non ſoluat. quia cùm diſpenſatio in his, quæ ſunt de iure diuino, abſque iuſta cauſa non ſit valida, remanet vinculum iuramenti ſi ſine cauſa illegitimè fiat. ergo erit periurus non ſoluens, &c. Sotus nouiſſimè relatus *verſic.& ideo hîc citra diſpenſationem.*

Dvbitatio VI.

VI. *An in iuramentis caſtitatis, Religionis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ Pontifici reſeruatis, poßit aliquando ab Epiſcopo diſpenſari?*

Dico decimò, iuramenta caſtitatis, Religionis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ, ſi ſint abſoluta, regulariter & vtplurimum reſeruantur Romano Pontifici. quia regulariter continent promiſſionem factam Deo, ac ſubinde votum; ſed vota caſtitatis, Religionis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, Compoſtellanæ ſunt Deo reſeruata. ergo, &c. Ita Caiet. 2.2.*q.*89. *art* 9. *verſicul. & ſimiliter videntur.*

Dico vndecimò, iurans ſeruare caſtitatem ingredi Religionem, pergere Hieroſolymam peregrinationis cauſa, Romam, Compoſtellam, ſi ſolummodo intendit Deum in teſtem adducere, & non reſpicit Deum, quaſi velit aliquid ei offerre in eius obſequium, ſed ſolùm per iuramentum quaſi aſſertorium id ſe facturum affirmat, confirmans nudum propoſitum, non verò promiſſionem Deo factam de ſeruanda caſtitate, de ingrediendo Religionem, &c. tunc poteſt ſuper his iuramentis Epiſcopus diſpenſare. quia iſta iuramenta in tantum videntur non poſſe ab Epiſcopo diſpenſari, in quantum continent votum, & promiſſionem Deo factam; ſed hæc iuramenta eo modo ſpectata, vt dicitur in aſſertione, vt confirmant nudum propoſitum non continent votum. ergo: tum, quia iuramentum vt confirmans nudum propoſitum eſt minus vinculum, quàm votum, teſte D.Th. 2.2.*q.*89.*art.*8. ergo non probatur eius reſeruatio ex reſeruatione voti eiuſdem materię. Ita bene animaduertit Lopez noſter *p.*2.*Inſtr.* vbi *de clauibus,c.*9.§.*Ad punctum denique, verſic. nam ſi ſolum aſſertiuè.* Valentia 2.2.*tom.*3.*diſp.*6.*q.*7 *punct.*2.§ *Secundum eſt.* Sanchez *lib* 8.*de matrim.diſp.*13.*n.*4.

Probabilius tamen & verius oppoſitum mihi videtur, quia ſummus Pontifex reſeruans ſibi aliqua vota per generalem conſuetudinem, etiam cenſetur reſeruate iuramenta de eiſdem rebus; videatur Caiet. *loco cit & ibi* 2.2.*quæſt.*89.*art.*9. Arag. *dicto* 4. Laymann *tom.*2.*lib.*4.*tract.*3.*c.*11.*n.*4.§.*Hæc ſententia.*

Dvbitatio VII.

VII. *An homo in cuius fauorem, vel obſequium, præſtitum eſt iuramentum, indigeat iuſta cauſa, vt illud relaxet?*

Dico duodecimò, clariùs explicans aſſertum octauum, licèt Prælati Eccleſiaſtici, & ipſe ſummus Pontifex

tifex iuramenta Deo præſtita abſque iuſta cauſa validè relaxare non poſſint, propter rationem aſſertione tertia allatam: homo tamen, cui iuramentum fit in eius gratiam, obſequium, lucrum, vel commodum, nulla cauſa indiget, vt huiuſmodi iuramenta relaxet. quia homo iuramentum ſibi præſtitum in ſui gratiam, tanquam dominus materiæ promiſſæ relaxat. ergo nulla cauſa indiget in tali relaxatione: Eccleſiaſtici verò Prælati iuramenta Deo præſtita, tanquam eius Vicarij relaxant, ideo vt ea relaxent indigent iuſta cauſa: videatur Sanchez *lib.3.oper.mor.c.10.n.4.*

Dico decimotertiò, iuſiurandum præſtitum homini, non tamen principaliter gratia ipſius cui pręſtatur, ſed principaliter in Dei honorem, in cuius obſequiū res iuramento promiſſa cedit, non poteſt homo cui præſtatur huiuſmodi iuramentum, relaxare, vt ſi Titius iureiurando promittit Caio ſe in die feſto rem ſacram auditurum, aut ieiunia Eccleſiaſtica ſeruaturum, aut nunquam taxillis luſurum, vel Religionem ingreſſurum, quia id iuramentum ex principali intento non homini, ſed Deo ipſi præſtitum eſt. ergo homo ille condonare non poteſt: videatur D.Th. 2.2. *q.89. art.9.ad* 2. Armill. *verb. Iuramentum, n.21.* Sed vt magis explicetur præcedens aſſertio,

Dico decimoquartò, iurans alteri homini dare intuitu pietatis eleemoſynam, aut Religionis ingreſſum, vel alia in honorem Dei cedentia, vt ſe nunquam blaſphematurum, vel nunquam mortaliter peccaturum, ſi principaliter cultum Dei reſpexit, intuitúque principali Religionis iurauit, & ſecundò inſtigante illo homine, vt illi rem gratam faceret, tale iuramentum non poteſt homo cui iuratur relaxare, ſeu remittere, propter rationem allatam aſſertione immediatè præcedenti. Cæterùm ſi hæc cedentia in honorem Dei non intuitu Religionis iurauit, ſed animo fidem ſuam alteri aſtringendi ratione amicitiæ, quia id alteri gratum fore exiſtimabat, poteſt homo, cui præſtitum eſt iuramentum, illud remittere: quia tunc in gratiam hominis, & principaliter intentum eſt ſemper ſpectandum; ergo. Ita bene notauit Sotus *lib.8.de Iuſt.q.1. art.9.ſolutione ad ſecundum argumentum, verſ. etiamſi.*

Dico decimoquintò, iurans verò abſolutè alteri homini cedentia in honorem Dei, ſi nequit diſcernere, quem animum, vel intentionem habuerit, cenſendus eſt ille iuraſſe principaliter in cultum Dei, intuitúque principali Religionis. quia ob naturam materiæ in honorem Dei cedentis præſumenda eſt principalis intentio fuiſſe in cultum Dei: & conſequenter dicendum eſt, non poſſe hominem, cui præſtitum eſt iuramentum, illud remittere. quia in iſto caſu propter naturam materiæ promiſſæ iuramentum cenſetur Deo principaliter præſtitum, & ſecundariò homini: videatur Sotus nouiſſimè relatus *verſ. & ideo quando abſolutè.*

DVBITATIO VIII.

VIII. *An non obſeruans id, in quod iuramentum fuit commutatum, peccet contra iuramentum?*

Dico decimoſextò, qui non obſeruat id, in quod iuramentum auctoritate Superioris fuit commutatum, non facit contra iuramentum, nec dicitur periurus. quia potiùs facit contra pactum, quo rem illam loco materiæ iuratæ acceptauit: neque eſt eadem ratio in commutatione voti. quia Prælatus non commutat votum niſi ſubditus aliud loco illius ſuſcipiat, ſeu voueat: vnde remanet obligatio voti ſub materia illa ſubrogata, quod non accidit in iuramento: videatur Bonacina *tom.1. tract. de voto, diſp.4. quæſt.2. puncto 7.§.3. num.24.* Sanchez *lib.4. oper. moral. cap.55. num.12.* Explicatur magis,

DVBITATIO IX.

IX. *An iuramentum factum in honorem Dei, principaliter tamen in gratiam hominis, poſſit à Prælato Eccleſiaſtico, nolente eo, in cuius fauorem præſtitum eſt, diſpenſari?*

Dico decimoſeptimò, iurans cedentia in honorem Dei, puta Religionis ingreſſum, vel ſe recitaturum Pſalterium, ſi hæc iurauit non intuitu Religionis principaliter, ſed principaliter alteri homini, fidem ſuam illi aſtringendo ratione amicitiæ, quia id ei gratum fore exiſtimabat: huiuſmodi iuramentum non poteſt à Prælato Eccleſiaſtico relaxari, aut commutari. quia principaliter eſt præſtitum homini; ſed iuramentum homini præſtitum, non poteſt illo inuito in eius præiudicium à Prælato Eccleſiaſtico abſque vrgentiſſima cauſa relaxari, aut commutari. ergo: tum, quia non ſolùm iuramentum præſtitum homini ratione rei promiſſæ cedentis in lucrum, & commodum ipſius, non poteſt inuito illo, cui præſtitum eſt, relaxari abſque rationabili cauſa, ſed etiam ratione vinculi: vinculum enim iuramenti eſt etiam debitum ei, cui iuratur. ergo ſi iſto inuito relaxaretur abſque vrgentiſſima cauſa à Prælato Eccleſiaſtico, fieret illi præiudicium. Ita optimè animaduertit Sotus *lib.8.de Iuſtitia, q.1. art.9. in ſolut. ad 3. fine, verſ. nam illi cui pecuniam debeo.*

Dico decimooctauò, poteſt tamen Prælatus Eccleſiaſticus commutare, vel relaxare iuramenta in fauorem tertij præſtita, modò ab eo non fuerint acceptata: quia tunc tertius nondum acquiſiuit ius. ergo Prælatus Eccleſiaſticus exiſtente rationabili cauſa, nulli facit iniuriam diſpenſando, vel commutando huiuſmodi iuramenta abſque conſenſu illius, in cuius fauorem, & commodum præſtita ſunt talia iuramenta: ſecus ſi fuerint acceptata ab eo in cuius fauorem & commodum facta ſunt, quia tertius per acceptationem acquiſiuit ius. ergo niſi adſit conſenſus illius, non poteſt abſque vrgentiſſima cauſa priuare illum iure ſibi acquiſito: videatur Lopez noſter *part. 1. Inſtruct. cap.49.§. Sine conſenſu eius.*

DVBITATIO X.

X. *An poteſtas delegata commutandi vota, extendatur ad commutanda iuramenta, ſoli Deo facta?*

Dico decimononò, poteſtas delegata commutandi vota, qualis conceditur per Bullam, vel Iubilæum, extenditur ad commutanda iuramenta ſoli Deo facta, etiamſi huiuſmodi iuramenta per ſe fiant, & ſine voto, & præuia promiſſione expreſsè Deo facta. quia votum, & iuramentum pium Deo factum in iure, & apud Doctores æquiparantur, eo quòd ambo ferme ſimilem obligationem erga ſolum Deum ex Religionis virtute contineant; ergo diſpoſitum de vno, cenſeri debet diſpoſitum de altero, iuxta regulam gloſſ. *cap. ſi poſtquam, verb. Prouiſione, de elect. in 6.* Tum, quia iuxta ſententiam communiorem Papalis reſeruatio quinque votorum caſtitatis, Religionis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, Compoſtellanæ, ob hanc cauſam extenditur etiam ad reſeruationem piorum Deo factorum iuramentorum circa eaſdem materias. ergo multo magis priuilegium per Bullam, vel

Iubilæum

Iubilæom conceſſum, ſiue delegata poteſtas diſpenſandi in votis, aut illo commurandi, eſt etiam exteodenda ad iuramenta pia ſoli Deo facta abſolutè edita. nam hæc extenſio fauorabilis eſt, illa verò odioſa exiſtit: tum, quia iutamenium pium ſoli Deo factum abſolutè & per ſe editum habet in ſe votum virtute incluſum. ergo eo ſublato, aut eo commutato, directè vi poteſtatis delegatæ conceſſæ per Bullam, vel per Iubilæum ex conſequenti, & quaſi per accidens deſtruitur, vel commutatur iuramentum, quod innitebatur voto ibi virtute ineloſo: & ita hanc ſententiam docet Caiet. 2.2.*q.89. art.9. verſ. & cùm iuramentum ſit minus obligatorium.* Lopez 2.*p.Inſtructor.* vbi de Clauibus, *c.9 §. Ad punctum denique, verſ. dicitur ſecundò.* Arag. 2.2.*q.88.art.12.§. Si quis autem quærat, verſ. ad huius tamen rei explicationem.* Laymann *tom.* 2. *lib.4. tr.3 de iuramento, c.11.n.4.* Si quis ergo iurauit ieiunare, vel peregrinari, vel alia, quæ non ſuot in præiudicium tertij, virrute priuilegij conceſſi per Bullam, vel Iubilæum commutandi vota, poterit commutate huiuſmodi ioramenta. quia cui conceditur maius vinculum ſoluere ex virtute Religioois, cenſetur concedi quod ex eadem virtute minus eſt; ſed votum maius eſt, qoàm iuramentom, vt communiter docent DD. cum S.Th. 2.2. *q.89.art.*8. ergo. ſic Caiet. Arag. Laymann *loc.cit.* Henriquez *lib.7.de Indulgentijs, c.30.n.5.* contra Azor. *part.*1. *inſtit.mor.lib.*11.*cap.*10.*quæſ.*2.

Dico vigeſimò. Non obſtat contra præcedens aſſertum: nam iuramentum ſoli Deo factum vltra vinculum expreſſum iuſiurandum continet vinculum implicitum voti facti Deo; ſed doo vincula ſunt vno fortiora, *c.* 1. *de treuga, & pace.* ergo. hoc, inquam, non officit: vnde concedendo maiorem, diſtinguo minorem: ſi vttumque vinculum æquè & directè eſt ſoluendom, requiritur maior poteſtas ad ſoluendum duo vincula, quàm vnum, concedo miuorem, ſi vnum directè, & alterum ex conſequenti, nego minorem. nam ſublato vno ex neceſſaria ſequela ſoluitur & alterum, quippè in hoc euentu nulla maior poteſtas requiritur, nec extenſio eiuſdem: ſic eſt in caſu noſtro. nam iurameotum ſoli Deo præſtitum, includit implicitum vinculum voti facti Deo; ergo iſto directè ſublato per facultatem delegatam conceſſam per Bullam, vel Iubilæum commutandi vota, ex conſequenti ſoluitor vinculum explicitum ioramenti: videatur Sanchez *lib.8.de matrim.diſput.* 2.*num.*26.

Dvbitatio XI.

XI. *An quando eiuſdem rei vinculum voti, & iuramentum emittitur, poſſit ab habente facultatem, per Bullam, aut Iubilæum, commutari tale votum, & iuramentum?*

Dico vigeſimoprimò, quando adſunt expreſsè vinculum voti, & vinculum iuramenti eiuſdem rei, vt ſi emiſſo voto ieiunandi ſtatim, vel ex temporis interuallo emittatur de eodem ieiunio iutamentum; ſi tunc iuramentum præſtetur ad voti emiſſi confirmationem, priuilegium commurandi, vel diſpenſandi in voris conceſſum per Bullam, vel Iubilæum extenditur ad vota, ſic iuramento munita. quia tunc iuramentum eſt acceſſorium voto; ergo ceſſat ablato voto, quod per commutatiooem, aut diſpenſationem virture illius priuilegij conceſſi per Bullam, vel Iubilæum anferri poteſt: tum, quia tunc perinde eſt ac ſi idem votum repeteretur; ſed nullus dubitat votum repetitum poſſe virtute priuilegij conceſſi per Bullam, vel Iubilæum commurari. ergo vinculum voti, & vinculum iuramenti eiuſdem rei, ſi iuramentum præſtetur ad voti emiſſi confirmationem poterunt, &c. quia iurameotum ſoli Deo præſtitom quodammodo reputatur tanquam vutum, cùm ſoli Deo obligatio ex illo quæratur ex virtute Religionis. ſic Manuel Rodriquez *addit. ad Bullam Cruciatam. §.9.num.*111. Laymann *tom.2.lib.4.tract.3.de iuramento, c.11.n.3. § Hac aſſertio, verſicul. nam votum.* Sanchez *lib.4.oper.mor.cap.53.n.18.* contra Emanuel Sà *verb. votum,* vbi de voti irritatione & diſpenſatione, *num.*16.

Dico vigeſimoſecundò, ſi adſunt expreſsè vinculum voti, & vinculum iuramenti eiuſdem rei, & iuramentum non præſtatur in voti confirmationem, ſed independenter ab illo, vt ſi quiſpiam vouit ieiunium, & poſtea idem iurauit, nou quaſi votum confirmans, ſed omnino independenter, tunc priuilegium, vel poteſtas delegara, vel votum commutandum per Bullam, & Iubilæum minimè extenditur ad votum & iuramentum ſimul. quia cùm ſint duo vincula diuerſæ ſpeciei, nec vnum pendeat ab alio, vt ſic illo ſublato ceſſet, fortiora ſunt vno ſolo, quod priuilegium concedit; ergo id priuilegium noo extenditur ad vtrumque: & ita hanc ſententiam tenere videtur D.Thoio. 2.2. *quæſt.89. art* 8. *ad ſecundum argumentum,* vbi ait votom iuratum eſſe firmius non iurato. Sotus *lib.8. de Iuſtit. q.1.art.8.ad* 2. Rodriquez *tom.1.qq.Reg. quæſt.63.art* 5. & hanc opinionem dicit eſſe probabiliorem Bonacina *tom.2.diſput.4. quæſt.1. punct.17.n.11.* vbi agit de iuramento, licèt Suarez tenuerit quòd poteſtas delegata ad vota, nihil exprimendo de iuramento, extenditur ad vtrumque vinculum ſimul concurrens, ſiue iuramentum præſtetur ad voti emiſſi confirmationem, ſiue non præſtetur in voti confirmationem, ſed independenter ab illo, & ita Suarez *tom.2.de Religione, tract. de voto lib.6.c.14.n.19.* & hoc dicit eſſe valde probabile & tutum, Sanchez *lib.4 oper. mor.cap.53.num.*20.

Dico vigeſimotertiò, qnando adſunt votom & iuramentum expreſsè eiuſdem rei, & adeſt dubiom an iutamentum ſit præſtitum ad voti emiſſi confirmationem, vel independenter ab illo, eredeodum eſt iuramentum poſterius emiſſum eſſe ad ſolum confirmandum votum. quia ſemper ſic ſoleat præſtari, quoties votum præceſſit; conſequenter dicendum eſt poteſtatem delegatam conceſſam per Bullam, vel Iubilæum extendi in eo dubio ad votum ſimul cum iuramento. quia tunc iuramentum eſt voto acceſſorium; ergo ſatis eſt ſola poteſtas conceſſa ad tollendum voti vinculum, quo ſublato ex neceſſaria conſequentia ceſſat iuramentum: videatur Saochez *lib.* 8. *de matrim. diſput.2.num.23.fine.*

Dvbitatio XII.

XII. *An poteſtas delegata diſpenſandi in iuramentis, extendatur ad diſpenſandum in votis?*

Dico vigeſimoquartò, poteſtas delegata ſi concederetur circa diſpenſationē, & commutationem iuramētorum, qoæ ſoli Deo fiunt, extenderetur ad diſpenſationem, & commutationem votorum. quia tam iuramenti ſoli Deo præſtiti, quàm voti obligatio ſoli Deo acquiritur. ergo facultas delegata ſi cōcederetur circa diſpēſationem & commutationem iuramentorū, quæ ſoli Deo fiunt, extenderetur, &c. nam io iſta poteſtate cooceditor facultas remittendi, aut commutādi obligationem ex virtute Religionis ſoli Deo tanquam creditori acquiſitam: tum, quia iuramentom ſoli Deo præſtitum quodammodo reputatur tanquam votum. ergo: videatur pro hac aſſertione Arag. 2.2.*q.89. art.9. §. Dico quartò, ad finem.* Soarez *loc.cit. aſſert.22.n.24.*

Dvas

Dvbitatio XIII.

XIII. *An poteſtas delegata, per Iubilæum, aut Bullam, ad diſpenſandum in votis, ſe extendat ad diſpenſandum in iuramentis, factis in fauorem tertij, ſi in illis aliqua turpitudo reperiatur ex parte recipientis?*

Dico vigeſimoquintò, poteſtas delegata conceſſa per Bullam, vel priuilegium, aut Iubilæum ad commutanda vota, extenditur ad iuramenta, in quibus turpitudo aliqua reperitur ex parte recipiêtis iuramentum, vt quando iuramentum fuit extortum à latrone ſub promiſſione certæ pecuniæ ad ſaluandam vitam, aut quando factum fuit vſurario ad ſoluendas vſuras, aut quando metu graui fuit extortum, huiuſmodi iuramenta poſſunt relaxari non ſolùm à Papa, & ab Epiſcopo habentibus poteſtatem ordinariam, vt diximus *aſſertione 6.* ſed etiam ad hæc relaxanda ſe extendit poteſtas delegata conceſſa per Bullam, vel Iubilæum ad commutanda vota. quia per hæc iuramenta nullum homini illi, cui fiunt, ius acquiritur, ſed ſoli Deo. ergo voti rationem inducunt non aliter, quàm ſi ſoli Deo iuramentum fieret; ergo poteſtas conceſſa per Bullam, vel Iubilæum ad commutanda vota ſe extendit ad relaxanda huiuſmodi iuramenta, quæ voti rationem induunt. Ita Rodriquez *p.1. ſumma cap.* 189. *n.*9. *&* *c.*230. *n* 4. *& eadem part.*1. *c.*243. *n.*4. Bartholomæus à Ledeſma *in ſumma ſacramentorum, tract. de matrim. dub.* 23. *poſt tertiam concluſionem.*

Dico vigeſimoſextò, probabilius tamen & verius eſt hanc poteſtatem delegatam conceſſam per Bullam, vel Iubilæum, vel quodcunque aliud priuilegium ad commutanda vota, nullo modo extendi ad commutationem, vel relaxationem iuramentorum directè in hominis vtilitatem cedentium, licèt per ea nullum ius homini illi, cui fiunt, acquiritur ob interuentum iniuriæ illatæ. quia etſi per illa nullum homini, cui fiunt, ius comparetur, at cùm non fiant intuitu pietatis, nec Deo, nullam voti rationem inducunt, ſed meræ promiſſionis humanæ: ergo nomine votorum non clauduntur. ergo, &c. Ita bene Laymann *tom.*2. *lib.*4. *tract.*3. *de iuramento, cap.*11. *num.*8. *verſicul. veruntamen dicta.* Sanchez *lib.*4. *oper. mor. cap.*53. *num.* 13.

Dvbitatio XIV.

XIV. *An poteſtas delegata per Iubilæum, ad diſpenſandum in votis, ſe extendat ad iuramenta, facta in fauorem tertij, qui ea, quæ ſub iuramento promittuntur, nondum acceptauit?*

Dico vigeſimoſeptimò, poteſtas delegata conceſſa per aliquod priuilegium, Bullam, vel Iubilæum diſpenſandi in votis, eave commutandi, ſe extendit ad diſpenſandum in iuramentis, eave commutanda ſi intuitu pietatis fuerit in fauorem tertij: vt ſi quis iuret Deo ſe daturum certæ Eccleſiæ calicem, aut certo pauperi eleemoſynam, modò ab eo cui fiunt, non fuerint acceptata, quia non acquiritur ius etiam locis piis ad promiſſiones, & donationes ipſis facta donec acceptent, vt docet Rodriquez *part.* 1. *ſumma cap.*95. *num* 1. ergo cùm per hæc iuramenta facta in fauorem tertij nullum ius tertio acquiratur, eſt de illis iudicandum perinde, ac de votis in honorem ſolius Dei factis. ergo poteſtas delegata conceſſa per aliquod priuilegium, Bullam, vel Iubilæum diſpenſandi in votis, eave commutandi ſe extendit: videatur pro hac aſſertione Caiet. *in ſuis quodlibetis tom.* 2. *tract.*11. qui eſt *de voto, q.*3. §. *Conformis autem, verſic. non acquiritur igitur ius.* Syl. *verb. votum* 4. *q.*7. *dicto* 4. Sanch. *lib* 4. *oper. mor. c.*41. *n.*9. *& lib.*1. *de matrim. diſp.*32. *n.*17. §. *Cæterùm, verſic. Admitto tamen.*

Dvbitatio XV.

XV. *An iurans poſſit à ſeipſo commutare iuramentum, factum in honorem Dei, in melius, aut in rem euidenter æquè bonam?*

Dico vigeſimooctauò, idemmet iurans poteſt iuramenta in honorem Dei præſtita commutare in euidenter melius, aut in rem euidenter æquè bonam quia idemmet vouens poteſt commutare votum ſuum in id quod eſt euidenter melius, aut in rem euidenter æquè bonam. ergo etiam iuramenta in honorem Dei præſtita: nam iuramentum ſoli Dei præſtitum, quodammodo reputatur tanquam votum, cùm ſoli Deo obligatio ex illo quæratur: videatur Arag. 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. *dicto* 5. contra Panormit. *cap peruenit el* 2. *num.*2. *de iureiurando.*

Dico vigeſimononò, iuramentum promiſſorium præſtitum in fauorem cauſæ piæ, vt ſi quis iuret ſe daturum certæ Eccleſiæ calicem, aut certo pauperi eleemoſynam, aut ſe miniſtraturum certo xenodochio, ſi nondum ſit acceptatum à Rectore Eccleſiæ ab illo paupere cui iuratum eſt à xenodochij Præfecto, poteſt idemmet iurans propria auctoritate in melius commutare, quia ea promiſſione, aut donatione factis in fauorem cauſæ piæ, nullum ius illis acquiritur ante acceptationem. ergo iuramentum iſtud manet ſicut factum ſoli Deo, dum illud Præpoſitus illi Eccleſiæ, aut xenochio, aut pauper ille non acceptârit: ſed iuſiurandum præſtitum ſoli Deo poteſt ipſemet iurans propria auctoritate in melius commutare; ergo. videatur pro hac aſſertione Armill. *verb. Diſpenſatio, num.* 10. Lopez *p.*1. *Inſtr. c.*49. §. *Sine conſenſu.* Leſſ. *lib.*2. *de Iuſtit. c.*42. *dub.* 12. *n.*58. *verſic. quemuis poſſe.*

Dico trigeſimò, iuramentum factum in fauorem cauſæ piæ, ſiue dirigatur in ſolum Deum, vt ſi quis iuret Deo ſe daturum calicem tali Eccleſiæ, aut tali pauperi, ſiue dirigatur in talem Eccleſiam, aut in talem pauperem, vt, Iuro date tali Eccleſiæ calicem, aut tali pauperi tantam eleemoſynam, ante acceptationem adhuc poteſt commutari in melius à Superiore Eccleſiaſtico, aut ab ipſomet iurante propria auctoritate, propter eandem rationem, quia non acquiritur ius locis piis & perſonæ pauperi etiam determinatæ ad promiſſiones, & donationes ipſis factas donec acceptent. ergo: videantur Armill. Lopez & Leſſ. *loc. cit.* & vltra hos Caiet. *in opuſc. tom.*2. *tract.*11. *q.*3. Sanchez *lib.*4 *oper. mor. cap.*41. *n.*10. contra Azor. *part.*1. *Inſtit. mor. c.*19. *num.* 12. *verſicul. Annotandum eſt.* iurans igitur dare centum Eccleſiæ S. Petri, vel alicui certo pauperi ante acceptationem, poteſt poſtea auctoritate propria date ea pauperibus fame morientibus, vel in alterum opus magis pium commutare. quia propoſitum, aut promiſſum non infringit qui in melius illud commutat, *cap. peruenit el* 2. *de iureiurand.* Ita vltra Doctores allegatos, Sayr. *lib.*6. *Clauis Regia, c.*11. *n.*121. Viualdus *in additionibus ad Candelabrum aureum, tract.*14. *n.*16. *&* 17.

Dico trigeſimoprimò, iurans in fauorem cauſæ piæ dare, e.g. determinatæ pauperi perſonæ, vel Collegio, aut Eccleſiæ tali centum, vel facere calicem, vel huiuſmodi, ſi tali perſonæ, vel Eccleſię ſit acquiſitum ius ad

rem,

rem, vel per inſtrumentum, vel teſtamentum, vel donationem, vel promiſſionem factam coram teſtibus, & ipſe cui acquiritur ius, ſcit, & acceptat, non poteſt tale iuramentum auctoritate propria in melius commutare. quia nemo poteſt alienum alteri donare. ergo ſi ius eſt acquiſitum, &c. Tum, quia licèt illud opus pium, in quod commutaretur tale iuramentum, eſſet quidem abſolutè melius, non tamen ipſi, cui præſtitum eſt iuramentum, eſſet commodius, & acceptius; ergo poſt ius acquiſitum ab eo cui iuratum eſt, non poterit iurans propria auctoritate in melius commutare: videantur DD. allegati *in aſſertione præcedenti*, & vltra illos videndus eſt Sotus *lib. 3. de Iuſtitia, quæſt. 1. art. 3. verſicul. de donatione autem.* vbi habet quòd cùm donatio relationem dicat ad accipientem, non videtur oriri obligatio, antequam alter acceptet, & ideo reuocari fortè poteſt etiam abſque vlla iuſta cauſa, ſecus de voto, vel iuramento facto Deo. quia ipſe ſi iuſtum eſt ſemper acceptat: ſi autem ſolemniter coram teſtibus donatio fiat abſenti, tunc ſtandum eſt iuri ciuili, arbitror enim abſque donatarij conſenſu, vel legitima cauſa iura reuocationem non ſinere.

ARTICVLVS XVI.

De promiſſione iurata, & non iurata.

SVMMARIVM.

1. *An promittens ſub iuramento aliquid vni, qui promiſſionem acceptauit, ſi illud idem alteri promittat, & tradat, peccet mortaliter, & talis traditio ſit valida, & ſi res ſecundo tradita extat, teneatur tradere, cui primo promiſſa eſt.*
2. *An promiſſio ſimplex & nuda obliget promittentem ad promiſſum, ſub mortali, & explicatur, quid ſit ſimplex promiſſio.*
3. *An ad promiſſum teneatur promittens abſque animo ſe obligandi.*
4. *An promiſſio facta etiam iurata, ſit ſeruanda.*
5. *An ob ſimplicem aſſertionem futuri, teneatur quis ſeruare quod dixit.*
6. *An ignorantes, ex ſimplici promiſſione oriri obligationem, poſſint excuſari à culpa.*
7. *An promittens aliquid ex amicitia, vel alia ſimili cauſa, non obſeruando peccet.*

DVBITATIO I.

I. *An promittens ſub iuramento aliquid vni, qui promiſſionem acceptauit, ſi illud idem alteri promittat, & tradat, peccet mortaliter, & talis traditio ſit valida, & ſi res ſecundo tradita extat, teneatur tradere, cui primo promiſſa eſt.*

Dico primò, res vni ſub iuramento promiſſa, & a promiſſario iam acceptata, ſi alteri promiſſa, & cum effectu ſit iſti ſecundo iam tradita & tranſlata, valet iſta traditio ſecundo facta. quoniam per traditionem rei factus eſt ſecundus donatarius dominus rei ſibi cum effectu traditæ, & tranſlatæ: tum, quia aliud eſt traditionem eſſe illicitam, aliud eſſe inualidam; ergo quamuis ſecunda promiſſio, & traditio ſit illicita. nam eſt contra priorem iuratam, eſt tamen valida; quia per ſecundam promiſſionem, & traditionem cum effectu ſecundus donatarius ſit dominus illius rei iam cum effectu ſibi traditæ: peccat tamen grauiter promittens vni ſub iuramento rem aliquam, & eam acceptauti, ſi poſtea eandem alteri tradiderit. quia fidem ſub iuramento datam violauit, ſed traditio rata eſt, & firma. quoniam, vt dixi, per traditionem rei cum effectu recipiens factus eſt eiuſdem dominus. Ita bene Lopez noſter *part. 2. Inſtruct. cap. 30. §. Inſuper res.* Azor. *part. 3. Inſtit. moral. lib. 11. cap. 17. dub. 17. §. Quares an ſecunda promiſſio, verſicul. Caterùm.* Bonacina *tom. 2. tract. de reſtitut. diſput. 3. q. 11. puncto 2. num. 14. §. Verum tamen eſt.*

Dico ſecundò, promittens rem vnam alicui Eccleſiæ, vel certo pauperi, eamque illis acceptantibus, ſi poſtea illam eandem rem ſucceſſiuè promittat alteri, tenetur illam dare primo, cui fuit promiſſa. quia ſecunda promiſſio eſt inualida, vtpote de re, quæ non poteſt mandari exequutioni abſque peccato. promiſſor enim non poteſt rem promiſſam tradere ſecundo abſque violatione primæ promiſſionis, per quam primus illam acceptando acquiſiuit ius. Idémque dicendum eſt, etiamſi ſecunda promiſſio facta ſit cum iuramento: nam iuramentum non eſt vinculum iniquitatis. Quod ſi ſecundo tradatur cum effectu, traditio eſt valida. quia iſte per traditionem cum effectu factus eſt illius dominus: videantur DD. cit. Lopez, Azor, Bonacina *locis allegatis*, & vltra illos Sotus *in 4. diſt. 27. q. 2. a. 4. §. Tertium dubium eſt.*

DVBITATIO II.

II. *An promiſſio ſimplex & nuda obliget promittentem ad promiſſum ſub mortali? & Quid ſit ſimplex promiſſio?*

Dico tertiò, promittens, puta Titius, rem vnam Caio, animo ſe obligandi, eáque promiſſione acceptata, ſi poſtea promiſſor Titius non Caio primo promiſſario, ſed Petro cum effectu tradiderit, tenetur ad reſtitutionem eiuſdem rei, vel ad recompenſationem illius Caio primo promiſſario, ſiue promiſſio fuerit nuda, & ſimplex promiſſio, ſiue iurata, ſi intenderit ſe ipſum obligare. quia Caius primus promiſſarius re ſibi donata, & acceptata, ſine iuſta cauſa priuatur. ergo Titius promiſſor priuans Caium re ipſi donata, & acceptata, manet obnoxius ad reſtitutionem ſi quando promiſit intenderit ſeipſum obligare. Ita Lopez noſter *part. 2. Inſtruct. cap. 30. §. Inſuper res vni.* Bonacina *tom. 2. tract. de reſtitution. diſput. 3. quæſt. 11 puncto 2. num. 12.* licèt alij, inter quos eſt Henriquez *lib. 13. de excomm. c. 17. n. 5.* tenuerint oppoſitum, promiſſionem ſcilicet ſimplicem factam homini non obligare ex iuſtitia commutatiua cum obligatione reſtituendi rem promiſſam.

Dico quartò, promiſſio ſimplex, & nuda dicitur illa, quæ nec roboratur ex eo quòd res promiſſa ſit aliàs debita, nec firmatur iuramento, nec veſtitur traditione rei cum effectu, nec ſit coram Notario & teſtibus, ſed merè, liberè, & voluntariè ſit ſimplicibus verbis, animo tamen ſe ipſum obligandi: hæc ſimplex & nuda promiſſio obligat ſub mortali promiſſorem, ſi paruitas materiæ rei promiſſæ non excuſet, ſi habet animum ſe ipſum obligandi. Probatur, quia, vt omnes fatentur, promiſſio in re graui quæ ſit coram Notario, & teſtibus, obligat ex iuſtitia, & ad mortale; ſed aſſiſtentia horum non addit nouam obligationem, ſed probat iam contractam; ergo ſimiliter ſimplex promiſſio in re graui, ſi adeſt animus in promiſſore ſeipſum obligandi, obligat ex iuſtitia, & ad mortale: tum, quia ſolemnitas illa non mutat, nec variat naturam promiſſionis, ſed tantùm reddit illam ſolemniorem, & validiorem in iudicio forenſi: à parte autem rei nec mutat,

nec addit maiorem obligationem in conſcientia, cùm in foro animæ obligatio oriatur ex fide verè data alteri. ergo, &c. Et ita hanc aſſertionem docet Lopez nuper relatus *eodem loco, §. Porrò & hic inquiri ſolet.* Armil. *verb. pactum, num. 1.* Syl. *ibi quæſt. 4.* Sayr. *in Claui Regia, lib. 6. cap. 6. num. 16.* Salon. *tom. 1. ſuper 2. 2. q. 5. de dominio, art. 3. difficult. 2. fol. 150.*

Dico quintò, In dubio ſi promiſſor ſimplici, & nuda promiſſione aliquid promittens habuerit animum ſeipſum obligandi ex iuſtitia, & ſub mortali, nec ne, ex his indiciis diſcerni poterit, ſi requiſitus vt promiſſionem firmaret iuramento id recuſaſſet. Similiter ſi quando promittit, rogaretur an vellet ſe obligare ex iuſtitia, & ad mortale, reſponderet ſe nolle, tunc cenſendum eſt non habuiſſe animum ſeipſum obligandi ex iuſtitia, & ſub mortali, ſed ex quadam tantùm beneuola honeſtate. quia communiter homines dum promittunt aliquid ex animo ſeipſos obligandi ex iuſtitia & ſub mortali, ſolent promiſſionibus adhibere iuramentũ confirmatorium, vel ſcripturam, &c. ergo, &c. Ita benè ad tollendos ſcrupulos adnotauit Lopez *cit. §. Cæterùm huius concluſionis.* Caiet. *2. 2. q. 88. art. 1. §. quod enim promiſſio, verſ. huius ſignum.* Arag. *2. 2. q. 88. art. 3. §. Hoc tamen non obſtante, verſic. ſolent autem.*

Dvbitatio III.

III. *An ad promiſſum teneatur promittens, abſque animo ſe obligandi?*

Dico ſextò, qui fictè promittit, id eſt, verbis tantùm, animo autem, & intentione ſe obligandi caret; non fit reus in conſcientia obligationis promiſſi, ſed tenetur ſolùm pœnitere de ſimulatione. quia radix obligationis, ſcilicet voluntas ſe obligandi, defuit. Nam cùm promiſſionis obligatio ſit ſpontanea voluntate contracta, vbi deficit voluntas ſe obligandi, deficit ipſa obligatio. Syl. *verb. pactum, quæſt. 4. verſic. ſiue ſi habuit animum.*

Dvbitatio IV.

IV. *An promiſſio ficta, etiam iurata ſit ſeruanda?*

Dico ſeptimò, promiſſio ficta, etiam iurata, non obligat ad impletionem. quia tunc iuramentum eſt acceſſorium fictæ promiſſioni. ergo ſequitur naturam promiſſionis tanquam principalis; ſed natura promiſſionis fictæ eſt quòd non obliget. ergo promiſſio iurata ratione iuramenti non obligabit. Rodriquez *p. 2. ſumma, cap. 29. num. 3.* Addit autem Rodriquez, quem ſequitur Sayr. *lib. 6. Clauis Regiæ, cap. 6. num 17. § quare diligenter*, quòd in hoc caſu pro maiori ſecuritate conſcientiæ, & reuerentia debita iuramento, petenda eſt ab Ordinario, aut ab alio poteſtatem habente relaxatio à iuramento.

Dico octauò, probabilius mihi videtur in iſto caſu non eſſe neceſſariò petendam relaxationem à iuramento. quia quoties iuramentum non obligat, ſeu non valet, non eſt neceſſaria relaxatio; ſed in caſu præcedentis aſſertionis iuramentum appoſitum fictæ promiſſioni non obligat ſtare fictis promiſſis. ergo: tum, quia, vt habetur *cap. ſolet, de ſent. excom. 6.* quando excommunicatio eſt inualida, non eſt petenda neceſſariò abſolutio ab ea. ergo ſimiliter. Sic Imola *cap. cùm contingat num. 32. de iureiurando.* Felin. *cap. 2. num. 2. eod. tit.* Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 32. num. 2.*

Dvbitatio V.

V. *An ob ſimplicem aſſertionem futuri, teneatur quis ſeruare quod dixit?*

Dico nonò, per ſimplicem aſſertionem futuri nullus tenetur adimplere aſſertionem: vnde cùm quis dicit alteri: Viſitabo, aut ſalutabo illum nomine veſtro, orabo Deum pro te, ſuffragabo tibi in iudicio, faciam hoc, vel illud pro vobis, non tenetur adimplere, quod dicit. quia talis aſſertio futuri, non eſt promiſſio, ſed modus quidam exprimendi propoſitum animi ſui. ergo ſicut propoſitum non eſt promiſſio, ita neque ſignificationes huiuſmodi propoſiti erunt promiſſiones, & conſequenter vim obligandi non induunt. Ita benè Sotus *lib. 7. de Iuſt. quæſt. 2. art. 1. §. Contra hanc autem, verſic. præter hæc ex ſuperioribus.* Rodriquez *p. 2. ſumma cap. 29. concluſ. 2.*

Dvbitatio VI.

VI. *An ignorantes ex ſimplici promiſſione oriri obligationem, poſſint excuſari à culpa?*

Dico decimò, plurimæ promiſſiones etiã in re graui excuſari poſſunt a mortali. quia vt plurimum non intendunt homines ſe per eas obligare præciſè, ſed ſolùm ex quadam beneuola honeſtate, vel quia ignorant tantam ex ſimplici promiſſione conſurgere obligationem, exiſtimantes ſolùm obligari ad ſuum tuendum honorem: vnde in prouerbium abiit, verba vrbanitatis ſimpliciter non obligare. quia nihil eſt tam contrarium conſenſui, & voluntati ſe obligandi ex iuſtitia, & ad mortale, ſicut error; ergo ignorantes ex ſimplici promiſſione rei notabilis oriri obligationem ex iuſtitia, & ad mortale, excuſari poſſunt a mortali: vnde benè notauit Lopez noſter *part. 1. Inſtruct. c. 30. §. Cæterùm huius concluſionis*, quòd vt ſit vera ſimplex promiſſio rei notabilis obligans ex iuſtitia, & ad mortale, requiritur quòd adſit animus in promittente obligandi ſe ad mortale: videatur etiam Sanchez *lib. 1. de ſponſal. diſp. 5. num. 21.*

Dvbitatio VII.

VII. *An promittens aliquid ex amicitia, vel alia ſimili cauſa, non obſeruando peccet?*

Dico vndecimò, obligationem quæ oritur ex morali quadam honeſtate, ex amicitia, vel ex gratitudine, non inducere ſimpliciter neceſſitatem. quia honeſtas hæc, moralis amicitia, & gratitudo, maximè debent eſſe ſpontaneæ; obligationem verò quæ proficiſcitur ex iuſtitia ciuili, vel naturali, neceſſitatem inducere. quia ratio iuſtitiæ ciuilis, vel naturalis cogit vt vnicuique detur quod ſuum eſt. ergo neceſſitatem imponit: vnde ſi promiſſor ex morali quadam honeſtate, amicitia, vel gratitudine, intendit ſe obligare, non tenetur ad reſtitutionem damni, quod conſequutum eſt ex omiſſione adimplendi promiſſum: at verò ſi intendit ſe obligare ex debita iuſtitia, teneretur ad reſtitutionem totius damni conſequuti ex omiſſione non adimplendi promiſſum: videatur D. Thom. *2. 2. q. 78. art. 2. ad 2.* Bannes *ibi §. Deinceps circa doctrinam D. Thom.* Syl. *verb. honeſtas, num. 2.*

Dico duodecimò, quando ex promiſſione non adimpleta facta homini ex morali quadam honeſtate, gratitudine, vel amicitia, nullum aliud ſequitur proximo damnum, quàm carere re, licèt notabili promiſſa, tunc promiſſor tantùm culpam venialem committit. quia frangere hanc fidem non opponitur iuſtitiæ, ſed tantùm virtuti veracitatis. ergo ſolùm continet mendacij malitiam, non quidem pernicioſi, ſed tantùm officioſi. ergo ſolùm venialiter frangens hanc fidem delinquit: videatur Caietanus *verb. perfidia, num. 2.* Armil. *ibi num. vnico.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 13. num. 2.*

Articvlvs XVII.

De abſolutione à iuramento.

SVMMARIVM.

1. *An poſſit abſolui, per priuilegium, vel Bullam, iuramentum homini praſtitum, quando aliqua turpitudo, vel iniuſtitia ex parte recipientis reperitur.*
2. *An Pontifex reſeruans vota, reſeruet etiam iuramenta de eadem re.*
3. *An iuramenta de rebus reſeruatis D. Papa, poſſint per Iubilaum, vel Bullam, commutari.*
4. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare in iuramentis pœnalibus? &, An etiam per Iubilaum, poſſit id fieri.*
5. *An Epiſcopus, vel Confeſſarius, virtute Iubilai, aut Bulla, poſſit diſpenſare in votis conditionalibus.*
6. *An iuramenta conditionata, & pœnalia, ſint reſeruata Romano Pontifici, ante adimpletam conditionem.*
7. *An poſſit Epiſcopus, vel Confeſſarius per Bullam, aut Iubilaum, diſpenſare in iuramentis, de materia reſeruata Romano Pomifici, emiſſis tamen in pœnam vitij, vel per deſperationem.*

Dvbitatio I.

I. *An poſſit abſolui, per priuilegium, vel Bullam, iuramentum homini praſtitum, quando aliqua turpitudo, vel iniuſtitia ex parte recipientis reperitur?*

Dico primò, iuramentum præſtitum homini de aliqua re ei danda, ſi turpitodo, vel iniuſtitia ex parte recipientis iurameorum reperiatur, poteſt tunc tale iuramentum relaxari, vel commutari per Bullam, priuilegium, vel Iubilæum, ſi fortè concedaor relaxationem, vel commutationem iuramentorum abſque tertij præiudicio. quia cùm in his iuramentis non acquiratur ius tertio ex illorum relaxatione, vel commutatione, non infertur illi præiudicium: ſic Petrus de Ledeſma *de matrim. quaſt.* 47. *art.* 3. *dub.* 3. *quod mouet circa tertium argument.* §. *Sed adhuc eſt aduertendum*, quem ſequitur Sanchex *lib.* 1. *de ſponſalibus, diſput.* 32. *num.* 19. §. *Admitto tamen.*

Dvbitatio II.

II. *An Pontifex reſeruans vota, reſeruet etiam iuramenta de eadem re?*

Dico ſecundò, Pontifex reſeruans ſibi aliqua vota, etiam cenſetur reſeruare iuramenta de eiſdem rebus. quia votorum & iurameotorum quantum ad hoc eſt par ratio. Ita Sotus *lib.* 8. *de Iuſtitia, quaſt.* 1. *art.* 9. *verſic. Ex his dua regula.* Pari ratione dicendum eſt, quòd omnis qui per Bullam, priuilegium, vel Iubilæum poteſt diſpenſare, aut commutare vota, poteſt etiam & ſimilia iuramenta ſacta Deo abſque præiudicio tertij præſtita: oam cùm ſummus Pootiſex nunquam in præiudicium tertij relaxet iuramenta, nunquam etiam eſt credendum id alteri conce dere. Ita Didacus Lopez à Stunica *tract. de voto, q.* 5. *num.* 42. Caiet. Lopez noſter, Arag. Laymann, Henriq. allegati *aſſert.* 19. *art.* 15 *huius diſquiſ.* Sed vt magis explicem præcedens aſſertum,

Dvbitatio III.

III. *An iuramenta de rebus reſeruatis ſummo Pontifici, poſſint per Iubilaum, vel Bullam commutari?*

Dico tertiò, iuramenta abſoluta rerum reſeruatarum, vt perpetuæ caſtitatis, Religionis, peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ, Compoſtellanæ, virtute Iubilæi, Bullæ, aut priuilegiorum nullatenus poſſunt commutari. quia Bulla, vel Iubilæum, nihil expreſsè concedere ſolet circa iuramentorum commutationem; ſed ea poteſtas deducitur ex poteſtate circa ſimilia vota. ergo cùm nihil concedant circa vota ſimilia abſoluta caſtitatis perpetuæ, Religioois, peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ, Compoſtellanæ, noo eſt vnde colligamus poteſtatem hanc circa ea iuramenta commutanda; videaotur Caiet. 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. *verſ. Et ſimiliter videntur.* Arag. 2. 2. *q.* 89. *a.* 9. *dict.* 4. Sanch. *lib.* 4. *oper. mor. c.* 54. *n.* 21. Laymann *tom.* 2. *lib.* 4. *tract.* 3. *c.* 11. *de iuramento, n.* 4. §. *Has ſententia.*

Dvbitatio IV.

IV. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare in iuramentis pœnalibus? &, An etiam per Iubilaum poſſit id fieri?*

Dico quartò, in iuramentis pœnalibus perpetuæ caſtitatis, Religionis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, Compoſtellanæ, poteſt Epiſcopus diſpenſare: vt quando quis iurat ſe non luſurũ, vel non fornicaturum, vel non peccaturum tali, vel tali peccato, & ſi ſecus fecerit, ſeruaturum perpetuam caſtitatem, aut iturum Hieroſolymam peregrinationis cauſa, aut Religionem aliquam ingreſſurum, etiam poſt impletam conditionem. quia tunc iurans non elegit hæc vt talia ſunt ex animo, rei promiſſæ, ſed potiùs ſibi proponit tanquam odioſa, & in pœnam delicti. ergo ſuper his iuramentis pœnalibus potuerit Epiſcopus diſpenſare: naio iuramenta caſtitatis ſeruandæ, Religionis, peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ, tunc cenſentur reſeruata, quando ex animo, & affectu rei promiſſæ oriuntur, ſicuti & vota de eiſdem rebus: videatur Lopex noſter *p.* 1. *Inſtr. c.* 44. *verſ. Si autem ſub forma.* Sanchex *lib.* 8. *de matrim. diſput.* 10. *num.* 8. Laymann *loc. cit. verſic. Qui tamen hîc excipit.*

Dico quintò, oe dum Epiſcopus poteſt diſpenſare ſuper huiuſiodi pœoalia iuramenta caſtitatis, Religionis, &c. Sed etiam quilibet Confeſſor per Bullam Cruciaræ, vel Iubilæum poteſt commutare prædicta iuramenta pœnalia, etiam poſt adimpletam conditionem. quia certè talia iuramenta non ſunt propriè caſtitatis, Religionis, nec peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ, Compoſtellaoæ, ſed potiùs non ludendi, non fornicandi, non peccandi: tum, quia non proficiſcuntur ex deuotione, & amore caſtitatis, Religionis, &c. ſed potiùs imponuntur tanquam odia, & tanquam pœnæ pro ludo, vel peccato vitando; ergo ooo habeot vnde ſint Papæ reſeruata: videantur Lopez, Laymann cit. Sanchex *lib.* 4. *oper. mor. cap.* 54. *n.* 21. Arag. 2. 2. *quaſt.* 88. *art.* 12. §. *Si quis quarat, verſic. Sed iam communis opinio eſt.*

Dvbitatio V.

V. *An Epiſcopus, vel Confeſſarius, virtute Iubilai, aut Bulla, poſſint diſpenſare in votis conditionalibus?*

Dico ſextò, iuramentum conditionatum, v.g. ſi ex

morbo conualuero, iuro me Religioſum fore, ante conditionem impletam teſeruatum non eſt. quia iuramentum couditionatum Deo præſtitum, nondum impleta conditione, minimè perfectè obligat, ſed ſecundùm quid, nempe ad expectandum conditionis euentum. ergo iuramenta conditionata rerum teſeruatarum non videntur Papæ reſeruata, cùm hæc ſint illa, quæ perfectè & ſimpliciter obligant. ergo in cnnditionatis iuramentis Deo præſtitis rerum reſeruatarum ante adimpletam conditionem poteſt Epiſcopus diſpenſare, & Confeſſor per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum poterit illa commutare. hanc aſſertionem putat eſſe probabilem Sayr. *lib. 6. in Claui Regia, cap.* 11. *num.* 73. & abſolutè eam docet Sanchez *lib. 4. oper. moral. cap.* 54. *num.* 21. Layman *tom. 2. lib. 4. tract. 4. cap. 8. de voti relaxatione, num.* 10.

Dico ſeptimò, Iuramentum rerum reſeruatarum, puta caſtitatis perpetuæ, Religionis, &c. conditionatum, vt ſi quis iuret eſſe Religioſum, vel ire Hieroſolymam peregrinationis cauſa, ſi Deus illum ab hac infirmitate liberet, vel ſi factus fuerit diues, poſt adimpletam conditionem videtur eſſe Papæ reſeruatum. quia adimpleta conditione tanquam iuramentum abſolutum rerum reſeruatarum cenſendum eſt. ergo tunc erit Papæ reſeruatum: tum, quia ſicuti omnes alij contractus, ac promiſſiones factæ ſub conditione, ea eueniente purificantur, & abſoluuntur, omnéſque effectus obligationis pariunt, perinde ac ſi ſine conditione factæ eſſent, iuxta *l. potior, ff. qui potiores in pignore*, ita iuramenti, vel voti promiſſio: nam nulla diſparitatis ratio afferri poteſt. ergo, &c. Et ita hanc aſſertionem docent Lopez noſter *part.* 1. *Inſtruct. cap.* 44. §. *vota conditionalia conditione impleta.* Sotus *lib.7.de Iuſt. quæſt.2.art.1.ad* 4. Arag. 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 12. §. *ſi quis autem quærat, verſic. quando hæc vota.* licèt Sanchez *lib. 4. oper. moral. cap.* 54. *num.* 21. & *lib.* 8. *de matrim. diſput.* 10. *num.* 13. tenuerint iuramenta & vota conditionalia rerum reſeruatarum, etiam poſt adimpletam conditionem non remanere Papæ reſeruata, & conſequenter Epiſcopus poteſt in illis diſpenſare, & Confeſſarius per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum poterit illa in alia pietatis opera commutare: quod eſt ſatis probabile, ſi talia iuramenta, & vota non fiant ea affectu Religionis, vel caſtitatis, ſed potiùs ob commodum quod iurans, vel vouens à Deo expectat: vti ſuprà diximus *aſſertione 6. & 7. art. 7. ad diſquiſ.* 15. allegando alios DD.

Dico octauò, iuramentum, vel votum conditionatum rerum reſeruatarum, v. g. Si coniugi ſuperſtes fuero, iuro, vel voueo me ingreſſurum Religionem, vel perpetuam caſtitatem ſeruaturum, eueniente conditione omnino perficitur, & purificatur, itaut remaneat reſeruatum Romano Pontifici. quia In iuramento, ſeu voto rerum reſeruatarum conditionata affectus iurantis, vel vouentis per ſe, & vtplurimum tendit in rem promiſſam tanquam bonam & ſalubriter præſtandam in Dei honorem; ſed iuramentum, vel votum rerum reſeruatarum ortum ex amore, & affectu ad rem promiſſam, eſt Papæ reſeruatum. ergo iuramentum, vel votum conditionatum eueniente conditione remanet Papæ reſeruatum. Nam tale iuramentum, vel votum rerum reſeruatarum perinde ſe habet adimpleta conditione, ac ſi ſine conditione præſtitum fuiſſet: videantur Lopez, Arag. Sayr. *locis citatis.* Layman *tom. 2. lib. 4. tract. 4. cap. 8. de voti relaxatione, num.* 10. §. *Porrò cur votum.*

Dvbitatio VI.

VI. *An iuramenta conditionata, & pœnalia ſint reſeruata Romano Pontifici, ante adimpletam conditionem?*

Dico nonò, iuramenta pœnalia rerum reſeruatarum nec ante, nec poſt impletam conditionem remanent reſeruata Romano Pontifici. quia in iuramentis pœnalibus, vt quando quis iurat, Si fornicatus fuero, e.g. iuro me in pœnam Religionem ingreſſurum, vel caſtitatem perpetuam ſeruaturum, affectus iurantis non tendit in rem promiſſam tanquam bonam, & ſalubriter præſtandam in Dei honorem, ſed tendit in rem promiſſam tanquam pœnam peccati vindicatiuam, & afflictiuam, quam mallet iurans euitare, quàm incurrere. ergo vota & iuramenta pœnalia rerum reſeruatarum tam ante, quàm poſt impletam conditionem non remanent reſeruata Romano Pontifici: nam vota, & iuramenta rerum reſeruatarum Romano Pontifici reſeruata illa cenſentur, quando proficiſcuntur ex affectu, & amore in rem promiſſam tanquam bonam, & ſalubriter præſtandam in Dei honorem; ſed iuraméta pœnalia non emittuntur à iurante ea affectu & amore in rem promiſſam tanquam bonam, & ſalubriter præſtandam in Dei honorem, ſed potiùs eorum timore voluit iurans deterreri, ne delictum admitteret, quod vitare propoſuit. ergo. Vnde, quia iuramenta conditionata tendunt in rem promiſſam tanquam bonam, & Deo gratam, poſt adimpletam conditionem remanent Romano Pōtifici reſeruata; pœnalia verò, quia tendunt in rem promiſſam, tanquam pœnam peccati vindicatiuam, quod iurans propoſuit vitare, eueniente conditione non remanent reſeruata: videantur Lopez *p. 1. Inſtruct. c. 44. §. ſi autem ſub forma* Arag. 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 12. §. *ſi quis autem quærat, verſ. ſed iam.* Layman *tom. 2. lib. 4. tract. 4. cap. 8. de voti relaxatione, num.* 10. §. *Porrò cur votum merè.*

Dvbitatio VII.

VII. *An poſſit Epiſcopus, vel Confeſſarius per Bullam, aut Iubilæum, diſpenſare in iuramentis, de materia reſeruata Romano Pontifici, emiſſis tamen in pœnam vitij, vel per deſperationem?*

Dico decimò, ſi quis in pœnam, ac ſupplicium vitij à ſe admiſſi, puta homicidij, vel fornicationis, iurauerit ingredi Religioné, vel perpetuam ſeruare caſtitatem, aut peregrinationem Romanam, Hieroſolymitanam, vel Compoſtellanam; vel ſi quis, quia non obtinuit beneficium, cui ſe oppoſuerat, præ indignatione, vel deſperatione, ne vitam pauperem ducat, iuret ingreſſum Religionis, perpetuam caſtitatem, &c. Epiſcopus ſuper his iuramentis diſpenſare non poteſt, nec per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæū, hæc iuramenta poteſt Confeſſarius commutare. quia iſta iuramenta rerum reſeruatarum ſunt abſoluta, ex nullo enim futuro euentu pendent, & voluntas iurantis in rem promiſſam tanquam bonam, & Deo gratam fertur. ergo. Videatur Sanchez *lib. 8. de matrim. diſput.* 10. *num.* 9.

Articvlvs XVIII.

An Confeſſarius electus tempore Iubilæi poſſit commutare iuramenta?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*

2. *Reſſen*

2. *Reſpondetur quæſito.*
3. *Rationi in contrarium à principio poſitæ reſpondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

NAm obligatio voti, & iuramenti ſunt diuerſæ ſpeciei. ergo cui facultas demandatur vnum ſoluendi, aut commutandi, non eo ipſo poteſtas committitur tollendi, aut commutandi alterum, à diuerſis enim non fit illatio, & ita hanc ſententiam tenet Azor. *part. 1. Inſtit. mor. lib. 11. cap. 10. dub. 2.*

II. *Reſpondetur quæſito.*

Confeſſarius cui virtute Iubilæi, vel alterius Bullæ facultas commutandi vota conceditur, poteſt etiam vi huius conceſſionis commutare iuramenta ſoli Deo præſtita, circa eaſdem materias, quæ ſi eſſent vota, poſſet illa commutare. quia votum & iuramentum pium Deo præſtitum in iure, & apud Doctores, æquiparantur, eo quòd ambo fermè eandem obligationem erga ſolum Deum ex virtute Religionis contineant. ergo diſpoſitum de vno, cenſeri debet diſpoſitum de altero, iuxta regulam gloſſæ *cap. ſi poſtquam, verb. Prouiſione, de electione in 6.* ergo ſi Confeſſario virtute Iubilæi, vel alterius Bullæ conceditur facultas commutandi vota, cenſetur eidem conceſſa facultas commutandi pia iuramenta Deo præſtita circa eaſdem materias: videantur pro hac aſſertione Caietan. *2. 2. quæſt 89. art. 9. verſicul. Et cùm iuramentum ſit.* Sanchez *lib. 8. de matrim. diſput. 2. num.* 18. Lopez noſter *2. part. Inſtruct.* vbi de Clauibus, *cap. 9. §. Ad punctum denique, verſic. Dicitur ſecundò*, & alij cit. *ſuprà.*

III. *Rationi in contrarium à principio poſitæ, reſpondetur.*

Nec officit ratio in contrarium à principio difficultatis poſita, quæ directè militat contra hanc vltimam immediatam noſtram aſſertionem: nam licèt obligationes voti & iuramenti ſint ſpecie diuerſæ; iuramenti enim obligatio oritur ex reuerentia erga Deum, ne Deus adducatur in teſtem falſi, obligatio verò voti ex fidelitate. D. Thom. *2. 2. q. 88. art. 3. cap. qua tenemur Deo ſeruare promiſſum.* Iuramentum igitur ligat: quia eſt ſacra rei atteſtatio ratione reuerentiæ, qua quis debet implere, quod per nomen eius promittit: votum verò ratione fidelitatis, qua quis debet implere, quod Deo promittit, & ſic diuerſo modo obligat iuramentum, & votum, vt bene explicat Rodriquez *tom. 1. qq. Reg. quæſt. 63. art. 5. §. Nec obſtat*; tamen hæ obligationes voti, & iuramenti, quoad diſpenſationem & commutationem, æquiparantur omnino, eo quòd ambo, votum ſcilicet, & iuramentum fermè ſimilem obligationem erga Deum ex Religionis virtute contineant. Confeſſarius igitur qui virtute alicuius Bullæ, priuilegij, vel Iubilæi habet auctoritatem delegatam commutandi vota, poterit etiam ſimilia iuramenta commutare, ita Doctores allegati, Caietanus, Lopez, Sanchez citati, & vltra hos Viualdus *3. part. Candelabri, cap. 14. num.* 8. Rodriquez *ſumma part. 1. cap. 102. num. 3.* contra Nauarr. *ſumma cap. 27. num. 275. verſicul. Decimoſextò.* Sà *verb. Iuramentum, n. 32.* Azor *lib. 11. part. 1. Inſtit. mor. cap. 10. dub. 2.* Et hæc de hoc dubio & tractatu dicta ſufficiant.

DISQVISITIO XXVII.

De Diſpenſatione in votis, & iuramentis.

ARTICVLVS VNIC.

An Confeſſarij Regulares poſſint diſpenſare, & commutare vota fidelium?

SVMMARIVM.

1. *Pars negatiua probatur.*
2. *Explicatur, An Confeſſarij Regulares, qui fruuntur priuilegijs Ordinum Mendicantium, poſſint commutare, & diſpenſare in omnibus votis, in quibus poſſint Epiſcopi.*
3. *An Confeſſarij Regulares, vi ſuorum priuilegiorum, poſſint commutare vota in præiudicium tertij.*
4. *An Confeſſarij Regulares, qui vi ſuorum priuilegiorum, poſſunt commutare, vel diſpenſare in votis, id etiam poſſint in iuramentis Deo factis.*
5. *An Confeſſarij Regulares, poſſint commutare vota fidelium, iuramento firmata.*
6. *An Confeſſarij Regulares, vi ſuorũ priuilegiorum, poſſint commutare vota, ne dum ſæcularibus diœceſis in qua ſunt, ſed etiam vndiquaque venientibus.*
7. *An Confeſſarij Regulares Mendicantium, vi priuilegiorum, poſſint commutare vota pœnalia, circa materiam reſeruatam ſummo Pontifici.*
8. *An Epiſcopi, vrgente graui neceſſitate, poſſint diſpenſare in votis perpetuæ caſtitatis, & Religionis, ac peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Cõpoſtellanæ.*
9. *An Confeſſarij Regulares, vi ſuorum priuilegiorum, vrgente aliqua neceſſitate, poſſint diſpenſare in votis ſummo Pontifici reſeruatis.*
10. *An Confeſſarij Regulares, vi ſuorum priuilegiorũ, poſſint diſpenſare in foro conſcientiæ, ad petendum debitũ, cum his, qui conſanguineum, vel conſanguineam ſui coniugis, carnaliter cognouerunt poſt matrimoniũ? & , An hoc priuilegium poſſit habere effectum, cum his, qui ſpiritualem cognationem contraxerunt.*
11. *An copula illicita, habita cum conſanguineis alterius coniugis, impediat petitionem debiti, & quando per copulam illicitam oriatur affinitas.*
12. *An coniunx, qui poſt contractum matrimonium factus eſt affinis, vel cognatus ſpiritualis alterius coniugis, ex ignorantia iuris, vel facti, vel pœna priuetur iure petendi debitum, & quid ſit ignorantia iuris, facti, & pœna.*
13. *An inceſtuoſo cum proprijs conſanguineis, ſit interdicta petitio debiti.*
14. *An alter coniunx, rem habens cum affinibus alterius coniugis, priuetur iure petendi debitum.*
15. *An coniunx ſcienter baptizans, vel ſuſcipiens in Baptiſmo, vel confirmatione, filium communem, vel alterius coniugis, per cognationem ſpiritualem, priuetur iure petendi debitum.*
16. *Quid, & quotuplex ſit cognatio ſpiritualis? & , An contrahatur inter ſuſceptores.*
17. *Explicatur quot gradus habeat, & ad quos ſe extendat, cognatio ſpiritualis, iure antiquo, & iure nouo, poſt Concilium Tridentinum.*
18. *An cognatio legalis ſuperueniens matrimonio, impediat debiti petitionem.*
19. *Explicatur quid ſit cognatio legalis, & inter quos contrahatur?*

trahatur? & an ſit validum matrimonium cognatione legali poſita.

20. *An Epiſcopi poſſint diſpenſare cum coniuge, ad petendum debitum, quando cum ſuo coniuge contraxit affinitatem ſpiritualem.*

21. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare cũ eo, qui voto caſtitatis obſtrictus matrimonium cõtraxit, vt petat debitũ.*

22. *An Confeſſarij Regulares, vi ſuorum priuilegiorum, poſſint diſpenſare cum eo, qui poſt votum caſtitatis, matrimonium contraxit, vt petat debitum.*

23. *An Epiſcopus, vel Confeſſarius Regularis, vi priuilegiorum, poſſint diſpenſare cum altero coniuge qui poſt matrimonium conſummatum vouit caſtitatem vt licitè petat debitum.*

24. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto caſtitatis, emiſſo ab vtroque coniuge, de communi contractu, per modum contractus? & idem poſſit Confeſſarius Regularis, vi priuilegiorum.*

25. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

I. *Pars negatiua probatur.*

OBligatio voti fundatur ſuper fidelitatem quam homo debet Deo, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *in corpore*; ſed in hac nullus poteſt diſpenſare, nec commutare materiam in qua talis fidelitas eſt Deo ſeruanda. ergo. Maior patet. Probatur minor, nam in his quæ ſunt de lege naturæ, & in præceptis diuinis, non poteſt per hominem diſpenſari, nec materia eorum mutari per hominem poteſt, ſed implere votum eſt de lege naturæ, & eſt etiam præceptum legis diuinæ, vt probat D. Th. nuper relatus. ergo, &c.

Dvbitatio I.

II. *An Confeſſarij Regulares, qui, fruuntur priuilegijs Ordinum Mendicantium, poſſint commutare & diſpenſare in omnibus votis, in quibus poſſunt Epiſcopi?*

Dico primò, Confeſſores Regulares, qui fruuntur priuilegiis Ordinum Mendicantium, poſſunt diſpenſare in omnibus votis, in quibus poſſunt Epiſcopi: vota autem in quibus poſſunt Epiſcopi, ſunt omnia, exceptis quinque, videlicet caſtitatis perpetuæ, Religionis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ, & ſimiliter omnia ſæcularium vota commutare, quæ poſſunt Epiſcopi. quia hanc facultatem priuilegia multorum Pontificum Mendicantibus Confeſſariis conceſſerunt. Ita docent Lopez noſter *p.* 1. *Inſtruct. cap.* 50. §. *Ex priuilegio Innocentij VIII.* Nauarr. *ſumma, cap.* 12. *num.* 79. *verſic. ſecundum quod Papa Innocentius.* Arag. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *concluſ.* 6. *verſic. Immo omnes Confeſſarij Ordinum Mendicantium.* Valentia *tom* 3. *diſput.* 6. *q* 6. *de voto, punct.* 7. §. *item vt notat illic Nauarrus.* Sayr. *lib.* 6. *Clauis Regiæ, cap.* 11. *dub.* 17. *num.* 95. vbi adducit priuilegia ſummorum Pontificum.

Dvbitatio II.

III. *An Confeſſarij Regulares, vi ſuorum priuilegiorum, poſſint commutare vota in præiudicium tertij?*

Dico ſecundò, Confeſſores Regulares vi ſuorum priuilegiorum non poſſunt vota commutare in præiudicium tertij: non eſt autem præiudicium tertij, ſi quis voueat, aut iuret Deo, dare calicem huic Monaſterio, ſi nomine Monaſterij tale votum, vel iuramentum non eſt acceptatum. nam poteſt tale votum, vel iuramentum nondum acceptatum nomine illius, cui præſtitum eſt ex commutatione Epiſcopi, alteri Monaſterio, aut pio operi applicari quia in hoc caſu non eſt ius quæſitum Monaſterio, ſed Deo, & poteſt Dei Vicarius, qualis eſt Epiſcopus, reſtitutionem Deo debitam commutare in aliud pietatis opus, vel applicare alteri pio operi; non autem poteſt reſtitutionem debitam homini commutare. quia hoc faceret in eius præiudicium: nullum autem Deo præiudicium infertur ex eo, quòd ei promiſſum, alteri operi pio applicetur. ergo ſimiliter Confeſſarij Regulares, vi ſuorum priuilegiorum, cùm poſſint diſpenſare in votis, eaque commutare, quæ poſſunt Epiſcopi, quamuis non poſſint commutare ea, quorum commutatio eſt in præiudicium tertij, poterunt tamen ea, quæ non dum ſunt ab homine accepta, commutare, cùm nullum tertio tunc præiudicium inferatur: videatur Rodriquez *tom.* 1. *quæſtionum Reg. q.* 63. *art.* 4.

Dvbitatio III.

IV. *An Confeſſarij Regulares, qui vi ſuorum priuilegiorum, poſſunt commutare, vel diſpenſare, in votis, id etiam poſſint in iuramentis Deo factis?*

Dico tertiò. Confeſſores Regulares Ordinum Mendicantium poſſunt vi ſuorum priuilegiorum, quibus conceditur facultas commutandi vota fidelium, etiam commutare iuramenta facta Deo: vt ſi quis iurauit ieiunare, vel peregrinari, vel alia quæ non ſunt in damnum tertij, vi ſuorum priuilegiorum Confeſſarij Regulares Ordinum Mendicantium, poſſunt hæc iuramenta in alia pietatis opera commutare. quia qui virtute alicuius priuilegij habet auctoritatem commutandi vota, poteſt etiam ſimilia iuramenta facta Deo commutare. ergo Confeſſores Regulares Ordinum Mendicantium cùm habeant facultatem vi ſuorum priuilegiorum commutandi vota, exceptis illis quinque, caſtitatis ſcilicet perpetuæ, Religionis, peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ, Compoſtellanæ, poterunt etiam ſimilia iuramenta pia facta Deo commutare: tum, quia cui conceditur maius vinculum ex virtute Religionis ſoluere, cenſetur concedi quod ex eadem virtute minus eſt; ſed votum maius eſt, quàm iuramentum, vt docet D. Th. 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 8. ergo. & ita hanc aſſertionem tenent Ioannes de la Crux *lib.* 2. *de priuilegijs, c.* 6. *dub.* 8. *concluſ.* 2. Viualdus 3. *p. Candelabri, cap.* 14. *n.* 8. Henriquez *lib.* 7. *de Indulgentijs, c.* 30 *n.* 5. *verſ. Priuilegium voti,* Rodriquez *tom.* 1. *qq. Reg. q.* 63. *art.* 5.

Dvbitatio IV.

V. *An Confeſſarij Regulares, poſſint commutare vota fidelium iuramento firmata?*

Dico quartò. Confeſſarij Regulares Ordinum Mendicantium poſſunt commutare vota fidelium, etiam coniuncta iuramento, ſeu vota iurata, ſeu vota iuramento firmata, ſiue iuramentum accedat acceſſoriè voto, vt quando præſtatur iuſiurandum ad voti emiſſi confirmationem, ſiue non præſtetur in voti confirmationem, ſed independenter à voto, & tantùm concomitanter. quia priuilegium conceſſum Confeſſariis Societatis Iesv à Gregorio XIII anno Domini 1575. cuius initium eſt, *Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem*, quo ipſis indulget vt poſſint vota etiam iurata commutare, loquitur indiſtinctè, & nulla ratio cogit ad illud limitandum, ſiue iuramentum accedat acceſſoriè voto, ſiue ſit etiam principale, & quaſi concomitans: ſed omnes

Religiones

Religiones mendicantes communicant in priuilegiis conceſſis, & concedendis Religioſis mendicantibus, & non mendicantibus, vt videre eſt per Bullas citatas apud Ioannem de la Crux *lib.2.cap.4.dub.1.* ergo Confeſſarij Regulares Ordinum Mendicantium vi conceſſionis, & participationis priuilegij Gregorij XIII. poſſunt commutare fidelium vota iuramento firmata, ſiue iuſiurandum præſtetur in voti confirmationem, ſiue non præſtetur in voti confirmationem, ſed independenter à voto, & tantùm concomitanter: videatur noſter Ioannes de la Crux. Rodriquez *locis* nuperrimè *citatis.* Sanchez *lib.4. oper.mor.cap.53.num.16. & eodem libro cap.54.num.3.*

Dvbitatio V.

VI. *An Confeſſarij Regulares, vi ſuorum priuilegiorum, poſſint commutare vota, ne dum ſæcularibus diœceſis, in qua ſunt, ſed etiam vndequaque venientibus?*

Dico quintò, facultas commutandi vota Confeſſariis Ordinum Mendicantium conceſſa per ſua priuilegia, non eſt reſtringenda vt tantùm eo priuilegio vti poſſint erga ſæculares ſubditos Epiſcopo illius diœceſis, in qua ſunt hi Confeſſarij; ſed eſt extendenda erga omnes fideles vndequaque venientes. quia hanc poteſtatem habent à ſummo Pontifice, qui toti orbi præeſt; ergo non eſt cur ea reſtringenda ſit ad ſubditos illius diœceſis, in qua Religioſi inueniuntur: tum, quia hæc facultas prædictis Confeſſariis Ordinum Mendicantium eſt conceſſa, quo meliùs pœnitentium ad illos confluentium ſaluti ſpirituali conſulere poſſint. ergo rationi conſentaneũ eſſe videtur quòd ſicut vndecunque venientium poſſunt audire confeſſiones: ita quoque poſſint in eorum votis diſpenſare, eave commutare: tum, quia hoc priuilegium conceſſit expreſsè commutandi vota fidelium vndecunque venientium Paulus III. Presbyteris Confeſſariis Societatis IESV. quod adducitur à Sanch. *lib.4.oper.mor.c.54. n.3.* ergo cùm Cõfeſſarij Ordinũ Mendicantium communicẽt in hoc priuilegio, poterunt vota commutare fidelium vndecunque venientium: exceptis votis perpetuæ caſtitatis, Religionis, peregrinationis Romanę, Compoſtellanæ, & Hieroſolymitanæ, vti excipit in ſua conceſſione ſummus Pontifex Paulus III. videatur Manuel Rodriquez *in addit. ad Bullam Cruciatæ. §.9. n.120.* Sanchez *lib.4 oper.mor.cap.43.num.15.*

Dvbitatio VI.

VII. *An Confeſſores Regulares Mendicantium, vi ſuorum priuilegiorum, poſſint commutare vota pœnalia, circa materiam ſummo Pontifici reſeruatam?*

Dico ſextò, vota pœnalia ſæcularium circa materiam Papæ reſeruatam, v.g. ſi quis ita voueat, Si fornicatus fuero, voueo in pœnam me ingreſſurum Religionem: vel, ſi luſero taxillis, voueo me iturum Compoſtellam, vel Hieroſolymam, etiam poſt adimpletam conditionem poſſunt virtute ſuorum priuilegiorum commutare Confeſſores Regulares Ordinum Mendicantium, & in eis diſpenſare. quia huiuſmodi vota pœnalia iure ordinario poſſunt Epiſcopi commutare, & in eiſdem diſpenſare, vt diximus cum Lopez, Sanchez, Laymann *diſq.præcedenti, art.17. aſſert.4.* vltra ibi allegatos docent Arrag. *2.2. q.88. art.12. §.Si quis autem quærat, verſ. Sed iam communis opinio eſt*, Henriquez *lib.7.de Indulgentijs, cap.30.n.6.* Immo Confeſſarij per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum, huiuſmodi vota pœnalia poſſunt commutare, vt notauimus *art. 17.cit. aſſertione 6. eadem diſquiſitione præcedenti*; ſed Confeſſores Regulares Ordinum Mendicantium ex conceſſione Eugenij IV. & Martini V. poſſunt diſpenſare in votis iure ordinario Epiſcopo reſeruatis, eave commutare; ergo. videantur priuilegia hoc concedentia apud Rodriquez *tom.1. qq. Reg.q.63. art.3.* & apud Sayrum *lib.6.Clauis Regiæ, cap.11.dub.17.n.98* & apud Sanchez *lib.4.c.53.n.4.* & illud Martini V. præcipuè habetur in compendio priuilegiorum Societatis IESV, *verb.Diſpenſatio, §.10.* & ita hanc aſſertionem docent Manuel Rodriquez *loco* nouiſſimè *relato art.* 7. Suarez *tom.2. de Religione, tract.de voto lib. 6. cap.26. num.* 17. Sanchez *lib. 4. oper. moral. cap. 53. num.* 8. Henriquez *lib.7. de Indulgentijs, cap.30.num.6.ad finem.* Noſter de la Crux *lib.2.de priuilegijs, cap.6.dub.8.concluſ.1. verſic. Imò licèt Religioſi.*

Dvbitatio VII.

VIII. *An Epiſcopi, vrgente graui neceſſitate, poſſint diſpenſare in votis perpetuæ caſtitatis, & Religionis, ac peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ?*

Dico ſeptimò, Epiſcopus in votis perpetuæ caſtitatis, ac Religionis, poteſt diſpenſare, quando magnum incontinentiæ periculum imminet, nec facilis aditus ad Pontificem patet præ paupertate, vel alia cauſa, etiamſi huiuſmodi vota ſint abſoluta. quia iure optimo credi poteſt non eſſe mentem Pontificis velle in tali caſu reſeruare ſibi hæc vota, neque eſt veriſimile velle eum, vt animæ laqueis irretitæ in tanto periculo verſentur: tum, quia, vt docet Card. *Clem.1. n.27. q.29. de rebus Eccleſ. non alien.* in ſumma alienandi neceſſitate, quæ eam celeritatem requirit, vt Superior conſuli nequeat, poteſt fieri alienatio ſine eius licentia, etiamſi iuramentum interuenerit non alienandi ſine eius licentia; ergo ſimiliter, &c. Et ita hanc aſſertionem docent Syl. *verb.votum 4.q.4. verſic.Concedo tamen Epiſcopum.* Lopez noſter *p.1. Inſtr. c.49. verſic.licèt Epiſcopus.* Nauarr. *ſumma c.12. n.76.* Arag. *2.2. quæſt.88. art.12. §.Si quis autem quærat.*

Dico octauò, quamuis non immineat periculum incontinentiæ ex mora, ſi aliquod quodcumque graue periculum immineat, vt grauis ſcandali, vel magni damni tertiæ perſonæ, poteſt Epiſcopus diſpenſare in votis perpetuæ continentiæ, vel Religionis: vnde ſi voto Religionis obſtrictus virginem deflorauit, ac grauidam effecit, voléntque eius famæ conſulere, vult eam ducere, adéſtque periculum in mora, quia ſi diſpenſatio Pontificia expectetur, matrimonium à conſanguineis viri impediretur, vel voluntas ſtuprantis mutaretur, poſſet in iſto caſu Epiſcopus in voto Religionis diſpenſare ad effectum contrahendi. quia licet regulariter nequeat Epiſcopus in lege Pontificis, aut Concilij diſpenſare, poteſt tamen in caſu vrgentis neceſſitatis, vt videre eſt apud Sotum *lib.1. de Iuſtitia, quæſt.7. art.3. verſicul. Poteſt, inquam, Epiſcopus.* ergo ſimiliter in votis Papæ reſeruatis in caſu vrgentis neceſſitatis, poterit Epiſcopus, &c. Sic colligitur ex Syl. *verb.votum 4.quæſt.4.* qui non limitat periculum ad incontinentiam, ſed generaliter dixit ex tacita commiſſione poſſe Epiſcopo vrgente periculo diſpenſare in voto perpetuæ caſtitatis, vel Religionis. Syl. ſequitur Henriquez *lib.7.de Indulgentijs, cap.30.num.6.comment. litt.B.* Sanchez *lib.8. de matrim. diſput.9.num.22.fine.*

Dico nonò, idem dicendum eſt de cæteris votis abſolutis reſeruatis, peregrinationis ſcilicet Romanæ, Hieroſolymitanæ, Compoſtellanæ, poſſe ſcilicet in his votum Epiſcopum diſpenſare, quando vouens iuſtam cauſam ſecum diſpenſandi habet, nec poteſt adire, nec mittere Romam, vel caret ſumptibus neceſſariis ad diſpenſationem impetrandam. quia non videtur maior ratio de illis duobus, perpetuæ ſcilicet caſtitatis, & Religionis, ac de iſtis tribus. ergo ſi in illis duobus, caſtitatis perpetuæ, & Religionis, poteſt diſpenſare vrgente periculo, & neceſſitate, poterit & in cæteris. Poteſt etiam Epiſcopus neceſſitate occurrenti aliter ſubuenire non diſpenſando in his votis, ſed eorum executionem ſuſpendendo: videatur pro hac aſſertione Petrus de Ledeſma *tom. 2. ſummæ tr. 10. cap. 8. in 3. part.* in qua tractat de potentibus diſpenſare, *in 4. dicto*.

Dvbitatio VIII.

IX. *An Confeſſarij Regulares, vi ſuorum priuilegiorum, vrgente aliqua neceſſitate poßint diſpenſare in votis, ſummo Pontifici reſeruatis?*

Dico decimò, Confeſſarij Regulares Ordinū Mendicantium, qui virtute ſuorum priuilegiorum habent facultatem diſpenſandi in votis, eaque commutandi, in quibus poſſunt Epiſcopi iure ordinario diſpenſare, in votis abſolutis reſeruatis non poſſunt diſpenſare, neque ea commutare, etiam inſtante graui neceſſitate. quia licèt vrgente periculo, & neceſſitate in his poſſint Epiſcopi diſpenſare, eaque commutare, hanc facultatem non habét iure ordinario, ſed ex quadam iuris interpretatione cenſetur à Doctoribus Epiſcopo permiſſa. ergo in his votis abſolutis reſeruatis etiam vrgente graui neceſſitate non poſſunt diſpenſare, eaque commutare Confeſſores Regulares Ordinum Mendicantium. quia hæc vota reſeruata abſoluta etiā inſtante graui neceſſitate non cenſentur Epiſcopalia, & ordinario Epiſcoporum iuri ſubiecta, ſed per accidens poteſt in illis Epiſcopus diſpenſare ex quadam benigna voluntatis reſeruantis interpretatione: ergo licèt Confeſſarij Regulares virtute ſuorum priuilegiorum poſſint commutare vota, quæ iure ordinario poſſunt Epiſcopi, non tamen vota reſeruata abſoluta vrgente neceſſitate poſſunt commutare, quorum commutatio per accidens vrgente graui neceſſitate ſpectat ad Epiſcopos. Doctores enim ſequentes ſacros Canones, ex benignitate quadam hanc facultatē Epiſcopis concedunt, de eorum prudentia, & ſolertia confidentes, quam facultatem non extendunt ad Confeſſarios, de quorum ſolertia & iudicio non tantum confidunt, vt bene notauit Rodriq. *tom. 1. qq. Reg. q. 63. a. 6.* Videatur etiam Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 15. n. 10.* vbi aſſerit vota abſoluta ſummo Pontifici reſeruata, videlicet perpetuæ caſtitatis, Religionis, peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ, & Compoſtellanę, per Bullam Cruciatæ, aut Iubilęum non poſſe commutari in caſibus, in quibus Epiſcopi poſſunt in his diſpenſare ratione ſolius neceſſitatis: videatur idem *lib. 1. de matrim. diſp. 40. n. 9. & lib. oper. mor. c. 43. num. 8.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. c. 14. n. 7. litt. P.*

Dico vndecimò, quando non eſt facilis aditus ad Romanum Pontificem pro petenda diſpenſatione in votis eiſdem reſeruatis, poteſt, vt diximus *aſſertione 7.* Epiſcopus in illis diſpenſare, quod limitandum eſt, niſi facilè recurri poſſit ad Nuntium Apoſtolicum, ſi poteſtatem habeat ad diſpenſandum in ſimilibus votis, vel ad quemlibet alium ſimili facultate præditum. Probatur à ſimili: quia licèt Sacerdos ſimplex pœnitentem in articulo mortis conſtitutum abſoluere poſſit ratione vrgentis neceſſitatis, ſi tamen ea ceſſet, quia vel Paſtor ordinarius, vel ab ipſo expoſitus haberi poteſt, nequibit abſoluere: ergo ſimiliter ſi neceſſitas ceſſat quando adeſt potens diſpenſare, ad quem confugi poteſt, non valebit Epiſcopus, &c. Videatur Arag. *2. 2. q. 88. art. 12. §. Si quis autem quærat*, licèt Henriquez *lib. 6. de pœnit. c. 10. n. 1. commento litt. D.* tenuerit poſſe Epiſcopum in caſibus vrgentis neceſſitatis diſpenſare in votis abſolutis ſummo Pontifici reſeruatis, etiamſi facilè recurri poſſit ad Nuntium potentem in eis diſpenſare. quia ius horum votorum reſeruatorum diſpenſationem ſoli Pontifici reſeruat; ergo ſi is conſuli nequeat vrgente graui neceſſitate, poterit Epiſcopus tanquam Paſtor ordinarius in illis diſpenſare: videatur idem *lib. 12. de matrim. c. 3. n. 1. commento litt. H.*

Dvbitatio IX.

X. *An Confeſſarij Regulares, vi ſuorum priuilegiorum, poßint diſpenſare in foro conſcientiæ, ad petendum debitum, cum his qui conſanguineum, vel conſanguineam ſui coniugis, poſt matrimonium carnaliter cognouerunt? & , An hoc priuilegium poßit habere effectum, cum his, qui ſpiritualem cognationem contraxerunt?*

Dico duodecimò, Confeſſarij Regulares communicantes in priuilegiis conceſſis, & concedendis aliis Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, ſi ſint viri docti, & iuxta formam Conc. Trid. approbati, ex commiſſione Prouincialis diſpenſare poſſunt in foro conſcientiæ ad petendum debitum cum iis, qui conſanguineum, vel conſanguineam ſui coniugis poſt matrimonium carnaliter cognouerunt. Ita Sanctiſſimus Pius V. conceſſit Franciſcanis de Obſeruantia 17. Septembr. anni 1569. & refertur *in compendio priuilegiorum Societatis* Iesv, *verb. diſpenſatio* §. 4. Per priuilegium tamen Iulij II. conceſſum Congregationi S Benedicti Vallis Oleti poſſunt id facere ſine commiſſione Prouincialis. Ita notauit noſter de la Crux *lib. 2. de priuilegijs, c. 6. dub. 9.* adducens ad hoc priuilegium Sanctiſſimi Pij V. Iulij II. & Martini V. Rodriq. *tom. 1. qq. Reg. q. 63. a. 1.* Sayr. *lib. 6. Clauis Regiæ, c. 11. dub. 17. n. 98.* Sanchez *lib. 8. diſp. 16. n. 8.* vbi etiam docet eſſe tutiſſimum hac vti conceſſione. Idem Rodriq. *tom. 1. ſumma c. 242. n. 12.* Henriq. *lib. 11. de matrim. c. 15. n. 11. ad finem*: videatur etiam compendium priuilegiorum & gratiarum Congregationis B. Mariæ Fulienſis ex Ordine Ciſtercienſi, *verb. Diſpenſatio, §. 1. fol. 74.*

Dico decimotertiò, hoc priuilegium conceſſum Confeſſariis Regularibus diſpenſandi in foro conſcientiæ ad petendum debitum cum iis coniugibus, qui poſt matrimonium contractum inter ſe ex copula carnali habita cum conſanguineis ſui coniugis affinitatem contraxerunt, non extenditur ad diſpenſandum cum coniugibus qui ſpiritualem cognationem cōtraxerunt, vt poſſint licitè petere debitum. quia cùm ſint diuerſæ rationis impedimenta, nec in verbis conceſſionis vnius poſſit alterum comprehendi, non poteſt conceſſio vnius ad alterum protrahi. ergo. Ita bene obſeruauit Sanchez *lib. 8. cit. diſput. 15. num. 13.* Oppoſitum tenuit Rodriquez *in addit. ad Bullam §. 13. num. 17.* poſſe ſcilicet Confeſſores Regulares diſpenſare virtute eiuſdem priuilegij ad petendum debitum cum coniugibus qui ſpiritualem cognationem contraxerunt.

Dvbi

Dvbitatio X.

XI. *An copula illicita, habita cum conſanguineis alterius coniugis, impediat petitionem debiti? & , Quando per copulam oriatur affinitas?*

Dico decimoquartò, copulam illicitam habitam cum conſanguineis alterius coniugis, minimè impedire debiti petitionem vltra ſecundum gradum. quia impedimentum hoc petendi debitum non tam ex inceſtu, quàm ex affinitate inde contracta oritur; ſed ea copula illicita vltra ſecundum gradum non oritur affinitas ad impediendum matrimonium iure nouo Concilij Tridentini *ſeſſ.24. de Reform. matrim. cap.4.* ergo nec ad eius vſum, quod minus eſt: nam cui licet quod plus eſt, licet quod minus eſt. *reg. cui licet, de reg. iur. in 6.* Ita colligitur apertè ex Ludouico Lopez *p.2. Inſtr. de matrim. c.50.* vbi de impedimento affinitatis, *§. Præterea aduertendum eſt, verſ. Tum etiam patet.* Viualdus *p.1. de matrim. n.209.* Henriquez *lib.11. de matrim. cap.15. num.11.*

Dico decimoquintò, non officere contra immediatam hanc aſſertionem argumentum ſuſtinentium oppoſitum. nam, inquiunt, interdictum petendi debitum conſurgit ex peccato inceſtus. ergo cognoſcens carnaliter conſanguineam alterius coniugis vſque ad quartum gradum incluſiuè, non poteſt à proprio coniuge licitè debitum petere. quia copula illa vſque ad quartum gradum incluſiuè eſt inceſtuoſa. hoc, inquã, non obſtat. nam quamuis concedamus copulam illam illicitam cum conſanguineis alterius coniugis eſſe inceſtuoſum vſque ad quartum gradum, tamen cùm impedimentum hoc petendi debitum, non tam ex inceſtu, quàm ea affinitate inde contracta oriatur, vt teſtatur D.Th. *in 4. diſt.34 q. vnica, art.5. in ſolutione ad obiecta.* Syl. *verb. matrim.7. q. vltima, dicto 3.* & Concil. Trid. *ſeſſ.24. de Reform. matrim. c. 4.* ſtatuat ex copula illicita nullam oriri affinitatem vltra ſecundum gradum ad impediendum matrimonium, quod plus eſt, ſequitur quòd nullum impedimentum, vltra ſecundum gradum oriatur ad petendum debitum, quod minus eſt: & ita hanc aſſertionem vltra Doctores allegatos aſſertione præcedenti, docet P. de Ledeſma *de matrim. quæſt. 55. art.3. dub.4.* Rodriquez *ſumma part.1. cap.842. num.12.* Sà *verb. Debitum coniugale, num.13.*

Dico decimoſextò, tunc inceſtuoſus huiuſmodi priuatur debiti exactione, quando ſemen incidit intra vas, itaut ex ea cõpula oriatur affinitas. quia cùm huius impedimenti cauſa ſit affinitas orta inter coniuges ratione illius copulæ inceſtuoſæ, ſi copula eſt talis, vt ea ea non oriatur affinitas, qualis eſt copula, per quam ſemen non emittitur intra vas, ceſſat impedimentum. ergo vt inceſtuoſus priuetur debiti petitione, requiritur quòd ſemen ſit emiſſum intra vas. Ita Petrus de Ledeſma *loc. cit. art.6. circa 3. ſtatum.* Sanchez *lib.9. de matrim. diſput.27. num.1.*

Dvbitatio XI.

XII. *An coniunx, qui poſt contractum matrimonium, factus eſt affinis, vel cognatus ſpiritualis alterius coniugis, ex ignorantia iuris, vel facti, vel pœna, priuetur iure petendi debitum, & quid ſit ignorantia iuris, facti, & pœna?*

Dico decimoſeptimò, coniux qui poſt contractum matrimonium factus eſt affinis, vel cognatus ſpiritualis alterius coniugis ex ignorantia iuris, vel facti, non priuatur iure petendi debitum. quia iura prohibent debiti petitionem, quando contracto matrimonio ſcienter contrahitur affinitas, vel cognatio ſpiritualis, non verò quando ex ignorantia iuris, vel facti: vidcatur *cap.1. de eo, qui cognouit conſanguineam, & cap. ſi vir, de cognatione ſpirituali.*

Dico decimooctauò, ignorantia iuris contingit, quando aliquis accedit ad conſanguineam vxoris, neſciens latam eſſe legem poſitiuam humanam prohibentem acceſſum ad conſanguineam vxoris. nam quamuis iſte ſciat prohibitum eſſe iure naturæ accedere ad conſanguineam vxoris, dicitur tamen habere ignorantiam iuris humani eo, quòd neſciat ſpeciali lege humana prohibitum eſſe accedere ad conſanguineam vxoris.

Dico decimononò, ignorantia facti, eſt quando aliquis ſcit latam eſſe legem ab Eccleſia ſpecialiter prohibentem acceſſum ad conſanguineam vxoris, ſed neſcit illam ad quam modò accedit eſſe conſanguineam, & iſte acceſſus non eſſet tunc inceſtuoſus. Victoria *ſumma q. 285.* Idem dicendum eſt quando aliquis baptizat proprium filium, neſciens illum eſſe proprium filium, licèt ſciat ex Eccleſiæ ſtatuto contrahi cognationem ſpiritualem baptizando: vtraque hæc ignorantia, & iuris, & facti, excuſat à priuatione exactionis debiti. Nauarr. *ſumma c.16. n. 34. verſ. Decimò qui, vel qua.* Lopez *p.1. Inſtruct. cap.85. §. Cæterùm ſi quis.*

Dico vigeſimò, etiam ignorantia pœnæ excuſat à priuatione iuris petendi debitum, & ſic factus affinis, vel cognatus ſpiritualis alteri, ea ignorantia pœnæ non priuatur iure petendi debitum, licèt fortè habeat ſcientiam iuris, vel facti: vnde qui copulam habuit cum conſanguinea vxoris in primo, vel ſecundo gradu, neſciens ex huiuſmodi copula conſurgere priuationem iuris petendi debitum ab vxore, non priuatur iure petendi. quia ignorantia pœnæ cenſuræ excommunicationis excuſat ab incurrenda excommunicatione. ergo etiam ſimiliter excuſat ab incurrenda priuatione iuris petendi debitum, & ita hanc aſſertionem dicit eſſe valde probabilem Bonacina *tom.1 tract. de matrim. quæſt.4. puncto 2. num.6.* & colligitur clarè ex Nauarr. *ſumma cap.23. num.47.*

Dvbitatio XII.

XIII. *An inceſtuoſo cum proprijs conſanguineis, ſit interdicta petitio debiti?*

Dico vigeſimoprimò, inceſtuoſo cum proprijs conſanguineis non interdicitur debiti petitio. quia quamuis hic inceſtus grauius peccatũ ſit, ac cùm ex ipſo minimè oriatur vinculum affinitatis cum proprio coniuge, non ita matrimonio aduerſatur: tum, quia cùm hæc ſit pœna, non eſt extendenda vltra caſus in iure expreſſos; ſed ius ſolum eam indixit inceſtuoſo cum conſanguineis proprij coniugis. ergo. Ita Syl. *verb. matrim.7. q.6. dicto 3.* Sotus *in 4. diſt.37. quæſt. vnica, art.2 ad finem, verſic. Dubium autem eſt.* Quamuis alij, inter quos eſt Angelus *verb. Inceſtus, n.5.* extendant hanc pœnam ad inceſtuoſum coniugem cum ſuis conſanguineis, aſſerentes illi interdici debitum petere.

Dvbitatio XIII.

XIV. *An alter coniunx, rem habens cum affinibus alterius coniugis, priuetur iure petendi debitum?*

Dico vigeſimoſecundò, ſi alter coniux rem habet cum affinibus alterius coniugis, non interdicitur ei debiti petitio. quia illa copula nec eſt inceſtuoſa: inceſtus

inceſtns enim eſt congreſſus cum propria cognata; ſed affinis vnius coniugis, nun eſt affinis alteri coniugi. ergo congteſſus cum affinibus alterius coniugis non eſt inceſtuoſus: nec ex ea copula aliqua oritur affinitas cum altero coniuge, cùm affines vnius coniugis nullo modo alteri coniuncti ſint. Ita Sanchez *lib. 9. de matrim. diſput. 27. num. 4.* licèt Rodriqnez *ſumma part.1.cap.208.concluſione 3.fine*, aſſerat coniugi qui rem habet cum affinibus alterios coniugis, interdici deberi petitionem.

Dvbitatio XIV.

XV. *An coniunx ſcienter baptizans, vel ſuſcipiens in Baptiſmo, vel Confirmatione, filium communem, vel alterius coniugis, propter cognationem ſpiritualem, priuetur iure petendi debitum?*

Dico vigeſimotertiò, coniux extra neceſſitatem ſcienter baptizans, aut teneus tanquam patrinus in Baptiſmo, vel Confirmatione, communem filium, aut alterius coniugis, priuatur ratione illius cognationis ſpiritualis, nimirum compaternitatis ortæ inter illum, & alterum coniugem iure exigendi debitum. quia cùm cognationem ſpiritualem cum altero coniuge ſua culpa contrahat, interdicitur ſibi debiti petitio: videatur D.Thom. *in 4 diſt.42.quæſt.1. art.1. corpore.* Sotus *ibi quæſt.1. art.1. concluſ.3.* licèt alij oppoſitum tenuerint.

Dico vigeſimoquartò, coniux verò qui in neceſſitate baptizauit filium communem, aut filium alterius coniugis, non priuatur iure petendi debitum: adeſt autem neceſſitas filium baptizandi, quando non adeſt alius, qui illum baptizet, & alioquin erat periculum, vt filius diſcederet ſine Baptiſmo, in iſto caſu coniux baptizans filium non priuatur iure petendi debitum, quia neceſſitas caret lege. ergo à pœna legis excuſat: tum, quia æquum non eſt vt aliquis ſubeat pœnam priuationis debiti abſque ſua culpa, & ex eo quòd ſatisfecit ſuæ obligationi. Ita D.Th. & Sotus *loc.cit.*

Dico vigeſimoquintò, coniux qui in neceſſitate tanquam patrinus ſuſcepit in Baptiſmo, vel in Confirmatione filium communem, vel alterius coniugis, quádo ſcilicet nullus adeſt, qui fungatur munere patrini, ſi ſcienter ſuſcipiat, priuatur iure petendi. quia nullo præcepto cogitur ſuſcipere. Ita P.de Ledeſma *de matr. q.56.art.1. dub.1. in princip.* Henriquez *lib.11. de matr. cap.15 num.11.* Bunacina *tom.1 tract.de matrim. quæſt.4. puncto 2.num.3.verſic.Secus dicendum eſt.*

Dico vigeſimoſextò, verius tamen, & probabilius eſt in caſu neceſſitatis, quando nullus adeſt qui patrinus ſit, ſi parens id munus obeat erga communem filium, aut erga filium ſolius alterius coniugis, non priuari iure petendi debitum. nam priuari iure petendi debitum iam acquiſito, eſt pœna delicti admiſſi per coniugem, qui contra iuris prohibitionem filium communem, aut alterius coniugis baptizauit, eiúſque patrinus fuit: at in neceſſitate vacat culpa patrem eſſe patrinum, vt docet D.Th. *3.p.q.67.art.8.ad 2.* ergo non incidit in eam pœnam non petendi debitum. Ita bene Lopez noſter *part.1.Inſtruct.cap.85. §.Præterea ſi, verſic. Si autem errore.*

Dvbitatio XV.

XVI. *Quid & quotuplex ſit cognatio ſpiritualis? &, An contrahatur inter ſuſceptores?*

Dico vigeſimoſeptimò, cognatio iſta ſpiritualis eſt quædam perſonarum proximitas proueniens ex ſtatuto Eccleſiæ, ex hoc quòd quis confert ſacramentum Baptiſmi, vel Confirmationis, ſeu tenet, vel ſuſcipit illum, cui tale ſacramentum confertur. Contrahitur igitur hæc affinitas ſpiritualis inter baptizantem, & baptizatum, & inter ſuſceptores, & ipſum baptizatum, ſimiliter inter confirmantem, & confirmatum, & inter ſuſceptores, & ipſum confirmatum, & hæc affinitas dicitur paternitatis. Altera eſt compaternitatis, quæ contrahitur inter baptizantem, ſeu confirmantem, ac patrem & matrem baptizati, vel confirmati, & inter ſuſceptores cum eiſdem parentibus baptizati, ſeu confirmati. Altera affinitas ſpiritualis confraternitatis ceſſauit iure nouo Concilij Tridentini *ſeſſ.24. de Reform.matrim.cap.2.*

Dico vigeſimooctauò, cognatio iſta ſpiritualis non contrahitur inter ſuſceptores. quia nullo iure id conſtat, huiuſmodi ſcilicet cognationem induci inter ipſos ſuſceptores: vnde ſi vir & vxor ſimul alienum puerum de ſacro fonte ſuſcipiant, vel ſint illius ſuſceptores in Confirmatione, non contrahont inter ſe cognationem iſtam ſpiritualem, conſequenter non priuantur iure exigendi debitum, quo priuantur cognati cognatione ſpirituali. nam inter ſuſceptores cùm non oriatur iſta cognatio ſpiritualis, non arcentur à debiti petitione. Ita bene Nugnus noſter *tom.1. in 3.part.q.67.art.8.§.Sequitur etiam ex dictis.*

Dvbitatio XVI.

XVII. *Quot gradus habeat, & ad quos ſe extendat cognatio ſpiritualis, iure antiquo, & iure nouo, poſt Concilium Tridentinum?*

Dico vigeſimononò, iure antiquo cognatio iſta ſpiritualis tres gradus habebat, nempe paternitatem, compaternitatem eo modo, quo diximus *aſſertione 27.* & confraternitatem, quæ contrahebatur inter filios carnales ſuſcipientis, & ipſum qui ſuſcipiebatur in Baptiſmo, vel Confirmatione, & inter filios carnales baptizantis, vel confirmantis, & ipſum qui baptizabatur, vel illum, qui ſacro Chriſmate donabatur: imò hæc cognatio ſpiritualis iure antiquo à viro ſuſcipiente in Baptiſmo, vel in Confirmatione aliquem puerum tranſmittebatur ad vxorem, & è cõtra. Ita 30. *q. 4. cap ſi quis ex vno.* quia per conſummationem matrimonij coniuges fiunt vna caro, & quaſi vna perſona: hodie verò iure nouo Concilij Tridentini ceſſat tertius gradus, nempe ceſſat gradus fraternitatis, & in parte ſecundus, nempe compaternitatis, non enim deriuatur cognatio ſpiritualis viri tenentis aliquem puerum in Baptiſmo, vel in Confirmatione ad vxorem, niſi ſimiliter & ipſa tenuerit eumdem puerum: videatur Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de Reform. matrim. cap. 2.* Nugnus nouiſſimè relatus *§. Pro cuius maiori explicatione.*

Dvbitatio XVII.

XVIII. *An cognatio legalis, ſuperueniens matrimonio, impediat debiti petitionem?*

Dico trigeſimò, cognatio legalis ſuperueniens matrimonio, non impedit debiti petitionem. quia nullo iure conſtat vt debiti petitio in eo caſu impediatur. Ita P.de Ledeſma *de matrim.q.57.art.2.ad finem* Sanch. *lib.7.de matrim q.63 n.19.* Quamuis etiam contrarium non ſine probabilitate poſſit ſuſtineri. Bonacina *tom.1. tract.de matr.q.3.puncto 5.§.... n.9.* Quòd ſi partem hanc affirmatiuam quis ſuſtinuerit, cognationem ſcilicet legalem ſuperuenientem matrimonio impedire debiti petitionem, Confeſſores regulares vi ſuorum priuilegiorum non poſſe cum iſtis diſpenſare ad debiti

petitio

petitionem, fatendum eſt, ptopter aſſertionem allatam ſuprà *aſſertione* 13. videatut *ibi.*

Dvbitatio XVIII.

XIX. *Quid ſit cognatio legalis, & inter quos contrahatur? &, An ſit validum matrimonium cognatione legali poſita?*

Dico trigeſimoprimò, cognatio legalis eſt propinquitas quatumdam perſonatum conſurgens ex adoptione: adoptio verò eſt legitima aſſumptio extraneæ perſonæ in filium, vel filiam: videatut D. Thom. *in 4. diſt. 42. q. 2 art.* 1. Cognatio legalis contrahitur primò inter aduptantem, & adoptatum, & adoptati deſcendentes vſque ad quartum gradum: ſecundò inter vxorem adoptantis, & adoptatum, & è conuerſo, id eſt, inter vxorem adoptati, & adoptantem: tertiò inter filios adoptantis & adoptatum: vnde triplex linea in cognatione legali reperitut. Ptima eſt recta inter adoptantem & adoptatum, & deſcendentes adoptati: ſecunda eſt tranſuerſalis inter adoptatum & filios carnales adoptantis: tertia eſt per modum cuiuſdam affinitatis legalis inter adoptantem & vxorem adoptati, & inter adoptatum, & vxorem adoptantis; cognatio hæc legalis impedit, & dirimit matrimoniũ inter perſonaa recenſitas: videatur Syl. *verb. matrimonium* 8. *q.* 8.

Dico trigeſimoſecundò, inualidum igitur eſt matrimonium inter adoptantem & adoptatum, & deſcendentes adoptati, vſque ad quartum gradum, & hęc cognatio inter has perſonas ſemper impedit, etiamſi adoprio diſſoluatur. Item inualidum eſt matrimonium inter vxorem adoptantis, & adoptatum, & inter vxorem adoptati, & adoptantem: hæc ſimiliter cognatio perpetuò impedit, & dirimit, etiamſi adoptio ſublata fuerit. Inualidum ſimiliter eſt matrimonium inter filios, ſeu filias adoptantis & adoptatum, ſeu adoptatam. hæc cognatio impedit, & dirimit quandiu durat, quandiu ſcilicet filij, vel filiæ adoptantis ſub illius exiſtant poteſtate, *cap. vnico, de cognatione legali.* vnde infertur quòd ſi filij adoptantis emancipentur, vel ſi pater eorum moriatur, poterunt contrahere cum adoptato, vel adoptata. quia hæc cognatio legalis tranſuerſalis tandiu durat, quandiu filij, vel filiæ, adoptantis ſub illius poteſtate exiſtunt: videatur Cajetan. *ſumma verb. matrim. n. 9. verſic. Cognatio legalis.*

Dico trigeſimotertiò, filius adoptantis poteſt matrimonium contrahere cum filia adoptati. quia nulla intercedit cognatio inter has perſonas: ſimiliter quando plures adoptati ſunt ab vno & eodem, poſſunt adoptati inter ſe inire matrimonium. nam in iure non eſt expreſſum quòd inter ipſos adoptatos inter ſe cognatio intercedat. Armill. *verb. matrim. n.* 19.

Dvbitatio XIX.

XX. *An Epiſcopi poßint diſpenſare cum coniuge, ad petendum debitum, quando cum ſuo coniuge contraxit affinitatem ſpiritualem?*

Dico trigeſimoquartò, nedum Regulares Confeſſarij vi ſuorum priuilegiorum diſpenſare poſſunt ad petendum debitum cum coniuge, cui debiti petitio eſt interdicta ratione affinitatis contractæ cum altero coniuge, vt diximus *aſſertione* 12. *in hac diſquiſ.* Sed etiam id poſſunt Epiſcopi. quia quamuis rigore iuris attento id nequeant: at ratione conſuetudinis iam præſcriptæ id poſſunt. nam praxis ipſa id teſtatur, paſſim enim Epiſcopi in hoc diſpenſant. Ita Sotus *in 4. diſt. 37. quæſt. vnica, art. 2. §. Dubium autem eſt circa has duas.* Viualdus *in Candelabro agens de matrim. n.* 210.

Dico trigeſimoquintò, Epiſcopus poteſt diſpenſare cum coniuge ad petendum debitum, non ſolùm, quando poſt contractum matrimonium contraxit affinitatem cum ſuo coniuge per copulam carnalem habitam cum conſanguineis alterius coniugis, ſed etiam quando cum ſuo coniugé contraxit affinitatem ſpiritualem. quia id conſuetudine præſcripta obtinuit Epiſcopus. Ita Lopez noſter *part. 1. Inſtruct. cap. 85. verſicul. Præterea ſi coniux.* Emanoel Sà *verb. matrim.* vbi de impedimentis dirimentibus, *num. 5. verſicul. Si pater.*

Dico trigeſimoſextò, poteſt Epiſcopus diſpenſare cum coniuge ad petendum debitum, qui cum ſuo coniuge contraxit affinitatem ratione copulæ habitæ cum conſanguineis alterius coniugis, vel quia contraxit cognationem ſpiritualem, baptizando extra caſum neceſſitatis filium communem, vel alterius coniugis, quamuis ad quoſcunque potentes diſpenſare ſit facillimus aditus. quia licèt hæc facultas ordinem duxerit ex neceſſitate medendi periculo incontinentiæ coniugum; at iam ea poteſtas ex conſuetudine præſcripta conuenit abſolutè Epiſcopis. Ita Sanchez *lib. 8. de matrim. diſput. 12. num.* 14.

Dvbitatio XX.

XXI. *An Epiſcopus poßit diſpenſare cum eo, qui voto caſtitatis obſtrictus, matrimonium contraxit, vt petat debitum?*

Dico trigeſimoſeptimò, Epiſcopus poteſt diſpenſare cum eo, qui voto caſtitatis aſtrictus matrimonium contraxit, vt petat debitum. quia præſcripta conſuetudine, quæ iuriſdictionem præbet, *cap. cùm contingat, de foro competenti,* introductum eſt poſſe Epiſcopum in eo voto diſpenſare ad petendum debitum: nec neceſſarium eſt in hoc caſu confugere ad poteſtatem habentem ex priuilegio diſpenſandi. quia ratione dictæ conſuetudinis id poteſt etiam Epiſcopus præſente Papa, atque ita tenent Theſaurus Religioſorum *de tribus votis lib. 3. de votorum diſpenſatione, quæſt. 119. verſic. Quare legitima ratio.* Sotus *in 4. diſt. 37. quæſt. vnica, art. 1. § Secunda concluſio, verſic. Poſt contractum verò.* Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 1. num. 9.* Rodriquez *ſumma part. 1. cap. 241. num. 2.*

Dico trigeſimooctauò, Epiſcopus poteſt diſpenſare cum eo qui voto caſtitatis ligatus matrimonium contraxit, etiam quando nondum eſt matrimonium conſummatum vt debitum petat. quia multo probabilius eſt hunc non teneri Religionem ingredi, vt ſuum votum caſtitatis ſeruet: ſed poteſt poſt bimeſtre matrimonium conſummare reddendo debitum. ergo poterit Epiſcopus diſpenſare, vt hic tali voto ligatus debitum petat. Ita Rodriquez nuperrimè relatus, Sotus *in 4. diſt. 38. q. 2. a. 1. §. Reddere etiam debet, verſ Poteſt tamen Epiſcopus.* Sanch. *lib. 4. oper. mor. cap. 40. n.* 63. contra Azor. *p. 1. Inſtit. mor. lib. 11. cap. 19. q. 10. §. Sed dubia quæſtionis eſt,* tenentem caſtitatis voto ligatum teneri ingredi Religionem ſi contraxit matrimonium, & nondum conſummauit, vt ſuum caſtitatis votum ſeruet, ac ſubinde Azor. conſequenter tenetur dicere non poſſe Epiſcopum in eo voto diſpenſare: ſed quod diximus verius eſt, & probabilius; durum eſt enim hunc hominem in tam arctas anguſtias adigere, non enim tenetur votum caſtitatis cum tanto diſpendio implere, niſi ſponte voluerit. Ita bene notauit Sotus *in 4. diſt. 38. quæſt. 2. art. 1. §. Quid autem remedij, verſic. durum tamen eſt.*

Dvbi

Dvbitatio XXI.

XXII. *An Confeſſores Regulares, vi ſuorum priuilegiorum, poſsint diſpenſare cum eo, qui poſt votum caſtitatis, matrimonium contraxit, vt petat debitum?*

Dico trigeſimononò, Confeſſores Regulares Ordinum Mendicantium communicantes in priuilegiis conceſſis,& concedendis aliis Ordinibus Mendicantibus,& non Mendicantibus,poſſunt cum eo qui poſt votum caſtitatis matrimonium contraxit,diſpenſare, vt durante eo matrimonio debitum petat. quia in hoc, vt diximus *duabus præcedentibus aſſertionibus*, valent Epiſcopi diſpenſare,cùm non ſit hæc diſpenſatio in voto omnimodæ caſtitatis,ſed ſolùm ad petendum debitum ab vxore: ſed Confeſſores Regulares vi ſuorum priuilegiorum poſſunt diſpenſare in omnibus votis,in quibus poſſunt Epiſcopi,vt dictum eſt *aſſert.* 1. *huius diſq.* multis DD.cit. ergo: videantur pro hac aſſertione Viualdus 3.*p.Candelabri,c.*14.*n.*41. vbi etiam concedit hoc fieri poſſe à Confeſſario electo per Iubilæum, vel per quamcumque Bullam concedentem omnia vota,exceptis illis quinque,perpetuæ, & omnimodæ caſtitatis,Religionis,peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ, Compoſtellanæ, Henriquez *lib.*12.*de matr.c.*2.*n.*9. Sanch.*lib.*8. *de matr.diſp.*16. *n.*5. *verſ.Cæterùm,& lib.* 4. *oper.mor.c.*43. *n.*12. *verſ. At poterunt virtute priuilegij*.licèt contrarium probabilius exiſtimet auctor Theſauri Religioſorum *de tribus votis lib.*4.*de votorum commutatione*, *q.*58.

Dvbitatio XXII.

XXIII. *An Epiſcopus,vel Confeſſarius Regularis, vi priuilegiorum, poſsint diſpenſare cum altero coniuge, qui poſt matrimonium conſummatum vouit caſtitatem, vt licitè petat debitum?*

Dico quadrageſimò, quando poſt matrimonium conſummatum alter coniugum vouit caſtitatem, ſiue ex licentia alterius coniugis, ſiue illo inſcio votum emiſerit, poteſt cum iſto Epiſcopus diſpenſare ad debiti petitionem. quia conſtante matrimonio non videtur hoc votum omnimodæ caſtitatis, tenetur enim vouens caſtitatem poſt matrimonij conſummationem alteri coniugi ad reddendum debitum. ergo poterit Epiſcopus in iſto caſu diſpenſare ad petitionem debiti,ita Sayr.*lib.*6.*Clauis Regiæ,c.*11.*dub.*15.*n.*52.

Dico quadrageſimoprimò,hoc idem poſſunt Confeſſores Regulares Ordinum Mendicantium vi ſuorum priuilegiorum. nam Innocentius Papa VIII. & Eugenius IV. & Pius II.Confeſſoribus Regularibus conceſſerunt vt in votis quorumcunque fidelium vtriuſque ſexus etiam Epiſcopo reſeruatis diſpenſare valeant, & ea commutare in alia pietatis opera toties, quoties expedire videbitur, vt videre eſt apud Sayr *loco nouiſſimè adducto,dub.*17. *num.* 96.97. & 98. & apud Rodriquez *tom.*1. *qq. Reg.quæſt.*63. *art.*3. & apud Sanchez *lib.*4.*oper.mor cap.*43.*num.*4 ergo cùm Epiſcopi poſſint diſpenſare ad petendum debitum cum coniugatis, qui poſt matrimonij conſummationem votum caſtitatis emiſerunt,poterunt etiam ad hoc idem diſpenſare Confeſſores Regulares vi ſuorum priuilegiorum, &c. Et ita hanc aſſertionem docet Sanchez *duobus locis adductis aſſertione* 39.*in hac diſquiſitione*.

Dico quadrageſimoſecundò, ſi ante matrimonium initum,ſiue poſt contractum matrimonium, ante tamen eius conſummationem vouerit coniux Religionem ingredi,non poſſunt cum iſto Confeſſarij Regulares vi ſuorum priuilegiorum diſpenſare vt petat,vel reddat debitum: nam Epiſcopi cum hoc non poſſunt diſpenſare, vt petat, vel reddat debitum. quia tenetur,& poteſt Religionem,quam vouit,ingredi,ſi nondum conſummauit matrimonium. ergo Confeſſarij Regulares cùm tantùm poſſint in his votis,in quibus poſſunt Epiſcopi, diſpenſare, nequibunt in iſto caſu diſpenſare,&c. Videatur Sotus *in* 4.*diſt.*38. *q.*2. *art.*1. §.*Quid autem remedij, verſ. neque poterit Epiſcopus*. Sanchez *lib.*8.*de matrim.diſput.*16.*num.*6.

Dvbitatio XXIII.

XXIV. *An Epiſcopus poſsit diſpenſare in voto caſtitatis,emiſſo ab vtroque coniuge, de communi conſenſu, per modum contractus, & idem poſsit Confeſſarius Regularis vi priuilegiorum?*

Dico quadrageſimotertiò, Confeſſores Regulares vi ſuorum priuilegiorum non poſſunt diſpenſare in voto caſtitatis ad petendum debitum cum coniugibus, quando vterque coniux poſt matrimonium contractum communi conſenſu per modum contractus illud emiſit. quia hoc votum eſt abſolutæ, & integræ caſtitatis, & obligat prorſus vtrumque ad non petendum, nec reddendum debitum. ergo ſuper hoc voto abſolutè non poſſunt Epiſcopi diſpenſare, cùm ſit integræ caſtitatis. ergo neque Confeſſores Regulares poſſunt vi ſuorum priuilegiorum ad petendum debitum in hoc voto diſpenſare. nam virtute illorum, in votorum diſpenſatione ſolùm poſſunt, quod poſſunt Epiſcopi: videatur Lopez noſter *part.* 1. *Inſtructorij*, *cap.* 46. §. *Quando vterque*. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 8. *dub. vltimo*.

Dico quadrageſimoquartò, in caſu præcedentis aſſertionis, quando vterque coniux poſt matrimonium contractum communi conſenſu per modum contractus emiſit votum caſtitatis, poteſt Epiſcopus diſpenſare ad petendum & reddendum debitum, ſi fortè inter coniuges ſit periculum incontinentiæ, & non poteſt de facili parere acceſſus ad ſummum Pontificem,vel ſi ipſi coniuges ſunt ita pauperes, vt non habeant, quo diſpenſationem acquirant: nam in tali caſu, quando ſcilicet magnum imminet periculum incontinentiæ, poteſt Epiſcopus diſpenſare cum ſolutis obſtrictis voto caſtitatis ad ineundum matrimonium, vt ſuprà *aſſertione* 7. & 8. dictum eſt. ergo à fortiori cum coniugatis his diſpenſare poterit ad petendum debitum. Ita Lopez, & Arag. *locis nuperrimè allegatis*. Sotus *in* 4.*diſt.*27. *q.*1. *art.*4. § *Quòd ſi contrà arguas*.

Dico quadrageſimoquintò, Regulares tamen Confeſſarij vi ſuorum priuilegiorum in iſto caſu non poſſunt cum coniugatis diſpenſare ad petendum & reddendum debitum, qui poſt contractum matrimonium communi conſenſu votum caſtitatis emiſerunt, etiam inſtante magno incontinentiæ periculo. quia licèt Regulares Confeſſarij virtute ſuorum priuilegiorum poſſint commutare, & diſpenſare in omnibus votis Epiſcopo reſeruatis, hoc intelligitur de votis reſeruatis Epiſcopo iure communi, & ordinario, non tamen de votis ipſi reſeruatis iure ſpeciali, & in caſu magnæ & grauis neceſſitatis, in quibus videtur electa induſtria perſonæ: ſed Epiſcopi cum coniugatis, qui poſt matrimonium contractum communi conſenſu votum caſtitatis emiſerunt, non diſpenſant ad petendum &

reddendum

& reddendum debitum iure communi, & ordinario, ſed ex ſpeciali iure ex quadam benignitate. ergo Confeſſarij Regulares non poterunt in iſto caſu diſpenſare, &c. Videantur pro iſta aſſertione ea quæ diximus *aſſerto 10. in hac diſquiſ.* & Rodriquez *tom. 1. q. 63. art. 6.*

XXV. *Rationi in contrarium à principio reſpondetur.*

Ad rationem à principio poſitam, reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem, & ad probationem dicimus quòd cùm Prælatus Eccleſiæ authoritate ordinaria, vel Confeſſarius Regularis vi ſuorum priuilegiorum diſpenſat in voto, non diſpenſat in præcepto iuris naturalis, vel diuini, ſed tantùm authoritate diſpenſantis fit, vt id quod continebatur ſub voto, non contineatur in quantum determinatur in hoc caſu, hanc non eſſe congruam materiam voti, & ideo diſpenſatio voti non eſt contra fidelitatem Deo debitam: videatur D.Thom. 2.2. *q. 88. art. 8. ſolutione ad ſecundum & tertium argumentum.*

DISQVISITIO XXVIII.

De diſpenſatione in impedimentis dirimentibus matrimonium.

DISQVISITIONEM hanc, quippe quæ materiam haud exiguam matrimonij continet, vel explanat, ob innumeros ferè caſus, quos habet, in plures Articulos, vt in anteactis de voto & iuramento, diuiſimus, vt res faciliùs percipiantur, & Regularium Confeſſariis opportunè cuncta tradantur, ſuper impedimenta, quæ matrimonium dirimunt. Articuli autem erunt infraſcripti.

I. De impedimentis dirimentibus matrimonium in genere.

II. De impedimento erroris.

III. De impedimento conditionis.

IV. De impedimento voti.

V. De impedimento cognationis.

VI. De impedimento criminis.

VII. De impedimento diſparitatis cultûs.

VIII. De impedimento vis, ſeu metus.

IX. De impedimento Ordinis.

X. De impedimento ligaminis.

XI. De impedimento publicæ honeſtatis.

XII. De impedimento affinitatis.

XIII. De impedimento impotentiæ.

XIV. De impedimento raptus.

XV. De impedimento ætatis.

XVI. De impedimentis tantùm impedientibus, & non dirimentibus.

XVII. qui erit vltimus, An Confeſſarij Regulares Ordinum Mendicantium, virtute ſuorum priuilegiorum poſſint diſpenſare in impedimentis matrimonium dirimentibus.

ARTICVLVS I.

De impedimentis dirimentibus matrimonium in genere.

SVMMARIVM.

1. *Explicatur quotuplex ſit impedimentum matrimonij in genere.*
2. *Quandònam, impedimentū dirimēs annullet matrimoniū.*
3. *Quot ſint impedimenta, dirimentia matrimonium.*

DVBITATIO I.

I. *Quotuplex ſit impedimentum matrimonij in genere?*

DIco primò. Impedimentum in genere in matrimoniis contrahendis eſt duplex. Vnum quod dicitur impediens, & dirimens ſimul, & hoc eſt illud, quod impedit contrahendum, & dirimit contractum, id eſt, facit, quod contrahens cum tali impedimento, non ſolùm peccet, ſed etiam, quòd matrimonium ſic contractum nullum reddatur. Alterum eſt impediens tantùm, & hoc eſt illud quod impedit contrahendum, id eſt, facit quòd contrahens cum tali impedimento peccet mortaliter; tamen matrimonium ſic contractum non annullat: videatur D.Thom. 3 *part. in addit. queſt. 50. art. vnico.*

DVBITATIO II.

II. *Quandònam impedimentum dirimens annullet matrimonium?*

Dico ſecundò, impedimentum dirimens tunc dirimit, & annullat matrimonium contractum, quando tale impedimentum præceſſit matrimonium, ſecus eſt ſi ſuperueniat matrimonio ritè facto, vt affinitas, vel crimen, & huiuſmodi. quia ſic non dirimit præter vnum Religionis ſolemne votum: nam quis contrahens poſt matrimonium contractum, non tamen conſummatum, poteſt Religionem ingredi, & ſic dirimitur matrimonium ſi profeſſionem emittit: videatur idem S.Doctor *loc. cit. ſolut. ad 7.*

DVBITATIO III.

III. *Quot ſint impedimenta dirimentia matrimonium?*

Dico tertiò, impedimenta in ſpecie impedientia ſimul, ac dirimentia, duodecim communiter aſſignantur à DD. quæ his verſibus continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas:
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis:
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

D.Thom. *vbi ſuprà in corpore.*

ARTICVLVS II.

De impedimento erroris.

SVMMARIVM.

1. *Quotuplex ſit error, qui dicitur impedimentum dirimens matrimonium.*
2. *An matrimonium contractum, cum errore perſonæ, vel circa ſubſtantiam perſonæ, ſit validum.*
3. *An matrimonium, contractum cum errore qualitatis perſonæ, ſit validum.*

DVBITATIO I.

I. *Quotuplex ſit error qui dicitur impedimentum dirimens matrimonium?*

DIco primò, error eſt duplex, quidam eſt perſonæ, quidam verò fortunæ, ſeu qualitatis. Errat in perſona ille, qui intendit contrahere cum Berta, & contrahit cum Antonia. Item errat in perſona, qui intendens contrahere cum filio talis, vel talia Regis, Ducis, vel Principis, contrahit cum filio alterius, qui non eſt Rex, Dux, vel Princeps.

Error in fortuna, ſeu qoalitatibus tunc eſt, quando quis intendit contrahere cum virgine, nobili, diuite, & cum perſona bonæ famæ, & nihilominus eſt infamis, pauper, ignobilis, & corrupta: videatur *cap. vnicum 29. quæſt.1.*

Dvbitatio II.

II. *An matrimonium, contractum cum errore perſonæ, vel circa ſubſtantiam perſonæ, ſit validum?*

Dico ſecundò, matrimonium contractum cum errore perſonæ, vel circa ſubſtantiam perſonæ, non ſolùm iure humano, ſed etiam iure naturali eſt inualidum. quòd ſit ioualidum iure humano, patet ex *cap. vnico cit.* 29. *quæſt.*1. quòd verò ſit inualidum iure naturæ, probatur, quia matrimonium iure naturæ noo ſubſiſtit abſque conſenſu circa perſonam, cum qua contrahitur; ſed quando error verſatur circa ſubſtantiam perſonæ, non adeſt conſenſus circa illam perſonam, ſed circa aliam, quæ mente concipitor. ergo matrimonium celebratum cum errore circa ſubſtantiam, eſt inualidum iure naturæ. Ita Sotus *in 4. diſt.*30. *quæſt.*1 *art.*1. *concluſ.*1. *fine.* Syl. *verb. matrim.* 6. *quæſt.*1. *§ error perſona.*

Dico tertiò, matrimonium contractum cum errore perſonæ, vel circa ſubſtantiam perſonæ, oon ſolùm eſt inualidum inter fideles, ſed etiam inter infideles. nam huiuſmodi matrimonium, vt dictum eſt *aſſertione præcedenti*, eſt inualidum iure oaturæ; ſed huic iuri non ſolùm fideles, ſed etiam infideles ſubditi ſunt. ergo; videatur *cap. gaudeamus, de diuortijs.*

Dvbitatio III.

III. *An matrimonium, contractum cum errore qualitatis perſonæ, ſit validum?*

Dico quartò, matrimoniom verò contractum cum errore qualitatis perſonæ, non eſt ioualidum. quia matrimonium cum huiuſmodi errore, & dolo celebratum, eſt ſimpliciter voluntarium quo ad naturam, & ſubſtantiam rei, quamuis quo ad accidentia non ſit voluntarium; ſed matrimonium voluntarium ſimpliciter, quoad ſubſtantiam, eſt validum, quamuis deſit conſenſus ſecundùm quid, ideſt, quoad accidentia; ergo matrimonium celebratum cum errore qualitatis perſooæ, eſt validum. D. Thom. 3. *p. in addit. quæſt.* 51. *art.* 2. *ad* 1.

Articvlvs III.

De impedimento conditionis.

Svmmarivm.

1. *An matrimonium contractum cum errore conditionis perſonæ, ſit validum.*
2. *An matrimonium contractum à libero cum ſerua, ſi ignoret eſſe ſeruam, ſit validum.*
3. *An ſeruus poſſit inuito domino contrahere matrimonium.*
4. *An ſerui, de licentia dominorum contrahentes, poſſint ab ijſdem dominis vendi, in locis diſtantibus.*
5. *An ſeruus, contrahens abſque licentia domini, teneatur magis domino de obſequio, quàm coniugi de redditione debiti.*
6. *An error conditionis ſeruilis reddat inualidum matrimonium, ne dum iure Eccleſiaſtico, ſed etiam naturali.*

Dvbitatio I.

I. *An matrimonium, contractum cum errore conditionis perſonæ, ſit validum?*

Dico primò, matrimonium contractum cum errore conditionis perſonæ, ideſt, ſeruitutis, non eſt inualidum, quando perſona cum qua coorrahitur, eſt æqualis, aut melioris conditioois: vt ſi ſeruus cootrahat cùm ſerua, qoam credebat eſſe liberam, aut contrahat cùm libera, quam putabat ſeruam, validè contrahit. quia Eccleſia appoſuit hoc impedimentom, vt tollatur inæqualitas, & oe fiat ioiuria perſonis liberis; ſed nulla eſt inæqualitas, vel iniuria, quando perſona, cum qua contrahitor, eſt æqualis, aut melioris conditionis, vt accidit io propoſito caſu. ergo matrimonium cootractum cum conditioois errore, eſt validum, quando perſooa, cum qua contrahitor, eſt æqualis, aut melioris conditionis: videatur D. Thom. 3. *p. in addit. q.* 52. *art.* 1. *ad* 5.

Dico ſecundò, mattimooium contractum cum errore conditionis, eſt inualidum, quaodo cooditio errantis ſit deterior, vt quando liber contrahit cum ſerua, quam credebat liberam. quia hoc impedimentum ab Eccleſia fuit inductum ad tollendam inæqualitatem, & ne fieret iniuria alteri contrahenti; ſed magna eſſet inæqualitas, ſi validum eſſet matrimonium, quando ſit deterior conditio errantis, ideſt, quando liber contrahit cum ſerua; quam credebat liberam eſſe; ergo, &c. validum tamen eſſet matrimonium, quod liber contraheret cum ſerua, ſciens, vel opinans, vel probabiliter dubitans eſſe ſeruam, quia in hoc caſu noo ſit contraheoti iniuria. nam tunc inæqualitas videtor eſſe voluntaria: videatur idem ſanctiſſimus Doctor nouiſſimè relatus.

Dvbitatio II.

II. *An matrimonium contractum à libero cum ſerua, ſi ignoret eſſe ſeruam, ſit validum?*

Dico tertiò, quando liber contrahit cum ſerua, neſciens illam eſſe ſeruam, etiam ſi ita eſſet affectus, vt ſi cognoſceret illam eſſe ſeruam, nihilominus cum ea adhuc contraheret, matrimonium eſſet nullum. quia ad validitatem matrimonij non ſufficit error concomitans, ſeu conſenſus negatiuus, habitu, & animi præparatione, ſed requiritur conſenſus voluntarius poſitiuè, & actu: nam matrimonium requirit actum voluntarium de præſenti. ergo, &c. videatur Sanchez *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 34. *n.* 3.

Dvbitatio III.

III. *An ſeruus poſſit, inuito domino, contrahere matrimonium?*

Dico qoartò, ſeruus poteſt validè, etiam inuito domino, contrahere matrimooium cum ſerua, vel cum libera, modò ſeruitos ſit nota perſonæ liberæ. quia matrimooium conceſſom fuit à iure naturali, & diuino in remedium coocupiſcentiæ, & ad propagationem naturæ humanæ; ſed hoc ius non poteſt ſeruis à dominis auferri, immò grauiter peccarent domini contra iuſtitiam poſitiuè impediendo ſeruos, oe matrimonium ioeant, aut impediendo eorum maritale commercium poſt contractum matrimonium, faciunt enim contra ius tributum ſeruis à natura. ergo validè, &c. Ita præclarè D Thom. 3. *part. in addit. quæſt.* 52. *art.* 2.

Dvbi

Dvbitatio IV.

IV. *An ſerui, de licentia dominorum contrahentes, poſſint ab iiſdem dominis vendi in locis diſtantibus?*

Dico quintò, quando ſerui de conſenſu dominorum ſuorum matrimonium contraxerunt abſque peccato mortali, non poſſunt domini vendere illos in locis diſtantibus, in quibus ſerui non poterunt ſibi debitum reddere. quia ſicut domini non poſſunt poſitiuè impedire, ne ſerui matrimonium contrahant, ita non poſſunt facere, ne vtantur matrimonio contracto, & conſequenter non poſſunt vendere illos in locis diſtantibus, &c. Videatur D. Thom. 3. *part. in addit. quaſt.* 55. *art.* 2. *ad* 4.

Dico ſextò, ſi malitia ſerui exigeret, vt in partes longinquas ſeruus vendendus mitteretur, vel ſi in proprio oppido, aut partibus vicinis non inueniretur emptor: tunc licitè poſſet dominus, quamuis conſenſerit in matrimonium ſerui, illum vendere in locis diſtantibus, in quibus ſerui emptorem inuenit. quia conſenſus domini, & ius ſerui contrahendi matrimonium, non ſunt extendenda ad iſtum caſum, in quo delicta ſerui, & neceſſitas domini ſibi conſulendi, cogunt ad venditionem extra locum, in quo manet alter coniux. Tum, quia, ſicut iudex poteſt in delicti pœnam, ſeruum in triremes conijcere, non obſtante matrimonij iure, ita domino integrum erit puniti one, licèt non iudiciaria, domeſtica tamen, ſeruum aliò mittendum vendere, non obſtante conſenſu præſtito in matrimonium. Tum, quia ſicut poſſet ſeruus ipſe, ſi ſui iuris eſſet, relicta vxore ancilla aliò migrare, quando aliter graui ſuæ neceſſitati conſulere nequiret, ita multo magis dominus poterit, vt propriæ neceſſitati conſulat, ſeruum in partes longinquas vendendũ mittere: vt ſi in proprio oppido, & in partibus vicinis illum vendendi iuſto pretio deſit facultas: hęc aſſertio colligitur apertè ex S. Th. nouiſſimè allegato *in calce ſolut. ad* 4. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 22. *n.* 10.

Dvbitatio V.

V. *An ſeruus contrahens abſque licentia domini, teneatur magis domino de obſequio, quàm coniugi de redditione debiti?*

Dico ſeptimò, ſi ſeruus contraxit matrimonium domino ignorante, vel contradicente, eſt validum matrimonium, & magis tunc teneretur ſeruus domino de obſequio, quàm coniugi de redditione debiti: peccaret tamen grauiter dominus, ſi abſque graui neceſſitate ſeruum diſtraheret in partes remotas, in quibus ob diſtantiam debiti petitio, & redditio impediretur. quia ſaltem lex charitatis conſtringit dominum ne ſimili diſtractione, vel venditione vtatur in grauiſſimum ſalutis ſpiritualis vtriuſque coniugis detrimentum, abſque propria neceſſitate. Ita optimè Syl. *verb. Seruitus, quaſt.* 7.

Dvbitatio VI.

VI. *An error conditionis ſeruilis reddat inualidum matrimonium, ne dum iure Eccleſiaſtico, ſed etiam naturali?*

Dico octauò, error conditionis ſeruilis ſolo iure Eccleſiaſtico reddit irritum matrimonium, non autem iure naturali: vnde valeret matrimonium initum inter infideles cum errore conditionis ſeruilis. quia ſi id impedimentum traditionis poteſtatis plenè corporis, quod in ſeruitute reperitur, obſtaret iure naturali eſſentiæ matrimonij, cùm idem inueniatur in ſeruitute cognita, hæc quoque dirimeret iure naturæ matrimonium; ſed ſeruitus cognita nullo modo impedit matrimonium, vt ſuprà probatum eſt: ergo error conditionis ſeruilis iure naturali non dirimit matrimonium. Probatur maior. quia requiſita iure naturali ad matrimonij valorem non poſſunt ex contrahentium voluntate immutari, ſed ſemper ſtabilia ſunt: & ita hanc aſſertionem docet Sotus *in* 4. *diſt.* 35. *q. vnica, art.* 2. §. *Dubium autem eſt.* Lopez 2. *p. Inſtr. de matr. c.* 47. vbi de impedimento conditionis, §. *Poſtremò autem.* Neque eſt ſimile de errore perſonæ. nam error conditionis non eſt error niſi qualitatis perſonæ, & ideo niſi ſtatutum Eccleſiæ obſtaret, matrimonium contractum cum errore conditionis ſeruilis teneret: oppoſitum tamen tenuit Syl. *verb. matr.* 6. *q.* 1. *verſ. Error perſona, & conditionis*; iure ſcilicet naturali errorem conditionis impedire matrimonium, & dirimere contractum: ſed quod dictum eſt, verius & communius eſt.

Articvlvs IV.

De impedimento voti.

Svmmarivm.

1. *Quotuplex ſit votum, quod dicitur impedimentum dirimens matrimonium.*
2. *An votum caſtitatis in profeſſione emiſſum, ſit impedimentum dirimens matrimonium, ſiue ratum, ſiue conſummatum ſit.*
3. *An matrimonium ratum diſſoluatur per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum, vel ordinationem Epiſcopalem.*
4. *An matrimonium contractum poſt ſacros Ordines, ſit validum.*
5. *Explicatur quotuplex ſit diſpenſatio in votis Religionis, vel caſtitatis.*
6. *An ad validitatem diſpenſationis requiratur vt cauſa ſit vera, quando litteræ Romam mittuntur: vel tantùm ſufficiat vt ſit vera, quando ſummus Pontifex, vel maior Pœnitentiarius diſpenſationẽ committit.*
7. *An ad validitatem diſpenſationis requiratur, vt tempore, quo conſummanda eſt, non ceſſauerit omnino eius cauſa finalis.*
8. *An diſpenſationes, quæ tractum ſucceſſiuum habent, ceſſante cauſa finali, pariter ceſſent.*
9. *An diſpenſatio rei indiuiſibilis, ſemel obtenta, & executioni mandata, ceſſet ceſſante cauſa.*
10. *Explicatur, quid ſit opus diuiſibile, & indiuiſibile.*
11. *An ceſſet diſpenſatio irregularitatis, ceſſante cauſa diſpenſationis.*
12. *An Superior ob cauſam temporalem, quam ſufficientem putat, ad diſpenſationem perpetuam concedendum, poſſit abſolutè diſpenſare, nedum in his, quæ ſunt de iure humano, ſed etiã in his, quæ ſunt de iure diuino.*
13. *An conditio contraria ſubſtantiæ matrimonij, vel bonis eiuſdem, irritum reddat matrimonium.*

Dvbitatio I.

I. *Quotuplex ſit votum, quod dicitur impedimentum dirimens matrimonium?*

Dico primò, votum aliud eſſe ſimplex, aliud ſolemne. Votum ſimplex eſt illud quod fit ad libitum cuiuſcumque: votum verò ſolemne eſt illud quod emittitur in ſuſceptione ſacrorum Ordinum, vel in profeſſione expreſſa, vel tacita alicuius Religionis approbatæ. Votum ſimplex non

dirimit matrimonium,ſed tantùm impedit ne contrahatur,propterea qui vouit caſtitatẽ, vel Religionem, vel ſacros Ordines , validè contrahit matrimonium, quamuis grauiter peccet contrahendo : aſtrictus verò voto ſolemni contrahens matrimonium,ne dum peccat mortaliter, verùm etiam eſt excommunicatus,per *Clem.* 1. *de conſang.& affin.* & matrimonium nullum eſt: videatur Caietan. *ſumma, verb.matrim. num.* 3. Nauarr. *ſumma,cap.* 22.*num.*35. .

Dvbitatio II.

II. ***An votum caſtitatis in profeſſione emiſſum, ſit impedimentum dirimens matrimonium, ſiue ratum, ſiue conſummatum ſit?***

Dico ſecundò, votum caſtitatis emiſſum in profeſſione valida Religionis approbatæ dirimit matrimonium etiam conſummatum,factum poſt ipſam profeſſionem , conſequenter Religioſus Profeſſus inualidè contrahit matrimonium. hæc aſſertio eſt de fide definita in Concilio Viennenſi *Clementina vnica , de conſanguinitate,& in Tridentino ſeſſ.* 24. *can.*9.

Dico tertiò, profeſſio facta in approbata Religione dirimit matrimonium celebratum ante ipſam profeſſionem,modò matrimonium ſit tantummodo ratum, & non conſummatum , conſequenter coniugatus , ſi ante conſummatum matrimonium profeſſionem faciat in approbata Religione , remanet liber ab obligatione matrimonij. quia ipſius matrimonium diſſoluitur per ſubſequentem profeſſionem. Ita diffinitum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ.*24. *can.*6.

Dico quartò , matrimonium conſummatum celebratum ante profeſſionem,non dirimitur per ſequentem profeſſionem. Tum,quia nullo iure conſtat ipſum dirimi ; tum,quia ſic habetur 27.*quæſt.* 2. *cap. ſi quis coniugatus.* Matrimonium conſummatum non dirimitur per profeſſionem ſubſequentem,nõ ſolùm ſi fuit conſummatum poſt bimeſtre,ſed etiam ſi fuit conſummatum intra bimeſtre,&c. quamuis conſummatum fuerit per vim. quia coniuges per conſummationem matrimonij facti ſunt vna caro , quæ non eſt ſeparanda, niſi poſt mortem alterius.

Dico quintò , profeſſio emiſſa in aliqua approbata Religione,iure naturę dirimit matrimoniũ,etiam conſummatum,factum poſt ipſam profeſſionem.quia profeſſio emiſſa in aliqua approbata Religione,eſt quædã mors ſpiritualis; ergo potens eſt diſſoluere ſuapte natura vinculum ſpirituale , quale eſt matrimonij vinculum, vtpote ex ſolo conſenſu ortum;ſicut mors naturalis ſoluit vinculum matrimonij conſummati,quod eſt carnale ortum ex copula: videatur D. Th. *in* 4. *diſt.* 27.*q.*1.*art.*3.*quæſtiunc.*2.*corp.* Lopez noſter 2.*p.Inſtruct. de matrim.c.*39.Vel dici poteſt , profeſſionem emiſſam in aliqua approbata Religione dirimere matrimonium ratum ex priuilegio diuino,quod Eccleſia accepit per Apoſtolos , & confirmatum retinet perpetuo vſu, & ſanctorum Patrum exemplis:nam ex conceſſu, & ordinatione Chriſti Domini matrimonij cõtractus habere videtur hanc tacitam conditionem,niſi ad Religionem ante conſummationem me contulero: videatur Sotus *in* 4 *diſt* 27.*q.*1.*art.*4. *concl.*1. *verſ.ad illud.* Petrus de Ledeſma *de matrim.q.*61. *art.*2. *conc.*4. Sanchez *lib.*2.*de matrim. diſp.*19.*num.*3.

Dvbitatio III.

III. ***An matrimonium ratum,diſſoluatur per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum , vel ordinationem Epiſcopalem?***

Dico ſextò,matrimonium tamen ratum minimè diſſoluitur per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum,neque per ordinationem Epiſcopalẽ. De Ordine ſacro definitum eſt à Ioanne XXII. in Extrauaganti, *Antiqua,de voto,*& de Epiſcopatu conſtat ex Eccleſię vſu fatentúrque omnes , quia ius de ſola ſolemni profeſſione hoc ſtatuit: videatur Concil.Trident. *ſeſſ.*24.*de matr.can.*6.

Dvbitatio IV.

IV. ***An matrimonium contractum poſt ſacros Ordines,ſit validum?***

Dico ſeptimò, matrimonium verò poſt ſacros Ordines contractum, eſt inualidum. Ita definitum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ.*24.*de matr.can.*9.Imò Clericus in Sacris conſtitutus , ſi de facto matrimonium contrahit, eſt ipſo facto excommunicatus.ita expreſſe definitur *in Clement,de conſang.& affin.* Similiter Clericus exiſtens in Sacris,ſi matrimonium ineat,fit irregularis, vt habetur *in c.quotquot.*27.*q.*1.Sotus *in* 4. *diſt.*27. *q.*3.*art.*1.*concl.*6.Sayr.*lib.*5. *de cenſ.cap.*4.*num.*23.

Dico octauò, huius criminis cognitio, Clerici ſcil. poſt Ordines ſacros tranſeuntis ad nuptias,ad Tribunal ſancti Officij pertinet.quia exiſtens in Sacris ſi matrimonium contrahit, videtur eſſe de hæreſi ſuſpectus, cùm ipſo facto male ſentiat de ſolemni voto caſtitatis: videatur Theſaurus *de tribus votis lib.*7.*de voto caſtitatis , quæſt.*33.

Dvbitatio V.

V. ***Quotuplex ſit diſpenſatio in votis Religionis, vel caſtitatis?***

Dico nonò,diſpenſatio in votis caſtitatis, vel Religionis,poteſt eſſe totalis,aut partialis,& reſtricta ; totalis eſt,quando abſolutè & abſque limitatione aliqua conceditur: partialis autem, quando quo ad actum determinatum, vel reſpectu perſonæ determinatæ conceditur. Diſpenſatio partialis,quoad actum eſt quando diſpenſatur in voto caſtitatis , vel Religionis ad matrimonium ineundum; partialis autem diſpenſatio quoad perſonas,eſt quando ad matrimonium cum certa perſona ineundem diſpenſatur. Dicitur autem diſpenſatio partialis , eo , quòd non ſit integra in voto diſpenſatio.nam ille, cum quo diſpenſatum eſt in voto caſtitatis ad contrahendum , ſi fornicaretur , reus eſſet voti caſtitatis violati : & in voto ſimiliter Religionis eſt partialis , quia ſi diſpenſetur cum vouente Religionem ob vehementes carnis tentationes,aliámve cauſam,cui ſolo matrimonio ſubuenitur,non poſſet ille virtute diſpenſationis manere in ſæculo abſque coniugio.

Dvbitatio VI.

VI. ***An ad validitatem diſpenſationis requiratur vt cauſa ſit vera , quando litteræ Romam mittuntur : vel tantùm ſufficiat vt ſit vera,quando Sum.Pont vel maior Pœnitentiarius diſpenſationem committit?***

Dico decimò,ad validitatem diſpenſationis non eſt neceſſe,vt cauſa ſit vera, quando litteræ Romam mittuntur.quia verba diſpenſationis,ſi preces veritate nitantur, ſufficienter verificantur, ſi cauſa narrata ſubſiſtat dum Pontifex committit , vel concedit diſpenſationem : quamuis aliqui exiſtiment diſpenſationem eſſe ſubreptitiam , quando cauſa falſa fuit tempore, quo miſſum eſt Romam,licèt vera ſit,quãdo Pontifex, vel Maior Pœnitentiarius diſpenſationem committit. quia,inquiunt , dolus alicui ſuffragari non debet: videatur pro hac aſſertione Bonacina *tom.*2.*tract.de legibus,diſp.*1.*quæſt.*2.*punct.*10.§.1.*num.*2.

Dico

Dico vndecimò, Ad diſpenſationis valorem exigitur, vt cauſa in eius litteris ſignata verificetur, & tempore, quo proponitur Pontifici, vel Pœnitentiario,& etiam tempore, quo examinata precum veritate Ordinarius, vel Confeſſarius diſpenſationem exequitur. quia dum eſt in fieri, & nondum conſummata, ceſſante omnino cauſa finali ceſſat. Deſponſatio verò non habet vim vetæ, & conſummatæ diſpenſationis, donec Ordinarius, vel Confeſſarius diſpenſet. Tum, quia ceſſante cauſa finali mandati, ceſſat mandatum, ſi res integra ſit. *cap. ſi pauper, de prabendis in 6.* ſiue ſub aliis verbis, ceſſante cauſa mandati, effectus mandati expirat, ſi nondum conſummatus eſt. Videatur Laymann *tom. 1. lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 14.*

Dico duodecimò, Si accidat, vt tempore quidem conferendæ, ſeu exequendæ diſpenſationis cauſa ſubſiſtat, ſed non conſtiterit tempore impetrationis, vel datatum literarum (poteſt diſpenſatio, & priuilegium, vel viua voce, vel in ſcripto concedi) non poteſt diſpenſatio fieri à Commiſſario, vel exequutore, quia non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit.

Dubitatio VII.

VII. *An ad validitatem diſpenſationis requiratur, vt tempore quo conſummanda eſt, non ceſſauerit omnino eius cauſa finalis?*

Dico decimotertiò, vt diſpenſatio ſit valida, inſuper eſt opus, vt tempore, quo omnino conſummanda eſt, aſſequens ſuum vltimatum effectum indiuiſibilem, non ceſsârit omnino cauſa finalis: effectus autem diſpenſationis duplex eſt, proximus nimirum, ablatio vinculi legis impedientis rem fieri; alter verò vltimatus, nempè opus illud, ad quod faciendum conceditur. quia ſicut indultum, ſeu mandatum diſpenſandi conceditur ſub hac conditione, ſi preces veritate nitantur, id eſt, ſi cauſa iuſta narrata ſubſiſtat non ſolùm tempore, quo mandatum diſpenſandi conceditur, verùm etiam tempore, quo diſpenſandum eſt, vt dictum eſt *aſſertione* 11. ita diſpenſatio cenſetur conceſſa ſub hac tacita conditione, ſi cauſa ſubſiſtat, quando diſpenſatio mandatur exequutioni. Nam in vtroque caſu militat eadem ratio, propter quam Superios dici debuit mandatum ſub tali conditione ad diſpenſandum dediſſe, & ita hanc aſſertionem docet Bonacina *aſſert. 10. cit.* Sanch. *lib. 8. de matr. diſp. 30. n. 14.*

Dico decimoquartò, probabiliter etiam dici poteſt, quòd ſi cauſa diſpenſandi eo tempore ſubſiſtat, cùm diſpenſatio ab Ordinario, aut Commiſſario abſolutè facta intrinſecum effectum conſequuta eſt, etiamſi poſtea deſinat ſubſiſtere, non tamen reuiuiſcit obligatio, quæ ſemel per diſpenſationem ablata eſt: etiamſi nondum ſit ſortita ſuum effectum vltimatum, puta quia nondum matrimonium eſt contractum: vnde ſi cum aliquo diſpenſatum ſit ſuper irregularitate ad Ordines ſuſcipiendos, ob penuriam Miniſtrorum Eccleſiæ, etiamſi hæc cauſa poſt collatam diſpenſationem ceſſet, non reuiuiſcit irregularitas, nec ceſſat diſpenſatio. Similiter ſi cum aliquo diſpenſatum ſit ſuper voto continentiæ, vel ſuper impedimento matrimonij cauſa legitimandæ prolis, etiamſi poſt factam diſpenſationem proles moriatur, non reuiuiſcit impedimentum, aut voti obligatio. quia ſicuti ſi Princeps debitum ſibi tributum abſolutè alicui remittat, quia pauper eſt, & ſi ille cras præter opinionem, theſauro reperto, diues factus fuerit, non corruit tamen donatio, ſiue remiſſio heri facta, ergo. Similiter ſi ſummus Pontifex aliquos conſanguineos abſolutè liberauit impedimento matrimonij, quia cauſa iuſta aderat. v. g. cauſa legitimandæ prolis, etſi poſtea præter opinionem cauſa ceſſet, proles, v. g. ante nuptias moriatur, poterunt nihilominus conſanguinei illi vti diſpenſatione conceſſa: tum, quia ex *reg. 73. in 6.* habetur: factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſtea eueniat, à quo non potuit inchoari: tum, quia per diſpenſationem cauſa iuſta ſubſiſtente, extinguitur obligatio legis, aut voti; ergo poſtea reuiuiſcere non poteſt: & ita hanc aſſertionem tenent Syl. *verb. diſpenſatio, quaſt. 6.* vbi dicit diſpenſationem non retractari ex ſuperuenienti facto, gloſſa *cap. ex tua, verb. irritari, de filys Presbyt.* Laymann *tom. 1. lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 15. §. Dico octauò, ſi cauſa.* Sà *verb. Gratia, n. 6.*

Dubitatio VIII.

VIII. *An diſpenſationes, quæ tractum ſucceſſiuum habent, ceſſante cauſa finali pariter ceſſent?*

Dico decimoquintò, diſpenſationes, quæ tractum ſucceſſiuum habent, & earum effectus commodè diuidi poteſt, ceſſante cauſa finali, pariter ceſſant. quare ſi Pōtifex cū infirmo, cuius valetudo deſperata videtur, abſolutè diſpēſet in lege, e. g. ieiunij, ille autem poſtea præter opinionem vires integrè recuperet, tenebitur poſtea legem cum aliis obſeruare. quia nunquam præſumendum eſt peccatum; peccaſſet autem diſpenſando Pontifex, ſi aliquem ab obſeruatione legis communis exemptum voluiſſet, etiam eo euentu quo omnis cauſa exemptionis penitus ceſſauit: videatur Suarez *lib. 8. de legibus, cap. 30.*

Dubitatio IX.

IX. *An diſpenſatio rei indiuiſibilis, ſemel obtenta, & exequutioni mandata, ceſſet, ceſſante cauſa?*

Dico decimoſextò, diſpēſatio rei indiuiſibilis ſemel obtenta, & iam exequutioni mandata, non ceſſat, ceſſante cauſa, ob quam fuerat conceſſa: vt ſi iuſta cauſa, puta ob periculum incontinentiæ, conceſſa ſit diſpenſatio ſuper voto caſtitatis ad contrahēdum matrimonium, & vi talis diſpenſationis contractum ſit matrimoniū, non ceſſat diſpenſatio, ſi contracto iam matrimonio ceſſat cauſa diſpenſationis. Similiter ſi quis poſt matrimonium contractum, emittat votum caſtitatis, ſi poſtea ob incontinentiæ periculum diſpenſationē obtineat ad petendum debitum, ceſſante incontinentiæ periculo, adhuc poteſt debitum exigere. quia quando diſpenſatio deducta eſt ad vltimatum effectum, nec is commodè diuidi, aut partim reuocari poteſt, quamuis poſtea omnino ceſſet cauſa finalis, non ceſſat diſpenſatio. nam talis videtur eſſe, & iure optimo præſumitur mens diſpenſantis, aliàs ex conceſſa diſpenſatione grauia incommoda exorirentur. Sed vt clariùs explicetur præcedens aſſertum, & probetur,

Dico decimoſeptimò, ſi diſpenſatio rei indiuiſibilis deducta ad vltimatum effectum, & iam exequutioni mandata, ceſſante cauſa finali, ceſſaret is, qui virtute diſpenſationis in voto caſtitatis ex iuſta cauſa obtentæ contraxit matrimonium, teneretur poſtea ceſſante cauſa ſeruare votum in quantum poſſet, nempe non petendo debitum, vel deberet diſcedere ab vxore cum magno illius, ac filiorum detrimento. Similiter, qui poſt matrimonium contractum emiſit votum caſtitatis, poſtea ob incontinentiæ periculum obtinuit diſpenſationem ad petendum debitum, ceſſante periculo incontinentiæ, teneretur ceſſare à debiti petitione, & ſic multis premeretur ſcrupulis circa

debiti petitionem; ſed hæc ſunt grauia mala, & incommoda: vt igitur ea euitentur, certiſſimum eſt quod diximus *aſſertione præcedenti*, diſpenſationem ſcilicet rei indiuiſibilis ſemel obtentam, & exequutioni mandatam non ceſſare, ceſſante eius cauſa finali. quia gratia rei indiuiſibilis ſemel obtenta, & exequutioni mandata, non petit deficiente cauſa, ex qua conceſſa eſt, licèt impetrata ex falſa cauſa nulla ſit. Videatur Syl. gloſſa, Layman, Sà *aſſert.* 14. allegati, Bonacina *tom. 2. de legibus diſp. 1. quæſt. 2. punct. 10. §. 1. num. 9. verſ. verùm huic primæ.* Neque hoc aſſertum, & immediatè præcedens pugnant cum his quæ diximus *aſſert.* 15. nam ibi ſermo eſt de diſpenſatione rei diuiſibilis; in his verò duabus vltimis aſſertionibus loquimur de diſpenſatione rei indiuiſibilis.

Dvbitatio X.

X. *Quid ſit opus diuiſibile, & indiuiſibile?*

Dico decimooctauò, duplex eſſe poteſt diſpenſationis effectus, nempè opus, ad quod faciendum conceditur diſpenſatio, aliquando eſt indiuiſibilis, quandoque verò diuiſibilis: indiuiſibilis dicitur, quando eius eſt naturæ, vt quamuis ex pluribus conſtet partibus, & ſit opus ſucceſſiuum, at commodè diuidi non poteſt, huiuſmodi eſt matrimonium. quia non commodè diuidi poteſt, vt is, cum quo diſpenſatur ad illud ineundum, pro aliquo tempore vtatur matrimonio, & pro alio non vtatur: diuiſibilis autem eſt quando commodè diuidi poteſt, vt diſpenſatio ad edendas carnes, vel non ieiunandum in Quadrageſima, vel ad non recitandum Officium diuinum. nam ceſſante cauſa diſpenſationis, commodè poteſt diſpenſatus abſtinere à carnibus, ieiunare, & penſum diuini Officij perſoluere.

Dvbitatio XI.

XI. *An ceſſet diſpenſatio irregularitatis, ceſſante cauſa diſpenſationis?*

Dico decimononò, non ceſſat diſpenſatio in irregularitate reſpectu illius, qui ratione paupertatis parentum diſpenſationē ad Ordines obtinuit, ſi Ordinibus iam ſuſceptis ceſſat paupertas, quæ fuit cauſa finalis diſpenſationis. quia diſpenſatio rei indiuiſibilis deducta ad, vltimum effectum, & iam exequutioni mandata, ceſſante cauſa finali non ceſſat, & talis eſt diſpenſatio, de qua in caſu poſito loquimur, vt clariùs patebit *aſſertione ſequenti*, ergo.

Dico vigeſimò, irregularis ſi ex iuſta diſpenſatione ad omnes Ordines obtenta recepit ſubdiaconatum, ceſſante poſtea cauſa diſpenſationis, poteſt aſcendere ad vlteriores Ordines. quia aliàs cogeretur ad rē valde difficilem, cùm iam ligatus ſit, nec retrocedere poteſt alio ſtatu aſſumpto. Tum, quia aſſumptio omniū ſacrorum Ordinum videtur res indiuiſibilis. Nam Ordines ſacri commodè ad inuicem diuidi non poſſunt. ergo: videatur Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 30. n. 10.*

Dvbitatio XII.

XII. *An Superior, ob cauſam temporalem, quam ſufficientem putat ad diſpenſationem perpetuam concedendam, poſſit abſolutè diſpenſare, ne dum in his, quæ ſunt de iure humano, ſed etiam in his, quæ ſunt de iure diuino?*

Dico vigeſimoprimò, Superior ob cauſam temporalem, quam ſufficientem putat ad diſpenſationem perpetuam concedendam, poteſt abſolutè diſpenſare, non ſolùm in his, quæ ſunt de iure humano, ſed etiam in his, quæ ſunt de iure diuino: vnde fieri poteſt vt ſummus Pontifex aliquando abſolutè diſpenſet, e. g. in voto peregrinationis cum aliquo Prælato, vt eum ſocium habeat in aliquo graui negotio ad Eccleſiæ ſtatum pertinente; & tali cauſa ceſſante, finito ſcil. illo graui negotio, nō tenebitur ad illam voto promiſſam peregrinationem; quia abſolutè, & abſque reſtrictione cum vouente diſpenſatum eſt, & gratia abſolutè conceſſa non petit, deficiente cauſa, ex qua conceſſa eſt: tum, quia ceſſante cauſa conceſſionis indulgentiæ, ſi à principio fuit ſufficiens ad illius conceſſionem, non ceſſat indulgentia: vt, v. g. dedicatio Eccleſiæ, quæ vno die fit, eſt ſufficiens, vt concedatur ab Epiſcopo indulgentia vnius anni, & à Romano Pontifice perpetua concedi poteſt; ergo ſimiliter ob cauſam temporalem quam ſufficientem Superior putat ad diſpenſationem perpetuam concedendam, poteſt abſolutè diſpenſare, &c. Tum, quia non eſt neceſſe, vt cauſa tantum duret, quantum durat diſpenſatio, ſi abſolutè, & abſque reſtrictione concedatur, ſufficit enim quòd à principio cauſa etiam temporalis ſit iudicata ſufficiens ad perpetuam diſpenſationem concedendam. Nam, vt diximus, propter cauſam temporalem poteſt concedi indulgentia perpetua, & quamuis illa tranſeat, indulgentia perpetuò durabit; ergo ſimiliter, &c. Videatur pro hac aſſertione Nugnus noſter *tom. 2. in addit. ad 3. part. quæſt. 27. art. 4. dub. vlt. fol. 482. col. 2.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſput. 57. ſect. 2. num. 14.* Bonacina *tom. 2. tract. de legibus, diſput. 1. quæſt. 2. punct. 10. §. 1. num. 9. §. verùm huic primæ ſententiæ.*

Dvbitatio XIII.

XIII. *An conditio contraria ſubſtantiæ matrimonij, vel bonis eiuſdem, irritum reddat matrimonium?*

Dico vigeſimoſecundò, conditio contraria ſubſtantiæ matrimonij, aut bonis eius, illud irritum reddit, vt habetur expreſsè *cap. finali, de conditio. appoſit.* Conditio contra bonum matrimonij, & contra ſubſtantiam eiuſdem, tunc eſt, quando eſt contra prolem, vel contra fidelitatem, vel contra indiſſolubilitatem: contra prolem, puta ſi alter dicat alteri, Contraho tecum ſi generationem prolis euites; contra fidelitatem, puta ſi dicat, Contraho tecum ſi pro quæſtu adulterandam te tradas: contra indiſſolubilitatem, puta ſi dicat, Contraho tecum, donec inueniam digniorem, matrimonialis contractus tunc eſt irritus, quia ſine ſubſtantia nihil poteſt ſubſiſtere. *cap. tua nos, de ſponſalib.* ſed ſubſtantia matrimonij conſiſtit in conſenſu ad ſocietatem coniugalem: ſub quo tacitè includitur conſenſus ad perpetuam ſocietatem, ad fidem mutuo ſibi ſeruandam, prolémque ſuſcipiendam, quæ ſunt tria bona matrimonij. *cap. omne 27. quæſt. 2.* ergo conditiones, quæ his aduerſantur, deſtruunt ſubſtantiam matrimonij: videatur D. Thom. *in 4. diſt. 31. quæſt. 1. art. 3. corpore.*

Articvlvs V.

De impedimento cognationis.

Svmmarivm.

1. *Explicatur quotuplex ſit cognatio.*
2. *Explicatur in quibus gradibus conſanguinitatis, matrimonium inualidè contrahatur.*

3. *Explicatur, quæ ſit linea recta, & collateralis, tam aſcendentium, quàm deſcendentium.*
4. *An matrimonium in primo gradu conſanguinitatis linea recta. ſit iure naturæ irritũ? &, An in iſto gradu ad contrahendum, poſſit aliquando diſpenſari.*
5. *An ſit iure naturæ irritum matrimonium contractum inter auos, & nepotes.*
6. *An in alÿs gradibus conſanguinitatis, vltra primum, matrimonium contractum, ſit irritum iure naturæ.*
7. *An matrimonium infidelium, venientium ad fidem, factum inter conſanguineos, ſit diſſoluendum.*
8. *An matrimonium contractum inter conſanguineos linea tranſuerſa, ſit iure naturæ irritum.*

DVBITATIO I.

I. *Quotuplex ſit cognatio?*

Dico primò, cognatio eſt triplex, vna dicitur naturalis, ſeu carnalis, quæ dicitur conſanguinitas: ſecunda eſt ſpiritualis, quæ dicitur compaternitas: tertia eſt legalis, quæ dicitur adoptio. Cognatio naturalis, quæ dicitur conſanguinitas, eſt vinculum perſonarũ ex eodem ſtipite deſcendentium, carnali propagine contractum. Cognatio ſpiritualis eſt attinentia duarum perſonarum, quæ ex ſtatuto Eccleſiæ per Baptiſmi, & Confirmationis adminiſtrationem oritur. Legalis verò cognatio eſt propinquitas ex adoptione alicuius in filiũ, vel filiam prouenìens. Pro his duabus cognationibus, ſpirituali ſcilicet, & legali, videantur ea, quæ diximus ſuprà *art. præcedẽti, dict. 28. vſque ad* 33.

DVBITATIO II.

II. *In quibus gradibus conſanguinitatis matrimonium inualidè contrahatur?*

Dico ſecundò, inualidum eſt ſaltem Iure Eccleſiaſtico matrimonium celebratum inter perſonas conſanguineas intra quartum gradum incluſiuè, tam in linea recta, quàm in linea tranſuerſali. Ita habetur *in cap. non debet, de conſanguinitate, & affinit.* Iure autem antiquo ad ſeptimum vſque gradum impedimentum hoc extendebatur. 35. *quæſt.* 5. *cap. ad ſedem.*

DVBITATIO III.

III. *Quæ ſit linea recta, & collateralis, tam aſcendentium, quàm deſcendentium?*

Dico tertiò, linea, ſeries, ſeu collectio perſonarum in conſanguinitate eſt duplex, vna, quæ dicitur recta, altera verò tranſuerſa, ſeu collateralis. Linea recta illa eſt, ſecundùm quam multæ perſonæ ita deſcendunt ab vno ſtipite immediatè, vel mediatè, vt vna ſit genita ab altera, vt filius à patre, nepos à filio, pronepos à nepote. Iterum linea recta adhuc eſt duplex, alia eſt aſcendentium, alia deſcendentium. Linea aſcendentium eſt illa, qua progredimur à genitis ad genitores, quærendo illorum ſtipitem, numerando patrem, auum, proauum, abauum: linea verò deſcendentium eſt illa, qua progredimur à genitoribus ad genitos, ſcilicet à patre ad filium, nepotem, & pronepotem.

Dico quartò, linea verò collateralis, & tranſuerſa eſt illa, ſecundùm quam multæ perſonæ ab vno ſtipite immediatè, vel mediatè procedunt, ipſæ tamen perſonæ à ſe inuicem non deſcendunt. Vnde filij Franciſci, qui ſunt fratres inter ſe, conſtituunt lineam collateralem. quia vnus frater non deſcendit ab altero fratre, ſed ambo ab eodem patre immediatè procedunt. Item filij vnius fratris, puta Caij, & filij alterius fratris, puta Titij, ſi comparentur adinuicem, ſunt in linea tranſuerſa. quia mediatè deſcendunt ab eodem ſtipite, puta Ioanne, patre duorum illorum priorum fratrum, Caij, & Titij, & à ſe inuicem non procedunt. Videatur pro his duabus aſſertionibus Syl. *verb. matrimonium* 8. *quæſt.* 6.

Dico quintò, in linea recta aſcendentium, & deſcendentium, tot ſunt gradus conſanguinitatis, quot ſunt perſonæ, dempta vna perſona, nempè ſtipite, propterea cùm pater, & filius ſint duæ perſonæ, ſi ſtipes demitur, id eſt, pater, pater & filius erunt in primo gradu. quia dempto ſtipite, remanet vna perſona. Similiter pater, & nepos ſunt in ſecundo gradu: quia tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, dempta vna perſona; ſed perſonæ in hoc caſu ſunt tres, videlicet, pater, filius, & nepos. ergo vna dempta, nempè ſtipite, remanebunt duæ. ergo pater, & nepos erunt in ſecundo gradu conſanguinitatis: quia in linea recta aſcendentium, & deſcendentium tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, dempta vna perſona, nempe ſtipite. Videatur D. Thom. 3. *part. in addit. q.* 54. *art.* 2.

Dico ſextò, conſanguinei in linea tranſuerſali, ſeu collaterali, eo gradu diſtant inter ſe, quo gradu alter magis remotus diſtat à communi ſtipite. e. g. Ioannes habet duos filios Petrum, & Paulum, & rurſus Paulus habet filium Caium, & nepotem Titium, ſi quæratur in quo gradu ſit Titius nepos Pauli cum Petro, dicendum eſt eſſe in tertio gradu: nam eo gradu ſunt inter ſe, quo alter magis remotus diſtat à communi ſtipite; ſed Titius nepos Pauli diſtat tribus gradibus à communi ſtipite, id eſt, à Ioanne (nam dempto ſtipite, remanent tres perſonæ.) ergo ſunt in tertio gradu inter ſe. Ita D. Th. 3. *part. in additione, quæſt.* 54. *art.* 2. *in corpore, fine, & ſolutione ad ſeptimum.* Syl. *verb. matrim.* 8. *quæſt.* 6. §. *Tertium, verſic. ſi verò diſtant.*

Dico ſeptimò, non obſtat contra præcedens aſſertum. nam Petrus vno tantùm gradu diſtat à Ioanne, qui eſt communis ſtipes, ſeu radix proxima conſanguinitatis, quæ eſt inter ipſum Petrum, & Titium nepotem Pauli. ergo vno tantùm gradu videtur etiam diſtare Petrus à Titio nepote Pauli. Reſpondetur negando conſequentiam: nam gradus conſanguinitatis non ſunt numerandi pro ratione diſtantiæ, quæ eſt inter perſonam propinquiorem Ioanni ſtipiti, ſed numerandi ſunt gradus diſtantiæ, quæ eſt inter perſonam remotiorem cum ſtipite. quia remotior gradus trahit ad ſe minus remotum: ob id minus remotus eſt in eo gradu cum magis remoto, in quo gradu eſt ipſe magis remotus cum ſtipite, non verò eſt in eo gradu, in quo minus remotus eſt cum ſtipite. Videatur D. Thom. & Syl. *locis nouiſſimè allegatis.*

DVBITATIO IV.

IV. *An matrimonium in primo gradu conſanguinitatis lineæ recta ſit iure naturæ irritum? &, An in iſto gradu aliquando poſſit diſpenſari ad contrahendum?*

Dico octauò, matrimonium in primo gradu conſanguinitatis lineæ rectæ eſt iure ipſo naturæ irritum. quia omnes gentes benè inſtructæ ſolo naturæ lumine edoctæ nuptias inter hos, nempè inter parentes, & filios, nefandas exiſtimârunt. Videatur D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. *ad tertium.*

Dico nonò, Deus optimus maximus poſſet diſpenſare, vt id matrimonium in primo gradu lineæ rectæ inter patrem, & filium, v. g. initetur. quia talis

gradus non tollit omnino finem matrimonij,licèt aliquo modo impediat, ex eo enim coniugio naſci poſſunt filij,& educari:imò in caſu extremæ indigentiæ, vt ſi ſolus filius, & mater in mundo ſupereſſent citra diſpenſationem Dei, tale matrimonium liceret propter conſeruationem vniuerſi, quod eſt bonum commune. quia malum priuatum irreuerentiæ paternæ conſurgens ex tali matrimonio eſt inferioris ordinis reſpectu boni communis, ad quod ſpectat conſeruatio ſpeciei. ergo malum hoc priuatum poterit cohoneſtari,vt bono communi conſulatur. Ita benè Sotus *in 4.diſt.40.quæſt.vnica,art.3.§.Igitur quicquid ipſe,& § ſi tamen ſciſcitando.*

Dico decimò, in ſolo primo gradu aſcendentium, & deſcendentium eſt ita interdictum matrimonium iure naturæ,vt irritum ſit eo iure attento,vt inter ſolos parentes, & liberos. quia maxima reuerentia debetur principio per ſe, vt ſunt parentes reſpectu filiorum,non autem tanta debetur principio per accidens,vt ſunt alij aſcendentes,auus, proauus, abauus; ſed actus matrimonialis iure naturæ habet coniunctam quandam turpitudinem, & irreuerentiam alterius ad alterum oppoſitam reuerentiæ debitæ parentibus,qui ſunt principium per ſe filiorum, iuxta illud Leuit.18.*Turpitudinem patris tui, vel matris ne diſcooperias; mater enim tua eſt.* ergo iure naturæ attento in ſolo primo gradu aſcendentium,& deſcendentium eſt ita interdictum matrimonium, vt irritum ſit, ſi contrahatur: videatur Caietan. 2.2.*q.*45. *art* 9. §.*Ad euidentiam horum,verſ.& ex hoc patet.* Armill.*verb.Diſpenſatio num.9.&* 10.Sed vt magis explicetur, & probetur aſſertio præcedens,explicatur

DVBITATIO V.

V. *An ſit iure naturæ irritum matrimonium contractum inter auos,& nepotes?*

Dico vndecimò, auus, & cæteri aſcendentes, non ſunt principium nepotum per ſe, ſed per accidens, quia ad rationem filij,vt filius eſt, ſolùm deſideratur vt à parentibus originem trahat,ac per accidens eſt,vt ſuus pater alium patrem habuerit: nam filij Adami carentes auo,ita veri filij fuerunt,ac cæteri filij auum habentes,ac proinde reuerentia debita auis à nepotibus,nõ eſt debita neceſſariò,& per ſe, ſed per accidens, vtpote quę in ſola ratione principij,& cauſæ per accidens fundatur:ergo non eſt mirum ſi ea reuerentia,& ſuperioritas per accidens, non ita impedimentum de iure naturæ præſtat matrimonio inter eos,& illud eodem iure irritet:at reuerentia naturalis, quæ debetur patri à filio eſt per ſe,ideo inter parẽtes, & filios,quorum eſt per ſe,& immediata cognatio iure naturę,matrimonium ſi contraheretur eſſet irritum:non autem eſſet irritum matrimonium iure naturæ contractum inter auos,& nepotes,cùm non ſit inter eos per ſe, & immediata cognatio: videatur pro hac aſſertione D. Th.2.2.*q.*154 *a.9.in ſolut.ad* 3.Caiet. *ibi* §.*Ad cuius euidentiam ſcito,verſ.Secundùm namque rectam Philoſophiam.*

DVBITATIO VI.

VI. *An in alijs gradibus conſanguinitatis, vltra primum, matrimonium contractum ſit irritum iure naturæ?*

Dico duodecimò,licèt in aliis gradibus conſanguinitatis vltra primum lineæ rectæ non prohibeatur matrimonium iure naturali irritante, non tamen eſt negandum eſſe aliquo modo contra ius naturæ,quando non adeſt aliqua cauſa iuſta illud cohoneſtans.quia natura ipſa dictat conſanguineis in aliis gradibus lineæ rectæ, vſque ad quartum incluſiuè, reuerentiam quandam deberi, ſed copula coniugalis pugnat cum tali reuerentia.ergo:videatur Caiet.*in c.*18.*Leuit.ad fin.*

DVBITATIO VII.

VII. *An matrimonium infidelium venientium ad fidem,factum inter conſanguineos,ſit diſſoluendum.*

Dico decimotertiò,infideles matrimonio coniuncti cum quocumque aſcendente,dempris patre,& matre,dummodo non contra leges ſuas, aut conſuetudines matrimonium irritantes illud inierint, ſi poſtea conuertantur ad fidem,non ſunt ſeparandi. quia in lege naturæ,qua ſola aſtringuntur, & iuxta leges ſuas id matrimonium eſt validum;ſed conuerſi ad fidem non ſunt ſeparandi à matrimonio non irrito contra ius naturæ irritans matrimonium.ergo:videatur *cap.gaudemus,de diuortijs.*

DVBITATIO VIII.

VIII. *An matrimonium contractum inter conſanguineos lineæ tranſuerſæ,ſit iure naturæ irritum?*

Dico decimoquartò,in nullo gradu lineæ tranſuerſæ conſanguinitatis,eſt ita iure naturæ matrimonium interdictum,vt eodem iure attento,irritum ſit,ac proinde attento ſolo iure naturæ validum eſt matrimonium inter fratres,& ſorores.quia cùm frater,& ſoror non ſint directè vna caro, vt ſunt pater, & filius, nec inter ipſos repugnet ęqualitas,nec ſit mutua reuerentia debita, cùm neuter ſuperior ſit, non videtur matrimonium inter eos aduerſari ſubſtantiæ coniugij; ergo ſi contrahatur, non erit iure naturæ irritum, & ita hanc ſententiam tenere videtur D.Th. 2.1.*q.*154. *art.9 in ſolut.ad* 3.Caiet.*ibi* §.*In reſponſione ad* 3.Nauar. *tom.2.lib.4.de ſponſalibus,conſil.*14.*n.*8.

Dico decimoquintò, ſatis eſt probabile in primo gradu lineæ tranſuerſæ,vt inter fratres,& ſorores,eſſe interdictum, ac irritum iure naturæ matrimonium. quia nunquam Eccleſia in hoc gradu diſpenſauit,cùm aliquando à Pontifice petitum fuerit; vt Nauarr. *loco nouiſſimè allegato* notauit: ergo. Tum,quia Innocentius III. *cap. gaudemus, de diuort.* decernit infideles conuerſos ad fidem non eſſe ſeparandos à matrimonio tempore infidelitatis inito,in ſecundo,& aliis vlterioribus conſanguinitatis gradibus, eo quòd legibus Eccleſiæ non arceantur; ergo à contrario ſenſu, quando ſunt coniuncti in primo gradu,cenſet Pontifex ſeparandos eſſe,eo quòd is gradus iure naturali irritet matrimonium. ſic Sotus *in 4.diſt.*40. *quæſt. vnica, art.4.concluſ.*1.Lopez *part.2.Inſtruct.de matrim. cap.* 49. §.*His præmiſſis ſtatuitur,fol.*1142.

ARTICVLVS VI.

De impedimento criminis.

SVMMARIVM.

1. *Explicatur quando crimen homicidij ſit impedimentum dirimens.*
2. *An crimen ſimplex homicidij dirimat matrimonium.*
3. *An ad inducendum impedimentum criminis, ſufficiat ratihabitio homicidij.*
4. *An vt crimen ſolius homicidij inducat impedimentum dirimens*

Digitized by Google

dirimens requiratur, vt machinatio ſit facta ad finem contrahendi.

5. *An crimen ſimplex adulterij inducat impedimentum dirimens.*

6. *An ad hoc, vt crimen adulterij, mixtum homicidio, inducat impedimentum dirimens, requiratur vt vterque adulter cognouerit adulterium formaliter.*

7. *An occidens vxorem ad contrahendum cum adultera, poſſit validè cum alia contrahere.*

8. *An adulterans ſi promittat adulteram accipere in ſuam, mortuo ſuo viro, poſſit validè cum hac contrahere.*

9. *An ad hoc, vt adulterium ſub fide futuri matrimonij, impediat matrimonium, requiratur vt vterque adulterans cognoſcat copulam, quam habet, eſſe adulterium.*

10. *An promiſſio futuri matrimonij fictè facta, adiuncta adulterio, inducat impedimentum dirimens? & , An promiſſio debeat eſſe mutua, & expreſſa aliquo ſigno externo, & acceptata.*

11. *In quo differant pollicitatio, & promiſſio: & an ſufficiat pollicitatio futuri matrimonij, ad inducendum impedimentum dirimens.*

12. *An vt promiſſio futuri matrimonij adiuncta adulterio ſit impedimentum dirimens, ſufficiat taciturnitas eius, cui promittitur.*

13. *An ſit impedimentum dirimens, ſi coniugatus dicat adulteræ: Niſi matrimonio ligatus eſſem, te ducerem.*

14. *An vt promiſſio futuri matrimonij, mixta adulterio, ſit impedimentum dirimens, requiratur vt durante eodem matrimonio, fiant promiſſio & copula.*

15. *An promittens matrimonium, poſt obitum coniugis ineundum, peccet mortaliter.*

16. *An inducatur impedimentum dirimens matrimonium, ſi durante priori matrimonio, adulter det fidem adulteræ de contrahendo matrimonio, cum perſona, quam tertius quidam, ab adultera deſignatus, deſtinauerit.*

17. *An ex matrimonio de præſenti ſiue publicè, ſiue clandeſtinè contracto, concurrente cum illo adulterio, oriatur impedimentum dirimens, & ad hoc requiratur, vt vterque coniux ſciat, copulam, quam habet, eſſe adulterium.*

18. *An inducatur impedimentum dirimens, ſi duo coniugati, noſcentes proprium, non alterius coniugium, inter ſe copulam habeant, & poſt illam de præſenti matrimonium contraherent.*

DVBITATIO I.

I. *Quando crimen homicidij ſit impedimentum dirimens?*

DIco primò, crimen homicidij inducit impedimentum dirimens, quando vnus coniugum conuenit cum altero, vt occidant alterum coniugem, vt poſſint inter ſe contrahere, tunc ſi occidant illi, machinantes in mortem alterius coniugis, non poſſunt contrahere: vt ſi conuenerint quòd maritus occidat vxorem, vel vxor occidat maritum, ſiue occidat per ſe immediatè, ſiue per alium, ſiue ambo ſimul machinantes in mortem alterius coniugis occidant, ſiue ferro, ſiue veneno: ita habetur *in cap. laudabilem, de conuerſione infidelium.*

Dico ſecundò, non deſideratur adulterium, vt crimen homicidij inducat impedimentum dirimens, ſed ſufficit, quòd vterque matrimonio copulari volens cooperatus ſit ad mortem alteri coniugi inferendam, vt cum ſuperſtite contrahat. quia *cap. laudabilem, de conuerſione infidelium*, nullam de adulterio mentionem facit; tum, quia ratio huius impedimenti eſt, ne ob matrimonij ſpem detur anſa interficiendi alterum coniugem. ergo ex ſola coniugis interfectione abſque adulterio hoc impedimentum dirimens conſurgit. Ita Sotus *in 4. diſt. 37. q. vnica art. 4. §. Maius autem dubium eſt.*

DVBITATIO II.

II. *An crimen ſimplex homicidij dirimat matrimonium?*

Dico tertiò, crimen ſimplex homicidij non admixtum adulterio, non inducit impedimentum dirimens matrimonium, ſi alter abſque conſilio alterius coniugem necet: ac proinde ſi aliquis occidit coniugem ſuum, vel alterius, vt poſſit contrahere matrimonium cum alio, qui non fuit particeps homicidij, validè poſt occiſionem coniugis contraheret. quia vbi ſolius alterius machinatio interuenit, textus de homicidio adulterio admixto loquuntur, vt conſtat ex *cap. 1. cap. ſuper hoc, cap. ſignificaſti, de eo, qui duxit.* ergo quando aliquis occidit coniugem ſuum, vt poſſit contrahere cum aliquo, qui non fuit particeps homicidij, nec adulterium cum homicida cõmiſit, validum poſt occiſionem contraheret matrimonium. Ita bene Syl. notanit *verb. matrim. 8. q. 9. §. Primum crimen primum, verſ. Si verò alter tantùm.* Sà *verb. matrim.* vbi de impedimentis dirimentibus, *n. 7.* Caiet. *verb. matrim. n. 16.*

DVBITATIO III.

III. *An ad inducendum impedimentum criminis, ſufficiat ratihabitio homicidij?*

Dico quartò, ad inducendum hoc impedimentum non ſufficit ratihabitio homicidij abſque cooperatione. quia ratihabitio non influit in homicidium, cùm ſit eo poſterior. Item qui dedit mandatum occidendi, ſed poſtea reuocauit mandatum, cuius reuocatio innotuit mandatario ante mortem coniugis, non eſt reus huius impedimenti, ſicut non eſt reus ille, qui dedit conſilium, quod nihil influxit. quia homicidium non imputatur mandanti, vel conſulenti in dictis caſibus. Syl. nouiſſimè relatus, *dicto 3.*

DVBITATIO IV.

IV. *An vt crimen ſolius homicidij inducat impedimentum dirimens, requiratur vt machinatio ſit facta ad finem contrahendi?*

Dico quintò, vt crimen ſolius homicidij inducat impedimentum dirimens, requiritur, vt machinatio, ſeu conuentio occidendi alterum coniugem, facta ſit ad hunc finem, vt mortuo coniuge machinantes, ſeu conſpirantes, poſſent inter ſe contrahere. Vnde qui conuentionem fecit cum Martina, v.g. occidendi illius virum ex odio, ſeu vindicta, & non ex intentione contrahendi matrimonium inter ſe, non contrahit impedimentum dirimens matrimonium conſequenter facto homicidio, ex alio tamen, ſeu vindicta, poterit matrimonium cum Martina validè cõtrahere. quia finis inductionis huius impedimenti fuit ne coniux coniugem vita orbaret, vt eo matrimonio ſoluto ad illud matrimonium migraret cum perſona, quam deamat; ſed hæc ratio nunquam habet locum, quoties coniugis interfectio non eò tendit, vt aliud matrimonium cum ea perſona ineatur; ergo. Ita clarè ſentire videtur D. Thom. 3. *part. in addit. quæſt. 60. art. 2. corpore.* Sotus *in 4. diſt 37. quæſt vnica, art. 4. §. Quando autem adulterij, verſ. Richard. verò hic,* licèt Caiet. *ſumma verb.*

*verb.matrim.n.*13.& alij exiſtiment ooo requiri huiuſmodi intentionem ex parte illius.

Dico ſextò,non requiritur tamen, vt vterque machinator habuerit hunc finem, conttabeodi ſcilicet, ſed ſufficit, vt vnus tantùm hanc habuerit intentionem.quia nullo iure probatur iſtam inteutionem requiri ex parte vtriuſque.Ita notauit Sanchez *lib. 7. de matr.diſp.*78.*n.*14.In opioione tamen omnium ad hoc impedimentum inducendum requiritur, vt mors ſequatur:oam *cap.ſi quis viuente* 31.*q.*1. colligitur requiri effectum couſummatum.

Dvbitatio V.

V. *An crimen ſimplex adulterij, inducat impedimentum dirimens?*

Dico ſeptimò, crimen adulterij inducit impedimentum dirimens matrimonium,ſi prætet adulterium adeſt homicidium coniugis commiſſum ab aliqua perſona, cum intentione contrahere mattimonium cum illa perſona, cum qua commiſit adulterium Crimen igitur adulterij inducit impedimentum dirimeos matrimonium inter illos, quando haber adiunctum homicidium illius,cum cuius conloge conttahendum eſt matrimouium:vt ſi Petrus occidat Paulum,bac inteutione, vt poſſit matrimonium contrahete cum vxore Pauli,cum qua commiſit adulterium:vel ſi vxor Pauli occidat Paulum hoc animo, vt contrahat matrimonium cum Petro, cum quo adulterata eſt, non poterit validè cum eo celebrare.Ita colligitur ex *c. ſi quis viuente* 31.*quaeſt.*1.

Dico octauò, vt crimen adulterij cum homicidio inducat hoc impedimentom dirimens,non requiritur, vt vterque adulter cooperetur morti coniugis, ſed ſufficit,vt vnus ſit conſcius homicidij, quamuis alter non ſit couſors. quia per hoc diſtinguitur crimen adulterij cum homicidio à crimine ſolius homicidij, quòd in crimine ſolius homicidij requiritur, vt vterque contrahens fuerit particeps homicidij ſequuti;in crimine verò adulterij cum homicidio ſufficit,vt alter eorum occidat cum intentione conttahendi inſcio altero adultero, cum quo contracturus eſt. Videatur Syl.*verb.matrim.*8.*q.*9.*dict.*1.*verſ ſi verò alter.*

Dvbitatio VI.

VI. *An ad hoc vt crimen adulterij, mixtum homicidio, inducat impedimentum dirimens,requiratur,vt vterque adulter cognouerit adulterium formaliter?*

Dico nonò,vt crimen adulterij cum homicidio indocat impedimentnm dirimens,requiritur vt vterque norit adulterium,alioquin non contrahitur: vnde ſi Martinus,v.g. coniugatus commiſit adulterium cum Berta ſoluta, quæ credebat Martinum non eſſe vxoratum, poterit validè conttalicre matrimonium cum Martino,etiamſi Mattinus occiderit vxorem hoc fine, contrahendi ſcilicet mattimouium cum Berta. oam copula reſpectu Bertæ non fuit adulterium formaliter, ſed tantùm materialiter, eo quòd ipſa ignorârit Martinum eſſe coniugatum; ergo ex iſta copula non inducitur impedimentum dirimens. Probatur conſequentia.nam hoc impedimentum inducitur ex adulterio formali vtriuſque: ſed quæres, an ſi fœmina illa ignorans alterius coniugium, eſſet coniugata,adulterium cum illa patatum ſolo adulreto machinante mortem propriæ vxoris,induceret impedimentum dirimens cum adultera illa, ſoluto vtriuſque coniugio? Reſpondetur oegatioè,quia adulterium reſpectu coniugis interfecti eſt,quòd vna cum mortis ipſius machinatione dirimit matrimonium:ſed reſpectu coniugis interfecti nullum adulterium commiſit illa,vtpote coniugij illius ignara; ergo:videatur Sanchez *lib.*7. *de matrim.diſput.*78.*num.*12.

Dvbitatio VII.

VII. *An occidens vxorem ad contrahendum cum adultera, poſſit cum alia validè contrahere?*

Dico decimò, is, qui occidit propriam vxorem, vt contrahat martimonium cum adultera,poteſt validè contrahere matrimonium cum alia, quamuis non poſſit validè contrahete cum ipſa adultera. nam boc impedimentum inductum eſt,ne mattimonium validè conttahatur cum perſona adultera, non verò cum alia. Verumtamen eſt occidentem proprium coniugem incuttere impedimentum impediens matrimonium cum quacunque perſona. Ita præclarè notauit D.Th.3.*p.in addit q.*60.*art.*2.*in corpore.*

Dvbitatio VIII.

VIII. *An adulterans, ſi promittat adultera accipere in ſuam, mortuo ſuo viro, poſſit cum hac validè contrahere?*

Dico vndecimò, quando vir adulteratur cum aliqua muliere,cum promiſſioue,quòd eam in ſoam vxorem accipiet,mottoo ſuo viro,vel è conuerſo,tunc inter iſtos non poteſt eſſe matrimonium in æternum,ſiue præcedat,ſiue ſequatur adulterium huiuſmodi promiſſio.quia huiuſmodi promiſſio dat occaſionem captandę mortis coniugis,ad quam vitandam inductum eſt hoc impedimentum.Ita *in cap. ſi quis vxore viuente, de eo qui duxit in matrim.*

Dvbiaatio IX.

IX. *An ad hoc vt adulterium ſub fide futuri matrimonij,impediat matrimonium,requiratur, vt vterque adulterans cognoſcat copulam, quam habet eſſe adulterium?*

Dico duodecimò, vt adulterium cum fide futuri matrimonij inducat impedimentum dirimens,requiritur vt vterque adulterans cognoſcat copulam,quam habet eſſe adulterium,videlicet vt vterque ſciat ſuperſtitem eſſe coniugem alterius. nam hoc impedimentum inducitur ex adulterio formali vtriuſque. Non ergo ſufficeret ſi vterque eſſet coniugatus, & noſſet proprium coniugium, ſi neuter alterius coniugium nouit.Videatur *cap.propoſitum,de eo,qui duxit in matrim.* Caiet.*ſumma verb.matrim.n.*15. Sà *eod.verb.vbi de impedimentis, num.*7.

Dvbitatio X.

X. *An promiſſio futuri matrimonij fictè facta, adiuncta adulterio, inducat impedimentum dirimens? &, An promiſſio debeat eſſe mutua, & expreſſa aliquo ſigno externo,& acceptata?*

Dico decimotertiò, ſi promiſſio facta fuit animo decipiendi,adulterinm cum fide, & promiſſione futuri matrimouij non ioducit impedimentum dirimens.

mens. nam ficta promiſſio non eſt promiſſio. Ita Henriquez *lib. 12. de matr. c. 14. n. 3. fine*. Bonacina *tom. 1. tr. de matr. q. 3. puncto 6. n. 8. §. Tertium peccatum, ad finem.* Rodriquez *ſumma part. 1. c. 228. n. 7.* vbi tunc in ſolo foro externo videtur cenſere iocutri hoc impedimentum propter conſenſus præſumptionem.

Dico decimoquartò, ſatis eſt prubabile ſufficere in caſu præcedentis aſſertioois fictam promiſſionem futuri matrimooij. quia etiam ficta promiſſio dat occaſionem captandæ mortis cooiugis; ſed hoc impedimentum inductum eſt ab Eccleſia ad hanc vitandum. ergo. Ita Vega *tom. 2. ſumma cap. 34. caſu 124.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 79. num.* 10.

Dico decimoquintò, vt promiſſio futuri matrimonij adiuncto adulterio inducat hoc impedimentum dirimens, non debet eſſe mutua. quia poteſt eſſe vera promiſſio, quamuis non adſit repromiſſio, nec iura requirunt hanc reciprocam promiſſionem, vt patet ex *cap. ſignificaſti, de eo, qui duxit.* videator Sotus *in 4. diſt. 37. q. vnica, art. 4. §. Secundus caſus.* Lopez noſter *p. 2. Inſtr. cap. 54.* vbi de impedimentis matrim. §. *Sed iam hic circa, verſ. Secundum autem crimen, fol. 1167.* licèt Henriquez *lib. 12. de matrim. c. 14. n. 3.* & alij reqeant requiri promiſſionem illam matrimonij eſſe mutuam. ſi enim alter ſolus adulter promittat, altero non promittente, cenſent non oriri hoc impedimentum.

Dico decimoſextò, promiſſio futuri matrimonij adiunctaadulterio, vt inducat hoc impedimentum requiritur, quòd ſit expreſſa aliquo ſigno externo. nam promiſſio facta abſque ſigno externo non habet adiunctum periculum machinandæ mortis alterius, ad quam præcauendam ius ioduxit hoc impedimentum. imò debet eſſe acceptata: nam ante acceptatiouem non eſt propriè promiſſio, ſed pollicitatio.

Dvbitatio XI.

XI. *In quo differant pollicitatio, & promiſſio? &, An ſufficiat pollicitatio futuri matrimonij, ad inducendum impedimentum dirimens?*

Dico decimoſeprimò, pollicitatio eſt ſolius offerentis promiſſio, antequàm ab altero acceptetur: promiſſio verò eſt datio fidei deliberata, vera, & ſpontanea de re licita, & poſſibili: fides autem non dicitur data, antequam ſit acceptata per promiſſionem; igitur dicitur fides data, quatenus proioiſſio eſt acceptata. Ad inducendum hoc impedimentum dirimeos, non ſufficit pollicitatio, ſed promiſſio, fides data, & acceptata: videatur *cap. 1. de eo, qui duxit.*

Dvbitatio XII.

XII. *An vt promiſſio futuri matrimonij adiuncta adulterio, ſit impedimentum dirimens, ſufficiat taciturnitas eius cui promittitur?*

Dico decimooctauò, ad ioducendum hoc impedimentum licèt non requiratur alterius adulteri repromiſſio, vt diximus *aſſert. 15.* ſed ſola promiſſio alterius adulteri, acceptata ab altero, ſufficiat: non ſufficit tamen taciturnitas eius, cui promittitur. Probatur, quia taciturnitas non eſt ſufficiens acceptatio promiſſionis liberaliter factę, quando promiſſio liberaliter facta eſt nociua acceptanti; ſed promiſſio futuri matrimonij facta ab adultero, eſt nociua, nedum promittenti, ſed etiam acceptanti. ergo. Maior probatur, quia tacens nõ cenſetur cõſentire in ſui incommodum, & nocumentum. Minor verò patet: nam adulter promittendo matrimonium poſt obitum coniugis ineundum cum altero adultero, grauem culpam admittit, quia per hanc promiſſionem datur anſa captandæ mortis coniugis; ſed ſimili culpa inuoluitur acceptans eiuſmodi promiſſionem, vtpote, qui culpæ alterius conſenſum prębet. ergo taciturnitas non eſt ſufficieos ad hanc promiſſionem acceptandam, cùm taceos non cenſeatur conſentire in ſui incommodum, & maximum animæ nocumentum: videatur Sanch. *lib. 7. de matrim. diſp. 79. n. 25.* Taciturnitas tamen eſſet ſufficiens, vt promiſſio facta præſenti, & tacenti obliget, quando cedit promiſſum omoino in commodum promiſſarij, quia quoties de tacentis commodo agitur, cenſetur tacens in ſui fauorem conſentire. Vide Syl. *verb. Pollicitatio, n. vnico.* Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 6. n. 11.*

Dvbitatio XIII.

XIII. *An ſit impedimentum dirimens ſi coniugatus dicat adulteræ: Niſi matrimonio ligatus eſſem, te ducerem?*

Dico decimononò, non eſſet impedimentum dirimens ſi coniugatus dicat adulteræ: Niſi matrimonio ligatus eſſem, te ducerem. quia ea verba non continent futuri matrimonij promiſſionem, non enim datur fides aliqua de matrimonio io poſterum contrahendo, ſed tantùm ſignificatur voluntas imperfecta matrimonij contrahendi, quam Theologi velleitatem appellant. Ita bene ootauit Syl. *verb. matr. 8. q. 9. dict. 10.*

Dvbitatio XIV.

XIV. *An vt promiſſio futuri matrimonij mixta adulterio, ſit impedimentum dirimens, requiratur vt durante eodem matrimonio, fiant promiſſio, & copula?*

Dico vigeſimò, non inducitur hoc impedimentum dirimens matrimonium, ſi Caius, e. g. promiſit nuptias Semproniæ mortua ſua vxore, ſi poſtea mortua vxore contraxit cum Simplicia, & viueote Simplicia carnaliter cognouit Semproniam abſque noua promiſſione, & ſic validè mortua Simplicia poterit contrahere cum Sempronia. quia vt inducatur hoc impedimentum dirimens, requiritur quòd promiſſio, & adulterium intereeſſerint durante eodem matrimonio, ſed in iſto caſo promiſſio, & adulterium non intercedunt durante eodem matrimonio; ergo. ſic notauit Syl. *verb. matrim. 8. quæſt. 9. dicto 5.*

Dvbitatio XV.

XV. *An promittens matrimonium, poſt obitum coniugis ineundum, peccet mortaliter?*

Dico vigeſimoprimò, grauem culpam admittit promittens matrimonium poſt obitum coniugis ioeundum. quia datur anſa captandæ mortis coniugis: imò talis promiſſio irrita eſt. nam ios ſimilibus pactis reſiſtit, vt caueatur anſa inferendæ mortis alteri coniugi. Tum, quia non valet promiſſio vacaturi beneficij, ob eandem cauſam, *c. nulla Eccleſia, de conceſſione præbendæ, & ibi gloſſ. verb. antequam.* ergo nec promiſſio futuri matrimonij carnalis. Videatur Lancellottus *Inſtit. iuris Canonici lib. 2. de diuortijs, §. cum ea autem, verb. dederit.*

Dico vigeſimoſecundò, quando duo promiſerunt ſibi matrimonium, ſi ambo, vel vnus ex his eſt coniugatus, ſi poſtea pœnitentia ducti reſilierunt à tali promiſſione

miſſione ante ſequutam copnlam, quæ deinde ſèqouta eſt abſque noua promiſſione, non contrahetur hoe impedimentum. quia non concurrit adulterium eum promiſſione, nam fides antea data ſoluta eſt, & extiucta ante ſequutam eopulam. Ita Bonacina *tom. 1. tract. de matrim. q. 3. punct. 6. n. 13.*

Dico vigeſimotertiò, ſi verò ſequuta promiſſione, & eopula reſiliant à promiſſione, remanent inhabiles ad contrahendum. nam per adulterium eommiſſum, & fidem datam duraote eodem matrimonio, iam inductum eſt impedimentum dirimens, & quòd iam eoncurrerit adulteriuм enm promiſſione futuri matrimònij. ergo hi non poterunt eontrahere, abſque ſummi Pontificis diſpenſatione: ſic obſeruauit Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 79. num. 7.*

Dvbitatio XVI.

XVI. *An inducatur impedimentum dirimens matrimonium, ſi durante priori matrimonio, adulter det fidem adulteræ, de contrahendo matrimonio, cum perſona, quam tertius quidam ab adultera deſignatus, deſtinauerit?*

Dico vigeſimoquartò, ſi dutante priori mattimonio adulter fidem dederit adulteræ de eootrahendo mattimonio cum perſona, quam tertius quidam ab adultera ſignatus deſtinauerit, quando fraudulenter ea fides datur, vel petitur, vt tertius ille adulteram deſignet, in hoe caſu inducitur hoe impedimentum dirimens. quia perinde eſt, ac ſi fides adulteræ datetur, nec frans parrocinari debet. *cap. aduerſius, de immunitate Eccleſia.* Ita præclarè Syl. *verb. matrim. 8. quaſt. 9. dicto 6.*

Dico vigeſimoquintò, quòd ſi ea fraus non interuenerit, ſed fides illa petira eſt bona fide, eo quòd credebatur fore, vt terrius ille conueniens adultero mattimonium eonſuleret, non tamen ſpeciale cum adultera, cum qua peccauit; ſed cum alia quacunque indetermioata, tunc non oritur hoc impedimentum matrimonium dirimens. quia non adfuit promiſſio futori matrimonij inter ipſos adulteros. Ita Syl. *loco* nouiſſimè *relato*, Sotus *in 4. diſt. 37. quaſt. vnica, art. 4. §. Poſtremus caſus.*

Dico vigeſimoſextò, vt in eaſu præcedentium duarum aſſertionum oriatur impedimentum dirimens, ſatis eſt, ſiue fidem dans, ſiue acceptans probabiliter exiſtimet, vt tertius ille eonſulat matrimonium inter illos adulteros. quia ex parte vnius datur fides, vel acceptatur de fllo ſpeciali mattimonio cum adulteta, quod conſulendum eredit ab illo tertio, & ita fraos ex parte illius interuenit, ſed fraus, & dolus nemini debet patrocinari. *cap. aduerſùs, de immunitate Eccleſia*; ergo. ita præclarè Sotus nupetrimè adductus. Lopez noſter *part. 2. Inſtruct. cap. 54.* vbi de impedimentis mattim. *§. Aduertendum eſt, fol. 1165.* Sed vt magis præcedentes aſſertiones explicentur,

Dico vigeſimoſeptimò, ſi Sempronia, e. g. ſub hac fide eum Perro in adulterium conſentit, vt de futuro marito ipſius Semproniæ, & vxore Petri, ducet eam in vxorem, quam Berta eidem Petto eonſoluerit, & poſtea mortuis coniugibus, Berta conſulit Petro, vt ducat Semptoniam, ſi Sempronia hoc fecit fraudulenter, ſciens probabiliter Bertam eonſulturam Petro, vt ſe ipſam Semproniam duceret, eertè eſt Impedimentum dirimens. quia Semptonia fraude ſeduxit Perrum; ergo perinde eſt, ac ſi fides datetur ei de futuro matrimonio contrahendo. ergo licèt ipſe Pettus bona fide illud promitteret, tamen ex fraode Semproniæ ortum eſt impedimentum, quia ftaus, & dolus nemini debet patroeinari. *cap. aduerſùs, de immunitate Eccleſia.* Si verò Sempronia illam fidem à Petro non per fraudem, ſed alia eauſa accepit, ſcilicet quia eredebat à Berta benè conſultum in Petro, vt probam vxorem eligeret, nullum emergit impedimentum. quia non adfuit futurarum nuptiarum promiſſio inter ipſos adulteros. Ita bene Sotus, Syl. Lopez *locis cit.*

Dvbitatio XVII.

XVII. *An ex matrimonio de praſenti, ſiue publicè, ſiue clandeſtinè contracto, concurrente cum illo adulterio, oriatur impedimentum dirimens, & ad hoc requiratur, vt vterque coniux ſciat copulam quam habet, eſſe adulterium?*

Dieo vigeſimooctauò, non ſolùm fides data futuri matrimonij cū adulterio cognito, inducit hoc impedimentum dirimens, ſed etiam ex matrimonio de præſenti, ſiue publicè, ſiue clandeſtinè eontracto concurrente cum illo adulterio, otitur impedimentum dirimens: vnde ſi Sempronius contraxit publicè, aut clandeſtinè matrimonium eum vxore Titij, illámque carnaliter cognouit, non poterit mortuo Titio marrimonium eum ipſius vxore validè contrahere. quia inter iſtos adulteros, qui de facto coniuges ſe fecerunt, ſtante altero eorum ligato in priore matrimonio in æternum, non poteſt eſſe eooiugium. Ita *in cap ſignificauit, & cap. ſi quis, de eo, qui duxit in matrim. quam polluit per adulterium,* & docet Caiet. *verb. matr. num. 14. §. Quartus caſus eſt.*

Dico vigeſimononò, vt adultetium cum matrimonio de præſenti iuducat impedimentum dirimens, requiritur, vt vterque contrahens ſciat copulam, quam habet, eſſe adulterium, videlicet vt vterque ſciat ſuperſtitem eſſe coniugem alterius: quoniam ad hoc impedimentum inducendum requiritur formale adulterium ex parte vtriuſque habentis inter ſe copulam: ignorans autem perſona ſoluta, alteram, cum qua copulam habet, eſſe coniugatam, non committit formaliter adultetium, ſed tantùm materialiter. ergo. Ita patet ex *cap. propoſitum, verb. Inſciam*, & docet Sotus *in 4. diſt. 37. q. vnica, art. 4. §. Tertium verò crimen.*

Dico trigeſimò, ad hoc ditimens impedimentum incurrendum ſufficit, vel quòd poſt ſcientiam coniugij alterius, matrimonium de facto ineatur, & copula habeatur, vel ſi ante ſcientiam ineatur matrimonium, habita poſtea ſcientia, ſi tales contrahentes non reſilierint ab eo matrimonio de facto inito, copula habeatur: quoniam in eodem mattimonio perſeuerando, & eo poſt ſcientiam prioris eoniugij vtendo, cenſetur quaſi contractum matrimonium poſt ſcientiam, & anſa præbetur machinandi in mortem eoniugis. Ita Caietan. *loc cit. num. 15. §. Et hunc caſum intellige.* Armilla *verb. matrim. num. 33.* Syl. *verb. matrim. 8. quaſt. 9. dicto 4.*

Dvbitatio XVIII.

XVIII. *An inducatur impedimentum dirimens ſi duo coniugati, noſcentes proprium, non alterius coniugium, inter ſe copulam habeant, & poſt illam de præſenti matrimonium contraherent?*

Dico trigeſimoptimò, ſi duo ambo cōiugati noſſent

proprium

proprium coniugium, altero tamen alterius coniugium ignorante, & ſtante tali ignorantia inter ſe copulam haberent, & poſt copulam matrimonium de præſenti contraherent (quamuis tale matrimonium ſit nullum) in iſto caſu non induceretur impedimentum dirimens: vnde ſi vidui remanerent, & contraherent, validum inter eos eſſet matrimonium. quia in iſto caſu, vt impedimentum dirimens inducatur, neceſſarium eſt, vt vterque adulter nôrit reliquum habere coniugem, & ſic altero ignorante, poſſet inter eos conſiſtere matrimonium, ſi ambo vidui remanerent. Tum, quia hoc impedimentum dirimens iuſtitutum eſt propter iniuriam irrogatam ab vtroque adultero eidem matrimonio, committendo aduersùs illud adulterium, data fide futurarum nuptiarum, vel incundo de præſenti ſecundum matrimonium. Sed ſi dum ambo coniugati noſſent proprium coniugium, altero alterius coniugium ignorante, & ſtante tali ignorantia inter ſe copulam haberent; ignorans non inferret iniuriam eidem matrimonio, ſed ſuli proprio. ergo in hoc euentu non induceretur impedimentum dirimens, cùm ambo adulteri non inferant iniuriam eidem matrimonio. Ita colligitur ex Syl. *verb. matr.* 8. *quaſt.* 9. *dicto* 4. *verſic. Sed ad hoc.* Sanchez *lib.* 7. *de matr. diſput.* 79. *num.* 31.

Dico trigeſimoſecundò, vt inducatur hoc impedimentum dirimens, ſufficit ſi fides futuri matrimonij detur, aut matrimonium de præſenti ineatur ante ſcientiam alterius coniugij, ſi poſtea habita ſcientia accedat copula. quia copula poſtea habita, nondum fide futuri matrimonij remiſſa, nec matrimonio illo de facto inito diſſoluto, illi innititur, & non minus anſa captandæ mortis coniugis præbetur, quàm ſi vtrunque, fides ſcilicet futuri matrimonij, vel matrimonium de præſenti, & copula habita poſt ſcientiam contingeret. Videatur Armill. *verb. matr. n.* 33. Sanchez *loco* nouiſſimè *adducto num.* 34. licèt Sotus *in* 4. *diſt.* 37. *q. vnica, art.* 4. §. *Tertium verò crimen, verſ. Iſta verò duo,* Lopez 1. *p. Inſtruct.* vbi de matrim. *c.* 54. §. *Tertium verò crimen, verſic. In ſecundo verò præcedenti,* vtrumque poſt coniugij ſcientiã petere videantur: & ſic ſi fides futuri matrimonij præceſſit coniugij ſcientiam, & habita poſtea ſcientia, ſubſequuta eſt copula, ſecundùm Sotum, & Lopez, non induceretur hoc impedimentum: at quod diximus verius, & probabilius eſt.

Dico trigeſimotertiò, ad hoc tamen impedimentum dirimens ſufficit ſi fides futuri matrimonij detur, aut matrimonium de præſenti ineatur, ante ſcientiam alterius coniugij haberi, & poſt ſcientiam dari fidem futuri matrimonij, aut matrimonium de facto iniri, abſque noua copula ſubſequenti poſt ſcientiam alterius coniugij. quia copula illa præcedens ante ſcientiam alterius coniugij non fuit verum adulterium, & formale, inferens iniuriam eidem matrimonio, ſed ad hoc inducendum impedimentum requiritur copula, quæ ſit formale, & verum adulterium, inferens iniuriam eidem matrimonio. ergo: videatur Caiet. *ſumma verb. matrim. n.* 15. §. *& hunc caſum intellige.*

Articvlvs VII.

De impedimento diſparitatis cultûs.

SVMMARIVM.

1. *Explicatur quid ſit diſparitas cultus? &, An ſit validũ matrimonium fidelis, vel baptizati, cum infideli, vel non baptizato, vel catechumeno; vel hæretici, & apoſtata à fide, cum infideli.*
2. *An ſummus Pontifex poſſit diſpenſare, vt validè ineatur matrimonium inter fidelem, & infidelẽ, & diſpenſans in hoc ſine cauſa ſit validũ matrimonium? &, An tale matrimoniũ ſine diſpenſatione, ſit validũ.*
3. *An coniuges infideles conuerſi ad fidem, teneantur iterum contrahere.*
4. *An Princeps infidelis poſſit apponere impedimenta dirimentia matrimonium infidelium, ſibi ſubditorum.*
5. *An Principes fideles poſſint conſtituere impedimenta, matrimonium dirimentia.*
6. *An Epiſcopus poſſit in ſua diœceſi apponere impedimenta, dirimentia matrimonium.*
7. *An matrimonium in lege naturæ, & veteri, fuerit ſacramentum.*
8. *An poſt legem Euangelicam, matrimonium infidelium ſit ſacramentum, ſi fidelis contrahat cum infideli, ſtante diſpenſatione Pontificia.*
9. *An matrimonium infidelium, ſi ambo baptizentur, fiat ſacramentum? &, An requiratur nouus conſenſus.*
10. *An matrimonium inter infideles, ſit verum & ratum.*
11. *An matrimonium infidelium diſſoluatur, ſi vnus conuertatur ad fidem, altero in infidelitate remanente.*
12. *An liceat coniugi fideli conuerſo habitare cum ſuo coniuge infideli.*
13. *An crimen vnius coniugis, nolentis habitare ſine cõtumelia Creatoris, abſoluat alium à vinculo nõ ducendi aliam, & an per tale crimen ſoluatur vinculum matrimonij, ita vt aliud poſſit validè contrahi.*
14. *An fidelis ſit compellendus ad receptionem coniugis, iam conuerſi.*
15. *An infidelis perſiſtens in infidelitate poſſit cum alia contrahere, ſi vxor cõuerſa cum fideli de nouo cõtraxerit.*
16. *Quid requiratur, vt fidelis conuerſus de nouo, contrahat cum fideli, explicatur.*
17. *An coniugi conuerſo ad fidem liceat tranſire ad Religionẽ, vel Ordines ſuſcipere, quoties infidelis monitus, conuerti renuit? &, An per ſuſceptionem Ordinum, vel profeſſionem, prius matrimonium diſſoluatur.*
18. *An per profeſſionem Religionis conuerſi ad fidem, diſſoluatur, ne dum matrimonium ratum, ſed etiam conſummatum.*
19. *An fidelis conuerſus poſſit ſuſcipere ſacros Ordines, ſi infidelis renuerit conuerti, bene tamen habitare cum conuerſo ſine contumelia Creatoris.*
20. *An infidelis conuerſus ſi Sacris initietur, ſit reſtituendus alteri coniugi, ſi conuertatur.*
21. *An ſi infidelis conuerſus ingrediatur Religionem, & alter cõuertatur ante profeſſionẽ emiſſã, ſit ei reſtituendus.*
22. *An ſit validum matrimonium fidelis cum Apoſtata à fide, vel hæretica? & ſimiliter, An ſint valida iſtorum ſponſalia.*
23. *Quiſnam ſit Miniſter eſſentialis ſacramenti matrimonij.*
24. *An poſſint adminiſtrari ſacramenta peccatori publico, ſiue occultè, ſiue publicè petenti.*
25. *An Sacerdos, vel Diaconus, communicans ſe ipſum, in peccato mortali, committat duo peccata.*
26. *An peccatori occulto, publicè, vel ſecretò, petenti ſacramenta, ſint ei deneganda.*
27. *An Parochus pœnitentem in confeſſione non abſolutum ex iuſta cauſa, poſſit huic negare ſacramenta.*
28. *An Parochus teneatur conferre ſacramentum peccatori occulto, publicè petenti, ad irridendum illud.*
29. *An Miniſter ſacramentorum teneatur ex ſpeciali præcepto, ad non miniſtranda ſacramenta indignè accedentibus.*
30. *An detur aliquis caſus, in quo liceat inducere aliquem ad ſuſcipiendum ſacramentum, licèt indignè ſit ſuſcepturus.*
31. *An Sacerdos licitè poſſit ob metum mortis ſacramenta adminiſtrare.*

32. *An in omni euentu teneamur præcepto naturali, reddere proprium depoſitum vnicuique.*
33. *Quænam ſint præcepta neceſſaria ſimpliciter, vel neceſſaria regulariter.*
34. *An Sacerdos aſſiſtens matrimonio Catholici contrahentis cum hæretica in Gallia, Germania, & Polonia, peccet.*
35. *An Sum. Pontifex poſſit diſpenſare, vt Catholicus licitè contrahat cum hæretica.*

DVBITATIO I.

I. *Explicatur quid ſit diſparitas cultus? & , an ſit validum matrimonium fidelis, vel baptizati, cum infideli, vel non baptizata, vel Catechumena? vel hæretici, & Apoſtatæ à fide cum infideli?*

Dico primò, diſparitas cultus reperitur inter fidelem, & infidelem, ſeu inter baptizatum, & non baptizatum. Matrimonium baptizati, ſeu fidelis contractum cum infideli, ſeu non baptizato, inualidum eſt iure Eccleſiaſtico. quia licèt de hoc nullus textus expreſſus reperiatur, quo hæc irritatio inducatur, & ita non habeatur ex aliqua lege Eccleſiaſtica ſcripta; ex receptiſſimo tamen Eccleſiæ vſu vim legis obtinente, & ex Apoſtolorum traditione habetur. Ita Sotus *in 4. diſt. 39. q. vnica, art. 2. §. Hac autem dicere.*

Dico ſecundò, ne dum matrimonium contractum à baptizato, ſeu fideli, cum infideli, ſeu non baptizato, eſt irritum iure Eccleſiaſtico, ſed etiam inter perſonam baptizatam, & Catechumenam iure Eccleſiaſtico eſt inualidum matrimonium. quia quamuis Catechumena fidem teneat, & in gratia conſtituta eſſe poſſit, caret tamen vero Baptiſmo, qui eſt ianua ſacramentorum. ergo iure Eccleſiaſtico nequit validè fideli nubere. Ita præclarè D Thom. *3. p. in addit. q. 59. art. 1. ad 5 argumentum, ad finem.*

Dico tertiò, non valeret matrimonium ſi hæreticus, aut Apoſtata à fide contraheret cum infideli, ſeu non baptizato. quia hæretici, & Apoſtatæ à fide, cùm ſint verè baptizati, ſubduntur legibus Eccleſiæ matrimonium hoc irritantibus: ſic Henriquez *lib. 12. cap. 13. num. 4 fine.*

DVBIATTIO II.

II. *An Sum. Pontifex poſſit diſpenſare, vt validè ineatur matrimonium inter fidelem, & infidelem, & diſpenſans in hoc ſine cauſa, ſit validum matrimonium? & an ſimile matrimonium ſine diſpenſatione ſit validum?*

Dico quartò, ex Pontificia diſpenſatione poſſet iniri matrimonium validè inter fidelem, ſeu baptizatum, & infidelem, ſeu non baptizatum. quia Pontifex poteſt diſpenſare in omni iure Eccleſiaſtico; ſed attento hoc iure matrimonium inter fidelem, ſeu baptizatum, & infidelem non baptizatum, &c. eſt ſolum innalidum. ergo accedente diſpenſatione Pontificia poterit inter hos validè matrimonium iniri. Ita optimè Syl. *verb. matrim 8. quæſt. 10. dicto 3.*

Dico quintò, quamuis abſque vrgentiſſima cauſa hæc diſpenſatio à Romano Pontifice concederetur, vt ſcil. fidelis cum infideli contraheret, valeret tamen matrimonium virtute illius initum. quia matrimonium inter fidelem, & infidelem ſolo iure Eccleſiaſtico eſt irritum; ſed in iure Eccleſiaſtico diſpenſatio ſine legitima cauſa non fruſtratur ſuo valore. ergo: tum, quia ſicut Pontifice diſpenſante abſque legitima cauſa, vt Sacerdos vxorem duceret, valeret matrimonium, eo quòd ſolo iure Eccleſiaſtico erat irritum. ergo ſimiliter, &c. Ita benè Sotus obſeruauit *in 4. diſt. 39. q. vnica, art. 2. §. ex hac ſecunda concluſione.*

Dico ſextò, iure Pontificio ſecluſo, ſtando in mero iure naturali, & diuino, non eſt inualidum matrimonium contractum inter fidelem, ſeu baptizatum, & infidelem, ſeu non baptizatum. nam ſancta Monacha pagano, & infideli nupſit, teſte D. Auguſtino *lib. 9. Confeſſ. cap. 9.* & validum fuit eius matrimonium, illicitum tamen eſſe iure diuino, & naturali, ſi abſque vrgentiſſima cauſa fieret. quia aduerſatur bonæ prolis educationi. Nam vbi parentes in Religione diſpares ſunt, nequibit proles benè educari; vterius enim parens ad ſuam Religionem protrahere prolem conabitur: tum, quia ius diuinum naturale dictat peccandi periculum totis viribus cauendum eſſe, at præſentaneum valde periculum imminet perueſionis coniugis fidelis, ac lapſus ipſius in infidelitatem ob mutuum amorem, & arctiſſimam neceſſitudinem, qua coniuges deuinciuntur, ſi alter ſit infidelis; ergo: videatur D.Thom. *3. p. in addit. q 59. art. 1. corpore.* Sotus *in 4. diſt. 39. vnica, art. 2. §. Apparet ergo.*

DVBITATIO III.

III. *An coniuges infideles, conuerſi ad fidem, teneantur iterum contrahere?*

Dico ſeptimò, coniuges infideles conuerſi ad fidem, non tenentur iterum contrahere. quia apud illos verum reperitur matrimonium, vt docet D Thom. *loco nuperrimè adducto q. art. 2. corpore.* Opus igitur non eſt dum ad fidem conuertũtur, vt iterum coram Parocho, & teſtibus contrahant. quia eam formam præſcripſit ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 1. de matrim.* pro nuptiis inter fideles denuo contractis; ſed infideles fideles facti non denuò contrahunt, ſed in legitimo matrimonio prius inito perſeuerant. ergo: videatur Nauarr. *tom. 1. conſil. lib. 3. de conuerſ. infidelium, conſil. 2. n. 6.* Rodriquez *ſumma, cap. 230. num. 2.*

DVBITATIO IV.

IV. *An Princeps infidelis poſſit apponere impedimenta dirimentia matrimonium infidelium, ſibi ſubditorum?*

Dico octauò. Principes ſeculares poſſunt apponeres aliqua impedimenta, per quæ dirimatur infidelium ſibi ſubditorum matrimonium. nam matrimonium apud infideles non habet rationem ſacramenti, ſed cuiuſdam naturalis contractus; ſed ſupra naturales contractus habent Principes ſeculares poteſtatem. ergo Principes ſeculares poſſunt apponere aliqua impedimenta dirimentia matrimonia infidelium ſibi ſubditorum: vnde ſi infideles cum tali impedimento dirimente contraxiſſent matrimonium in infidelitate permanentes, conuerſi poſtea ad fidem, eſſent ſeparandi, quia eorum matrimonium non erat legitimum: videatur pro hac aſſertione Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 13. num. 1.*

DVBITATIO V.

V. *An Principes fideles poſſint conſtituere impedimenta matrimonij?*

Dico nonò, Principes ſeculares fidelium poſſunt ſecluſa prohibitione Eccleſiæ conſtituere impedimenta matrimonij, quatenus matrimonium eſt

eſt quidam contractus, quia Principes ſeculares habent poteſtatem ſupra contractus, & poſſunt præſcribere formam, ſub qua celebrandi ſunt.

Dico decimò, iſtam poteſtatem ſupra contractus matrimoniales Principibus ſecularibus ablatam eſſe ab Eccleſia, & iure optimo. quia matrimonium fideliũ non tantùm eſt contractus, ſed etiam res ſpiritualis, & ſacramentum, ſupra quod non ſe extendit poteſtas ſecularis. Videatur *c. Eccleſia S. Mariæ, de conſtitutionibus*, & Conc. Trid. *ſeſſ. 14. de ſacram. matrimonij, Canone* 12.

Dvbitatio VI.

VI. *An Epiſcopus poſſit in ſua diœceſi apponere impedimenta dirimentia matrimonium?*

Dico vndecimò, ſi ſolùm ius diuinum, & naturale attendamus, ſicut integrum eſt Pontifici in vniuerſa Eccleſia impedimenta matrimonium dirimentia ſtatuere, ita Epiſcopo in ſua diœceſi. quia quicquid poteſt Pontifex in vniuerſa Eccleſia, poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi, niſi Pontifex ſibi reſeruet: tum, quia Epiſcopus eſt Paſtor ordinarius in ſua diœceſi, ſicut Pontifex in toto orbe, licèt ſit ipſi ſubiectus. ergo in his, in quibus Pontifex non limitat eius iuriſdictionem, habet poteſtatem ordinariam, ſicut quilibet Confeſſarius poteſt æquè ac Pontifex ab omnibus peccatis abſoluere, niſi per Pontificem, aut Epiſcopum caſus aliquis reſeruetur. ergo: videatur pro hac aſſertione Sotus *in 4. diſt. 27. q. 1. a. 4. §. At quò tandem*. Arag. 2. 2. q. 88. *art. 12. §. Si quis autem quærat an omnis, verſic. nam Epiſcopus*. Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 1. num. 9*.

Dico duodecimò, hodie verò Epiſcopi ſtatuere in ſua diœceſi minimè poſſunt impedimenta matrimonium dirimentia. quia ex generali Eccleſiæ conſuetudine id Romano Pontifici reſeruatum eſſe conſtat. Ita benè notauit Armilla *verb. matrim. n. 54*.

Dvbitatio VII.

VII. *An matrimonium, in lege naturæ, & veteri, fuerit ſacramentum?*

Dico decimotertiò, matrimonium in lege naturæ, & veteri non fuit ſacramentum. nam ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. Canone 1. de ſacramento matrimonij*, aſſerit matrimonium eſſe ſacramentum nouæ legis à Chriſto Domino inſtitutum. ſic Sotus *in 4. diſt. 26. q. 2. a. 1. & 2.* licèt P. Sotus *de matr. ſect. 2. §. de inſtitutione*, & alij aſſeuerent illud in lege naturæ, & veteri poſſe dici ſacramentum. quia aliquo modo figurabat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia. Ita notauit Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 2. num. 1*.

Dvbitatio VIII.

VIII. *An poſt legem Euangelicam matrimonium infidelium ſit ſacramentum, ſi fidelis contrahat cum infideli, ſtante diſpenſatione Pontificia?*

Dico decimoquartò, poſt legem Euangelicam matrimonium infidelium non eſt ſacramentum, quia cùm Baptiſmus ſacramentorum ianua ſit, vt definit Concilium Florentinum *decreto de ſacramento Baptiſmi*, infideles non baptizati incapaces aliorum ſunt ſacramentorum: ſic obſeruauit benè Sotus *in 4. diſt. 26. q. 2. art. 3. §. Ad quartum argumentum*.

Dico decimoquintò, ſi fidelis ex Pontificia diſpenſatione matrimonium contraheret cum infideli, ſeu non baptizata, vel cum catechumena, tale matrimonium ex parte neutrius eſſet ſacramentũ verè, & propriè; quia matrimonium in vtroque coniuge eſt vnum numero matrimonium; ſed tunc in infideli, ſeu catechumena contrahente tale matrimonium non eſſet ſacramentum, cùm infideles ſint incapaces propter carentiam Baptiſmi ſacramenti. ergo ſi in vno tunc matrimonium non eſſet ſacramentum, nec etiam erit in altero. Ita tenet Angles *tom. 1. in floribus, de matrim. quæſt. de diſparitate cultus art. 1. dub. 2.* quamuis Sotus loco nuperrimè adducto, *§. Sed hoc forſan*, tenuerit, matrimonium inter fidelem ex diſpenſatione Pontificia, & infidelem, vel catechumenam contractum eſſe ſacramentum ex parte ſolius fidelis. quia, inquit, ille ſolus eſt ſacramenti capax.

Dvbitatio IX.

IX. *An matrimonium infidelium, ſi ambo baptizentur, fiat ſacramentum? &, An requiratur nouus conſenſus?*

Dico decimoſextò, matrimonium infidelium cùm ambo baptizantur, fit ſacramentum, eiſque gratiam confert. quia ſtatim, ac baptizantur, matrimonium illud repræſentat vnionem Chriſti cum Eccleſia, cùm in Chriſti fide contractum perſeueret, efficitúrque indiſſolubile ſaltem vt matrimonium ratum fidelium; ergo ſtatim, ac baptizãtur, efficitur ſacramentum, & ſi non reperitur obex, confert gratiam: videatur D. Th. *3. part. in addit. q. 59. art. 2. ad primum argumentum*.

Dico decimoſeptimò, matrimonium infideliũ cùm ambo baptizantur, eſſe nouum matrimonium, nouúmque vinculum, non omnino, ſed in quantum prius matrimonium, quod erat cõtractus naturalis, prophanus, & ſolubilis, efficitur inſolubilis, ſacer, & repræſentans vnionem Chriſti cum Eccleſia. nam in ſacro Concil. Trid. *ſeſſ. 24. de ſacram. matrim. Canone* 1. dicitur Chriſtum Dominum inſtituiſſe matrimonium in lege noua, cùm tamen iam inſtitutum eſſet, quia illud vt eſſet ſacramentum indiſſolubile euenit: ergo ſimiliter matrimonium infidelium cùm ambo baptizantur, eſt nouum matrimonium, nouúmque vinculum, non omnino, ſed in quantum prius matrimonium, &c.

Dico decimooctauò, vt matrimonium infidelium conuerſorum ad fidem fiat ſacramentum, requiritur nouus conſenſus, vel antiquus verbis, vel nutibus, vel copula maritali approbatus. quia non poteſt eſſe nouũ ſacramentum abſque noua materia, & forma; ſed prior conſenſus, qui fuit materia matrimonij infideliũ, iam tranſit; ergo vt matrimonium infidelium fiat, quando baptizantur, de nouo ſacramentum, requiritur noua materia, & forma, id eſt, nouus contrahentiũ conſenſus, qui eſt materia, & forma ſacramenti matrimonij. Ita tenet noſter Capreolus *in 4. diſt. 28. q. vnica, art. 3. ad 5*. Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 8. num. 1*.

Dico decimononò, probabiliter etiam dici poteſt, vt matrimonium infidelium conuerſorum ad fidem fiat ſacramentum, non requiri nouum conſenſum explicitum in Baptiſmum. nam eò ipſo, quòd infideles baptizantur, conſenſus illorum in Baptiſmum eſt noua materia, & noua forma ſufficiens, vt matrimonium illorum in infidelitate contractum, fiat ſacramentum in ſuſceptione Baptiſmi; ergo præter iſtum non requiritur alius nouus conſenſus. Probatur antecedens, quia ſtatim, ac baptizantur, matrimonium illud repræſentat vnionem Chriſti Domini cum Eccleſia, cùm in Chriſti fide contractum perſeueret, efficitúrque indiſſolubile. ergo ſtatim, ac baptizantur, efficitur ſacramentum. ergo non requiritur nouus alius conſenſus: tum, quia D. Thom. 3. p.

in addit. quæſt. 59. art. 2. ad primum, dicit matrimonium infidelium eſſe ſacramentum non actu, quia noo contrahunt io fide Eccleſiæ, ſed habitu. ergo ſi ſecundùm mentem D. Thom. habitu matrimonium infidelium eſt ſacramentum, ſtatim ac baptizantur, fiet abſque alio nouo conſenſu ſacramentum, aliàs fruſtrà eſſet potentia illa, quæ ad actum non reduceretur.

Dvbitatio X.

X. *An matrimonium inter infideles, ſit verum, & ratum?*

Dico vigeſimò, licèt matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum. quia poteſt diſſolui. Ita *cap. quanto, de diuortijs*, & gloſſa *ibi verb. ratum*; inter fideles autem verum, & ratum exiſtit, quia ſacramentum fidei, ſcilicet Baptiſmus, quo fit profeſſio fidei, vt benè ootauit Sotus *in 4. diſt. 39. quæſt. vnica, art. 2. §. Ad tertium denique*, quod ſemel eſt admiſſum, numquam amittitur, ſed ratum efficit coniugij ſacramentum, vt ipſum in coniugibus, illo durante, perduret. Ita *in dicto cap. quanto, §. nam etſi matrimonium.*

Dvbitatio XI.

XI. *An matrimonium infidelium diſſoluatur, ſi vnus conuertatur ad fidem, altero in infidelitate remanente?*

Dico vigeſimoprimò, matrimonium infidelium, quamuis conſummatum, poteſt diſſolui, ſi alter coniux ad fidem conuertatur, alter verò in infidelitate pertinax, aut omnino cohabitationem reſpuat, aut habitare nolit, abſque Creatoris contumelia, vel abſque eo quòd coniugem fidelem ad peccatum lethale pertrahat: & tunc integrum eſt conuerſo ad alias nuptias migrare. Ita Innocentius III. *in cap. quanto, de diuortijs*, diffinit. Idémque habetur *in cap. gaudemus, verſ. qui autem, de diuortijs.*

Dico vigeſimoſecundò, matrimonium infidelium in his euentibus poſſe diſſolui, non eſt ex iure Pontificio. nam matrimooium cõſummatum non poteſt iure Pontificio diſſolui, quantumuis in infidelitate initum ſit. quia Chriſtus Dominus *Matth. 16.* dixit, *quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*; vbi indiſtinctè id de quocunque matrimonio valido, præcipuè conſummato, aſſeruit; ſed matrimonium infidelium initum in infidelitate, eſt validum. ergo.

Dico vigeſimotertiò, ex priuilegio tamen Chriſti Domini id in fauorem fidei concedentis matrimonium infidelium in infidelitate contractum io illis euentibus diſſolui poteſt. hoc priuilegium D. Paulus explicauit 1. *Cor. 7.* in illis verbis, *quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi.* Cuius textus is eſt intellectus quòd ſi infidelis diſcedit, ideſt, ſi alter coniux conuerſus ad fidem, alter autem io infidelitate pertinax aut omnino cohabitationem reſpuat, aut habitare nolit, abſque Creatoris contumelia, tunc integrum eſt conuerſo ad illud matrimonium tranſire. Ita clarè explicuit textum Paulinum Innocentius III. *cap. quanto, de diuortijs.* Videatur pro hac aſſertione Sotus *in 4. diſt. 39. quæſt. vnica, art. 4. verſic. Ad primum igitur.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 8. num. 4.*

Dico vigeſimoquartò, quando infidelis conuerti renuit, vult tamen habitare ſine contumelia Creatoris, & ſine pertractione ad peccatum, noo licet alteri ad fidẽ conuerſo matrimonium in infidelitate contractum diſſoluere, ad aliúdque tranſire. quia hoc matrimonium diſſoluitur ex ſolo Chriſti Domini priuilegio, vt diximus *aſſertione præcedenti*, manifeſtato per D. Paulum 1. *Corinth. 7.* ſed D. Paulus loquitur quando aut infidelis omnino recedit, aut non vult habitare ſine Creatoris contumelia, aut pertractione ad peccatum, vt illum explicat Inooc. III. *cap quanto, & cap. gaudemus, de diuortijs.* ergo extra hos caſus nequit diſſolui: & ita hanc aſſertionem tenere videtur D. Thom. *3. part. in addit. q. 59. art. 5. in corpore.* Syl. *verb. matrim. 8. quæſt. 10. dicto 6.* Armill. *verb. matrim. n. 38.*

Dico vigeſimoquintò, probabile eſt etiam aſſerere poſſe vinculum prioris matrimonij dirimi, & ad aliud tranſiri, quoties infidelis pertinaciter conuerti reſpuit, quamuis pacificè habitare velit cum fideli conuerſo ſine contumelia Creatoris, & ſine pertractione ad peccatum. quia cùm hodie quoties infidelis renuit conuerti, neceſſarium ſit fidelem ab infideli diuertere, ſi nequiter ad alias nuptias migrare, compelleretur abſque ſua culpa in cœlibatu permanere: tũ, quia infideles à conuerſione ad fidem arcerentur, ſi Eccleſia neophytos à ſuis vxoribus infidelibus abigat, & eis aliarum coniugia noo permitteret. Ita benè obſeruauit Lopez noſter *p. 2. Inſtruct.* vbi de matrim *c. 53. verſic. circa illum articulum.* Sotus *in 4. diſt. 39. q. vnica, art. 4. §. Eſt tamen hic.*

Dvbitatio XII.

XII. *An liceat coniugi fideli conuerſo habitare cum ſua coniuge infideli?*

Dico vigeſimo ſextò, tempore primitiuæ Eccleſiæ licebat coniugi fideli conuerſo ad fidem cum infideli nolente conuerri habitare: hodie verò illicitum eſt fideli habitare cum coniuge infideli in infidelitate pertinaci. Ratio huius eſt, quia in initio naſcentis Eccleſiæ, tam efficax gratia, & affectus ad fidem in tyronibus fidei erat, vt formidaoda miñimè eſſet eorum peruerſio, quin potiùs probabiliter erat ſperanda infidelis cooiugis conuerſio ex fidelis conſortio: modò refrigeſcente charitate fideli coniugi conuerſo ad fidẽ cum infideli cohabitare non licet, ob periculum peruerſionis. Ita præclarè notauit D. Thom. 3. *p. in addit. quæſt. 59. art. 3. ad* 2. videatur etiam Concilium. Toletanum IV. *c. 62.* relatum *cap. Iudæi 28. quæſt. 1.* vbi decernitur, vt vxores Iudæorum ab ipſis ſeparentur, niſi ab Epiſcopo admoniti fidem ſuſcipere Iudæi voluerint, propter præſentaneum peruerſionis periculum. Iuxta hanc diuerſitatem temporum duæ præcedentes immediatè aſſertiones poſſent cooiliari.

Dvbitatio XIII.

XIII. *An crimen vnius coniugis nolentis habitare, ſine contumelia Creatoris, abſoluat alium à vinculo non ducendi aliam? &, An per tale crimen ſoluatur vinculum matrimonij, ita vt aliud poſſit validè contrahi?*

Dico vigeſimoſeptimò, crimen vxoris, vel alterius coniugis, ſiue fœmina, ſiue vir fuerit, nolentis cohabitare ſine contumelia Creatoris, abſoluit alterum coniugem à ſeruitute, qua tenebatur alteri, vt non poſſit, eo viuente, alium ducere, & ſic poteſt, ſtante tali crimine, coniux fidelis ducere aliam, ſed non dum ſoluit matrimonium, quo ad vinculum. Sed tale vinculum ſoluitur per matrimonium ſequens, ſi fidelis conuerſus tranſit ad alias nuptias: vnde ſi coniux

infidelis

infidelis conuerteretur ad fidem, antequam fidelis iam conuerſus aliud matrimonium contraheret: tunc non eſt integrum fideli priùs conuerſo ad alias nuptias migrare, ſed in primo matrimonio eum permanere debere cum priori coniuge iam conuerſo. Probatur hoc aſſertum. Nam *cap. quanto, de diuort.* Innocentius III. declarauit *cap. finali* 28. *q.* 1. decidens contumeliam Creatoris ſoluere ius matrimonij circa eum, qui relinquitur: vt intelligatur, tunc fas eſſe fideli ad alias nuptias tranſire. Sentit ergo Pontifex tunc non eſſe ipſo facto diſſolutum prius matrimonium, ſed ius eſſe fideli ad illud diſſoluendum, alio matrimonio inito: & ita hanc aſſertionem docet D. Th. 3. *part. in addit. q.* 59. *art.* 5. *ad* 2. licèt alij tenuerint ſtatim, ac alter coniux ad fidem conuertitur, altero in infidelitate permanente, diſſolui prius matrimonium ante poſterius à fideli initum, ſtatim ac infidelis monitus non vult legitimè cohabitare fideli. Sic Rodriquez *ſumma part.* 1. *cap.* 230. *fine*, Abbas *in cap. gaudemus, de diuortijs, num.* 15.

Dico vigeſimooctauò, conſequenter ad præcedens aſſertum, ſi ante matrimonium à fideli contractum, tranſeat infidelis ad alias nuptias, eas fore irritas: & ita ſi poſtmodum ad fidem conuertatur, eſſe ab illis eum ſeparandum, & reddendum coniugi priùs conuerſo. quia priuilegium hoc diſſoluendi matrimonium prius, per alias nuptias ſequentes, non eſt conceſſum à Chriſto Domino infideli, ſed fideli in fauorem fidei, vt expreſsè habetur *cap. quanto, de diuortijs, & cap. finali* 28. *quæſt.* 1. ergo. Tum, quia non diſſoluitur matrimonium per alias nuptias ab infideli initas; ergo ſunt irritæ ante matrimonium à fideli contractum, cùm priuilegium hoc diſſoluendi matrimonium ſoli fideli conceſſum ſit: videatur Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 8. *num.* 5. *fine.*

Dubitatio XIV.

XIV. ***An fidelis ſit compellendus ad receptionem coniugis iam conuerſi?***

Dico vigeſimononò, fidelis eſt compellendus ad receptionem coniugis iam conuerſi, quando ille nondum tranſiit ad ſecundas nuptias. quia in iſto caſu perſeuerat vinculum prioris matrimonij: ſi verò iam migrauit fidelis ad ſecundum matrimonium, hoc ſoluto, per mortem ſecundi coniugis non eſt compellendus admittere in conſortium coniugale priorem coniugem infidelem, ſi tunc ad fidem conuertatur. quia iam prius matrimonium ſolutum omnino eſt poſteriori contracto. ergo poſt huius diſſolutionem non eſt cogendus fidelis ſtare priori matrimonio, etiamſi tunc infidelis ad fidem conuertatur: poſſet tamen hic fidelis ſolutis ſecundis nuptiis, nouum cum illo infideli iam conuerſo matrimonium inire, ſi aliàs hic non eſſet alterius matrimonij vinculo ligatus: licèt priùs, dum erant ambo infideles, verum fuerit inter ipſos matrimonium: videatur Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 73. *num.* 10.

Dubitatio XV.

XV. ***An infidelis perſiſtens in infidelitate, poſſit cum alia contrahere, ſi vxor conuerſa cum fideli de nouo contraxerit?***

Dico trigeſimò, infidelis perſiſtens in infidelitate poteſt cum alia contrahere, quando vxor conuerſa diſſoluit prius matrimonium. quia cùm matrimonij vinculum claudicare nequeat, eo ipſo, quòd diſſolutum eſt ex parte fidelis, diſſolutum manet ex parte vtriuſque; ergo. Prius matrimonium ſecundùm aliquos DD. diſſoluitur ſtatim, ac infidelis admonitus recuſat legitimè habitare, ſecundùm alios diſſoluitur, quando elapſus eſt terminus ab Eccleſia conſtitutus ad terminandum, an infidelis velit legitimè habitare: ſecundùm alios diſſoluitur per matrimonium fidelis cum alia fideli; & hoc vltimum dixi eſſe verius *aſſertione* 27. cum D. Th. 3. *p. in addit. q.* 59. *art.* 5. *ad* 2.

Dubitatio XVI.

XVI. ***Quid requiratur vt fidelis conuerſus de nouo contrahat?***

Dico trigeſimoprimò, vt fidelis conuerſus de nouo ad fidem prius matrimonium diſſoluere poſſit, & ad aliud tranſire, neceſſarium eſt præcedere monitionem infidelis, aut interrogationem, an velit conuerti, ſeu iuxta aliam opinionem, an velit habitare ſine Creatoris contumelia, nec ad peccatum pertrahere. quia id effici nequit, niſi infideli renuente conuerti, aut iuxta aliam ſententiam renuente legitimam cohabitationem; ergo vt validè id matrimonium fieri poſſit, neceſſarium eſt conſtare de voluntate infidelis. ergo neceſſe eſt ipſum moneri, ſeu interrogari: videatur *cap. Iudæi, quæſt.* 1. ibi, *quòd ſi admoniti fuerint, & noluerint, ſeparentur.* D. Thom. 3. *part. in addit. q.* 59. *art.* 5. *ad quartum.*

Dico trigeſimoſecundò, quoties infidelis adeò diſtat, vt commodè requiri, moneri, aut interrogari nequeat, tunc non eſt opus hac monitione, vt fidelis conuerſus ad alias nuptias migrare valeat. quia in iſto caſu ſufficeret certitudo moralis obſtinationis; ſed moraliter certum videtur fore, vt infidelis ille longè diſtans, & abſens nolit conuerti, & relinquere ſuos, vt cum coniuge conuerſo ad fidem legitimè cohabitet. ergo: videatur pro hac aſſertione noſter P. de Ledeſma *de matrim. q.* 59. *art.* 4. *in fine, in ſolutione ad* 4. Henriquez *lib.* 11. *de matrim. c.* 8. *n.* 5. *in commento lib.* 5. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. diſput.* 74. *num.* 14.

Dico trigeſimotertiò, non obſtare contra præcedens aſſertum. nam vt coniux fidelis ad alias nuptias tranſire valeat, opus eſt haberi certitudinem de prioris coniugis obitu, & dum ea non habetur, quantumcunque impoſſibile ſit diligentias ad eam habendam præmitti, non eſt licitus tranſitus. ergo ſimiliter niſi præcedat monitio infidelis, aut interrogatio, non erit licitum coniugi conuerſo ad ſecundas tranſire nuptias. Reſpondetur negando conſequentiam, non enim eſt eadem ratio. nam mors prioris coniugis non præſumitur, & ideo neceſſariò præmittenda eſt eius certitudo, ac, moraliter loquendo, certa videtur obſtinatio in infidelitate infidelis adeò diſtantis, & abſentis.

Dubitatio XVII.

XVII. ***An coniugi conuerſo ad fidem liceat tranſire ad Religionem, vel Ordines ſuſcipere, quoties infidelis monitus conuerti renuit? &, An per ſuſceptionem Ordinum, vel profeſſionem, prius matrimonium diſſoluatur?***

Dico trigeſimoquartò, coniugi conuerſo ad fidem licet tranſire ad Religionem, vel Ordines ſuſcipere, aut votum ſimplex caſtitatis emittere, quoties infidelis monitus conuerti renuit, licèt habitare velit, abſque Creatoris contumelia, & ſine pertractione

ad peccatum. quia ſiue teneamus poſſe tunc diſſolui matrimonium, quando infidelis renuit conuerti, volens abſque Dei iniuria habitare, ſiue contrarium; vtraque tamen ſententia fatetur, licitum eſſe tunc diuortium, ſed coniugi legitimè diuortium facienti, integrum eſt hæc efficere, quamuis matrimonij vinculum perſeueret; ergo: videatur D.Th. 3. *p. in addit. q. 59. art. 5. ad* 4. Syl. *verb. matrim.* 8. *q.* 10. *dicto* 8.

Dvbitatio XVIII.

XVIII. *An per profeſſionem Religionis conuerſi ad fidem, diſſoluatur ac dum matrimonium ratum, ſed etiam conſummatum?*

Dico trigeſimoquintò, per profeſſionem conuerſi ad fidem actam in Religione, non ſolùm matrimonium ratum, ſed etiam conſummatum diſſolueretur; quia ſicut matrimonium ratum fidelium diſſoluitur per profeſſionem alterius coniugis, ita etiam diſſoluitur matrimonium conſummatum tempore infidelitatis, quod eſt minus inſolubile, cùm non ſit ſacramentum. Ita Sotus *in 4. diſt. 39. q. vnica art.* 4. § *ſed alia hac quaſtio, verſic. nihilominus.*

Dvbitatio XIX.

XIX. *An fidelis conuerſus poßit ſuſcipere ſacros Ordines, ſi infidelis renuerit conuerti, bene tamen habitare cum conuerſo, ſine contumelia Creatoris?*

Dico trigeſimoſextò, ſi infidelis renuat conuerti, etiamſi habitare velit abſque Dei contumelia, poteſt fidelis conuerſus ſuſcipere Ordines ſacros, vt diximus *aſſertione penultima præcedenti,* non tamen poſt ſuſceptionem ſacrorum Ordinum prius matrimonium diſſolueretur. quia is ſtatus non dirimit matrimonium ratum fidelium; ergo neque etiam matrimonium in infidelitate contractum; nulla enim ratio id probans aſſignari poteſt: ſic benè Lopez noſter *p.* 2. *Inſtruct. vbi de matrim. c.* 53. § *ſed grauius dubium.*

Dvbitatio XX.

XX. *An infidelis conuerſus, ſi Sacris initiatus, ſit reſtituendus alteri coniugi ſi conuertatur?*

Dico trigeſimoſeptimò, ſi infidelis conuertitur, poſtquam iam fidelis priùs conuerſus ſacris Ordinibus eſt initiatus, vel votum caſtitatis emiſit, non eſt ſibi fidelis reſtituendus, ſed imputet ſibi tardam conuerſionem. quia legitimè is ſtatus, poſt admonitionem ſcilicet infidelis, eſt aſſumptus, & fidelis eſt in ſtatu, qui vſui matrimonij repugnat, licèt tunc non ſolutum ſit matrimonium, & multo minus fidelis ingreſſus in Religionem, & iam Profeſſus, cogendus eſt redire ad coniugem conuerſum. quia iam tunc per profeſſionem in Religionem eſt vinculum matrimonij ſolutum.

Dvbitatio XXI.

XXI. *An ſi infidelis conuerſus ingrediatur Religionem, & alter conuertatur ante profeßionem emiſſam, ſit ei reſtituendus?*

Dico trigeſimooctauò, ſi verò infidelis conuertatur ad fidem, fideli ingreſſo in Religionem, non dum tamen Profeſſo, hic eſt cogendus redire ad coniugem conuerſum. quia per ingreſſum ſolum in Religionem non diſſoluitur matrimonium, & fidelis ingreſſus in Religionem nondum Profeſſus tempore conuerſionis infidelis, non eſt in ſtatu repugnante, ſed in probatione, & in via ad alium ſtatum: quamuis alij negent. quia, inquiunt, cùm legitimè poſt admonitionem alterius coniugis, ſit ingreſſus Religionem, non debet nouitiatus tempore extrahi: ſic Abulenſis 1. *Regum, cap.* 8. *quaſt.* 66. *&* 74.

Dico trigeſimononò, pars affirmatiua præcedentis aſſertionis probabilior & verior mihi videtur. quia licèt adulterium carnale commiſſum ab vno coniuge, ſit cauſa perpetui diuortij, ita vt innocens alter coniux exiſtens in ſeculo, & Nouitius in Religione, non poſſit compelli recipere adulterum in conſortium coniugale; infidelitas tamen non eſt cauſa diuortij perpetui, ſed tantùm dum ea durat. ergo ea ceſſante tempore, quo coniux fidelis nondum mutauit ſtatum, inſtaurandum eſt prius matrimonium; ſed Nouitius nondum Profeſſus non mutauit ſtatum, ſed tantùm eſt in via ad alium ſtatum. ergo compelli poteſt redire ad coniugem conuerſum: videatur pro hac aſſertione Sotus *in 4. diſt. 39. quaſt. vnica, art. 4. ad 3. & 4. argumentum.*

Dvbitatio XXII.

XXII. *An ſit validum matrimonium perſonæ fidelis cum Apoſtata à fide, vel hæretica? & ſimiliter an ſint valida iſtorum ſponſalia?*

Dico quadrageſimò, matrimonium perſonæ fidelis cum hæretica, vel Apoſtata à fide, validum eſt. quia cùm matrimonium ſit ſacramentum, quoad neceſſitatem ſacramenti, ſolùm petit paritatem Baptiſmi ſuſcepti ab vtroque contrahente, quamuis in fidei profeſſione diſparitas ſit. ergo inter perſonam fidelem, & hæreticam, verum, & validum poteſt eſſe matrimonium; nàm, vt dixi, matrimonium cùm ſit ſacramentum, ad neceſſitatem ſacramenti ſolùm requirit paritatem, quantum ad ſacramentum fidei, ideſt, Baptiſmum, non autem quantum ad interiorem fidem, ſeu fidei profeſſionem. Ita præclarè D. Thom. 3. *part. in addit. quaſt. 59. art. 1. ad* 5.

Dico quadrageſimoprimò, ſponſalia verò inita inter Catholicum, & hæreticam, vel Apoſtatam, ſunt irrita. quia omnis promiſſio rei turpis, eſt ipſo iure nulla: at promiſſio Catholici de contrahendo cum hæretica, eſt promiſſio rei turpis, cùm ſecundùm D. Thom. *loco nouiſſimè adducto, ſolutione ad* 5. peccatum ſit contrahere matrimonium cum hæretica, licèt contractum teneat, vt prædictum eſt. ergo: videatur Nauarr. *tom. 2. conſil. lib. 4. de ſponſalibus, conſil. 5. num. 6.*

Dico quadrageſimoſecundò. Catholicus contrahens de præſenti cum hæretica, vel Apoſtata à fide, validè quidem contrahit, ſed graue peccatum committit. Tum propter prohibitionem Eccleſiæ, *cap. nam oportet, & cap. caue* 28. *quaſt.* 1. Tum propter periculum peruerſionis: videatur D. Thom. 3. *p. in addit. quaſt. 59. art. 1. ad* 5. Sotus *in 4. diſt. 39. quaſt. vnica, art. 2. §. Ad tertium denique egregiè.*

Dico quadrageſimotertiò, in Germania, Gallia, Polonia ex conſuetudine recepta, & tolerata, licèt coniugia catholicæ perſonæ cum hæretica dummodo coniugi, qui Catholicus eſt, liberum permittatur ſine periculo peruerſionis in fide orthodoxa perſiſtere, & morali euidentia conſtet nullum eſſe periculum ſcandali, peruerſionis, aliorúmque incommodorum, quæ cum tali matrimonio plerumque iúncta ſunt. quia iſta coniugia ineuntur inſtar aliorum contractuum

ciuilium

Digitized by Google

ciuilium ob amicitiæ leges,& ob communem pacem. ergo licent iſta coniugia in his partibus, dummodo couiugi, qui Catholicus eſt,&c. Tum, quia id, coniugia ſcilicet iniri inter Catholicum, & perſonam hæreticam, conſuetudine præſertim ſcita, & tolerata à Romano Pontifice, receptum tuta conſcientia fieri poteſt, quando nullum eſt periculum ſcandali, & peruerſionis. Nam conſuetudo moribus vtentium recepta vim habet contra leges, vt docet Azor. loco ſtatim citando. ergo licèt per *cap. non oportet, & cap. caue* 28. *quæſt.* 1. fuerit prohibitum, ne Catholicus contrahat cum hæretica, ſi conſuetudine ſcita, & tolerata à Romano Pontifice in Germania, Gallia, & Polonia id vſu receptum eſt, poterunt licitè talia ibi iniri coniugia, ſi nullum adſit periculum ſcandali, & peruerſionis. Videatur pro hac aſſertione Laymann *tom.* 2. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *c.* 14. vbi de impedimentis matrimonij, *n.* 2. Azor *part* 1. *Inſtit. mor. lib.* 8. *c.* 11. *dub.* 5. Sanch. *lib.* 5. *oper. mor. c.* 9. *n.* 9. *& lib.* 7. *de matrim. diſput.* 72. *n.* 5.

Dico quadrageſimoquartò, ſi verò periculum ſcandali, & peruerſionis adeſſet, tunc nullo pacto talia coniugia inter perſonam catholicam, & hæreticam fieri licitum eſt. quia tunc id iure diuino interdictum eſt: nam ius diuinum naturale dictat peccandi, & ſcandali periculum totis viribus cauendum eſſe. ergo in iſto caſu illicitum omnino eſt, &c. Ita DD. allegati *aſſertione præcedenti.*

Dico quadrageſimoquintò, licèt in partibus, in quibus hæretici cum Catholicis permiſti conuiuunt, vt in Germania, Gallia, Polonia, liceant coniugia catholicæ perſonæ cùm hæretica ob conſuetudinem receptam, & toleratam, dummodo Catholica libertè permittatur, & abſque peruerſionis periculo in fide permanere. quia conſuetudo moribus vtentium recepta vim habet contra leges. Cæterùm hoc vbi conſuetudine non eſt receptum, minimè licet, etiamſi eſſet ſpes certa conuerſionis alterius coniugis hæretici. quia hoc præcepto Eccleſiaſtico eſt interdictum. *cap. non oportet, & cap. caue* 28 *quæſt.* 1. ſed præceptum hoc durat, quandiu hæreticus, cum quo vult contrahere perſona catholica, non redit ad fidem. ergo hoc vbi conſuetudine non eſt receptum, minimè licet, etiamſi eſſet ſpes certa, &c.

Dico quadrageſimoſextò, Catholici degentes in Germania, Gallia, & Polonia licitè contrahere poſſunt cum hæreticis. Tum, quia Canones illi *cap. non oportet, & cap. caue* 28. *q.* 1. qui prohibent talia matrimonia, vel non ſunt recepti in Germania, Gallia, Polonia, vel certè per contrariam conſuetudinem abrogati. Tum, quia in his Religionibus ceſſat ſcandalum. Tum, quia fieri poteſt, vt coniux catholicus ſit tam firmus, & fundatus in fide, vt non ſit periculum ſubuerſionis, & poteſt ab initio contractus matrimonialis excipere vt proles catholicè educetur. Tum, quia Catholicus ſecularis inculpabiliter ignorare poteſt contractum matrimonij initum cum perſona hæretica eſſe ſacrilegum. ergo cùm ab omnibus his enumeratis peccatis excuſetur, licitè poterit Catholicus cum perſona hæretica in illis partibus matrimonium contrahere; non enim faceret contra prohibitionem Eccleſiæ, *cap. caue* 28. *quæſt.* 1. quia in illis partibus Canon ille non eſt receptus. Non præbet aliis ſcandalum, quia ibi ceſſat. Non ſe, & liberos exponeret periculo ſubuerſionis, quia fieri poteſt, vt coniux catholicus ſit tam firmus, &c. Non committeret ſacrilegium propbanando ſacramentum matrimonij, dum illud perſonæ hæreticæ adminiſtraret; quia, vt ſupponimus, Catholicus inculpabiliter ignorare poteſt contractum matrimonij initum cùm perſona hæretica eſſe ſacrilegum. ergo, &c. Videatur Becanus *in* 2. 2. *c.* 9. *quæſ.* 5. *dub.* 4. §. *Reſpondendo tertiò.* Pro intelligentia eorum, quæ dicta ſunt in hac præcedenti aſſertione, explicatur

Dvbitatio XXIII.

XXIII. *Quiſnam ſit Miniſter eſſentialis ſacramenti matrimonij?*

Dico quadrageſimoſeptimò, Miniſter eſſentialis ſacramenti matrimonij non eſt Sacerdos, ſed ſunt ipſi contrahentes conficientes hoc ſacramentum, & ita ante ſacrum Concilium Tridentinum clandeſtinum matrimonium verum erat ſacramentum. quia cùm matrimonium ſit quidam contractus, nec illius naturam Chriſtus Dominus mutauerit, ſed tantùm eleuârit ad eſſe ſacramenti, ſequitur aliorum contractuum naturam, quæ eſt, vt ipſi contrahentes ſuis conſenſibus ſe ligent, nec alius præter ipſoſmet contractum efficiat. ergo. Tum, quia verba Parochi non ſunt de eſſentia matrimonij, ſed iis penitus emiſſis conſtat matrimonium. ergo Parochus nullo modo eſt Miniſter eſſentialis, hic enim neceſſariò proferre debet verba aliqua, quibus ſacramentum conficiat. ergo ipſi contrahentes exprimentes conſenſum verbis, vel nutibus, ſunt Miniſtri eſſentiales: Parochus verò aſſiſtens eſt tantùm Miniſter accidentarius, quatenus ex officio iungit, & benedicit contrahentibus, quod pertinet ad perfectionem accidentariam matrimonij. Tum, quia actus ipſorum contrahentium ſiue ſint verba, ſiue conſenſus, ſunt ſibi inuicem pro materia, & forma in hoc ſacramento matrimonij; ſed is eſt ſacramenti Miniſter, qui formam applicat. ergo ipſi contrahentes ſunt in hoc ſacramento Miniſtri, proferentes, & applicantes verba, ſeu conſenſus, qui ſunt ſibi inuicem pro materia, & forma: videatur Lopez noſter *part.* 2. *Inſtruct. cap.* 35. vbi de matrim. §. *Igitur pro illucidatione, fol.* 1024. Sotus *in* 4. *diſt.* 26. *quæſt.* 2. *art.* 3. §. *Hanc autem.*

Dvbitatio XXIV.

XXIV. *An poſſint adminiſtrari ſacramenta peccatori publico, ſiue publicè, ſiue occultè petenti?*

Dico quadrageſimooctauò, non ſunt adminiſtranda ſacramenta peccatori publico indignè petenti, ſiue petat publicè, ſiue occultè. quia iam per ſuorum delictorum publicitatem amiſit ius exigendi, quouſque publicè pœniteat. Publicum autem eſt, quod manifeſtum eſt per ſententiam, vel confeſſionem propriam, aut per rei euidentiam, ita quòd nulla poſſit tergiuerſatione celari. Videatur pro hac aſſertione D. Thom. 3. *part q.* 80. *art.* 6. *in corpore.*

Dico quadrageſimononò, Miniſter ſacramentorum adminiſtrans ſacramenta peccatori publico indignè petenti grauiter peccat. quia ſicut Sacerdos, qui non collocat Euchariſtiam in loco decenti, grauiter peccat. ergo à fortiori grauiter delinquit Miniſter ſacramentorum, qui ſacramenta præbet peccatori publico indignè petenti. Tum, quia Miniſtro ſacramentorum incumbit onus, & officium non admittendi indignum ad ſacramentum. ergo adminiſtrans illud peccatori publico indignè petenti, grauiter peccat, cùm in re grauiſſima contra ſuam obligationem delinquat: videatur D. Thom. *loc. cit.* Bonacina *tom.* 1. *tract. de ſacramentis, diſput.* 1. *quæſt.* 6. *puncto* 4. *num.* 2. Conſequenter ad hoc aſſertum,

Dvbitatio XXV.

XXV. *An Sacerdos,vel Diaconus, communicans ſe ipſum in peccato mortali, committat duo peccata?*

Dico quinqoageſimò,Sacerdos,vel Diaconos communicans ſe ipſum in peccato mortali, duo peccata lethalia committit. quia violat duo præcepta diſtincta, alterum de receptione ſacramenti cum diſpoſitione digna, quod omnibus fidelibus commune eſt, alterum de fideli, & prudenti diſpenſatione, quod ſpecialiter ad miniſtros pertinet. ergo. Tum, quia ſi Sacerdos dat peccatori publicè indigno hoc ſacramentum, dans, & recipiens duo peccata committunt ſpecie diſtincta. nam aliud conſiſtit in recipiendo indignè, aliud in diſpenſando infideliter, & imprudenter; ſed quando Sacerdos peccator communicat ſe ipſum, vtraque ratio peccati ibi reperitur. nam quòd perſona ſit eadem, non impedit quòd peccata ſint diſtincta: ergo. Videatur Suarez *tom.3. in 3.p. diſput.67. ſect.1.§.Nihilominus dicendum videtur.*

Dvbitatio XXVI.

XXVI. *An peccatori occulto publicè, vel occultè petenti ſacramenta ſint deneganda?*

Dico quinqoageſimoſecundò, ſi peccator occultus petat publicè ſacramenta à ſuo Parocho, puta Euchariſtiam tempore præcepti, vel etiamſi non ſit præceptum, eſt tamen rationabilis petitio in foro exteriori, tunc ei non poteſt denegari ſacramentum. quia talis peccator per peccatum occultum non amiſit ius petendi publicè ſacramenta. hæc aſſertio habetur definita *in cap.ſi Sacerdos, de officio iudicis ordinarij*, & eam docet D.Thom.*3.p.q.80.art.6.*

Dico quinquageſimotertiò, ſi peccator occultus publicè petat ſacramenta, irrationabiliter tamen, puta, quia nimis frequenter petit, vel tempore, quo non eſt ſufficiens commoditas ad conferendum, Sacerdos ſiue ſit Parochus proprius illius, ſiue qoilibet alius, non debet ei tribuere ſacramenta. quoniam tunc peccator occultus facilè poteſt repelli à receptione ſacrilega ſacramentorum ſine ſcandalo, & infamia, cùm irrationabiliter petat. ſic benè notauit Nugnus noſter *tom.1. in 3.p.q.80.art.6.difficult.2.concl.2.*

Dico quinquageſimoquartò, Parochus ſciens alicuios peccatum occultum non ex confeſſione, ſed quia alij duo, vel tres ſciunt, & ſibi dixerunt, tali peccatori in publico exigenti ſacramenta non poteſt, nec debet negare, vt diximus ſuprà: ſecus autem ſi petat in ſecreto, & occultè. nam tunc non debet dare, ſed ſecretò monere, vt abſtineat. quia tunc nullum ſequeretur ſcandalum, vel infamia, & nulla tunc adeſſet ratio, quare peccatori conferri debeant ſacramenta, ſiquidem tunc ſacrilegium committeret peccator recipiens ſacramenta, & maxima exhiberetur ſacramentis irreuerentia. Ita præclarè Sotus noſter *in 4.diſt.12.q.1. art.6.verſic ſi autem ille.*

Dvbitatio XXVII.

XXVII. *An Parochus, pænitentem in confeſſione non abſoluens, ex iuſta cauſa, poſſit huic negare ſacramenta?*

Dico quinquageſimoquintò, Parochus ſubdito exigenti ſacramenta publicè, vel ſecretò, non poteſt negare propter mortale peccatum occultum, quod in confeſſione audiuit, à quo aliqua de cauſa illum non abſoluit. quia aliàs eſſet quædam reuelatio peccati occulti, ſimúlque ſigilli ſacramentalis fractio: tum, quia peccator non debet expelli à ſacramentis propter peccatum occultum cognitum ſolùm in confeſſione. nam non licet vti ſcientia confeſſionis, ne confeſſio reddatur odioſa, & ne ab ea retrahantur fideles: ſic benè animaduertit Paludanus noſter *in 4. diſt.9. quæſt. 4. concluſione 3.* Sotus nouiſſimè relatus, *verſic.Nam vix poſſet denegatio fieri.* Nauarr.*ſumm.c.21 num.55.*

Dico quinqoageſimoſextò, non obſtat contra præcedens aſſertum ratio, & inconueniens, quod poſſet afferri. nam, qui adminiſtrat peccatori occulto indignè petenti ſacramenta, videtur cooperari peccato illius; ſed non licet cooperari peccato alterius. ergo non licebit peccatori occulto indignè petenti adminiſtrare ſacramenta, quamuis illa publicè petat. hoc argumentum non officit: negamus enim illius maiorem, quia tunc Sacerdos adminiſtrans ſacramenta non cooperaretur peccato indignè petentis, quia non cooperaretur receptioni, quatenus eſt mala; ſed quatenus eſt receptio, quæ ex obiecto bona eſt, & diceretur dare operam rei licitæ, & conſuleret famæ proximi. quare non dicitur cooperari peccato recipientis, ſed potiùs dicitur illud permittere: tum, quia Parochus miniſtrans ſacramenta peccatori occulto publicè petenti, non eſt iudex ad impediendam exteriorem illam ſacramentorum irreuerentiam, imò illicitè impediret priuans reum occultum poſſeſſione famæ, & iure petendi ſacramenta in foro exteriori. quia licèt peccator occultus non habeat ius coram Deo petendi ſacramenta, quia coram illo indignus eſt ſacramentis, idcirco peccat petendo ſacramenta, tamen in foro exteriori habet ius illa petendi; nam peccatum eius cùm ſit occultum in foro exteriori, dignè quodammodo petit, & ſi petat indignè in foro interiori, etiam grauiter peccet; ergo Parochus moraliter non cooperatur peccato petentis; nam dans ſacramenta ſolùm cooperatur, vt hic homo ſumat, non tamen, vt indignè ſumat, poſſet enim petens, ſi vellet, dignè ſumere, non enim cum actione eius eſt per ſe, ac neceſſariò coniuncta indigna ſusceptio. Videatur Nugnus noſter *tom.1. in 3.p. q.80. art.6. diffic.2. §.Ad primum argumentum*, Henriquez *lib.8.de Euchariſtia,cap.57.num.4.*

Dvbitatio XXVIII.

XXVIII. *An Parochus teneatur conferre ſacramentum peccatori occulto, publicè petenti, ad irridendum illud?*

Dico quinqoageſimoſeptimò, ſi peccator occultus publicè peteret ſacramentum, puta Euchariſtiam ad irridendam illam, & conculcandam, etiamſi totum hoc eſſet occultum, Sacerdos non debet ei ſacramentum conferre. quia conculcare ſacramentum eſt iniuria ſacrilega extrinſeca, quæ debet vitari, etiam quando fit in occulto, quoniam, per ſe loquendo, eſt manifeſta, cùm fiat per actum exteriorem in foro exteriori malum. ergo tunc Sacerdos miniſtrando ſacramenta cooperaretur rei intrinſecæ, & ſecundùm ſe malè. ergo non debet, &c. Secus autem eſt de actione dandi ſacramentum homini occulto peccatori indignè ſuſcipienti. quia hæc actio non eſt de ſe determinata ad malum, neque ex proprio obiecto habet deformitatem, per ſe loquendo. Actio verò dandi ſacramentum, puta Euchariſtiam, ad irridendam illam, & conculcandam,

dam, de ſe eſt determinata ad malum, & ex pnprio obiecto habet, per ſe loquendn, deformitarem : vnde non eſt eadem ratin in vtroque caſu:videatur Nugnus nouiſſimè relatns, §. *Ad quartum,& vltimum.* Suarez *tom.3.in 3.part.diſp.67.ſect.4.* §. *Ad primam difficultatem. verſic. Ad confirmationem autem.* Sed vt clariùs explicemus, quæ dicta ſunt, quæritur

Dvbitatio XXIX.

XXIX. *An Miniſter ſacramentorum teneatur ex ſpeciali praecepto ad non adminiſtrandum ſacramenta indignè accedentibus?*

Dico quinquageſimnoctauò, Miniſter ſacramentnrum, per ſe loquendo, proprio, & ſpeciali præcepto tenetur ad non dandum ſacramenta his, qni indignè accedunt. qnia Miniſtris Sacramentorum, per ſe lnquendn, quibus cnmmiſſa eſt ſacramenti adminiſtratio, cnnſequenter ex natura rei præceptum eſt, vt illud munus peragant fideliter, & prudenter. ergo, per ſe loquendn, ex vi buius præcepti tenentur nnn dare ſacramentum hnmini indignn. Tum, quia operarentur contra fidelem ſacramentorum diſpenſatinnem ſibi creditam. Tum, quia cnntra cultum, & reuerentiam ſacramentis debitam nperarentur: videatur D. Thnm. *3.part.q.80.art.6.corpore, in fine.*

Dico quinquageſimononò, per accidens tamen Miniſter ſacramentorum poteſt dare aliquod ſacramentum, v.g. Euchariſtiam, peccatori occulto publicè petenti, ad vitandum ſcandalum, vel iniuſtam prnximi infamitatem. quia tunc Miniſter dans ſacramentum non conperatur iniquæ receptinni, vt iniqua eſt, ſed ſolùm, vt receptio ſacramenti eſt, quæ per ſe non eſt mala, quin potiùs eſt ex obiecto bona, ſolúmque habet malitiam per accidens adiunctam ex praua diſpoſitinne ſubiecti, ad quam nullo modo concurrit, qui ſacramentum miniſtrat: nam ipſe vtitur iure ſuo, & dat operam rei de ſe licitæ, quam non pnteſt eo tempnre vitare ad vitandum ſcandalum, vel iniuſtam prnximi infamatinnem.

Dvbitatio XXX.

XXX. *An detur aliquis caſus, in quo liceat inducere alìquem ad ſuſcipiendum ſacramentum, licèt indignè ſit ſuſcepturus?*

Dico ſexageſimnprimò, pnteſt dari caſus, in qun licet inducere aliquem ad recipiendum ſacramentum, quamuis illud indignè ſuſcepturus ſit, quando adeſt iuſta cauſa, & rationabilis neceſſitas: vt ſi pnpulus auditurus ſit Sacrum in die feſto, nec habeat copiam alterius Sacerdotis, præter Sacerdotem peccarorem, tunc ſi pnpulus inducat huiuſmndi Sacerdntem ad celebrandum, quod licitè præſtari poteſt, quamuis indignè præſtetur ex malitia celebrantis: videantur Bonacina *tom. 1. de ſacramentis in genere, diſputatione 1. quaſt. 6. puncto 4. num.6.* Suarez *tom.3. in 3.part.diſput.18.ſect.2. ad finem.*

Dvbitatio XXXI.

XXXI. *An Sacerdos licitè poſſit, ob metum mortis, ſacramenta adminiſtrare?*

Dicn ſexageſimnprimò, Sacerdos licitè poteſt nb metum mortis, vel prnptiæ notabilis infamiæ adminiſtrare ſacramenta peccatnti publicn. quia ſicut poteſt adminiſtrare peccatori nccultn publicè petenti, ad vitandam ipſiuſmet peccatoris infamiam, ita etiam licet adminiſtrate peccatori publicn ad vitandam ipſiuſmett adminiſtrantis mortem, aut notabilem infamiam. nam tunc Sacerdos videtur exercere actinnem ex ſe bonam, & videtur potius permittete alterius peccatum ex iuſta cauſa, quàm ad illud cnnperari. Ita nntauit Nugnus noſter *tom. 1. in 3. part. quaſt.80. art. 6. difficult.4.* Idem ſentire videtur Suarez *tom.3. in 3. part. diſput.67. ſect.1. ad finem*; licèt alij DD. quos tacito nnmine adducit Nugnus, aliter ſentiant.

Dicn ſexageſimnſecundò, non nfficit contra præcedens aſſertum. nam hoc præceptum non dandi ſacramenta indignè petenti cùm ſit negatiuum, nbligat ſemper, & pro ſemper, ſicut præceptum non fornicandi, nnn mentiendi. ergn cùm ſit præceptum naturale, id eſt, cnnnaturale gratiæ in ſtatu ſacramentnrum, ſemper erit intrinſecè malum contra illud agere. Hoc, inquam, nnn nbſtat contra noſtram aſſertionem: quia huc præceptum non dandi ſacramentum indignè petenti, nnn eſt ſimpliciter negatiuum, ſed reducendum eſt ad affirmatiuum prudenter, & fideliter diſpenſandi hnc ſacramentum, quod quidem regulariter ſumptum ſemper eſt ſeruandum, quotieſcunque ſacramentum diſpenſatur, & ſic ſi commodè poteſt, debet indignn denegari, non tamen, quòd ſemper denegari debeat ſine vlla exceptione cum quocunque incommodo, puta cum periculo vitæ, vel propriæ famę ipſiuſmet miniſtrantis, aut ipſiuſmet indignè petentis. Sed vt magis explicetur, & probetur noſtrum aſſertum, inquiritur

Dvbitatio XXXII.

XXXII. *An in omni euentu teneamur praecepto naturali, reddere proprium depoſitum vnicuique?*

Dico ſexageſimotertiò, per ſe lnquendn, & ex præcepto naturali, tenemur vnicuique reddere pnprium depoſitum, tamen in aliquo caſu non eſt tribuendum: vt ſi dominus petat ad occidendum ſe, vel alterum. quia regulariter eſt ſeruandum tale præceptum, non tamen, quandn adeſt ratinnabilis cauſa illud non ſeruandi. Ita ſimiliter & præceptum, de qun loqnimur, exhibendi, ſcilicet ſacramentis debitam reuerentiam, regulariter eſt ſeruandum, non tamen, quandn adeſt rationabilis cauſa illud non ſeruandi, puta periculum mortis, vel notabilis infamiæ ipſiuſmet miniſtrantis, vel ipſiuſmet petentis. quia præceptum nnn cnnferendi ſacramentum indignè petenti, eſt quidem naturale, ſed nnn ex ſimpliciter neceſſariis, ſed ex neceſſariis regulariter. Sed vt clariùs explicem, pateſit

Dvbiattio XXXIII.

XXXIII *Quanam ſint praecepta neceſſaria ſimpliciter, vel neceſſaria regulariter?*

Dicn ſexageſimoquartò, quòd ſicut in naturalibus quædam propoſitiones ſunt omnino, & ſimpliciter neceſſariæ, vt eſt iſta, Hnmn eſt animal ratinnale, ignis eſt calidus; quædam verò dicuntur neceſſariæ, quia regulariter cnntingunt, vt eſt iſta, Tempore hyemis ſunt pluuiæ; quia regulariter ita eſt, licèt in aliquibus Regionibus aliquádn deficiat. Ita ſimiliter in moralibus, & ſupernaturalibus quædam præcepta dicuntur omnino, & ſimpliciter neceſſaria, quia ſemper, & pro ſemper ſunt obſeruanda, vt eſt hnc præceptum: Non eſt

fornican

fornicandum,non eſt mentiendum; quia nullus dari poteſt caſus,in quo fornicaudum,aut mentieudum ſit licitum. Quædam verò præcepta dicuntut neceſſaria, & naturalia,quia , regulariter loquendo,ſunt ſeruanda,quamuis deficiant in aliquo caſu,ſicut eſt hoc pręceptum naturale:Tribuēdum eſt vnicuique proprium depoſitnm;tamen in aliquo caſu non eſt tribuendum, vt ſi petatur ad occidendnm ſe,vel alterum;ita ſimiliter dicendum eſt in uoſtro caſu,præceptum exhibendi ſacramentis debitam reuerentiam, & non eſſe illa indignè petentibus miniſtranda , non eſt ex ſimpliciter neceſſariis,ſed ex tegulariter neceſſariis:quia licèt,regulariter loquendo , & per ſe , dignè petentibus ſint miniſtranda,ramen quando adeſt rationabilis cauſa, poſſunt indignè ſnſcipientibus miniſtrari:vt ſi denegando adeſſet periculum propriæ vitæ , aut grauis infamiæ ipſiuſmet ſuſcipientis , aut ipſiuſmet miniſtrantis , tuncenim denegari non debent: nam tunc conferens ſacramentū non facit immediatè actionem, quæ ſecundùm ſe peccatum ſit, qnia tecipiens , per ſe loquendo,benè,& dignè,ſi velit,recipere poteſt ſacramentum, ſed potiùs actionem exequitur , quæ ſecundùm ſe bona eſt ex obiecto,licèt ex malitia ſuſcipientis receptio ſit mala. boc autem non eſt coopetari peccato recipientis,ſed potiùs ex rationabili cauſa illud permittere.

Dvbitatio XXXIV.

XXXIV. *An Sacerdos aſſiſtens ſacramento matrimonij Catholici contrahentis cum hæretica,in Gallia,Germania, & Polonia,peccet?*

Dico ſexageſimoquintò, conſequenter ad ea , qoæ dicta ſunt, Catholicus degens in Germania,Gallia,& Polonia,in quibus hæretici cum Catholicis permixti conuiuunt , contrahens mattimonium cum perſona hæretica , qnia vſu id receptum eſt , neque ibi adeſt ſcandalum, & fieri poteſt , quòd non adſit periculum peruerſionis,vt ſi Catholicus ſit tam firmus,& fundatus in fide,vt non ſit periculum ſubuerſionis,nō peccat prophanando ſacramentum matrimonij , dū illud perſonæ hæreticæ adminiſtrat : Miniſter enim ſacramenti mattimonij non eſt Sacerdos,ſed ipſimet contrahentes,vt diximus ſuprà,non peccat,inquam, prophanando ſacramentum matrimonij,ſi habeat certam ſpem de conuerſione alterius , quod dupliciter fieri poteſt. Primò ex parte Catholici,vt ſi ipſe ſperet cum auxilio diuino ſe effecturum , vt vxor hæretica conuertatut. Secundò ex parte vxoris hæreticæ , vt ſi ipſa ſie affecta ſit , vt omnino cupiat eſſe Catholica. quia tunc adeſſet rationabilis cauſa miniſtrandi ſacramentum matrimonij perſonæ hæreticæ , nempè probabilis ſpes eiuſdem conuerſionis ad fidem: tum,quia hoc non eſſet coopetari peccato alterius coniugis, ſed ſolùm illud permittere ob conuerſionem ad fidem eiuſdem. Videatur pro hac aſſertione Becanus *in* a. 2. *cap.9.dub.4.num.*21.

Dvbitatio XXXV.

XXXV. *An ſummus Pontifex poſſit diſpenſare, vt Catholicus licitè contrahat cum hæretica?*

Dico ſexageſimoſextò, ſummus Pontifex poteſt licitè diſpenſare,vt Catholicus contrahat matrimoniū cum perſona hęretica,ſi non adeſſet ſcandalum,neque periculum peruerſionis coniugis Catholici ad hæreſim , præcipuè ſi probabilis ſpes adeſſet ex eiuſmodi matrimonio magni alicuius ſpiritualis fructus,vt eſſet conuerſio ad fidem alicuius Regni, vel maioris partis Regni,vel inde oriretur maxima concordia & pax inter Principes Catholicos,vel ſi adeſſet ſpes conuerſionis ad fidem perſonæ hæreticę contrahentis cum Catholico. quia tunc adeſſet ſufficiens , & rationabilis cauſa diſpenſandi, & non eſſet hoc cooperari peccato alterius,ſed tantùm permittere; tum,quia ſi ſufficiens eſt ratio miniſtrandi ſacramenta publico peccatori, periculum vitæ,vel grauis infamationis ipſiuſmet miniſtrantis, ſimiliter eſt rationabilis cauſa conferendi ſacramenta occulto peccatori , euitare ipſius infamiam , vt diximus *aſſert.* 59. & 61. ergo multo magis aderit ſufficiens,& rationabilis cauſa,vt licitè Pontifex diſpenſare poſſit, vt Catholicus cum perſona hæretica ineat matrimonium in caſibus enumeratis. Videatur pro hac aſſertione Laymann *tom.*2. *lib.*5. *tr.*10. *part.*4.*cap.*14.*num.*2. *§.Secundò limitat , verſ.Præterquam ſi in aliquo caſu probabilis ſpes ſit.*

Articvlvs VIII.

De impedimento vis,ſeu metûs.

Svmmarivm.

1. *An matrimonium,celebratum per metum grauem, vel cadentem in virum conſtantem,ſit validum.*
2. *Quid ſit metus cadens in virum conſtantē, explicatur.*
3. *An metus leuis irritet matrimonium.*
4. *Quotuplex ſit metus grauis,explicatur.*
5. *An metus incuſſus à cauſa naturali, irritet matrimoniū.*
6. *An metus incuſſus à cauſa libera irritet matrimonium.*
7. *Explicatur, quandònam metus grauis , incuſſus à cauſa libera,non irritet matrimonium.*
8. *Explicatur quo iure ſit irritum matrimonium , metu graui extortum.*
9. *An alij contractus,celebrati per metum grauem , aut leuem,validi ſint iure natura,vel poſitiuo.*
10. *Explicatur magis ,in quibus caſibus contractus celebrati per metum grauem,ſint ipſo facto inualidi.*
11. *An votum ſimplex ſiue ſolemne,extortum iniuſtè à cauſa libera,ſit validum.*
12. *An renunciatio beneficij,facta per metum,ſit valida.*
13. *An electio Prælati,vel abſolutio ab excommunicatione, facta per metum grauem,ſit valida.*
14. *An ſit validum teſtimonium in teſtamentis adhibitum per metum.*
15. *An traditio rerum Eccleſiaſticarum , etiam cum iuramento facta, ſit valida.*
16. *An ſit valida electio , quando electores coguntur eligere certam perſonam determinatè;vel indeterminatam certi generis,vel vnum ex duobus.*
17. *An iuriſdictio metu extorta validè transferatur.*
18. *An donatio,remiſſio debiti , legatum , vel teſtamentum, metu facta ſint valida.*
19. *An ſponſalia,metu graui celebrata,ſint valida.*
20. *An ſit validum matrimonium illius , qui metu graui cogitur ducere vnam ex duabus mulieribus.*
21. *An matrimonium celebratum per metum grauem, iuſtè incuſſum,ſit validum.*
22. *An ſtuprator in ſtupro comprehenſus , ſi ex metu mortis cogatur ducere defloratam,contrahat validum matrimonium.*
23. *An ſtuprator virginis,liberè conſentientis, abſque dolo, & vi,ad aliquid teneatur.*
24. *An ſtuprator occultus,ſi poſtea factum manifeſtet, ad aliquid teneatur.*
25. *Quanam debeat fieri compenſatio à violatore virginis.*
26. *An ſtuprans vi,vel dolo teneatur ad aliquid, ſi ſtuprata*

nullum

nullum damnum paſſa ſit ante nuptias, & poſt nuptias contractas, moleſtaretur à marito.

27. *An in foro externo poſſit cogi ſtuprator ad ducendam virginem, & dotandam ſimul, vel tantùm ad alterum iſtorum tantùm.*

28. *An ſtuprator diues, ſi ſtuprata ſit pauper, licèt illa liberè conſenſerit, teneatur ad aliquid.*

29. *An ſtuprator virginis, fictè illam ducere promittens, teneatur ducere, etiamſi ſtuprator ſit longè nobilior.*

30. *An ſtuprator, fictè, vel verè promittens ducere puellam, teneatur id facere, dum ex tali matrimonio timet magnum ſcandalum.*

31. *Explicatur magis, An ſtuprans puellam, cum promiſſione futuri matrimony, teneatur illam ducere, etiãſi eſſet cõditione ſuperior, & cõſcius ignobilitatis alterius.*

32. *An vir promittens nuptias puella, dicenti ſe virginem, teneatur ad aliquid.*

33. *An cognoſcens puellam, ſciens illam eſſe corruptam, tamen fictè promittit illam ducere, ad hoc teneatur.*

34. *An cognoſcens vi, aut fraude, puellam ab alio vitiatam, ſed habitam vt virginem, teneatur ad aliquam reſtitutionem.*

35. *An fictè, vel verè promittens puella matrimonium, quam non inuenit virginem, teneatur illam ducere, ſi poſt cognitum defectum virginitatis illam carnaliter cognouerit.*

36. *An promittens virgini tali exiſtimata, matrimonium ſub conditione, quòd ſit virgo, ſi virgo non ſit, ſit valida promiſſio.*

37. *An ſponſalia à principio nulla, ratificentur per ſubſequentem copulam.*

38. *An diſſoluens ex iuſta cauſa ſponſalia, teneatur ſibi ſponſam reconciliare, ſi poſt diſſolutionem illam carnaliter cognoſcat.*

39. *An poſſint contrahi ſponſalia, ſub hac conditione: Ducam te ſi te virginem inuenero.*

40. *An hac verba,* Ducam te, ſi te virginem inuenero, *habita coram Parocho & teſtibus ſint ſufficientia ad contrahendũ matrimoniũ, vel ſpõſalia conditionata.*

41. *An conditio turpis de praſenti, vel praterito, reiyciatur, ita vt vbi apponitur, non valeat matrimonium.*

Dvbitatio I.

I. ***An matrimonium, celebratum per metum grauem, vel cadentem in virum conſtantem, ſit validum?***

Dico primò, matrimonium celebratum per metũ grauem, ſeu cadentem in conſtantem virum, eſt inualidum iure Eccleſiaſtico, modò metus ſit iniuſtè incuſſus à cauſa libera ad hoc, id eſt, ad extorquendum conſenſum. hæc aſſertio ſumitur ex *c. ſignificauit, de eo, qui duxit in matrimonium, & cap. veniens el 2. de ſponſalibus.* Ratio huius aſſertionis, & Eccleſiaſticæ conſtitutionis peti debet ex diſcrimine inter matrimonium, & alios contractus. nam hi ſi cauſa metus iniuſti ſunt celebrati, poſtea per exceptionem, vel iudicis ſententiam reſcindi poſſunt: at verò matrimonium, ſi ſemel per mutuum conſenſum validè contractum ſit, præſertim ſi ſit etiam conſummatum, reſcindi nunquam poteſt, ob ſui indiſſolubilitatem; ergo neceſſe erat, vt ab initio ipſa iuris conſtitutione matrimonium celebratum per metum grauem, ſeu cadentem in conſtantem virum ſtatueretur irritum. Videatur D. Thom. 3. *part. in addit. q. 47. art. 3.*

Dvbitatio II.

II. ***Quid ſit metus cadens in virum conſtantem?***

Dico ſecundò, metus alius eſt cadens in virum conſtantem, alter verò, qui dicitur non cadens in virum conſtantem. Metus cadens in virum conſtantem, qui alio nomine dicitur grauis, vel probabilis, ille dicitur, qui illatus cogit eligere minus malum, vt maius malum probabiliter imminens euitetur: vt cùm quis infamiam, vel contumeliam, aut patrimonij iacturam ſuſtinet, ne mortem, & pœnam capitis ſubire cogatur: aut qui bona proiicit in mare, ne paſſus naufragium intereat, aut qui offert pecunias latroni, veritus vincula, verbera grauia, ſupplicium, & mortem: aut qui ſinit ſe potius occidi, quàm peccare venialiter. nam maius damnum eſt quodcunque peccatum etiam veniale, quàm quodcunque corporis incommodum: tum, quia, vt etiam Ariſtoteles ait 3. *Ethic. cap.* 1. propter quæcunque duriſſima non eſt quid turpe agendum: videatur *cap. ſacris, de his, qua vi, metúſve cauſa fiunt.*

Dico tertiò, metus non cadens in conſtantem virum, ille eſt, quo quis maius malum, vel inconueniens admittit ad fugiendum minus malum, vel inconueniens: vt qui peccat ne ſubſtantiam temporalem perdat, aut mortem ſuſtineat corporalem, vel ne diuitias habitas perdat. Metus hic non cadens in conſtantem virum, qui dicitur metus leuis, non irritum reddit matrimonium. quia nullus textus extat illud irritans ob talem leuem metum, nec ius naturæ illud irritat.

Dico quartò, ad metum grauem, & cadentem in conſtantem virum reuocari metum mortis, metum mutilationis, vel atrocis cruciatus, vel longi carceris, vel exilij diuturni, vel ſeruitutis, vel ſtupri, vel amiſſionis ſtatus honorifici, vel amiſſionis omnium bonorum, vel ſaltem magnæ partis, aut amiſſionis rei magnæ, & notabilis. Similiter metus infamiæ iuris, vel facti. nam ſicut ad metum grauem reducitur metus amiſſionis bonorum, ita etiam reduci debet metus infamiæ, melius eſt enim nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.

Dvbitatio III.

III. ***An metus leuis irritet matrimonium?***

Dico quintò, metus leuis, per ſe loquendo, non irritat matrimonium, in foro tamen conſcientiæ, quoties tollit omnino conſenſum, inualidum reddit matrimonium: nam ad validitatem matrimonij iure naturæ requiritur conſenſus; ergo quicunque metus etiam leuis ſi tollit omnino conſenſum, nullum efficit matrimonium: videatur Nauarr. *tom. 1. conſiliorum lib. 1. de his, qua vi, &c. conſil. 5. num. 4.*

IV. ***Quotuplex ſit metus grauis?***

Dico ſextò, metus grauis poteſt eſſe duplex, quidam eſt incuſſus ab intrinſeco, vel à cauſis naturalibus, vt à morbo, tempeſtate, feris animalibus, ab his enim metus incuſſus dicitur ab intrinſeco. quia incutitur per modum naturæ, id eſt, non per actum liberum; alter verò eſt ab extrinſeco, id eſt, à cauſa libera: vt dum quis incidit in latrones, mortem comminantes: videatur Sotus *in 4. diſt. 19. q. 1. art. 3. §. Hinc primò colligitur.*

Dico ſeptimò, metus incuſſus ab extrinſeco, id eſt, à cauſa libera, adhuc eſt duplex: quidam incuſſus à cauſa libera, ſed non gratia matrimonium extorquendi, ſed alia de cauſa; alter verò incuſſus gratia extorquendi matrimonium, & hic poteſt incuti iuſtè, vt dũ minãs comminatur malum, quod iuſtè inferre poteſt, vt iuſtã apud iudicem delicti accuſationẽ: vel iniuſtè, vt ſi malum aliquod iniuſtè inferre minetur, vt ſi Titius cõminaretur propria authoritate Caium necare.

Dico

Dico octauò, rurſus metus, qui iuſtè incutitur ob vnum finem, non ſemper licitè, & iuſtè incutitur ob alium finem e.g. Aliquis habet ius accuſandi Petrum ob iniuriam ſibi ab eo illatam per contumeliam, vel per furtum, vel per homicidium: iſte poteſt metum accuſationis incutere Petro, vt ab eo extorqueat debitam ſibi ſatisfactionem, & in hoc caſu dicitur metum iuſtè incutere: non tamen poteſt ob iniuriam ſibi illatam per contumeliam minari accuſationem, vt extorqueat conſenſum matrimonij; vnde ſi minetur accuſationem ad extorquendum conſenſum matrimonij, diceretur metum iniuſtè incutere; quia iſte metus repugnat libertati matrimonij, & eſt iniurioſus ſacramento, cùm per huiuſmodi metum cogatur Petrus inuitus celebrare matrimonium, quod debet eſſe liberum, & non coactum: tum, quia licèt ille metus accuſationis poſſit eſſe iuſtus ob alius fines, eſt tamen iniuſtus ob finem extorquendi matrimonium. ergo.

Dvbitatio IV.

V. *An metus incuſſus à cauſa naturali, irritet matrimonium?*

Dico nonò, metus incuſſus à cauſa naturali, quantumuis grauiſſimus ſit, non reddit irritum matrimonium: vnde matrimonium contractum cum concubina, metu præſentaneæ mortis ex morbo, aut naufragio, aut fera beſtia, aut inferni timore, eſt firmum. quia tunc non impellitur homo ab alio ad matrimonium, ſed à ſe ipſo, cùm nullus tunc exigat matrimonium, ſed voluntariè id contrahens eligit, tanquam medium ad euadendum periculum animæ, vel corporis. Tum, quia votum emiſſum ex ſimili metu validum eſt, vt probatur ex *cap ſicut nobis, de Regular.* ergo. Tum, quia ſi Medicus aſſerat quempiam obiturum ob humoris abundantiam, niſi ducat vxorem, valeret matrimonium, quia metus eſt ab intrinſeca cauſa naturali incuſſus: videatur Sotus *in 4. diſt. 19. quæſt. 1. art. 3. §. Hinc primò colligitur.*

Dvbitatio V.

VI. *An metus incuſſus à cauſa libera, irritet matrimonium?*

Dico decimò, metus incuſſus ab extrinſeco à cauſa libera, quamuis grauiſſimus, non reddit inualidum matrimonium, ſi non eſt incuſſus ad extorquendum matrimonium: vnde ſi Princeps obſeſſus matrimonium offerat cum filia obſidentis, vt ſic animi concilientur, obſidionémque ſoluat, validum eſt: ſimiliter ſi parentes, aut conſanguinei interficere vellent in ſtupro inuentum, & ipſe ſua ſponte, & à nemine exactus offerat matrimonium cum ſtuprata, vt mortem vitet, validum eſt matrimonium. quia in his caſibus, metus iſte grauis non eò tendit, vt obſeſſus, vel in periculo mortis conſtitutus matrimonium ineat, ſed propria ſponte obſeſſus, vel in periculo mortis conſtitutus, eligit id medium ad obſidionem, vel mortem euadendum. Videatur Sotus nouiſſimè relatus, Lopez noſter *part. 2. Inſtruct.* vbi de matrimonio, *c. 40. §. Iam ex prædictis liquet.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 9. num. 2.*

Dvbitatio VI.

VII. *Quandónam metus grauis incuſſus à cauſa libera non irritet matrimonium?*

Dico vndecimò, ſi capite plectendo, aut alio graui ſupplicio puniendo condonetur vita, aut ea pœna à conſanguineis occiſi ea lege, vt filiam occiſi, aut aliam eius conſanguineam ducat; & ſimiliter ſi vir de adulterio vxorem accuſans, mortis pœnam remittat, ſub conditione, vt Religionem profiteatur, quamuis hic metus in virum conſtantem cadat, non irritat matrimonium, aut profeſſionem. quia hic metus tunc non incutitur ad finem extorquendi matrimonium, aut profeſſionem, ſed ad delicti punitionem, & potiùs metus iam conceptus ob periculum mortis, aufertur, oblata timenti norma, qua immunis à pœna euadat: tum, quia interdum Princeps indulget pœnam mortis iuſtè damnato ea lege, vt ducat in vxorem aliquam piam pauperem, quam ſi ducat valet matrimonium, quia tunc metus mortis aliunde incuſſus, aufertur, oblata illa conditione. ergo ſimiliter in caſu noſtro. Tum, quia ſummus Pontifex frequenter diſpenſat cùm homicida voluntario, vt celebret ea conditione, vt Religionem aliquam approbatam profiteatur, & hæc profeſſio eſſet valida. ergo ſimiliter validum eſt matrimonium contractum à iuſtè capto, & mortem timente cum aliqua fœmina, ſi ipſe iudex vitæ condonationem promittat, ſi morte damnatus ducat aliquam fœminam. quia tunc metus non infertur ad extorquendum matrimonium, ſed potiùs metus iam conceptus aufertur, traditúrque modus euadendi periculum mortis. Videatur pro hac aſſertione Sotus, Lopez, Rodriquez, *loc. cit.* Nauarr. *tom. 1. lib. 1. conſil. de vi, quæ vi, conſil* 8.

Dico duodecimò, etiamſi ipſe iudex capite puniendo vitæ condonationem promittat, ſi ducat ipſiuſmet iudicis filiam, alioquin mortem ei iuſtè inferendam comminetur, validum eſſet matrimonium ſi contraheretur. quia in iſto caſu capite puniendo magis timor aufertur, quàm infertur, cùm modus euadendi periculum mortis ei à iudice tradatur. Ita benè notauit Lopez noſter *p. 2. Inſtr. cap* 40. vbi de matrim. *§. Ad ſecundum verò caſum.*

Dico decimotertiò, matrimonium contractum ab ægro morbo lethali oppreſſo cum filia Medici, aliter ei mederi nolentis, eſt validum. quia tunc Medicus minimè mortis timorem ægro incutit, ſed morbus: matrimonium autem eſt ſicut pretium pro medela conſtitutum. Ita præclarè Sotus noſter obſeruauit *in 4. diſt. 29. quæſt. 1. art. 3. §. Hinc primò colligitur, verſicul. Imò quamuis Medicus.*

Dvbitatio VII.

VIII. *Quo iure ſit irritum matrimonium metu graui extortum?*

Dico decimoquartò, ſolo iure Eccleſiaſtico eſt irritum matrimonium extortum metu iniuſtè incuſſo à cauſa libera. nam Baptiſmus in adultis exigit ad eius valorem, voluntatem, & intentionem ſuſcipientis, & tamen voluntas metu graui coacta ſufficit ad eius valorem. *cap. maiores, de Baptiſmo, §. Propter quod, & cap. de Iudæis, diſt. 45.* ergo ſimiliter ſat eſſet ad matrimonij valorem conſenſus coactus, niſi Eccleſia oppoſitum ſtatuiſſet. ergo ſolo iure Eccleſiaſtico erit irritum. Tum, quia etiam iuramentum requirit libertatem, & tamen extortum metu graui obligat. *cap. ſi verò, & cap. verùm, de iureiurando.* ergo cùm matrimonium, & ſimiliter votum per talem metum irritentur, ſignum apertum eſt huiuſmodi differentiam ex ſolo iure Eccleſiaſtico oriri. Sotus *in 4. diſt. 29. quæſt. 1. art. 3. §. Quia ergo hanc opinionem.* Syl. *verb. matrimonium* 8. *quæſt. 11. dicto 3.*

Dubitatio VIII.

IX. *An alij contractus, celebrati per metum grauem, aut leuem, ſint validi iure naturæ, vel poſitiuo?*

Dico decimoquintò, omnes contractus celebrari per metum grauem, aut leuem, validi ſunt iure naturæ. quia metus grauis, ſeu leuis non tollit voluntarium ſimpliciter. Ariſt. 3. *Ethicorum cap.* 1. ſed ſolùm facit inuoluntarium mixtum cum quo inuoluntario, ſicut ſtat conſenſus ſufficiens ad peccandum, ita etiam ſtat conſenſus ſufficiens ad contrahendum. Tum, quia ſubſtantia contractus conſiſtit in conſenſu, & voluntate. *l. obligationum ſubſtantia, ff. de act. & obligat.* ſed in conſenſu metu extorto eſt verus conſenſus, vtraque voluntas. *l. ſi mulier, §. ſi metu coactus el 2. ff. de eo quod metus cauſa.* ergo. Videatur Clauis Regia *lib. 2. cap. 2. num.* 11.

Dico decimoſextò, contractus metu graui, aut leui celebratus, validus eſt iure poſitiuo, exceptis quibuſdam caſibus. quia nullo iure conſtat ipſo facto irritari contractum per metum celebratum; ſed ius præcipit tantummodo reſcindi. *l. vltima, C. de his, quæ vi*, vbi præcipitur, venditiones, & donationes, quæ per potentiam extortæ ſunt, infirmari. ergo cùm ius præcipiat infirmari contractum per metum, ſeu potentiam celebratum, ſignum eſt antea fuiſſe validum. Ita docet Lopez noſter *part. 2. Instruct.* vbi de matrim. *cap 40. fol. 1065. § Ad ſecundum.* licèt Sayr. nouiſſimè relatus aſſerat omnes contractus iure poſitiuo, quando fiunt ex metu cadente in conſtantem virum, irritari.

Dico decimoſeptimò, non obſtare contra præcedens aſſertum id quod dicitur *l. prima, C. de reſcindenda venditione*, vbi dicitur emptionem factam per metum eſſe irritam. ergo contractus per metum celebrati ſunt inualidi iure poſitiuo. Hoc, inquam, non officit. quia ibi gloſſa ait emptionem appellari irritam, non quia ſit ipſo facto irrita, ſed quia declaranda eſt irrita; ſunt igitur irritandi contractus celebrati per metum grauem, aut leuem iniuſtè incuſſum ab homine ad extorquendum contractum. quia æquitas non poſtulat, vt qui alteri iniuriam intulit, commodum reportet; ſed æquitas paritur, vt conſtituat alterum in ſuo priori ſtatu, ad arbitrium illius, qui paſſus eſt iniuriam. Videatur Syl. *verb. Metus, quæſt.* 8.

Dubitatio IX.

X. *In quibus caſibus contractus celebrati per metum grauem, ſint ipſo facto inualidi?*

Dico decimooctauò, caſus, in quibus contractus celebrati per metum grauem iniuſtè incuſſum ad extorquendum conſenſum, ſunt ipſo facto inualidi, ſunt hi. Primus eſt contractus matrimonij; quia, vt benè ait Caiet. 1. 2. *quæſt. 6 art. 3. in fine commenti*, Eccleſia vult, quòd non ſolùm matrimonium ſit voluntarium, ſed plenè voluntarium, & ita ab Alexandro III. *in cap. cùm locum, & cap. veniens el* 2. & ab Hunorio III. *in cap. conſultationi, de ſponſalibus, & matrimonijs*, matrimonium ex tali metu contractum irritatur. Videatur Caiet. & Syl. *locis adductis.*

Dico decimononò, eodem modo dos promiſſa per metum, vel ſoluta, non tenet. quia cùm matrimonium metu factum non teneat, nec contractus dotis promiſſæ, vel ſolutæ tenebit. quia acceſſorium ſequitur principale; ſed principale, nempè matrimonium per metum iniuſtè incuſſum, eſt inualidum; ergo & contractus dotis promiſſæ, vel ſolutæ, cùm ſit acceſſoria ad matrimonium. *l. ſi mulier, §. ſi dos. ff. quod met. cauſ.*

Dubitatio X.

XI. *An votum ſimplex, ſiue ſolemne, extortum iniuſtè à cauſa libera, ſit validum?*

Dico vigeſimò, votum ſimiliter ſiue ſimplex, ſiue ſolemne, factum ex metu graui iniuſtè incuſſo à cauſa extrinſeca, ſeu libera ad extorquendum votum inualidum eſt, ſaltem iure Eccleſiaſtico, modò vouens cognouerit illum metum ſibi incuti ad extorquendum votum. quia *in cap. 1. de his, quæ vi, metúſve cauſa*, irritatur votum ſolemne factum ex metu graui, &c. ergo à fortiori ſupponitur eſſe irritum votum ſimplex, quod non adeò grauem obligationem inducit. Tum, quia ex *cap dilectus, de his, quæ vi*, vbi decernitur votum fuiſſe validum, quia non fuerat factum per metum grauem. ergo ſupponi videtur non fore validum, ſi factum fuiſſet per metum grauem: & ita hanc aſſertionem, tam de voto ſolemni, quàm de voto ſimplici, tenet Sotus *lib 7. de Iuſt. quæſt 2. art. 1 in ſolutione ad primum, ſine, & in ſolutione ad ſecundum, initio*, Lopez noſter *part. 1. Inſtruct c. 45. § Sed de alijs votis.* vbi addit vouentem ex metu graui, &c. non teneri ad petendam diſpenſationem, ſeu relaxationem talis voti. quia, inquit, videtur ipſo iure irritum. quia parum gratum, & acceptum eſt Deo, quando ex tali metu fit, quodcunque ſit illud. quamuis alij, inter quos fuit doctiſſimus Magiſter Penna, tenuerint votum ſolemne, puta profeſſionem, ita emiſſam eſſe irritam; ſecus autem de votis ſimplicibus: ſed quod diximus verius eſt, quod etiam tenet Rodriquez *tom. 1. ſummæ cap. 95. num.* 1.

Dico vigeſimoprimò, ſi animus incutientis metum ſit votum extorquere, eo tamen animo non ſignificato vouenti, nec per ipſum intellecto, vouens aliquid voueat ad incolumitatem obtinendam, obligabitur voto. Ideo ſcitò dixi in præcedenti aſſertione, modò vouens cognouerit illum metum ſibi incuti ad extorquendum votum. quia tunc vouens, cùm prauæ intentionis incutientis metum ignarus ſit, non eſt coactus eo metu ad votum emittendum, ſed ſua ſponte illud tanqum incolumitatis medium elegit; ergo tunc prorſus idem eſt, ac ſi quocumque alio fine metus incuteretur. ergo tunc validum eſſet votum. Ita bene notauit Valentia *tom. 3. in 2. 2. diſp. 6. quæſt. 6. puncto 4. § Neque verò eadem eſt ratio.*

Dubitatio XI.

XII. *An renunciatio beneficij, facta per metum, ſit valida?*

Dico vigeſimoſecundò, renunciatio beneficij facta per metum grauem incuſſum ab extrinſeco, eſt ipſo iure irrita. nam *in Clem. multorum, de pœnis. §. conſiderantes, verſicul. Sanè reſignationes*, ait Pontifex, *Sanè reſignationes beneficiorum modo ſupradicto extortas, licèt à reſignantium ipſorum Prelatis recepta, aut rata habita fuerint, nullius decernimus eſſe firmitatis.* quamuis alij duceant non eſſe ipſo iure reſciſſam, id eſt, irritam, & inanem, ſed reſcindendam. Videatur Azor. *part. 2. Inſtit. mor. lib. 7. cap. 16. dub.* 2.

Dubitatio XII.

XIII. *An electio Prælati, vel abſolutio ab excommunicatione, facta per metum grauem, ſit valida?*

Dico vigeſimotertiò, electio Prælati per metum grauem facta, eſt ipſo iure nulla, vt *in cap. vbi periculum, §. cæterùm, de elect. in 6.* Abſolutio ſimiliter ab excommunicatione metu extorta, eſt nulla. Ita expreſsè habetur *in cap. vnico, de his, quæ vi metúſve cauſa fiunt 6.* Immò additur in eodem cap. vnico, *qui per vim, metúmque abſolutionem extorquet, à priori excommunicatione non ſoluitur, & in pœnam temeritatis nouam etiam excommunicationem incurrit.* Videatur Syl. *verb. excom. 9. & excomm. 17.* Sayr. *lib. 2. de cenſuris, cap. 21. n. 31.*

Dubitatio XIII.

XIV. *An ſit validum teſtimonium, in teſtamentis adhibitum per metum?*

Dico vigeſimoquartò, quando teſtes ſunt adhibiti per metum in teſtamentis, eorum teſtimonium eſt inualidum: vnde cùm tenentur in vinculis, aut ab hoſtibus, non valet eorum teſtimonium. *l. qui teſtamento, ff. de teſtamentis.* Authoritas ſimiliter tutorum extorta per metum, nulla eſt. *l. 1. §. vltimo, ff. de autor. tut.* Videatur Syl. *verb. Metus, quæſt. 8. §. quinto.* Sayr. *lib. 2. in Claui, cap. 2. num. 11.*

Dubitatio XIV.

XV. *An traditio rerum Eccleſiaſticarum etiam cum iuramento facta, ſit valida?*

Dico vigeſimoquintò, traditio de rebus Eccleſiæ facta per metum eſt irrita. quia etiam ſi ſponte Prælatus res Eccleſiæ traderet, non teneret traditio ſine ſolemnitate, de qua cauetur 12. *quæſt. 2. cap. ſine exceptione*; ergo multo minus tenet donatio de rebus Eccleſiæ facta per metum. Imò nec iuramentum factum ſuper talem traditionem de rebus Eccleſiæ eſſet ſeruandum. quia ſi non tenet principale, nec acceſſorium, argument. *cap. ſi diligentia, de foro compet.* ſed traditio de rebus Eccleſiæ ſine ſolemnitate, de qua 12. *quæſt. 2. cap. ſine exceptione*, eſt irrita. ergo ſimiliter & iuramentum ſuper hoc factum: tum, quia iuramentum non tenet, nec eſt ſeruandum, quod ſeruari non poteſt ſine periculo animæ. *cap. ſi verò, de iureiurando*; ſed iuramentum de tradendis, & alienandis rebus Eccleſiæ ſeruari non poteſt ſine periculo animæ. multis enim iuribus eſt cautum ne fiant huiuſmodi traditiones, & alienationes. ergo: videatur *cap. peruenit, de iureiurando, & ibi gloſſa verb. poſſe conſtringi.* Sed vt clariùs explicetur aſſertum 23. quæritur,

Dubitatio XV.

XVI. *An ſit valida electio, quando electores coguntur eligere certam perſonam determinatam, vel indeterminatam certi generis, vel vnum ex duobus?*

Dico vigeſimoſextò, communis eſt opinio, quòd quando certa perſona eligitur, & electio eſt metu extorta; eam non valere, propter textum putatum ſingularem *in cap. vbi periculum, §. cæterùm, de electione in 6.* Ita tenet Syl. *verb. Metus quæſt. 8. §. Quartò iuriſdictio.* Nauarr. *tom. 1. conſil. lib. 1. de electione conſil. 5. num. 2.* Rodriquez *tomo 2. qq. Reg. quæſt. 54. art. 4.*

Dico vigeſimoſeptimò, quando verò electores non coguntur certam perſonam eligere, ſed vnam ex certo genere perſonarum, tunc electionem eſſe validam. quia ſubſtantia electionis eſt libera, cùm liberè poſſit eligi hæc, aut illa perſona. ergo electio metu facta non certæ perſonæ, ſed vnius ex certo genere perſonarum, valet: ſic Panor. *in cap. cum terra, de electione.*

Dico vigeſimooctauò, conſequenter communitas exercitu militum obſeſſa, ſi compellatur vnum ex certo genere perſonarum eligere in Regem, vel Imperatorem, tunc electio eſt valida: propter rationem allatam. Nam cùm electio ſit præacceptatio vnius reſpectu alterius, tunc ſaluatur in iſto caſu ſubſtantia electionis. ergo: ſecus autem ſi communitas illa, vel Collegium, ſeu Conuentus cogatur certam aliquam vnam perſonam deligere: electio enim tunc non valet. quia non ſaluatur ſubſtantia electionis, cùm liberè non poſſit eligi hæc, aut altera perſona: videatur Couar. *in 4. part. 2. cap. 3. §. 5. num. 8.*

Dico vigeſimononò, quando electores metu compelluntur, propoſitis duobus vnum ex illis eligere, vt ſi electio ſit futura inter duos, & metu cogantur electores alterutrum ex illis eligere, tunc valet electio. quia ſufficit ſi inter duos ſit futura: nam tunc ſaluatur ſubſtantia electionis, eſt enim præacceptatio vnius reſpectu alterius, quamuis alij nullam tunc eſſe electionem aſſerant: videatur Azor. *part. 1. inſtit. mor. lib. 1. cap. 11. dub. 11.*

Dubitatio XVI.

XVII. *An iuriſdictio, per metum extorta, validè transferatur?*

Dico trigeſimò, iuriſdictio per metum extorta non transfertur, qualis eſt electio Prælati. *cap. vbi periculum, §. cæterùm, de elect. in 6.* Ita Syl. *verb. Metus, quæſt. 8.* Sayr. *in Claui Regia lib. 2. cap. 2. num. 51.* Azor. *part. 3. inſtit. moral. lib. 4. cap. 23. dub. 2.* Similiter prorogatio iuriſdictionis per metum grauem extorta non valet. *l. 2. ff. de iudicijs.* idque intelligitur in caſu ſpeciali, de quo loquitur *d. l. 2. de iudicijs*, quando ſcilicet iuriſdictio conceditur, vel prorogatur à partibus litigantibus, iudici alicui, cui aliàs non ſunt ſubiectæ, qui metu hoc ab illis extorquet, tunc talis iuriſdictionis collatio, & prorogatio eſt irrita, & geſta ex illa non valent. Ita notauit Leſſ. *lib. 2. de Iuſtit. cap. 17. dub 6. num. 37.*

Dico trigeſimoprimò, aliæ verò iuriſdictiones metu extortæ, validè transferuntur. quia nulla ſufficienti ratione, aut iuris diſpoſitione probari poteſt iuriſdictionem per metum extortam inualidam eſſe: exceptis aliquibus caſibus, vt iuriſdictio, quæ metu extorquetur pro abſolutione à cenſuris, hæc enim eſſet irrita, quia eſt textus ſpecialis *in cap. vnico, de his, quæ vi in 6.* & ſimiliter iuriſdictio, quæ transfertur per electionem, metu extorta eſt inualida, ex *cap. vbi periculum, §. cæterùm, de elect. 6.* Tum, quia lex in contrarium adducta, *l.* ſcilicet 2. *de iudicijs*, loquitur in caſu ſpeciali, dum litigantes compelluntur conſentire in iudicem non ſuum, & ita prorogare eius iuriſdictionem, quæ prorogari nequit niſi libera eorum voluntate, & ſic cùm ſit caſus ſpecialis exceptus à regula generali tradente, omni metu

geſta

geſta regulariter ipſo iure valere: vt reſoluit gloſſa ſolemnis *in cap. Abbas, de his, quæ vi*, & Nauarr. *lib.* 1. *conſil. de his, quæ vi, conſil.* 4. *n.* 6. *tom.* 1. non debet extendi caſus ille ſpecialis ad alios, niſi aliter in iure ſit expreſſum; ergo iuriſdictio metu extorta regulariter eſt valida, niſi in caſibus in iure expreſſis. Videatur Sanchez *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 39. *n.* 13. §. *Sed credo.*

Dvbitatio XVII.

XVIII. *An donatio, remiſſio debiti, legatum, vel teſtamentum metu facta, ſint valida?*

Dico trigeſimoſecundò, donatio, & quæ vim habent meræ donationis, vt eſt remiſſio debiti, legatum, & teſtamentum, non ſunt valida, etiam in foro conſcientiæ, ſi fiant per metum. quia donatio nihil aliud eſt, quàm liberalis datio alicuius rei. Ita Paulus Iuriſconſultus *l. ſenatus, ff. de mortis cauſa donatio.* Item & eleemoſyna metu extorta, rata, & firma non eſt. quia donatio, & eleemoſyna ſuaptè natura poſtulant, vt gratis, & liberaliter fiant; ergo metu extorta non ſunt rata. Videatur Syl. *verb. Metus, quæſt.* 8. *verſic. quæ autem requirunt liberum conſenſum.* Azor. *part.* 1. *Inſtit. mor. lib.* 1. *cap.* 11. *dub.* 6. §. *Nonò omnis, & part.* 3. *Inſtitut. mor. lib.* 4. *cap.* 23. *dub.* 2. hos ſequitur Bonacina *tom.* 2. *tract. de reſtitut. diſput.* 3. *quæſt.* 1. *punct.* 2. §. 3. *num.* 3. *verſic. Sextò additur donatio.*

Dvbiattio XVIII.

XIX. *An ſponſalia, metu graui celebrata, ſint valida?*

Dico trigeſimotertiò, ſicut matrimonium metu graue celebratum eſt irritum, vt diximus ſuprà *aſſertione* 1. *&* 18. *huius art.* ita etiam ſunt irrita ſponſalia cum metu graui celebrata. Ita colligitur ex *c. ex litteris, de deſponſatione impub.* & conſequenter ſponſalia celebrata per metum grauem non inducunt impedimentum publicæ honeſtatis. nam hoc impedimentum inducitur ex ſponſalibus validis; ſed ſponſalia celebrata per metum grauem non ſunt valida; ergo. ita Rodriq. *tom.* 1. *ſumm. c.* 230. *n.* 4. & hoc eſt verum, etiam ſi ſponſalibus addatur iuramentum. nam cùm promiſſio ſpõſalium per metum grauem extorta, ſit irrita, inualidum etiam erit iuramentum, quod eſt ad illam acceſſorium. licèt Henriq. *lib.* 11. *de matrim. c.* 9. *n.* 6. tenuerit ſponſalia tali metu extorta nullo iure irritari.

Dico trigeſimoquartò, etiamſi ſponſalia, ſequendo opinionem Henriquez, per metum grauem extorta, non eſſent ipſo iure irrita, & cæteri contractus per metum grauem celebrati non omnino irriti, poſſunt tamen in foro conſcientiæ reſcindi, & in irritum reuocari pro arbitrio eius, qui metum paſſus eſt, ſi metus iniuſtè incuſſus eſt ad contractum extorquendum. quia qui metum iniuſtè incuſſit, iniuriam alteri intulit. ergo tenetur illum in priorem ſtatum reſtituere, aliter habet ius eligendi hanc reſtitutionem. Ita Leſſ. *lib.* 2. *de Iuſt. cap.* 17. *dub.* 6. *num.* 38.

Dvbitatio XIX.

XX. *An ſit validum matrimonium illius, qui metu graui cogitur ducere vnam ex duabus mulieribus?*

Dico trigeſimoquintò, ſi quis metu graui ſibi ab extrinſeco iniuſtè incuſſo cogatur vxorem ducere, non quidem certam aliquam fœminam, ſed alteram ex duabus, videtur matrimonium tunc eſſe validum. nam, vt dixi ſuprà *aſſert.* 29. electio metu facta non certæ perſonæ, ſed alterius ex duabus, valida eſt, eo quòd cùm inter duas ſit futura, libera cenſetur. ergo ſimiliter validum erit matrimonium, &c. Ita notauit Azor. *p.* 1. *Inſt. mor. lib.* 1. *c.* 11. *dub.* 11. *verſ. ſi tamen quæras.* licèt alij citati ab eodem inualidum eſſe tale matrimonium affirment. quod veriſſimum eſſe puto, ſi propter metum ſibi incuſſum iſte tunc contrahit; aliàs cum nulla alia fœmina eſſet contracturus.

Dvbitatio XX.

XXI. *An matrimonium, celebratum per metum grauem, iuſtè incuſſum, ſit validum?*

Dico trigeſimoſextò, matrimonium celebratum per metum etiam grauem, & cadentem in conſtantem virum, iuſtè incuſſum, validum eſt, (metus autem cadens in conſtantem virum iuſtè incutitur, quando malum, quod minamur, iuſtè inferre poſſumus.) vti ſi pater minetur accuſationem Caio, e. g. niſi ducat propriam filiam, quam ſub promiſſione futuri matrimonij conſtuprauit, validum eſt tunc matrimonium; quia hic metus iuſtè incutitur, ob cauſam, propter quam ſtuprator iure licito compelli poteſt ad contrahendum matrimonium. Ita bene Sotus *in* 4. *diſt.* 29. *q.* 1. *art.* 3. §. *Ex his ſequitur, verſic. eadem ratione*, Rodriquez *ſumma part.* 1. *cap.* 230. *num* 5.

Dico trigeſimoſeptimò, ſi filia voluntariè conſenſit in ſtuprum abſque promiſſione futuri matrimonij, non videtur validum matrimonium contractum cum metu accuſationis, ad extorquendum matrimonium. nam ſtuprator virginis conſentientis, non tenetur illam ducere, niſi alius titulus adſit, qualis titulus eſſet, ſi ibi recepta eſſet lex præcipiens ſtupratori contrahere debere matrimonium cum ſtuprata: vel ſi præceſſiſſent ſponſalia, vel promiſſio matrimonij: nam tunc iuſtè metus accuſationis eſſet incuſſus ad extorquendum matrimonium, cùm ſtuprator ad hoc teneatur: ſecus autem, vbi non eſt talis lex, nec præceſſerunt ſponſalia, nec promiſſio matrimonij. nam tunc iniuſtè talis metus incuteretur ad contrahendum, cùm non teneatur ſtuprator ducere virginem voluntariè conſentientem. Videatur pro hac aſſertione Syl. *verb. Metus, quæſt.* 6. Henriquez *lib.* 11. *de matrimonio, cap.* 9. *num.* 1.

Dvbitatio XXI.

XXII. *An ſtuprator, in ſtupro comprehenſus, ſi ex metu mortis cogatur ducere defloratam, contrahat validum matrimonium?*

Dico trigeſimooctauò, ſi pater puellæ iuuenem comprehenſum in ſtupro metu mortis cogeret ad contrahendum cum illa matrimonium, validum non eſſet. quoniam talis metus iniuſtè à patre incuteretur. nam etſi lex exprimeret, defloratorem virginis compellendum eſſe ad eam ducendam, id intelligitur publica iudicis authoritate, non autem auctoritate priuata patris; nemo enim priuatus poteſt ſibi ius dicere: iuſtè tamen incuteretur à patre metus accuſationis apud iudicem. quia priuatus pater iuſtè poteſt ſtupratorem filiæ apud iudicem accuſare: & tunc validum eſſet matrimonium hoc metu iuſtè incuſſo, ſi ibi lex recepta eſſet, præcipiens ſtupratori contrahere debere cum vitiata, non autem ſi pater minaretur

mortem ad extorquendum matrimonium, quia inioſtè ralis metus mortis incuteretur. nemo enim priuatus, vt dixi, poteſt ſibi ius dicere; videatur Lopez noſter *p.2. Inſtruct.c.*40. vbi de matrim.§. *Praeterea quo via aperiatur, verſ.vnde conſequitur.*

Dico trigeſimononò, ſi inuoluntariè puella violata eſt, & pater illius minatur accuſationem ſtupratori, niſi ducat propriam filiam, validum eſſet matrimonium celebratum cum tali metu accuſationis. Nam hic metus iuſtè incutitur ob cauſam propriam, ob quam ſtuprator iure licito compelli poteſt ad contrahendum matrimonium. quia corruptor virginia in foro exteriori poſt ſeotentiam criminis commiſſi hac pœna condemoatur, vt ducat vxorem, quam corrupit, & vt dotet eam; ergo iuſtè iocuteretur,&c. Videatur *cap.1. de adulterys*. Bonacina *tom.1. tract. de matrim. quaſt. 3. punct. 8. num.11.§. Primum exemplum eſt.*

Dico quadrageſimò, ſatis eſt probabile, metum minimè reddere irritum matrimonium quando iuſtè incutitur, ſiue metus ſit lege incuſſus ad illum finem matrimonij extorquendi, vt quando eſt lex, vt violator virginis compellatur eam ducere, ſiue talis metus non ſit lege incuſſus ad extorquendum matrimonium: vt quando pater violatæ puellæ ad extorqueodum matrimooium minetur accuſationem apud iodicem ſtupratori virginis conſentientis in ſtuprum. Ratio probabilitatis huius aſſertionis eſt, quia licèt nullus priuata authoritate poſſit cogere ad matrimonium, poteſt tamen iuſtè metom conceptom ex iuſta, ac debita caoſa auferre, & cedere iuri accuſandi, qood habet, petito certo pretio, vice cuſos petit matrimoniom. ergo pater puellæ violatæ liberè cooſeotieotis in ſtuprum, cùm iuſtam cauſam habeat accuſandi ſtupratorem apud iudicem ob iniuriam ſibi illatam, poteſt auferre metum conceptum à ſtupratore propter iuſtam accuſationem faciendam apud iudicem, cedendo iuri accuſandi petito certo pretio, vice cuius petit matrimonium; ergo metus iuſtè incuſſus, ſiue ſit lege incuſſus ad finem matrimonij extorquendi, ſiue non, irritum non reddit matrimonium: tum, quia valida eſt profeſſio, dum vir minatur vxori in adulterio repertæ, mortem, niſi Religionem profiteatur, quia eſt metus ex iuſta cauſa incuſſus (iotellige quando minatur mortem, authoritate iudicis infligendam, aliàs enim iniuſtè iocuteretur timor, & ita noo valeret profeſſio, ſi priuata authoritate illam minaretur occidere.) ergo ſimiliter in caſu noſtro: & ita haoc aſſertionem tenet Petrus noſter de Ledeſma *de matrim. quaſt. 47. art. 3. dub. 1. concl. 3. initio, iuncto §. ſed tamen adhuc eſt dubium*, quem ſequitur Sanchez *lib. 4. de matrim. diſput. 14. num. 3. & num. 9. §. Ad 3. nego antecedens.*

Dvbitatio XXII.

XXIII. *An ſtuprator virginis, liberè conſentientis, abſque dolo, & vi ad aliquid teneatur?*

Dico quadrageſimoprimò, ſtuprator virginis conſentientis, ſi nullum dolum, vim, aut iniuſti metus incuſſionem adbibuit, oullam vel ipſi, vel parentibus eius reſtitutionem damni in conſcientiæ foro facere tenetur. quia oeotri iniuriam intulit: tum, quia etiamſi intuliſſet iniuriam patri, nòn tamen damnum. nam damnum corporis filiæ volenti illatum non redundat in patrem, eo quòd filia non ſit poſſeſſio patris, cùm liberum ſui corporis vſum habeat. Ita Syl. *verb. luxuria, quaſt. 5.* Sotus *lib. 4. de Iuſtitia, quaſt. 7. art 1. §. Maius autem dubium eſt, verſ an verò vice verſa.*

Dico quadrageſimoſecuodò, qui virginem ſpoote ſua cooſentieotem vitiauit, ſi factum à parentibus deduceretor ad forum cootentioſum, poſt coodemnationem delicti, ſtuprator teneremur ſobire pœnam, vel eam ducere, quam vitiauit, vel eam dotare, vti iudex iudicauerit. qoia negari non poteſt, etiam ſi puella conſentiat, parentibus, ſub quorum cuſtodia adhuc exiſtit, aliquam iniuram in honore eſſe illatam, & aliqood damnum; ergo in pœnam delicti poteſt iudex iuſtè ſtupratori talem impooere pœnam, & ipſe eam exequi teoebitur; tum, quia virgo ſemper præſumitor ſeducta, & decepta, quia ſi oon eſſent hominis inſidiæ, taotum facinus non perpetraretur: vt benè ootauit Syl. *verb. luxuria, quaſt. 5. verſic. ſi verò illam.* Imò ſi ſtuprator oeget eam virginem fuiſſe, non incumbit probatio patri, aut virgini, ſecundùm Pan. *in cap. 1. de adulterys*, & *ibi* communiter DD. quia præſumitur virgo, ex quo habetur pro virgine, & imputetur ſtupratori, qui ea abuſus eſt; quia ratione delicti probatio transfertur io illum. Ita benè Syl. oouiſſimè relatus. Videatur etiam pro hac aſſertione D. Thom. 2.2. *quaſt.*154. *art.6. ad* 1. Azor. *part.3. inſtit. moral. lib.5. cap.5. dub 9.§. Ad S. Thomam.* Salon. 2.2. *quaſt.62. art.2. controuerſ.5. concluſ.5.* Layman *tom.1. lib.3 ſect.5 tract.3. part.3. cap.12. num.2.§. excipe primò, verſic. ſecundò, ſi iudex.*

Dvbitatio XXIII.

XXIV. *An ſtuprator occultus, ſi poſtea factum manifeſtet, ad aliquid teneatur?*

Dico quadrageſimotertiò, licèt quando puella voluntariè, & propria ſponte amatoriis blanditiis capta conſenſit in ſtuprum, violator ipſius io foro conſcientiæ ad nullam teneatnr reſtitutionem faciendam nec virgini, nec parentibus ipſius, vt diximus *ſupra*, ſi tamen cùm facinos ſit occultum, ſtuprator poellam non ſine iniuria infamauit, tunc tenetur damnum inde ſequutum filiæ, & patenti eius reſarcire: vt ſi puella ob hanc infamiam nubere alteri oon poſſet, vel parentes puellæ damnum paterentur in augends dote. nam violator ille infamando poſtea puellam eſt cauſa damni, qood illa patitur, vel parentes. ergo in foro conſcientiæ tenebitur tunc ad reſarciendum damnum illatum arbitrio boni viri. Videatur Layman nuperrimè relatus, Mulioa *tom. 3. de Iuſtit. diſp.*106.*num.*2.

Dvbitatio XXIV.

XXV. *Quanam debeat fieri compenſatio à violatore virginis?*

Dico qoadrageſimoquartò, compenſatio damnorum à violatore virginis ordinariè ita facienda eſt, quando per vim, & dolum illam vitiauit, in foro conſcientię, vt vel ſtuprator puellam in vxorem ducat, ſi ipſa velit, vel tantam illi dotem offerat, vt æquè honeſtas nuptias ſortiator, ac ſi corrupta noo fuiſſet, & cùm in alternatiuis debitoris ſit electio, ſi malit tali modo dotare, non tenetur eam in vxorem ducere ante iudicis ſententiam, etiamſi ipſa, & parentes cupiant, præterquam ſi eam ſub pollicitatione matrimonij vera, vel ficta ſtupri conſenſum induxerit. Ratio ooſtræ aſſertiooia eſt; quia damnum tunc per iniuriam illatum eſt; ergo debet rependi, hoc autem fiet, vel matrimonio, vel damni æſtimatione. Ita docet Syl. *verb. luxuria, quaſt.5.* Nauarr. *ſumma, cap.*16. *num.*18.

Dico

Dico quadrageſimoquintò, non officit contra præcedens aſſertom *cap. 1. de adulterijs*, vbi dicitur: *Si quis ſeduxerit virginem nondum deſponſatam, dotabit eam, & habebit vxorem.* quod deſumptum eſt ex *cap. 22. Exodi*; ſed violator virginis hîc noo ſolùm ad alterum, ſed ad vtrumque teneri dicitur. ergo. Hoc, inquam, non officit. nam *cap. 1. de adulterijs, & cap. 22. Exodi*, intelligenda ſunt poſt ſententiam iudicis; ante verò iudicis ſententiam non tenetur niſi ad alterum, neque ad integram dotem, ſed ſolùm quanti pluris valebat ſpes nuptiarum, quam adhuc integra habebat. nam iure naturæ ad amplius non tenetur. Ita benè docet Syl. nupertimè relatus. Sed vt clariùs, & magis explicetur ea, quæ dicta ſunt in præcedenti aſſerto,

Dico quadrageſimoſextò, quando ſtuprator tenetur ad faciendam reſtitutionem, non obſtringitur ante iudicis ſententiam, integram dotem virgini vitiatæ perſoluere, ſed ſolùm tenetur ad ſatisfacienda tam patri, quàm virgini, damna ex tali ſtupro ſobſequuta; adueniente verò iudicis ſententia, tenetur illi obedire. e. g. Habebat virgo in dotem mille aureos, cum quibus poterat honeſtè, & pro dignitate ſua collocari in matrimonio, poſt ſtuprum non inuenit virum ſibi æqualem, niſi cum dupla dote: non tenetur ſtuprator exhibere illi duo millia, ſed faciet ſatis ſi reddat ille mille aureos, quibus antea non indigebat, præter eos, quos habet, vt ſic habeat vnà cum ſuis duo millia; quia virgo, & pater illius, in hoc caſu per ſtuprum tantùm læduntur in illa ſumma, qua oportet augeri dotem, quam antea habebat, vt inueniat virum ſibi æqualem: at nemo tenetur ante iudicis ſententiam, niſi ad reſtituendum damnum, quod intulit; ergo non tenetur illi exhibere, niſi ſolam illam ſummam mille aureorum. Ita benè Bannez noſter *2. 2. q. 62. art. 2. dub. 7. concl. vltima.* Salon. *ibi controuerſia 5. concl. 5.*

Dvbitatio XXV.

XXVI. *An ſtuprans vi, vel dolo, teneatur ad aliquid, ſi ſtuprata nullum damnum paſſa ſit ante nuptias, poſt illas tamen contractas, moleſtaretur à marito?*

Dico quadrageſimoſeptimò, qui per vim, dolum, & fraudem virginem deflorat, etiamſi illa æquè benè nubat, ac ſi violata non fuiſſet, tenetur ad reſtitutionem faciendam virgini, vel parentibus eius, ratione damni in bonis temporalibus, & in honore. quia irrogatur iniuria virgini, illa non conſentiente: vbi enim vis, aut dolus, ibi eſt iniuria. ergo reſtituere tenetur totum damnum quod intulit virgini, & parentibus eius; per accidens enim eſt, quòd ita benè nupſerit, ac ſi virgo fuiſſet. Ita benè ſapientiſſimus Magiſter noſter Victoria relatus à Nauarro, quem ipſe ſequitur *ſumma cap. 16. num. 19.* Sayr. *in Claui, lib. 11. cap. 2. num. 29.* contra Bonacinam *tom. 1. tract. de matrim. quæſt. 4. punct. 17. num. 8.* Leſſ. *lib. 2. de Iuſt. cap. 10. dub. 2. num. 15.*

Dico quadrageſimooctauò, ſi poſtea maritus cognouit corruptionem puellæ, quæ æquè benè nupſit, ac ſi vitiata non fuiſſet, & ob hoc vel eam deſerit, vel malè tractat, aliquid eſt reſtituendum puellæ per vim, & fraudem vitiatæ, ob huiuſmodi damnum ſequutum, nimirum tantum, quanti arbitrio boni, & prudentis viri æſtimabitur eiuſmodi damnum, certiſſimum hoc debet eſſe apud omnes. nam huiuſmodi incommoda, quæ puella tunc pateretur, ob fractionem ſigilli virginitatis, quam per vim, & metum amiſit, ſunt pecunia, & pretio æſtimabilia arbitrio boni viri; ergo. Ita bene notauit Nauarr. nuper adductus, Azor. *3. p. Inſtit. mor. lib. 5. cap. 5. diffic. 10.*

Dvbitatio XXVI.

XXVII. *An in foro externo poſſit cogi ſtuprator, ad ducendam virginem, & dotandam ſimul: vel tantùm ad alterum iſtorum?*

Dico quadrageſimononò, in foro externo, præſertim ciuili, cogi non ſolet ſtuprator ad matrimonium, ſi illud non promiſerat. quia in vſu non eſt, vt corruptor virginis cogatur eam ducere in vxorem, ſed vt alternatiuè cogatur vel eam ducere vxorem, vel eam dotare: iuſtè tamen poſt ſententiam criminis ad vtrũque à iudice condemnari poteſt. nam corruptor virginis meritò hac pœna puniri poteſt vt ducat virginem, quam corrupit, & vt dotet eam, iuxta *c. 1. & 2. de adulterijs*. Videatur Iulius Clarus *§. Stuprum n. 3.* Laymann *tom. 1. lib. 3. ſect. 5. tract. 3. p. 3. c. 12. num. 3. §. Neque obſtat.*

Dvbitatio XXVII.

XXVIII. *An ſtuprator diues, ſi ſtuprata ſit pauper, licèt illa liberè conſenſerit, teneatur ad aliquid?*

Dico quinquageſimò, quando ſtuprator eſt diues, è contra verò virgo paupercula, tenebitur ille iudicio prudentum ad aliquam reſtitutionem faciendam in pecunia pro dote, vel pro parte dotis, etiam ſi non interceſſerit aliqua violentia, aut fraus, ſed ipſa voluntariè conſenſit cum illo. quia inter huiuſmodi perſonas meritò iudicatur aliquod pactum implicitum, & interpretatiuum interueniſſe. quoniam ſimiles virgines pauperes meritò iudicant, & humanam fiduciam habent, quòd tales viri dotabunt illas, ſicut ſolent facere huiuſmodi viri diuites. Ita benè notauit Bannez noſter *2. 2. q. 62. art. 2. dub. 7 concl. 4.* & ibi Salon. *controuerſia 5. concl. 4.*

Dvbitatio XXVIII.

XXIX. *An ſtuprator virginis, fictè illam ducere promittens, teneatur ducere, etiamſi ſtuprator ſit longè nobilior?*

Dico quinquageſimoprimò, qui virginem corrupit, ficto animo promittens ſe eam ducturum in vxorem, obligatur ad promiſſionem præſtandam, licèt fictam, eam ſcilicet, quam vitiauit, ducere. quia hæc promiſſio facta eſt in modum contractus. ergo cùm virgo ex parte ſua compleuit contractum ſtupro conſentiendo, tenebitur etiam ipſe violator illum complere, prout exteriùs iudicio prudentum ſonat. Ita Lopez noſter *p. 1. Inſtr. c. 77. §. Ad hæc qui.* Leſſ. *lib. 2. de Iuſt. c. 10. dub. 3. n. 20.* Beia *part. 1. caſuum, caſu* 18.

Dico quinquageſimoſecundò, ſi ſtuprator virginis fictè promittens eam ducere in vxorem, longè ſit nobilior, vel opulentior, ſi ipſa id ſciuerit, non tenetur eam ducere, ſed ſufficiet aliter damnum reſarcire. quia tunc non præſumitur mulier fraudem ignorare. ergo ſi mulier eſt plebeia, vir nobilis, & potens, ſi ipſa id ſciuerit, non tenetur eam ducere. quia ſi id ſciuit, non videtur fuiſſe à viro decepta; ergo. Ita optimè Syl. noſter *verb. luxuria, quæſt. 5. verſicul. & hoc ſecundum.*

Dico quinquageſimotertiò, in caſu præcedentis aſſertionis corruptor ille nobilior, & opulentior tenetur corruptæ virgini recompenſare tantum, quantum magis opus habet ad adipiſcendum

matiinm, qualem ſi non eſſet ſic vitiata, & corrupta, adipiſceretur. quia licèt in hoc caſu non præſumatur decepta, ad finem dueendi eam in vxorem, quia id illa credere non debuiſſet, videns, & ſciens diſpatitatem generis, ramen quia promiſſio, & fides ſibi data ducendi eam, vim habet importunarum preeum. ergo prædicto modo vir ille nobilis, & diues illi reſarcire damnum tenetur. Iia præclatè Lopez noſter *part. 1. Inſtruct. cap. 76. §. Reſpondetur*, vt antea diximus, licèt Armilla *verb. reſtitutio num.* 22. quem ſequitur Leſſius *lib. 2. de Iuſtit. cap.* 10. *dub. 3. num.* 14. *verſic. ſed verius videtur*, aſſerant ad nihil hunc teneri, quia (inquiunt) potuit tunc aduertere ipſum ſtupratorem reuera nihil ſeriò ei promittere; ſed verins eſt quod diximus.

Dico quinquageſimoquartò, ſi virgo cui vir nobilis, & diues ficto animo promiſit eam ducere in vxorem ſi conſentiret in ſtuptum, omnino ignorauit ſuperiorem illius conditionem, & exteriùs non habuit vllam eauſam ſuſpicandæ fraudis, tunc corruptor ille nobilis, & diues tenetur eam ducere. quia tenetut ex parte ſua contractum complere, ne ipſa detrimentum patiatur. Tum, quia puella ſic corrupta corruptori non facit iniuriam, exigendo promiſſum, quia pacta fuit corpus pro corpore bona fide, reliqua verò, vt diuitiæ, nobilitas, per accidens ſe habent ad hunc contractum.

Dico quinquageſimoquintò, probabilins tamen mihi videtur, virum illum ſuperioris conditionis promittentem fictò animo puellæ impari in genere, & diuitiis, non teneri poſt admiſſum ſtuptum eam ducere in vxorem, etiam ſi illa omnino ignorauerit viti conditionem, ſed poſſe cum pecunia ſatisfacere arbitrio prudentum. Probatur, quia qui in contractu fictè aliquid promittit, quod eſt longè melius, non tenetur illud date, ſed ſufficit, vt det aliud, quod indicio prudentis ſit æquale, ſufficit enim ad iuſtitiam, vt contractus redocatur ad æqualitatem. Tum, quia non tenetur ad eam ducendam ratione promiſſionis, fuit enim ficta, & inualida, nec ratione iniuſtitiæ, & iniuriæ illatæ, quia iuſtitia non obligat ad reſtituendum plus quàm damnum æſtimatur; ſed damnum ablatæ dolo virginitatis non tanti æſtimatur, ac virum notabiliter digniorem eam fœminam ducere. ergo nulla ratione tenetur. Tum, quia ſi quis prodigè meretrici ſpondeat pro corporis vſu, nun tenetur implere ita prodigè, vt docent Sotus *lib. 4. de Iuſtit. quæſt. 7. art. 1. ad 2. verſic. An verò contra.* Bannez 2. 2. *quæſt. 62. art. 5. dub. 5. concluſ.* 3. ergo ſimiliter in noſtro caſu vir ille nobilis, & diues promittens ficto animo puellæ inferioris conditionis conſentienti in ſtuprum, illam ducere in vxorem non tenebitur, ſed poterit pecunia ei ſatisfacere arbitrio prudentum, & ita noſtram aſſertionem docent Syl. *verb. luxuria, quæſt. 5. verſic. & hoc ſecundum Archid.* Lopez *p. 1. Inſtruct. cap. 76. §. Porrò adhuc reliquum.* Nauart. *ſumma, cap. 16. num.* 58.

Dubitatio XXIX.

XXX. *An ſtuprator, fictè, vel verè promittens ducere puellam, teneatur id facere, dum ex tali matrimonio timet magnum ſcandalum?*

Dico quinquageſimoſextò, qui corrupit virginem ficto animo, vel etiam vero, promittens ſe eam ducturum in vxorem, ſi ſcandalum magnum ex matrimonio timeatur, puta ſi diſſolueretur parentum pietas, cognatorum amicitia, etiam ſi corruptor & corrupta ſint pares, tunc corruptor non tenetur eã ducere. quia tunc contrahere matrimonium eum magno ſcandalo, & damno, eſſet culpa lethalis; aliter ergo poterit tunc corruptor ſatisfacere corruptæ arbitrio prudentis: tum, quia Panormitan. *cap. requiſiuit, de ſponſalib. num.* 4. ait Eccleſiam non compellere implere ſponſalia, quoties rixæ inter parentes contrahentium probabiliter timentur, quamuis ſequuta ſit virginis defloratio ſub ea ſpe matrimonij futuri. Ita bene Lopez noſter nuper relatus §. *Atque hoc quod immediatè*, quem ſequitur Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp.* 14. *num.* 3. Explicatur magis,

Dubitatio XXX

XXXI. *An ſtuprans puellam, cum promiſſione futuri matrimonij, teneatur illam ducere, etiamſi eſſet conditione ſuperior, & conſcius ignobilitatis alterius?*

Dico quinquageſimoſeptimò, qui ex intentione animi promiſit ſe ducturum vxorem, quam corrupit, tenetur eam ducere, etiam in caſu, quo ſit in vitæ ſtatu longè ſuperior, ſi conſcius erat conditionis alterius. quia verè, & ex animo promiſit ſe ducturum eam in vxorem, & ſibi imputet ſi puella ſit vitæ conditione inferior, ſiquidem eam conditionem nouerat, & nihilominus promiſit ex animo. Ita benè Azor. *p. 3. lib. 5. cap. 5. diffic.* 3.

Dico quinquageſimooctauò, non eſt improbabile aſſerere, quòd quando vir eſt notabiliter impar nobilitate, aut diuitiis, aut potentia, ſi vera promiſſione extorſit copulam à fœmina, non teneatur eam ducere, ſed ſufficiet tunc damnum illatum arbitrio prudentis reſarcire, eam dotando, vel aliquo alio modo. quia promittens immodicum per modum pretij, & contractus, non tenetur totum ſoluere, ſed ſolùm iuſtum, & æquale pretium; ſed immodice promittit, & non gratis, ſed per modum contractus vir notabiliter impar nobilitate, aut diuitiis, & potentia, ſpondens puellæ inferioris notabiliter conditionis, eam ducere ſi conſentiat in ſtuprum; ergo illo ſequuto non tenebitur, &c. ſed ſufficiet, &c. Ita tenere videtur Lopez noſter *part. 1. Inſtruct. cap. 76. § Porrò adhuc reliquum eſt, fine.* Beia *part. 1. caſuum, caſu* 18. *in principio.* Salon 2. 2. *quæſt. 62. art.* 2. *controuerſ. 3. concluſ. 5. §. tandem obſer. ad finem.*

Dubitatio XXXI.

XXXII. *An vir promittens puellæ, dicenti ſe virginem, nuptias, teneatur ad aliquid?*

Dico quinquageſimononò, ſi vir dicenti puellæ ſe eſſe virginem, promiſit nuptias, vt ea potiretur, & poſtea deprehendat non eſſe virginem, non tenebitur ſtare promiſſis. quia fœmina ſua deceptione cauſa fuit, vt ab hac obligatione vir eximatur, &c. Ita benè Lopez noſter *part. 1. inſtruct. c. 77. §. Hinc corollariè.* Sanchez *lib. 1. de ſponſalibus, diſp.* 10. *num.* 11. Leſſ. *lib. 2. de Iuſtit. cap. 10. dub. 3. num.* 29.

Dico ſexageſimò, quando fœmina decipit virum dicendo, vel fingendo ſe eſſe virginem, etiam ſi ſeriò vir illi promiſerit eam ducturus, ſi conſentiret in copulam, ſi comperta fuerit corrupta, nec tenetur eam ducere, nec ad vllam reſtitutionem. Quia nullum damnum vir illi cenſetur intuliſſe. Tum, quia tantùm tenebatur eam ducere. ergo ſi fœmina ſua deceptione cauſa fuit, vt ab hac obligatione vir eximatur, ad nihil aliud tenebitur. Videatur

Bonacina

Bonacina *tom. 1. tract. de matrim. quaſt. 1. puncto 2. num. 6. §. Addo cum Gutierez.*

Dico ſexageſimoprimò, ſi quis promiſit ſe ducturum puellam, qoam putabat virginem, & tamen corruptam inuenit, tunc non obligatur eam ducere. quia talis conditio, ſcilicet, ſi te inueneto virgioem, communiter, & tacitè videtur eſſe ſubintellecta; tum, quia viri non promiſiſſeot coniugium, ſi puellam corruptam eſſe prænoſſent. Ita Lopez noſter *part. 1. Inſtruct. cap. 77. §. Hinc emergit, verſic. Nec Sotus, aut Nauarr.*

Dico ſexageſimoſecundò, ſi quis promiſit puellæ ſe eam ducturum, ſi eam virgioem inuenerit, expreſſaè ſub iſta conditione, & tamen corruptam inuenit, certum eſt tunc illum teneri ad nuptias. quia licèt actus ſit inhoneſtus, conditio tamen appoſita eſt boneſta, & vterque ſcienter conditioni conſenſit; ergo non adimpleta tali conditione non tenebitur. Ita benè Syl. noſter *verb. matrimon. 3. quaſt.* 8.

Dvbitatio XXXII.

XXXIII. *An cognoſcens puellam, ſciens illam eſſe corruptam, tamen fictè promittit illam ducere, ad hoc teneatur?*

Dico ſexageſimotertiò, cognoſcens puellam, ſciens illam cortuptam, nihilominus fictè promiſir ſe eam ducturum, non tenetur eam ducere. quia non tenetur ad matrimonium ratione promiſſionis, vt quæ nulla fuerit, nec ratione damni, cùm nullum ſequutum fuerit: ſolùm tenebitur indicio prudentis compenſare copulam per talem fictionem iniurioſam obtentam. Ita colligitur ex Lopez noſtro *part. 1. Inſtruct. cap. 77. §. Hinc emergit, verſicul. Caterùm ſi fictè id ei*, quem ſequitur Leſſ. *lib. 2. de Iuſt. cap. 10. dub. 3. num.* 31. licèt Azor oppoſitum tenuerit, hunc ſcilicet obligati ad matrimonium. Si alioquin conditione ſint pates, & aliunde impedimentum non eſt. quia, inquit, huiuſmodi copula eſt quaſi quidam contractus innuminatus, Do vt des, & facio vt facias. Ita Azor. *3. p. Inſtit. mor. lib. 5. cap. 5. diffic.* 12.

Dvbiattio XXXIII.

XXXIV. *An cognoſcens vi, aut fraude puellam, ab alio vitiatam, ſed habitam vt virginem, teneatur ad aliquid?*

Dico ſexageſimoquartò, cognoſcens vi, aut fraude puellam iam ab alio vitiatam, ſed opinione hominum habiram vt virginem, obligatur ad aliquam ſatisfactionem, non quidem ratione integritatis, ſed ratione infamiæ. quia licèt corrupta ſit, vulgò tamen, & publicè habebatur vt virgo. ergo reuera detrimentum paſſa eſt, itaut non poſſit iam commodè nubere. ergo arbitrio boni viri aliqua eſt ei reſtitutio facienda.

Dico ſexageſimoquintò, qui puellam non vitiauit quidem, ſed ita ſollicitauit, vt infamia ſit notata, tanquam corrupta, ſi liberè conſentiens ſollicitata eſt, ſollicitans non tenetur ad aliquam reſtitutionem. quia puella, vt ſupponitur, ſponte ſua conſenſit ſollicitationi. ergo ſibi imputare debet infamiam: ſi tamen vi, metu, fraude, vel mendaciis ſollicitata eſt, tenetur ſollicitans ad reſtitutionem huius damni, vel eam docere, vel ſufficienter eam dotare, vt nubere poſſit tanquam virgo.

Dvbitatio XXXIV.

XXXV. *An fictè, vel verè promittens puellæ matrimonium quam non inuenit virginem, teneatur illam ducere, ſi poſt cognitum defectum virginitatis, illam carnaliter cognouerit?*

Dico ſexageſimoſextò, fictè promittens fœminæ matrimonium, ſi ſe deflorandam ei tradiderit, ſi promittens fictè nuptias exiſtimabat eam virginem, & poſtea comperiat non eſſe, non tenetur eam ducere, vt diximus *aſſert. 61. & 62.* cum Lopezio, & Syl. quia hæc vera cauſa eſt diſſoluendi ſponſalia vera, ne dum ficta.

Dico ſexageſimoſeptimò, præcedens aſſertum intelligitur, etiamſi poſtquam vir defectum virginitatis nouit, eam carnaliter cognoſcat. nam ſponſalia inualida per fictam promiſſionem non inducunt obligationem, nec fiunt valida per copulam habitam. quia fictè promittens nuptias, nunquam verè conſenſit in futurum matrimonium, etiam ſi decepit, deceptus eſt non inueniens virgioem, quam credebat eſſe virginem, & poſtquam defectum virginitatis per copulam habitam nouit, nihil de nouo promiſit. ergo non tenebitur ſtare promiſſis. quia ſponſalia à principio nulla, nec nouo conſenſu adhibito per ſolam copulam carnalem, non fiunt valida. Videatur Sanchez *lib. 1. de ſponſalibus, diſput. 10. num. 12. verſicul. Sed credo.* Bonacina *tom. 1. tract. de matrim. quaſt. 1. punct. 10. num. 10. § Reſpondeo, verſic. Modò illa ſponſalia fuerint valida.*

Dico ſexageſimooctauò, ſeriò, & verè promittens puellæ, ſe eam in vxorem ducturum ſi ſe deflorandam ei tradiderit, quam putabat eſſe virginem, ſi in conuentione per copulam deprehenderit non fuiſſe virginem, non tenebitur poſtea ad nuptias. quia illa cauſa, non inueniſſe eam virginem, ſufficiens eſt ad diſſoluenda ſponſalia, vt diximus *aſſertione* 61. eum Lopez, & docet etiam Leſſ. *lib. 2. de Iuſtitia, cap. 10. dubio 3. num.* 30. At ſi poſtquam vir deprehenderit illam non fuiſſe virgineın, eam iterum, vel pluries cognouerit carnaliter, eam tenebitur ducere. quia ſponſalia illa in caſu noſtro fuerunt valida (licèt promittens deceptus ſua falſa exiſtimatione, haberet ius illa diſſoluendi, poſtquam puellam, cui promiſit, deprebeodit non eſſe virginem; ſed ſponſalia valida per copulam ſubſequutam confirmantur. ergo tenebitur promittens ad nuptias. Ita benè Lopez noſter *part. 1. Inſtruct. cap. 77. §. Hinc emergit*, &c.

Dico ſexageſimononò, promittens nuptias alicui puellæ, ſciens poſtea adeſſe iuſtam cauſam diſſoluendi ſpooſalia, vt in caſu præcedentis aſſerti, vel ſi poſt contracta ſponſalia fœmina cum aliquo tertio fornicationem commiſit; fornicatio enim mulieris cum alio tertio ſufficiens eſt cauſa viro reſiliendi à ſponſalibus: ſi poſtea carnaliter cognoſcat ſponſam, non poteſt ratione illius prioris cauſæ reſilire à ſponſalibus, ſi tempore copulæ conſcius erat illius cauſæ, & ſponſalia præcedentia erant vera. quia tunc ſponſus accedens carnaliter ad ſponſam, cenſetur remittere ius reſcindendi ſponſalia ratione cauſæ præcedentis ignoratæ, vel ſubſequentis, ſi illius cauſæ tempore copulæ conſcius erat; ergo non potuit poſt copulã ſubſequutam, iam ob eam cauſam diſſoluere ſponſalia. Tum, quia coninges conſcij fornicationis habitæ poſt matrimonium, ſe cognoſcentes, amittunt ius petendi diuortium, vt docet optimè D. Thom. *in 4. diſt. 35. q. vnica, art. 1. corpore.* ergo ſimiliter perdet ſponſus ex copula

ios reſcindendi ſponſalia, ſi illius cauſæ rempore copulæ coouſcius erat: tum,quia etiã diuortio celebrato ob adulretiũ,cenſentur coniuges ſe reconciliare,& in matrimonio perſeuerare tenentor, copula inrer illos ſubſequuta, vt benè Sotus *in 4. diſt. 36. quæſt. vnica, art. 1. § Sextus caſus, verſic. Adde quòd ſi poſt celebratum.* Tum,quia non obſtante fornicatiooe præcedenti antiquitus ſponſalia tranſibant in matrimonium per copulam, ſi vir conſcius vitij, copulam cum ſponſa de futuro habuiſſet; ergo ſimiliter ſponſus conſcius cauſæ ſufficientis præcedentis ignotar, &c. vel ſubſequuræ, diſſoluendi ſponſalia cenſetur remittere, & confirmare ſponſalia,ſi tempore copulæ conſcius erar illius cauſæ. Videatur Bonacina *tom. 1. tract. de matrim. quæſt. 1. punct. 10. num. 10.*

Dvbitatio XXXV.

XXXVI. *An promittens virgini tali exiſtimatæ,matrimonium,ſub conditione,quòd ſit virgo,ſi virgo non ſit, valida ſit promiſſio?*

Dico ſeptuageſimò, ſi quis virgini exiſtimatæ ſub expreſſa condirione promitteret matrimonium, ſi es virgo,ſi virgo non ſit, ſponſalia ſunt ipſo iure nulla. quia promiſſio nuptiarum, defectu condirionis eſt nulla:nec iſta ſponſalia fiunr valida per copulam ſubſequutam,quamois copula habeatur defectu virginitatis iam cognito. quia,vt diximus *aſſertione* 67. ſponſalia à principio nulla per ſolam copolam carnalem ſubſequoram,nullo alio nouo adhibito conſenſu non fiunr valida. Videatur Sanchez *lib. 1. de ſponſalibus, diſput. 66. num. 4. §. Idem dicendum.*

Dico ſepruageſimoprimò, ſponſalia tamen, quæ à principio fuerunr nulla, puta ob defectum conditionis,vt diximur *præcedenti aſſerto*, vel ob aliam aliquam cauſam, fiunt valida per copulam ſubſequutam, ſi ſponſus rempore copulæ conſcius erar nullitatis præcedentium ſponſalium, & animum habuit manendi in prioribus illis ſponſalibos, & ſponſa priorem conſenſum non reuocauerat. quia hîc modò accederet ex parte ſponſi nouus conſenſus ſigno externo manifeſtatus, nempè copula, quæ antiquitus cooſenſus matrimonialis ſufficiens indicium reputabatur. *cap. is qui fidem, de ſponſalibus*; nc dum ipſorom ſponſaliom. ergo ſi ſponſa priorem conſenſum non reuocauit, & ſponſus ſciens nullitatem priorum ſponſalium, accederet ad eam, babens animum manendi in prioribus ſponſalibus, quæ à principio fuerunt nulla ob defectum conditionis, vel ob aliam caoſam,per copulam ſubſequuram fierent valida: videatur Bonacina *loco ſuprà citato.*

Dvbitatio XXXVI.

XXXVII. *An ſponſalia à principio nulla, ratificentur per ſubſequentem copulam?*

Dico ſeptuageſimoſecundò,priora ſponſalia à principio nulla, fiunt etiam valida ſi ſponſus conſcius nullitatis illorum ſciebat tacitè per copulam ſubſequuram illi ratificari,nec contrarium conſenſum habens, carnaliter ſponſam cognouit. Probatur, quia ſponſalia infantium contracta ante vſum rationis quæ nulla ſuot,conualeſcunt, ſi adueniente legitima ætate contrahentes ſimul habitent,vel copulam inter ſe habeant, & nôrint ſponſalia illa tempore infantiæ celebrata fuiſſe nulla, & velint iis actibos, cohabitatione ſcilicet,vel copola priora illa ſponſalia ratificare.ergo,&c. Videatur pro hac aſſertione Syl. *verb matrim. 8. q. 14. dicto 8. verſ. In omnibus tamen prædictis caſibus* Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 16. n. 6. & 7.*

Dico ſepruageſimotertiò,ſi priora ſponſalia fuerũt nulla,& ſponſus tempore copulæ ignorauit eſſe nulla,vel per actum ratificari, vel haboit diſſenſom per copulam ſubſequutam, non manent valida. quia ad ratificationem exigitur ſcientia nullitatis actûs, & eius ratificationis per ſequentem actum. ergo ſi priora ſponſalia fuerunt nulla, & ſponſos tempore copulæ ignorauit eſſe nulla, vel ignorauit per coniunctionem carnalem ratificari, non manent valida. quia ad ratificationem exigitor nullitatis eius ſcientia, & ſcientia ratificationis per ſequentem actum. Tum, quia vt profeſſio inualida in aliqua Religione approbata, emiſſa, firmetur per actus tacitam profeſſionem inducentes, exigitur, vt profitens nôrit priorem profeſſionem fuiſſe nullam, & velit iis actibus eam ratificare, ac ſi denuo emiſiſſet, vt benè docet Caiet. 2. 2. q. 189. art. 5. Nauarr. *tom. 2. conſiliorum, tit. de Regul. lib. 3. conſil. 34. num. 4.* Tum, quia ſi quis iovalidè Religionem voueat, & poſtmodum ex ignorantia ratificet, non manet obligatus, ſed oportet, vt velit ratificare habita notitia nullitatis prioris voti, vt benè docet Syl. *verb. matrim. 4. quæſt.* 10. ergo ſimiliter ad ratificandum priora ſponſalia inualida erit neceſſaria ſcientia nullitatis illorum, & ſcientia ratificationis eorundem per ſeqoentem actum: tum, quia, ſi quis dubio motus, an votum à ſe emiſſom fuerit validum, & ob id denuò voueat, non tenebitur ad votum, vbi ſciuerit prius votum fuiſſe nullum, niſi conſtet voluiſſe ita ſe obligare, quamuis ſciret prius votum irritum fuiſſe, vt præclarè notauit Rodriquez *ſumma part. 2. cap.* 101. *num.* 7. quia ea ratificatio fuit ex errore, nec cenſeodum eſt habere abſolutum vouendi animum, ſed ex ſuppoſitione falſa valoris prioris voti; ergo: videantur pro hac aſſertione Caietan. Syl. Nauarr. *locis adductis*, & Sanchez *ſuprà* cit.

Dico ſeptuageſimoqoartò,ſi priora ſponſalia erant ipſo iure nulla, & ſponſus dum babuit copulam, ſciuit illa eſſe irrita, haboit ramen diſſenſum illa ratificandi, non remaoent firma per copulam ſubſequutam. quia cùm prior conſenſos fuerit nullus, neceſſarius eſt nouus conſenſus; ſed hîc noo adeſt noous conſenſus, quio immò adeſt diſſenſus; ergo non firmantur, &c.

Dico ſeptuageſimoquintò, ſi priora ſponſalia fuerunt valida, vt quando ex animo promiſit vir ducere aliquam in vxorem,ſciens poſtea ſponſus adeſſe inſtam cauſam ea diſſoloendi, vt ſi poſt contracta ſponſalia ſciret ſponſus, ſponſam eſſe cum alio tertio fornicatam, ſi poſtea ſponſus carnaliter cognoſceret ſponſam, firmarentur ſponſalia, & non haberet ampliùs ſponſos ius illa diſſoluendi, quamuis haberet animum iniuriam ſibi illatam ob fornicationem cum tertio noo remittendi: nam ſicot coniux non poteſt petere diuortium matrimonij, qui cooſcius adulterij alterius,copulam habuit eum altero coniuge,licèt haberet animom iniuriam non remittendi,quia remiſſio iniuriæ non à voluotate ſua, ſed ex ipſo iore proficiſcitor; ergo ſimiliter ſpooſos, qui validè contrahit ſponſalia, ſi habet ius illa diſſoluendi ob cognitam fornicationem alterius ſponſi cum tertio, ſi poſtea carnaliter ſponſam cognoſcit, non babet amplius ius ab illis reſiliendi, licèt tempore ſubſequuræ copulæ animum babuerit non remitteodi iniuriam.

Dvat

Dvbitatio XXXVII.

XXXVIII. *An diſſoluens, ex iuſta cauſa, ſponſalia, teneatur ſibi ſponſam reconciliare, ſi poſt diſſolutionem, illam carnaliter cognoſcat?*

Dicu ſeptuageſimo ſextò, ſi quis ex animo, & validè contraxit ſponſalia cum Berta, ſi poſtea habens ſufficientem cauſam reſilieudi ab eis, vtpote, quia ſponſa fornicata eſt cum alio tertio, diſſolutis ob hanc cauſam ſponſalibus, ſi carnalitet poſtea Bertam cognoſcat, non cenſetur ſibi ſponſam reconciliare. quia iam illis diſſolutis nullum vinculum ſupereſt: diuortio tamen matrimonij celebrato conualeſcit per copulam ſubſequutam matrimonium, & coniux innocens amittit ius petendi diuortium: nam diuortio facto adhuc manebat vinculum prioris matrimonij; diſſolutis verò ſponſalibus, nulla obligatio in illis permanendi remanet.

Dvbitatio XXXVIII.

XXXIX. *An poßint contrahi ſponſalia, ſub hac conditione: Ducam te, ſi te virginem inuenero?*

Dico ſeptuageſimoſeptimò, contrahens ſponſalia ſub iſta conditione: Contraham tecum, ſi te virginem inuenero, ſi intellecta fuit à ſic contrahente iſta conditio in ſenſu honeſto, nempè ſi te virginem per conſpectum fœminarum honeſtarum inuenero, contrahuntur ſponſalia conditionalia, quæ confirmantur per impletionem conditionis. quia cùm hæc conditio ſit honeſta, illa adimpleta confirmantur ſponſalia. Ita benè Lopez noſter *p. 1. Inſtr. c. 41.* vbi de matrim. § *De conditionibus, quæ honeſta, vel inhoneſta, verſic. Si verò nunc per verbum.*

Dico ſeptuageſimooctauò, ſi verò talis conditio: Contraham tecum ſi te virginem inuenero, eſſe intellecta in ſenſu inhoneſto, ſcilicet per concubitum, & copulam, tunc quoad Eccleſiam in foro externo non conditionalia ſponſalia intelligerentur eſſe contracta, ſed pura, quoniam talia conditio, vtpotè inhoneſta, habetur pro non appoſita, ſic Lopez noniſſimè relatus. Rodriquez *part. 1. ſumma cap.* 243. *num.* 8.

Dico ſeptuageſimononò, contrahentea ſponſalia ſub conditione turpi, vt, Contraham tecum, ſi per fornicariam copulam te virginem inueniam, non teneri ad huiuſmodi conditionem implendam. quia turpe eſt, & peccatum illam implere: illa tamen adimpleta, aſtringuntur ad ſeruandam fidem. quia præceſſit promiſſio de re, quæ poſſibilis eſt, & honeſta poſtquam patratum fuerit peccatum, licèt ſupponatur aliquid inhoneſtum.

Dico octogeſimò, in foro tamen conſcientiæ ſponſalia illa contracta cum conditione turpi, vt, Contraham tecum, ſi per fornicariam copulam te virginem inueniam; non ſunt valida ante conditionis euentum, ſi contrahentes habebant intentionem promittendi ſolummodo dependenter ab illa conditione: nã obligatio contractus nõ excedit intentionem contrahentium, cùm ſuam vim habeat à voluntate, & intentione contrahentium, & conſequenter ante illam conditionem adimpletam, non conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis in foro conſcientiæ. Benè tamen in foro externo, quia in foro Eccleſiæ, quando conditio, quæ apponitur in ſponſalibus, eſt turpis, ſed non eſt contraria ſubſtantiæ matrimonij, ſponſalia cenſentur valida; nam hæc conditio habetur pro non appoſita, & conſequenter in foro externo, ſponſalia cenſentur valida, ac ſi celebrata fuiſſent purè, & abſolutè, & ſic in foro Eccleſiæ inducerent impedimentum publicæ honeſtatis: videatur Lopez *ſupra* cit. Leſſ. *lib. 5. de Iuſt. cap. 18. dub. 15. num.* 121. Bonacina *tom. 1. tract. de matrim. quæſt. 2. punct. 10. num.* 27.

Dvbitatio XXXIX.

XL. *An hæc verba, Ducam te, ſi te virginem inuenero, habita coram Parocho & teſtibus, ſint ſufficientia ad contrahendum matrimonium, vel ſponſalia conditionata?*

Dico octogeſimoprimò, ſi vir de præſenti diceret fœminæ, Cõtraho nunc tecum coram Curato, & teſtibus, vel duco te in vxorem, ſi te virginem repetero, ſi intellexit, ſi illã reperiſſet virginem per inſpectionem honeſtarum fœminarum, tunc non erit matrimonium conditionale, ſed ſponſalia. quia conditio de futuro, qualis eſt iſta, ſi te virginem inuenero, adiecta verbis de præſenti, in ſenſu honeſto accepta non reiicitur à contractu, ſed facit conſenſum in virtute de futuro; ergo conſtituit ſponſalia conditionalia, quæ impleta conditione non tranſeunt in matrimonium, niſi denuo, & nouo conſenſu de præſenti coram Curato, & teſtibus contrahatur. Ita benè Lopez noſter *p. 1. Inſtr.* vbi de matrimonio, *c. 41. §. De conditionibus, quæ honeſta, vel inhoneſta poſſunt eſſe, in principio.*

Dico octogeſimoſecundò, ſi verò vir coram Parocho, & teſtibus contraheret cum Berta in hunc modum, Contraho tecum, vel duco te in vxorem, ſi te virginem repetero, ſi ſub iſta conditione intellexit de inuentione, & exploratione eius virginitatis per copulam futuram carnalem affectu fornicario habendam, tunc eſſet purum matrimonium, quoad Eccleſiam. quia tunc iſta conditio cùm ſit de futuro, tanquam turpis in fauorem matrimonij reiicitur, & habetur pro non appoſita. Videatur *cap. fin. de conditionib. appoſ.* Lopez *loco* nuperrimè *relato.*

Dico octogeſimotertiò, ſi quis ſic contraheret cum Caia coram Parocho, & teſtibus: Contraho tecum ſi te virginem inuenero, per copulam affectu maritali tecum habendam, quo ad Eccleſiam matrimonium validum faciet, quia poſt Conc. Trident. illa conditio, etiam turpis de facto, & moraliter impoſſibilia reputatur, ſcilicet quòd matrimonium ſola copula affectu maritali habita pòſt perficiatur: ergo iuxta dictum *cap. fin. de condit. appoſ.* habetur pro non adiecta. ergo quoad Eccleſiam cum illa conditione contractum, validum erit, cùm pro non appoſita habeatur illa conditio, tanquam turpis, aut impoſſibilis: videatur idem Lopez noſter *vbi ſuprà verſ. ſi igitur illa conditio turpis.*

Dico octogeſimoquartò, coram Deo, & in foro conſcientiæ contrahens in hunc modum: Duco te in vxorem, vel contraho tecum, ſi permiſeris coitum, vel ſi te virginem repetero, ſiue intellexit per copulam affectu maritali habendam, vel affectu fornicario, ſi habuit animum ſuſpendendi conſenſum matrimonij vſque ad impletam conditionem coitus, etiamſi illa verba protulerit coram teſtibus, & Parocho, neque tunc quando protulit illa verba ſub conditione de futuro, neque poſt coitum habitum, modò poſt Concil. Trid. validum conficit matrimonium. quia tunc defuit conſenſus de præſenti. nam conditio appoſita de futuro adiecta verbis de præſenti, exprimit conſenſum in virtute de futuro, vt dixi *ſuprà aſſertione* 81. Sed ad conficiendum verum matrimonium requiritur coram Parocho, & teſtibus verus, & legitimus conſenſus de præſenti.

præſenti.ergo,&c. Tum,quia ille conſeoſus expreſſus poſtea per copulam,cùm non fuerit expreſſus de præſenti coram Patocho,& teſtibus, legitimus, & ſufficiens non eſt ad matrimonium contrahendum.

Dico octogeſimoquintò,ſi quis dixerit coram Patocho,& teſtibus : Contraho tecum, appoſita aliqua conditione de futuro, vt ſi te virginem inuenero, ſi petmiſeris coitum, ſiue intellexerit modo honeſto per inſpectionem honeſtarum fœminarum,ſiue inhoneſto per copulam fornicariam,ſi habuit animum ſuſpendendi conſenſum vſque ad impletionem conditionis de futuro,in foro conſcientiæ,vt dixi *præcedenti aſſertione*, non contrahit matrimonium. Tenetur tamen ad ſponſalia conditionalia coram Deo, quæ per impletionem conditionis confirmantur,neque antea ſatis firma fuere,quoniã defectu conditionis poſſent fruſtrari. Probatur, quia conditio de futuro, qualis eſt iſta, ſi te virginem inuenero,ſi permiſeris coitum,adiecta verbis de præſenti, facit conſenſum in virtute de futuro; ergo conſtituit ſponſalia conditionalia; ergo illa conditione adimpleta confirmantur,& fiunt abſoluta,& vera ſponſalia,& in foro conſcientiæ obſtringunt.

Dvbitatio XL.

XLI. *An conditio turpis de præſenti, vel præterito reijciatur,ita vt vbi apponitur,non valeat matrimonium?*

Dico octogeſimoſextò,conditio turpis, quando eſt de præſenti,aut præterito, vt, Duco te in vxorem, ſi es inimica Titij,vel ſi occidiſti inimicum,non reiicitur per *cap.fin.de conditionibus appoſitis*; ſed illa verificata valet matrimonium: ſecus autem non. Probatur, quia non inducit ad aliquid turpe agendum, ſed factum eſſe ſupponit; ergo non reiicitur à contractu matrimonij, ſed pro non appoſita habetur. quia ad peccandum incitat;ſed conditio turpis quando eſt de præſenti,aut præterito,non incitat ad malum, ſed factum ſupponit. ergo non reiicitur à contractu matrimonij, ſed illa verificata eſt validum matrimonium; ſecus autem non:tum,quia conditio turpis quoad Eccleſiam in contractu matrimonij pro non appoſita habetur,quia ad peccandum incitat.ſed conditio turpis quando eſt de præſenti,aut præterito, non incitat ad malum,ſed factum ſupponit; ergo non reiicitur per *cap.fin.de condit.appoſ.* ſed illa verificata valet matrimonium,ſecus autem non; & ita hanc aſſertionem docet ſanctiſſimus D. Aquinas *in 4. diſt. 29. q. vnica, art. 3. quæſtiunc.* 4. Syl. *verb. matrim. 3. quæſt. 1. fine.* quamuis Magiſter Victoria *ſumma, materia de matrim. num.*260. cenſeat iuxta deciſionem *cap finalis de condit. appoſ.* conditionem turpem de præſenti,aut præterito, haberi pro non appoſita in foro externo:ſed quod diximus,videtur verius.

Dico octogeſimoſeptimò, conditio turpis, quæ non eſt contraria ſubſtantiæ matrimonij, an habeatur pro non adiecta, vel pro appoſita in foro conſcientiæ, ſtandum eſt intentioni contrahentis: in dubio de intentione ſtandum eſt præſumptioni fori externi, & definitioni Eccleſiæ, haberi ſcilicet pro non adiecta, iuxta *cap. fin.de condit. appoſ.* Communiter tamen adiiciuntur eo animo conditiones turpes, vt impleantur; ergo iis non impletis, nec ſponſalia, nec matrimonium communiter obligabunt: in foro tamen externo certum eſt conditionem turpem,ſicut & impoſſibilem adiectam matrimonio haberi pro non appoſita,matrimoniúmque ſimiliter & ſponſalia manere pura. quia videtur definitum *cap. final. de condit. appoſit.* Videatur pro hoc aſſerto Henriquez *lib. 11. de matrim.cap.12.num.6.*

Articvlvs IX.

De impedimento Ordinis.

Svmmarivm.

1. *Quid ſit Ordo,quotuplex ſit,& an omnes Ordines conſtituant vnum ſacramentum,& quid ſit Ordo ſacer,& non ſacer.*
2. *An Ordines minores impediant matrimonium.*
3. *An Ordines ſacri dirimant matrimonium.*
4. *An obliget votum caſtitatis, ſi ſuſcipiens Ordines ſacros ignoret,hos habere illud annexum.*
5. *An ſuſcipiens Ordines ſacros,cum intentione poſitiua, non vouendi caſtitatẽ, teneatur ſeruare caſtitatem.*
6. *Quónam iure Ordo ſacer dirimat matrimonium.*
7. *An Ordines ſacri,ſuſcepti per metum grauem, incuſſum à cauſa libera,dirimant matrimonium.*
8. *An ſuſcipiens per metum Ordines ſacros, teneatur ad continentiam,& ad Officium Canonicum,& ſi nolit continere, fruatur priuilegijs clericalibus.*
9. *An initiatus ſacris Ordinibus, per metum teneatur continere, ſi poſtea ratificet talem ordinationem, vel Ordines exerceat.*
10. *An infans, ſi ſuſciperet Ordines, eſſet verè ordinatus? & teneretur ſeruare caſtitatem? & quid dicendum, ſi Ordines ſacros ſuſciperet, cum vſu rationis; ſed ante pubertatem.*
11. *An infans in Sacris ordinatus,dum fuerit ſui compos, debeat determinare an velit in Ordinibus permanere, nécne? & quænam ſit ætas, in qua hæc ratificatio fieri debet.*

Dvbitatio I.

I. *Quid ſit Ordo? quotuplex ſit,& an omnes Ordines,conſtituant vnum ſacramentum,& quid ſit Ordo ſacer,& non ſacer?*

DIco primò,Ordo eſt poteſtas ad exercendum aliquem ſpecialem actũ in ordine ad Euchariſtiam. Vel eſt ſignaculum quoddam Eccleſiæ,quo ſpiritualis poteſtas ordinato traditur. Vel Ordo eſt ſacramentũ, quo ſpecialis poteſtas traditur ordinato ad conficiendum corpus,& ſanguinem Chriſti Domini. Poteſtas autem, quæ per Ordines confertur ad Euchariſtiam, duplex eſt,mediata ſcilicet,& immediata. Poteſtas immediata illa eſt, qua directè confici poteſt Euchariſtia,& hæc confertur in Ordine ſacerdotali. Poteſtas verò mediata eſt illa,per quam exercetur aliquod miniſterium, quod dirigitur, & ordinatur ad Euchariſtiam tanquam ad finem.

Dico ſecundò, Ordines ſunt ſeptem, Oſtiariatus, Lectoratus,Exorciſtatus,Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Omnes Ordines ſunt ſacramentum: ſunt autem omnes Ordines vnum ſacramentum perfectione, quia ad Euchariſtiam referuntur:& ſic propter reſpectum, quem ſinguli Ordines dicunt ad Sacerdotium, quod eſt præcipuum ſacramentum, dici poteſt omnes Ordines ſimul ſumptos eſſe vnum ſacramentum completum. Vel ſunt vnum potentiale,quia nimirum tota plenitudo huius ſacramenti eſt in vno Sacerdotio,quod poteſt omnia, quæ inferiores,& non è contrario. Videatur D.Thom. *3.part.in addit.quæſt.37.art.2.*

Dico tertiò, diuiditur Ordo in ſacrum, & non ſacrum,

ſacrum,ex parte materiæ,circa quam babet actum, & ſic ſunt tres Ordines ſacri,Sacerdotium ,Diaconatus, & Subdiaconatus. quia verſantur circa materiam conſecratam:vel maiores Ordioes,Sacerdotium,Diaconatus,& Subdiaconatus appellantur ſacri,non quia minores non ſint ſacri,ſed quia maiores Ordines habent adnexum votum caſtitatis , propter quod bomo dicatur, & ſacratur Deo peculiari quadam ratione, quàm ſacretur per Ordines minores ; vel appellantur ſacri,qoia propiùs accedant ad Euchariſtiam,quæ maximum , & auguſtiſſimum Sacramentum appellatur. Videatur D.Thom.nouiſſimè relatus *art.3.*

Dvbitatio II.

II. *An Ordines minores impediant matrimonium?*

Dico quartò , Ordines minores nullum prorſus impedimentum matrimonio præſtant. quia Ordo ſuapte natura non repugnat matrimonio , ſed tantùm voti ſolius annexi cauſa ; ſed Eccleſia ſolis Ordinibus maioribus , qui ſacri dicuntur. , id caſtitatis votum annexuit ; ergo , &c. Immò quando ex iuſta cauſa Clericus inſignitus prima tonſura, vel minoribus Ordiuibus retrocedit , & ducit vxorem etiam viduam, nulla eſt culpa ; quia ex rationabili cauſa vtitur iure ſuo , nec recedit à ſtatu perfecto , ſed à ſtatu , qui initium eſt , & via ad perfectum Ordinis ſtatum , ſicut Nouitiatus ad profeſſionem. Videatur Syl. *verb. Apoſtaſia, quaſt.3. num. 7.*

Dvbitatio III.

III. *An Ordines ſacri dirimant matrimonium?*

Dico quintò , Ordines maiores validè , & ſine graui metu ſuſcepti dirimunt matrimooiom : ita definit Ioannes XXII. *in ſua Extrauag.* cuius initium eſt , *Antiqua , de voto* , & nouiſſimè ſacrum Concil. Trident. *ſeſſ. 24. de matrim. canone 9.* Inualidè tamen , & nulliter ſuſcepti propter aliquem defectum eſſentialem, non dirimunt matrimonium , vt accidit , quando Ordo collatus eſt ab eo, qui ſe finxit Epiſcopum , cùm non eſſet , vel quando ſuſcipiens Ordines habuit iotentionem non ſoſcipiendi. Ratio huius eſt , quia deſtructo principali corruit acceſſorium ; ſed votum caſtitatis ſolemne , per quod dirimitur matrimonium , eſt acceſſorium Ordinibus ſacris , ex decreto Eccleſiæ ; ergo deſtructo Ordine inualidè ſuſcepro , deſtruitur etiam , & corruit votum , & conſequenter nullum eſt impedimentum dirimens : videatnr pro hac aſſertione D.Thom.3.*p. in addit. quaſt.53. art.3.*

Dvbitatio IV.

IV. *An obliget votum caſtitatis , ſi ſuſcipiens Ordines ſacros , ignoret , hos habere illud annexum?*

Dico ſeatò , validum eſt votum caſtitatis , & conſequenter inualidum eſſet matrimonium contractum ab eo , qui Ordines maiores ſuſcepit, neſciens illis aduexum eſſe votum caſtitatis : uam qui vult ſtatum aliquem , vult etiam ea , quæ ſunt illi ſtatui adneaa , quale eſt votum caſtitatis ex præcepto Eccleſiæ adneaum ſacris Ordinibus ; ergo. Ita benè Syl. *verb. matrimonium* 8. *quaſtione* 12. *dicto* 2.

Dvbitatio V.

V. *An ſuſcipiens Ordines ſacros, cum intentione poſitiua , non vouendi caſtitatem, teneatur ſeruare caſtitatem?*

Dico ſeptimò , ſuſcipiens Ordines ſacros , cum inteotione poſitiua , non vouendi caſtitatem , teneretur voto caſtitatis , non ratione voti præcisè, ſed ratione præcepti Eccleſiaſtici , & conſequenter illud matrimonium eſſet inualidum , non ratione voti , quia votum tunc non eſſet validum , votum enim eſt lex priuata , quam quiſque ſibi voluntariè imponit, ſed ratione præcepti Eccleſiaſtici teneretur ad ſeruandam caſtitatem. quia Eccleſia præcipit obſeruantiam caſtitatis ſuſcipienti Ordines ſacros , etiamſi noluerit eam vouere , illúmque inhabilem facit ad matrimonium. Ita præclarè Syl. nouiſſimè relatus,citans Paludanum *in 4.*

Dvbitatio VI.

VI. *Quónam iure Ordo ſacer dirimat matrimonium?*

Dico octauò, Ordines ſacri dirimunt quidem matrimonium poſtea contractum non iure oaturali , ſeu diuino,ſed tantùm Eccleſiaſtico.nam votum caſtitatis ſimplex non dirimit matrimonium,ſed tantùm impedit,vt patet ; ſed votum ſolemne caſtitatis adnexum ſacris Ordinibus,nihil aliud ſuperaddit voto ſimplici caſtitatis , quàm ſolemnitatem ab Eccleſia inductam; ergo ſi dirimit matrimonium poſtea contractum, hoc non habet iure naturali,ſeu diuino,ſed tantùm ex ſtatuto Eccleſiæ:tum,quia caſtitas non eſt adnexa Ordinibus ſacris ea iure diuino , ſed ea conſtitutione Eccleſiaſtica : vt docet optimè D. Th. 2.2. *q.88. art.11. in corpore , verſic. non enim eſſentialiter.* ergo ſolo iure Eccleſiaſtico caſtitas adnexa ſacris Ordinibus dirimit matrimonium poſtea contractum.

Dico nonò , ſacris Ordinibos nedum Latinos , ſed etiam Græcus , inſignitus, ſi poſt ſuſceptos Ordines contrahit,nulliter & inualidè cõtrahit matrimonium, eſt enim nullum ipſo iure tale matrimonium, *cap.1. de Clericis coniug.* eſt autem differeotia inter Græcos , & Latinos in ſacris Ordinibus conſtitutos , quòd illis Græcis,ſcilicet licuit poſt coniugium ad ſacros Ordines aſcendere,& vti matrimonio antè contracto,quod Latinis eſt interdictum. Videatur Syl. *verb. matrim.*8. *q.12.dict.2.verſ.quod adeò verum eſt.* Viualdus *in Candelabro aureo,de matrim.num.227.concl.2.*

Dvbitatio VII.

VII. *An Ordines ſacri ſuſcepti per metum grauem,incuſſum à cauſa libera , dirimant matrimonium?*

Dico decimò , ſacri Ordines ſuſcepti per metum grauem non dirimunt matrimonium , ſi metus fuit incuſſus à cauſa libera.Ratio huius aſſertionis eſt,quia aut obſtat conſtitutio Eccleſię,aut votum ſolemne;ſed neutrum obſtat.ergo nihil obſtat.Minor probatur,nõ enim obſtat conſtitutio Eccleſiæ,quia Eccleſia intendit eos obligare,qui voluntariè ſuſcipiunt ſacros Ordines,non verò eos,qui ſuſcipiunt per metum grauem iocuſſum à cauſa libera.Neque obſtat votum ſolemne, cùm ſit inualidum emiſſum formaliter,vel virtualiter per metom grauem. Videatur Sotus *in 4. diſt.25. q.1. a.2.§.Hinc autẽ emergit,verſ.At verò contraria ſententia.*

Sanchez

Sanchez *lib.7.de matrim.diſput.29. n.6.* Bonacina *tom.1. tract.de matrim.quæſt.3.puncto 9.num.11.*

Dvbitatio VIII.

VIII. *An ſuſcipiens per metum, Ordines ſacros, teneatur ad continentiam, & ad Officium Canonicum, & ſi nolit continere, fruatur priuilegijs clericalibus?*

Dico vndecimò, Ordinatus ſacris Ordinibus metu graui, characterem quidem ſuſcipit, quoniam ſacramenta imprimentia characterem indelebilem, quorum de numero eſt Ordo, imprimunt illud in eo, qui ſuſcipit illa etiam iuſto metu ad actus, iuxta *cap. maiores, de Baptiſmo.* non tamen hic tenetur continere. quia votum metu iuſto factum, eſt ipſo iure nullum, & ad nihil obligat, iuxta *cap. 1. de his, quæ vi, metúſve cauſa fiunt.* Vnde ordinatus ſacris Ordinibus metu graui à cauſa libera incuſſo ſi contrahat, verum contrahit matrimonium. Ita bene Nauarr. *tom. 1. conſil. lib.1.de ijs, quæ vi, conſil.2. per totum.* Henriquez *ſumma lib.10.cap.14.num.3.*

Dico duodecimò, initiatus metu graui ſacris Ordinibus, nolens vti illis, non tenetur ad officium Canonicum quia id onus eſt adiunctum Ordini ſponte aſſumpto. Viualdus *part.1.ſacram.* vbi de ſacramento Ordinis, *num.26.*

Dico decimotertiò, ſacris Ordinibus metu graui ordinatus, ſi continere nolit, non fruitur priuilegiis clericalibus tranſeundo ad nuptias. quia æquum non eſt, vt qui onus ſentire recuſat, ſentiat commodum: ſi verò ante Ordines ſacros metu graui ſuſceptos eſſet coniugatus, ſi eligat quantum ſibi per matrimonij leges permittitur continere, nimirum non petendo debitum, & obligat ſe ad caſtitatem, ac Clericorum more viuat, gaudebit priuilegiis clericalibus: quod intellige, ſi vxor eius fuerit virgo, & deferat habitum, & tonſuram & ex mandato Epiſcopi alicui Eccleſiæ inſeruiat: ſecus ſi ſit bigamus. Videatur pro hac aſſertione Syl. *verb. Ordo 4. quæſt. 1.* Azor. *part.1.Inſtit.mor.lib. 13. cap.14. dub.8 fine.§.Si quæras.* Sanchez *lib.7. de matrim.diſp 29. num. 3.*

Dvbitatio IX.

IX. *An initiatus ſacris Ordinibus per metum, teneatur continere, ſi poſtea ratificet talem ordinationem, vel Ordines exerceat?*

Dico decimoquartò, initiatus ſacris Ordinibus graui metu incuſſo à cauſa libera, ſi poſtea ceſſante metu ratificet ordinationem verbo, aut facto, ſemel ſaltem vtens Ordine ſuſcepto, idque ſine coactione aliqua, impoſterum non eſt ſibi integrum reſilire, & tranſire ad nuptias, ſed tenetur continere. quia per illam liberam ratificationem videtur eligere in Ordine permanere. ergo poſtea ad eius onera obligabitur. ergo non poterit ampliùs reſilire.

Dico decimoquintò, vt Ordo ſacer ſuſceptus per vim, & metum grauem, poſtea ceſſante metu, obliget ad continentiam, non ſufficit, quòd inſignitus tali Ordine vſus fuerit eo, vel exercuerit illum, putans per errorem ſe ad id eſſe obligatum, ſed requiritur, quòd nouerit Ordinem ſacrum per metum grauem ſuſceptum non obligare ad continentiam, & tamen actum illius velit ſponte exercere, animo ratificandi ſuam ordinationem. Probatur à ſimili, quia, qui emiſit profeſſionem nullam, & perſeuerauit in illa etiam vltra annum, putans illam valere, & per eam obligari ad perſeuerandum, non cenſetur illam ratificare per geſtationem habitus Profeſſorum, nec per præſtationem ſuffragij in Capitulo, neque per ſuſceptionem Ordinis ſacri, niſi poſt ſcientiam nullitatis ſuæ profeſſionis inualidę in Religione perſeuerauerit, animo ſuam profeſſionem ratificandi, vt pulchrè determinat Caiet.2.2.q.189.*art.*5. ergo ſimiliter qui metu graui ſacrum Ordinem ſuſcipit, putans ordinationem illam ita validam, vt eius vinculis teneatur, & perinde, ac ſi ſponte fuiſſet ordinatus exercet illam, non cenſetur ſuam ordinationem ratificare, niſi ſciés, & prudens ordinationem illam non obligare ad continentiam, & ad alia munia, velit nihilominus eam ſua ſponte exercere, animo illam ratificandi: tum, quia nunquam fit ratificatio actus nulli, ſi ignoratur actum fuiſſe nullum; nihil enim volitum, quin præcognitum. ergo ſi per errorem ordinatus ſacris Ordinibus metu graui exiſtimet, ſe ad ſacrorum Ordinum obſeruantiam eſſe obſtrictum, non videtur actum illorum exercens ſuam ordinationem ratificare. ergo requiritur, quòd ſic ordinatus ſcierit per Ordinem ſacrum metu ſuſceptum non teneri ad obſeruantiam illius, & tamen velit ſponte ſua verbo, vel facto actum Ordinis exercendo, ſuam ratificare ordinationem: videatur pro hac aſſertione Caietan. *loco* nouiſſimè *adducto,* Nauarr. *tom.1.conſil.lib.1.de ijs, quæ vi, conſil.4 n.8.& 9* Rodriquez *ſumm tom.1.c.223.n.5.* Syl. *verb matrim.4.q.10.verſu. Pro quo facit,* Sanchez *lib.7 de matrim.diſp.29.n.9.*

Dvbitatio X.

X. *An infans, ſi ſuſceperit Ordines, eſſet verè ordinatus? & teneretur ſeruare caſtitatem? & quid dicendum, ſi Ordines ſacros ſuſciperet cum vſu rationis, ſed ante pubertatem?*

Dico decimoſextò, infans carens vſu rationis, ſi ſuſciperet Ordines, verè eſſet ordinatus. quia vſus rationis ſolummodo videtur requiri in ſuſcipientibus ſacramenta, quæ conſiſtunt in aliquo actu ipſius ſuſcipientis, ſicut eſt matrimonium, quod conſiſtit in mutuo contrahentium conſenſu & pœnitentia, ad quam neceſſarius eſt dolor, & confeſſio, qui ſunt actus pœnitentis. ergo non videtur neceſſarius vſus rationis in ſuſcipiente ſacramentum Ordinis, per quod datur aliqua poteſtas, quæ eſt prior actu, ſed ſufficit capacitas ſubiecti; ſed omnis maſculus baptizatus eſt ſubiectum capax Ordinis. ergo ſi infans ſuſciperet Ordines, verè eſſet ordinatus, cùm ſit ſubiectum capax. Ita cum D.Thom.3.*part.in addit. quæſt.39.art.2.* communiter DD.

Dico decimoſeptimò, puer verò ſacris Ordinibus initiatus, quamuis verum illorum characterem recipiat, non tamen teneretur ſeruare caſtitatem: ita vt matrimonium ab ipſo poſtea celebratum ſit inualidum. non enim teneretur ſeruare caſtitatem, neque ratione præcepti Eccleſiæ, neque ratione voti. non ratione præcepti Eccleſiæ, quia non eſt credibile Eccleſiam velle ipſum ſuo præcepto obligare ad ſeruandam caſtitatem, niſi Ordines ſuſceptos ratificauerit: neque ratione voti. nam votum eſt voluntaria promiſſio facta Deo; ſed infans ante rationis vſum non poteſt Deo promiſſionem voluntariè facere. ergo non tenetur ad ſeruandam caſtitatem. Ita benè Syl. *verb.matr.8. quæſt.12.dicto 2.*

Dico decimooctauò, poterit igitur puer ſacris Ordinibus initiatus, poſtea poſtquam nactus fuerit legitimam ætatem, validè contrahere matrimonium,

ſi

ſi Ordinibus ſuſceptis vti noluerit, nec illos verbo, vel facto ratificauerit. quia ſola caſtitas Ordini adnexa poterat impedire matrimonium: at nulla ratione infans ante vſum rationis ſacris Ordinibus initiatus ad illam tenetur, niſi Ordines ſuſceptos ratificauerit. ergo. Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 30. n. 4.*

Dico decimononò, Ordinatus Ordine ſacro poſt vſum rationis, ante tamen pubertatem, vel ante 16. annum, tenetur ſeruare caſtitatem, & non poteſt matrimonium contrahere. quia, qui vult principale, vult etiam acceſſorium; ſed principale eſt Ordo, ad quem libera voluntate, vt ſupponitur, eſt promotus, ordinatus poſt vſum rationis. ergo cùm liberè velit Ordines ſacros ſuſcipere, quod eſt principale, liberè etiam vult acceſſorium ad Ordines ſacros, videlicet votum caſtitatis, & onus recitandi diuinum Officium: & conſequenter matrimonium contrahere validè non poterit, cùm voto ſolemni caſtitatis ſacris Ordinibus liberè ſuſceptis adnexo ſit obſtrictus. Ita bene Magiſter Sotus *lib. 7. de Iuſt. q. 1. art. 5. fine, verſ. At verò diſtinguendum eſt.*

Dico vigeſimò, non obſtat contra præcedentes aſſertiones. nam metu graui baptizatus, & ſimiliter ſacro Baptiſmo infans donatus, compellitur hic poſt vſum rationis, & ſimiliter adultus metu graui baptizatus, ſeruare fidem, & reliquas Eccleſiæ leges, eo quòd characterem recipiant. *cap. de Iudæis, diſt. 45.* At vt fides, & lex Chriſtiana comitantur characterem Baptiſmi, ita caſtitas Ordinis characterem; ergo metu graui adactus ſuſcipiens Ordines ſacros, & ſimiliter puer ante vſum rationis ſacris Ordinibus initiatus, tenebuntur ſeruare caſtitatem, quæ eſt adnexa maioribus Ordinibus. ergo pro ſuo libito non poterunt trãſire ad nuptias. Reſpondetur negando minorem, & ratio negationis eſt, quia profeſſio Religionis Chriſtianę, eſt iure diuino adnexa Baptiſmo, quæ ab Eccleſia irritari nequit, & qualicunque in adulto voluntate contenta eſt, & in infante, ſola Eccleſiæ voluntate, & ideo ea mera natura Baptiſmi naſcitur obligatio ad ſeruandam Religionem, & fidem: at continentia ſolo Eccleſiaſtico iure annectitur maioribus Ordinibus, Eccleſia autem non vult continentiam eſſe adnexam ſacris Ordinibus, niſi quo ad eos, qui voluntariè, & ſponte ſua illos ſuſcipiunt: videatur Sotus *in 4. diſt. 25. q. 1. art. 2. §. Hinc emergit, verſ. Neque eſt idem.*

Dvbitatio XI.

XI. *An infans, Sacris ordinatus, dum fuerit ſui compos, debeat determinare, an velit in Ordinibus permanere, néne? & quænam ſit ætas, in qua debet fieri ratificatio iſta?*

Dico vigeſimuprimò, infanti ſacris Ordinibus initiato, dum fuerit ſui compus, & legitimam ætatem nactus fuerit, danda eſt optio, velit ne in ordine permanere, an reſilire? quòd ſi velit permanere, iam voto caſtitatis manebit ligatus: ſi autem reſilire eligat, manebit ſuſpenſus vſu Ordinis, & poterit, ſi velit, ad nuptias tranſire. quia Eccleſia non intendit ligare voto caſtitatis, niſi ſponte, & voluntariè Ordines ſacros ſuſcipientes.

Dico vigeſimoſecundò, Ætas legitima, in qua puer poteſt ratificare Ordinem ſacrum ſuſceptum, eſt quando deuenit ad vſum rationis, & tunc verbo, vel facto poteſt ratificare. Ita Sotus nouiſſimè relatus, *§. Quod ſi roges, verſic. Addiderim, & lib. 7. de Iuſtitia, quæſt. 2. art. 5. fine.* Alij verò hanc legitimam ætatem exiſtimant eſſe poſt pubertatem, quoniam ſolemne votum expreſſum in Religione approbata ante pubertatem emiſſum, niſi poſt pubertatem ratificetur, non obligat: vt habetur *cap. ad noſtram, de Regul. cap. 15.* non valebit niſi vſque ad decimumſextum annum completum fuerit ratificatum. Ita Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 30. num. 8. & 10.* Sed verius, & probabilius eſt aſſerere ætatem legitimam, in qua poteſt puer Ordinem ſacrum ſuſceptum ratificare, eſſe quando deuenit ad vſum rationis. Neque obſtat ratio Sanchez: nam aliter ſancitum eſt de profeſſione, quàm de ſuſceptione ſacrorum Ordinum: vnde non valet argumentum ab vno diſparato ad aliud: tum, quia ſi quis ſacris Ordinibus initiaretur poſt vſum rationis, ante tamen pubertatem, & 16. annum, teneretur ſeruare caſtitatem, & ad nuptias tranſire non poteſt; ergo ſimiliter ordinatus infans ſacris Ordinibus poterit poſt vſum rationis acquiſitum ſuam ordinationem ratificare. Ita benè Sotus *loc. cit.* quem ſequitur Bonacina *tom. 1. tract. de matr. 3. punct. 9. n. 16. verſ. Sed mihi probabilius.*

Articvlvs X.

De impedimento ligaminis.

Svmmarivm.

1. *Quid ſit ligamen, explicatur.*
2. *Quid ſit polygamia? & , An ſit prohibita iure Eccleſiaſtico, naturali, & diuino.*
3. *An infidelis habens plures vxores, ſi conuertatur ad fidem, & illæ conuertantur, teneatur accipere vnam ex illis, & quam.*
4. *An pluralitas virorum, reſpectu vxoris, vel vxorum, reſpectu viri, ſit contra primarium matrimonij finem.*
5. *An Pontifex poſſit diſpenſare ſuper pluralitate virorum, vel vxorum.*
6. *An Patres legis antiquæ licitè plures vxores potuiſſent retinere.*
7. *Quidnam requiratur, ad euitandam polygamiam.*
8. *An ſola fama mortis coniugis ſufficiat, vt alter licitè contrahere poſſit, vel probatio vnius teſtis ad hoc ſatis ſit.*

Dvbitatio I.

I. *Quid ſit ligamen?*

DIco primò, ligamen eſt vinculum prioris matrimonij, quo durante, poſterius matrimonium eſt inualidum iure Eccleſiaſtico. patet ex *cap. 13. & vltimo, de ſponſa duorum*, & grauis pœna imprimitur ei, qui contrahit cum pluribus ſimul viuentibus, & præſumitur malè ſentire de fide circa ſacramenta, vt tradit Henriq. *lib. 12. cap. 6. n. 4.* ob id in Conc. Trid. *ſeſſ. 24. de matrim. canone* 2. excommunicantur, qui dixerint licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores.

Dvbitatio II.

II. *Quid ſit polygamia? & , An ſit prohibita iure Eccleſiaſtico, naturali, & diuino?*

Dico ſecundò, polygamia, vt vnus vir habeat ſimul plures vxores, non ſolùm iure Eccleſiaſtico eſt prohibita, ſed etiam iure naturæ. quia contrahere matrimonium cum pluribus, ita repugnat quieti, & paci domus, ac familiæ, vt ratio naturalis dictet poſterius matrimonium debere eſſe inualidum, vt vitentur hæc incommoda.

Dico tertiò, non ſolùm iure Eccleſiaſtico, & naturali,

naturali, ſed etiam diuino eſt polygamia prohibita. nam *Matth.* 19. dicitur, *Quicunque dimiſerit vxorem, & aliam duxerit, mœchatur.* ergo ſi dimittens vxorem iure diuino mœchatur, aliam ducendo, multo magis mœchatur ducendo alium retenta prima. ergo matrimonium cum ſecunda, viuente prima, iure diuino eſt inualidum, alioquin non mœcharetur: videatur Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de matrim. canone* 2.

Dvbitatio III.

III. *An infidelis, habens plures vxores, ſi conuertatur ad fidem, & illæ conuertantur, teneatur accipere vnam ex illis, & quam?*

Dico quartò, infidelis quando conuertitur ad fidem, ſi in infidelitate plures duxiſſet vxores, debet permanere cum prima, ſi ipſa voluerit cum eo permanere, abſque Saluatoris iniuria; conſequenter non poteſt ducere aliam præter primam. Imò ſi prima nollet cum eo permanere, permanentibus aliis in infidelitate, non poſſet contrahere cum vna ex illis. Nam adeſt impedimentum diſparitatis cultûs dirimens matrimonium; imò ſi omnes vxores, quas vir habebat tempore infidelitatis, conuertantur ad fidem, præter primam nolentem cum ipſo permanere, aut volentem quidem permanere, ſed cum pertractione ad peccatum, & cum iniuria Creatoris, vir non tenetur vllam ex conuerſis ducere, in rigore loquendo: quia nulla ex ipſis eſt eius coniux, excepta prima. Ita præclarè S. D. 3 *part. in addit. quæſt.* 59. *art.* 3. *ad* 4.

Dvbitatio IV.

IV. *An pluralitas virorum reſpectu vxoris, vel vxorum reſpectu viri, ſit contra primarium matrimonij finem?*

Dicò quintò, pluralitas virorum reſpectu vnius vxoris prorſus iure naturæ eſt interdicta; vnde ſecundæ nuptiæ iure naturæ irritantur, ſi mulier duos, vel plures accipiat viros. quia hæc pluralitas virorum primario matrimonij fini aduerſatur, qui eſt prolis procreatio, impeditur enim proles per commiſtionem ſeminum; vel ſi proles naſcetur, non benè educabitur propter illius incertitudinem. Ita benè D. Th. *in* 4. *diſt.* 34. *quæſt.* 1. *art.* 1. *ad* 7. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 80. *num.* 4.

Dico ſextò, pluralitas verò vxorum reſpectu vnius viri non aduerſatur primario matrimonij fini. quia vnus vir fœcundandis multis mulieribus eſt ſufficiens; aduerſatur tamen ſecundario matrimonij fini; quia tranquillæ, ac pacificæ cohabitationi coniugum eſt contraria: ſic benè Sotus *in* 4. *diſt.* 33. *quæſt.* 1. *art.* 2. *concluſ.* 4.

Dvbitatio V.

V. *An Pontifex poßit diſpenſare ſuper pluralitate virorum, vel vxorum?*

Dico ſeptimò. Summus Pontifex nullatenus poteſt diſpenſare in pluralitate vxorum. quia pluritas vxorum tum lege naturali, tum etiam lege Chriſti Domini *Matth.* 19. prohibentis hoc ob veram ſacramenti matrimonij ſignificationem, interdicta eſt. D. Thom. *in* 4 *diſt.* 33. *quæſt.* 1. *art.* 2. *corpore.* Sotus nouiſſimè relatus.

Dico octauò. A fortiori multo minus poterit Summus Pontifex diſpenſare in pluralitate virorum reſpectu vnius coniugis. quia id repugnat primario matrimonij fini. Tum, quia in hac re nunquam fuit diſpenſatum, ſicut diſpenſatum fuit à Deo, vt vnus vir plures vxores haberet.

Dvbitatio VI.

VI. *An Patres legis antiquæ licitè plures vxores potuiſſent retinere?*

Dico nonò, patres legis antiquæ pluribus vxoribus coniuncti culpæ immunes fuerunt. quia Deus cum illis diſpenſauit, quod aſſerit Innoc. III. *cap. gaudemus, de diuortijs*; hæc autem diſpenſatio non eſt conceſſa externa aliqua ſcriptura, aut loquutione, ſed inſpiratione facta Patriarchis, & Patribus antiquæ legis: ſic D. Thom. *in* 4 *diſt.* 33. *quæſt* 1. *art.* 2. *corpore.* Sotus *in* 4. *diſt* 33. *q.* 1. *art.* 2 *poſt* 2. *concluſionem*, § *Hanc eandem concluſionem, verſic ſed dubitabitur quibus*, &c.

Dvbitatio VII.

VII. *Quidnam requiratur ad euitandam polygamiam?*

Dico decimo, vt euitetur polygamia, ne ſimul vir plures vxores habere contingat, vel mulier plures viros, requiritur certitudo moralis de morte coniugis, vt ſuperſtes poſſit cum alio matrimonium inire, ſeu tantam certitudinem, quanta iudicio prudentis ſufficit ad credendum priorem coniugem certò mortuam eſſe. quia niſi adſit tanta certitudo, contrahentes exponunt ſe periculo adulterij, cùm fieri poſſit, vt prior coniux ſit ſuperſtes: huic autem periculo non ſe exponunt, qui abſtinent à matrimonio contrahendo, quando non adeſt prædicta certitudo: videatur Sotus *in* 4. *diſt.* 37. *q. vnic. art.* 5. §. *de hac verò certitudine.* Lopez *p.* 1. *Inſtruct. cap.* 83. § *quia vtrum.*

Dico vndecimò, vxor non poteſt matrimonium cum alio contrahere, quando ipſius vir per multos annos abfuit, nec certum nuntium de illius morte habetur nam certitudo moralis de morte alterius coniugis, quæ requiritur ad iterum contrahendum, non habetur per abſentiam multorum annorum alterius coniugis: videatur *cap. in præſentia noſtra, de ſponſalibus, & matrimonijs*, in quo ſic dicitur, quòd mulieres, quæ viros ſuos cauſa captiuitatis, vel peregrinationis abſentes vltra ſeptennium præſtolatæ ſunt, non poſſunt ad aliorum conſortium canonicè conuolare, nec auctoritate Eccleſiæ permittas contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum. Videatur, & Syl. *verb. matrim.* 8. *q.* 13. *dicto* 2.

Dvbitatio VIII.

VIII. *An ſola fama mortis coniugis ſufficiat, vt alter licitè contrahere poßit, vel probatio vnius teſtis ad hoc ſatis ſit?*

Dico duodecimò, ſola fama mortis coniugis non ſufficit, vt alter licitè contrahere poſſit nam fama oriri ſolet ex auctore incerto, & plerumque fallaci: fama verò mortis alterius coniugis ſufficit, ſi aliis adminiculis adiuuetur iudicio prudentis diiudicandis. quia fama cum certis quibuſdam adminiculis probabilem quandam moralem probationem facit; vt in ſequenti aſſertione explicabitur. Syl. nuperrimè relatus *dict.* 4. Sanchez *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 46. *n* 15.

Dico decimotertiò, vxor poteſt cum alio matrimonium contrahere, quando ipſius vir ingreſſus eſt prælium, & fama eſt ipſum periiſſe, aut per litteras eorum, qui prælio interfuerunt, acceptum eſt, ipſum

Datuum

mortuum eſſe. quia tunc ſama cum iſtis adminiculis cenſetur certitudo moralis de morte alterius coniugis: videatur Lopez noſter *part.1. Inſtruct. cap.* 83. §. *Quia vtrum coniux*, Henriquez *lib.* 12. *de matrim. cap.* 6. *num.* 4. Bonacina *tom.* 1. *tract. de matrim. quæſt.* 3. *punct.* 10. *num.* 14. addens *num.* 16. cauere debere Parochos, ne aliquos io tali caſu cooiungaur matrimonio, non obtenta ſacultate ab Ordinario, apud quem fieri ſolent probationes de morte alterius coniugis.

Dico decimoquartò, non ſufficit vnus teſtis affirmans coniugis mortem, vt liceat alteri ad ſecundas ouptias tranſire. quia vox vnius eſt vox nullius. *cap. veniens, de teſtibus, & atteſtationibus*. Tum, quia vnus teſtis non ſufficit in cauſis pecuniariis; ergo neque ſufficiet in cauſa ſecundi matrimonij, in quo agitur de periculo animæ: videatur Rodriquez *ſumm. cap.* 232. *num.* 2.

Dico decimoquintò, tamen teſtimonium vnius affirmantis coniugis mortem ſufficit, vt liceat alteri ad ſecundas nuptias tranſire, ſi adſint aliæ coniecturæ: vel ſi coniux mortuus ſit in loco ita diſtante, vt non poſſint facilè haberi aliæ probationes. tunc enim ſatis erit vnus teſtis, conſiderata qualitate perſonæ, quod iudicis arbitrio committitur; quia quando probatio integra, & plena haberi nequit, ſatis eſt per coniecturas. *l. non omnes. §. à barbaris, ff. de re militari.* Videatur *cap. in præſentia, de ſponſalibus, & matrimonijs*. Lopez & Rodriquez *locis* nuper *citatis*.

Articvlvs XI.
De impedimento publicæ honeſtatis.

SVMMARIVM.

1. *Quidnam ſit in matrimonio, impedimentum publicæ honeſtatis? & in quónam gradu dirimat matrimonium.*
2. *An impedimentum publicæ honeſtatis, contractum ex ſponſalibus validis, ceſſet, ſi ſponſalia diſſoluantur mutuo contrahentium conſenſu.*
3. *An ex ſponſalibus conditionalibus de futuro, oriatur impedimentum publicæ honeſtatis.*
4. *An impedimentum publicæ honeſtatis oriatur ex matrimonio rato, etiam inualido.*

Dvbitatio I.

I. *Quidnam ſit in matrimonio impedimentum publicæ honeſtatis? & in quónam gradu dirimat matrimonium?*

Dico primò, impedimentum publicæ honeſtatis eſt propinquitas ex ſponſalibus proueniens, robur trahens ab Eccleſiæ inſtitutione propter honeſtatem eius. Dicitur *propinquitas*, vt denotetur conuenientia, quam habet cum affinitate: dicitur *ex ſponſalibus proueniens*; quia in hoc diſtinguitur ab affinitate, quæ oritur ex copula carnali: dicitur *robur trahens ab Eccleſiæ inſtitutione*, vt denotetur hoc impedimentum ſolo iure Eccleſiaſtico introductum eſſe: dicitur *propter eius honeſtatem*, quia nimirum æquum, & conſonum honeſtati Eccleſiæ eſt, vt propter inchoationem matrimonij, quæ in ſponſalibus reperitur, vt conſanguineis, alterutriuſque interdicatur matrimonium cum altero: videatur D. Thom. *in 4. diſt. 41. quæſt. vnica, art.* 1. *q.* 4.

Dico ſecundò, impedimentum publicæ honeſtatis, non eſt impedimentum dirimens matrimonium cum affinibus, ſed cum conſanguineis alterius ſponſi. Vnde qui poſt ſponſalia contracta cum Caia, contrahit poſtea matrimonium cum affine Caiæ, vt cum ea, quæ fuit vxor fratris Caiæ, validè contraheret: ſecus ſi contraheret cum altera Caiæ ſorore, vel cum matre, vel cum filia eius. quia ſunt conſanguinei Caiæ in primo gradu, & Eccleſia hoc impedimentum ſtatuens cum ſolis conſanguineis interdicit nuptias. Videatur *cap. vnicum, de ſponſalibus, & matrimonijs in 6.* Tum, quia coniuges non arcentur à matrimonio cum affinibus alterius coniugis; ergo impedimentum publicæ honeſtatis non dirimit matrimonium cum affinibus contractum, ſed cum conſanguineis alterius coniugis.

Dico tertiò, impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus conſurgens extendebatur vſque ad quartum gradum, vnde contrahens ſponſalia de futuro non poterat cum conſanguineis alterius ſponſi vſque ad quartum gradum matrimonium validum inire: non tantùm ex validis; ſed etiam quacunque de cauſa (præterquam ex defectu conſenſus) inualidis ſponſalibus impedimentum hoc publicæ honeſtatis olim oriebatur. Videatur Henriquez *lib.* 12. *de matrim. cap.* 10. *num.* 2. Nunc verò iure nouo nulla ſponſalia inualida, neque etiam valida vltra primum gradum conſanguinitatis producunt hoc impedimentum. Itaque hoc impedimentum publicæ honeſtatis vetat, & dirimit matrimonium cum conſanguineis alterius ſponſi in primo gradu, & non vltrà, ſi ſponſalia contracta fuerunt valida. Ita in Concilio Trident. *ſeſſ.* 24. *de matrim. cap.* 3.

Dvbitatio II.

II. *An impedimentum publicæ honeſtatis, contractum ex ſponſalibus validis, ceſſet ſi ſponſalia diſſoluantur mutuo contrahentium conſenſu?*

Dico quartò, impedimentum publicæ honeſtatis contractum ex ſponſalibus validis, & certis, non ceſſat, quando ſponſalia diſſoluuntur mutuo conſenſu contrahentium. quia impedimenta matrimonij non dependent à voluntate contrahentium, ſed ab Eccleſia, quæ conſtituit, vt impedimentum publicæ honeſtatis conſurgat ex ſponſalibus validis; ſponſalia autem non ob id non fuerunt valida, eo quòd poſtea diſſoluuntur: tum, quia ſequeretur hoc impedimentum poſſe etiam ceſſare per mortem alterius ſponſi, non enim ſponſalia videntur magis diſſolui per mutuum conſenſum, quàm per mortem, per quam perpetuò dirimuntur; ſed falſum eſt impedimentum publicæ honeſtatis non eſſe perpetuum, quod eſt contra *c. ſi quis deſpõſauerit* 27. *q.* 2. Videatur pro hac aſſertione Sotus *in 4. diſt. 41. q. vnica, art. 2. verſic. ſecunda concluſio, fine.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 68. n.* 20. & 21. contra Sà *ſumma verb. matrim.* vbi de impedimentis matrim. *num.* 12. aſſerentem hoc impedimentum contrahi ex ſponſalibus de futuro, niſi ſoluta fuerint communi vtriuſque ſponſi conſenſu.

Dvbitatio III.

III. *An ex ſponſalibus conditionalibus de futuro, oriatur impedimentum publicæ honeſtatis?*

Dico quintò, ex ſponſalibus conditionalibus de futuro non oritur impedimentum publicæ honeſtatis ante conditionis euentum: valebit igitur matrimonium

monium initum cum ſorore eius ſponſæ, conditione nondum extante. quia cùm conditio ſuſpendat conſenſum vſque ad eius aduentum, antequam impleatur, ſponſalia non ſunt valida ex defectu conſenſus; ergo ex ſponſalibus conditionalibus non oritur, &c. Ita benè Petrus de Ledeſma *de matrimonio, quæſt. 55. art. 4. verſic. nihilominus concluſio ſit.* Rodriquez *ſumma, part. 1. cap. 233. num. 3. fine.*

Dico ſextò, ſi contractis ſponſalibus ſub conditione cum Caia, ineantur poſtea ſponſalia abſoluta cum eius ſorore Titia, conditione nondum extante ex poſterioribus ſponſalibus initis non inducitur impedimentum publicæ honeſtatis. quia iſta poſteriora ſponſalia ſunt irrita, vtpote quæ ſunt contra priorem promiſſionem, tenetur enim qui ſub conditione fidem dedit, expectare eius euentum; ergo pendente conditione non poteſt licitè aliud matrimonium inire. ergo promiſſio de eo ineundo non fuit valida, tanquam promiſſio de peccato admittendo: videatur Bonacina *tom. 1. tract. de matrim. quæſt. 3. punct. 11. num. 5.*

Dico ſeptimò, duæ præcedentes aſſertiones intelliguntur quando eſt conditio de futuro, ſi enim ſit conditio de præſenti, aut præterito, oritur ſtatim impedimentum publicæ honeſtatis, ſi conditiones ex verè extant. quia conditio de præſenti, aut præterito, ſi eſt vera, & iam extat, non ſuſpendit conſenſum; ergo ſponſalia contracta ſub conditione de præſenti, aut præterito, ſi conditio iam extat, ſunt vera, & abſoluta ſponſalia; ergo producunt impedimentum publicæ honeſtatis: ſola igitur ſponſalia contracta ſub conditione de futuro non inducunt impedimentum publicæ honeſtatis ante conditionis euentum. Videatur Sotus *in 4. diſt. 41. quæſt. vnica, art. 2. §. conſultò tamen.* Syl. *verb. matrim. 8 quæſt. 14. dicto 7. verſic. ſecus ſi prima ſponſalia.*

DVBITATIO IV.

IV. *An impedimentum publicæ honeſtatis oriatur ex matrimonio rato, etiam inualido?*

Dico octauò, impedimentum publicæ honeſtatis non ſolùm conſurgit ex ſponſalibus, ſed etiam ex matrimonio rato, & nondum conſummato. Nam ſi hoc impedimentum publicæ honeſtatis conſurgit ex ſponſalibus, quæ ſunt via ad matrimonium, multo magis conſurget ex matrimonio rato. Ita optimè deducit Sotus nouiſſimè relatus *§. ſequitur tandem, de matrimonio rato.*

Dico nonò, hoc impedimentum publicæ honeſtatis non conſurgit ex matrimonio rato ratione veræ affinitatis. nam nulla eſt propriè affinitas ante matrimonium conſummatum, oritur enim affinitas ex copula carnali; ſed præcisè ratione matrimonij rati: quamuis poſſit dici ex matrimonio rato oriri affinitatem impropriè, & largè, & inchoatiuè, ſeu quoddam affinitatis initium. quia poteſtas corporum tradita per matrimonium eſt initium actus coniugalis; ergo incohatiuè quædam affinitas oritur ex matrimonio rato, non tamen verè, propriè, & in rigore; quia hæc oritur ex eo quòd vir, & vxor efficiuntur vna caro per copulam perfectam, & conſummatam: videatur Sotus nouiſſimè relatus *art. illo ſecundo, ad finem.*

Dico decimò, impedimentum publicæ honeſtatis conſurgens ex matrimonio rato, nondum tamen conſummato, extenditur vſque ad quartum gradum: vnde vir mortua vxore ante conſummatum matrimonium non poteſt ducere conſanguineam vxoris vſque ad quartum gradum. quia ita decidit ſanctiſſ. Pius V. in Motu proprio, cuius initium eſt, *Ad Romanum ſpectat,* edito anno 1568. vbi declarat impedimentum publicæ honeſtatis conſurgens ex matrimonio rato durante in omnibus gradibus, in quibus antea dirimebat matrimonium. At ante Concilium Tridentinum impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex matrimonio rato, & ex ſponſalibus etiam irritis, extendebatur vſque ad quartum gradum; ergo. Ita benè aduertit Rodriquez *ſumma, p. 1. cap. 233. num. 5. fine.* Motus proprij ſanctiſſimi Pij V. meminit Rodriquez *loc. cit.* Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 10. num. 2.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 70. num. 5.*

Dico vndecimò, ex matrimonio rato, etiam inualido, conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis, modò non ſit inualidum defectu conſenſus. quia non eſt recedendum à iure antiquo, niſi quatenus aliter decernitur iure nouo; ſed iure antiquo impedimentum publicæ honeſtatis conſurgebat ex matrimonio inualido, modò non eſſet inualidum, defectu conſenſus, & iure nouo non eſt aliter decretum, vt patet ex Motu proprio ſanctiſſimi Pij V. citato *aſſertione præcedenti.* ergo. Videatur Valentia *tom. 4. diſp. 4. q. 5. punct. 5* vbi de impedimento publicæ honeſtatis.

Dico duodecimò, non officit contra præcedens aſſertum: nam impedimentum publicæ honeſtatis non conſurgit ex ſponſalibus inualidis, vt decretum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de matrimonio, cap. 3.* ergo neque conſurgit ex matrimonio rato inualido. Reſpondetur concedendo antecedens, negando tamen conſequentiam, aliter enim ſancitum eſt iure nouo in ſponſalibus, quàm in matrimonio: vt patet ex Motu Pij V. ſanctiſſimi ſuprà citato.

ARTICVLVS XII.

De impedimento affinitatis.

SVMMARIVM.

1. *Quidnam ſit affinitas, & inter quos reperiatur, & quotuplex ſit.*
2. *An Martinus, v.g. qui duxit Franciſcam in vxorem, poſſit ea mortua, ducere illam quæ fuit vxor fratris Franciſcæ, iam mortui.*
3. *Stipes in affinitate quinam ſit.*
4. *An affinitas dirimat matrimonium, tam ſi conſurgat ex copula illicita, quàm licita.*
5. *An poſſit Sum. Pontifex diſpenſare ad contrahendum affines in primo gradu.*
6. *An bonum publicum, vel priuatum, ſit iuſta cauſa diſpenſandi in primo gradu affinitatis.*
7. *An ad inducendum impedimentum affinitatis, requiratur præter copulam, effuſio ſeminis.*
8. *An ex actu præpoſtero, vel ex congreſſu ſpadonum, oriatur affinitas.*
9. *An credatur in foro externo, copulam habentibus, ſi negent effuſionem ſeminis.*
10. *Quænam pœna ſit impoſita contrahentibus matrimonium in gradibus prohibitis ſcienter.*
11. *Quidnam requiratur ad incurrendam pœnam, impoſitam contrahentibus in gradibus prohibitis.*
12. *An hæc excommunicatio, per contractum ſponſalium de futuro, incurratur; vel etiam per matrimonium contractum, cum alijs impedimentis dirimentibus.*
13. *An hæc excommunicatio incurratur, ſi tantùm vnus coniugum ſciat impedimentum.*
14. *Quemnam effectum pariat affinitas ſuperueniens, matrimonio contracto.*

15. *An*

15. *An vterque coniux priuetur iure petendi debitum quando vterque copulam habuit cum alterius conſanguineis.*
16. *An ſtante ignorantia iuris, vel facti, oriatur affinitas.*

Dvbitatio I.

I. *Quidnam ſit affinitas, & inter quos reperiatur, & quotuplex ſit?*

Dico primò, affinitas eſt vinculum, ſeu propinquitas, vel attinentia quarundam perſonarum, procedens ex caroali copula licita, vel illicita. nam quando duo ſe ſe carnaliter cognoſcunt, fiunt affines cum conſanguineis alterius in eo gradu, in quo ſunt ipſi conſanguinei inter ſe: vt ſi Titius copulam habeat cum Caia, fit affinis cum conſanguineis Caiæ, in eo gradu, in quo ſunt ipſi conſanguinei Caiæ cum ipſa Caia. Vnde ſi ipſi ſunt conſanguinei in primo gradu cum Caia, fiunt affines cum Titio in primo gradu. Idem dicendum de conſanguineis Titij, reſpectu Caiæ. nam Caia per copulam habitam cum Titio, fit affinis conſanguineis Titij in eo gradu, in quo ipſi conſanguinei ſunt cum Titio.

Dico ſecundò, conſanguinei Titij, qui copulam habuit cum Caia, non fiunt affines cum conſanguineis Caiæ. licèt enim Titius fiat affinis cum conſanguioeis ipſius Caiæ: nihilominus conſanguinei Titij, & conſanguinei Caiæ, non fiunt affines inter ſe. Vnde duo fratres poſſunt ducere duas ſorores, & filius poteſt ducere illam, cuius matrem pater eius duxit. ergo conſanguinei illius, qui cognouit carnaliter Bertam, non fiunt affines cum conſanguineis Bertæ cognitæ. Neque è conuerſo conſanguinei Bertæ cognitæ, fiunt affines cum conſanguineis Titij Bertam carnaliter cognoſcentis. Videatur *cap. quod ſuper his, de conſanguinitate, & affinitate.*

Dico tertiò, affinitas eſt duplex, alia dicitur in linea recta, & æquali, alia in linea tranſuerſali. In linea recta affinitatis conſtituuntur aſcendentes, & deſcendentes illius perſonæ, cum qua copula fuit habita; in linea verò tranſuerſa conſtituuntur conſanguinei in linea tranſuerſa illius, cum qua copula habita fuit. Explicatur hoc exemplo. Martinus cognoſcit Franciſcam ſuam coniugem habentem fratres, & ſorores, patrem, & matrem: frater, & ſoror Franciſcæ fiunt affines Martini in linea tranſuerſa, pater verò, & mater Franciſcæ fiunt affines in linea recta. nam in affinitate computandi ſunt gradus eodem modo, quo in conſanguinitate: videatur Syl. *verb. matrim.* 8. *quaſt.* 15. Sed vt magis explicentur duæ præcedentes aſſertiones, inquiritur

Dvbitatio II.

II. *An Martinus, v. g. qui duxit Franciſcam in vxorem, poſſit ea mortua, ducere illam, quæ fuit vxor fratris Franciſcæ, iam mortui?*

Dico quartò, Martinus, qui duxit Franciſcam in vxorem, poteſt ea mortua ducere illam, quæ fuit vxor fratris Franciſcæ, mortuo fratre Franciſcæ. quia Martinus per copulam habitam cum Franciſca, factus eſt affinis conſanguineis Franciſcæ, non verò affinibus Franciſcæ; ſed vxor fratris Franciſcæ non eſt conſanguinea Franciſcæ, ſed affinis. ergo Martinus poterit illam ducere mortuâ Franciſcâ, & eius fratre, affinitas enim non generat affinitatem. Videatur *cap. quod ſuper his*, Nauarr. *tom.* 2. *conſil. lib.* 4. *de conſanguinitate, & affinitate, conſil.* 3.

Dvbitatio III.

III. *Stipes in affinitate, quinam ſit?*

Dico quintò, ſtipes in affinitate ſunt duæ illæ perſonæ, quæ ſe carnaliter cognoſcunt. Vnde duæ illæ perſooæ non dicuntur affioes, ſed principium affinitatis: vt ſi Martinus carnaliter cognoſcat Franciſcam, Martinus, & Franciſca non dicuntur, neque ſunt affines, ſed principium affinitatis conſurgens ex ipſorum copula: nam Martinus carnaliter cognoſcens Franciſcam, fit affinis cum conſanguineis Franciſcæ, non autem cum ipſa Franciſca, & Franciſca fit affinis cum conſanguineis ipſius Martini, ambo verò, Martinus, & Franciſca, per copulam habitam inter ipſos non fiunt affines, ſed principium affinitatis conſtituunt. Videatur Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 64. n. 5. & diſput. 67. num. x. eod. lib.*

Dvbitatio IV.

IV. *An affinitas dirimat matrimonium, tam ſi conſurgat ex copula illicita, quàm licita?*

Dico ſextò, affinitas eſt impedimentum dirimens matrimonium, ſiue conſurgat ex copula licita, ſiue ex copula illicita. hæc tamen eſt differentia inter copulam licitam & illicitam, quòd ex copula licita oritur impedimentum dirimens matrimonium vſque ad quartum gradum; ex illicita verò oritur impedimentum dirimens matrimonium tantummodo vſque ad ſecundum gradum: vnde qui fornicatur cum aliqua, poteſt contrahere matrimonium cum conſanguinea illius in tertio, vel quarto gradu. Videatur Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de matrim. cap.* 4.

Dico ſeptimò, affinitas in primo gradu lineæ rectæ, vt eſt affinitas priuigni cum nouerca, priuignæ cum vitrico, viro matris eiuſdem priuignæ, nurus cum ſocero, ſimiliter generi cum ſocru, iure naturæ dirimit matrimonium. quia eodem modo abſtinendum eſt ab affinibus, ſicut à conſanguineis; ſed in primo gradu conſanguinitatis lineæ rectæ fatentur omnes iure naturæ irritari matrimonium. ergo. Probatur antecedens, quia filius eandem ferè differentiam debet nouercæ, aut vitrico, quam parentibus, ſiquidem pater, & nouerca, vitricus, & mater ſunt facti per matrimonium vna caro, & nurus ſocero debet eandem ferè reuerentiam, quam debet ipſe vir, qui eſt filius eius, cum quo nurus facta eſt vna caro; & idem dicendum eſt de genero reſpectu ſocrus: ergo eodem modo abſtinendum ab affinibus: tum, quia nunquam hactenus in Eccleſia auditum eſt, quòd Pontifex diſpensârit in hoc affinitatis gradu, vt fatetur Sotus *in* 4. *diſt.* 41. *quaſt. vnica, art.* 3. §. *Profectò quamuis*, vbi inquit hoc eſſe prægrande argumentum, quòd nunquam talis diſpenſatio facta legatur, quòd ſummus Pontifex in primo gradu affinitatis lineæ rectæ diſpenſare non valeat; ergo ſignum eſt matrimonium inter affines in primo gradu lineæ rectæ interdictum eſſe iure naturæ. Et ita hanc ſententiam tenet Sotus nouiſſimè relatus, Valentia *tom.* 4. *diſputatione* 10. *quaſt.* 5. *puncto* 3. vbi de impedimento cognationis, §. *Tertiò controuerſia eſt.* Viualdus *in Candelabro*, vbi de affinitate, *num.* 204. Nauarr. *lib.* 4. *de ſponſalibus, tom.* 2. *concl.* 14. *num.* 8. §. *Alterum peccatum eſt, verſic. Nam in primo aſcendentium.* Hæc aſſertio

eſt probabilia propter auctuiitatem doctiſſimorum virorum, videantur alij DD. hanc aſſertionem ſoſtinentea apod Sanchez *lib. 7. de matrimonio, diſput. 66. num.6*.

Dico octauò, in linea verò tranſuerſa certom eſt affinitatem non dirimere matrimonium in nollo gradu, etiam primo, iure naturæ, vel diuino, conſeqnenter vxor poteſt mortuo viro ducere fratrem viti murtui, ioteruenïente Summi Puntificis diſpenſatione. quia non apparet in hoc tanta indecentia, ob quam affirmare debemus, affinitatem io lioea tranſuerſa dirimere matrimoniom iure natoræ: tum, quia multi Summi Pontificea in hoc diſpenſauerunt, vt Alexander VI. eum Rege Luſitaniæ, & Iulius II. cum Henrico VIII. Videatur Caietanus *tom. 3. opuſculorum tract. 13. de coniugio cam relicta fratris, ad Regem, & tract. 14. de eodem coniugio ad Clementem VII.* Lopez noſter *part. 2. Inſtruct.* vbi de matrim. *cap. 50. §. igitur pro deciſione, fol.* 1148.

Dico nonò, non officit contra præcedena aſſertum. nam D. Ioannes Baptiſta grauiter increpauit Herodem, quòd vxorem fratris ſui Philippi duxiſſet, vt habetur *Matth. 14. & cap. 6. D. Marci.* ergo ſignum eſt iure naturæ matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ tranſuerſæ eſſe prohibitum. Hoc, inquam, noo obſtat; quia Herodes, viuente adhuc Philippo fratre ſuo, contra omne ius duxit vxorem eiua, vt teſtatur D. Thom. *in illum locum Matth.* & Beda Venerabilis in eum locum *Marci 6.* & alij multi. Vel ſecundò reſpondetur Herudem tanquam filium cuiuſdam Iudæi aſtrictum fuiſſe lege Moyſia, quæ noodum ſpirauerat vſque ad mortem Chriſti Domini, idque matrimonium vetabat, quòd eius frater Philippua filioa reliquiſſet, ideo iure optimo grauiter ſanctiſſimua præcurſor Ioannes Baptiſta Herodem increpauit.

Dico decimò, quamnis aſſertio 7. ſit probabilis propter auctoritatem grauiſſimorum DD. illam ſuſtinentium: probabilior tamen mihi videtur aliorum DD. ſententia negantium affinitatem dirimere matrimooium iure naturæ in vllo gradu, etiam lineæ rectæ. qoia matrimooium in nullo gradu affinitatia initum opponitur primario, aut ſecondario ipſius matrimonij fini. Nam poteſt ordinari ad ſobolis propagationem, & remedium concupiſcentiæ, & mutuum coniugum obſequium in rebus domeſticis; ergo iure naturæ tale matrimonium non eſt prohibitum. Tum, quia non datur aliqua ratio naturalis ſuperioritatia inter ſic affines, quæ in matrimonio debito coniunctionia ordini opponatur, ac datur inter parentes, & filioa, quia relatio naturalis ſuperioritatia, ex qua oritur naturalia reuerentia debita Superiori, ſolùm fundatur ioter eaa perſonas, quæ dant, & accipiunt eſſe naturale per ſe per naturalem generationem; quales ſunt parentes, qui ſunt principium per ſe eſſe naturalis filiorum, non autem affines in primo gradu lineæ rectæ; ergo. & ita haoc ſententiam apertè tenare videtur D. Thom. 2.2. *queſt.* 154. *art. 9. in ſolutione ad tertium*, vbi inter ſolos parentes, & filioa clarè dicere videtur prohiberi iure naturæ matrimonium. Caietanua *ibi §. in reſponſione ad tertium, verſic. in oppoſitum autem videatur* Armill. *verb. diſpenſ. num.* 10. Henriquez *lib. 11. de matrim. cap.* 1. *num.* 2. Emanuel Sà *ſumma, verb. matrim.* vbi de impedimentis matrim. *num.* 4. Petrus de Ledeſma *de matrimonio, queſt. 55. art. 6. circa primum ſtatutum affinitatis, difficult.* 2. *concluſ.* 1. Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 66. num.7.*

Dvbitatio V.

V. An poßit Sum. Pontifex diſpenſare ad contrahendum, affines in primo gradu?

Dico vndecimò, conſequenter Summus Pontifex habet poteſtatem diſpenſandi in primo gradu lineæ rectæ affinitatia, vt inter ſocrum, & generum, & inter ſocerum, & norum. Probatur. nam Summus Pontifea poteſt diſpenſare in quolibet impedimento, quod eſt ſaltem probabile eſſe tantùm iuris Eccleſiaſtici poſitiui, quod patet ex vſu Pontificum, qui propterea ſecurè diſpenſant in matrimonio rato, in voto ſolemni, & multis aliis, quæ eſſe iuris tantùm Eccleſiaſtici, eſt ſolùm probabile; ſed impedimentum primi gradus affinitatia in linea recta eſſe tantùm iuris Eccleſiaſtici, eſt ſaltem probabile. patet, quia etiam ij, qui tenent contrarium, vt eſt Sotua, & Lopez, nimirum probabiliua eſſe, quòd ſit iuris naturæ, concedunt tamen apertè *loco citato aſſertione 7.* hoc eſſe probabile. ergo tum, quia induhitatum eſt Summum Pontificem poſſe diſpenſare in his, in quibus praxis eius eſt, vt diſpenſet; ſed praxis Pootificum eſt, vt diſpenſet in huiuſmodi gradibus. ergo. Maior eſt certa. Probatur minor. nam quotidie diſpenſatur in primo gradu affinitatis in matrimoniis nulliter contractis, vt ſciunt ſacræ Pœnitentiariæ Miniſtri: tum, quia quod alicui prohibetur in pœnam ob aliquod crimen, id illi licebat, ſi illud crimen, & pœna non interueniſſet, ſed non poſſe ducere coniunctam in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, & qnidem arctiſſimo, nimirum filiaſtram, ſeu priuignam, prohibetur vitrico in pœnam inceſtua cum illa; ergo alioquin licebat illam iore naturæ ducere. Maior eſt certa. nemo enim diceret poni alicui in pœnam furti, ne volare poſſet, hæc enim nulla eſſet pœna. nam etſi furtum non interueniſſet, volare non poſſet. quia de ratione pœnæ eſt, vt priuet re, quam alioquin poterat reus habere. Minor probatur euidenter ex *cap. ſi quis cum filiaſtra, de eo, qui cognouit:* vbi clarè habetur, vt is qui ſcienter cum filiaſtra fornicatus ſit, inter alias pœnas non poſſit vllo tempore illam vxorem ducere; ergo ſuppoſuit Canon, ſi inceſtus ille non interueniſſet, poſſe iure naturæ illam duci à vitrico; ergo Summus Pontifex poterit in primo gradu affinitatia diſpenſare ad contrahendum, cùm ſolo iure Eccleſiaſtico hoc ſit prohibitum: & ita hanc aſſertionem tenent auctores præcedenti aſſertione allegati, & præter illos Bonacina *tom. 1. tract. de matrim. quaſt. 3. punct.* 12. *n.7. § ſecunda ſententia.*

Dico duodecimò, non obſtare contra rationem ſecundam allatam pro præcedenti aſſertione, quæ eſt maaimè efficax, quòd diſpenſationes, quæ paſſim conceduntur in ſacra Pœnitentiaria in primo gradu affinitatis, ſunt diſpenſationea in matrimoniis iam contractia, non aotem in matrimoniia cootrahendis, hoc nihil officit, quia quòd matrimonium ſit contractum, vel contrahendum, noo mutatur natura impedimenti, ita vt ſi ſit de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, fiat de iure naturali, vel diuino, aut è contra; ergo ſiue ſit contractum matrimonium, ſiue contrahendum, ſemper eodem modo remanet amouibile, vel inamouibile, per eandem poteſtatem Pontificiam; ergo impedimentum, quod per ſacram Pœnitentiariam in matrimoniis contractis eſt amouibile, erit etiam amouibile in matrimoniis contrahendis

auctori

auctoritate ſummi Pontificis; ſed in primo gradu affinitatis in matrimoniis contractis in foro ſacræ Pœnitentiariæ ſæpè fiunt diſpenſationes. ergo pro matrimoniis contrahendis in hoc eodem gradu fieri poſſunt à Romano Pontifice diſpenſationes.

Dico decimotertiò, minus etiam obſtat contra illam eandem rationem ſecundam, quòd diſpenſationes, quæ fieri ſolent in ſacra Pœnitentiaria, ſunt in primo gradu affinitatis, quæ procedit ex copula illicita, non autem ex licita: hoc, inquam, non obeſt, quia quantum ad rationem impedimenti, eadem omnino eſt ratio impedimenti dirimentis orti ex copula licita, & ex illicita. nam nulla alia ratio affertur à SS. Patribus, aut Canonibus ad hoc impedimentum vel probandum, vel ponendum, niſi quia ſunt facti vir, & mulier vna caro, vt videre eſt *in cap. fraternitatis veſtræ 35. quaſt.* 10. Sed eadem prorſus ratione fiunt vna caro vir, & mulier ex copula carnali, ſiue ſit licita, ſiue illicita; ergo. Neque officit praxis, quòd diſpenſatur paſſim in affinitate orta ex copula illicita, non verò ex licita. Ratio enim huius eſt non quidem, quia ex illa naſcatur affinitas minor, ſed quia ſolet plerumque eſſe occulta. Vnde ſacra Pœnitentiaria, quæ in occultis procedit, in illa manus appoſuit, non item in licita, quæ præſumitur eſſe publica.

Dico decimoquartò, neque etiam obeſt quod DD. aſſertionis ſeptimæ obiiciunt; quia nunquam hactenus auditum eſt in Eccleſia vt Pontifex diſpenſauerit in hoc primo affinitatis gradu; ergo ſignum eſt interdictum eſſe illum iure naturæ. Reſpondetur rationem iſtam tantùm probare contrariam ſententiam eſſe valdè probabilem, & habere indecentiam quandam eiuſmodi matrimonij, attento iure naturæ, niſi aliqua iuſta, & grauis cauſa præponderet, & ob id Pontifices nolunt in eo gradu diſpenſare, non tamen inde conuincitur ita eſſe iure naturæ vetitum, vt eodem iure ſit irritum tale matrimonium, & quòd ſummus Pontifex extante graui, & rationabili cauſa non poſſit in iſto primo gradu affinitatis diſpenſare: videatur pro hac aſſertione, & ſolutione *cap. de inceſtis 35. quaſt. 2. & 3.*

Dico decimoquintò, ſi adſunt iuſtæ cauſæ diſpenſandi in hoc primo gradu affinitatis, expedit hanc poteſtatem à Romano Pontifice exerceri. quia generaliter ſemper expedit, cùm licitè fieri poteſt in re controuerſa, inire poſſeſſionem iuris ſui. ergo expedit in hac re controuerſa, diſpenſandi ſcilicet in primo gradu affinitatis, quòd Romanus Pontifex ineat poſſeſſionem ſui iuris.

Dvbitatio VI.

VI. *An bonum publicum, vel priuatum, ſit iuſta cauſa diſpenſandi in primo gradu affinitatis?*

Dico decimoſextò, iuſta, & rationabilis cauſa diſpenſandi in hoc primo gradu affinitatis ſine vlla dubitatione, eſt bonum publicum, ſiue illud ſit auerſio belli, & pacis conſeruatio, ſiue quodcunque ſimile; non autem bonum priuatum ipſius hanc diſpenſationem petentis, eſſet ſufficiens cauſa ad illam concedendam. Probatur à ſimili. nam ſicut ad diſpenſandum cum Profeſſo ad contrahendum, deſideratur vrgentiſſima cauſa boni communis, & priuatum bonum ipſius vouentis non eſſet ſufficiens cauſa ad diſpenſandum. ergo ſimiliter; quia aliàs frequenter diſpenſationes hæ forent indulgendæ, cùm frequentiſſimè ipſius Profeſſi, ſeu petentis in primo gradu affinitatis diſpenſari, bonum priuatum occurrat, poſt poſito totius ſtatus Religioſi detrimento, & reuerentia, quæ debetur affinibus, & propinquis. Videatur pro hac aſſertione Angles *in floribus tom. 1 quaſt. de impedimento voti, difficult. 3. dub. 6. fol. 627.* Valent. *tom. 3. diſput. 6. quaſt. 6. punct. 7. §. Reſpondeo hoc argumentum*, Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 8. n. 8.*

Dvbitatio VII.

VII. *An ad inducendum impedimentum affinitatis, requiratur præter copulam, effuſio ſeminis?*

Dico decimoſeptimò, ad inducendum impedimentum affinitatis requiritur copula cum ſeminis emiſſione intra clauſtrum fœminæ. quia ad contrahendam affinitatem requiritur ea copula, quæ ſit ſufficiens ad generationem, ſeu qua vir, & fœmina efficiantur vna caro, ſeu qua efficiatur ſanguinis commiſtio; ſed vir, & fœmina non efficiuntur vna caro, niſi adſit ſeminis emiſſio intra vas fœminæ. ergo ad contrahendam affinitatem requiritur ſeminis emiſſio intra vas fœminæ. Videatur pro hac aſſertione *cap. fraternitatis tua 35. quaſt.* 10. Syl. *verb. matrim. 8. quaſt. 15. dicto* 2.

Dico decimooctauò, affinitas oritur, quando ſemen intra vas fœmineum recipitur quacunque arte, ſiue recipiatur arte humana, ſiue diabolica, ſiue cum violatione clauſtri, ſiue abſque clauſtri violatione, ſiue ſponte, ſiue caſu: nam inde ſequi poteſt generatio, quamuis aliquando impediatur. Videatur Lopez noſter *part. 2. Inſtruct. cap.* 50. vbi de matrim. §. *Præterea quia dictum eſt, fol.* 1147. *col. 2. principio*, Viualdus vbi de matrim. *num.* 198.

Dico decimononò, non oritur affinitas, quando ſola fœmina ſemen emittit: nam illius ſemen non eſt ſufficiens ad generationem, & ad ſanguinis commiſtionem: emiſſio verò ſeminis virilis ſufficit, quia ſemen viri eſt ſufficiens ad generationem, cùm memoriæ proditum ſit aliquas fœminas concepiſſe ſine congreſſu, & coitu viri. Ita Syl. *verb. matrim. num.* 26. Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 64. num.* 10.

Dvbitatio VIII.

VIII. *An ex actu præpoſtero, vel ex congreſſu ſpadonum, oriatur affinitas?*

Dico vigeſimò, affinitas non oritur ex actu præpoſtero extra vas debitum, ſicut neque oritur ex pollutione extra vas fœmineum, neque ex congreſſu ſpadonum inducitur impedimentum affinitatis. quia ſpadones non emittunt ſemen aptum ad generationem: videatur Sotus *in 4. diſt. 41. quaſt. vnica art. 2. §. Ex quo fit, & §. ſequenti.* Quapropter

Dvbitatio IX.

IX. *An credatur in foro externo copulam habentibus, ſi negent effuſionem ſeminis?*

Dico vigeſimoprimò, copulam habentibus negantibus ſeminis effuſionem in foro externo fides non habetur. quia ex ea copula ſatis præſumitur ſeminis effuſio; in foro tamen conſcientiæ ſtandum eſt illis: videatur gloſſa *cap. extraordinaria 35. q. 3. verb. ſacramentis*, Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 64. num.* 9.

Dvbitatio X.

X. *Quænam pœna ſit impoſita contrahentibus matrimonium in gradibus prohibitis, ſcienter?*

Dico vigeſimoſecundò, iis, qui ſine diſpenſatione contrahunt matrimonium ſcienter cum affinibus, vel conſanguineis in gradibus prohibitis, pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda eſt conſtituta. Ita *in Clementina vnica, de conſanguinitate, & affinitate*: vbi eadem excommunicatio fertur contra contrahentes matrimonium cum Monialibus, & contra Religioſos, & Moniales, atque Clericos Sacris initiatos. Videatur Caiet. *ſumma verb. excommunicatio, cap.* 47.

Dvbitatio XI.

XI. *Quidnam requiratur ad incurrendam pœnam, impoſitam contrahentibus in gradibus prohibitis?*

Dico vigeſimotertiò, triplex conditio requiritur, vt dictæ Clementinæ excommunicatio incurratur. Prima eſt, vt contrahatur matrimonium; ſecunda cum impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis in gradibus lege canonica interdictis, vel Religionis, aut Ordinis ſacri; tertia vt ſcienter id matrimonium ineatur. Incurritur tamen hæc cenſura licèt matrimonium non ſit conſummatum. quia dicta Clem. vnica non punit copulam inceſtuoſam, ſed ſolùm matrimonij contractum: cuius eſſentia perfecta eſt ante conſummationem per copulam: videatur gloſſa dictæ Clementinæ, *verb. Contrahere.*

Dvbitatio XII.

XII. *An hæc excommunicatio per contractum ſponſalium de futuro incurratur? Vel etiam per matrimonium contractum, cum alijs impedimentis dirimentibus?*

Dico vigeſimoquartò, non eſt locus huic excommunicationi per ſolum ſponſalium de futuro contractum. quia licèt interdicto matrimonio cenſeatur quoque ſponſalia interdicta: at pœna impoſita contrahentibus matrimonium, qualis eſt hæc, non extenditur ad ſola ſponſalia contrahentes. Ita docet gloſſa *loco* nuperrimè *adducto, verb. Contrahere.* Syl. *verb. excomm.* 9 *n.* 78. *§. Sextum, quid ſi quis.*

Dico vigeſimoquintò, non incurritur hæc excommunicatio dictæ Clementinæ ob matrimonium initum cum aliis impedimentis dirimentibus; vt quando matrimonium initur cum infideli, vel cum cognata cognatione legali, vel ſpirituali, vel cum impedimento publicæ honeſtatis, vel quocunque alio dirimente, extra illa tria, nimirum conſanguinitatis, affinitatis, voti ſolênis emiſſi in Religione, aut Ordine ſacro. quia dicta Clementina ſolùm de his mentionem facit, & cùm ſit pœnalis, non eſt extendenda: videatur Caiet. *ſumma cap.* 47. *num.* 8.

Dvbitatio XIII.

XIII. *An hæc excommunicatio incurratur, ſi tantùm vnus coniugum ſciat impedimentum?*

Dico vigeſimoſextò, minimè incurritur hæc excommunicatio, vbi ignoranter initum eſt matrimonium cum prædictis impedimentis. quia dicta Clementina petit expreſſis verbis ſcienter contrahi matrimonium cum conſanguineis, vel affinitatis impedimento, vel cum Moniali. ergo contrahentem in his caſibus excuſaret ignorantia, & ſic ignoranter contrahens non incurreret prædictam excommunicationem. Caiet. nouiſſimè relatus *n.* 3.

Dico vigeſimoſeptimò, ſi alter ex conſanguineis, aut affinibus, aut Monialis ſciuit conſanguinitatem, aut affinitatem, aut impedimentum voti ſolemnis; alter verò contrahens ignorauit, incurrit excommunicationem hanc ſciens: ignorans autem minimè incurreret, quia in primo reperiuntur omnes conditiones petitæ in dicta Clementina, non autem in ſecundo; ergo primus ſciens, & prudens incurret excommunicationem, non autem ſecundus ignorans. Ita optimè Syl. *verb. excommun.* 9. *num.* 76 *fine.*

Dico vigeſimooctauò, ignorantia, quæ excuſat ab excommunicatione, eſt ignorantia probabilis facti, & non affectata: vt ſi contrahens ignoraret conſanguinitatem, aut affinitatem, aut fœminam eſſe Monialem; ſecus ſi eſſet ignorantia iuris, vt quia ſciebat gradum conſanguinitatis, aut affinitatis; at ignorabat in eo gradu conſanguinitatis, aut affinitatis interdici matrimonium, quia ignorantia facti, & non iuris excuſat. *reg. ignorantia, de regulis iuris in* 6. Armilla *verb. excommunicatio*, vbi de excommunicatione contra contrahentes in gradibus prohibitis, *caſu* 45.

Dico vigeſimonono, ſatis etiam probabiliter dici poteſt, excuſare in tali caſu ab excommunicatione ignorantiam etiam craſſam iuris, vel facti, dummodo non ſit affectata, quia dicta Clementina petit ſcienter iniri id matrimonium: at quotieſcunque ſcientia petitur ad incurrendam aliquam pœnam, exigitur dolus. ergo excuſat quæuis ignorantia, modò non ſit affectata, vel ingens temeritas: ita P. de Ledeſma *de matrim q.* 55. *art.* 9. *dub.* 1. in dubio, quod mouet circa ſolutionem ad 8. Nauarr. *ſumma cap.* 27. *num.* 141. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſput.* 48. *num.* 19.

Dvbitatio XIV.

XIV. *Quémnam effectum pariat affinitas ſuperueniens, matrimonio contracto?*

Dico trigeſimò, affinitas ſuperueniens matrimonio contracto, vt accidit, quando quis poſt matrimonium celebratum cum Caia copulam habet cum ſorore Caiæ, ratione cuius copulæ fit affinis cum ipſa Caia, parit hunc effectum, vt non poſſit inceſtuoſus petere ab vxore debitum, ſi in primo, vel in ſecundo gradu rem habuit cum conſanguinea alterius coniugis: reddere tamen debitum coniugi innocenti tenetur; nam innocens non priuatur iure ſuo ob delictum alterius. Ita *in c.* 1. *de eo, qui cognouit conſanguin.*

Dvbitatio XV.

XV. *An vterque coniux priuetur iure petendi debitum, quando vterque copulam habuit cum alterius conſanguineis?*

Dico trigeſimoprimò, vterque coniux priuatur iure petendi, quando vterque copulam habuit cum alterius conſanguineis, aut quando vnus tantùm habuit, ſed de conſenſu alterius. quia ius relinquit poteſtatem petendi debitum tantummodo coniugi innocenti. ergo: videatur Syl. *verb. luxuria*, *q.* 4. *dicto* 3.

Dico

Dico trigeſimoſecundò, quando vterque coniux copulam habuit cum conſanguineis alterius coniugis non malitioſè, non animo ſcilicet defraudandi alterum coniugem debito coniugali, ne dum tunc ambo priuantur iure petendi: ſed neuter tunc tenetur, nec licitè poteſt alteri petenti reddere debitum coniugale. quia textos ideo hanc redditionem à culpa excuſant, ne coniux culpæ immunis iure ſuo priuetur, vt expreſsè habetur *cap. diſcretionem*, *& cap. penult. de eo, qui cognouit conſang.* ergo vbi neuter coniux eſt innocens, non eſt vnde hæc redditio excuſetur à culpa. ergo quando vterque coniux in culpa eſt, neuter poterit alteri licitè reddere: tum, quia ideo vbi alter ſolus eſt reus, poteſt, licèt non teneatur, innocens reddere, quia ratione ſuæ innocentiæ plenam habet poſſeſſionem vſus matrimonij, vnde nec petitione, nec redditione priuandus eſt. ergo in noſtro caſu, vbi innocentia neutri fauet, nec poſſeſſionem tribuit, minimè licebit reddere: tum, quia nulla alia ratione reus innocenti tenetur reddere, niſi ne innocens abſque culpa à iure ſuo cadat, vt conſtat ex *cap. diſcretionem, de eo, qui cognouit conſang.* ergo vbi vterque eſt nocens, neuter reddere tenebitur. Nec licitè poterit reddere; quia, vt dixi, textus hanc redditionem ideo à culpa excuſant, ne coniux culpæ immunis iure ſuo priuetur: videatur pro hac aſſertione *cap. diſcretionem*, *& cap. tuæ fraternitatis, de eo, qui cognouit conſang.* Armilla *verb. matrim. num. 9. verſic. Si autem alter fiat*, Sanchez *lib. 9. diſput. 28. de matrim. num. 5.*

Dico trigeſimotertiò, quando verè vterque coniux rem habuit cum alterius conſanguineis malitioſè, vt ſcilicet alterum coniugem defraudaret debito coniugali, tenetur reddere alteri petenti, quamuis vterque à iure petendi cadat, & petendo delinquat. nam fraus non debet illi patrocinari; ſed fraus illi patrocinaretur, acquirendo libertatem à reddendo debito. ergo, &c. Ius igitur in hoc caſu reſtringit ſuam prohibitionem, qua priuauerat delinquentē iure petendi, vúltque coniugem reddere debere debitum alteri petenti, quando copulam commiſit eo malo fine: quando verò hoc non fecit eo fine malo, neuter poteſt alteri petenti reddere, nec debet, vterque enim nocens eſt, nec malitioſè, &c. Videatur pro hac aſſertione *cap. ſi vir, de cognatione ſpirituali.* Lopez noſter *part. 1. Inſtruct. cap. 85.* Bonacina *tom. 1. tract. de matrim. quæſt. 3. puncto 12. num. 10.*

Dvbitatio XVI.

XVI. *An ſtante ignorantia iuris, vel facti, oriatur affinitas?*

Dico trigeſimoquartò, affinitas oritur etiam ſtante ignorantia iuris, vel facti. Stat ignorantia iuris, vt quando quis accedit ad conſanguineam vxoris, neſciens latam eſſe legem poſitiuam humanam prohibentem acceſſum ad conſanguineam vxoris; ſtat ignorantia facti, vt quando quis ſcit latam eſſe legem ab Eccleſia ſpecialiter prohibentem acceſſum ad conſanguineam vxoris, ſed neſcit illam, ad quam modò accedit, eſſe conſanguineam vxoris: oritur igitur affinitas ſtante ignorantia iuris, vel facti. quia ad hanc affinitatem contrahendam ſufficit copula, ex qua ſequi poſſit generatio, & commiſtio ſanguinis. ergo ſtante ignorantia iuris, vel facti, ſi adeſt copula ſufficiens ad generationem, & commiſtionem ſanguinis, contrahitur affinitas: imò oritur affinitas ex copula habita cum fœmina omnino inuita, vel ignorante, vel dormiente, vel inſana, vel ebria, propter eandem rationem allatam: videatur *cap. diſcretionem, de eo, qui cognouit conſanguineam.*

Articvlvs XIII.

De impedimento impotentiæ.

Svmmarivm.

1. *An impotentia ad copulam reddat irritum matrimoniū.*
2. *Quotuplex ſit impotentia.*
3. *Quid requiratur ad miraculum.*
4. *An ſit validum matrimonium contractum ab habente impotentiam perpetuam, ſi miraculosè fiat potens.*
5. *An impotentia coeundi quæ per orationes, vel exorciſmos, poteſt remoueri, irritet matrimonium.*
6. *An impotentia, quæ abſque arte Magica, vel peccato, vel maleficio, auferri non poteſt, cenſeatur perpetua.*
7. *An impotentia coëundi, quæ eſt tantùm maxima difficultas, irritet matrimonium.*
8. *In quo conſiſtat potentia coeundi, ad reddendum validum matrimonium.*
9. *An ſit validum matrimonium, dum vir poteſt ſeminare intra vas, fœmina autem non.*
10. *An ſit validum matrimonium, quando vir non poteſt ſemen emittere intra vas, quia fœmina eſt nimis arcta.*
11. *An Eunuchi, vel ſpadones, validè poſſint contrahere.*
12. *An ſterilitas obſit valori matrimonij.*
13. *An Eunuchi imperfecti poſſint validè contrahere.*
14. *An ſit validum matrimonium contractum cum ſenibus, vel vetulis, ſi nequeant emittere ſemen.*
15. *An validum ſit matrimonium, ſi fœmina cum periculo ſanitatis, vel vitæ tantùm poſſit reddere debitum.*
16. *An quando impotentia coeundi non poteſt ſubueniri abſque vitæ periculo, & mulier id velit, teneatur vir hoc expectare, vel poſſit ad alias nuptias tranſire.*
17. *An validum fuerit matrimonium, quando fœmina accepto medicamine non eſt paſſa periculum vitæ, quod tamen adeſſe, Medici antè affirmabant.*
18. *An ſit validum matrimonium viri contractum cum virgine, impotentis ad hanc cognoſcendam, potentis tamen cognoſcere corruptam.*
19. *An mulier, quæ non eſt apta viro cui nupſit, ſi propter hoc diſſoluatur matrimonium, & alteri nubat, & apta ſit reddita, per poſterioris viri concubitum, priori ſit reddenda.*
20. *Explicatur dari poſſe impotentiam naturalem, reſpectu vnius, & non reſpectu alterius.*
21. *Dilucidatur impotentiam perpetuam poſſe oriri ex diuerſis capitibus.*
22. *Explicatur quod tam viri, quàm fœminæ, poſſint reddi impotentes ad copulam, per maleficia.*
23. *Quid ſit maleficium, & quando ſit impedimentum dirimens matrimonium, & quando cenſeatur perpetuū.*
24. *An liceat ſoluere maleficio maleficium, vel adire maleficum, ad illud ſoluendum.*
25. *An coniuges, quibus conſtat impedimentum perpetuum, poſſint licitè petere debitum, oſculari, &c. ac ſimul habitare.*
26. *An vir, & fœmina, cognoſcentes ante matrimonium impotentiam perpetuam, poſſint contrahere ad mutua obſequia.*
27. *An liceat coniugibus habere copulam, quando dubitatur de impotentia perpetua.*
28. *An ducens fœminam, habens impedimentum, cui ſubueniri poteſt per inciſionem, quam ipſa renuit, poſſit vti amplexibus, &c.*

29. *An*

29. *An ſi poſt celebratum matrimonium, impotentia perpetua ſuperuenerit, coniuges poſſint vti actibus coniugalibus, vel amplexibus oſculis*, &c.

30. *An ſenes, impotentes ſeminare intra vas, poſſint vti actibus coniugalibus, cum periculo ſeminationis externæ.*

31. *An debeat prohiberi vſus coniugij, quando fœmina non poteſt intra vas retinere ſemen.*

32. *An ſenibus decrepitis, qui aliàs validè contraxerunt, denegandus ſit coniugij vſus.*

33. *An quando dubitatur de impotentia perpetua, poſt matrimonium contractum, poſſint coniuges copula vti.*

34. *An in ſenibus tempus triennalis experientia ſit expectandum, ſi de illorum impotentia dubitetur.*

35. *An ſint ſtatim ſeparandi coniuges, de quibus conſtat contraxiſſe cum impotentia perpetua, vel cum dubio illius? & quomodo ſit cognoſcendum, an impotentia perpetua anteceſſerit matrimonium, vel illud ſubſequuta fuerit.*

36. *An quando dubium eſt, an impotentia perpetua præceſſerit contractum matrimonij, nécne, præſumendum ſit pro valore matrimonij.*

37. *An dubius, an ſit potens ad copulam, nécne, licitè contrahat matrimonium.*

38. *An diſſoluto matrimonio, ob impotentiam perpetuam, falsò putatam, ſi vir tranſierit ad ſecundas nuptias, errore comperto, prius matrimonium reintegrari debeat.*

39. *An vir ingrediens Religionem, ob diſſolutionem matrimonij dum comprehenditur, impotentiam non fuiſſe perpetuam, ſi profeſſus eſt, debeat redire ad vxorem? vel ſi ambo ſunt Profeſſi, profeſſio ſit valida? vel ſi vnus tranſiſſet ad ſecundas nuptias, debeat redire ad primas.*

40. *An ſimiliter qui ex præſumptione impotentiæ perpetua, Sacris eſt initiatus, dum experitur impotentiam fuiſſe temporalem, debeat vxori reſtitui, etiamſi illa non repetat.*

41. *An in caſu ſuprà poſito, ſi vterque coniunx conſenſerit in profeſſione alterius, hæc ſit valida.*

42. *An coniux validè profiteatur Religionem, ſine licentia alterius, & ſi ab altero reuocetur, teneatur ampliùs ad Religionem redire.*

43. *An votum caſtitatis, in profeſſione inualida emiſſum, habeat vim voti ſimplicis.*

44. *Explicatur in quo differant votum caſtitatis, & votum Religionis.*

45. *An profeſſio, emiſſa abſque licentia alterius coniugis, conualeſcat, ſi iſte poſtea præſtet conſenſum.*

46. *An inualidè Profeſſus, & non reuocatus in vita ab altero coniuge, poſſit hoc mortuo, vel etiam ſuperſtite, egredi Religione.*

47. *An coniux in ſæculo relictus, altero abſque licentia illius Profeſſo, poſſit inuito Profeſſo ingredi Religionem.*

48. *An valida ſit Profeſſio coniugis, quando alter ex metu graui, licentiam præbuit, & poſſit repeti Profeſſus, vel ex ſe exire ante, vel poſt obitum alterius coniugis.*

49. *An quando licentia ab altero coniuge fuit dolo extorta, poſſit coniux remanens in ſæculo, reuocare Profeſſum.*

50. *An quando coniux in ſæculo relictus nec conſenſit, neque diſſenſit, in caſu præcedenti poſſit Profeſſum reuocare, vel iſte poſſit exire, ante, vel poſt obitũ illius.*

51. *An coniux, ſine alterius licentia Profeſſus, poſſit quocumque tempore reclamare, & è Religione exire.*

52. *An coniux, dubius an profeſſionem ratificauerit, poſſit è Religione exire? &, An Prælatus occultè dimittere poſſit.*

53. *An coniugatus, ſine alterius coniugis licentia Profeſſus, comprehendatur ſub decreto Concil. Trid.* ſeſſ. 25. *præſcribente quinquennium, ad reclamandum.*

54. *Explicatur, quando Profeſſus poſſit dimittere habitum, & licitè reclamare, & ad quem talis reclamatio fieri debeat.*

Dubitatio I.

I. *An impotentia ad copulam reddat irritum matrimonium?*

Dico primò, impotentia perpetua ad copulam reddit irritum ſubſequens matrimonium. quia perpetuæ impotentię ad copulam repugnat obligatio ad copulam coniugalem ex matrimonij contractu conſurgens: impoſſibiliũ enim nulla poteſt eſſe obligatio. *l. impoſſibilium, ff. de reg iur. & cap. nemo ad impoſſibile, de reg. iur. in* 6. Videatur *c. 2. de frigid. & malef.*

Dico ſecundò, impotentia verò temporalis non dirimit matrimonium ſubſequens. nam qui in præſenti non eſt ſoluendo, cùm tamen ſit ſpes fore in futurum, poteſt ad ſoluendum obligari, cuius obligationis incapax eſt, qui nunquam ſoluendo foret.

Dubitatio II.

II. *Quotuplex ſit impotentia?*

Dico tertiò, impotentia perpetua coëundi illa dicitur, quæ non poteſt remoueri arte humana, vel abſque probabili vitæ periculo: impotentia verò temporalis illa eſt, quæ præter diuinum miraculum per opus humanum abſque corporali vitæ periculo remoueri poteſt. Ita *in cap fraternitatis tuæ, de frigidis, & maleficiatis.* Impotentia igitur perpetua eſt quæ ſolo miracolo poteſt auferri. nam hæc non poteſt arte humana remoueri: imò ſi mulier nimis arcta, inhabilis ad copulam naturaliter, per miraculum aperiretur, poſſet tunc alteri nubere cùm priùs matrimonium fuerit irritum. nam natura matrimonij non pendet ex miraculo: ita benè notauit Sotus *in 4. diſt. 34 quæſt. 1. art. 2. §. Nihilominus perſpicacius, verſic. ſecus ſi per miraculum.* Lopez noſter *part. 1. Inſtruct. cap. 52.* vbi de matrim. *§. Ex quo ſecundò ſequitur.* Sed vt clariùs explicetur hoc aſſertum,

Dubitatio III.

III. *Quid requiratur ad miraculum?*

Dico quartò, de ratione miraculi duo ſunt, primum vt ſit inſolitum opus, & extraordinarium, vel in effectu, vel in modo; ſecundum vt opus ſit tale quod per naturales cauſas fieri non poſſit: vnde iuſtificatio impij, quamuis ſit opus ſupernaturale, non eſt verum miraculum, quoniam non eſt inſolitum quid, & fit ſecundùm conſtitutum modum, & ordinarium: videatur pro hac aſſertione D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 178 *art. 2. corpore.* Medina 3. *part. quæſt.* 43. *art.* 3. *§. Ad tertium argumentum.*

Dubitatio IV.

IV. *An ſit validum matrimonium, contractum ab habente impotentiam perpetuam, ſi miraculosè fiat potens?*

Dico quintò, clariùs explicans aſſertionem tertiam, inualidum eſſe matrimonium contractum cum impotente perpetuò, ſed poſt matrimonium contractum facto potente miraculosè. nam impotentia

perpetua antecedens matrimonium, dirimit illud; ſed talis eſt impotentia, quæ arte humana remoueri non poteſt, licèt miraculosè auferri valeat. ergo matrimonium contractum ea impotentia durante fuit irritum, & ceſſante ea impotentia per miraculum non conualeſcit, niſi denuò ineatur: videantur Sotus, & Lopez *aſſertione* 3. allegati.

DVBITATIO V.

V. *An impotentia coëundi, quæ per orationes, vel exorciſmos poteſt remoueri, irritet matrimonium?*

Dico ſextò, impotentia coëundi, quæ remoueri non poteſt arte humana, non irritat matrimonium, ſi per orationes, confeſſiones, & Eccleſiæ exorciſmos remoueatur. quia non quicquid ſupernaturali fit diuináque virtute, cenſendum eſt eſſe miraculum, ſed id, quod inſueto fit modo; ſed id quod acquiritur precibus, orationibus, & Eccleſiæ exorciſmis, non acquiritur inſueto modo, quamuis ſit quid ſupernaturale, vt remiſſio peccatorum, quæ per ſacramenta acquiritur, non eſt miraculum, quamuis ſit quid ſupernaturale, & effectus diuinæ & ſupernaturalis virtutis; ergo impotentia coëundi ſi precibus, & Eccleſiæ exorciſmis remoueatur, quamuis arte humana non remoueatur, non irritat matrimonium, quia non miraculosè tunc remouetur impedimentum. Ita optimè adnotauit Sotus *in 4. diſt. 34. quæſt. vnica, art. 3. §. Vnum autem hic argumentum.*

DVBITATIO VI.

VI. *An impotentia, quæ abſque arte magica, vel peccato, vel maleficio, auferri non poteſt, cenſeatur perpetua?*

Dico ſeptimò, impotentia coëundi, quæ abſque arte magica, vel abſque peccato, & maleficio auferri non poteſt, cenſetur perpetua. quia id ſolùm dicimur poſſe per opus humanum, quod licitè poſſumus præſtare. ergo ſi impedimentum coëundi remoueri non poteſt ſine arte magica, vel abſque peccato, & maleficio, cenſetur perpetuum. quia licitè per opus humanum remoueri non poteſt: tum, quia, iuxta illud axioma Iuriſperitorum, Illud non poſſumus, quod iure non poſſumus; ſed iure, & licitè non poſſumus aliquid cum peccato; ergo impotentia coëundi cenſetur perpetua, quæ auferri non poteſt, niſi per artem magicam, vel per aliquod maleficium: videatur Syl. *verb. matrim. 8. quæſt. 16. dicto 6.* Lopez *part. 2. Inſtruct.* vbi de matrim. *cap. 32. §. Adde denique.*

DVBITATIO VII.

VII. *An impotentia coëundi, quæ eſt tantùm maxima difficultas, irritet matrimonium?*

Dico octauò, impotentia coëundi, quæ non eſt vera impotentia, ſed ſolùm maxima difficultas, non dirimit matrimonium: vt ſi poteſt eſſe commiſtio, ſed cum maxima difficultate, & periculo ægritudinis. quia *in cap. 2. de coniug. lepros.* deciditur matrimonium contractum cum leproſo eſſe validum, & *in c. fraternitatis, de frig. & malefic.* definitur, quòd quando per inciſionem factam abſque mortis periculo poteſt mulier arcta reddi apta copulæ, valere matrimonium; ſed in vtroque euentu eſt maxima difficultas. ergo: ita P. de Ledeſma *q. 58. art. 1. in ſolutione ad 3.*

DVBITATIO VIII.

VIII. *In quo conſiſtat potentia coëundi, ad reddendam validum matrimonium?*

Dico nonò, ad valorem matrimonij non ſatis eſt potentia vas fœmineum penetrandi, ſed deſideratur potentia ſeminandi intra illud. quare poteus coire, impotens tamen perpetuò ad ſemen emittendum in vas, vel quia nullo modo ſeminat, vel quia præ nimio calore ita præproperè, vt vas expectare nequeat, eſt incapax matrimonij, ſi id vitium ita ſit perpetuum, vt nulla medicinæ ope tolli poſſit. quia ad matrimonij valorem deſideratur copula, per quam coniuges efficiantur vna caro: efficiuntur autem vna caro per commiſtionem ſanguinis; ergo. Videatur pro hac aſſertione *cap. laudabilem, de frig. & malef.* Lopez noſter *part. 2. Inſtruct.* vbi de matrim. *cap. 32. ferè in principio. §. Circa prædictam doctrinam.*

DVBITATIO IX.

IX. *An ſit validum matrimonium dum vir poteſt ſeminare intra vas, fœmina autem non?*

Dico decimò, valet quidem matrimonium, ſi vir ſeminare poteſt intra vas, ac fœmina capax eſſet ſeminis virilis recipiendi, quamuis ea impotens eſſet ad ſeminandum. quia fœmineum ſemen non eſt præcisè ad generationem neceſſarium, quamuis valdè conferat: tum, quia ſemen fœminæ eſt quid imperfectum in genere ſeminis, nec neceſſariò requiritur ad generationem, neque ad conceptum: videatur pro hac aſſertione D. Thom. *3 part. q. 31. art. 5. ad 3.* Nauarr. *tom. 2. conſil. lib. 4. de frigid. & malef. conſil. 2. num. 13.*

DVBITATIO X.

X. *An ſit validum matrimonium quando vir non poteſt ſemen emittere intra vas, quia fœmina eſt nimis arcta?*

Dico vndecimò, ſi fœmina eſt ita arcta, aut vir ita debilis, & frigidus, aut calidus, vt non poſſit cum fœmina coire, vt ſemen intra vas emittat, ſed foras fundat, licèt arte aliqua abſque viri penetratione ſemen ſit receptum intra vas, aut per matricis attractionem, ſi hoc impedimentum coëundi, & immittendi ſemen intra vas ſit perpetuum, & immedicabile, nullum eſſet matrimonium. quia verificatur virum iſtum eſſe impotentem ad ſeminandum intra vas: tum, quia hæc impotentia nunquam poſſet dirimere matrimonium; quippè ſemper poteſt ſemen illud vaſe aliquo vitreo receptum intra vas fœmineum immitti. Videatur Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 99. num. 37.*

DVBITATIO XI.

XI. *An Eunuchi, vel ſpadones validè poſſint contrahere?*

Dico duodecimò, Eunuchi, ſeu ſpadones, qui altero tantummodo teſticulo carent, validè contrahere poſſunt matrimonium. quia hi verum ſemen idoneúmque generationi emittunt; teſticulus enim ille miniſterium generationi neceſſarium exercere poteſt, ſpiritus ad illam requiſitos retinens, & tanquam follis membra commouens:

uens: Philatcus *de officio Sacerdotis, tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 10.*

Dico decimotertiò, inualidum eſſe matrimonium contractum cum Eunucho perfecto, & ſpadone, qui ſcilicet caret vtroque teſticulo. quia ad matrimonij valorem deſideratur potentia verum ſemen intra vas fœmineum emittendi; ſed Eunuchi, & ſpadones carentes vtroque teſticulo, quamuis membrum erigant, atque quamdam aquoſam materiam emittant, tamen non eſt verum ſemen, nec eiuſdem rationis cum vero ſemine. ergo. Ita benè Sotus *in 4. diſt. 34 art. 2. verſic. Atque hinc iudicium.* Imò modò hæc aſſertio eſt indubitata ex conſtitutione Sixti V. edita 1587. cuius initium eſt, *Cum frequenter in iſtis Regionibus,* In qua declarat huiuſmodi ſpadones carentes vtroque teſticulo eſſe impotentes ad matrimonium ineundum: videatur in Bullario *tom. 1. 37.* conſtitutio Sixti V. quamuis ante hanc conſtitutionem Sixti V. aliqui antiquiores aliter ſenſerint.

Dico decimoquartò, non obſtat contra præcedens aſſertum; nam licèt ſpadones carentes vtroque teſticulo ſint inepti ad generationem, quæ eſt primarius matrimonij finis, poſſunt tamen eſſe habiles ſi virgam erigant, & eam immittere poſſunt intra vas fœmineum ad ſatisfaciendum concupiſcentię mulieris, & ita obtinebitur ſecundarius matrimonij finis, nec primarius, nimirum generatio deſideratur ad eius valorem, vt in ſterilibus conſtat, qui, vt dicemus, verum, & validum matrimonium contrahere poſſunt. Non obeſt hæc ratio: nam Eunuchi carentes vtroque teſte, non ſatisfaciunt fœminæ per veram copulam ſuaptè natura aptam ad generationem, quę requiritur ad validè contrahendum: nec finis matrimonij ſecundarius eſt remedium concupiſcentiæ habitum per copulam quamcomque, ſed per copulam aptam generationi, quam habere non poſſunt ſpadones carentes vtroque teſticulo, cùm ſemen eorum non ſit eiuſdem rationis cum ſemine vero apto ad prolis generationē.

DVBITATIO XII.

XII. *An ſterilitas obſit valori matrimonij?*

Dico decimoquintò, ſterilitas nihil obeſt matrimonij valori. quia etſi id matrimonium fruſtretur ſine primario, qui eſt prolis generatio, conſequitur tamen finem ſecundarium, nempè ſatisfacere concupiſcentiæ, vera copula habita apta per ſe ad prolis generationem. Ita Lopez noſter *part. 2. Inſtruct. cap. 52.* vbi de matrim *in princ.* Bonacina *tom. 1. tract. de matrim. q. 3. puncto 13. num. 17.*

DVBITATIO XIII.

XIII. *An Eunuchi imperfecti poſſint validè contrahere?*

Dico decimoſextò, Eunuchi, licèt non perfecti, habentes vtrumque teſticulum, nihilominus cum vnum illum habent, validum matrimonium inire non valent. quis etſi hi aliquando ſeminent, eorum tamen ſemen non eſt eiuſdem rationis cum prolifico: videatur Sotus *in 4. diſt. 34. q vnica, art. 2. §. Atque hinc iudicium* Bonacina *loco noniſſimè adduct. n. 19. verſicul. Idem dicendum eſt de illis.*

DVBITATIO XIV.

XIV. *An ſit validum matrimonium contractum cum ſenibus, vel vetulis, ſi nequeant emittere ſemen?*

Dico decimooctauò, ſenes quantumcumque decrepiti, ſi nullo alio impedimento præter ſenectutem laborent, validè matrimonium inire poſſunt. quia nullus eſt adeo ſenex, quin aliquando natura, vel ſaltem medicinæ arte adductus poſſit ad coitum calere. Tum, quia talis eſt vſus Eccleſiæ, nullos ſenes à matrimonio ineundo reiicientis: videatur D. Thom. *4. part. addit. queſt. 58. art. 1. ſolut. ad 5.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 92. num 19. & 20.*

Dico decimonono, fœmina quantumcumque vetula, contrahere poteſt in quacumque ætate ſenili, vel complexione, vel diſpoſitione, modò pati poſſit ingreſſum viri ad clauſtra pudoris. quia fœmina in concubitu eſt patiens, & ad teddendum debitum viro ſufficit, quòd patiatur viri actionem in membro naturali, neque eius frigiditas hoc impedit. Ita benè Syl. *verb. matrim. 8. queſt. 16. dicto 4. ad finem.*

Dico vigeſimò, quando vir ſenex eſt adeò exhauſtus, vt omninò impotens ſit ad copulam habendam, nec iudicio Medicorum aliqua arte, vel medicamento humano iuuari poteſt, incapax eſt ad matrimonium ineundum. quia is non poteſt ad copulam coniugalem obligari, vtpotè ſibi impoſſibilem. Ita benè Sotus noſter *in 4 diſt. 34. queſt vnica, art. 2. § Atque hinc iudicium, verſic Imò vero,* quem ſequitur Sanchez *lib. 7. de matrim diſput. 92 num. 24.* licèt Nauarr. *tom. 1. conſil. lib 4. tit. de ſponſal impub conſil. 4. num. 15.* partem affirmatiuam teneret. quia, inquit, tales ſenes per accidens ſunt impotentes: at impotentia accidentalis non impedit matrimonium. Tum, quia ſemper habitu retinent intrinſecam potentiam ſeminandi intra vas fœmineum. Nauarr. ſequitur Rodriquez *ſumma p. 1. cap. 234. num 5.*

Dico vigeſimoprimò, verius tamen eſt, & probabilius, cum Soto, & Sanchez, huiuſmodi ſenes, de quibus *aſſertione præcedenti*, eſſe matrimonij incapaces, quia nihil refert, ſiue à natura, ſiue ex accidenti impotentia perpetua contingat, ac nulla arte reſtaurabilis: tum, quia impotentia ex maleficio conſurgens, eſt valdè accidentaria, & tamen coniugium dirimit. ergo: videatur Sotus & Sanchez cit. & præter illos Viuald. *1. part* vbi de matrim *num. 238.*

Dico vigeſimoſecundò, etiamſi ſenes illi poſſent erigere virgam, & coire, non tamen valerent intra vas fœmineum ſeminare, & hoc in illis nulla arte humana eſſet rationabile, tunc adhuc irritum eſſet matrimonium ab illis contractum. quia, vt dixi *aſſertione 9.* ad valorem matrimonij non ſatis eſt potentia vas fœmineum penetrandi, ſed deſideratur potentia ſeminandi intra illud. ergo ſenes potentes coire, impotentes tamen, perpetuò ad ſemen emittendum in vas, ſi id vitium ita ſit perpetuum, vt nulla medicinæ ope tolli poſſit, matrimonij ſunt incapaces: ita notauit Lopez noſter *part. 2. Inſtruct.* vbi de matrimonio, *cap. 52. in principio §. Circa prædictam doctrinam, verſic ſicut etiam frig.* Viualdus *loco nouiſſimè allegato.*

DVBITATIO XV.

XV. *An validum ſit matrimonium, ſi fœmina, tantùm cum periculo ſanitatis, vel vitæ, poſſit reddere debitum?*

Dico vigeſimotertiò, validum eſt matrimonium, quando fœmina poteſt teddere debitum; ſed non niſi cum grauiſſimo ſanitatis periculo, vel quando non poteſt patere abſque graui periculo vitæ, vel quando

credit

credit fore, vt filij mortui in lucem edantur. quia impotentia pariendi abſque vitæ periculo, tanquam quid poſterius ipſa matrimonij eſſentia illud vitare, & irritum reddere nequit: tum, quia illa periculoſi partus circumſtantia, & pariendi filios mortuos, non eſt perpetua; ſenectutis enim tempore quando iam mulier ſterilis erit, ceſſabit: ita benè Lopez noſter nuperrimè allegatus §. *Præterea ambiguitatem*; licèt oppoſitum dicat eſſe probabile Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 7. num. 8. in commento littera K.* quod etiam admittit Lopez.

Dico vigeſimoquartò, ſi iudicio Medicorum impedimentum impotentiæ medicabile ſit abſque corporali periculo, vt quando fœmina eſt ita arcta, vt non poſſit carnaliter à viro cognoſci, ſi iudicio Medicorum per inciſionem fieri poteſt apta proprio viro, quamuis ipſa renuat inciſionem, aut medicamenta neceſſaria, quibus apta reddatur viro, firmum eſt matrimonium. quia firmitas, ac valor matrimonij minimè ex voluntate fœminæ pendet ex ipſa rei natura; ſed impedimentum, quod per artem Medicorum remoueri poteſt, eſt temporale. ergo etſi fœmina renuat medicamenta, quibus impedimentum remoueri poteſt, firmum erit matrimonium ſi ex natura ſua impedimentum per opus humanum auferri poteſt. Ita præclarè Lopez noſter *part. 2. Inſtruct.* vbi de matrim. *cap. 52. §. Quartò dicitur, verſ. vnde corollariè ſequitur.*

Dico vigeſimoquintò, fœmina arcta, quæ poteſt fieri apta proprio viro per artem Medicorum, puta per inciſionem, tenetur pati talem inciſionem, etiam cum graui dolore. quia hoc videtur neceſſarium ad copulam, cuius poteſtatem, & ius contulit in virum: tum, quia ipſa ſua culpa in tales anguſtias ſe coniecit, debuiſſet quippè ſibi proſpicere antequam matrimonium iniret: ſic optimè Sotus noſter *in 4. diſt. 34. quæſt. vnica, art. 2. §. Dubium autem, quod hîc.*

Dico vigeſimoſextò, non tenetur tamen huiuſmodi inciſionem pati cum grauiſſimo morbi incommodo. quia non videtur obliganda ad debitum coniugale reddendum cum ſuo tanto incommodo: matrimonium tamen cum ea celebratum validum eſt. quia non adeſt impotentia perpetua: nam illa fœmina poteſt arte humana fieri apta per inciſionem, quamuis ipſa nolit eam pati, aut non teneatur pati: videatur Lopez, & Sotus nuper allegati. Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 7. num.* 8.

Dico vigeſimoſeptimò, impotentia coëundi, vt quando fœmina eſt ita arcta, vt citra periculum mortis arbitrio Medicorum curari non poſſit, reputatur impedimentum perpetuum, atque adeò dirimens matrimonium. quia impedimentum, & impotentia coëundi, quod abſque probabili mortis periculo remoueri non poteſt, cenſetur perpetuum; ſed impotentia coëundi perpetua, eſt impedimentum dirimens. ergo quando fœmina, &c. Videatur *c. fraternitatis, de frig. & malef.* Sotus *vbi ſuprà.*

Dico vigeſimooctauò, ſi Medici dubitent, an immineat mortis periculum ex inciſione illa, tunc ſubeſſe mortis periculum iudicatur, & ſic matrimonium contractum erit nullum. quia ſicuti dubius, an res aliqua ſit culpa lethalis, nec vitans illam, delinquit mortaliter, quia verè ſe periculo committendi peccatum mortale exponit; ergo ſimiliter quando dubitatur de periculo mortis ex inciſione, verè nequit fœmina inciſionem illam pati, quin mortis periculo ſubdatur, ac ſubinde id impedimentum auferri non poterit abſque mortis diſcrimine, & ita irritum tunc erit matrimonium. quia impotentia coëundi eſſet perpetua, cùm abſque periculo mortis remoueri non poterit: videatur pro hac aſſertione Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 93. num. 15.*

Dvbitatio XVI.

XVI. *An quando impotentia coëundi non poteſt ſubueniri abſque vitæ periculo, & mulier id velit, teneatur vir hoc expectare, vel poſſit ad alias nuptias tranſire?*

Dico vigeſimononò, quando impotentiæ coëundi non poteſt ſubueniri abſque vitæ periculo, quamuis velit mulier id periculum ſubire, vt apta reddatur viro, non tenetur vir id expectare; ſed poteſt matrimonij diſſolutionem petere, atque ad alias nuptias tranſire. quia tunc verificatur, id impedimentum eſſe perpetuum, cùm ceſſare nequeat abſque vitæ periculo: ſic Petrus de Ledeſma *quæſt. 58. de matrim. art.* 1. in dubio, quod mouet circa ſolutionem ad 5. Henriquez *lib. 12. de matrim cap. 7. num. 6.*

Dvbitatio XVII.

XVII. *An validum fuerit matrimonium, quando fœmina, accepto medicamine, non eſt paſſa periculum vitæ, quod antea Medici adeſſe affirmabant?*

Dico trigeſimò, ſi fœmina eſt ita arcta, vt iudicio Medicorum abſque periculo vitæ nō poſſit viro reddi apta, ſi ſuſcepto medicamine habilis efficiatur, prius matrimonium abſque dubio validum fuit, ſi experientia ipſa docuit nulli corporali periculo fuiſſe eam expoſitam, ac Medicos deceptos eſſe. quia impedimentum impotentiæ ceſſauit abſque miraculo, & periculo mortis: ſic benè notauit Petrus de Ledeſma nouiſſimè relatus.

Dico trigeſimoprimò, ſi apertè conſtet re vera mortis periculum eam fœminam ſubiiſſe patiendo inciſionem, vel aliud medicamen adhibendo, & experientiâ comprobatum eſt id periculum adfuiſſe, neque Medicos hoc diiudicando fuiſſe deceptos, ac proinde verum fuiſſe iudicium Eccleſiæ ea Medicorum atteſtatione iudicantis illud periculum, & ob id diſſoluentis matrimonium, tunc irritum fuit matrimonium illud cum tali impotentiæ impedimento. quia tunc ex ipſa experientia conſtat impedimentum non potuiſſe abſque vitæ periculo remoueri: irritum, inquam, fuit illud matrimonium cum tali impedimento contractum, quamuis poſtea fœmina poſt inciſionem, vel aliud medicamen incolumis, & ſana maneat atque apta ad matrimonium. quia, vt dixi, re vera impedimentum abſque periculo vitæ auferri non poterat, & conſequenter erat perpetuum, ſecundùm ſe, dirimens matrimonium, iuxta regulam traditam *c. fraternitatis, de frig. & malefic.* Videatur pro hoc aſſerto Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 7. num. 6.*

Dvbitatio XVIII.

XVIII. *An ſit validum matrimonium viri contractum cum virgine impotentis, ad hanc cognoſcendam potentis, tamen cognoſcere corruptam?*

Dico trigeſimoſecundò, quando vir eſt ita debilis, aut ſenex, vt virgineum fœminæ vas penetrare

nequeat, potens tamen cognoſcere corruptam, cùm in corrupta nulla ſit reſiſtentia ob vaſis fœminei clauſuram, ſi illa viri imbecillitas iuuari poteſt ope medicinæ vt virginem cognoſcere poſſit, manifeſtum eſt valere matrimonium. quia impedimentum tunc cenſetur temporale, ſi abſque vitæ periculo auferri poteſt. hoc aſſertum eſt certiſſimum, iuxta dictum *cap. fraternitatis, de frigid. & malefic.*

Dico trigeſimotertiò, in caſu præcedentis aſſertionis tenetur fœmina illa virgo medicamentum, vel inciſionem admittere, ſi ea admiſſa iudicio Medicorum poſſit abſque periculo vitæ reddi apta viro. quia cùm verum ſit matrimonium, ius ſui corporis tranſtulit in virum; ergo vbi poteſt fœmina abſque magno incommodo ſe aptam reddere viro, tenetur: videatur Lopez *part. 2. Inſtruct. cap.* 52. vbi de matrim. §. *ſed iam hic annotaſſe.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp.* 93 *num.* 34.

Dico trigeſimoquartò, ſi fœmina illa virgo in caſu poſito nolit inciſionem pati, ſiue quia non vult, ſiue quia ad eam patiendam non tenetur cum maximo ſuo incommodo, adhuc matrimonium eſſet validum. quia textus *d. cap. fraternitatis, de frigid. & malefic.* eam regulam generalem tradidit ad dignoſcendum an impedimentum perpetuum ſit, ac dirimens matrimonium, quando per opus humanum abſque corporis periculo tolli nequit; ergo ſi impedimentum, de quo loquimur, poteſt abſque corporis periculo remoueri, etiam ſi illa fœmina virgo nolit per opus humanum auferri, matrimonium validum erit.

Dvbitatio XIX.

XIX. *An mulier quæ non eſt apta viro, cui nupſit, ſi propter hoc diſſoluatur matrimonium, & alteri nubat, & apta ſit reddita per poſterioris viri concubitum, priori reddenda ſit?*

Dico trigeſimoquintò, mulier, quæ viro, cui nupſit, adeò arcta eſt, vt ab eo deflorari nequeat, ſi alteri nubens reddita eſt apta per poſterioris concubitum, non eſt reddenda priori, quando priori viro non poterat reddi apta per artem medicinæ abſque vitæ periculo. quia impotentia illa arctitudinis cenſetur perpetua reſpectu prioris viri, cùm per opus humanum reſpectu illius remoueri non poſſet; ergo irritum fuit matrimonium prius contractum cum illo priori viro; ergo ſi alteri nubens reddita eſt apta per poſterioris concubitum, non eſt reddenda priori, cùm inualidum fuit prius illud matrimonium, propter impotentiam perpetuam: validum autem ſit poſterius irritum cum ſecundo. Ita optimè Sotus noſter *in 4. diſt.* 34. *quæſt. vnica, art.* 2. §. *verumtamen videtur concluſio, & ſequenti §. Nihilominus ad maiorem præcedentis aſſertionis intelligentiam.*

Dvbitatio XX.

XX. *An poſſit dari impotentia naturalis reſpectu vnius, & non reſpectu alterius?*

Dico trigeſimoſextò, poteſt aliquando contingere impotentia perpetua reſpectu vnius, quæ non erit reſpectu alterius, vt quando fœmina eſt arcta vni, & non alteri, nec eſt vllum remedium, quo reddatur lata, & apta priori. Idem dicendum eſt de viro reſpectu fœminæ, propterea quando conſtat de impotentia hoc modo perpetua, poteſt Eccleſia declarare matrimonium inualidum; Eccleſiæ autem poteſt huiuſmodi impotentia conſtare per teſtimonium hominum honeſtorum, qui virum inſpexerint, & per teſtimonium honeſtarum mulierum, quæ fœminam explorauerint. Probatur, & explicatur magis hoc, & præcedens aſſertum. quia ſtare poteſt mulierem tam arctam naturaliter eſſe, & virum ita pinguem, vt illius membrum penetrare nequeat vas fœminæ ita arctæ; cùm tamen vir ille aliis fœminis non ita arctis idoneus ſit, ac illa fœmina non ſit inepta aliis viris non ita pinguibus. Similiter ſtat naturaliter quempiam virum ita debilis virtutis eſſe, vt fœminam virginem penetrare nequeat, quæ ope medicinæ aptari nequit reſpectu viri ita debilis, cùm tamen ſic debilis cognoſcere poſſit corruptam; ergo dari poteſt impotentia naturalis reſpectiua, ac perpetua dirimens matrimonium reſpecto vnius tantùm, aut alterius fœminæ, &c. Videatur Sotus nouiſſimè allegatus. Syl. *verb. matrim.* 8. *quæſt.* 16. *dicto* 4. Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 7 *num.* 9. *littera Q. in commento.* Nauarr. *tom.* 1. *conſil. lib.* 4. *de frigid. & malefic. conſil.* 1 *num.* 2.

Dvbitatio XXI.

XXI. *An Impotentia perpetua poſſit oriri ex diuerſis capitibus.*

Dico trigeſimoſeptimò, ex triplici capite oriri poteſt hæc impotentia coëundi perpetua. Primò ex improportione naturali. quia fœmina poteſt eſſe ita arcta, vt aptari non poſſit arte medicinæ abſque periculo vitæ, vt poſſit à viro carnaliter cognoſci. Similiter quando ob membri vitiiis groſſitiem impeditur copula cum certa fœmina, nec id impedimentum poteſt medicinis auferri, impeditur, ac irritabitur matrimonium cum illa, reſpectu cuius eſt impedimentum. nam hæc impotentia cenſetur perpetua, cùm medicinis remoueri non poſſit à viro, vt hanc fœminam carnaliter cognoſcat ob exceſſum membri virilis: videatur Syl. *loco* nuperrimè *adducto, dicto* 3. Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput.* 93. *num.* 4.

Dico trigeſimooctauò, ſecondò hæc impotentia coëundi poteſt oriri ex frigiditate, quando ſcilicet copula propter frigiditatem conſummari, & ſemen emitti nequit, & hoc impedimentum prouenire ſolet à viro, & non à fœmina. quia fœmina in concubitu eſt patiens, & ad reddendum debitum viro ſufficit quòd patiatur viri actionem in membro naturali; neque eius frigiditas hoc impedit, vt diximus *aſſertione* 10. cum Syl. *verb. matrim.* 8. *quæſt.* 16. *dicto* 4. *ad finem.*

Dico trigeſimononò, impatientia perpetua coëundi poteſt oriri ex maleficio perpetuo ad impediendum congreſſum, & copulam maritalem. quia duo reddunt virum ad Venerem aptum, nempè calor, & ſpiritus: at Dæmon poteſt calorem minuere, ac ſpiritus impedire, vim illis præcludens; ergo ex maleficio perpetuo oriri poteſt hæc impotentia: videatur D. Th. 3. *part. in addit. quæſt.* 58. *art.* 2.

Dvbitatio XXII.

XXII. *An tam viri, quàm fœminæ poſſint reddi impotentes ad copulam per maleficia?*

Dico quadrageſimò, non ſoli viri, ſed etiam fœminæ poſſunt maleficiis impotentes ad copulam reddi. quia Dæmon poteſt efficere ſpeciem in phantaſia mulieris, vt membrum genitale viri aliter appareat, quàm re vera ſit quaſi improportionatæ magnitudinis, ita vt nulla ratione ſinat ſe

cognoſci

cognoſci; ergo etiam fœminæ poſſunt maleficiis per læſionem phantaſiæ impediri à copula carnali: tum, quia ſolet Dæmon quandoque vas fœmineum ita arctare, vt præ nimia arctitudine à viro cognoſci nequeat. ergo. Ita optimè Sotus noſter *in 4. diſt. 34. quæſt. vnica, art. 3. §. Verumtamen, verſic. quod quidem incommodum.* Pro maiori intelligentia duarum præcedentium aſſertionum,

Dvbitatio XXIII.

XXIII. *Quid ſit maleficium, & quando ſit impedimentum diriment matrimonium, & quando cenſeatur perpetuum?*

Dico quadrageſimoprimò, maleficium peccatum eſt generale, quo quis nocet proximo: vſurpatur tamen appropriatè pro peccato quo quis nocet proximo per aliquam Dæmonis poteſtatem, vel inuocationem. quod ſic poteſt diffiniri, Maleficium eſt ars nocendi aliis Dæmonis poteſtate, vel per aliquam Dæmonis inuocationem: videatur Caiet. *ſumma verb. maleficium, num.* 1. Syl. *eod. verb. in principio.* Magia verò eſt inordinata poteſtas faciendi quod ſupra naturam eſt. Tol. *ſumma lib. 4. cap. 14. num. 3.* ſicuti diuinatio eſt inordinata enarratio eorum, quæ per naturam cognoſci non poſſunt. Armilla *verb. diuinatio.*

Dico quadrageſimoſecundò, dicitur maleficium perpetuum impedimentum dirimens matrimonium, quando coniuges poſt experientiam triennalem non potuerunt copulam habere præmiſſis precibus, & aliis licitis remediis pro maleficio amouendo: videatur *cap. laudabilem, de frig. & malefic.* S. Thom. *3. part. in addit. quæſt. 58. art. 2. corpore.* Et quòd maleficij impedimentum poſſit eſſe perpetuum, dirimens conſequenter matrimonium, probatur. nam ſi Dæmon ſemel, vel ſæpiùs poteſt impedire copulam, permittente Deo; ergo ſemper cùm per voluntatem operetur. Ita docet ſanctiſſimus Præceptor nuperrimè relatus.

Dico quadrageſimotertiò, quando maleficium perpetuum factum eſt tantummodo reſpectu coniugum præſentium, & non reſpectu aliorum omnium, poſſunt tunc coniuges facto diuortio matrimonium contrahere cum aliis. Probatur, quia reſpectu aliorum non cenſetur impotentia perpetua: videatur Bonacina *tom. 1. tract. de matrimon. quæſt. 3. puncto 13. num. 9. verſ. aduertendum.* Armilla *verb. matrim. num. 49.*

Dico quadrageſimoquartò, cenſetur maleficium perpetuum ſi non poſſit auferri per opus humanum, niſi per aliud maleficium. quia impedimentum cenſetur perpetuum, quod abſque peccato remoueri nequit: at maleficium maleficio tollere grauiſſimum eſt ſcelus; ergo. Videatur D. Thom. *in 4. diſt. 34 q. vnica, art. 3. ad 3.* Lopez noſter *part. 2. Inſtruct. cap. 52.* vbi de matrim. *§. Deinde aduertendum.*

Dico quadrageſimoquintò, maleficium ſimiliter cenſetur perpetuum, quamuis tolli poſſit per diuinum miraculum: ſecus ſi remoueri poteſt per orationes, & Eccleſiæ exorciſmos. quia oratio, ieiunium, & huiuſmodi opera non tantùm ad tollendum maleficium inſtituta ſunt, ſed etiam ad impetrandum cuiuſcumque morbi ſanitatem, nec conſequutio illius his mediis appoſitis cenſetur miraculoſa; ſimiliter nec cenſetur miraculum per Eccleſiæ exorciſmos maleficium tolli: videatur *cap. finale 33. quæſt. 1.* Sotus *in 4. diſt. 34. quæſt. vnica, art. 3. §. Vnum autem hic.*

Dvbitatio XXIV.

XXIV. *An liceat ſoluere maleficio maleficium, vel adire maleficium, ad illud ſoluendum?*

Dico quadrageſimoſextò, non licet maleficium alio maleficio ſoluere, quantumuis faciens tale maleficium ſit paratus ad hoc facinus perpetrandum. quia maleficium ſecundùm ſe malum eſt: ſecus eſt de eo, qui petit mutuum ab vſurario. nam mutuare poteſt licitè fieri gratis mutuando: videatur Armilla *verb. maleficium, num. 2.*

Dico quadrageſimoſeptimò, poteſt tamen quis licitè conuenire maleficum, & eum rogare, imò & pecuniam ab eo extorquere, vt maleficij ligaturas, quas habet ſepultas, aut ſuſpenſas, aut alicubi aſſeruatas, inde dimoueat, aut diſſoluat. quia id non eſt maleficio vti; ſed quod factum eſt, deſtruere. Ita optimè Sotus noſter *in 4. diſt. 34. quæſt. vnica, art. 3. §. Eſt tamen.*

Dico quadrageſimooctauò, ſi maleficus plura media ad ſoluendum maleficium noſſet, quædam licita, quædam verò illicita, ab eo poſſemus petere vt maleficium ſolueret. nam petitur à malefico ſolutio maleficij, quam poteſt medio licito facere, quod ſi alio maleficio faciat, ſibi tribuendum eſt. quia licitè poſſumus petere ab vſurario mutuum, & ab infideli iuramentum. nam vterque licitè poteſt & ille gratis mutuare, & iſte licitè iurare per verum Deum. ergo ſimiliter, &c. Videatur noſter Petrus de Ledeſma *de matrim. quæſt. 58. art. 2. dub. 2.* Sanchez *lib. 7. de matrim diſput. 95. num. 12.* Quamuis alij oppoſitum tenuerint: nam petens ſolui maleficium à malefico, eſt moraliter certus fore, vt maleficus medio illicito illud ſoluat.

Dico quadrageſimonono, quando dubium eſt an maleficus ſcierit aliquod medium licitum ad diſſoluendum maleficium, nécne, tunc quærendum ab eo, quæ media nouit, quod ſi renuat explicare, vehemens eſt ſuſpicio contra illum. quia frequentiùs ſola media ſuperſtitioſa norunt malefici ad ſoluenda maleficia, & tunc non licet petere à malefico vt maleficium tollat: quia vti medicina vana, ac ſuperſtitioſa, nullam vim ſecundùm ſe habente, niſi ope, & inuocatione explicita, vel implicita Dæmonum, eſt intrinſecè malum. ergo, &c.

Dvbitatio XXV.

XXV. *An coniuges, quibus conſtat eſſe impedimentum perpetuum matrimonium dirimens, poſſint licitè petere debitum, deoſculari, &c. ac ſimul cohabitare?*

Dico quinquageſimò, coniuges, quibus conſtat adeſſe impedimentum perpetuum, ſiue hoc procedat ex improportione naturali, ſiue ex frigiditate, ſiue ex maleficio perpetuo, ſi hoc impedimentum perpetuum anteceſſit matrimonium, non poſſunt licitè petere debitum, nec poſſunt delectari, nec laſciuè ſe amplecti, aut impudicè tangere, aut carnaliter oſculari. quia matrimonium celebratum cum impotentia, perpetuò eſt inualidum; ſed actus coniugales, quales ſunt reddere debitum, & illud petere, delectari carnaliter, laſciuè ſe tangere, & oſculari, non poſſunt exerceri exiſtente matrimonio inualido. ergo. Ita probè notauit Sotus *in 4. diſt. 34. quæſt. vnica, art. 2. §. Ex quo ſit quòd non poſſunt.*

Dico quinquageſimoptimò, cognitâ impotentia præcedenti perpetua poſt matrimonij contractum ſi continenter viuere volunt, & cohabitare, ſic contrahentes inſtar fratris, & ſororis citra dubium id poſſunt facere, & iudex Eccleſiaſticus non poterit denegare cohabitationem, quia id expreſsè conceditur *cap. conſultationi, & cap. laudabilem, de frigid. & maleſic.* Tum, quia Sixtus V. in ſuo proprio Motu, edito circa Eunuchorum matrimonia 1587. cuius initium eſt, *Cùm frequenter in iſtis regionibus*, ſolùm eos ſeparari iubet quando incontinenter viuunt, aut in eodem lecto dormiunt: tum, quia licèt aliquando talis habitatio ſit periculoſa, at frequenter caret periculo: videatur Sotus nouiſſimè relatus *ad finem illius articuli ſecundi, ſolutione ad tertium argumentum.* Nauarr. *tom. 2. conſil. lib. 4. tit. de frigid. & maleſic. conſil. 3. num. 1.*

Dico quinquageſimoſecundò, quando poſt matrimonium conſtat iam de impotentia perpetua, nec illi poſſunt continenter vti frater, & ſoror viuere, tenentur reclamare, vt auctoritate Eccleſiæ diſſoluatur matrimonium, cùm aliter abſque ſcandalo ſeparari nequeant, ſtante præſumptione matrimonij in foro Eccleſiæ. quòd ſi ceſſante ſcandalo ſeparari poſſent, ad id non tenerentur; quia tunc ceſſaret cauſa ad reclamandum, & poſſunt tunc propria auctoritate ſeparatim viuere: videatur Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 97. num. 8.*

Dubitatio XXVI.

XXVI. *An vir, & fœmina cognoſcentes ante matrimonium impotentiam perpetuam, poßint contrahere ad mutua ſubſequia?*

Dico quinquageſimotertiò, quando ab initio cognitâ impotentia antequam celebrent matrimonium volunt vir, & fœmina non vero matrimonio copulari, ſed quoddam ſocietatis vinculum inire, quo ſimul habitantes ad mutua ſe ipſos obſequia obligent, vt fœmina inſeruiat viro, & hic illi alimenta miniſtret, id licitum eſt, dummodo periculum incontinentiæ non ſubſit. quia cùm poſſint alios contractus ciuiles inter ſe inire, poterunt etiam & hunc: tum, quia comperta poſt celebratum matrimonium eiuſdem nullitate poſſunt ſic permanere inſtar fratris, & ſororis; ergo ab initio ante celebrationem matrimonij comperta impotentia poterunt ſic conuenire, dummodo, vt dixi, non ſubſit periculum incontinentiæ. Ita præclarè obſeruauit Lopez noſter *part. 2. Inſtruct.* vbi de matrim. *cap. 52. §. tertiò dicitur.*

Dubitatio XXVII.

XXVII. *An liceat coniugibus habere copulam, quando dubitatur de impotentia perpetua?*

Dico quinquageſimoquartò, quando non conſtat adeſſe impotentiam perpetuam, ſed tantummodo dubitatur, permittuntur coniuges ſimul cohabitare per triennium, vt matrimonium conſumment, & vti poſſunt actibus coniugalibus, quales ſunt reddere, petere debitum, tangere, & oſculari, quo tempore ſi nequeant conſummare, non ampliùs permittuntur cohabitare ad conſummandum matrimonium. quia iudicatur ratione poſt experientiam triennalem adeſſe impotentiam perpetuam, & conſequenter inualidum eſſe matrimonium, & ſic non poſſent vti actibus coniugalibus, imò ſi adeſt periculum incontinentiæ, facienda eſt ſeparatio: ſecluſo verò periculo incontinentiæ iura permittunt, *cap. laudabilem, & cap. conſultationi, de frigid. & maleſic.* vt vir habeat tantùm ſororem, quam non poteſt habere vxorem: videatur *cap. laudabilem, & cap. finale, de frigid. & maleſic.* Bonacina *tom. 1. tract. de matrim. quaſt. 3. punct. 13. num. 20.*

Dubitatio XXVIII.

XXVIII. *An ducens fœminam, habens impedimentum, cui ſubueniri poteſt per inciſionem, quam ipſa renuit, poßit vti amplexibus, &c.*

Dico quinquageſimoquintò, ducens fœminam arctam, cui per inciſionē ſubueniri poteſt, quam ipſa renuit, poteſt eius amplexibus aliiſque tactibus frui abſque pollutionis periculo. quia legitimum eſt matrimonium, quamuis copula ſit impoſſibilis, dum ipſa inciſionem refugit. Ita benè Lopez noſter *p. 1. Inſtruct. cap. 79. §. Neque diſplicet.* Rodriquez *part. 1. ſumma, cap. 242. num. 9.* Angles *in floribus part. 1. de matrim. quaſt. de impedimentis matrimonij, art. 1. diffic. 1. dubio 9. §. Hinc vir, fol. 589. mihi.*

Dubitatio XXIX.

XXIX. *An ſi poſt celebratum matrimonium, impotentia perpetua ſuperuenerit, coniuges poßint vti actibus coniugalibus, vel amplexibus, oſculis, &c.*

Dico quinquageſimoſextò, quando vir poſt celebratum matrimonium in eam impotentiam incidit vt intra vas fœmineum ſeminare nequeat, vel fœmina ita arcta effecta eſt, vt ſemen recipere non valeat, & hoc prorſus deſperatum eſt, non licet iſtis coniugibus coniugalis acceſſus cum illius externæ ſeminationis periculo. quia copula coniugibus permiſſa eſt ſolùm intra vas legitimum; ergo vbi hæc eſt impoſſibilis, non licebit. Sotus nuperrimè relatus *§. ex quo ſit, quòd non poſſunt laſciuè. verſic. & multò minus.* Rodriquez *vbi ſuprà, num. 9. ad finem.* Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 17. num. 2.*

Dico quinquageſimoſeptimò, ſi poſt celebratum matrimonium vir incidit in perpetuam impotentiam, ita vt deſperatum ſit in vas fœmineum ſeminare poſſe, vel fœmina ita arcta effecta eſt, vt ſemen recipere non valeat, non licet iſtis coniugalis acceſſus cum continuo periculo externæ ſeminationis, propter rationem allatam præcedenti aſſerto: his tamen coniugibus liciti ſunt tactus, amplexus, & oſcula, ſi pollutionis periculum abſit, quia hi ſunt veri coniuges; ergo tactus, amplexus, & oſcula ſunt eis permiſſa, licèt ad copulam coniugalem tanquam impoſſibilem ea referre nequeant, & poſſunt ad concupiſcentiam carnis ſedandam, & ad amoris mutui ſigna præbenda referre. Ita colligitur apertè ex Soto *in 4. diſt. 34. q. vnica, art. 2. §. ex quo ſit, verſic. imò verò.*

Dico quinquageſimooctauò, ſi poſt contractum matrimonium impotentia coëundi ſuperuenit, illaque eſt dubia, licebit contrahentibus petere, & reddere, & vti multò magis tactibus, amplexibus & oſculis. quia eo manente dubio de impotentia coëundi ante contractum matrimonium, coniuges ius habent in matrimonio perſeuerandi, idque impedimentum inueſtigandi, quod fieri ſufficienter nequit, niſi operi coniugali vacando; ergo multò magis ſi

ſi illa impotentia dubia ſuperuenit poſt celebratum matrimonium, certius, & fortius ius coniuges habent coniugali copulæ vacandi, experiendique num impotentia illa ſeminandi intra vas perpetuò ſit. Ita præclarè Caiet. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 1. §. *Ad ſecundum verò caſum, verſic. ſecus autem eſſet*, Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 16. *num.* 7. *& cap.* 15. *num.* 4. *in commento littera N.*

Dvbitatio XXX.

XXX. *An ſenes impotentes ſeminare intra vas, poſſint vti actibus coniugalibus, cum periculo ſeminationis externæ?*

Dico quinquageſimononò, coniuges ſenes, quibus vires, poteſtáſque ſeminandi intra vas deficiunt, ſi conſtat impotentiam ſeminandi intra vas fœmineum eſſe perpetuam, poſſunt quidem actibus citra pollutionis periculum vti, quia ſunt veri coniuges: non autem eis licebit copula cum eo certo periculo fundendi ſemen extra vas. quia, vt ſuprà dixi, copula eſt coniugibus conceſſa, & licita intra vas fœmineum; ergo vbi hæc eſt impoſſibilis, tunc non licebit. Ita benè Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 17. *n.* 23.

Dico ſexageſimò, ſi ſenes poſt celebratum matrimonium haberent aliquam ſpem intrà ſeminandi, aut aliquando intrà ſeminent, licèt cum periculo externæ ſeminationis ad copulam nitantur, poſſunt licitè copula vti cum eo periculo. quia *cap. laudabilem, de frig. & malef.* conceditur triennalis experientia coniugibus dubitantibus, num impotentia perpetua ſit, ac ſubinde an matrimonium valuerit: & tamen illo ſpatio conſtat aut ſemper, aut ſæpè fore, vt ſemen extra vas decidat, & ſtante tali periculo, eſt licitum conari ad copulam, idque iure approbatur; ergo multo magis hoc licebit ſenibus poſt contractum iam validum matrimonium: ſi ſubeſt aliqua ſpes intus ſeminandi. Laymann *tom.* 2. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 11. *num.* 6. §. *Quòd ſi maritus ob ſenium, verſic. ſin verò.*

Dico ſexageſimoprimò, vbi non conſtat impotentiam coëundi eſſe perpetuam, quamuis vir perſuadeat ſibi fore, vt illa vice, qua congreditur, non poſſit intra vas ſeminare, poteſt talis ſenex, ſiue alius vir iuuenis ſit, depoſita conſcientia accedere ad vxorem licitè, & niſi ad copulam. quia cùm de externa ſeminatione non ſit certus, fieri enim poteſt vt præ voluptate coitus membrum vires aſſumat, erigatúrque, atque ita poſſit vas penetrare, & intra ſemen effundere; ergo cùm iure talis copula concedatur, poterit vir ille depoſita illa conſcientia ad copulam licitè niti, cùm ſubſit aliqua ſpes intus ſeminandi: veritas huius aſſertionis colligitur ex *cap. laudabilem, de frig. & malef.*

Dvbitatio XXXI.

XXXI. *An debeat prohiberi vſus coniugij, quando fœmina non poteſt intra vas retinere ſemen?*

Dico ſexageſimoſecundò, nullatenus eſt interdicendus coniugij vſus ſi fœmina intra vas proprium fœmineum ſemen receptum à viro retinere non poteſt, ſed prorſus expellit, nec ſpes retinendi ſubeſt. quia illa eſt perfecta copula coniugalis eo ipſo, quo ſemen intra vas naturale recipitur per accidens, aut euenit ſeminis legitimè recepti expulſio. Tum, quia matrix fœminæ retinet ſæpè neceſſarium ſemen ad generationem, ſuperfluo expulſo. Ita benè Lopez noſter *part.* 1. *Inſtruct. cap.* 79. §. *Dubio de quo ſum.*

Dvbitatio XXXII.

XXXII. *An ſenibus decrepitis, qui aliàs validè contraxerunt, denegandus ſit coniugij vſus?*

Dico ſexageſimotertiò, ſenibus decrepitis, qui validè iam contraxerunt, ſi poſtea proceſſu temporis præ nimia ſenectute iam intra vas omnimodè ſeminare non valent, non denegatur vſus coniugij, ſi aliàs coire valeant, licèt deſperatum ſit quòd intra vas ſeminent. quia cùm ſit conſtans matrimonium per illam copulam, finis matrimonij ſecundarius obtinetur, nempè ardorem concupiſcentiæ ſedare. Idem dicendum de facto Eunucho poſt matrimonium celebratum, poſſe ſcilicet hunc coire ſi habet virgam, & illam erigere poteſt, quamuis ſeminare non poſſit, ſi careat vtroque teſticulo. Toletus *ſumma lib.* 7. *cap.* 16. *num.* 2. Præcedens tamen hæc impotentia perpetua intra vas fœmineum ſeminandi reddit hominem inhabilem ad nuptias contrahendas, vt diximus *in hoc art. ſuprà, num.* 22.

Dvbitatio XXXIII.

XXXIII. *An quando dubitatur de impotentia perpetua, poſt matrimonium contractum, poſſint coniuges copulâ vti?*

Dico ſexageſimoquartò, quando poſt contractum matrimonium ſuperuenit impotentia coëundi, & intra vas fœmineum ſeminandi, vbi dubium eſt de prædicta impotentia, num ſit perpetua, tamdiu licitum eſt ad id conari, ídque experiri, quandiu eſt probabilis ſpes ſeminandi intra vas, quamuis eo medio tempore conando ad copulam per accidens, ac præter intentionem, ſequatur externa ſeminis effuſio: tum, quia in tali caſu Doctores nullam aliam temporis moram præſcribunt, niſi dum eſt ſpes, &c. Tum, quia Caietan. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 1. §. *Ad ſecundum verò caſum, verſ. ſecus autem eſſet*, quem multi DD. ſequuntur, aſſerit impotentem, qui per ſex annos expertus fuit, & tandem potuit, eo medio tempore conando ad copulam minimè, deliquiſſe: & tamen illo ſpatio conſtat aut ſemper, aut ſæpè fore, vt ſemen extra vas deciderit; ergo. Videatur pro hac aſſertione Caietan. loco nuperrimè adducto. Henriquez *lib.* 11 *de matrim. cap.* 15. *num.* 4. *in commento litt. M.*

Dico ſexageſimoquintò, quando poſt matrimonium impotentia illa coëundi, & intus ſeminandi, omnibus circumſtantiis conſideratis eſſet omninò dubium, num ſit perpetua, nulla alia certior mora præſcribi poteſt ad id experiendum, quàm ea, quæ præſcripta eſt *in cap. laudabilem, de frig. & malef.* nempè vt triennalis experientia concedatur. quia ſicut in eo capitulo, vbi eſt dubium de impotentia præcedenti matrimonium ad dirimendum omninò matrimonium, conceditur triennalis experientia; ergo in noſtro caſu, vbi impotentia poſt contractum matrimonium ſuperuenit, & omninò dubium eſt, an ſit perpetua ſufficiens experientia, capietur illo triennij ſpatio ad diſſoluendum matrimonium, quoad copulam perpetuam ne ſit illa impotentia, an temporalis: videatur pro hac aſſertione Sanchez *lib.* 9. *de matr. cap.* 17. *num.* 26.

Dvbitatio XXXIV.

XXXIV. *An in ſenibus tempus triennalis experientiæ ſit expectandum, ſi de illorum impotentia dubitetur?*

Dico ſexageſimoſextò, in ſenibus autem idem tempus, triennalis ſcil. experientiæ, non eſt expectandum, ſi poſt matrimonium iam celebratum ſuperuenit talis impotentia intus ſeminandi, ſed ſufficit tempus arbitrio prudentis taxandum; quia id triennium conceditur ad experiendum an decurſu temporis, ac longo vſu natura vires aſſumat, vt poſſit vir mulierem cognoſcere; ſed in ſenibus quotidie debilior natura redditur, ac vires deficiunt. ergo ſatis erit iudicem tempus arbitrarium concedere, quo experiatur an medicamine aliquo adhibito poſſit natura vires aſſumere ad copulam coniugalem.

Dico ſexageſimoſeptimò, ſi vir dum bona fide legitimè congredi cum vxore conatur, feſtinantius fortaſsè extra vas ſemen emittit, non eſt hoc vitio dandum. quia illud feſtinationi naturæ adſcribendum eſt, non voluntati congredientis: imò etiamſi metus aliquis, vel dubium priùs eum ſubierit. quia de externa ſeminatione non eſt certus, & aliàs dat operam rei licitæ. ergo practicè depoſito metu, & conſcientia illa dubia poterit congredi: videatur pro hac aſſertione Sotus *in 4. diſt. 31. art. 4 ad finem, §. Appendix autem, verſic. item ſi dum vir.*

Dvbitatio XXXV.

XXXV. *An ſint ſtatim ſeparandi coniuges, de quibus conſtat, contraxiſſe cum impotentia perpetua, vel cum dubio illius? & quomodo ſit cognoſcendum, an impotentia perpetua anteceſſerit matrimonium, vel illud ſubſequuta fuerit?*

Dico ſexageſimooctauò, ſi conſtat Medicorum, vel obſtetricum iudicio matrimonium cum vnius, vel vtriuſque impotentia antecedenti perpetua fuiſſe contractum, ideóque irritum eſſe, ſtatim hi ſunt ſeparandi, ſaltem quoad torum: nam ſi fraternæ ſocietatis vinculo inter ſe conuiuere, & cohabitare conſentiant, abſtinentes ab omni carnis commixtione, tactibus impudicis, oſculis, & amplexibus, id eis permiſſum eſt, iuxta *cap. laudabilem, & cap. conſultationi, de frigid. & malefic.*

Dico ſexageſimononò, ſi non ſatis conſtet, an impotentia illa antecedens matrimonium ſit perpetua, an temporalis, tunc ad experiendum triennij ſpatium eis conditur, *in cit. cap. laudabilem*, vt interim conari eis licitum ſit ad copulam, etiamſi per accidens pollutio extra vas eueniat. quia dant operam rei licitæ iure conceſſæ, & præter ipſorum intentionem accidit pollutio extra vas. Ita benè Sotus *in 4. diſt. 34. q. vnic. art. 1. §. quapropter adhibetur hic, verſic. ſi verò impeditur.*

Dico ſeptuageſimò, elapſo triennio, nulláque ſequuta emendatione, toro ſeparari debent, permiſſa licentia coniugi, qui potens eſt ad alias nuptias tranſeundi, vel vtrique coniugum, ſi vtrumque erga alias perſonas potentem oſtendi, vel præſumi poſſit. quia tunc videatur adeſſe impotentiam perpetuam, & conſequenter inualidum, & irritum declaratur illud matrimonium cum tali antecedenti impotentia contractum. Ad hæc autem opus eſt Eccleſiæ auctoritate, tum propter ſcandalum vitandum, tum propter erroris periculum: imò ſi opus eſt, periti Medici ad hoc diiudicandum adhibendi erunt: videatur Layman *tom. 2. ſumma, lib. 5. tract. 10. part. 4. cap.* 11. vbi de impedimentis matrim. *num. 5.*

Dico ſeptuageſimoprimò, elapſo triennio quod ad experiendum conceditur, conſtare poteſt nunquam matrimonium conſummaſſe, ſi mulier, quæ nupſit, erat virgo, & poſt triennalem experientiam elapſo triennio per inſpectionem honeſtarum matronarum adhuc inuenitur virgo, tunc pro certo eſt non fuiſſe conſummatum matrimonium: nam honeſtis matronis id aſſerentibus, & teſtificantibus, adhibenda eſt fides, vt habetur *cap. propoſuiſti, de probatio.* Ita benè Sotus *in 4. diſt. 34. quæſt. vnic. art. 2. §. Rogas autem.*

Dico ſeptuageſimoſecundò, ſi verò fœmina, quæ diuortium petit, erat corrupta, & negat viri potentiam ad conſummandam copulam: vir autem iurat ſe eam carnaliter cognouiſſe, viri iuramento in fauorem matrimonij ſtandum eſt. quia vir eſt caput fœminæ. Ita ſancitur *cap. ſi quis 33. quæſt. 1. & cap. 1. de frigid. & malefic.*

Dico ſeptuageſimotertiò, ſi ambo negant conſummaſſe matrimonium, & res hæc probari nequeat, quia difficilis eſt probatu, per teſtes oculares, tunc referenda eſt ad teſtes de auditu, qui ab ipſis audierint matrimonium conſummaſſe, aut non conſummare valuiſſe, qui ſi fieri poteſt ſeptem debent eſſe iurati, aut amborum iuramento ſtandum eſt. Ita Sotus nouiſſimè adductus, Lopez noſter *part. 2. Inſtruct.* vbi de matrim. *cap. 52. in principio, §. Circa prædictam doctrinam, verſic. ſi verò ipſa, quæ.*

Dico ſeptuageſimoquartò, quando dubitatur, an impotentia præceſſerit, an ſubſequuta ſit matrimonium: tunc, ſi impotentia eſt naturalis, puta proueniens ex frigiditate viri impotentis ad erigendum virile, & intra vas fœmineum ſeminandum, in tali dubio præſumitur eam præceſſiſſe, & ſic matrimonium eſſe irritum. quia naturalia ſunt perpetua, & qualitatem, quæ à natura eſt, ſemper ineſſe præſumitur: videatur Syl. *verb. matrimonium* 8. *quæſt. 16. dicto 9* Sà *eod. verb.* vbi de impedimentis matrimonij, *in impedimento impotentia, in fine.*

Dico ſeptuageſimoquintò, quando dubitatur an impotentia præceſſerit, vel ſubſequuta ſit matrimonium: ſi impotentia eſt accidentalis, vt ex maleficio, aut abſciſſione, aut ex quolibet alio morbo conſurgens, & ſufficienti diligentia præmiſſa conſtare nequit, an illa matrimonium præceſſerit, vel potiùs ſubſequuta ſit, ſatis eſt probabile præſumi eam præceſſiſſe, ac proinde inualidum eſt matrimonium, quia in dubiis iudicandum eſt in fauorem matrimonij, quando matrimonium poteſt ſortiri ſuum effectum, id eſt, procreationem prolis, ne quod fauore alicuius inductum eſt, in eius damnum retorqueatur. *reg. quod gratia, de reg. iur. in 6.* ſed hunc effectum non poteſt matrimonium ſortiri, iudicando impotentiam accidentalem, puta maleficium fuiſſe factum poſt matrimonium. nam cum hoc maleficio non ſtat procreatio, & generatio; ergo: videatur pro hoc aſſerto Syl. nuper relatus, Sà *vbi ſuprà.* Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 8. num. 3.* Bonacina *tom. 1. tract. de matrim. quæſt. 3. punct. 3. num. 11. §. ſed mihi probabilius*, licèt Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 103. num. 5.* tenuerit eſſe verius impotentiam illam accidentalem præſumi ſubſequutam eſſe matrimonium, ac proinde matrimonium fuiſſe validum.

Dvbitatio XXXVI.

XXXVI. *An quando dubium eſt, an impotentia perpetua præceſſerit contractum matrimonij, néc ne, præſumendum ſit pro valore matrimonij?*

Dico ſeptuageſimoquintò, quando non verſatur dubium circa anteceſſionem impotentiæ, ſed dubitatur an vera impoténtia ſit, & an matrimonium conſummatum ſit, néc ne, & adhibita ſufficienti diligentia id dubium vinci nequit, in hoc dubio præſumitur pro matrimonij valore, nec illud ſemel initum poteſt diſſolui. quia quilibet naturaliter ſupponitur potens quando oppoſitum apertè non conſtat, & aſſerenti veram impotentiam, vbi ea dubia eſt incumbit onus eam probandi, & dum ea non fuerit certò probata, præſumitur pro naturali potentia, ac ſubinde pro matrimonij valore. Ita benè Sotus *in 4. diſt. 34. q. vnica, art. 2. § Rogas autem, verſ. & re dubia.* Lopez noſter *p. 2. Inſtr.* vbi de matrim. *c. 52. § Circa prædictam doctrinam, in fine, verſic. & in re dubia.*

Dvbitatio XXXVII.

XXXVII. *An dubius, an ſit potens ad copulam, néc ne, licitè contrahat matrimonium?*

Dico ſeptuageſimoſextò, ei, cui non plenè cognita eſt propria impotentia, culpæ tribuendum eſt ſi ad matrimonium tranſeat; dubius igitur de ſua potentia an ſit potens ad copulam, néc ne, non licitè contrahit matrimonium. quia ſe exponit periculo irritandi matrimonium: tum, quia Eccleſia concedens triennium experientiæ non permittit in eo dubio impotentiæ matrimonium contrahi, ſed quando ſemel legitimè irritum eſt, ac ſuboritur id dubium, concedit illud ſpatium ad indagandam veritatem, vt conſtet an matrimonium ſit diſſoluendum, non autem concedit Eccleſia, vt licitè iniri poſſit matrimonium, quando dubium eſt de impotentia.

Dvbitatio XXXVIII.

XXXVIII. *An diſſoluto matrimonio, ob impotentiam perpetuam, falsò putatam, ſi vir tranſierit ad ſecundas nuptias, errore comperto, prius matrimonium reintegrari debeat?*

Dico ſeptuageſimo ſeptimò, quando matrimonium fuit diſſolutum ab Eccleſia, quæ iudicauit adeſſe impotentiam perpetuam, & vir facta diſſolutione primi matrimonij tranſiit ad ſecundas nuptias, ſi poſtea compertus eſt error, & deceptio iudicis, eo quòd verè non fuerit impotentia perpetua, ſed tantummodo temporalis: vt ſi matrimonium diſſolutum eſt propter nimiam fœminæ arctitudinem, ob quam iudex diiudicauit minimè cognoſci poſſe à viro, & eius inciſionem fieri non poſſe ſine periculo vitæ: ſi poſtea compertus eſt error eo quòd tranſiens ad ſecundas nuptias illa fœmina facili inciſione aptari potuit ad copulam: tunc prius matrimonium debet reintegrari, & poſterius putatitium diſſolui. quia arctitudo fœminæ, quæ facili inciſione poteſt à fœmina auferri, non eſt impotentia perpetua, quæ diſſoluat matrimonium, ſed tantùm temporalis; ergo prius matrimonium contractum cum illa arctitudine fœminæ, quæ facili negotio potuit remoueri, fuit validum; ergo ſecundæ nuptiæ inualidæ fuere; ergo comperta veritate, primum matrimonium debet reintegrari, ſecundum verò diſſolui: videatur D. Thom. 3. *part. in additione, quæſt. 58. art. 1. in fine corporis.* Syl. *verb. matrimonium* 8. *quæſt.* 16. *dicto* 4. Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 7. num. 9.*

Dico ſeptuageſimooctauò, non propterea ſtatim quòd à poſteriori viro poſt matrimonij ſeparationem cognoſci potuit fœmina illa arcta, præſumendum eſt prius matrimonium malè ſeparatum fuiſſe, cùm ob diſparitatem virorum potuerit eſſe illa arctitudo, vera impotentia reſpectu prioris, non item reſpectu poſterioris. quia viri contrahentes cum illa fœmina poſſunt eſſe diſſimiles. nam prior potuit eſſe ſenex, vel debilis, vel alium defectum in virili membro pati, ob quos defectus fœmina illa facili inciſione aptari non potuit ad copulam cum illo habendam: poſterior autem potuit eſſe iuuenis, vel robuſtior, vel eo defectu membri virilis carere; ergo facili negotio potuit illa fœmina aptari ad copulam poſteriori viro, non autem priori; ergo potuit eſſe, & diiudicari illa impotentia reſpectu prioris perpetua, non autem reſpectu poſterioris, ſed tantùm temporalis; ergo non propterea ſtatim, &c. Videantur Syl. & Henriquez *locis* nuper *adductis.* Laymann *ſumma tom. 2. lib. 5. tract. 10. p. 4. cap.* 11. vbi de impedimentis matrim. *n. 5. § Quod ſi verò, verſic. non propterea ſtatim.*

Dvbitatio XXXIX.

XXXIX. *An vir, ingrediens Religionem, ob diſſolutionem matrimonij, dum comprehenditur, impotentiam non fuiſſe perpetuam, ſi Profeſſus ſit debeat redire ad vxorem? vel, ſi ambo ſunt Profeſſi, profeſſio ſit valida? vel, ſi vnus tranſiiſſet ad ſecundas nuptias, debeat redire ad primas?*

Dico ſeptuageſimononò, quando matrimonium diſſolutum fuit ab Eccleſia, quæ iudicauit adeſſe impotentiam perpetuam, & vir facta diſſolutione matrimonij ingreſſus eſt Religionem, in eáque profeſſionem emiſit, ſed poſtea compertus eſt error, & deceptio iudicis, eo, quòd verè nõ fuerit impotentia perpetua, ſed temporalis, talis ſi Profeſſus eſt ante conſummatum matrimonium, non debet redire ad vxorem. quia matrimonium ratum diſſoluitur per profeſſionem: videatur *c. ex publico, de conuerſ. coning.* Sotus *in 4. diſt. 34. quæſt. vnica, art. 2. concluſ. 4. verſ. ſecus ſi Religionem f*[illegible]*iſſet profeſſa.*

Dico octogeſimò, ſi verò vterque coniux facta ſeparatione ingreſſus eſt Religionem, in eáque Profeſſus eſt, ſed poſtea cognitum fuit impedimentum, propter quod facta fuit ſeparatio, non eſſe perpetuum, ſi profeſſio facta fuit poſt conſummatum matrimonium, non irritat matrimonium. quia conſummatum matrimonium non diſſoluitur per profeſſionem: videatur *cap. cit. ex publico inſtrumento, de conuerſione coniugatorum.*

Dico octogeſimoprimò, quando vnus coniugum iniit ſecundas nuptias, & alter profeſſionem emiſit in Religione, credens inualidum fuiſſe prius matrimonium ob impotentiam præſumptam perpetuam, quæ re vera non erat perpetua, ſi matrimonium erat conſummatum, inualidæ ſunt ſecundæ nuptiæ. quia adhuc perſeuerat vinculum prioris matrimonij conſummati, quod non fuit diſſolutum per profeſſionem alterius, non enim matrimo-

nium conſummatum diſſoluitur per profeſſionem alterius in approbata Religione.

Dico octogeſimoſecundò, ſi matrimonium non erat conſummatum, ſi coniux tranſiens ad ſecundas nuptias eas iniit ante profeſſionem alterius, ſecundæ nuptiæ inualidæ fuerunt, propter impedimentum ligaminis. nam celebratæ ſunt adhuc ſubſiſtente vinculo prioris matrimonij. non enim matrimonium ſolum ratum diſſoluitur per ingreſſum in Religionem, ſed per profeſſionem in ea emiſſam; ergo ſecundæ nuptiæ celebratæ ante profeſſionem emiſſam, nullæ ſunt; vnde vt validæ fiant, requiritur nouus conſenſus poſt profeſſionem coniugis.

Dico octogeſimotertiò, ſi matrimonium non erat conſummatum, ſed tantùm ratum, ſi coniux iniit ſecundas nuptias poſt emiſſam profeſſionem, validum eſſe ſecundum matrimonium. quia prius matrimonium non conſummatum diſſolutum fuit per profeſſionem alterius coniugis in Religione; ergo alter coniux remanens in ſæculo, potuit poſt alterius coniugis profeſſionem, validè cum ſecundo matrimonium celebrare: videatur noſter Petrus de Ledeſma *de matrim. quæſt.* 58. *art.* 2. *dub.* 1. *concl.* 7.

DVBITATIO XL.

XL. *An ſimiliter qui ex præſumptione impotentiæ perpetuæ Sacris eſt initiatus, dum experitur impotentiam fuiſſe temporalem, debeat vxori reſtitui, etiamſi illa non repetat?*

Dico octogeſimoquartò, vir qui ex præſumptione perpetuæ impotentiæ ſacros Ordines ſuſcepit remanente vxore in ſeculo, reſtituendus eſt vxori petenti poſtquam cognoſcitur impotentiam non eſſe perpetuam. quia vinculum matrimonij adhuc perſeuerat eo quòd non ſit irritum propter impotentiam præſumptam, nec ſit diſſolutum, etiamſi tantummodo fuiſſet ratum, & non conſummatum per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum: non enim matrimonium ratum diſſoluitur per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum, licèt per profeſſionem emiſſam in Religione diſſoluatur.

Dico octogeſimoquintò, vir tamen, qui ex præſumptione perpetuæ impotentiæ initiatus eſt ſacris Ordinibus, non poteſt repetere vxorem, ſi mulier virum non repetat. quia per ſacri Ordinis ſuſceptionem ſibi præiudicauit: vxore verò ipſum repetente, tenetur iſte reddere debitum, ſed exigere non debet. quia quantum in ſe eſt ſolemniauit votum. Ita prælatè Syl. *verb. diuortium, quæſt.* 11. *num.* 14. Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. diſput.* 99. *num.* 40. Quamuis alij tenuerint oppoſitum, ſacris ſcilicet Ordinibus initiatus ſi teſtituatur vxori poſtquam compertus eſt error, & deceptio iudicis, ne dum teneri reddere, ſed etiam poſſe debitum petere. quia ex illa falſa exiſtimatione ſolutionis vinculi coniugalis ad Ordines aſcendit, votóque ſe adſtrinxit. Ita ſuſtinent Aſtrenſis *part.* 2. *ſumm. lib.* 8. *tit.* 19. *art. vnico, quæſt.* 7. Richardus *in* 4. *diſt.* 34. *art.* 4. *quæſt.* 2. *ad* 2.

Dico octogeſimoſextò, verius tamen eſt, & probabilius, quod diximus, non poſſe ſcilicet talem ſacris Ordinibus initiatum petere debitum ſi poſt compertum errorem ſuæ vxori reſtituetur. quia is error, & ea falſa exiſtimatio ſolutionis vinculi coniugalis non fuit cauſa finalis ſuſceptionis ſacrorum Ordinum, ſed impulſiua; ſuſceptionis enim Ordinum ſacrorum finis communiter eſt ſeruire Deo in ſacro illo ſtatu, licèt cauſa ſecundaria, & impulſiua ſuſceptionis ſacrorum Ordinum, fuerit falſa illa exiſtimatio ſolutionis vinculi coniugalis: videatur Syl *verb. diuortium, quæſt.* 11. *n.* 15. Sanchez *loco* nuper *adducto.*

DVBITATIO XLI.

XLI. *An in caſu ſuprà poſito, ſi vterque coniunx conſenſerit in profeſſione alterius, hæc ſit valida?*

Dico octogeſimoſeptimò, ſi poſt falſam exiſtimationem ſolutionis vinculi coniugalis vterque coniux ingrediatur Religionem, ibique ante conſummatum matrimonium profiteatur, valida tunc eſſet vtriuſque coniugis profeſſio, & matrimonium illud tantùm ratum diſſolueretur, vt diximus *ſuprà.* quia matrimonium ratum diſſoluitur per profeſſionem, & falſa cauſa impulſiua non impedit votum Monachatus. Armilla *verb. diuortium, num.* 16. Si verò poſt conſummatum matrimonium ex falſa exiſtimatione ſolutionis vinculi coniugalis, vterque coniugum credens inſtè factum diuortium, ingrediatur Religionem, & poſt amborum profeſſionem reperiatur, quòd cauſa diuortij fuit falſa: valet etiam tunc vtriuſque coniugis profeſſio, & ita alteri coniugum alterum è Religione reuocare non poteſt, ſiue vterque coniux mutua licentia non obtenta profiteatur, ſiue conſcius, ſiue ignarus profeſſionis alterius. quia neuter poteſt conſequi ſe ab alio ſpoliatum iure ſuo, ſed ſemetipſum proprio facto ſpoliauit; ergo profeſſio vtriuſque tunc valebit, & alter alterum è Religione reuocare non poterit: ita affirmat Innoc *cap. quidam, de conuerſ. coniug. n.* 1. *fine*, & alij, quos adducit Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. diſput.* 34. *num.* 14.

Dico octogeſimooctauò, verius tamen, & probabilius mihi videtur dicendum in caſu præcedentis aſſerti, valere quidem profeſſionem vtriuſque coniugis, quando vterque mutua licentia obtenta ingreditur Religionem, & ibi profitetur, vel quando vterque fuit conſcius profeſſionis alterius. quia facto ipſo ſibi mutuo licentiam concedunt; ſecus aliàs, quando mutua licentia non obtenta, vel quando neuter fuit conſcius profeſſionis alterius, ingreditur Religionem, & ibi profitetur: tunc enim poterit vterque exire, & alterum repetere, & neutrius profeſſio valida fuit. quia profeſſio coniugum poſt conſummatum matrimonium facta mutua licentia non obtenta, vel ignorante altero, aut ſciente, contradicente tamen, eſt inualida; ſed in caſu noſtro neuter licentiam alterius obtinuit, & neuter fuit conſcius profeſſionis alterius. ergo ſi matrimonio conſummato poſt falſam exiſtimationem diuortij vinculi coniugalis, vterque coniux ingrediatur Religionem, ibique profiteatur, mutua licentia non obtenta, aut altero ignorante, inualida erit vtriuſque profeſſio: videatur pro hoc aſſerto Sotus *in* 4. *diſtinctione* 27. *quæſt.* 1. *art.* 4. *verſicul. Caſus autem.* Sanchez nouiſſimè adductus. Sed vt magis explicetur præcedens aſſertum,

Dico octogeſimononò, non ſolùm eſt inualida profeſſio, quæ poſt conſummatum matrimonium facta fuit poſt falſam exiſtimationem ſolutionis vinculi coniugalis abſque licentia alterius coniugis, vel altero ignorante. quia coniux conſtante matrimonio & conſummato dominium ſui corporis non

non habet. ergo illud ſine licentia altetius, vel altero ignorante iu Religionis dominium transferre non valet; ergo inualidè profitetur ſine licentia alterius, vel altero ignorante: tum, quia ſicut homo poſt profeſſionem in aliqua Religione emiſſam, cùm non ſit amplius dominus ſui corporis, neqnit illud validè per matrimonium tradere vxori; ergo ſimiliter poſt matrimonium conſummatum nequit abſque licentia altetius coniugis illud tradere Religioni per profeſſionem. Non ſolùm dico hunc inualidè profiteri, qui abſque licentia alterius coniugis emiſit profeſſionem poſt falſam eſiſtimationem ſolutionis vinculi coniugalis, ſed etiam propria auctoritate poſſe è Religione exire. quia nullius roboris fuit votum illud Religionis. Similiter & coniugem alterum, qui ſine ipſius licentia ingreſſus eſt Religionem, ibique emiſit profeſſionem, poteſt repetere. quia conſtante matrimonio habet dominium ſupra corpus ſui coniugis, qui abſque ipſius licentia ingreſſus eſt Religionem, ibique inualidè eſt Profeſſus: videatur Sotus *vbi ſuprà*, Sanchez nuper allegatus *num.* 15. *&* 24.

Dvbitatio XLII.

XLII. *An coniux validè profiteatur Religionem, ſine licentia alterius, & ſi ab altero reuocetur, teneatur amplius ad Religionem redire?*

Dico nonugeſimò, coniux, qui abſque licentia alterius in aliqua Religione emiſit profeſſionem, ſi reuocatur ab altero, non tenetur poſt obitum coniugis repetentis redire ad Religionem. quia votum illud Religionis abſque licentia alterius coniugis fuit prorſus irritum; ergo coniux reuocatus ſi poſt obitum repetentis non redit ad Religionem, minimè peccat. quia vbi obligatio non eſt tranſgreſſio, nullam culpam inducit; ergo non tenetur redire: videatur Syl. *verb. matrim.* 8. *queſt.* 12. *dicto* 5. Quamuis alij oppoſitum tenuerint, obligari ſcilicet hunc poſt obitum coniugis repetentis redire ad Religionem. quia, inquiunt, illud votum non fuit omninò irritum, ſed vim obligandi habuit, quantum eſt ex ſe, quæ impedita fuit vinculo coniugali, ac proinde obſtaculo ceſſante, tenetur coniux ſuum votum ſeruare, ad Religionem redeundo.

Sed quod diximus probabilius eſt: quia ſicut ſecundum matrimonium irritum à coniugato viuente eius primo coniuge, nullam prorſus vim obligandi habet, neque mortuo primo coniuge tenetur redire ad poſteriorem: nam cùm viuente primo coniuge ſui dominio careat, id nequit validè in alium transferre; ita ſimilitet, nec profeſſio coniugati emiſſa abſque alterius licentia vim habebit obligandi coniugatum, vt mortuo coniuge ad illum redire teneatur. oppoſitum tenet Emanuel Sà *ſumma verb. Religio, num.* 33. vbi ait profeſſionem illam habere vim voti ſimplicis, atque ita non aſtringet pro eo tempore, quo coniux diſſentiens ſuperſtes fuerit, obligabit tamen eo vitâ functo ad Religionem.

Dvbitatio XLIII.

XLIII. *An votum caſtitatis in profeſſione inualida emiſſum, habeat vim voti ſimplicis?*

Dico nonogeſimoprimò, coniux abſqoe licentia alterius ingrediens Religionem, ibique profeſſionem emittens, nulliter, & inualidè profitetur, vt diximus præcedentibus aſſertionibus, & votum caſtitatis in ea emiſſum habet vim voti ſimplicis, & obligat coniugem in quantum ſe obligare potuit, nimirum, vt in eo matrimonio abſtineat ſe à debiti exactione, & eo per mortem ſoluto ab alio matrimonio ineundo, & ab aliis, quæ caſtitati promiſſæ aduerſantur: ſi ille coniux vouens habuit intentionem obligandi ſe independenter à profeſſionis valore. quia licèt coniux abſque licentia alterius inualidè profiteatur, potuit tamen ſe obligare voto caſtitatis in illa profeſſione emiſſo independenter à ſolemnis profeſſionis valore, votum enim obligat iuxta intentionem vouentis; ergo tenebitur tunc ſeruare votum caſtitatis in quantum ſe illo obligare potuit, nimirum vt in eo matrimonio abſtineat ſe, &c.

Dico nonogeſimoſecundò, ſi verò coniux, de quo *aſſerto præcedenti* loquimur, emiſit votum caſtitatis in ea profeſſione dependenter ab illa, ex fine ſcilicet immediato permanendi in Religione, tunc in virtute talis intentionis ad nihil manet obligatus. quia vt profeſſionem irritam faciens maneat voto ſimplici caſtitatis ligatus, deſideratur intentio obligandi ſe independenter à profeſſionis valore; ergo ſi coniux, de quo loquimur, emiſit votum caſtitatis in ea profeſſione, dependenter ab illa ad nihil manet obligatus, &c.

Dico nonogeſimotertiò, emittens votum caſtitatis in ea profeſſione inualida, ſi non conſtat de eius intentione an dependenter, vel independenter à profeſſionis valore emiſerit illud, ius præſumit quòd independenter à profeſſionis valore voto caſtitatis ſe obſtrinxerit. Ita apertè colligitur ex *cap. quidam, & cap. placet, de conuerſione coniugatorum*: tum, quia dum impuberes matrimonio inepti illud ineunt de præſenti, ius præſumit, *cap. vnico, de ſponſalibus impuberum in* 6. voluiſſe ſe aſtringere quatenus potuerunt, ac proinde illud valere, vt ſponſalia, præſumit, quæ in eorum poteſtate erat contrahere; ergo, &c.

Dico nonogeſimoquartò; idem dicendum mihi videtur, ſi emittens votum caſtitatis in ea profeſſione inualida, dubitat de ſua intentione, an ſcilicet dependenter, vel independenter à profeſſionis valore emiſerit illud, tunc tenendum eſt independenter à profeſſionis valore ſe illo obſtrinxiſſe. quia vbi non conſtat de oppoſita intentione vouentis, ſtandum eſt præſumptioni Eccleſiæ præſumentis independenter à profeſſionis valore emiſſum eſſe votum caſtitatis in illa profeſſione inualida, cùm non conſtet oppoſitus vouentis animus, vt patet ex *cap. quidam, & cap. placet, de conuerſione coniugatorum.* Ad maiorem claritatem præcedentium aſſertionum,

Dico nonogeſimoquintò, votum ſolemne in illa profeſſione irrita non habet vim obligandi, vt votum ſimplex Religionis, ita vt reuocatus coniux ab altero, abſque cuius licentia eſt Profeſſus, poſtea eo mortuo teneatur iterum redire ad Religionem. quia id videtur decidi *in cap quidam, de conuerſ. coniugat.* ibi votum non tenuit, vnde ratione voti non tenetur ad Religionem redire, ita Canon loquens de coniuge, qui abſque alterius licentia, ingreſſus eſt Religionem, ibique Profeſſus.

Dico nonogeſimoſextò, votum tamen ſolemne caſtitatis emiſſum in illa profeſſione irrita, quamuis non obliget vt ſolemne, obſtringet tamen vt ſimplex caſtitatis votum ſi Profeſſus nulliter è Religione reuocetur (dummodo vouens expreſsè illud non emiſerit dependenter à voto Religionis.)

Probatur

Probatur ex eodem textu *cap. quidam, cit.* quia is textus cooſtituens diſcrimen inter votum caſtitatis emiſſum ab illo inualidè Profeſſo, & inter votum ſolemne permanendi in Religione, inquit, quòd illud votũ, ſcilicet caſtitatis, partim obligat, nimirum, quatenus vouens in ſui præiudicium obligare ſe potuit, partim autem minimè obligat, nempè quatenus vergit in præiudicium coniugis ſpoliati. ergo votum illud caſtitatis cùm partim obliget, vt ſcilicet coniux ille, qui id votum emiſit, non poſſit petere debitum, ſi reuocetur, partim verò obliget, quia tenetur reddere ratione vinculi matrimonij, obligabit vt votum ſimplex. Sed vt explicem rationem diſcriminis inter votum caſtitatis, & votum Religionis in ea profeſſione facta, ob quam illud partim obliget, vt votum ſimplex caſtitatis, hoc autem votum, ſcilicet Religionis, ſit prorſus obligandi vi deſtitutum.

Dvbitatio XLIV.

XLIV. *In quo differant votum caſtitatis, & votum Religionis?*

Dico nonogeſimoſeptimò, votum caſtitatis non emittitur per modum vnius cuiuſdam rei indiuiduæ, ſed continet obligationem diuiduam, id eſt, quæ commodam diuiſionem patiunt, nam ſuaptè natura obligat ad abſtinendum ab illicito concubitu, & coniugali, & à matrimonio ineundo. Item poteſt partim obligare, quatenus emittens tale votum in ſui præiudiciũ obligare ſe potuit, partim verò minimè obligare poteſt, quatenus vergit in præiudicium coniugis ſpoliati: ergo nil mirum ſi votum illud ſolemne caſtitatis emiſſum in illa profeſſione irrita, obligabit vt votum ſimplex, quia obligatio eius cõmodè diuidi poteſt, & ſic ſi coniux reuocetur à Religione ab altero coniuge, ſine cuius licentia eſt Profeſſus, tenetur reddere. quia conſtante vinculo coniugali non obligat in præiudicium alterius; petere verò non valebit, quia in ſui præiudicium aſtringit: diſſoluto verò per mortem matrimonio, obligat coniugem ſuperſtitem, quantum ad omnes ſuos effectus: vt votum tamen ſimplex caſtitatis.

Dico nonogeſimooctauò, obligatio voti ſolemnis Religionis permanendi perpetuò in Religione ſub obedientiæ iugo, in qua conſiſtit votum Religionis in profeſſione factum, eſt obligatio quædam indiuidua, tendens ad vnicum actum permanendi ex tunc in perpetuum in Religione, atque adeò ſi tunc temporis hæc obligatio induci non potuit, eſt omninò irrita: neque quoad tempora diuidi poterit. quia obligare ſe Religioni de præſenti non claudit temporum diſtinctionem; ſed ex tunc eſt perpetua obligatio per modum vnius: ergo ſi tunc eſt inualida, tractu temporis non conualeſcit. Secundò probatur à ſimili, nam ſi coniugatus viuente primo coniuge, aliud de nouo ineat matrimonium, hoc ſecundum matrimonium nullum vim habet nec matrimonij, nec ſponſalium, quia pro tunc eſt inhabilis ad ſecundò contrahendum ad perpetuam vitam coniugalem alteri promittendam: ergo ſimiliter cùm coniugatus ſit inhabilis ad tradendum ſe Religioni abſque alterius coniugis licentia, ſi ſolemniter voueat Religionem, nulliter profitetur, & votum illud Religionis, nec vt ſolemne, neque vt ſimplex poſtea valebit. quia vouens erat inhabilis ad tradendum ſe Religioni, & cùm obligatio voti Religionis ſit quædam obligatio indiuidua tendens ad vnicum actum permanendi ex tunc in perpetuum in Religione, ſi tunc temporis hæc obligatio induci non potuit, eſt omninò irrita nullum inducens ligamen, nec ſolemnis voti, nec voti ſimplicis Religionis. Cæterùm cùm obligatio voti caſtitatis ſit obligatio diuidua, vt dixi *aſſertione præcedenti*, poteſt obligare in illa profeſſione irrita emiſſum, vt votum ſimplex: & ex his patet ratio diſcriminis inter votum ſolemne Religionis, & votum ſolemne caſtitatis in illa profeſſione irrita emiſſa, & quomodo illud ſit omninò inualidum nullam inducens obligationem nec vt ſolemne, nec vt ſimplex votum: hoc autem obliget vt ſimplex votum caſtitatis: videatur pro his duabus vltimis aſſertionibus Sotus *in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 4. verſ. caſus autem.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 34. num. 10.* Rodriquez *ſumma part. 1. cap. 238. num. 4.*

Dvbitatio XLV.

XLV. *An profeſſio, emiſſa abſque licentia alterius coniugis, conualeſcat, ſi iſte poſtea præſtet conſenſum?*

Dico nonogeſimononò, profeſſio facta ab vno coniuge abſque alterius licentia, non conualeſcit, ſi poſtea coniux, ſine cuius licentia facta eſt, conſenſum præſtet. quia tunc quando fuit emiſſa abſque licentia alterius coniugis, nullam obligandi vim obtinuit. ergo non poteſt conualeſcere accedente nouo conſenſu coniugis relicti in ſeculo, niſi Profeſſus ipſe denuò eam ratificet: tum, quia ea profeſſio ſemel irrita nequit tractu temporis conualeſcere abſque noua ratificatione; ergo coniuge, ſine cuius licentia profeſſio facta eſt, conſenſum præſtante illi irritæ profeſſioni, ea non redditur valida, niſi ipſemet nulliter Profeſſus ſciens illam eſſe nullam, denuò ratificet: tum, quia profeſſio non poteſt eſſe in pendenti; ergo vel tunc quando fuit emiſſa habuit ſuum omnimodum valorem, aut valore caruit; ſed valore caruit, quia fuit emiſſa abſque licentia alterius coniugis. ergo non conualeſcit coniuge poſtea conſentiente; quia profeſſio non poteſt eſſe in ſuſpenſo. Ita benè notauit Nauarr. *tom. 1. conſil. lib. 3. de Regul. conſil. 31. num. 5. §. Quartò ſi prædictus Pius IV. verſ. quod autem nihil.* & ſic conſequenter integrum erit iſti Profeſſo è Religione reſilire. quia eius profeſſio ab initio fuit nulla. oppoſitum tenuit Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 6. num. 7. in commento finali littera A.* compelli hunc ſcilicet manere in Religione, ſi poſtea vxor conſentiat, quamuis vir inſcia vxore profeſſionem emiſerit: videantur pro hac aſſertione Sotus nuper relatus, & Sanchez *vbi ſuprà num. 16.*

Dvbitatio XLVI.

XLVI. *An inualidè Profeſſus, & non reuocatus in vita ab altero coniuge, poſſit hoc mortuo, vel etiam ſuperſtite, egredi Religione?*

Dico centeſimò, coniux ſine alterius licentia Profeſſus, nec ab eo in vita reuocatus, poteſt eo defuncto egredi è Religione, & ſecluſo ſcandalo propria auctoritate ab ea fugere: ſi poſt mortem alterius coniugis, ſciens nullitatem prioris profeſſionis, eam non ratificauerit. quia hic nulliter eſt Profeſſus, vtpote ſine licentia alterius coniugis, nec maneat aliquo Religionis voto aſtrictus: videatur Angelus *ſumma verb. matrimonium 4. num. 16.* licèt Azor. *part. 1. Inſtitutionum mor. lib. 12. cap. 1. dub. 6. §. Si quæras*, oppoſitum teneat,

hunc

hunc ſcilicet coniugem debere in Religione permanere, ſi alter coniux dum vixit, Profeſſum coniugem abſque ipſius licentia non repetiuit; ſed quod diximus eſſe verius.

Dubitatio XLVII.

XLVII. *An coniux in ſæculo relictus, altero abſque licentia illius Profeſſo, poſſit, inuito Profeſſo, ingredi Religionem?*

Dico centeſimoprimò, coniux in ſæculo relictus, altero abſque eius licentia Profeſſo, non poteſt inuito Profeſſo Religionem ingredi. quia delictum Profeſſi non debet præſtare ius alteri remanenti in ſæculo ingrediendi Religionem, quando delictum non eſt ex his ob quæ licitum eſt diuortium; ſed delictum ingrediendi Religionem, ibíque profitendi abſque licentia alterius coniugis non eſt ex iis, ob quæ licitum eſt diuortium; ergo. Tum, quia profeſſio illius primò ingredientis in Religionem fuit nulla, & illicita, quia abſque licentia alterius coniugis ingreſſus eſt Religionem, ibíque Profeſſus. ergo ſimiliter ſi remanens in ſæculo poſtea ingrediatur Religionem, ibíque profiteatur ſine licentia alterius coniugis, & ingreſſus illicitus, & profeſſio irrita erit: videatur pro hac aſſertione Aſtenſis *ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 2. quaſt. 13.* licèt alij oppoſitum docuerint, coniugem ſcilicet in ſæculo relictum, altero abſque eius licentia Profeſſo, poſſe quoque inuito Profeſſo Religionem ingredi; ſed pars negatiua magis mihi placet.

Dubitatio XLVIII.

XLVIII. *An valida ſit profeſſio coniugis, quando alter ex metu graui, licentiam præbuit? & poſſit repeti Profeſſus, vel ex ſe exire, ante, vel poſt obitum alterius coniugis?*

Dico centeſimoſecundò, quando licentia fuit extorta per coniugem Profeſſum, metu graui cadente in virum conſtantem, profeſſio eſt nulla, & coniux Profeſſus metu graui extorquens ab altero coniuge talem licentiam, poteſt repeti: ita conſtat ex *cap. accedens, de conuerſ. coniug.* vbi proponitur caſus de vxore, quæ metu graui coacta ingreſſa eſt Religionem, habitu non aſſumpto, nec voto emiſſo, vt ibi moraretur, & vir profeſſus eſt Religionem, poſtea repetitus eſt ab vxore, & iubetur vt illi reſtituatur, & hic poſt mortem coniugis reuocantis non tenetur ad Religionem redire. quia ſicut Profeſſus abſque licentia alterius coniugis, & poſtea reuocatus, non tenetur poſt mortem reuocantis ad Religionem redire; ſic Profeſſus metu graui extorquens licentiam ab altero coniuge, poſtea reuocatus redire non tenetur ad Religionem poſt mortem reuocantis. quia in vtroque caſu voto Religionis non tenetur: videatur Syl. *verb. matrimon. 8. quaſt. 12. dicto 5.*

Dico centeſimotertiò, hic coniux reuocatus, de quo *in aſſertione præcedenti*, non poteſt petere debitum, tenetur tamen reddere. quia votum caſtitatis in illa irrita profeſſione, obligauit illum in quantum potuit in ſui præiudicium, non autem in præiudicium alterius coniugis; ergo reddere tenebitur debitum, non autem licitè petere poterit: quod intelligitur, niſi coniux ille emitteret votum caſtitatis in ea profeſſione dependenter ab illa, & ex fine immediato permanendi in Religione, tunc enim licitè etiam poſſet petere: videatur pro hac aſſertione gloſſa *cap. notificaſti te, 33. quaſt. 3. verb. cum feſtinatione, verſic. ſic nec exigere poteſt.*

Dico centeſimoquartò, metu graui extorquens licentiam ab altero coniuge profitendi in aliqua Religione, ne dum repetitus poteſt licitè exire è Religione, ſed propria auctoritate è Religione exiens non peccat. quia vbi obligatio non eſt tranſgreſſio, nullam culpam inducit; ſed hîc, de quo loquimur, nullam obligationem habet manendi in Religione, cùm irrita ſit eius profeſſio, nec habeat vim voti ſimplicis Religionis, vt in ſimili caſu diximus *aſſertione* 90. ergo non peccat propria auctoritate exiens; quamuis Ioann. Andr. *cap. accedens, num. 1. ſuper verb. reliquiſſet*, affirmet hunc peccare propria auctoritate exeundo: ſed quod dictum eſt, probabilius eſt. quia coniux licentia metu extorta ab altero coniuge, vel prorſus abſque licentia illius profitens, eſt reus iniuſtitiæ lethalis, inſtar raptoris rei alienæ: nam cùm non ſit poſt conſummatum matrimonium ampliùs dominus ſui corporis, cùm per vinculum matrimonij præcipuè conſummati illud tradiderit alteri coniugi, illud idem iniuſtè inuito altero coniuge tradit Religioni; ſed raptor rei alienæ tenetur rem alienam ſtatim reſtituere, ſi commodè poteſt, nec opus eſt vt verus dominus repetat, niſi liquidò conſtet retentionem eſſe ex illius conſenſu. ergo ſimiliter coniux, qui poſt conſummatum matrimonium tradidit dominium ſui corporis alteri coniugi, ſi abſque huius licentia, vel illa metu graui extorta tradat per profeſſionem ſe ipſum in obſequium Religioni, vt iniuriam illatam reſarciat coniugi ſpoliato, poterit hic propria auctoritate è Religione exire, imò & tenebitur, ſi commodè poſſit; ergo non peccat, &c. Videatur Sotus *in 4. diſt. 27. quaſt. 1. art. 4. verſ. caſus autem.* Sanchez *lib. 7. de matrimon. diſput. 35. num. 5.*

Dico centeſimoquintò, Profeſſus, qui metu graui extorſit licentiam ab altero coniuge vt ingrederetur Religionem, ibique profiteretur, etiamſi non reuocetur altero coniuge viuente, valet poſt eius obitum exire. quia eius profeſſio nulla fuit, nec habuit vim voti ſimplicis Religionis: imò ineundo matrimonium poſt obitum primi coniugis validum eſſet id matrimonium, peccaret tamen contra votum ſimplex caſtitatis, quod emiſit in profeſſione. quia votum illud caſtitatis in illa irrita profeſſione emiſſum vim habet obligandi, vt votum ſimplex, & conſequenter impedit matrimonium contrahendum, & ſi contrahat tali voto obſtrictus, peccat mortaliter, & à petitione debiti arcetur: quamuis alij, inter quos eſt Ioann. Andr. *cap. ex parte el primo, de conuerſ. coniug. num. 4. verſ. in 4. caſu*, teneant hunc Profeſſum non reuocatum altero coniuge viuente, non poſſe poſt eius obitum exire. quia, inquiunt, ceſſante obſtaculo valoris profeſſionis per alterius coniugis mortem, valida illius profeſſio effecta eſt: ſed quod dixi verius mihi videtur; quia huius profeſſio cùm ab initio fuerit irrita, tractu temporis non conualeſcit, niſi ipſemet profitens ſciens illam eſſe irritam, denuò eam ratificet.

Dubi

Dvbitatio XLIX.

XLIX. *An quando licentia, ab altero coniuge, fuit dolo extorta, poſſit coniux, remanens in ſæculo, reuocare Profeſſum?*

Dico centeſimoſextò, quando licentia ab altero coniuge foit dolo extorta, poteſt coniux remanens in ſæculo reuocare Profeſſum. quia licentiam non præſtitit ſpontaneè; ergo non ceſſit iuri ſuo; ergo poterit remanens in ſæculo reuocare Profeſſum. Antecedens probatur, quoniam nihil magis contrarium conſenſui, quàm error *l. ſi per errorem, ff. de iur. omn. iud.* Videatur *c. veniens, de conuerſ. coniug.* Lopez noſter *part. 5. Inſtruct.* vbi de matrim. *c. 54. §. Porrò circa prædictum 2. art. verſ. ſi verò vxor id ſciuit.*

Dico centeſimoſeptimò, profeſſio emiſſa cum licentia ab altero coniuge dolo extorta, eſt etiam nulla; quia licentia dolo extorta eſt ipſo iure nulla; ergo ſimiliter erit nulla talia profeſſio emiſſa tali licentia: imò ſi talis coniux Profeſſus cum ea licentia dolo extorta, non reuocetur in vita alterius, poterit etiam eo defuncto exire. quia cùm ea profeſſio fuerit irrita, nec quidem vim voti ſimplicis Religionis habuit, ſed vim ſolius voti ſimplicis caſtitatis haberet, arcens à debiti petitione & ab alio matrimonio ineundo poſt mortem alterius coniugis: quamuis ſi de facto iniretur matrimonium, validum eſſet. quia votum ſimplex caſtitatis, etſi impediat matrimonium contrahendum, non tamen dirimit contractum; quamuis alij oppoſitum tenuerint, non poſſe ſcilicet hunc coniugem Profeſſum cum ea licentia dolo extorta, ſi non reuocetur in vita alterius, eo defuncto exire, &c.

Dvbitatio L.

L. *An quando coniux in ſeculo relictus, neque conſenſit, neque diſſenſit, in caſu precedenti poſſit Profeſſum reuocare? vel iſte poſſit exire, ante, vel poſt obitum illius?*

Dico centeſimooctauò, ſi coniux in ſeculo relictus, nec conſenſum, nec diſſenſum præſtitit, ſed ſciens alterius ingreſſum tacuit, & diſſimulauit, integrum eſt ei Profeſſum reuocare. quia licentia requiritur, vt coniux ſuo iure reuocandi alterum priuetur, ſed ſola diſſimulatio non eſt licentia. ergo. Ita Lopez nuper relatus. Syl. *verb. diuortium, queſt.* 14. *verſic. & adde quòd etiam illicitè intrat.*

Dico centeſimononò, coniux ſciens alterius ingreſſum in Religionem tacens, vel diſſimulans ſi in vita reuocet Profeſſum alterum coniugem, deobligatus remanet Profeſſus à voto Religionis. quia poſt reuocationem illa profeſſio neque vim habet ſimplicis voti Religionis, ſed ſolius voti ſimplicis caſtitatis: ſi verò toto vitæ ſuæ ſpatio coniux in ſæculo relictus diſſimulauit cùm poſſet reclamare, rata efficietur profeſſio. quia per illam diſſimulationem, & ſilentium vſque ad mortem videtur conſenſiſſe. Ita Henriquez *lib.* 12. *de matrim. cap. 5. num.* 10. *verſic. Tertiò ſi vir*; ſed dicendum, probabilius eſſe profeſſionem illam ratam non effici ſola morte coniugis, niſi noua ratificatio acceſſerit. quia ea diſſimulatio non valet pro licentia; ergo profeſſio cum ſola hac alterius coniugis diſſimulatione emiſſa fuit nulla. ergo niſi noua ratificatio accedat, non fiet valida.

Dvbitatio LI.

LI. *An coniux, ſine alterius licentia Profeſſus, poſſit quocumque tempore reclamare, & è Religione exire?*

Dico centeſimodecimò, coniux abſque alterius coniugis licentia Profeſſus, tranſacto quocumque tempore, ſi ſuam profeſſionem non ratificauit ceſſante ſcandalo, omiſſa reclamatione, nec deductis cauſis coram Ordinario, & Superiore in foro conſcientiæ poteſt fugam arripere, nec tenetur redire ad Monaſterium, nec eſt Apoſtata. quia id poteſt efficere fictè Profeſſus, vt docet Sotus *lib. 7. de Iuſtitia, quæſt. 1. art. 2. verſic. An verò qui tale votum.* Sanchez *lib. 2. de matrim. diſput. 39. num.* 11. ergo ſimiliter hoc idem poteſt coniux abſque alterius coniugis licentia Profeſſus. quia in vtroque caſu, cùm in foro conſcientiæ non ſit vera profeſſio, nullo vinculo hic Profeſſus eſt aſtrictus Religioni: videantur Sotus, & Sanchez cit. Henriquez *lib. 11. cap. 6. commento finali.* Sà *verb. Religio, num.* 71.

Dvbitatio LII.

LII. *An coniux dubius an profeſſionem ratificauerit, poſſit è Religione exire? & An Prælatus occultè dimittere poſſit?*

Dico centeſimovndecimò, coniux, qui abſque alterius coniugis licentia eſt Profeſſus, ſi eſt dubius an ſciens nullitatem ſuæ profeſſionis illam ratificauerit, tenetur in Religione permanere, & conſequenter exire inde non poteſt. quia dubitans de valore profeſſionis, tenetur ad illam, quoniam in dubio pro Religione iudicandum eſt, vt docet Nauarr. *tom. 1. conſil. lib. 3. de Regul. conſil.* 13. *num.* 10. ergo ſimiliter dubitans an ſuam ratificauerit profeſſionem, tenetur, &c. quia pro Religione ſtandum eſt: videatur Nauarr. nouiſſimè adductus. Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 37. num.* 12.

Dico centeſimoduodecimò, Prælatus Religionis licitè poteſt veritate ſibi conſtante non ratificatæ profeſſionis occultè hunc Profeſſum tranſacto iam quinquennio, de quo agit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. de Regul. cap.* 19. dimittere. quia ſi Superiori conſtet ius Religionis in talem Profeſſum non eſſe verum, ſed in falſa præſumptione fundatum, ſecretò eiiciens illum abſque ſcandalo, nulli irrogat iniuriam. ergo. Tum, quia iudex conſcius innocentiæ eius, qui ſecundùm allegata, & probata eſt reus, poteſt illi occultè copiam fugiendi facere, vt bene docet Sotus *lib. 5. de Iuſt. quæſt. 4. art. 2. concl. 2. verſic. Quin etiam.* ergo ſimiliter poterit Prælatus, &c.

Dvbitatio LIII.

LIII. *An coniugatus, ſine alterius coniugis licentia Profeſſus, comprehendatur ſub decreto Concilij Tridentini* ſeſſ. 25. *præſcribente quinquennium ad reclamandum?*

Dico centeſimodecimotertiò, coniugatus ſine licentia valida alterius coniugis Profeſſus, durante coniugio non comprehenditur ſub decreto ſacri Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. de Regul. cap.* 19. præſcribente quinquennium ad reclamandum contra profeſſionem, ſed eo durante datur ſemper

locus

locus reclamationi. quia inhabiles ad profitendum non comprehenduntur ſub eo decreto toto tempore quo durat illa inhabilitas; ſed coniugatus eſt inhabilis ad profitendum validè abſque valida alterius coniugis licentia. ergo talis coniugatus non comprehenditur ſub decreto ſacri Concilij Tridentini, quo ad vſque durabit inhabilitas ad validè profitendum, quæ tollitur per validam licentiam, vel per mortem alterius coniugis; ergo ſtante illa inhabilitate, & durante coniugio, ſemper poterit reclamare: videatur pro hac aſſertione Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp.* 37. *n.*69. Sed vt clariùs explicetur hoc aſſertum,

Dico centeſimodecimoquartò, quædam eſſe impedimenta perpetuò reddentia inhabilem quempiam ad profitendum: vt ſi in aliqua Religione eſſet ſtatutum à Romano Pontifice confirmatum irritans profeſſionem illorum, qui ex Mauris, vel Hebræis oriuntur, tunc hi deſcendentes ex Mauris, vel Hebræis perpetuò eſſent inhabiles ad profitendum illa Religione. Similiter ſexus virilis eſt impedimentum perpetuum ad profitendum in Monaſterio Monialium, & fœmineus in Monaſterio virorum. *cap. diffinimus* 18. *quæſt.* 2. Alia verò ſunt impedimenta, quæ inhabilitant, ſed non perpetuò, amoueri enim poſſunt aut curſu temporis, vt defectus ætatis, aut ceſſatione cauſæ extrinſecæ, vt metus, qui ceſſat ceſſante illum inferente: his explicatis,

Dico centeſimodecimoquintò, decretum ſacri Concilij Tridentini *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 19. denegans audientiam Profeſſis poſt elapſum quinquennium à die ipſa profeſſionis expreſſæ, vel tacitæ, non intelligitur de laborantibus impedimento perpetuo: nam euidens abſurdum ſequeretur ex oppoſito, nimirum mulierem in virorum Monaſterio profeſſam ſexu mentito, non poſſe poſt quinquennium eiici: tum, quia oppoſitum cederet in graue Religionis detrimentum, cogeretur enim Religio effectos inhabiles per ſua ſtatuta à Romano Pontifice confirmata retinere, eo quòd quinquennium ſit tranſactum à profeſſione irrita, dolóque facta, atque ita decretum ſacri Concilij Tridentini editum fauore Religionis, in ipſius detrimentum redundaret, ſi elapſo quinquennio laborantes impedimento perpetuo non poſſent reclamare, nec Religio poſſet illos eiicere.

Dico centeſimodecimoſextò, decretum ſacri Concilij Tridentini, denegans audientiam Profeſſis, non intelligitur de laborantibus impedimento temporali, quod irritauit profeſſionem, ſi toto illo quinquennio poſt profeſſionem permanſit: vnde ſi quis emitteret profeſſionem metu graui ſibi incuſſo per iniuriam ad extorquendum votum, & talis metus duraret per quinquennium poſt profeſſionem, poſſet hic reclamare elapſo illo quinquennio. Similiter, hi qui ante ætatem legitimam profeſſionem emiſerunt, ſi id impedimentum etiam poſt quinquennium durat, quia, verbi gratia, non eſt impleta ætas ad profeſſionem requiſita: valent hi reclamare elapſo quinquennio. Similiter ſi coniugatus abſque valida ſui coniugis licentia emiſit profeſſionem, & eo viuente, non fuit ei conceſſa per quinquennium poſt profeſſionem, poteſt ſimiliter quinquennio tranſacto reclamare, & audiri debet remedio ordinario. Ratio eſt, quia decretum ſacri Concilij Tridentini fundatur in præſumptione ratificationis profeſſionis irritæ, quæ per illud quinquennium induci præſumitur, ſed durante eo impedimento inhabilitatis ad profitendum, quod irritabat profeſſionem expreſſam, non poteſt profeſſio tacita effici, nec præſumi valida; ergo decretum ſacri Concilij denegans audientiam Profeſſis, non intelligitur, &c.

Dico centeſimodecimoſeptimò, ſi impedimentum reddens inhabilem quempiam ad profitendum, duret toto quinquennio, & eo tranſacto ceſſet: vt ſi quis profiteatur non adimpleta ætate ad validè profitendum requiſita, & hoc impedimentum ætatis requiſitæ duret per quinquennium poſt profeſſionem, & illo elapſo ceſſet; vel ſi metu graui incuſſu ab extrinſeco quis profiteatur, qui metus duret per quinquennium poſt profeſſionem, & eo finito metus ceſſet; vel ſi coniugatus Profeſſus abſque licentia alterius coniugis, validam, poſt elapſum quinquennium à profeſſione, obtineat licentiam ab altero coniuge: hic poteſt reclamare poſt elapſum quinquennium, vt diximus *aſſertione præcedenti.* Tamen ſi poſt illud quinquennium elapſum non reclamat, non eſt illi concedendum aliud quinquennium poſt ablatum impedimentum, quod irritabat profeſſionem; ſed tempus arbitrio boni viri ſufficiens, vt poſſit Profeſſus reclamare, & intra tale tempus iudicio prudentis tantùm non reclamans, cenſetur ſaltem in foro Eccleſiæ ſuam profeſſionem ratificare. quia exiſtente ſcientia nullitatis profeſſionis, & ſublato impedimento ad validè profitendum, exercitiíſque actibus Profeſſorum, & eorum habitu geſtato infra illud tempus arbitrio prudentis taxato præſumitur profeſſio tacita. ergo, &c. Videantur pro hac aſſertione, & præcedentibus, Azor. *part.* 1. *inſtit. moral. lib.* 12. *cap.* 4. *dub.* 10. §. *Poſtremò cùm iure, verſic. Ceterùm ſi ius.* Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſput.* 37. *num.* 34.

Dico centeſimodecimooctauò, ſi intra quinquennium ſignatum à ſacro Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *de Regul.* ceſſat impedimentum, & manet tempus arbitrio boni viri ſufficiens ad reclamandum intra illud, non aliud temporis ſpatium indulgendum eſt, ſed locum habet quinquennium in S. Trident. ſtatutum. quia ſacrum Concilium Tridentinum *eo cap.* 19. ſtatuens quinquennium, expreſſit profeſſionem metu, & ante ætatem factam; ſed nec metus poterat ſtatim ceſſare, & ad implendam ætatem poterat, moraliter loquendo, annus integer, aut dimidia anni pars deeſſe; ergo, &c.

Dico centeſimodecimonono, dies, à qua numerandum eſt quinquennium, incipit in profeſſione expreſſa à die ipſa profeſſionis, in tacita verò profeſſione à die, qua tranſacto nouitiatus anno inducitur profeſſio tacita per delationem habitus Profeſſorum, & exercitium actuum, qui ipſis proprij ſunt, iuxta *cap. vidua, de Regul.* Videatur Beia *in reſponſ. caſ. conſcientia, part.* 4 *caſu* 28. §. *Nec dici poſſe aiunt.* Ad maiorem claritatem præcedentium aſſertionum explicatur

Dvbitatio LIV.

LIV. *Quando Profeſſus poſſit dimittere habitum, & licitè reclamare? & ad quem talis reclamatio fieri debeat?*

Dico centeſimovigeſimò, Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 19. dum ait dimittentem habitum nullatenus etiam intra quinquennium, audiendum eſſe, limitandum eſt, niſi Profeſſus is iuſtam dimittendi habitûs cauſam haberet: vt ſi non poſſet obtinere licentiam eundi ad reclamandum, nec ire niſi habitu depoſito, & ob

id habitu dimiſſo fugit, vt reclamet. quia ſactum Concilium Tridentinum temerariam habitus dimiſſionem punire intendit, ſed non temere dimittit, qui vt remedio iure conceſſo vti poſſit id efficit; ergo: videatur Azor. *lib. 12. cap. 4. quæſ. vlt. § ad extremum, verſic. nam ſi quis bona ſide.*

Dico centeſimovigeſimoprimò, etiamſi is Profeſſus temere dimittat habitum, illo reſumpto audiri poterit. quia videtur inhumanum denegare perpetuò audientiam habenti iuſtam reclamandi cauſam, eo quòd temere habitum dimiſerit; ergo illo reſumpto audiri poſtea poterit: videatur Nauarr. *in commentario 4. de Regul. num. vltimo.*

Dico centeſimovigeſimoſecundò, hæc reclamatio intra quinquennium fieri debet à Profeſſo coram Superiore ſuo, etiam ordinario, vt habetur in ſacro Concil. Trident. Ordinarius autem ne dum eſt Epiſcopus loci, in quo ille Profeſſus reperitur, ſed etiam Vicarius Generalis Epiſcopi, & in omnibus decretis nomine Ordinarij comprehenditur. Idem dicendum de Vicariis generalibus Capituli Sede vacante. quia hos quoque Ordinarios eſſe, ac nomine Ordinarij comprehendi cenſent DD. Videatur Nauarr. *tom 1. lib. 3. de ſtatu Monach. conſil. 9. n. 2. § quartò quòd his.* Rodriquez *ſumma, part. 1. cap. 217. n. 14.* Sanchez *lib. 6. in Præcepta, cap. 15. num. 30.*

ARTICVLVS XIV.

De impedimento raptûs.

SVMMARIVM.

1. *An inter raptorem, & raptam poſſit eſſe matrimonium, vel ſponſalia.*
2. *Quidnam ſit raptus, & quæ pœna illi appoſita? & an incurrantur, dum rapta rapitur volens, etiam inuitis parentibus.*
3. *An incurrat pœnas raptus, fœmina virum rapiens.*

DVBITATIO I.

I. *An inter raptorem, & raptam, poſſit eſſe matrimonium, vel ſponſalia?*

Dico primò, inter raptorem, & raptam quando ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum matrimonium conſiſtere poteſt. quia rapiens non poteſt raptam ducere in vxorem, niſi poſtquam ſeparata fuerit ab illo, & in tuto loco poſita liberè, & voluntariè conſenſerit in raptorem. Ita habetur in Concil. Trident. *ſeſſ. 14. de Reform. matrim. cap. 6.* videatur etiam Nauarr. *tom. 2. conſil. lib. 5. de raptoribus, conſil. 2. n. 1.*

Dico ſecundò, neque ſponſalia inter raptorem, & raptam, dum in domo raptoris manet, validè contrahi poſſunt quia prohibito, & caſſato matrimonio, conſequenter etiam cenſentur prohibita, & caſſata ſponſalia præambula. Nam eadem vtriuſque prohibitionis reperitur cauſa, videlicet defectus plenæ libertatis. Nauarrus *lib. 5. de raptoribus, tom. 2. conſil. 4.*

DVBITATIO II.

II. *Quidnam ſit raptus, & quæ pœna illi appoſita? & an incurrantur, dum rapta rapitur volens, etiam inuitis parentibus?*

Dico tertiò, raptus puellæ, ſiue ea ſoluta ſit, ſiue coniugata, aut vidua, tunc committitur, quando ea de loco ad locum cauſa libidinis exercendæ, vel matrimonij contrahendi per vim iniuſtam abducitur. Duplex eſt ſpecies raptus; prima ſi vis iniuſta exerceatur in ipſam puellam, quæ inuita, & repugnans abducitur: ſecunda ſi vis iniuſta committatur erga parentes, vel tutores ſcientes, & contradicentes, ſub quorum cura, & poteſtate puella exiſtit, quamuis ipſa in abductionem conſentiat, ſicuti conſtat ex *cap. raptoribus 36. quæſt. 1.* verùm ſi inſciis parentibus, vel tutoribus puella volens ex domo ſua abducitur, licèt iniuria illis inferatur, non tamen propriè eſt vis; quare non eſt raptus. quia raptus, ſicuti & rapina, violentiam continet: videatur Nauarrus *tom. 2. conſil. lib. 5. de raptoribus, conſil. 3. num. 1.*

Dico quartò, raptores, & omnes illis conſilium, auxilium, & fauorem præbentes, ipſo iure ſunt excommunicati, ac perpetuò infames, & omnium dignitatum incapaces; Clerici verò de proprio gradu decidunt. Tenetur præterea raptor mulierem raptam, ſiue eam in vxorem duxerit, ſiue non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare. Ita Concil. Trident. *ſeſſ. 24. de Reform. matrim. cap. 6.*

Dico quintò, pœna excommunicationis contra raptores non eſt reſeruata iure communi. quia in Concilio Tridentino nulla fit mentio huius reſeruationis. Pœna decenter dotandi puellam raptam non obligat niſi poſt iudicis ſententiam: pœna ſimiliter depoſitionis Clerici de proprio gradu non incurritur ipſo facto ante ſententiam iudicis. quia iſta pœna aliquam actionem requirit ad ſui executionem: pœna verò infamiæ, & incapacitatis dignitatum ipſo facto ante ſententiam iudicis incurritur. quia iſta pœna non requirit aliquam actionem ad ſui executionem. Ita Bonacina *tom. 1. tract. de matrim. quæſt. 4. punct. 18. num. 10.* quamuis Sanchez loquens de hac vltima pœna infamiæ & incapacitatis dignitatum, teneat eam non obligare, niſi poſt iudicis ſententiam. Ita *lib. 7. de matrim. diſp. 13. num. 1.*

Dico ſextò, non eſt locus his pœnis, ſi puella conſentiens, ignorantibus tamen parentibus, abducatur. quia tunc non eſt propriè raptus. Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 14. num. 5.* ſi verò parentibus ſcientibus, contradicentibus, & inuitis fœmina volens extrahatur, tunc hæ pœnæ incurruntur. quia tunc eſſet verè raptus. Nauarrus *tom. 2. conſil. lib. 5. de raptoribus, conſil. 2. num. vnico.* Sà *verb. matrim. num. 9.* quamuis Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 13. num. 13.* partem negatiuam tenuerit. quia, inquit, Concilium Tridentium libertati matrimonij per illud decretum fauere intendit, ſed ad eam libertatem nihil confert parentum voluntas, ſed ſola fœminæ, quæ in hoc euentu reperitur abductioni conſentiens: quod eſt probabile, inquit Layman *tom. 2. lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 13. num. 4. § Videntur autem hæ pœnæ.*

Dico ſeptimò, in eo decreto Concilij Tridentini ſolos fœminarum raptores cauſa contrahendi cum eis matrimonium, comprehendi: non autem comprehendi raptores, qui ob exercendam libidinem vi abducunt fœminas de loco ad locum. Probatur. nam Sacr. Concilium Tridentinum *in principio illius cap. 6.* ſtatim incipit verba facere de matrimonio contrahendo inter raptorem, & raptam; ergo indicium eſt de illo ſolo raptu agere, qui cauſa matrimonij admittitur. Ita docet Rodriquez *part. 1. ſumme, cap. 213. num. 7.* licèt Sà *verb. matrim. num. 9.* contrarium dixerit, decreto ſcil. illo Tridentino non ſolùm comprehendi raptum, qui fit cauſa contrahendi matrimonium, ſed etiam qui fit ob exercendam libidinem.

Dvbitatio III.

III. *An incurrat pœnas raptus fœmina, virum rapiens?*

Dico octauò, non eſſe locum his pœnis conſtitutis in S. Concil. Trident. ſi fœmina virum rapiat nolentem vt ſecum ineat matrimonium. quia illud decretum de ſolo viro raptore verba facit, quod denotant illa verba decreti, *Quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit*. ergo. Ita Rodriquez *ſumma, part. 1. cap. 231. n. 6.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 13. n. 16.* quamuis Henriquez *lib. 12. ſumma, cap. 14. n. 4.* tenuerit oppoſitum, ioquiens, ſi fortè fœmina robuſta rapiat virum meticuloſum, videtur eodem modo matrimonium irritari, & incurret fœmina excommunicationem, & alias pœnas contra raptorem.

Articvlvs XV.

De impedimento ætatis.

Svmmarivm.

1. *Quænam ætas requiratur ad contrahendum.*
2. *An maſculus ante 14. annum completum, & fœmina ante 12. poſſint in aliquo caſu validè matrimonium contrahere.*
3. *Quomodo poſſit cognoſci, quando malitia ſupplet ætatem.*

Dvbitatio I.

I. *Quænam ætas requiratur ad contrahendum?*

Dico primò, maſculus ante completum decimumquartum annum, fœmina verò ante completum duodecimum ſunt inhabiles ad contrahendum: ita Eccleſiaſtici iuris conſtitutione, *cap. continebatur, cap. atteſtationes, & cap. vlt. de deſponſat. impuberum.* quia ante hanc ætatem inhabiles præſumuntur ad copulam, & ad conſenſum coniugalem, vt conſtat ex *cap. puberes, de deſponſat. impuberum*, vbi hoc notat gloſſa finalis ab omnibus recepta.

Dico ſecundò, ad validitatem matrimonij ſufficit, quòd annus decimuſquartus in maſculo, & duodecimus in fœmina, ſit completus moraliter: cenſentur autem moraliter completi, etiamſi duo, vel tres dies deficiant ante completum illius ætatis diem. quia in fauorem matrimonij ſufficit, quòd illa ætas ſit moraliter completa, ſed cenſetur moraliter completa, quando duo, vel tres deficiunt. ergo, &c. Sic Hoſtienſis *cap. puberes, num. 5. de deſponſat. impub.* Saochez *lib. 7. de matrim. diſp. 104. num. 3.*

Dvbitatio II.

II. *An maſculus ante 14. annum completum, & fœmina ante 12. poſſint in aliquo caſu validè matrimonium contrahere?*

Dico tertiò, quando malitia ſupplet ætatem, ideſt, quando adeſt potentia generandi, & ſufficiens diſcretio ad ſe obligandum, validè celebratur matrimonium ante dictam ætatem, non ſolùm iure naturæ, ſed etiam iure Eccleſiaſtico. quia ideò ius Eccleſiaſticum eam ætatem præſcribit, eo quòd tunc pueros, & non antea, & iudicio ſufficienti ad matrimonium contrahendum, & potentia generandi prædictos eſſe præſumat; ergo quando antea hæc adeſſe conſtat, cedet præſumptio veritati. Ita videtur expreſsè definiri *cap. de illis el 2. cap. puberes, & cap. finali, de deſponſat. impub.* videatur etiam Sotus *in 4. diſt. 35. quæſt. vnica, art. 5. §. quòd ſi rurſus quis ſciſcitetur.*

Dico quartò, quando ante prædictam ætatem dubitatur, an malitia ſuppleat ætatem, præſumendum eſt non ſupplere, conſequenter ſub hoc dubio non poteſt matrimonium celebrari. quia maſculus ante 14. annum completum, & fœmina ante duodecimum, habent præſumptionem contra ſe, carere ſcil. potentia generandi: videatur *cap. puberes, de deſponſat. impub.* Nauarr. *ſumma, cap. 22. num. 29.*

Dico quintò, habilis ætate, ideſt, habens impletam pubertatem, quamuis inhabilis ſit ad coitum, nec appareat de perpetuo impedimento, validè contrahit matrimonium. quia ius in ea ætate completa præſumit potentiam generandi neceſſariam ad matrimonij valorem, atque ita impleta pubertate validum eſt matrimonium. Ita benè Syl. *verb. matrim. 5. quæſt. 7.*

Dico ſextò, ſi poſt legitimam ætatem, maſculus ſcilicet poſt 14. completum, fœmina poſt annum duodecimum, matrimonium contrahant, & ad eius vſum ob naturæ imbecillitatem inhabiles reperiantur, tunc plenæ pubertatis ætas expectanda eſt, quæ maſculo obuenire cenſetur anno decimooctauo, iuxta *l. adrogato, ff. de adoptionibus*; in fœmina autem decimoquarto anno, arg. *l. Mela, ff. de aliment. legat.* & ab eo tempore conceditur ſpatium triennij ad experiendum, vtrùm impotentia perpetua ſit, nec ne. quia vſque ad plenam pubertatem præſumitur impotentiam prouenire ex fragilitate ætatis, quæ præſumptio adepta pubertate plena ceſſat, & tunc incipit eſſe dubium, an proueniat ex alia cauſa, vt ex frigiditate, & ſubindè an ſit impedimentum perpetuum dirimens matrimonium contractum, an potiùs proueniat ex accidenti temporali, nec diſſoluat matrimonium. ergo ab eo tempore, poſt pubertatem ſcilicet plenam, debet numerari triennium iure præſcriptum. *cap. laudabilem, de frigid.* ad experiendum an impedimentum ſit perpetuum: licèt alij cenſeant poſt plenam pubertatem ſolùm expectandum eſſe menſem, aut bimeſtre: ſic Hoſtienſis *cap. laudabilem, de frigid. paulo poſt principium*; videatur pro hac aſſertione Syl. *verb. matrim. 5. quæſt. 7.* Layman *tom. 2. lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 12. num. 2.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 110. num. 10.*

Dvbitatio III.

III. *Quomodo poſſit cognoſci quando malitia ſupplet ætatem?*

Dico ſeptimò. Probatur malitiam ſupplere ætatem, ideſt, adeſſe potentiam generandi ante pubertatem: ſi fœmina impubes ab alio fuerit cognita, vel puer impubes aliam fœminam cognouerit. Item iudex diiudicare poteſt malitiam ſupplere ætatem inſpecta qualitate perſonæ, membrorum diſpoſitione, ac valetudine bona, ſi puer aptus ſit ad ſeminis effuſionem, præſumitur quoque aptus ad matrimonium: videatur Syl. nouiſſimè relatus, Sotus *in 4. diſt. 35. quæſt. vnica art. 5. § grauius tamen morale.*

Articvlvs XVI.

De impedimentis tantùm impedientibus?

Svmmarivm.

1. *Quænam ſint impedimenta impedientia matrimonium? & an his ſtantibus licitè contrahi poſſit.*

2. *An Sum. Pontif. poſſit diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium.*

3. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare in impedimentis non dirimentibus,& in aliquo caſu in dirimentibus?& an vt Epiſcopus valeat tunc diſpenſare, requiratur bona fides contrahentium.*

Dvbitatio I.

I *Quanam ſint impedimenta impedientia matrimonium, & an his ſtantibus, licitè contrahi poſſit?*

Dico primò, impedimenta, quæ tantùm impediunt matrimonium contrahendum, non tamen dirimunt contractum, ſunt vndecim.

Primum eſt interdictum Eccleſiaſticum: vt ſi ordinarius Paſtor certis perſonis ob iuſtam cauſam, v.g. vt de obiecti impedimenti veritate cognoſcatur, matrimonium interim interdicat, ſicuti conſtat *cap. pen. de ſponſa duorũ*, vbi dicitur pendente lite de matrimonij valore, ne interim aliud matrimonium contrahatur.

Secundum eſt votum ſimplex caſtitatis, vel Religionis amplectendæ, aut matrimonij non ineundi. nam cum tali voto illicitè, quamuis validè, matrimonium contrahitur.

Tertium eſt ſponſalitium. nam ſponſalia legitimè contracta, niſi iuſta de cauſa diſſoluantur, impedimento ſunt quominus matrimonium cum alia contrahatur.

Quartum eſt Catechiſmus: Catechiſmus autem eſt inſtructio fidei, quæ fit ante ianuam Eccleſiæ ſuper baptizando, dicitúrque ſic à *Catechizo*, id eſt, inſtruo: ex Catechiſmo autem oritur ſpiritualis quædam cognatio imperfecta: is contrahit hanc cognationem ſpiritualem impedientem quidem, ſed non dirimentem matrimonium, qui infantis perſonam gerit, reſpondens ad fidei interrogata, dum Sacerdos rogat, an credat. Contrahitur igitur hæc cognatio ſpiritualis orta ex Catechiſmo ab eo, qui in Catechiſmo pro perſona baptizanda Sacerdoti interroganti reſpondet, & ex ea oritur impedimentum, non quidem dirimens, ſed impediens matrimonium, quo minus cum tali perſona matrimonium licitè contrahere poſſit: quamuis ita contractum valeat, ſi verus Patrinus non ſit, qui in Catechiſmo tenet, quia puer domi, v.g. ob neceſſitatem baptizatus fuerat, & ſolùm ceremoniæ in Eccleſia adhiberi debent: videatur *cap. 2. de cognat. ſpirit. in 6.* Layman *tom. 2. lib. 5. tract. 10 p 4. c. 15.*

Quintum eſt inceſtus cum conſanguineis coniugis, aut ſponſæ adhuc viuentis, *cap. 1. & 2. de eo, qui cognouit*, intra ſecundum gradum, poſt Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 4. de Reform. matrim.* Dixi *viuentis*, non autem demortuæ. quia Eccleſia hoc impedimentum introxit in pœnam criminis, quo per inceſtum cum conſanguinea alterius coniugis impeditur vſus matrimonialis cum legitima coniuge. quæ ratio ceſſat poſtquam ea defuncta eſt: videatur Sotus *in 4. diſt. 37. quæſt. vnica art. 1. concl. 4. verſic. quod ſi roges, vtrum.* licet Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 15. num. 12.* teneat nihil referre, ſiue viuo, ſiue mortuo coniuge is inceſtus admittatur, vtroque enim caſu, ait, hoc impedimentum incurretur. Inceſtus cum propriis conſanguineis. impedimentum hoc matrimonio contrahendo non præſtat, quia licèt hic inceſtus ſit in ſe grauior, at non ita offendit matrimonium, cùm non impediat vſum illius. Ita Syl. *verb. matrim. 7. quæſt. 6. dicto 3.* Armil. *verb. matrim. num. 57.* licèt Nauarrus *ſum. cap. 22. num. 74. verſic. contrarium verò*, teneat partem affirmatiuam.

Sextum eſt vxoricidium, *cap. admonere 33. quæſt. 2.* Per viricidium non incurritur hoc impedimentum. quia nullus eſt textus iuris Canonici ſtatuens hoc impedimentum: tum, quia viricidium eſt rariſſimum, & vxores non ſunt pronæ ad id. At vxoricidium eſt frequens, virique ſunt audaciores, & procliuiores ad id delictum perpetrandum. Syl. *verb. matrim. 7. quæſt. 6. dicto 1.* Armil. *verb. matrim. num. 58.*

Septimum eſt raptus alienæ ſponſæ. *cap. ſtatutum 27. q. 2.* ſiue ſit ſponſa de futuro, ſiue de præſenti: & ſic raptor alienæ ſponſæ non ſolùm non poteſt contrahere cum rapta, ſed neque cum alia. Bonacina *tom. 1. tract. de matrim. quæſt. 3. punct. 14. num. 13.*

Octauum eſt ſuſceptio proprij filij, vel filij alterius coniugis in Baptiſmo, vel in Confirmatione, aut illum baptizat malo animo vt contrahat cognationem cum altero coniuge, ne debitum reddat: hic enim contrahit impedimentum impediens matrimonium, & ſic mortuo priori coniuge, licitè non poteſt cum alio matrimonium inire.

Nonum eſt Presbytericidium, *cap. qui presbyterum, de pœnitentijs, & remiſſionibus.* modò homicida fuerit de crimine conuictus in iudicio. Syl. *verb. matrim. 7. quæſt 6. dicto 1.*

Decimum eſt ſolemnis pœnitentia, *cap. de his 33. quæſt. 2.* idque intelligitur quamdiu pœnitentia illa durat. quia cùm id tempus luctui, & pœnitentiæ deſtinatum ſit, dedecent nuptiæ. Ita benè notauit Sotus *in 4. diſt. 37. quæſt. vnica, art. 1. §. de interfectore verò, verſic. de ſolemniter pœnitentibus.*

Vndecimum eſt contractus coniugij cum Sanctimoniali ſcienter. *cap. hi ergo 27. quæſt. 1.* quia delinquens in matrimonium ſponſæ Chriſti indignus eſt matrimonio, at ſi contrahat, factum tenet. Syl. Sotus *loc. cit.*

Dico ſecundò, exceptis tribus primis impedimentis impedientibus matrimonium, nempè voto caſtitatis, vel Religionis amplectendæ, aut matrimonij non ineundi: interdicto, & ſponſalibus, nullius culpæ ſunt rei, qui affecti aliquo ex aliis impedimentis impedientibus, abſque diſpenſatione matrimonium ineunt. quia iam conſuetudo inualuit, vt affectus aliquo ex his impedimentis impedientibus, exceptis tribus primis, minimè petita diſpenſatione matrimonium contrahat: ita notauit Nauarr. *ſumma, c. 22. n. 75.* Sanchez *lib. 7. diſp. 17. n. 9.* Layman *tom. 2. lib. 5. tract. 10. p. 4. cap. 15. n. 2. §. verumtamen.*

Dvbitatio II.

II. *An Sum. Pontif. poſſit diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium?*

Dico tertiò. Summus Pontifex non poteſt diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium iure naturali. quia non conſtat huiuſmodi facultatem Summmo Pontifici conceſſam eſſe. Ita colligitur ex *cap. litteras, §. ſanè, in fine, de reſt. ſpoliatorum.* In impedimentis verò dirimentibus matrimonium ſolùm iure humano, certum eſt, Summum Pontificem poſſe diſpenſare. nam ipſe eſt Superior, & ſupremam habet in terris poteſtatem: Superior autem poteſt in ſua lege, & in legibus inferiorum ſibi ſubditorum diſpenſare.

Dvbitatio III.

III. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare in impedimentis non dirimentibus, & in aliquo caſu in dirimentibus? &, an vt Epiſcopus valeat diſpenſare, requiratur bona fides?*

Dico quartò in impedimentis non dirimentibus

poteſt

poteſt Epiſcopus diſpenſare, excepto voto caſtitatis, & Religionis. quia quamuis inferior non poſſit diſpenſare in lege ſuperioris, per ſe loquendo, nihilominus conſuetudine receptum eſt, vt diſpenſatio iſtorum impedimentorum non obtineatur à Papa, ſed ab Epiſcopo, excepto voto caſtitatis, & Religionis. Ita notauit Nauarr. *ſumma, c. 22. n. 85.*

Dico quintò. Epiſcopus poteſt etiam diſpenſare in matrimonio iam contractu cum impedimento dirimente occulto, vt iterum celebrari poſſit: concurrentibus his circumſtantiis, vt matrimonium ſit publicum in facie Eccleſiæ celebratum, impedimentum autem dirimens ſit ocultum, & ſit ſcandalum in ſeparatione, nec ad Pontificem aditus pateat, inopia, aut alia iuſta cauſa impediente. Probatur, quia quamuis regulariter nequeat Epiſcopus in lege Pontificis, aut Concilij diſpenſare, poteſt tamen in caſu vrgentis neceſſitatis, quando ad Pontificem aditus non patet, vt docent Cucus *lib. 2. conſtit. maior. tit. 7. n. 334* Sanchez *lib. 2. de matr. diſp. 40. n. 3.* ſed in hoc caſu concurrit grauiſſima neceſſitas, ne ij, qui conſulere Pontificem nequeunt, deſtituti remedio maneant, cùm abſque ſcandalo ſeparari non poſſint, eo quòd vel prolem habeant, quæ parentibus deſtituta commodè educari nequeat, vel alter ſolus impedimentum nouit, nec cùm occultum ſit, probare poteſt, vel illud abſque famæ iactura detegere nequit, vel ſi vterque impedimenti conſcius ſit, cùm probare nequeat, abſque ſcandalo ſeparari non poteſt, nec permittitur aliud matrimonium inire, atque ita maximo incontinentiæ periculo expoſitus erit; ergo tunc poterit Epiſcopus ratione huius neceſſitatis diſpenſare: & ita hanc ſententiam apertiſſimè docent Syl. *verb diſpenſatio, quæſt. 9.* § 15. Armil. *ibi n. 19.* Lopez *part. 2. Inſtruct. cap. vltimo, § Porro hic etiam illa quæſtio.* Viualdus *Candelabro part. 1. de matrim. num.* 148. Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 3 num. 2.* Nauarr. *ſumm. cap. 22. n.* 85. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 10. *quæſt. 5. punct.* 5. § *Quinta etiam poteſt Epiſcopus.* Rodriquez *ſumma, p. 1. cap. 235. num. 3.*

Dico ſextò, vt Epiſcopus in caſu magnæ neceſſitatis diſpenſare valeat in impedimentis iure humano matrimonium dirimentibus, deſideratur bona fides in contrahentibus. Probatur, quia hæc ſententia aſſirmans poſſe Epiſcopum diſpenſare in caſu magnæ neceſſitatis in impedimentis, &c. innititur manifeſte cuidam æquitati, quæ ſuadet mentem legiſlatoris non eſſe vt, in eo euentu Epiſcopus nequeat diſpenſare ſtante tanto periculo animarum; ſed quando matrimonium eſt mala fide contractum, mens Pontificis non eſt iniquitati fauere, & peruerſæ contrahentium audaciæ, & vt illa ſit facilior diſpenſationis occaſio, ne quotidie hac ſpe celebrarentur matrimonia, contemptis impedimentis dirimentibus, ergo deſideratur bona fides contrahentium, & ita hanc ſententiam clarè tenere videtur Sotus *in 4. diſt. 37. quæſt. vnica, art. 2. § Præterea arguitur, verſ. quando verò.* Sanchez *lib. 2. de matrim. diſput. 40. num. 4.* quamuis Henriquez *lib. 12. cap. 3. num. 2. in commento littera K.* aſſerat non deſiderari bonam fidem in contrahentibus, &c. Ad maiorem intelligentiam præcedentis aſſerti,

Dico ſeptimò, vt contrahentes cum impedimento iure Eccleſiaſtico dirimente matrimonium, dicantur contrahere mala fide, non ſatis eſt cognitio ſpeculatiua, qua, v. g. contrahere volens, nouit ſe acceſſiſſe ad conſanguineam eius, cum qua inire vult matrimonium, niſi adſit cognitio, & ſcientia practica, qua ſciat inde oriri impedimentum dirimens matrimonium contrahendum. quia niſi cognitio ſpeculatiua coniungatur cum ſcientia, & cognitione practica, non conſtituit malam fidem, vt optimè docet Bannez 2. 2. *quæſt. 62. art. 6. dub. 5. concluſ. 4. ad finem.* Rodriquez *part. 1. ſumma, cap. 71. concluſ. 4.* ſed quando quis ſcit peccaſſe, e. g. cum conſanguinea vxoris, non conſiſtit in mala fide, niſi adſit cognitio practica, qua norit eſſe impedimentum dirimens matrimonium copulam illam cum conſanguinea eius, cum qua vult contrahere, vt benè docet Sanchez *lib. 2. de matrimonio, diſput. 38. numero* 24. ergo.

Dico octauò, non excluditur hæc bona fides, quamuis procedat ex ignorantia culpabili. quia vt mala fide dicatur quis aliquid facere, requiritur quòd ſcienter illud faciat; ſed verè non dicitur quis ſcienter aliquid facere quando ex ignorantia craſſa, & vincibili facit. ergo ſtat bona fides, cum ignorantia craſſa, & vincibili: videatur pro hac aſſertione Lopez *part. 2. Inſtruct. de excomm. cap. 13. § Sed iam ad ſecundum punctum.* Nauarr. *ſumma cap. 27. num. 155.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 40. num. 4. § Rogabis autem.*

Dico nonò. Poteſt Epiſcopus in caſu magnæ neceſſitatis, concurrentibus circumſtantiis enumeratis *aſſertione 5.* diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium, etiam ſi alter ſolus ex contrahentibus ineat matrimonium bona fide, alter verò mala fide. quia non eſt æquum punire innocentem ob alterius delictum, ſed puniretur innocens contrahens bona fide, ſi ob delictum alterius contrahentis mala fide non poſſet Epiſcopus diſpenſare cum illo ad reualidandum matrimonium à ſe bona fide contractum, ergo: tum, quia Henriquez ait *lib. 12. de matrim. cap. 3 num 2. in commento littera K.* vt Epiſcopus poſſit diſpenſare in caſu vrgenti, & magnæ neceſſitatis, non deſideratur bona fides: tum, quia Syl. Armil. Nauarrus, Viualdus, Valentia adducti *aſſertione 5.* explicantes conditiones requiſitas ad hanc diſpenſationem, bonæ fidei non meminerunt. ergo: videantur hi DD. locis adductis *aſſertione 5.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 40. num. 4. § Vnde idem dicendum, verſic ſed credo tunc.*

Dico decimò, poteſt Epiſcopus diſpenſare in impedimento iure Eccleſiaſtico dirimente matrimonium, etiam ſi contrahentes eſſent diuites, & haberent expenſas neceſſarias ad diſpenſationem Pontificis obtinendam, ſi vrgens neceſſitas cum eis diſpenſandi concurreret, vt ſi Roma longiſſimè diſtaret, eſſétque magnum incontinentiæ periculum tamdiu expectare. nam ſicut poteſt Epiſcopus cum paupere diſpenſare, qui ratione inopiæ non habet recurſum ad Pontificem; ergo ſimiliter poterit cum diuite diſpenſare quando ratione vrgentis neceſſitatis, & periculi magni in mora, caret diues eodem recurſu ad Romanum Pontificem.

Dico vndecimò, valeret ſimiliter Epiſcopus diſpenſare, ſi impedimentum eſſet ex parte fœminæ, quæ conſanguineo viri ante matrimonium contractum copulata eſt, nec poteſt impedimentum viro detegere, quia famæ, & fortè vitæ iacturam pateretur, nec poteſt à viro abſque ſcandalo ſeparari, nec ei debitum negare. quia cùm diſpenſatio hæc Epiſcopo permittatur ratione magnæ neceſſitatis, quæ vrget ne Pontificis diſpenſatio expectetur, qua ratione non eſt commodus ad ipſum recurſus. ergo cùm in caſu huius aſſertionis ſit vrgens, & maxima neceſſitas diſpenſandi, nec fœmina, de qua loquimur, habeat commodum ad Pontificem recurſum, poterit Epiſcopus, &c. & ita has duas aſſertiones tenere videtur Syl. *verb. Diſpenſatio, q. 9. § 15. verſic. ex quibus concluditur:* vbi generaliter ait poſſe Epiſcopum diſpenſare quando non eſt commodus recurſus ad Pontificem. Idem ſimiliter

dicit Armilla *verb. Diſpenſatio, num.* 19. Nauarr. Valentia, Henriquez *aſſertione* 5. *cit.*

Dico duodecimò. Probabile eſt etiam aſſerere, poſſe Epiſcopum aliquando diſpenſare in impedimento matrimonium dirimente, antequam matrimonium contrahatur, ſi vrgentiſſima neceſſitas id poſtulaſet. nam dari poteſt caſus, vt fœmina aliqua nobilis ſit parata matrimonium de præſenti contrahere cum altero viro nobili, ſtatuto aliquo die, & poſtea eadem die accedens ad confitendum, inueniatur habere impedimentum dirimens, cuius manifeſtatio eſſet illi cauſa grauis infamiæ, nec eſſet alia via euadendi infamiam, vel ſuſpicionem grauis delicti in confeſſione manifeſtati, ſi tunc eodem manè, aut veſperè non celebrentur nuptiæ: tunc in iſto caſu poteſt Epiſcopus diſpenſare in illo impedimento dirimente ante contractum matrimonium. quia hoc impedimentum eſt iuris humani, ſtatutum lege Pontificia, vel Concilij; ſed in hac lege ex magna, & graui neceſſitate poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt diximus *aſſertione* 5. ergo cùm in hoc euentu neceſſitas vrgeat, Epiſcopus in illo impedimento dirimente ante contractum matrimonium diſpenſare valebit. Ita probabiliter Sanchez *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 40. *num.* 7. Bonacina *tom.* 1. *de matrim. q.* 3. *punct.* 15. *num.* 6.

ARTICVLVS XVII.

An Confeſſarij Regulares Ordinum Mendicantium, virtute ſuorum priuilegiorum, poſſint diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium?

SVMMARIVM.

1. *Pars affirmatiua probatur.*
2. *Dubium deciditur.*
3. *Rationi partis affirmatiuæ reſpondetur.*

I. *Pars affirmatiua probatur.*

NAm Roffenſis *in libello de cauſa matrimonij Regis Angliæ, in principio*, affirmat aliquos Mendicantes habere priuilegium à Leone X. conceſſum ad diſpenſandum cum his, qui ſcienter, aut ignoranter contraxerunt matrimonium cum impedimento affinitatis, modò id notorium non ſit, nec in iudicium deductum; ſed affinitas ex copula licita vſque ad quartum gradum, & ex copula illicita vſque ad ſecundum inclusiuè, eſt impedimentum dirimens matrimonium. ergo cùm omnes ferè Mendicantes communicent in priuilegiis conceſſis, & concedendis Mendicantibus, & non Mendicantibus, poterunt diſpenſare in impedimento matrimonium dirimente. huius priuilegij meminit etiam Rodriquez *tom.* 3. *qq. Reg. quæſt.* 1. *art.* 2.

II. *Dubium deciditur negatiuè.*

Dicendum tamen eſt quòd Confeſſarij Regulares Ordinum Mendicantium virtute ſuorum priuilegiorum diſpenſare non poſſunt in impedimentis matrimonium dirimentibus. nam priuilegium conceſſum à Leone X. aliquibus Mendicantibus, cuius meminit Roffenſis *in libello de cauſa matrimonij Regis Angliæ, in principio*, ad diſpenſandum cum iis, qui ſcienter, aut ignoranter contraxerunt matrimonium cum impedimento affinitatis, modò id notorium non ſit, nec in iudicium deductum, nullatenus eſt in vſu, & forſan pro vnico ſolo actu fuit conceſſum. Ita notauit Rodriquez *tom.* 3. *qq. Reg. quæſt.* 1. *art.* 2. Reſpondetur ſecundò illud priuilegium non aliud conceſſiſſe, quàm poſſe Mendicantes diſpenſare cum inceſtuoſis cum conſanguineis coniugis, vt poſſint petere debitum, ac eo matrimonio diſſoluto ad aliud tranſire: non tamen vt cum affine, vel aliud impedimentum dirimens habente, contractum matrimonij inire valeant: ſic obſeruauit Henriquez *ſumma lib.* 12. *cap.* 3. *n.*...

III. *Rationi partis affirmatiuæ reſpondetur.*

Et per hæc iam patet ad rationem adductam in contrarium à principio difficultatis.

Atque hæc ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, ac intemeratæ Virginis, ac Beatiſſimi Thomæ Aquinatis, ſanctiſſimi Præceptoris, dicta ſint. Saluo ſemper in omnibus ſacroſanctæ Matris Eccleſiæ ac peritorum meliori iudicio.

FINIS.

LAVS DEO, BEATISSIMÆ VIRGINI MARIÆ, Patronæ, & D. THOMÆ AQVINATI, Doctori Angelico.

INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM,

Quæ in his duobus Diſquiſitionum moralium Tomis continentur.

Primus numerus Tomum, ſecundus Paginam, tertius eiuſdem paginæ ſectionem deſignat.

A

Abortus.

NON licet ſumere, ſeu præbere medicinas, directè ad fœtûs occiſionem tendentes, ſeu eo animo, vt fiat prolis abortus, ſiue ante, ſiue poſt animationem fœtûs. *Tom.1.p.1.n.2*

Si prægnans periculosè laboret, & non ſupereſt aliud remedium, poteſt ſumere pharmacum, directè tendens ad curationem, etiamſi probabiliter credatur abortus ſequuturus, modò fœtus non ſit animatus. ibid.3

Si fœtus iam eſt animatus, non eſt licitum præbere matri medicamenta, directè curatiua, ſi ſpes probabiliſſima à peritis Medicis conciperetur, fore, vt matre abſtinente ab his medicamentis, cum vitæ tamen propriæ periculo, fœtus in lucem prodiret, & baptizari poſſet. ibid.

Si valdè probabile eſt, non adhibito remedio, vtrumque periturum, matrem, & fœtum, tunc licitè remedium adhiberi poterit, etiam ſi medicamentum prorſus ſit anceps, num auxilium, an mortem potiùs, ſit illaturum. 1.2.4

Non ſolùm quando conſtiterit, quòd fœtus ſit animatus, ſed etiam quando id dubium eſt, & Medici in neutram partem deflectant, & ſpes ſit probabilis, quòd matre abſtinente à medicamentis, fœtus in lucem prodiret, & baptizari poſſet, ſi eſſet animatus, tunc lethaliter mater peccaret, aſſumens medicamentum, cum periculo abortûs. ibid.

Tribus modis procurari ſolet abortus fœtûs, primò impediendo ne fœtus concipiatur, procurando vt fœmina poſt concubitum fiat ſterilis. Secundò vt fœtus iam conceptus, ſed nondum animatus eiiciatur. Tertiò vt fœtus iam conceptus, & animatus excludatur. ibid.a

Licitum non eſt procurare remedium impediens conceptionem fœtus ad euitandam infamiam, periculum vitæ, quod ex partu fœmina ſibi imminere experta eſt, vitæque iacturam, quam probabiliter meruit detecto crimine ſi concipiat fœtus vt in lucem prodeat. ibid.3

Abſciſſio membrorum.

Non eſt licitum abſcindere ſibi membrum, ad defendendam pudicitiam. 1.3.2

Secus ſi ſit pro ſalute, & vita corporis. ibid.4

Abſolutio.

Abſolutio ſacramentalis valida eſt, quando aliqua conditio de præſenti, vel de præterito apponitur in forma. 1.18.2

Abſolutio ſacramentalis non eſt valida quandò formæ additur conditio de futuro. ibid.

Abſolutio collata pœnitenti abſenti non eſt valida, quamuis pœnitens in articulo mortis exiſtat. ibid.3

Valida tamen eſt abſolutio ſacramentalis, ſi pœnitens per literas peccata ſua tranſmittat ad Confeſſarium, deinde in præſentia eiuſdem Confeſſarij dicat ſe de omnibus illis accuſare, & ſic ab eodem Confeſſario in præſentia obtinet beneficium abſolutionis. ibid.4

Abſolutionis delegatio.

Poteſtas, competens Magiſtro Generali, Priori Prouinciali, & Prioribus localibus, poteſt ab his delegari aliis Sacerdotibus in Ordine expoſitis. 2.192.6

Parochus, etiamſi nondum ſit initiatus Ordine ſacerdotalis, poteſt iure communi dare alteri Sacerdoti, ſuppoſita approbatione Epiſcopi, facultatem abſoluendi ſuos ſubditos. 2.213.5

Acceptio perſonarum.

Acceptio perſonarum eſt iniuſtitia, qua in diſtributione præmiorum, vel bonorum communium, quæ pro meritis debentur, vnus alteri præfertur propter indebitam cauſam, vt qui beneficium conferendum ob doctrinam, confert ob affinitatem. 1.46.2

Acceptio perſonarum eſt peccatum mortale ex ſuo genere. 1.47.3

Vbicunque eſt aliqua diſtributio rerum aliquo modo debitarum inter plures, ibi ſuo modo locum habet acceptio perſonarum. Vnde index ſi aliquid reſpiciat præter cauſarum merita, committit hoc vitium acceptionis perſonarum. Item in collatione beneficiorum, & electione, & præſentatione ad illa, reperitur peccatum acceptionis perſonarum ſi non dignioribus conferantur. Item in electione officialium communitatis debet ſeruari iuſtitia diſtributiua, vt melioribus, qui proponuntur, detur ſuffra-

gium quando electio fit per plura ſuffragia, & eligendus eſt pars Reipub. ibid.4

Quando elector eſt vnicus, ſiue ſupremus Princeps, ſiue quiuis alius, committit peccatum acceptionis perſonarum ſi eligat dignum relicto digniori, ſi electio eſt facienda ex partibus, & ciuibus eiuſdem Reipubl. ſi verò fieri poſſit electio ex alienis, & extraneis, licebit eligere dignum relicto digniori. ibid.5

Licèt in bonis mere liberis non contingat acceptio perſonarum, Prælatus tamen ſi bona libera, quæ *gratia* dicuntur, concedat ſolùm auxiliariis ſibi, qui illum elegerunt, exceptis omnibus aliis, committit peccatum acceptionis perſonarum. ibid.7

Accuſatio, & Denunciatio.

Accuſatio eſt delatio Rei de crimine in libello ad vindictam propter bonum commune, cum inſcriptione accuſantis, qua accuſator ſe obligat ad pœnam talionis. 1.47 2

Quando crimen eſt contra bonum commune in fieri, & in procinctu vt fiat, illúdque ſufficienti teſtimonio quis probare poſſit, tenetur quilibet ſub peccato mortali illud per accuſationem iudici deferre. 1.48.3

Si delicta ſunt iam facta, nec actu iam manent, nullus accuſare, nec denunciare tenetur, quamuis fuerint contra bonum commune. ibid.

Quando crimen eſt contra tertiam aliquam perſonam priuatam, & in fieri, & in procinctu vt fiat, ſi teſtes habeas, quibus probare poſſis, teneris accuſare, ſi alio modo impediri non poteſt malum proximo intentatum. ibid.4

Si crimen non ſit in alicuius tertij damnum, & præiudicium, licèt in damnum ipſius operantis, etiamſi non ſit iam inchoatum, ſed ſit in procinctu vt inchoetur, & fiat, ad nihil tenetur illud ſciens, niſi ad correptionem fraternam. ibid.

Nemo tenetur accuſare, nec denuntiare denuntiatione iuridica crimen occultum quod probare non poteſt, etiamſi vergeret in damnum publicum, aut tertiæ perſonæ imminens in futurum. ibid.5

Item, Accuſatio eſt delatio criminis ad iudicem gratia punitionis delicti cum oblatione libelli accuſatorij, & probandi delictum. 1.49.2

Denuntiatio alia eſt Euangelica, alia Iuridica. Euangelica eſt delatio criminis ad Prælatum vt patrem, gratiâ emendandi fratrem: iuridica eſt delatio criminis ad iudicem gratiâ punitionis delicti ſine oblatione libelli accuſatorij, aut probãdi delictum. ibid.

Denuntiationem Euangelicam, abſolutè loquendo, præcedere debet monitio ſecreta. ibid.3

Quando delictum eſt occultum in ore duorum, vel trium, vel ſaltem paucorum, nec eius punitio & manifeſtatio eſt neceſſaria bono communi, nec priuato bono alicuius innocentis, certúmque ſit fratrem illum ſecreta monitione emendandum, ſimúlque prouiſum eſt bono communi, & bono priuato innocentis, nec vllum eſt periculum in mora, corripiendus eſt prius, quàm accuſandus, ſeu iuridicè denuntiandus. ibid.4

In caſu præcedentis dicti accuſans & denuntians iuridicè ante ſecretam monitionem, ne dum peccaret contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam. ibid.5

Quando crimen eſt contra bonum commune, à quo qui in illud incidit ſciens, & prudens, difficillimè ſolet recedere, & reuocari, tunc monitio ſecreta non debet præcedere accuſationem, vel denunciationem, ſed debet ſtatim Inquiſitori, vel iudici Eccleſiaſtico deferri. ibid.6

Quantumlibet peccatum ſit publicum, & dignum quòd in iudicio denuntietur, non tamen ceſſat præceptum de correctione fraterna, quando fuerit probabilis ſpes, quòd peccator reſipiſcet coram Deo, & pœnitentiam aget, & ſubueniri poteſt ſcandalo publico efficiendo priuata monitione, vt ipſe ſuo bono exemplo tollat ſcandalum. 1.50.7

Quando homo per accuſationem intendit recompenſam propriæ iniuriæ, aut reſtitutionem rei familiaris, ſi non poteſt aliter recuperare quod ſuum eſt, licitum eſt illi prætermiſſa correctione fraterna accuſare, etiam ſi ſciat, quòd per ſuam correctionem corrigatur frater. ibid.8

Quando læſor offert offenſo plenam ſatisfactionem quantam poſſet iudex ſecundùm legem præcipere, nullúmque inde ſequitur damnum Reipublicæ, & punitio publica, non eſt neceſſaria bono communi, tunc contra charitatem re vera videtur & ex odio accuſare illum apud iudicem, & nolle recipere illam ſatisfactionem. ibid.9

Epiſcopi de rigore iuris poſſunt mandare ſub pœna excommunicationis ſuis ſubditis, condendo edicta generalia, vt blaſphemantes, v.g. denuntientur; non tamen poſſunt mandare, vt id fiat omiſſâ correctione fraterna, nec vt ſtatim antequam illa congruo tempore, modo, & ordine fieri poſſit, huiuſmodi blaſphemiæ ſibi ſtatim denuntientur. 1.52.7

Si crimen furti iterum eſſet perpetrandum, & continuandum, quia impenderet damnum tertij: tunc reus eſſet denuntiandus, etiamſi nulla laboraret infamia. ibid.8

Si admonitus delinquẽs ſatisfacere nollet, puta ſi eſſet fur qui bona aliena ſubripuiſſet, ſi admonitor probare poteſt, accuſare & denuntiare iuridicè debet, ſi iudex, vel Prælatus præciperet in particulari, vel in cõmuni delictum manifeſtari, & aliàs excommunicationem incurreret, ſi iudex ſub pœna excommunicationis præciperet tale delictum denuntiari. 1.53.9

Si quis ſua denunciatione, aut teſtificatione timet euenturum ſibi, ſuiſque aliquod magnum damnum ſpirituale, aut temporale in ſua perſona, & ſuorum, in honore, aut pecuniaria bona, non tenetur reuelare. ibid.

In delictis, quæ ſunt in propria cauſa in proprium damnum, non tenetur quis per edictum Superioris præcipientis ſub pœna excommunicationis, accuſare & denuntiare reum. ibid.10

Delicta notoria, & publica, etiam ſtante edicto Superioris, quo præcipitur talia denuntiari, vel accuſari, ſi probabiliter & certò ſciremus, quòd ipſe publicè delinquens ex correctione ſecreta publicè pœnitentiam ageret, vitam in melius mutans, ſuo bono exemplo publicum ſcandalum tollens: in caſu iſto non liceret accuſare, aut iuridicè denuntiare ſine Euangelica monitione præmiſſa. ibid.

Quando excommunicatio fertur in eos, qui aliena ſurripuerunt, niſi reſtituant, ſi tempore, quo excommunicatio lata eſt, non habent vnde ſoluant, excommunicationem non incurrunt. 1.54.2

Debent tamen hi cùm primùm poſſunt, ſoluere, aliàs ligantur. ibid.

Qui verò tempore, quo excommunicatio lata eſt, erat ſoluendo, & non ſoluit, eſt excommunicatus, & per ſuperuenientem impotentiam ab excommunicatione incurſa non liberatur. ibid.

Si Titius furatus eſt, vel damnũ intulit proximo, & Caius id certò nouit, ſi Titius ſit iam pauper, & è contra damnificatus iam locuples, quòd boni viri iudicio non teneatur pro tunc ad eius reſtitutionem, etiamſi publicentur literæ generales excommunicationis contra eos, qui furati ſunt, vt reſtituant, & contra eos, qui ſciunt vt id manifeſtent; nec qui furatus eſt non reſtituendo ob impotentiam, vel aliam cau-
ſam

ſam iuſtam, nec qui conſcius eſt furti & impotentiæ alterius in non reſtituendo, non accuſando, vel denuntiando excommunicationem incurrunt. ibid.

Qui retinet alienum acceptum ob debitam ſolutionem eius quod ſibi certò debetur, egóque id ſciam, nec ille per litteras præcipientes ſub pœna excommunicationis, excommunicatos erit illud non reſtituendo, nec ego illum non reuelando. ibid.3

Si pater, vel maritus obtineat à Superiore edictum quo ſub pœna excommunicationis præcipiatur, vt qui furta commiſerint, teneantur illa manifeſtare, non comprehenduntur filij & vxores, niſi in edicto habeatur expreſsè, vt teneantur omnes reuelare, quantumuis coniuncti. ibid.4

Quando ſub cenſura præcipitur, vt quicunque habuerit has, vel illas ſcripturas, quæ quoquo pacto ad aliorum ius attinent, tunc proferendæ omnino ſunt, nec ſufficit, vt qui habet, ſe excuſet, dicendo, quòd inde vexationem timet, niſi forſan omni dubio procul manifeſtiſſimum ſit taliter illas ad meum ius conducere, vt nullatenus ad alterius ius confirmandum attineant. 1.55.5

Monitoria Superiorum præcipientium ſub pœna excommunicationis ad aliquid edendum, puta inſtrumenta, ſcripturas, vel libros rationum edendos, non comprehendunt, niſi eos qui iniuſtè detinent huiuſmodi, & ſcientes quòd illa, vel illæ iniuſtè detinentur. ibid.

Scripturas & inſtrumenta communia, quæ tam pertinent ad ius rei, quàm ad ius actoris, non videtur reus obligatus ad prodendum ſi faciant pro iure alterius, & contra ius proprium rei. Itaque ſi ex illis ſcripturis communibus, quas apud me retineo, ius alterius confirmari poſſit, & ius meum prodendo illas aliqua ratione infirmaretur, aut aliunde damnum ſuſtinerem, eas reuelare non teneor, nec reuelando cenſuram incurro. ibid.

Scripturas, & inſtrumenta propria alicuius, illa ſcilicet, quæ ſolùm pertinent ad ius illius, detinens, non tenetur prodere, quamuis faciant pro iure alterius. ibid.6

Si Epiſcopus generali edicto excommunicet omnes ſcientes talem ſcripturam, ſi non manifeſtauerint, & poſt hanc ſententiam promulgatam aliquis ratione domicilij habitando intra Diœceſim fiat eius ſubditus, ſi ſciat detinentem, & non manifeſtat, excommunicationem non incurret. ibid.7

Aduocati, Procuratores, Conſultores, Conſiliarij, Medici, Chirurgi, qui ſecretò crimina commiſſa nouerunt ratione conſultationis, vt eis remedium adhiberent, non obligantur ad denunciandum huiuſmodi ſecreta crimina, etiamſi ſub pœna excommunicationis præciperetur illis reuelare talia crimina, etiamſi huiuſmodi reſciant auctorem delicti graui laborare infamia, neque deeſſe probationem, & teſtes contra illum, niſi alia via, quàm via conſultationis, & ad capiandum conſilium pro ſalute animæ, vel corporis, aut pro defenſa rerum, vel honoris ſecretum concreditum nouerint. ibid.8

Quando crimen adhuc pendet in futurum, & directè tendit contra bonum commune, vel contra vitam alicuius innocentis, quale eſt crimen hæreſis, læſæ maieſtatis, proditio patriæ, crimen malefactoris, machinantis mortem contra innocentem, etſi non præcipiatur reuelari, ſi noſtra priuata monitione impediri nequit, quamuis ſit ſub ſecreto nobis commiſſum, etiamſi iuramentum, vel promiſſio præceſſerit ſeruandi illud, tunc tenemur iudici denunciare. ibid.

Secretum tamen quod per confeſſionem ſacramentalem nouimus, in nullo mundi caſu detegere poſſumus, niſi qui confeſſus fuerit, ad hoc dederit facultatem. ibid.

Quando præcipitur vt reuelemus quod ſcimus, vt denunciatores; non poſſumus, nec debemus reuelare, niſi quod poſſumus probare. 1.56.9

Iudex Eccleſiaſticus poteſt iubere generaliter ſub pœna excommunicationis, vt qui aliquid ſciuerit de his, quæ attinent ad terminandam litem, quæ ante ipſum pendet, accedat ad teſtimonium de eo ferendum; etiam quando lis pendet apud iudices ſeculares, non tantùm in caſibus ciuilibus, ſed etiam in criminalibus. ibid.10

Qui retinet ſcripturas actoris, & in cauſa, & lite habet certò & euidenter iuſtitiam, tunc non videtur obligatus ad prodendum illas, ſi prodendo illas iuſtitiam in cauſa, & lite perdere timeat. ibid.11

Scripturas & inſtrumenta publica reus prodere tenetur, & ſimiliter teſtis ea reuelare: publica verò inſtrumenta & ſcripturæ dicuntur illæ, quæ continent acta cauſæ in iudicium, ſcilicet confeſſiones, interrogationes, reſponſiones, atteſtationes, & cæteras obligationes, & acta facta in iudicio. ibid.12

Superſtitioſi, & ſortilegi, quorum ſuperſtitiones manifeſtam non continent hæreſim, nec aliquem cultum exhibent Dæmoni, ſed cauſa, verbi gratia, ineſcandi mulierem in ſui amorem, falſa ducti æſtimatione, vtuntur herbis quibuſdam, verbis philacteriis priùs ſunt admonendi, quòd ſi non ſe correxerint, ſunt denunciandi. 1.57.2

Limitatur tamen hoc dictum, quoties quis non certò nouit, ſed tantummodo ſuſpicatur aliquam eſſe ſtrigam, vel hæreticum, aut hoc audiuit à perſona non fide digna, vel ſi audiuit à perſona fide digna, non ampliùs recordatur, à quo audiuit, vel ſi is à quo audiuit, nihil certi ſciat. ibid.

Hæreticus non tenetur in foro externo ſeipſum prodere. ibid.3

Etiamſi factum ſit notorium, verbi gratia, furtum eſſe factum, neſcitur tamen eius auctor, Prælato præcipienti ſub pœna excommunicationis, vt ſi quis ſcit furem reuelet, non tenetur ille, qui furatus eſt, ſeipſum reuelare. ibid.4

Filius tenetur accuſare patrem in crimine hæreſis, quando pater eſſet ſeminator hæreſis, & alios inficeret, & in crimine læſæ maieſtatis humanæ ante factum, non tamen poſt factum. 1.58.5

Si pater eſſet hæreticus occultus, & ſibi ſoli, non aliis noceret, & filius veriſimiliter hoc crederet, tunc non ita certum eſt an tunc teneatur. ibid.

Item, etiamſi pater eſſet hæreticus occultus, non teneretur illum filius denuntiare ob metum cadentem in conſtantem virum, vt ſi timeat propter hanc cauſam interimi, aut malè tractari. ibid.

Item non tenetur quis denuntiare ſtatim eum, qui facit actum, vel dicit aliquid contra fidem, tamen probabile eſt quòd metu aliquo, vel aliqua vehementi paſſione motus fecerit, mentem tamen retinuit ſanam. ibid.

Filius nunquam bona fide putare debet patrem hæreticum ſibi ſoli nociturum; quòd ſi dubitat filius, num pater ſit alios ſuæ hæreſis labe infecturus, tunc à filio eſt prodendus. ibid.

In ſacris Canonibus præcipitur Superioribus, & iudicibus Eccleſiaſticis, vt ſtatutis temporibus faciant viſitationes, & inquiſitiones generales, vt proſpiciant moribus ſubditorum, & purgetur Reſpublica, & tunc iudex iuridicè interrogat, etiamſi nulla de criminoſis præceſſerit infamia, vel clamoroſa inſinuatio, nullus accuſator, aut denuntiator. 1.59.2

Subditi

Subditi quando indicitur huiuſmodi inquiſitio generalis, etiamſi in ea imponantur cenſuræ, nec tenentur, nec debent manifeſtare, aut interrogati explicare, niſi ea tantùm delicta, quorum auctores laborant infamia. ibid.

Cenſoribus tamen ſacræ fidei propoſitis edictis in ſuis viſitationibus manifeſtanda ſunt delicta, etiamſi nulla delinquens laboret infamia, vt ipſi proſpiciant & bono communi Religionis Chriſtianæ, & bono priuato illius delinquentis. ibid. 3

Similiter crimina, quæ ſunt in damnum aliquod temporale commune, vel particulare, nec frater eſt omnino emendatus, & adhuc eſſent perpetranda, vel continuanda, & damnum adhuc immineret, in Inquiſitione generali ſunt manifeſtanda, etiam ſi nulla exiſtat infamia, quando alia via non poteſt illis occurri. ibid.

Quando crimen eſt publicum, ſed auctor ignoratur, ius eſt iudici quærere in genere quis fecerit, non tamen in particulari, an Petrus fecerit. ibid. 4

Quamuis iudex poſſit inquirere, & interrogare quando crimen eſt publicum, non tamen inde ſequitur, reum, ſi fortè interrogetur, teneri ſe ipſum patefacere, niſi contra ipſum præceſſit infamia, vel aliqua expreſſa ſigna apparuerint, vel præceſſit probatio ſemiplena. ibid.

Subditi ſimiliter in iſto caſu quando auctor criminis ignoratur, etiamſi Superior ſub pœna excommunicationis præceperit, non tenentur illum patefacere, ſi nulla laboret infamia, & nihil mali imposterum timeatur, nec crimen adhuc eſſet perpetrandum, vel continuandum in damnum commune, vel alicuius innocentis. ibid.

Obligatio præceptorum quando præfigunt tempus, durat intra illud tempus: vnde ſi habeant excommunicationem, vel aliam cenſuram annexam, incurrunt illam, qui intra præfixum tempus non denunciant: quòd ſi præceptum, vel edictum in meam notitiam non venit præfixo elapſo tempore, non teneor iam ad reuelandum, quod præcipitur reuelari, ratione illius edicti, quamuis teneri poſſim ex iuſtitia legali, vel charitate. 1.60.1

Edicta quæ non præfigunt tempus, & innouantur ſingulis annis, vt edicta Inquiſitorum, habent vim, & durat eorum obligatio toto anno, & vi illorum tenemur reuelare quod præcipitur, quamprimum commodè poſſumus. ibid.

Præcepta, quæ proponuntur in particularibus viſitationibus, vel Epiſcoporum in ſuis oppidis, vel prælatorum in ſuis Religionibus (quæ viſitationes certo tempore ſolent finiri,) non obligant illos, quibus non innotuerunt, niſi expleto tempore viſitationis. ibid.

Si venatio, piſcatio, aut cæſio lignorum ſit iniuſtè, & tyrannicè prohibita, aut vectigalia iniuſtè inſtituta, & poſtulata, cuſtodes non prohibentes, aut non accuſantes, nec pecant, nec ad aliquam tenentur reſtitutionem, etiamſi mercede, ſtipendio, & iuramento ſe ad hoc obſtrinxerint. 1.61.2

Quamuis prohibitio eſſet iuſta, & licita, ſi tamen cædentes ligna, piſcantes, aut venantes id faciant ex graui neceſſitate, vt ſuæ inopiæ ſuccurrant, cuſtodes in tali caſu non accuſantes nec peccant, nec ad reſtitutionem tenentur. ibid.

Quando cæſor lignorum, aut venator tenentur accepta reſtituere, tunc ſcilicet, quando notabile detrimentum in ſyluis communitatis fecerint, ſyluam deuaſtando & demoliendo, & in ſyluis priuatæ perſonæ, quas conſtat eſſe conſitas à particulari perſona in proprio fundo, magnam, & integram arborem obtruncauerint; tunc cuſtos tenetur hos accuſare, quod ſi non fecerit, delinquentibus damna non reſarcientibus, teneatur ipſe ad reſtitutionem. ibid.

Quando venator, piſcator, & cæſor lignorum non tenentur reſtituere, nec peccant mortaliter, quia venantur, piſcantur, & cædunt ligna in locis communibus, nec demoliuntur ſyluam, & montem, nec magnam ſtragem ferarum, & piſcium faciunt, ſed cum moderamine ad ſuam vtilitatem ſcindunt ligna, venantur, & piſcantur, licèt ad ſolutionem pœnæ, quando capti condemnabuntur, ad illam teneantur; cuſtodes tunc non accuſantes hos, in conſcientia ante condemnationem iudicis non tenentur ſoluere pœnam, ad quam condemnandi forent ij, qui delinquunt, ſi ab eis accuſarentur. ibid. 3

Cuſtodes ſyluarum, montium, fluminum, paſcuorum, & locorum ad communitatem pertinentium, extra illos duos caſus in primo & ſecundo dicto adductos, non accuſantes delinquentes, nimirum ligna prohibita ſcindentes, piſcantes, venantes, &c. peccant mortaliter ſi ſint cuſtodes iurati, vel ſola fide adſtricti. ibid.

Cuſtodes confinium regnorum deputati ad cuſtodiendum ne quis aliqua exportet è Regnis, Prouinciis, vel ciuitatibus, vel importent in illis, ſi non accuſant tranſgreſſores, peccant mortaliter, & ſunt periuri ſi accuſare iurauerunt, ſed non tenentur ad reſtituendum pœnas, quas ſoluiſſent tranſgreſſores, ſi denuntiati fuiſſent: quamuis tenerentur ad reſtituenda vectigalia ſi eſſent iuſta, quæ importantes, vel exportantes deberent. ibid. 4

Tria ſunt, quæ ex offenſa & inimicitia naſcuntur regulariter, odium, ira, rancor in corde, ſiue in affectu: ſubtractio eorum, quæ re ipſa amoris ſignificationem habent in opere, ſeu in effectu: tertium eſt in iure, ſiue in foro externo, actio ſcilicet contra offendentem & iniuriantem coram iudice: odium, ira, rancor, & vindictæ cupiditas ſtatim è corde ſunt deponenda: ſignificationes amoris communes ſunt exhibendæ, non autem ſpeciales, per ſe loquendo. Tertium autem, dimittere ſcilicet pœnam lege taxatam, ad id præcepto non obligamur. 1.62.2

Conſequenter offenſus poteſt tuta conſcientia inſtare apud iudicem, vt delinquens pœna mortis merita à lege taxata ob qualitatem delicti commiſſi mulctetur, modò ceſſet rancor, & odium, & adſit iuſtus finis à quo ad id moueatur; vnde ſi offenſor expoſtulet pacem in ſcriptis ab offenſo, ad id præcepto offenſus non obligatur. ibid. 3

Adiuratio.

Adiuratio eſt aliquam perſonam imperando, aut obſecrando inducere ad aliquid faciendum, vel omittendum inuocatione alicuius rei ſacrę quare duplex eſt, quædam deprecatiua, quæ fit imperando, vel quædam eſt per modum deprecationis, altera per modum compulſionis. 1.63.2

Adiuratio differt à iuramento, & item differt ab oratione. ibid.

Eſt autem adiuratio actus religionis, quando fit per Deum, ſiue expreſsè, ſiue tacitè. ibid.

Licita eſt cuiuis adiuratio deprecatiua erga Deum, Sanctos, & quemlibet hominem. ibid. 3

Adiuratio imperatoria, ſeu coactiua Dæmonum, ſeu per modum compulſionis licita eſt, arcendo illos tanquam hoſtes, ne hominibus ſpiritualiter, aut corporaliter noceant. ibid. 4

Nulla ratione eſt licitum Dæmones adiurare adiuratione deprecatoria, ipſos ſcilicet Dæmones precando. ibid.

Res inanimatę per ſe & directè adiurari nõ poſſunt. ibid.

Adoratio.

Adoratio.

Adoratio eſt reuerentiæ alicui rei propter eios excellentiam exhibitio. 1.64.2

Adoratio alia eſt latriæ, alia duliæ, alia hyperduliæ. Adoratio latriæ, eſt ſumma veneratio, ſeu reuerentia quæ ſoli Deo debetur, propter dominium quod ſuper omnem creaturam exercet, & ob eius ineffabilem excellentiam, quæ à nemine deſcendit, & ab eo cuncta deriuantur. Adoratio verò duliæ eſt veneratio, ſeu reuerentia qua veneramur perſonas dignitate præcellentes, & ſic Sancti, eorum imagines, Reliquiæ & ſpiritus Angelici debent adorari. ibid.

Beatiſſima verò V.M. adoratur adoratione hyperduliæ, quæ media eſt inter adorationem latriæ, & duliæ, propter ſpecialem affinitatem, quam habet ad Deum. ibid.

Toti Trinitati, & cuilibet diuinæ perſonæ debetor per ſe cultus, & honor latriæ. Item Chriſto Domino, quoniam etſi homo ſit, eſt etiam Deus. Item latriæ cultus humanæ Chriſti naturæ tribuitur. ibid.3

Humana Chriſti natura re ipſa, vel cogitatione ſeiuncta à Verbo, & per ſe conſiderata, non eſt veneratione latriæ colenda, ſed duliæ, quia vt ſic etiam conſideratur vt omni munere gratiarum perfecta. ibid.

Sangois Chriſti in triduo mortis ſeparatus à corpore cultom latriæ meretur: tum, quia tetigerat corpus Chriſti quod fuerat Verbo diuino coniunctum, tum quia ſangois decoctus, & perfectus, qui eſt pars corporis humani, non fuit etiam in triduo mortis à Verbo diuino ſeparatus, & diuiſus. ibid.

Ea quæ Chriſtum Dominum re ipſa tetigerunt, latriæ culto coli debent, claui, inqoam, lancea, præſepe, ſpongia, flagella, corona ſpinea, & alia huiuſmodi. ibid 4

Ea quæ tetigerunt Chriſtum Dominum ignominioſè, nefariè & impiè, nullum cultom merentur, qualis impia, & ſacrilega illa manus eius fuit, qui Chriſtum Dominum alapa percuſſit. ibid.

Sancta Crux in qua Chriſtus Dominus eſt crucifixus, duplici titulo eſt adoranda adoratione latriæ. Vnus eſt io quantum reſpræſentat nobis figuram Chriſti extenſi in ea, alio modo ex contacto ad membra Chriſti, & ex hoc quòd eios ſanguine eſt perfuſa; alias verò cruces veneramur tantùm vt imagines Chriſti crucifixi. ibid.

B. Virgo Maria nequaqnam cultu latriæ eſt adoranda, quamuis coniunctionem maximam habuerit cum Chriſto. ibid.5

Honorificentior, & illuſtrior cultos abſolutè impenditur B.V. cùm adoratur hyperdulia, propter excellentiſſimas eius virtutes, quàm ſi adoraretur latriæ cultu ex coniunctione ad Chriſtum. ibid.

Aſina tamen coi Chriſtos inſidens Hieruſalem die Palmarum venit, ſi ea viueret, non eſſet adoranda adoratione reſpectiua latriæ, quamuis Chriſtum Dominum ſuo corpore tetigerit. ibid.6

Adoratio, qua Deum colimus, eſt actus virtutis latriæ, ſeo Religionis, quæ eſt virtos moralis, qua Deum adoramus, & colimus, propter eius infinitam potentiam, & excellentiam iocreatam. ibid.7

Adoratio, qua Sanctos, eorum imagines, Reliquias & ſpiritus Angelicos colimus, eſt actus virtutis duliæ: perfectior & diſtincta ſpecie ab adoratione, ſeu honore politico, & ciuili, qui hominibus propter dignitatem, vel poteſtatem humanam dari ſolet. ibid.8

Adoratio & virtus duliæ, qua Sanctos in cœlo regnantes cum Chriſto veneramur, & colimus, eſt eiuſdem rationis cum adoratione, & virtute duliæ, qua homines iuſtos, & ſanctos inter nos viuentes veneramur. ibid.9

Virtus tamen hyperduliæ, qua Beatiſſimam V. adoramus ex affinitate, quam habet ad Deum, eſt potiſſima ſpecies duliæ. ibid.

Adoratio qua Sanctus colimus, non eſt actus elicitus à virtute Religioois. ibid.10

Adulatio.

Adulatio eſt exceſſus delectandi alios verbis laudis, aut factis: igitur laudare aliquem de eo, quo non eſt laudandus, puta de malo, vel pluſquam eſt laudandus, vel vbi & quando, & quomodo, & quo fine non eſt laudandus, eſt adulatio. 1.65.2

Adulatio per ſe eſt ſolùm peccatum veniale. 1.66.3

Poteſt tameo eſſe peccatum mortale ratione materiæ. ibid.

Adulans ſi pacto interueniente, vt aduletur, per adulationem impetrat ſibi beneficium, eſt ſimoniacus. ibid.4

Adulterium.

Adulterium, quod eſt alieni tori violatio, vel acceſſus ad alienum torum, continet duas contra rectam rationem deformitates, vnam luxuriæ, quia eſt concubitus viri cum fœmina extra coniugium: alteram iniuſtitiæ, quia eſt coitus cum fœmina, quæ eſt vxor alterius, vel cum viro, qui eſt maritus alterius. 1.66.2

Adulterium committitur tripliciter, primò ſi coniugatus carnaliter cognoſcat ſolutam. Secundò, ſi ſolutus cognoſcat coniugatam. Tertiò, ſi vir coniugatus accedat ad fœminam coniugatam: & hoc appellatur adulterium duplex, illa verò duo priora adulteria ſimplicia. ibid.

Si coniugatus coëat cum coniogata, tenetur explicare in confeſſione ſe coiſſe com coniogata, & ſe etiam eſſe vxoratom virum. ibid.

Adulterium non eſt grauius peccatom inceſtu, qui eſt conſanguineorum, vel affinium abuſus. ibid.3

Mulier ſoluta accedens ad virum coniugatum, adulterij crimen committit. 1.67.4

Adulterium committit, qui abutitor coniugata contra naturam, & qui naturaliter. ibid.5

Concubitus cum coniugata contra naturam non eſt propriè adulterium, ſicut concubitus contra naturam com conſanguinea non eſt propriè inceſtus, ſed quaſi impropriè eſt adulterium, & impropriè inceſtus eſt talis concubitus contra naturam. ibid.

Vir coniugatus quando patitur contra oaturam acceſſum ſoloti, vltra crimen ſodomiticum committit adulterium impropriè. ibid.6

Conſequenter ſi coniugatus coëat ſodomiticè cum maſculo adoleſcente præpoſtera Venere, abutendo illo, committit duo peccata ſpecie diſtincta, vnum ſodomiæ, alterum adulterij impropriè, contra ius & obligatiooem matrimonij debitam vxori ſuæ. ibid.

Adoleſceos ſolutus qoando patitur contra naturam acceſſum coniugati, non ſolùm committit crimen ſodomiticum, ſed etiam facit iniuriam matrimonio. ibid.

Mulier ſoluta accedeus ad virum coniugatum adulterij crimen committit; ergo ſimiliter adoleſcens, quando patitur contra naturam acceſſum coniugati, ne dum committit crimen ſodomiticum, ſed etiam peccatum habens malitiam, & iniuriam contra matrimonium. ibid.

Abuſus vxoris contra naturam habet malitiam adulterij: itaque hoc crimen vltra malitiam contra naturam habet duplici ex parte malitiam adulterij, nimirum ex parte viri, & ex parte vxoris. ibid.7

Adulter cùm primùm eſt notus coniugi, eo ipſo in conſcientia caret iure exigendi debitum, id eſt, non habet ius exigendi, obligando innocentem coniugem ad reddendum. 1.68.2

Coniux

Cooiux adolterij ſoi coniogis conſcios poteſt in foro couſcientiæ ſecluſo ſcandalo ab eius habitarione diuertese, quamuis adulterium ſit occultum,nec ad id aliqua ſententia iudicis deſideratut. ibid.4

Sicur adulter cùm primùm eſt notus coniugi innocenti,eo ipſo in conſcientia caret iure exigendi debitum; ita iure recipit & recuperat illud adulrerio ſuæ conſortis. ibid.5

Nihil refert an eodem tempore vir & vxor adulterentur,an ſucceſſiuè priùs vir,& poſtea vxor,aut contrà priùs vxor, & poſtea vir, tunc enim vterque amittit ius recedendi à toro, & denegandi alteri debitum. ibid.

Coniux tamen priùs adulterans ſi fuerit ei condonatum adulterium, ſi poſtea alter conniux poſteriùs adulterauerit,poteſt prior coniux facere diuortrium. ibid.

Coniux occultè adulter non poteſt perere diuortium, nec debitum negare ob adulterium alterios coniugis ſibi notum,licèt alter ſuum ignoter. ibid.

Si vxor ſit adultera ex conſenſu viri expreſſo, vel tacito, oon habet vir ius denegandi debitum, & vxor habet ius illud exigendi. ibid.6

Item coniux innocens renetur reddere debitum coniugi adulteræ quando eius vxor oppreſſa eſt ab aliquo. ibid.

Item quando vxor ob diuturnam abſeotiam mariti,credens eum mortuum, alteri ſe cooiungit,non perdit ius exigendi debitum. ibid.

Item ſi alter ſub ſpecie mariti decepit vxorem. ibid.

Item ſi maritus poſt adulterium cognouit vxorem.ibid.

Item ſi quis degens ſub infidelitate, repudiat vxorem ſuam,deinde conuerſus ad fidem non poreſt coniugi obiicere adulterium. ibid.

Adulter non tenetur credere quòd filius ex adulterio natus ſit ſuus,ſi tempore, quo fuit conceprio fœtus, maritus cum vxore adultera habitabat. 1.69.a

Quando adulter habet probabilem rationem dubitandi,prolem ſuſceptam non eſſe ſuam, non tenetur ad aliquam damni recompenſationem. ibid.3

Si adulter probabiliter credit prolem ſuſceptam ex adulrerio eſſe ſuam,quando ſcilicet tempore conceptionis maritus aberat, & adultera, quæ alioquin erat honeſta & bonæ famæ,etiamſi rem cum illo habuit, ad id tamen vi, aut minis, aut aliis ſuaſionibus adducta fuit,nec vnquam poſtea ſiniſtra aliqua laborauit infamia, ſed timoratæ ſemper conſcientiæ eſt habita, tunc tenetur adulrer ad reſtituendum damnum marito, quod patitur ex ſuſtentatione prolis adulterinæ, & filiis adulterinis ex hæreditatis partitione. ibid.

Si adulter adulteram induxit, aut prouocauit ad adulterium, tenetur inſolidum ad damna reſtituenda cum adultera: vnde ſi iſta partem ſuam debitam reſtituere nolit, aut oon poſſit, adulter obligatur in integrum damna reſtituere. ibid.4

Si adultera mitteret filium adulrerinum ad hoſpitale, vt hac ratione adulterium occultaret (id quod abſque peccato licet, hæc enim vna cauſa eſt, cur loca hæc pia inſtituuntur) tenebitur pater,aut mater prolis inſolidum, vel in partem, iuxta ea quæ diximus aſſertione præcedenti,ſatisfacere hoſpitali, niſi paupertas eos excuſet. ibid.5

Si adulrera totum damnum ex ſuis bonis propriis reſtituerit hoſpitali, vel marito, vel aliis filiis legitimis, quibus damnum eſt illatum, tenebitur adulter eidem adulteræ medietatem recompenſare tanquam particeps & concauſa damni. ibid.

Quando adultera non haber aliqua bona propria paraphernalia, id eſt, bona vltra dotem, qualia etiam ſunt legata, & ſucceſſiones hæreditariæ, & alia donata, quæ illi obuenirent vltra contractum matrimonij, ex quibus ſatisfacere poſſit damnis illatis legitimis prolibus, tenetur adulterinum filium inducere ad capeſſendam Religionem hæreditatis incapacem. ibid.

Adultera ſi nullo modo poteſt compenſare damnum, non tenetur prodere ſuum crimen marito, aut proli,niſi moraliter certa ſit damni auertendi: vnde quando prudenter dubitat an proderit reuelatio, non tenetur famam ſuam crimen occultum pandendo prodigere. ibid.6

Filius matri dicenti ipſum eſſe ſpurium, non tenetur credere. ibid.7

Si filius omnino conuincatur, aut quia mater teſtibus iuratis probat parentem,ſeu patrem putatiuum tempore ſui conceptus abfuiſſe, vel quia euidens eſt ei tempore quo fuit conceptus matrem ſuam ab illo ſuo patre putatiuo non fuiſſe cognitam, &c. tunc ſine dubio tenebitur filius in conſcientia hæreditatem dimittere, etiamſi in foro exteriori ſibi fuerit adiudicata. ibid.

Si filius dubitat de dicto matris poſt aditam hæreditatem,nihil reſtituere tenetur. ibid.8

Si poſt completam præſcriptionem bona fide factam conſtaret filio adulterino ſe non fuiſſe legitimè natum, non tenetur hæreditatem dimittere, neque ad aliquam reſtitutionem. ibid.

Secus autem ſi ante completam præſcriptionem illegitimum ſe fuiſſe conſtet. ibid.

Adulter non tenetur reſtituere hæreditatem ademptam filiis legitimis ſi eam acquiſiuit filius ex adulterio genitus cum periculo ſuæ propriæ vitæ, adulteræ,vel filij adulterini. ibid.9

Idem dicendum ſimiliter de adultera, quia nulla bona temporalia ſunt tantæ æſtimationis,quantæ eſt vita. ibid.

Adultera, quæ aliàs eſt bonæ famæ,& perſona illuſtris & nobilis, non tenetur crimen ſuum patefacere, ſi inde periculum famæ ſibi impenderet. ibid.10

Si hæreditas eſſet diues, & copioſa, & adultera eſſet infimæ notæ, & non ita bonæ famæ, teneretur in conſcientia adultera crimen ſuum manifeſtare, vt hæres legitimus talia bona recipiat, dummodo non habeat aliunde,quo reſtituat,& nullum aliud ſequatur incommodum, quàm propria infamia, & ex reuelatione ſequeretur in effectu reſtitutio. ibid.

Si hæreditas eſſet ampliſſima, v.g. ſi eſſet Marchionatus, Ducatus, Regnum, Principatus, Comitatus, & deuolui deberet ad ſpurium perditis moribus, itaut ex dominatu eius timeretur mala,& pernicioſa Reipublicæ & populorum adminiſtratio; legitimus autem hæres eſſet optimæ ſpei, adulter, & adultera,nedum cum periculo infamiæ, ſed etiam cum periculo vitæ tenerentur impedire ſpurij ſucceſſionem. ibid.

Si maritus ſit vir valde bonus & prudens, & filius ſpurius,ad quem hæreditas,ſeu primogenitura deuolueretur, eſſet ſpiritualis & timens Deum, ipsique rem ſilentio ſint compreſſuri, neque idcirco mulierem adulteram oſuri,aut probris vexaturi, & ſimul eſſet certa ſpes damni auertendi: tunc adultera tenerētur crimen ſuum illis reuelare. ibid.

Licèt nupta vi oppreſſa abſolutè excuſetur à culpa adulterij, tamen ſi per metum ipſa conſentiret adulterio, etiam metu mortis cadente in virum conſtantem, rea eſſet culpæ adulterij. a.60.13

Si coniugatus coëat cum coniugata, dicere tenetur in confeſſione ſe coiſſe cum coniugata, & ſe etiam eſſe vxoratum virum, & non ſatis eſt dicere ſe eſſe coniugatum. a.64.27

Mulier

Mulier ſoluta peccans cum vxorato, adulterij crimen incurrit. ibid.28

Si coniugatus cum coniugata peccet, non ſatis eſt fateri dicendo ſe adulterium admiſiſſe. 1.68.44.
Vide *Matrimonium*, rubr. *Impedimentum criminis.*

Aduocatia, Aduocatus.

Aduocatus eſt cauſarum patronus, cuius officium non ſolùm vitæ hominum & Reipub. vtile ac neceſſarium eſt, ſed etiam nobile, ac principalibus præmiis munerandum. 1.71.2

Lege miſericordiæ & charitatis tenetur Aduocatus gratis defendere cauſam pauperis non habentis vnde ſoluat mercedem, & extremè indigentis patrocinio illius. ibid.3

Extremè indigere Aduocati patrocinio dicitur ille, cui in carcere manenti imputatur crimen, propter quod infallibiliter mors erit infligenda, nec habet vnde ſibi ſubueniat, niſi ex Aduocati patrocinio gratis collato. Vel in lite aliqua ciuili extremè indigere patrocinio Aduocati dicitur, qui non habet vnde ſoluat patrocinium, & ſi ſuccumbit in lite, tanta fame & inopia opprimetur, vt periclitetur ex defectu neceſſariorum ad ſuſtentationem grauiter infirmari, & mori. ibid.

In iſto caſu extremæ neceſſitatis non tenetur Aduocatus ferre ſuum patrocinium cum grauiſſimo ſuo incommodo: vt ſi probabiliter ex ſuo patrocinio timeret mortem, aut omnium bonorum ſuorum amiſſionem. ibid.4

Tenetur tamen Aduocatus in caſu grauiſſimæ & extremæ neceſſitatis ferre pauperi patrocinium cum graui ſuo incommodo, puta cum aliquali bonorum ſuorum iactura. ibid.

In graui neceſſitate pauperis, vt ſi iniuſtè damnandus putaretur ad triremes, ad publicam flagellationem, ad durum carcerem, vel amiſſa lite iuſta grauem morbum eſſet contracturus, tenetur Aduocatus ſub peccato mortali ſuum patrocinium exhibere, modò ſuperfluum ſuo ſtatui habeat, id eſt, modò præter illam operam quæ illi neceſſaria eſt ad ſtatum ſuum ſuſtentandum, aliquid temporis, vel induſtriæ ei ſuperſit. ibid.5

In neceſſitatibus communibus, quibus laborant quicũque pauperes, & plebeij viri pro rebus ſuis litigãtes, licèt vni, vel alteri pauperi Aduocatũ nõ patrocinari, cùm poſſit, non ſit peccatũ mortale, ſed veniale; animum tamen habere non adiuuandi huiuſmodi homines procoldubio peccatum eſt mortale. 1.72.6

Infideles, excommunicati, infames, hæretici, & de grauibus criminibus damnati, Aduocati officium exercere prohibentur. ibid.2

Monachus Aduocatus eſſe non poteſt. ibid.3

Clerici in Sacris conſtituti, vel etiam minoribus, dummodo tamen ſint beneficiarij habentes beneficium ad ſui ſuſtentationem, Aduocati officium coram iudice ſæculari exercere non poſſunt in negotiis ſæcularibus, niſi in cauſa propria, pro Eccleſia ſua, vel pro coniunctis, aut miſerabilibus perſonis; in cauſa tamen criminali nullo modo poſſunt. ibid

Clericus tamen in Sacris conſtitutus, atqui nondum Sacerdos, & in minoribus beneficiarius, poſſunt aduocare coram iudice ſæculari in negotiis Eccleſiaſticis ſolùm. ibid.4

Dicitur autem negotium Eccleſiaſticum, aut ratione perſonæ, vt quia perſona Eccleſiaſtica ſequendo forum rei litigat coram iudice ſæculari, aut ratione delicti, vt quia pro ſacrilegio Eccleſia voluit conuenire laicum coram iudice ſæculari, aut ratione rei, de qua agitur, vt quia res eſt Eccleſiæ. ibid.

Conſtitutus verò in Sacris non Sacerdos, & exiſtens in minoribus beneficiatus, coram iudice Eccleſiaſtico Aduocatus eſſe poteſt, etiam quoad negotia ſæcularia. 1.73.init.

Epiſcopus nullo modo poteſt patrocinari, nec coram iudice ſæculari, nec Eccleſiaſtico. ibid.5

Sacerdotes verò in quatuor cauſis coram iudice Eccleſiaſtico Aduocati eſſe poſſunt pro ſe, pro Eccleſia ſua, & pro perſonis ſibi coniunctis, dummodo coniuncti illi non poſſint habere Aduocatum, aut non ita bonum, vt eſt Sacerdos. Quartò pro miſerabilibus perſonis, vt ſunt viduæ pauperes, & pupilli. ibid.

Clerici tamen in minoribus conſtituti, ſi non ſint beneficiati, aduocare poſſunt coram iudice Eccleſiaſtico, & ſæculari, ſicut laici in cauſa ciuili, non autem criminali. ibid.

Si verò laicus, vel Clericus etiam in Sacris conſtitutus, vel beneficiarius patrocinetur alicui, cui actio criminalis intentetur, ita defendat illum, vt accuſator non poſſit eum conuincere, & ideo damnetur ad pœnam talionis, v. g. occiſionis, vel mutilationis, non efficitur propter hoc irregularis. ibid.6

Eſſet tamen irregularis Clericus Aduocatus rei accuſati ſi peteret puniri accuſatorem pœna talionis, ſecuta morte, vel mutilatione. ibid.

Aduocatus qui propter imperitiam perdit cauſam ſui clientis, peccat contra iuſtitiam, & tenetur reſtituere totum damnum, quod inde euenit clienti. ibid.7

Si Aduocatus ſit negligens in procuranda cauſa, peccat mortaliter, & tenetur reſtituere damnum, non ſolùm de lata & ampla culpa, ſed etiam de leui. ibid.

Aduocatus ſcienter ſuſcipiens cauſam iniuſtam, ſi admonuerit clientem de iniuſtitia cauſæ, peccat mortaliter, non tamen tenebitur illi quicquam reſtituere. ibid 8

At tenetur reſtituere parti aduerſæ ſi vincit litem non ſolùm principalem, ſed etiam expenſas. ibid.

Si autẽ non admonuerit clientẽ ſuum de iniuſtitia cauſæ, tenebitur illi reſtituere expenſas, quas facit. ibid.

Aduocatus ſi in principio cauſæ credidit illam eſſe iuſtam, debet illam deſerere, ſi poſtea nouit eam eſſe iniuſtam, & admonere ſuum clientulum vt deſiſtat, non tamen debet ſecreta cauſæ prodere parti, niſi id foret neceſſarium ad graue aliquod damnum proximi impediendum. ibid.9

Quoties æquè pendet dubitatio in vtramque partem, quia res vel in iure, vel in facto æquè dubia eſt, & ita æquali probabilitate, integrum eſt Cauſidico vtramlibet partem tueri. ibid.10

Licitum eſt etiam Cauſidico quando vna pars probabilior eſt alterâ, in fauorem rei patrocinari: dummodo non vtatur fraude aliqua, vel dolo. ibid.11

In iſto caſu tenetur Cauſidicus admonere clientem quòd eius pars non ita ſibi probabilis appareat ſicut oppoſita. 1.74.init.

Imò tenetur Aduocatus aſſeuerans cauſam ſui clientis omnino eſſe iuſtam, damnum ſubſequutum reſtituere, ſi cliens cognita minori probabilitate cauſæ non eſſet litigaturus. ibid.

Quando agitur de cauſa ſanguinis, aut de cauſa ciuili maximi momenti, vt de bonorum omnium poſſeſſione, tunc peccat contra charitatem Aduocatus pro actore minus probabilem cauſam habente patrocinans. ibid.

Æquiuocatio, vide Iuramentum, *rubr.* Iuramentum ſub æquiuocatione.

Ætas, vide Matrimonium, *rubr.* Impedimentum ætatis.

Affinitas, vide Matrimonium, *rubr.* Impedimentum affinitatis.

Amplexus, Delectatio.

Delectatio venerea, ſeu libidinoſa, quæ conſurgit ex amplexibus, tactibus & oſculis, illa dicitur quæ ſentitur in carne cum commotione ſpirituum ſubſeruientium generationi circa partes libidinoſas. 1.74.2

Quæ delectatio venetes, ſeu libidinoſa eſt duplex, vna conſurgit ex ipſa copula, altera verò ex ipſis amplexibus, tactibus, & oſculis, & non intendendo copulam, nec illius voluptatem. ibid.

Libidinosè igitur vacar quis actibus, tactibus, oſculis, & amplexibus, quando hæc cauſa delectationis ſenſibilis, quæ ibi ſentitur, exercet, etiamſi nullum opus aliud intendat, & ſi hoc fiat à non coniugibus mortale eſt. ibid.

Amplexus, tactus, & oſcula habita inter virum & fœminam omnino ſolutos lege matrimonij & ſponſalium inter ſe initorum, propter ſolam delectationem ſenſibilem in appetitu ſenſitiuo conſurgentem ex ipſis, quamuis nec de fornicatione, nec de illius delectatione cogitetur, eſſe peccata lethalia, certiſſimum eſt. ibid.3

Amplexus, tactus, & oſcula non libidinoſa, & venerea ex ſuo obiecto, quia ſcilicet non fiunt in his partibus, quas natura instituit ad prolem generandam, etiam ſi ſint tactus mammillarum fœminæ, ſi habeantur ioco, cauſa vanitaris, vel leuitatis, vel alia ſimili, abſque intentione delectationis venereæ, etiamſi inde conſurgat, ea repreſſa, non excedunt culpam venialem. ibid.4

Amplexus, tactus, & oſcula inter perſonas eiuſdem ſexus, vt inter duos viros, aut duas fœminas, ſi ſint habita cum intentione delectationis libidinoſæ, & vcoercæ, ſunt peccata lethalia. 1.75.5

Secus autem ſi fiant ioco, cauſa vanitatis, vel leuitatis. ibid.

Et non habeantur circa partes impudicas à natura ordinatas ad generationem. ibid.

Amplexus, ſactus, & oſcula ſi non ſint ſecundùm ſe impudica, ſcilicet ſi non ſint circa partes pudendas, & fiunt ſecundùm morem, & conſuetudinem patriæ, ſunt licita. ibid 6

Quòd ſi habeantur ab aliquo iuuene libidinosè ex mala intentione, tunc ſi ſunt in publico coram aliis, mulier non tenetur reſiſtere. ibid.

Amplexus, tactus, & oſcula inter coniuges abſque vllo coitu, & abſque vlla cogitatione copulæ, ſed ſolùm ſimpliciter ob delectationem ſenſus in amplexibus, oſculis, & tactibus abſque vllo periculo voluntariæ pollutionis, licita ſunt. ibid.7

Amplexus, oſcula aliique tactus non impudici inter ſponſos de futuro excuſantur à culpa, & ſunt omnino licita, ſi habeantur in ſignum beneuolentiæ, & ad conciliandum fouendúmque mutuum amorem in ordine ad matrimonium contrahendum. ibid.

Delectatio ſimiliter appetitus ſenſitiui ex amplexibus, tactibus, oſculis & verbis cogitatis à ſponſis de futuro non eſt mortalis. ibid.

Vir qui abſente vxore, & ſimiliter vxor abſente marito, quæ delectatur de amplexibus, tactibus, & oſculis præteritis, vel futuris, imò de copula cogitata præterita, vel futura non delinquit lethaliter. ibid.8

Erit tamen talis delectatio culpabilis venialiter. ibid.

At multo verius eſt eſſe culpam lethalem coniugibus morosè delectari in copula cogitata tanquam præſenti, dum ſunt abſentes. ibid.

Etiam ſponſis de futuro licet delectatio captata ex futuræ copulæ coniugalis cogitatione. ibid.

Dummodo abſit periculum pollutionis, vel conſenſus in copulam præſentem. ibid.

Immo ſi quis ſperat ſe habiturum puellam in vxorem, & delectatur in cogitatione futuri operis, non peccat lethaliter. ibid.

Lethale peccatum eſt captare delectationem appetitus ſenſitiui nondum coniugatos ex cogitatione copulæ habendæ tempore coniugij. 1.76.init.

Vidui admittentes delectationem veneream, & ſenſitiuam ortam ex amplexibus, oſculis & tactibus cogitatis, & ex copulæ habitæ tempore matrimonij cogitatione, non peccant mortaliter, ſi tamen abſit periculum pollutionis. ibid.9

Mortale eſt delectari in appetitu ſenſitiuo de amplexibus, tactibus, & oſculis cogitatis, & de copula cogitata ſub conditione, ſi adeſſet matrimonium, de opere cogitato cum muliere, ſi eſſet vxor. ibid.10

Si captatur, & intenditur delectatio conſurgens ex rebus ipſis turpibus cogitatis quæ auditione, cantatione, aut geſtibus turpibus fouetur, erit peccatum lethale. 1.78.4

Loqui ſimiliter verba amatoria, ſecluſo periculo propriæ, vel audientium ruinæ ad ſolam vanitatem, & vanum amorem conciliandum, leuémque delectationem, non excedit culpam venialem. ibid.5

Addo, dummodo abſit ſcandalum, & non intendatur, vel percipiatur ex huiuſmodi verbis delectatio ſenſibilis excitans motum carnis, & concupiſcentiæ. ibid. Vide *Aſpectus*, & *Tactus*.

Apoſtaſia, & Apoſtata.

Apoſtaſia eſt temerarius receſſus à fide, ab Ordine, vel à Religione. 1.79.2

Apoſtaſia à fide.

Apoſtaſia à fide ſic deſcribi poteſt: Eſt error hominis baptizati fidei Catholicæ ex toto contrarius. ibid.

Apoſtaſia à fide diſtinguitur à Paganiſmo, & Iudaiſmo. ibid.

Hæreſis & apoſtaſia ſunt eiuſdem ſpeciei, & conſequenter Apoſtata eſt idem qui hæreticus. ibid.3

Apoſtata à fide puræ mentalis nullam incurrit excommunicationem. ibid.4

Papa, ſiue inferior alius Prælatus poteſt reſeruare ſibi peccatum apoſtaſiæ à fide purè mentalis. ibid.

Si quis ex metu verbo, vel facto ſe fingeret Apoſtatam à fide, non eſt excommunicatus. 1.80.5

Quilibet Confeſſarius poteſt ab hoc peccato contra confeſſionem fidei abſoluere eum, qui ſolùm exteriùs negat rem fidei, abſque errore tamen aliquo intellectus. ibid.6

Idem dicendum de apoſtaſia merè mentali, ab ea enim poteſt abſoluere quilibet Confeſſarius expoſitus ab Ordinario. ibid.

Hæreticus mentalis, & ſimiliter Apoſtata mentalis, ſi proferat ſuam hæreſim verbo, ſigno, vel facto, etiam nemine audiente, incurrit excommunicationem, & alias pœnas hæreticorum. ibid.7

Vt verbum, ſcriptum, ſignum, manifeſtent ſufficienter apoſtaſiam mentalem, & internam, requiritur quòd ſi alter adeſſet, poſſet illam percipere, & ſic per actus indifferentes ſoli Apoſtatæ mentaliter apoſtaſiam manifeſtantes, non eſt quis Apoſtata, & hæreticus externus. ibid.

Apoſtata manifeſtus, ſiue facti euidentia, ſiue propria confeſſione in iudicio, ſiue ſententia iudicis, efficitur irregularis. 1.81.2.

Apoſtata à fide cùm re vera ſit hæreticus, irregularitatem contrahit ipſo iure, etiam ſi fuerit occultus: quare Apoſtata etiam per veram mentis pœnitentiam, & abiurationem abſolutus à crimine nequit ad Ordines, aut beneficia promoueri, niſi cum ipſo diſpenſetur. ibid.3

Apoſtaſia à fide in ſola mente retenta minimè inducit irregularitatem. ibid 4

Fictè

Fictè negans fidem, fictéque ab ea apoſtatans, ſiue ſponte, ſiue timore pœnarum ductus, ſi crimen ſit occultum, neque excommunicationem, neque irregularitatem incurrit. ibid.

Si verò tale crimen ſit notorium, apoſtatans à fide ſolo verbo, vel facto, metu pœnarum, vel ſponte, licèt non animo & voluntate, abſque vllo mentis errore incurrit irregularitatem, quæ contrahitur ob crimen enorme occultum. ibid.

In irregularitate ob apoſtaſiam à fide incurſa, ſi lapſus in apoſtaſiam à fide ſit Clericus, ſolus Pontifex poteſt diſpenſare quoad promotionem ad ſuperiores Ordines; ſimiliter ſi lapſus ſit laicus, quoad promotionem ad omnes Ordines. ibid.5

Quoad vſum verò Ordinum iam ſuſceptorum poteſt Epiſcopus diſpenſare cum Apoſtatis à fide ad fidem redeuntibus. ibid.

Quoad vſum verò Sacerdotis, cùm hoc ſit res grauiſſima, videtur hæc diſpenſatio Pōtifici reſeruari. ibid.

Virtute Concilij Tridentini non poſſunt Epiſcopi diſpenſare in hac irregularitate orta ex delicto apoſtaſiæ à fide, quamtumuis crimen ſit occultum. ibid.

Apoſtaſia à Religione.

Apoſtaſia à Religione eſt temerarius receſſus à Religione, quam quis vouit ſolemniter, cum animo nunquam redeundi ad illam: quare ſi hic animus deſit, ſed fugiat quis animo aliquandiu extra Religionem vagandi, poſteáque ad Religionem redeundi, erit quidem fugitiuus, non autem Apoſtata. 1.81.2

Apoſtata eſt ſi quis ſine licentia ſui Prælati recedat à Religione, cum animo nunquam redeundi ad illam, etiam ſi habitum retineat, & habeat animum nunquam illum dimittendi. ibid.

Apoſtata non eſt, ſi quis dimittendo habitum ſuæ Religionis, tranſeat ad aliam, ſiue illa Religio ſit ſtrictior, ſiue laxior. ibid.3

Peccaret tamen hic lethaliter, & eſſet excommunicatus per Extrauagantem Martini V. ibid.

Religioſus nec fugitiuus, nec Apoſtata, dicitur qui inique vexatus abſque licentia Superioris ad Prælatum ſuperiorem confugit: quia Religioſo iniquè grauato licita eſt ad Superiorem fuga. ibid.4

Apoſtata qui non habet animum iterum redeundi ad Religionem, ſi non dimitrit habitum ſuæ Religionis, licèt hic ſit verè Apoſtata, ſolo tamen iure communi attento non eſt excommunicatus. ibid.5

Religioſus ſi calumnioſè, ac iniuſtè apud ſuum Superiorem fuit accuſatus, timeátque iniquè, & crudeliter vexari, & propterea deferr habitum ſuæ Religionis occultè, vel etiam dimittit, non ob hoc incurrit excommunicationem. 1.83.6

Religioſus dimiſſo proprio habitu ſi aſſumat habitum alterius Religionis ad diuagandum, vel perpetrandum aliquod ſcelus, iniuriam infert illi Religioni, & incurrit excommunicationem. ibid.

Religioſus occultans habitum ſuæ Religionis, ſi doloſè & malo animo id faciat ad vagandum & diſcurrendum, eſt excommunicatus. ibid.

Apoſtaſia ab Ordine.

Apoſtaſia ab Ordine eſt retroceſſio à ſtatu Ordinis ſacri ad ſtatum ſæcularem propria auctoritate. 1.84.2

Clerici in minoribus Ordinibus conſtituti, etiam ſi abſque rationabili cauſa retrocedant à ſtatu clericali, ducendo viduam, aut bis matrimonium ineundo, non ſunt ſimpliciter Apoſtatæ ab Ordine, nec delinquunt lethaliter. ibid.3

Venialis culpa eſt ſine iuſta cauſa recedere à prima tonſura, vel minoribus Ordinibus, etiamſi ſic retrocedens ducat vnam vxorem virginem ſemel tantùm. ibid.

Recipiens primam tonſuram, aut Ordines minores ſine animo vlteriùs aſcendendi, nullo modo peccat, dummodo habeat in animo inſeruiendi Eccleſiæ in Ordinibus ſuſceptis. ibid.4

Suſcipere minores Ordines cum animo retrocedendi ab illis, hac intentione, vt gaudeat quis priuilegiis Clericorum, eſt peccatum lethale. ibid.

Simile eſt in Nouitio alicuius Religionis, qui infra annum probationis non committit peccatum lethale ſi retrocedat à Religione, peccat tamen mortaliter ſi animo retrocedendi à Religione induat habitum. ibid.

Suſcipiens primam tonſuram, vel Ordines minores, ſi ſit anceps, an in illo ſtatu clericali permanebit, vel reſiliet ab illo, nullo modo peccat. ibid.5

Habitus clericalis cōſiſtit in veſtibus & tonſura. ibid.6

Clerici in minoribus conſtituti, ſiue coniugati, ſiue non coniugati, ſi non deferant habitum, & tonſuram, amittunt omne priuilegium Clericorum. ibid.

Iure antiquo non amittebant Clerici priuilegium clericale per habitus dimiſſionem, donec ter moneretur à ſuo Ordinario, loquendo de Clericis in minoribus conſtitutis: ſecus autem iure nouo, attento nouo decreto Concilij Tridentini. ibid.

Prima tonſura, & minoribus initiati perſeuerantes in ſtatu clericali, ſi non habent aliquod beneficium pingue, qualitercunque ſe habeant in veſtibus, etiam ſi non deferant tonſuram, non peccant mortaliter, ſed tantùm venialiter. 1.85.7

Qui tantùm habet regreſſum ad beneficium, aut dignitatem, non tenetur ſub peccato mortali deferre habitum, & tonſuram, quia in tali caſu nec tenetur iſte diuinum recitare Officium, nec eſt actu beneficiarius. ibid.8

Clericus, cui conſtituta eſt penſio ſimpliciter tanquam Clerico, tenetur viuere clericaliter, & deferre habitum & tonſuram ſub pœna peccati mortalis, ſi penſio, quam habet, excedat ſummam ſexaginta ducatorum auri de Camera. ibid.9

Sacris Ordinibus initiati ſi deferant tonſuram, vel Clericam, quæ eſt quid eſſentiale Clericis, ſi non portent alias veſtes clericales citra ſcandalum, non peccant mortaliter. ibid.10.

Excuſantur tamen à peccato mortali, ſi hæc dimiſſio fiat ad breue tempus, vt ſi fiat ad aliquem ludum exercendum ad agendam aliquam perſonam: vel ſi cauſa paupertatis Clericus in Sacris conſtitutus vtetetor veſtibus communibus, etiam diuerſi coloris. ibid.

Clericus in minoribus conſtitutus, ſi animo retrocedendi ab habitu clericali dimittat habitum & tonſuram, ſi poſtea reaſſumat habitum & tonſuram animo permanendi in ſtatu clericali, recuperat priuilegia clericalia. ibid.11

Vt tamen gaudeat priuilegio fori, neceſſe eſt vt tempore delicti deferat tonſurā, & veſtes clericales. ibid.

Appellatio.

Appellatio, quæ eſt à minore ad maiorem Superiorem prouocatio, ſeu tranſlatio cauſæ, alia eſt explicita, aliquando tacita, & implicita. 1.310.2

Appellatio aliquando fit à ſententia interlocutoria, aliquando à ſententia definitiua. ibid.

Sententia interloquutoria dicitur, quæ non fertur in tota cauſa, de qua agitur coram iudice, ſed quæ circa aliquem eius articulum interponitur. Diffinitiua verò ſententia appellatur illa, quæ reſpectu totius cauſæ iuridicè tractatæ fertur à iudice. ibid.

Quando appellatio fit à ſententia interloquutoria, oportet in appellatione cauſam eiuſdem proponere coram iudice a quo, & illam probare coram iudice ad quem appellatur. ibid.
At verò quando appellatio eſt à ſententia definitiua, vt admittatur, & valeat in foro externo, non eſt neceſſarium cauſam exprimere, ſed ſimpliciter appellare. ibid.
Licitum eſt appellare viua voce à diffinitiua ſententia, in qua non oportet inſeri cauſam. A ſententia verò interloquutoria appellatio debet fieri in ſcriptis, cùm in iſta appellatione cauſam exprimere ſit neceſſe: ſi tamen appellans viua voce exprimat cauſam legitimam, non videtur ratio, quare non valeat. ibid.3
Si ſententia excommunicationis purè, & ſimpliciter ſit lata, trahit ſecum exequutionem, nec ſuſpenditur per ſequentem appellationem. ibid.4
Si verò appellatio fuerit interpoſita poſt ſententiam cenſuræ latam ſub conditione, ante conditionis exiſtentiam, quamuis deinceps adueniat conditio, excommunicatio nulla eſt. ibid.
Ad legitimam appellationem duo requiruntur. Primum eſt, vt appellatio fiat cum probabili, & ſufficienti cauſa, vel ſaltem vt appellans bona fide appellet, exiſtimans ſe habere ſufficientem, & probabilem cauſam. Secundum eſt, vt talis appellatio debito tempore fiat, toto ſcilicet tempore, quo conditio impleta non eſt; quia totum illud intermedium tempus eſt legitimum ad appellationem interponendam. ibid.5
Appellatio à ſententia cenſuræ ſub conditione lata ab homine, excuſat ab incurrenda pœna, etiamſi poſtea appellatio ipſa fuerit derelicta. ibid.6
Si aliquis appellat ſimpliciter, dicens: Ego appello à tali veſtro præcepto ſub pœna cenſuræ ipſo iure incurrendæ, nec dicat ad quem, valet vtrique appellatio, & intelligitur appellare ad proximum Superiorem. 1.31.7
Gradatim appellatio debet fieri, nullo medio omiſſo, niſi quis ad Papam voluerit appellare. ibid.
Quamuis à ſententia cenſuræ lata à iure, ſeu per viam ſtatuti, non ſit appellatio, ſimiliter nec ſententia cenſuræ purè & ſimpliciter ab homine lata per appellationem ſuſpendi poſſit. ibid.8
In cauſa fidei nullum habet locum appellatio. ibid.
Præterea in cauſa Religioſi non admittitur appellatio, quando ſecundùm regulam corrigitur. ibid.

Aqua benedicta, vide Sacramentale.

Arrha, & retroceſſio à contractibus.

Arrha eſt duplex, vna, quæ eſt vadimonium emptionis & venditionis contractæ, quæ adueniente ſolutione ceſſat eſſe arrha, & tranſit in pretium: alia eſt, quæ datur ſponſæ in ſecuritatem matrimonij contrahendi, & dicitur arrha ſponſalitia, quæ adueniente matrimonio tranſit in donum, vel dotem. 1.86.2
Arrhæ natura hæc eſt, vt eam amittat tradens ſi culpa ſua contractus, vel matrimonium non ſequatur; eodem tamen ſequuto, redeunt ad tradentem. ibid.
Qui citra culpam à contractu, ſeu ſponſalibus reſilit, non amittit arrham, quam tradidit, ſed ipſi reſtituenda eſt, vt ſi alterutet Religionem ingrederetur, &c. ibid.3
Quando alter contrahens ſolus tradidit arrham, & culpa non tradentis contractus minimè ſequitur, tenetur recipiens, cuius culpa contractus non ſequitur, reſtituere duplum, id eſt, ipſam arrham, & tantumdem de ſuo patrimonio, & ſi conuentum ſit vt reſtituat triplum, tenetur ad hoc. ibid.
Pœna legalis impoſita *l. fin. C. de ſponſal.* vt recipiens arrham ſi iniuſtè reſiliat teneatur & ipſam arrham, & duplum reſtituere, & ſimiliter pœna conuentionalis quando inter contrahentes conuentum eſt, vt reſiliens teneatur triplum, vel quadruplum arrharum ſoluere, non debentur in foro conſcientiæ ante iudicis ſententiam. ibid.
Conſequenter pœnæ conuentionales non debentur ad ſolam petitionem creditoris. ibid.4

Ars componendi, & vendendi.

Componere, & vendere rem ex ſe tendentem in malum, ſine natura ſua tendat in illud, ſiue ex ſuo modo & forma, vel circumſtantia illud habeat, vt tendat in malum, eſt illicitum. 1.87.2
Artificem conficere, & vendere res indifferentes eo animo, vt emptor illis abutatur, eſt omnino illicitum. ibid.3
Conficere, & vendere res indifferentes, quarum abuſus non toleratur à Republica, & cedit, vel probabiliter timetur cedere in damnum tertij ſiue particulare, ſiue publicum Reipublicæ, eſt omnino illicitum. ibid.4
Res indifferentes, quarum abuſus toleratur à Republ. nec ſunt in damnum tertij, licitè poſſunt artifices conficere, & vendere, quamuis ſciant emptores illis abuſuros, ſi adeſt iuſta cauſa vendendi illas, puta ſi artifices iacturam paterentur, ſi res ſuas indifferentes quas venales habent, minimè venderent. ibid.
Quamuis liceat indifferentia vendere, quorum abuſus toleratur à Republ. & ſimiliter obſequia indifferentia miniſtrare, licèt conſtet alterum his abuſurum, dummodo deſit intentio cooperandi ad malum alterius, & adſit iuſta cauſa vitandi proprium & graue ſuum detrimentum. 1.88.5
Artifices condientes cibaria, vt tabernarij, & caupones, vendentes, & miniſtrantes cibos in die ieiunij ad refectionem, qua illud ſoluitur, non peccant quando probabiliter credunt alterum excuſari à ieiunio. ibid.6
Imò quando dubitant, excuſantur à culpa. ibid.
Vel quando credunt alterum à ieiunio non excuſari, quia peccato alterius vtuntur, vt res ſuas vendant, deſeruiúntque comeſtioni quatenus eſt actus naturæ, & non quatenus ieiunium ſoluit ſi notabile detrimentum omiſſionis vendendi res paterentur. ibid.
Peccant tamen lethaliter tabernarij, & caupones vendentes vinum bibere volenti in ea quantitate, vt probabiliter credant, vel experti ſint fore, vt hic inebrietur. ibid.
Conſequenter ad ea quæ dicta ſunt licebit alicui mutuo dare nummos alteri, aut conducere, ſeu accommodare petenti ad fornicandum, quando abſque graui detrimento proprio, puta vitæ, famæ, amiſſionis bonorum denegare nequit. ibid.8

Aſpectus, & Tactus.

Diſcrimen eſſe inter aſpectum pulchræ mulieris, v. g. & tactum, quòd hic habitus propter delectationem ſenſibilem quæ ex illo captatur, ſuapte natura eſt venereus, ordinatus ad concubitum, ac proinde conſentire in delectationem ſenſibilem ipſius, eſt lethale: ille verò aſpectus, ſcilicet pulchræ mulieris, non ordinatur ſuapte natura ad venerea, & ad concubitum, & proinde eius delectatio non eſt communiter venerea, nec ad concubitum, & ſolum peccatum veniale, niſi aſpiciens ad malum finem ordinet. 1.77.2
At eſſe quidem ſolùm culpam venialem, ſi ſola vanitas &

& leuitas ad aſpectum pulchræ mulieris, vel elegantis iuuenis inducant. Cæterùm ſi adeſt in tali aſpectu delectatio deliberata ſenſitiua, excitans motus carnis, & concupiſcentiæ, eſſe culpam lethalem, licèt alius actus venereus non intendatur. ibid.
Delectabiliter igitur videre mulierem pulchram, & delectabiliter cogitare de viſa muliere pulchra, non eſt peccatum lethale ſecundùm ſe ibid.
Nuda pectora, crura, brachia fœminarum aſpicere, quamuis adſit aliqualis delectatio ſenſibilis ex eorum aſpectu, non eſt de ſe lethale. 1.78.init.
At verius dicendum eſt eſſe culpam lethalem inſpicere crura, brachia, vel pectora nuda fœminarum, ſi ex ſufficienti deliberatione hoc fiat, & aliqualis delectatio ſenſitiua deliberatè percipiatur. ibid.
Similiter vacat culpa lethali inter perſonas eiuſdem ſexus ſe nudas videre. ibid.
Inſpicere verò viri cum fœmina concubitum eſt mortale. ibid.
At concubitum brutorum aſpicere non eſt communiter lethale, ſi ex tali aſpectu deliberatè non ſuboritur delectatio ſenſualis: quòd ſi redundaret aliqualis delectatio ſenſualis, eſſet lethale. ibid.

Aſtrologia, & Aſtrologus.

Aſtrologia eſt duplex, quædam dicitur naturalis, quæ ex ſitu, curſu, motúque aſtrorum ea, quæ naturaliter contingunt, coniectat, vt Eclipſim, pluuias, grandines, ventos: quædam eſt iudiciaria, quæ ex aſtris futuros caſus fortuitos & actiones futuras ex libero arbitrio pendentes coniectat; præterea etiam & præſentia prorſus occulta. 1.89.2
Aſtrologia naturalis coniectans quæ naturaliter contingunt, eſt licita, & ſimiliter non eſt illicita quatenus coniectat ex aſtrorum aſpectu, conſiderando hominis natiuitatis punctum, temperamenta, & propenſiones eiuſdem, & quòd quandoque ad vitia, quandoque ad virtutes ex conſtellationibus cœleſtibus inclinatur. ibid.3
Hi effectus quos contemplantur Aſtrologi ex aſtrorum aſpectibus, demptis neceſſariis, vt Eclipſi, ſunt valde incerti. ibid.
Aſtrologi coniectantes tenui quadam coniectura temperamentum & inclinationem hominum ad iram, vel conſuetudinem ad hæc ſtudia, vel illa, & ſimilia, non peccant, cùm hoc non ſit per ſe malum, neque vllo iure prohibitum. ibid.4
Aſtrologia iudiciaria prædicens futura pendentia ex libero arbitrio, aut caſus fortuitos, vt certò euentura, eſt vana, falſa & ſuperſtitioſa, ac proinde vſus illius eſt mortalis: vt cùm certò prædicit conditionem vitæ hominis, matrimonium, aut alium ſtatum, liberos, inimicitias, mortem, &c. ibid.5
Effectus futuros pendentes ex libero arbitrio prædici ab Aſtrologis Aſtrologia iudiciaria tenuiſſima quadam coniectura, non eſt illicitum, neque iure antiquo prohibitum. ibid.
Iure nouo per conſtitutionem Sixti V. cuius initium eſt, *Cœli, & terræ*, effectus fortuitos & caſuales, & futura contingentia libera prædici ab Aſtrologis etiam tenuiſſima quadam certitudine interdicitur. 1.90. init.

B

BAPTISMVS.

Eius inſtitutio, definitio, neceſſitas, ſpecies.

BAptiſmus fuit inſtitutus *Matthæi* 3. quando Chriſtus in Iordane fuit baptizatus à Ioanne, quantum ad vim regeneratiuam. 1.90.2
Baptiſmus eſt ablutio corporis exterior ſub forma præſcripta verborum, & hæc eſt Sacramentum tantùm. Res autem & Sacramentum eſt character baptiſmalis, qui eſt res ſignificata per exteriorem ablutionem, & eſt ſignum ſacramentale interioris iuſtificationis, quæ eſt res tantùm huius Sacramenti. 1.91.3
Baptiſmus fluminis communi lege eſt neceſſarius ad ſalutem neceſſitate medij in re, vel ſaltem in voto, & deſiderio, quando non eſt facultas illum ſuſcipiendi in re. ibid.
Paruuli tamen ſi ante vſum rationis in contemptum fidei occiduntur, fiunt Martyres, & per martyrium iuſtificantur: & remittitur eis peccatum originale, non quidem ex opere operato, ſed ex priuilegio in opere operato ad præſentiam martyrij Deus cauſat gratiam, ſicut cauſabat in infantibus ſuſcipientibus circumciſionem. ibid.4
Baptiſmus eſt triplex, primus eſt fluminis, id eſt, aquæ qui antonomaſticè intelligitur prolato nomine Baptiſmi; ſecundus eſt flaminis, id eſt, pœnitentiæ, & contritionis, quæ quoniam fit impulſu Spiritus ſancti, qui dicitur flamen, ipſa quoque dicta eſt flamen: tertius eſt ſanguinis, id eſt, martyrium, quo proprij ſanguinis effuſione quis baptizatur. ibid.5
Baptiſmus antonomaſticè talis, fluminis ſcilicet, differt à reliquis flaminis, & ſanguinis Baptiſmatibus; primò, quia Baptiſmus fluminis eſt Sacramentum, non autem illa: ſecundò, quia confert gratiam ex opere operato actiuè, contritio ex opere operantis, martyrium ex priuilegio tantùm, non actiuè ſicut Sacramenta nouæ legis, ſed in opere operato: tertiò quia Baptiſmus iterari non poteſt, poteſt tamen contritio & martyrium, vt ſi Martyr rediret in vitam. ibid.6
Diſtinguitur Baptiſmus fluminis à Baptiſmo flaminis, quia Baptiſmus flaminis, ſeu contritio non remittit totam pœnam, ſed prior eſt magis perfecta: at Baptiſmus fluminis totam pœnam remittit, quod idem facit martyrium. Secundò differt, quia contritio eſt tantùm pro adultis: at Baptiſmus fluminis eſt etiam pro paruulis editis, tamen ex vtero matris: at martyrium valet etiam pro paruulis incluſis in vtero matris. ibid.
Conſequenter Baptiſmus fluminis eſt cauſa moralis inſtrumentalis gratiæ. 1.91.7
Baptiſmus ſanguinis, ſeu martyrium, licèt non cauſet gratiam inſtrumentaliter phyſicè, neque ex opere operato actiuè, cùm non ſit Sacramentum, tamen ex priuilegio ſuſceptum ab adultis facit illos ex attritis contritos. ibid.8
Adultus baptizatus ſuſcepturus martyrium, ſi eſt in peccato mortali, tenetur ſe conterere, & præmittere confeſſionem ſi poteſt. ibid.9

Baptiſmi materia.

Materia proxima Baptiſmi eſt ablutio, & remota eſt aqua. 1.93.2
Aqua, quæ eſt materia remota ſacramenti Baptiſmi, debet eſſe vera aqua naturalis elementaris, ſumpto tamen latè vocabulo elementi, pro aquis videlicet maris, fluminis, lacuum, paludum, puteorum, fontium, mineralium, & balnei ſulphurei, & aquæ pluuiæ. ibid.3
Qui vtitur aqua, quæ fluxit à niua, gelu, & à ſale, validè baptizat. ibid.
Nix tamen, glacies, gelu, ſal, dum ſunt condenſata, non ſunt apta materia Baptiſmi. ibid.
In lixiuio poteſt fieri Baptiſmus. 1.94.init.
In brodio, ſeu in iure, aqua videlicet, in qua decocta eſt caro, non ita ſpiſſo, quòd aquæ ſpeciem amittere, ſi fieret Baptiſmus, valeret. ibid.

In aqua, quæ exiuit ex latere Chriſti, cùm fuerit vera aqua, verus Baptiſmus conferri potuiſſet. ibid.4

Grauiter peccaret, nec validè baptizaret, qui aliam adhiberet aquam in Baptiſmo, quàm naturalem. ibid.5

Licet eſſet differentia inter aquas naturales, pura inter aquam, quæ eſt purum elementum, & inter aquam pluuialem, & aquam maris, & noſtram vſualem: tamen in omnibus aquis naturalibus conficitur Baptiſma, licet etiam haberent admixtas alias qualitates, dummodo ſint veræ aquæ. ibid.6

Materia proxima Baptiſmi eſt ablutio, quæ dicit contactum ſucceſſiuum, quo aqua ſucceſſiuè applicatur corpori, aut corpus aquæ, ſiue ſit eadem aqua, ſiue diuerſa. ibid.7

Non eſt validus Baptiſmus, quando quis vnâ, duabus, vel tribus exilibus, & minutiſſimis aquæ guttis aſpergitur, præſertim ſi guttæ perſiſtant, & non fluant per corpus. ibid.8

Quamuis infans adhuc exiſtẽs in vtero baptizatus minimè cenſeatur, etiamſi vterus matris in quo continetur infans abluatur, adhibita etiam forma Baptiſmi, quia perſona infantis non poteſt dici abluta: tamen ſi arte, & opera obſtetricis poſſet aqua vſque ad ipſum infantem in vtero pertingere, adhibendo debitam formam, validùs fieret Baptiſmus. ibid.9

Non eſt baptizandus puer, quando ex Baptiſmo ſequitur periculum mortis. 1.95.10

Si quis videret puerum labentem in puteum, aut ab alio proiectum in flumen, & proferret verba formæ Baptiſmi, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. Baptiſmus non eſſet validus. ibid.

Trina merſio, & ablutio, quamuis non ſit neceſſaria ad ſubſtantiam Baptiſmi, ſed ſolùm ad ſolemnitatem ex conſuetudine Eccleſiæ: tamen ſi baptizans habeat intentionem excluſiuam, id eſt, non baptizandi niſi tribus merſionibus, & tantùm faciat vnam, tunc non eſt validus Baptiſmus. ibid.11

Si quis tamen habet intentionem faciendi quod facit Eccleſia, licèt habeat intentionem particularem baptizandi ſub tribus merſionibus, & abſoluit prolationem formæ in prima, vel ſecunda merſione, eſt abſolutus, quoad ſubſtantiam, Baptiſmus ante tertiam. ibid.

Non eſt validus Baptiſmus ſi aqua cõtingat tantummodo veſtes, aut pileum, vel ſi aliquis corio, vel vtre cõtectus aſpergatur, vel immergatur in aquã. ibid.12

Probabile eſt quòd valeret Baptiſmus, etiamſi quis ablueretur tantùm ſecundùm capillos, etiam ſi aqua ad cutem capitis non deſcenderet. ibid.

Non eſſet rebaptizandus puer poſtquam totus è ventre exiuit, ſi antequam totaliter eſſet natus, fuit baptizatus in capite. ibid.13

Vt Baptiſmus ſit validus, neceſſe eſt quòd materia, & forma coniungantur moraliter, id eſt, quòd ſit parua diſtantia inter ablutionem & prolationem formæ, non tamen eſt neceſſarium, quòd coniungantur phyſicè, vel metaphyſicè. 1.96.14

Baptiſmi forma.

Dupliciter aliquid eſt neceſſarium in ſacramentis, primò neceſſitate præcepti, ſecundò neceſſitate Sacramenti. 1.96.2

Forma ſacramenti Baptiſmi ſunt hæc verba, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*. ibid. 3.

Non tamen eſt neceſſarium neceſſitate Sacramenti, quòd perſona miniſtri explicetur in hac forma, neque formaliter, neque virtualiter. ibid.

Latinus etſi validè baptizaret vtendo forma Græcorum, *Baptizetur ſeruus Chriſti in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, vel dicendo, *Sic baptizat te Chriſtus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; peccaret tamen mortaliter nullo modo exprimendo perſonam Miniſtri, neque etiam virtualiter; non explicando verò formaliter, dicendo, *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, eſſet tantùm peccatum veniale. 1.97.4.

De neceſſitate huius formæ eſt vt in ea explicetur, ſeu indicetur perſona quæ baptizatur. ibid.5

In forma Baptiſmi exprimenda eſt vnitas diuinæ eſſentiæ, quod fit dum dicitur, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*. ibid.

Si quis vteretur hac forma, *Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, nullum eſſet Sacramentum: ſi quis verò baptizet hoc modo, *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus ſancti*, perficeret quidem Sacramentum, quia non ideo aſſerit eſſe plura nomina, ſicut qui diceret *in nominibus*, ſed idem eſſentiale Dei nomen repetit commune tribus. ibid.6.

Si quis baptizet hoc modo, *Baptizo te cum Patre, cum Filio, & cum Spiritu ſancto*, inualidus eſt Baptiſmus. ibid.

Item ſi intermittatur in forma ly *in*, dicendo, *Ego te baptizo nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, non eſſet Baptiſmus. ibid.

De eſſentia huius formæ eſt vt in ea expreſſè & diſtinctè nominentur tres perſonæ Trinitatis, quatenus inter ſe diſtinctæ ſunt. ibid.7

Conſequenter, qui in Baptiſmo vteretur his verbis, *Ego te baptizo in nomine Dei, in nomine Trinitatis, in nomine Crucis, in nomine Chriſti*, & ſimilibus, inualidè baptizaret. ibid.8

Inualidè baptizaret, qui vteretur hac forma, *Ego te baptizo in nomine Genitoris, geniti, & ſpirati*. 1.98.init.

Validus eſſet Baptiſmus quando quis in dignitate conſtitutus loco illius particulæ, *Ego te baptizo*, diceret, *nos te baptizamus*. ibid.9

Quando duo ſimul baptizant vnum, & eumdem puerum, & vtuntur hac forma *Nos te baptizamus*, ſi quilibet eorum intendit baptizare independenter ab intentione alterius, quaſi ſolus baptizet, validè baptizat. ibid.10

Quando ſunt duo baptizantes vnum & eumdem puerum, ſi vterque Miniſter non totum faciat, vt ſi vnus adhibeat tantùm formam, alter verò tantùm materiam, aut ſi vnus eſſet mutus, & alius mancus, certior, & communior ſententia eſt Baptiſmum in eo caſu non valiturum. ibid.

Si plures baptizent vnum, ſiue vtantur hac forma, *Nos te baptizamus*, ſiue hac, *Ego te baptizo*, &, *Ego te baptizo*; ſi omnes in eodem inſtanti omnia requiſita perficiant, omnes baptizant, vnus tamen eſſet Baptiſmus. ibid.11

Quando plures ſimul ab vno Miniſtro baptizantur, plura dici poſſunt Baptiſmata. ibid.

Verum etiam conficeretur ſacramentum Baptiſmi, ſi finita omnino prolatione formæ, quæ eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; paulò poſt adhiberetur, & fieret ablutio, quæ eſt materia proxima huius Sacramenti. 2.12.5

Inuocatio tamen expreſſa ſanctiſſimæ Trinitatis eſt neceſſaria in ſacramento Baptiſmi. 2.14.6

Baptiſmi Miniſter, & baptizati ſuſceptor.

Miniſter Baptiſmi in neceſſitate eſt omnis homo, ſiue fidelis, ſiue paganus, ſiue mas, ſiue fœmina, habens vſum rationis, poténſque, & ſciens debitam formam proferre, & materiam applicare. 1.100.2

Baptiſmus collatus extra neceſſitatis articulum à quolibet homine, ſiue viro, ſiue fœmina fideli, vel infideli, eſt validus, nec eſt rebaptizandus. ibid.3

Licèt ſit validus Baptiſmus collatus extra articulum

neceſſitatis

neceſſitatis à quoenunqoe: grauiter tamen peccaret, qui baptizaret extra neceſſitatem, ſi non ſit Sacerdos. ibid.

Laicus, vel Miniſter inferior Diacono, qui baptizat ſolemniter, eſt irregularis, immo etiam Diaconus, ſi hoc faciat ſine licentia Sacerdotis. ibid.4

Solus Sacerdos eſt ordinarius miniſter ſolennitatis ex officio ſacramenti Baptiſmi inter Sacerdotes. ibid.5

Diaconus non eſt ordinarius Miniſter huius Sacramenti ex vi ſuæ ordinationis, eſt tamen capax iſtius miniſterij ex commiſſione Epiſcopi, vel Sacerdotis, itaut etiam ſolemniter poſſit illud conficere: nullus tamen homo inferior Diacono eſt Miniſter huius Sacramenti ordinarius, vel ex commiſſione, vt poſſit illud conficere ſolemniter, ſed poteſt illud conficere tantùm in tempore neceſſitatis, & ſine ſolemnitate. 1.101.6

Si Sacerdos extra caſum neceſſitatis Baptiſmum adminiſtrat ſine ſolemnitate, peccat mortaliter. ibid.7

Ex diſpenſatione tamen ſummi Pontificis hoc ſolemne miniſterium Baptiſmi alicui non Diacono committi poteſt. ibid.8

Anima ſeparata à corpore non poteſt eſſe Minister huius Sacramenti. ibid.9

Anima verò ſeparata, ſi poſt ſeparationem à corpore iterum ad illud rediret, propriè informando & viuificando illud, non eſt dubium, quòd ſuppoſitum iſtud poſſet eſſe ſufficiens Miniſter Baptiſmi. 1.102.10

De potentia tamen abſoluta, ſiue ex priuilegio, ſeu diuina diſpenſatione poſſet Deus conferre effectum Baptiſmi characterem, & gratiam per ſignum ſenſibile factum per Angelum, vel animam ſeparatã. ibid.

Præter baptizantem debet aliquis adeſſe qui baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiat, qui vocatur *Patrinus*. ibid.11

Iure poſitiuo cauetur quo minus ſuſcipiant hoc munus Abbates, Monachi, Moniales, atque adeò Religioſi. ibid.12

Can. in Baptiſmate, de conſecrat. diſt. 4. abſolutè dicitur, infidelem non baptizatum non poſſe alium de ſacro fonte ſuſcipere, nec ſi ſuſciperet, contraheret aliquam cognationem ſpiritualem. ibid.13

Non confirmatus tamen ſuſcipiens in confirmatione puerum, contrahit cum illo eiúſque parentibus cognationem ſpiritualem. ibid.

Cognatio hæc ſpiritualis, quæ contrahitur inter ſuſcipientem, & baptizatum, eiuſdémque parentes, ſic communiter à Doctoribus definitur: Eſt propinquitas quædam perſonarum ex ſtatuto Eccleſiæ conſurgens propter collationem Baptiſmi, vel ſuſceptionem recipientis. ibid.14

Duplex eſt, paternitas, & compaternitas: paternitas inter patrinum, & baptizatum, ſicut etiam inter baptizantem ipſum, & baptizatum: compaternitas inter patrinum, & parentes baptizati, ſicut etiam inter eoſdem parentes baptizati & baptizantem. ibid.

Prohibentur etiam parentes proprij ne ſuſcipiant de ſacro fonte proprios liberos. 1.103.15

Pater qui filium ſuum fornicarium baptizat, vel ſuſcipit de ſacro fonte, etiam in neceſſitate, contrahit cognationem ſpiritualem impedientem & dirimentem matrimonium cum ſua concubina, vt non poſſit eam ducere, & ſi contrahit cum ea, nullum eſt matrimonium. ibid.

Baptizans igitur laicus etiam in extremo neceſſitatis articulo contrahit cognationem perfectam ſpiritualem ſubſequens matrimonium dirimentem cum baptizato eiúſque parentibus: ſi verò alter coniux filium coniugis baptizat in neceſſitate, per iſtum actum non præiudicatur debiti petitioni. ibid.

Tenens tamen puerum in Baptiſmo non ſolemniter miniſtrato, non contrahit cognationem hanc ſpiritualem. ibid.16

Iure antiquo præſcriptum erat ne plures patrini in Baptiſmo, vel Confirmatione adhiberentur, ſed vnus ſolus, ſiue vir, ſiue fœmina. ibid.17

Nouiſſimè Concilij Tridentini decreto permittitur vt poſſint ad ſummum duo eſſe patrini, vir ſcilicet, & fœmina, minimè tamen permiſſum eſt vt duo viri, duæque fœminæ munus patrini obeant, ſed ſi duo adhibeantur, debent eſſe diuerſi ſexus. ibid.

Quando plures duobus patrini deſignantur, aut duo viri, duæve fœminæ, contra præſcriptum Tridentini, aliqui cenſent omnes illos ſi à Parocho admittantur, & ſimul puerum ſuſcipiant, contrahere hanc cognationem. ibid.

Quòd ſi non ſimul omnes ſuſcipiant illum puerum, ille ſolus contrahet hanc cognationem qui primò baptizatum ſuſceperit, vel ad ſummum duo, ſi fuerint vir, & fœmina. ibid.

Quando non deſignati tangunt ſimul, omnes contrahunt cognationem. ibid.

Quando plures deſignati ſunt à parentibus, ſed Parochus admittit vnum tantùm, & vnam, cognatio contrahitur tantummodo ab iis, qui fuerunt admiſſi à Parocho. 1.104.18

Quando parentes deſignârunt tantummodo duos, ſed Parochus plures admiſit ad ſuſcipiendum baptizatum, cognatio contrahitur ſolùm à deſignatis à parentibus, non verò à cæteris qui fuerunt admiſſi à Parocho. ibid.

Item ſi duo diuerſi ſexus deſignati ſunt à parentibus, licèt Parochus nolit illos admittere, ſi ambo ſuſcipiunt puerum contra Parochi voluntatem, contrahunt cognationem, ſi Parochus non habuit legitimam cauſam expellendi illos: qualis eſſet ſi ambo eſſent eiuſdem ſexus, & vnum ſolum admitteret, aut ſi eſſent Religioſi, aut hæretici, quibus eſt interdictum eſſe patrinos, quia verè, & legitimè deſignati ſunt, & admiſſio Parochi non eſt de eſſentia. ibid.

Si parentes, aut hi, quibus incumbit, neminem deſignârunt, ſi Parochus duos, vel plures deſignauit, hos contrahere aſſerimus. ibid.

Quando nullus ex deſignatis in patrinos puerum ſuſcipit, ſed quidam non deſignatus, quamuis parentibus inuitis id munus obeat, efficitur verus patrinus, & contrahit hanc cognationem. ibid.19

Omnia ſtatuta in decreto Concilij Tridentini non ſolùm locum habent in patrino Baptiſmi, ſed etiam in patrino Confirmationis: nempe poſſe adhiberi duos patrinos diuerſi ſexus, ac nullum alium tangentem præter patrinos deſignatos hanc cognationem contrahere. ibid.20

Adhibere, vel admittere plures patrinos, quàm duos, vel duos viros, aut duas fœminas in ſuſceptione pueri de ſacro fonte, vel in Confirmatione contra expreſſionem Concilij Tridentini, eſſe culpam lethalem. ibid.21

Hæc cognatio ſpiritualis non poteſt contrahi per actionem Procuratoris, ſed deſideratur ſuſceptio perſonalis ipſiuſmet patrini. ibid.22

Conſuetudine tamen inductum eſt vt contrahatur cognatio hæc ſpiritualis tenendo per Procuratorem. 1.105.init.

Baptiſmi ſubiectum.

Subiectum Baptiſmi eſt, quilibet homo natus exiſtens in hoc mortali corpore, ſiue ſit infans, ſiue ſit adultus, ſiue ſit vir, ſiue fœmina. 1.105.2.

Satyrus, aut genitus ex fœmina, & bruto, non eſt capax Baptiſmi. 1.106.3

Monſtrum tamen genitum ex viro & fœmina eſt baptizandum, etſi conſtar habere duplicem animam, vt ſi haberet duo capita, & duo pectora, bis baptizandum eſt, ſemel in vtroque capite, vel ſaltem vnico actu baptizandum eſt, dicendo, *Ego vos baptizo.* ibid.

Si verò dubitetur an conſtet duplici anima rationali, vt ſi habeat duo capita cum vno corpore, vel duo pectora ſub vno capite, doplex Baptiſmus conſerendus eſt, vnus abſolutè in ea parte in qua perſectius caput, vel pectus apparet; altèr ſub conditione in alia parte. ibid.

Paruulis ita Baptiſmus re ipſa neceſſarius eſt ad ſalutem, vt ſecundùm legem ordinariam nequeant ſine Baptiſmo aquæ ſalutem conſequi, excepto vnico caſu, ſi videlicet interficerentur pro Chriſto. ibid.4

Aſſertiuè affirmari non poteſt ſine temeritate tempore legis gratiæ aliquem infantem decedentem ſine Baptiſmo ſaluari ex ſpeciali priuilegio, aut diſpenſatione: ſi pater, vel alius offerat puerum Deo cum deſiderio Baptiſmi, niſi aliàs ſpeciali reuelatione diuina fuerit nobis manifeſtum. ibid.

Conſequenter pueri in vtero matris exiſtentes, quibus Baptiſmus applicari non valet, nec pro Chriſto interficiuntur, ſi vrget periculum mortis, non poſſunt ſaluari per votum, & fidem parentum, ſi cum inuocatione ſanctiſſimæ Trinitatis, adhibito etiam ſigno Crucis, in illa neceſſitate à parentibus offerantur Deo; & ſi moriuntur in vteris maternis, peribunt. ibid.5

Validus eſt Baptiſmus collatus infanti abſque conſenſu parentum. 1.107.6

Baptiſmus collatus infantibus infidelium coactis parentibus, & inuitis, licèt ſit firmus, & ratus, & ſic baptizati ad ſeruandam fidem cogendi ſunt. ibid.

Non tamen eſt licitum ſic baptizare paruulos infidelium inuitis parentibus, aut tutoribus infidelibus, vt relinquantur ſub cura, & poteſtate ipſorum, aut etiam periculum ſit ne ad eorum curam & poteſtatem redeant. ibid.

Si paruuli à cura & poteſtate parentum, aut tutorum infidelium quacunque iuſta ratione ſint abſtracti, puta iure dominij, vel iuſti belli, nec adeſt periculum ne ad illos redeant, & ab his peruertantur, licet ipſos illis inuitis baptizare, modò idonea adhibeatur cautela, ne poſſint ad infideles redire, & reuerti. ibid.

Abſtrahere tamen paruulos à parentibus liberis, licèt infidelibus, contra quos non ſuppetit Chriſtianis ius belli iuſti ob eum finem, vt baptizentur, non licet. ibid.7

Paruulos eorum infidelium, qui mancipia dominorum fidelium ſunt, poſſe inuitis parentibus ab eorum cura abſtrahi, & baptizari, adhibita cautela ne ad eorum curam redeant, & ab illis peruertantur. ibid.

Proles Chriſtianorum, quantumuis parentes reluctentur, poſſunt baptizari, quia ſunt de iuriſdictione Eccleſiæ, & parentes renitentes poſſent tanquam Apoſtatæ puniri. 1.108.8

Item poteſt Eccleſia paruulos filios hæreticorum, & aliorum Apoſtatarum à fide ab ipſis ſubtrahere, illóſque ſacramento Baptiſmi initiare, eadem ratione. ibid.

Filios tamen hæreticorum, niſi concipiatur ſpes probabilis fore, vt ſuo tempore poſſint inſtrui in vera fide, illicitum eſt ſacro fonte initiare. ibid.

Idem dicendum de paruulo infideli ſeruo, ac ſerui filio, non poſſe ſcilicet licitè baptizari priuſquam à parente ſeparetur. ibid.

Milites qui infantes infidelium in bello iuſto captiuant, vel alij ad quorum dominium hi pueri à parentibus ſeparati perueniunt, per ſe loquendo tenentur illos ſacro Baptiſmi fonte donare. ibid.9

Per accidens tamen domini talium infantium in bello iuſto captorum, & à parentibus ſeparatorum, non tenentur tales paruulos Baptiſmo donare. ibid.10

Filios tamen infidelium nondum baptizatorum, aut etiam baptizatorum, poſſumus & debemus inuitis parentibus baptizare quoties exiſtunt in euidenti periculo mortis. ibid.11

Proles ſi ſit doli capax, ſiue ſit orta ex fidelibus, ſiue infidelibus, non eſt cogenda ad fidem, ſed ſuæ libertati relinquenda. ibid.12

Si autem non ſit doli capax, eius conditionem ſequi debet, qui ad fidem conuertitur, ſiue pater, ſiue mater fidem Catholicam ſuſceperit, & ſic altero parente infideli inuito baptizari poteſt. 1.109.init.

Etiam ſi neuter parens infidelis ad fidem conuertatur, ſi tamen alter, ſiue pater, ſiue mater, conſentiat infantem filium baptizari, per ſe loquendo, licitè ſacro Baptiſmate donari poteſt. ibid.13

Si filius infidelium habet vſum rationis, & petit Baptiſmum, baptizari poteſt & debet, etiam inuitis parentibus. ibid.14

Quòd ſi dubitetur an vſu rationis polleat, ſi petit ſacro fonte donari, baptizandus eſt. ibid.

Baptiſmum ſuſcipiens.

Intentio ſuſcipiendi Baptiſmum poteſt eſſe triplex, actualis, virtualis, & habitualis. Actualis eſt quando quis intendit, & vult ſuſcipere ſacramentum Baptiſmi. Virtualis eſt, quæ poſtquam actualis præceſſit, adhuc virtualiter durat virtute actualis intentionis, nec eſt moraliter interrupta per oppoſitam intentionem, aut per longam temporis moram interpoſitam: habitualis verò intentio eſt illa, qua quis facit aliquid ex habitu, vel manens in illo habitu ſuſcipit aliquid. 1.110.2

In adulto baptizando requiritur intentio actualis, aut virtualis recipiendi Baptiſmum. ibid.3

Virtualis intentio ſi moraliter duret, nec ſit retractata in adulto, ſufficit. ibid.

Habitualis verò intentio non ſufficit. ibid.

Conſequenter validus eſt Baptiſmus collatus dormienti, qui Baptiſma petierat ante ſomnum, & voluntatem ſuſcipiendi illud, non reuocauerat. ibid.4

Idem dicendum eſt de furioſo, & amente, qui dum haberent lucida rationis interualla, petierunt Baptiſmum, etiamſi poſtea dum baptizantur, reſiſtere videantur. ibid.

Si adultus neuter accederet ad Baptiſmum, hoc eſt, nec conſentiens, nec diſſentiens, non ſuſciperet Sacramentum. 1.111.5

Vt ſacramentum Baptiſmi validum ſit, ſufficit conſenſus voluntarius ſimpliciter, quantumuis ſit inuoluntarius ſecundùm quid, id eſt, vi, aut metu extortus, ſiue metus ſit ab intrinſeco, vt ſi quis ex metu mortis intrinſecus, ſeu diuinitus illato ſuſciperet Baptiſmum; ſiue ſit ab extrinſeco ex cauſis naturalibus incuſſus, vt ſi quis ad euitandum mortis periculum in mari Baptiſmate initiaretur: ſiue ſit metus ab extrinſeco à cauſa libera ab homine incuſſus per iniuriam, videlicet in illum finem, vt quis baptizetur, verè tunc iſte talis ſuſciperet ſacramentum Baptiſmi, quantum ad characterem, & fidem mortuam, non autem gratiam. ibid.6

Simpliciter inuitus, ſi baptizari cogatur, non ſuſcipit Sacramentum. ibid.7

Simpliciter autem inuitus ille dicitur, qui abſolutè diſſentit, quia aliàs ſequeretur inuitum ſimpliciter ad obſeruandam Chriſtianæ fidei legem eſſe compellendum, quod Chriſtianæ Religioni aduerſatur, &

diuinæ

diainæ prouidentiæ, quæ cuncta ſuauiter diſponit, maximè in his quæ pertineor ad fidem, & legem Eoangelieam. ibid.

Si quis tamen inuitus ſimplieiter exteriùs voce eonſentiret ſuſcipiendo Baptiſmum, poſſet eompelli ab Eccleſia ad ſeruandam fidem & legem Chriſti, quamuis reuera non eſſet Chriſtiaons. ibid.

Io paruulis earentibus vſu rationis, Chriſtus, & Eccleſia ſupplet intentionem, & diſpoſitionem dum ſacro Baptiſmate initiantur. ibid.8

Amens qui poſt ſanam mentem incidit in amentiam, ſi de eo dubitatur, an petierit Baptiſmum ante amentiam, eſt baptizandus ſub conditione, ſi petiit Baptiſmum, modò non eonſtet permanſiſſe in ſtatu peceati mortalis vſque ad vltimum articulum vſus rationis. ſ.rr2.9

Verumtamen ſi eonſtet in ſtatu peccati mortalis permanſiſſe, vt in concubinatu, non eſt baptizandos. ibid.

Ex parte intellectus in adultis ſuſcipientibus Baptiſmum ad eooſequendum vltimum illius effectum, nempe gratiam & remiſſionem peceatorum tum originalis, tum actualium, reqoiritur recta fides ſupernaturalia. ibid.10

Ad ſuſeipiendum tamen validè Saeramentum, eiúſqne eharacterem eom mortua fide, non eſt neceſſaria io ſuſcipiente recta fidea ſupernaturalis, ſed ſufficit volitio ſuſcipiendi Sacrameotum. ibid.

Adultus habens voluntatem ſuſcipiendi Baptiſmum, & de facto illom ſuſcipit, ſi non habet rectam fidem, licèt ſit regeneratus in Chriſto, qnoad veram Sacramenti ſuſceptionem, & quoad impreſſionem characteris, non tamen eonſequitur remiſſionem peccati originalis, & multo minus actualium. ibid.

Io adultis qui eum peecato originali habent cooiunctom aliquod peccatum mortale, præter volontatem ſuſcipiendi Baptiſmum ex parte volontatis, requiritur aliqua diſpoſitio, quæ conſiſtit io aliqua coouerſione ad Deum, cũ deteſtatione, ſeu pœnitentia prioris vitæ, vt cum fructu ſuſcipiant Baptiſmum. ibid.11

Non tameo eſt neceſſaria eonfeſſio ſacrameotalis ad ſuſcipiendum Baptiſmum cum fructu. ibid.

Ad effectom huius Sacramenti ſuſcipiendom non eſt neceſſarium vt homo aceedat iam iuſtificatus per veram contritionem, ſed ſufficit attritio, etiam ſi ſit eogoita. ibid.12

Pro explieatione præcedentis aſſertioois duplex eſt attritio, altera naturalis, altera ſupernaturalis. Attriſio oaturalis eſt dolor de peccatis propter naturalem turpitudinem ipſios peccati, qood eſt contra bonum virtutis oaturalis, & contra ipſum auctorem naturæ; attritio verò ſupernaturalis eſt dolor de peccato propter pœnas Inferni vitandas ex aliquo morioo ſupernaturali elicita. ibid.13

Hæc attritio ſuffieiens ad effectum Baptiſmi debet eſſe ſupernaroralis ex motiuo aliquo ſupernaturali per auailium diuinæ gratiæ elicita. ibid.

Adultus aceedens ad ſacramentum Baptiſmi, qoi verè & realiter non habet attritionem ſupernaturalem, quantumuis probabiliter putet, ſe babere illam, non iuſtifieabitur, poterit tamen hie excuſari à peecato. 1.113.med.

Hæc attritio ſupernaturalis quæ eſt pœnitentia imperfecta, & deteſtatio vitæ prioris, & eam adultus habere debet ad effectum Baptiſmi conſequendum, non eſt oeceſſariom quòd feratur ſupra ſingula peccata expreſsè, & io ſpecie, ſed ſatis eſt, quòd baptizandos doleat de aliquibus peccatis in ſpecie, & de reliquis in confuſo, & io genere, imò ſuffieit, quòd doleat de omnibus in genere. ibid.14

Si daretur adultus eum ſolo peccato originali, quod in ſententia D. Thomæ noo eſt poſſibile, quando ſuſcepturus eſſet Baptiſmum, non teneretur elicere actum pœnitentiæ attritionis, vel contritionis. ibid.15

Caſus aſſignatus aſſertiooe præcedenti eſt impoſſibilis. 1.114.init.

Baptiſmi effectus.

Per ſacramentum Baptiſmi imprimitur character: character autem eſt potentia quædam ſpiritualis in intellectu animæ ad aliquid agendum, vel recipiendum: eharacter quidem Baptiſmi ad reeipiendum alia Sacramenta; Ordinis verò, & Confirmationis ad ageodum alia munia ſpiritualia. 1.114.2

Baptiſmus eonſert gratiaio cum reliquis virtutibus, & donis, quæ gratiam conſequuntur, modò ooo adſit obex ex parte ſuſcipientia. ibid.

Paruulis per Baptiſmum non ſolùm remittitur peceatum originale, ſed etiam illis per Baptiſmum infunduntur gratia, & virtutes. 1.115.init.

Licèt olim fuerit dubitatum, an gratia & virtutes paroulis per Baptiſmum infunderentur, iam modò de fide eertum eſt diffinitum in Concilio Florentino, & Tridentino. ibid.

Per Baptiſmum remittitur primò peccatum originale, & quidquid in eo veram rationem peccati habet. ibid.3

Baptiſmus cum originali culpa ſimul delet in adultis omnem actualem antè commiſſam, ſi nullum ſit ex parte ſuſeipientis impedimentum. ibid.

Peccata commiſſa in ipſa ſuſceptione Baptiſmi, quæ durant per actum poſitiuum vſqne ad inſtans perfectionis Baptiſmi, non remittuntor per Baptiſmum, ſed ſubiicienda ſunt ſacrameoto Pœniteotiæ. ibid.4

Fictio tamen formalis pro ipſo peccato irreligionis, quod eſt quando quis accedit ad ſacrameotum Baptiſmi ſine debita diſpoſitione, quæ eſt attritio, vel contritio, ſi duret vſqoe ad vltimum inſtans in quo perficitur ſaeramentum Baptiſmi, non remittitur per Baptiſmum, ſed per ſacramentum Pœnitentiæ. Itaque fictè baptizatus ſine debita diſpoſitione attritionis, vel contritionis, tenetur poſtea confiteri ſe ſuſcepiſſe ſacramentum Baptiſmi in peccato mortali irreligionis. ibid.5

Sacramentuio Baptiſmi non ſolùm confert gratiam qua deletur peccatum originale, & actuale, verùm etiam delet omnem pœnam peccatis debitam. 1.116.6

Baptiſmus tamen non aufert omnes vitæ pœnalitates. ibid.

Licèt ante Baptiſmum nullus infidelis ſit irregularis, tamen defectus exiſtens io homine ante Baptiſmum poteſt reddere illum irregularem poſt Baptiſmum. ibid.7

Delictom exiſtens io homine ante Baptiſmum non reddit hominem poſt Baptiſmum irregularem. ibid.

Adultus fictè accedens ad Baptiſmum cum actuali complacentia alicuius eulpæ lethalis, vel ſine contritione, vel attritione prioris vitæ, licèt non recipiat tunc gratiam iuſtificantem, niſi poſtea recedente fictione, recipit tamen tunc, quando Baptiſmate initiatur, eharacterem baptiſmalem. ibid.8

Duplex eſt effectus Baptiſmi, vnus priuatiuus, alter poſitiuus. Priuatiuus eſt remiſſio omnis culpæ, & omois pœnæ; effectus verò poſitiuus per ſe eſt gratia, & virtutes, qoæ ex opere operato efficiuntur ab ipſo Baptiſmo. Effectus priuatiuos eſt æqualis in omnibus tam paruolis, quàm adultis, ſi quidem quantum eſt ex parte Baptiſmi, remittit omnem colpam, & totam pœnam; poſitiùus verò in omnibus paruulis eſt æqualis. 1.117.2

Adulti,

Adulti, qui cum æquali diſpoſitione, puta cum æquali fide, contritione, vel attritione ſacro Baptiſmate initiantur, æqualem effectum poſitiuum, nempe æqualem gratiam, & virtutes recipiunt. ibid.

Adultus accedens ad Baptiſmum magis diſpoſitus diſpoſitione ſufficienti extra Sacramentum ad conferendam gratiam, qualis eſt contritio, & amor Dei ſuper omnia ſupernaturalis, non ſolùm recipit maiorem gratiam ex opere operato, & ex vi Sacramenti; verùm etiam ex vi diſpoſitionis præcisè ex opere operantis recipit maiorem aliquem gradum gratiæ, præter illum, vel illos gradus gratiæ, quos recipit vi Sacramenti ex opere operato. r.118.3

Si adultus accedit ad Baptiſmum cum diſpoſitione, quæ ſecundùm ſe extra Sacramentum non eſt ſufficiens ad obtinendam gratiam, qualis eſt attritio, non recipiet maiorem gratiam vi illius diſpoſitionis præcisè ex opere operantis, ſed tantùm recipiet gratiam vi Sacramenti maiorem, vel minorem, iuxta maiorem, & minorem perfectionem attritionis cum qua accedit. ibid.4

Vnus adultus accedens ad Baptiſmum cum contritione quantumque remiſſa, & alter cum attritione quantumque intenſa, ſemper ille accipit maiorem gratiam, quàm qui accedit cum attritione quantumque intenſa. ibid.5

Effectus verò per accidens, ad quos Baptiſmus per ſe non eſt ordinatus, qui aliquando conferuntur, aliquando verò minimè, quales ſunt gratiæ gratis datæ, ſanitas corporalis ipſius qui baptizatur, vt Conſtantinus Magnus, qui per Baptiſmum fuit à lepra ſanatus, & alij ſimiles, non cauſantur phyſicè ab ipſo Baptiſmo, ſed à Deo conceduntur ad præſentiam illius, & inæqualiter participantur ſecundùm Dei prouidentiam, licèt ſacro Baptiſmate donati, ſint æqualiter diſpoſiti. ibid.6

Ex ſolo merito & impetratione boni Miniſtri tribuentis Sacramentum, ſuſcipiens illud non recipit immediatè & de condigno maiorem gratiam: poteſt tamen bonus Miniſter, ſiue aliàs iuſtus, mereri baptizando adultum de congruo, & mediatè aliquod auxilium ſupernaturale, vel bonum motum, quo ſe ad gratiam ſuſcipiendam meliori modo diſponat, & ſic baptizatus adultus meliorem, & intenſiorem habens diſpoſitionem, merito, & oratione Miniſtri maiorem effectum gratiæ conſequetur. 1.119.7

Meritum eſt actio, cui iuſtè debetur merces: ſed iuſtitia dupliciter dicitur, vno modo propriè, quæ ſcilicet reſpicit debitum ex parte recipientis: alio modo quaſi ſimilitudinariè, quæ reſpicit debitum ex parte dantis, & ſic iuſtitia dicitur decentia diuinæ voluntatis; & ſecundùm hoc etiam meritum dupliciter dicitur, alterum condigni, ſeu de condigno, aliud congrui, ſeu de congruo. Meritum de condigno eſt quando ipſe agens habet debitum recipiendi: meritum congrui, ſeu de congruo, eſt quando debitum dandi eſt in dante ſecundùm decentiam ipſius. ibid.8

Meritum de condigno eſt opus viæ liberum ſtudioſum ad alterum aliqua ratione ſpectans, quod ſecundùm aliquem modum æquitatis, ſiue iuſtitiæ aliquo munere ab altero compenſari debet. ibid.

Meritum verò congrui, ſeu de congruo, propriè loquendo, de merito de congruo, eſt opus ſtudioſum liberum, habens aliquam congruentiam, vt illi aliquid conferatur, non tanquam ex iuſtitia, ſed ſecundùm quandam honeſtatem, decentiam, ſeu congruentiam. ibid.

Hæc autem congruitas, quæ in merito de congruo reperitur, eſt duplex, altera quæ tantùm ſe tenet ex parte Dei & miſericordiæ ipſius: altera verò quam facit lex amicitiæ. ibid.9

Obſeruandum tamen quòd meritum de condigno infallibiliter acceptatur à Deo, & iuſtus ſibiipſi per illud ſemper conſequitur augmentum gratiæ, & niſi mortificetur per ſequens peccatum, infallibiliter adipiſcitur vitam æternam: hoc autem non competit merito congrui, ſiue de congruo. 1.120.10

Conſequenter contingere poteſt, & contingit regulariter, vt adultus ſuſcipiens ſacramentum Baptiſmi à meliori Miniſtro, non habeat maiorem diſpoſitionem, & conſequenter non recipiat maiorem, & intenſiorem gratiam, licèt melior Miniſter, vel alius iuſtus multum orauerit pro adulto baptizato. ibid.11

Baptiſmus ſuſceptus cum fictione.

Fictio in præſenti materia, eſt aliquid diuinæ gratiæ repugnans, quæ fictio *obex* communiter à Theologis appellatur. 1.121.2

Actuale peccatum veniale non eſt obex reſpectu infuſionis primæ gratiæ, per Baptiſmum ſuſcipiendæ, neque augmenti gratiæ, quod per alia Sacramenta viuorum confertur. ibid.3

Adultus recipiens Baptiſmum cum complacentia, & affectu alicuius peccati venialis, ſi aliàs habet contritionem, vel attritionem prioris vitæ, conſequitur quidem gratiam & remiſſionem omnium aliorum peccatorum, & totius pœnæ illis debitæ. non tamen obtinet remiſſionem illius culpæ venialis, cuius habet affectum, neque remiſſionem pœnæ reſpondentis illi culpæ. ibid.4

Recedente fictione ſtatim Baptiſmus conſequitur ſuum effectum, quem priùs habuiſſet ſi fictio, & obex non fuiſſet. ibid.5

Non ſolùm Baptiſmus, ſed etiam alia omnia Sacramenta habent ſuum effectum cauſando gratiam recedente fictione. ibid.6

Poteſt dari confeſſio valida quantum ad ſubſtantiam, itaut non teneatur homo iterum confiteri eadem peccata, atque adeò ſit verum ſacramentum Confeſſionis. Et nihilominus quòd confeſſio ſit informis, id eſt, non conferens gratiam, ſicuti eſt verus Baptiſmus informis in illo qui baptizatur cum intentione peccandi, habens tamen intentionem ſuſcipiendi Sacramentum. 1.122.7

Non tenetur homo iterum confiteri peccata expoſita in confeſſione valida, ſed informi. ibid.8

Si nouum peccatum non eſt commiſſum poſt ſuſceptum Pœnitentiæ ſacramentum validum, ſed informe, per ſolam attritionem veram, & ſupernaturalem generalem omnium peccatorum, fictio & obex remouetur, & per ſe, & immediatè remittuntur peccata in confeſſione expoſita, & conſequutiuè oblita inculpabiliter ſi nondum pœnitens illorum reminiſcitur. 1.123.9

Si quis bona fide accedit ad Baptiſmum, putans ſe eſſe attritum, cùm re vera non ſit, aut ſi inuincibiliter exiſtimet non eſſe aliam diſpoſitionem præter fidem, & voluntatem Baptiſmi, attritio vera & ſupernaturalis eſt diſpoſitio ſufficiens ad tollendam fictionem, vt Baptiſmus poſtea ſuum effectum habere incipiat. ibid.10

Quando in ſuſceptione Baptiſmi committitur peccatum mortale, vt cùm quis ſuſcipit illum cum complacentia alicuius peccati mortalis, vel ſciens, & prudens quis accedit ad Baptiſmum ſine attritione vera, & ſupernaturali, talis fictio & obex, vt Baptiſmus ſuum effectum habere incipiat, non tollitur niſi per contritionem, vel attritionem ſimul cum actuali ſuſceptione ſacramenti Pœnitentiæ. ibid.

Si poſt Baptiſmom ſuſceptum aliquod peccatum mortale commiſſum eſt, neceſſaria erit contritio ad tollendam fictioocm, & recipiendum effectum Baptiſmi, & ſufficiet etiam attritio cum actuali ſuſceptione ſacramenti Pœnitentiæ, quod facit hominem de attrito iuſtum & contritum. ibid.

Recedente fictione non ſolùm confertur gratia reſpondens diſpoſitioni per quam recedit fictio, verùm etiam gratia reſpondens ſacramento Baptiſmi iam ſuſcepto. ibid.11

Baptiſmus ita operatur recedente fictione, ac ſi eſſet receptus cum illa diſpoſitione, per quam tollitur fictio. ibid.

Si fictio Baptiſmi recedit per contritionem, quæ ſecundùm ſe eſt ſufficiens diſpoſitio ad recipiendam gratiam iuſtificantem, vel per attritionem cum actuali ſuſceptione ſacramenti Pœnitentiæ, ſi contritio ſit perfecta vt quatuor, & ſimiliter attritio coniuncta cum ſacramento Pœnitentiæ ſit in eodem gradu intenſa, non ſolùm confertur gratia vt quatuor correſpondens diſpoſitioni, quæ eſt contritio, vel ſacramento præſenti Pœnitentiæ, verùm etiam datur gratia reſpondens præcedenti ſacramento Baptiſmi ſecundùm quantitatem præſentis diſpoſitionis. 1.124.ioii.

Quando ſacramentum Baptiſmi recedente fictione per contritionem, vel per ſacramentum Pœnitentiæ, incipit habere effectum ſuum, talis ordo repetitur. Priùs pœnitentiæ tollit fictionem, quæ prioritas reducitur ad genus cauſæ materialis, & diſpoſitiuæ. Deinde Baptiſmus remittit peccata, quæ fuerunt ante ipſum commiſſa, Tertiò Baptiſmus iuſtificat animam per gratiam generantem. Quartò pœnitentia iuſtificat hominem per gratiam ſanantem. ibid.12

Baptiſmus cum fictione ſuſceptus, illa poſtea recedente incipit habere effectum ſuum gratiæ ſanctificantis, & regenerantis ex opere operato. ibid.14

Baptiſmus & omnia Sacramenta nouæ legis dicuntur cauſare gratiam ex opere operato. 1.125.15

Baptiſmus priùs fictè ſuſceptus, recedente poſtea fictione inſtrumentaliter phyſicè non confert gratiam, verè agendo efficienter, verè influendo in animam per veram efficientiam. ibid.16

Baptiſmus iam præteritus recedente fictione eſt cauſa moralis gratiæ. ibid.

Bellum.

Bellum eſt conflictus armorum, quo vi nocemus contrariæ parti. 1.156.2

Bellum dicitur eo quòd nihil habeat bellum, propter varia & diuerſa incommoda, quæ illud concomitantur. ibid.

Tres circumſtantiæ requiruntur ad belli iuſtitiam. Prima eſt auctoritas indicendi bellum. Secunda eſt cauſa iuſta bellandi, quæ in vniuerſum eſt propulſatio grauis iniuriæ & certæ. Tertia eſt intentio recta, ne videlicet affectu odij, ſed potiùs iuſtitiæ moueatur. ibid.

Auctoritas indicendi bellum reſidet penes Rempubl. perfectam. ibid.3

His tribus circumſtantiis ſuppoſitis licitum eſt bellare. ibid.4

Licitum eſt præbere auxilium iuſtè præliantibus. ibid.5

Imò licitum eſt etiam accerſere infideles in ſubſidium iuſti belli, ſi ſcandalum & periculum fidei abſit. ibid.

Licitum eſt etiam abſolutè, & per ſe loquendo Principibus Chriſtianis auxilium ferre in bello iuſto infidelibus, etiam ſi bellum eſſet contra Chriſtianos. ibid.

Per accidens tamen & ratione aliarum circumſtantiarum contingere poteſt, vt ſit illicitum, & grauiſſimum peccatum aduocare infideles milites in ſubſidium contra Chriſtianos. ibid.

Bellum ex vtraque parte bellantium ex natura rei non poteſt eſſe licitum. ibid.6

Iuſtum eſt etiam bellum cùm de eadem re obtinenda ſunt opiniones probabiles. ibid.

Cauſæ iuſti belli hæ poterunt perccenſeri. Primò licitè bellum geritur quando negatur id quod iure debetur. Secundò ad recuperanda propria bona, quæ ab hoſtibus iniuſtè detinentur. Tertiò ad impedienda Reipublicæ damna, ob id licitum eſt bellum inferre hæreticis. Quartò contra eos qui ferunt ſuppetias, opem, & auxilium hoſtibus. Quintò quando contumelia publica Principi irrogata eſt. Sextò quando ſubditi ſunt rebelles, & ex hoc etiam capite licitum eſt bellum contra pertinaces hæreticos Eccleſiæ rebelles. Septimò contra tuentes malefactores, ne iuſtas perſoluant pœnas. Octauò quando aliqui violant fœdera & pacta inita. ibid.

Antequam bellum ſit inchoatum tenetur Princeps habens iuſtam cauſam indicendi bellum, acceptare condignam ſatisfactionem ſibi oblatam ab aduerſaria parte, quod ſi acceptare noluerit, bellum eſt iniuſtum, & tenetur omnia capta, & damna illata reſtituere. 1.127.7

Si aduerſarij offerant ſatisfactionem poſt inceptum iam bellum, debet pars læſa illam acceptare, & ab incepto bello deſiſtere. ibid.

Accidere poteſt vt iuſta cauſa belli ſubſit, & hoſtis nolit præbere condignam ſatisfactionem parti læſæ, & tamen illicitum ſit bellum aggredi. ibid.8

Princeps diligentiſſimè inquirere, & examinare tenetur cauſas iuſti belli per ſe ipſum, & per alios. 1.128.2

Non ſtatim atque Principi conſtat habere ſe iuſtam belli cauſam, poteſt ille indicere bellum, ſed debet priùs ab aduerſaria parte petere condignam ſatisfactionem, & eam acceptare ſi offeratur, quòd ſi eam non impetret, tunc poterit bellum indicere. ibid.3

Poſtquam facta eſt à Principe diligens inquiſitio, & tamen res adhuc dubia ſit, tunc ſi res ſit in poſſeſſione alterius, manente dubio non licet contra eum bellare. ibid.4

Tenetur tamen Princeps, qui eſt in poſſeſſione, manente dubio de re poſſeſſa admittere Legatos alterius partis, & alia facere, quæ neceſſaria ſunt ad rei veritatem inueſtigandam, quod ſi nollet, iure contra eum pars aduerſa bellum mouere poterit. ibid.

Si Rex, regnum, vel ciuitas adhuc in nullius eſſet poſſeſſione (vt ſi controuerſia eſſet de iure hæreditatio ad aliquod regnum mortuo Rege) tunc in dubio neutra pars alteram oppugnare poſſet pro obtinenda re tota, ſed ſolùm pro obtinenda parte æquali, vel inæquali, prout dubium eſſet vtrinque æquale, vel inæquale quòd ſi vnus Princeps velit tunc diuidere rem, de qua eſt dubium, cum alio, partibus æqualibus, vel recompenſare alteram partem, non poteſt alter mouere bellum contra illum, nec talem rem vi occupare. ibid.

Quando dubitatio eſt inæqualis pro vtraque parte, ſi de iuſtitia partis, quæ non poſſidet, minus dubium eſt, tunc Princeps de cuius iuſtitia minus dubitatur, poteſt à parte quæ eſt in poſſeſſione, repetere compenſationem aliquam illius minus dubiæ actionis, quam habet ad rem, quam alter cum maiori dubio poſſidet, quòd ſi poſſidens nolit compenſationem aliquam ei dare, poteſt illi bellum indicere. ibid.

Militibus non incumbit eandem obligationem examinandi, & cognoſcendi iuſtitiam belli, atque ipſi Principi bellum indicenti, eiúſque Conſiliariis: vnde milites qui ſunt addicti militiæ certis ſtipendiis, vel

vel ſunt ſubditi, poſſunt militare, & ſequi ipſum Principem inimicis bellum inferentem, etiam ſi dubitent de ioſtitia belli. 1.129.5

Milites qui non ſunt ſubditi, aot ſtipendiarij Principis, non poſſunt bellare ſi dubireot de iuſtitia belli. ibid.

Non tamen tenentur milites etiam non ſubditi, valde accuratè iuſtitiam belli examinare. ibid.

Si milites ſint certi quòd dubius eſt Princeps de iuſtitia belli, & pars aduerſa eſt in poſſeſſione rei, de cuius dominio dubitatur, & propter quam bellum indicitor, non licet illis pugnare, quamuis ſint ſubditi & ſtipendiarij. ibid.6

Hæretici, qui in temporalibus ſunt ſubiecti Imperatori, Regi, vel Principi alicui Chriſtiano, qoi in temporalibus non agnoſcit ſuperiorem, poſtquam ab Eccleſia tanquam hæretici ſunt denunciati, poſſunt ab eiſdem Principibus Chriſtianis, quibus ſubſunt in temporalibus, licitè debellari, & priuari propriis bonis. ibid.2

Contra Turcas, & Saracenos, quilibet Chriſtianus Rex, vel Reſpublica, aot Princeps ſuperiorem non agnoſcens in temporalibus, habet ius gerendi bellum continuum. 1.140.init.

Non licet tamen priuatis hominibus auctoritate priuata diripere, & deprædari, ac captiuitati tradere tales infideles, niſi quando ipſi nos inuadunt, & ad nos accedunt vt deprædentur. ibid.3

Conſequenter euntes ad terras, & littora infidelium ad eos captiuandos, & deprædandos ſine publica auctoritate Principis Chriſtiani non agnoſcentis in temporalibus ſuperiorem, iniquè agunt, & tenentur ad reſtitutionem. ibid.

Infideles, qoi nobis ſubiecti non ſunt, neque de iure, neqoe de facto, neque auctoritate publica, neque priuata, poſſunt in ſeruitutem redigi, neque eorum bona prædari. ibid.4

Debellari tamen poſſunt huiuſmodi infideles, etiamſi non ſint infeſti Chriſtianis, ſi reſiſtant, & impediant prædicationem Euangelicam, aut prohibeant ne alij ad fidem conuertantur, aut conuerſos perſequantur, aut fideles eò pacificè euntes nō admittant apud eos peregrinari, aut admiſſos iniuriis afficiant, &c. ibid.

Quicunque phyſice, vel moraliter cauſa eſt totius damni, tenetur in ſolidum, ſeu in integrum, ſeu in totum ad reſtitutionem: qui verò non eſt cauſa totius damni, ſed partis tantùm, non tenetur, ſed ſolùm pro ſua parte, pro ſua ratione, pro ſua rata. 1.3 .2

Dux generalis exercitus tenetur inſolidum, ſeu in totum ad reſtitutioneo damnorum in iniuſto bello illatorum. ibid 3

Miles verò in bello iniuſto, qui alios milites non induxit, non tenetur ad reſtitutionem totius damni illati à toto exercitu, ſed tantùm pro ſua parte. ibid.

Si dubium ſit, an vnus miles alior ſuus commilitones ſuo conſilio, vel laude permouerit, tunc ſi poſt diligentem inquiſitionem dubius manet, non tenetur in integrum ad reſtitutionem damnorum illatorum à ſuis commilitonibus. ibid.

Milites ſubditi, dubij de belli iuſtitia, ſicut excuſantur à culpa, & ita licitè pugnare poſſunt; ſic etiam bona fide durante non teneutur ad aliquam reſtitotionem: at cognita poſtea belli iniuſtitia, tenentur reſtituere quidquid prædæ apud ipſos manet, & id, in quo per illam prædam facti ſunt ditiores: domos autem, quas ſuccenderunt, & ſegetes, quas combuſſerunt, animalia quæ occiderunt, non teneotur reſtituere. ibid.4

Poſſeſſor bonæ fidei dicitor fieri ex re aliena conſumpta locuplerior, quando occaſione illius rei ſic conſumptæ patrimonium ſuum aliquo modo eſt auctum, vt qoia ſumptus aliquos alioquio ex ſoo patrimonio facturus non fecit, aut aliquid lucri fecit illius rei occaſione: quòd ſi patrimonium non creuit, nec illius rei occaſione aliquid lucrifecit, noo dicitur fieri locopletior, & ſic propter rem in bello captam & poſſeſſam bona fide conſumptam, miles ſubditus, & ſpeculatiuè dubius de belli iuſtitia, practicè tamen depoſito dubio ſibi licere pugnare decreuit. ibid.5

Milites ſubditi, dubij de belli iuſtitia, ſi non obſtaote obedientia Principis adhuc manerent dubij practicè de belli iuſtitia, ſcilicet, an licitè de facto pugneot, tunc tenentor omnia damna, & quæcunque conſumpta reſtituere, etſi ditiores & locupletiores non euaſerint, comperta poſtea veritate de ioioſtitia belli. t.132.init.

Milites tenentor reſtitoere omnia ſpolia ablata, & damna illata reſarcire omnibus vicinis, vel eorom agris, qui non ſunt hoſtes. ibid.6

Hoſtes, quibus mala inferri poſſunt in bello iuſto, dicũtur hi, contra quos denunciatum eſt iuſtum bellum. Inter hoſtes aliqui ſunt nocentes, & rei, illi videlicet, qui ſunt in cauſa, & in culpa gerendi bellum, & qui actualiter in eo pugnant; aliqui verò ſunt innocentes, vt ſunt paruuli, & mulieres, quæ non ſuot cauſa belli, nec actualiter decertant. ibid.2

Præter paruulos & mulieres præſumuntur etiam inocentes Presbyteri, Monachi, Conuerſi, peregrini, Mercatores, ruſtici dum ſunt in agricultura, vel eunt, vel redeunt ex ea. Animalia etiam quibus arant, & ſemina portant ad agrum, ſecuritate congrua, inquit Pontifex, lætentur. Per Mercatores tamen debent hic intelligi non qui ſunt ciues in Republ. hoſtium, ſed qui tranſeunt importantes aliqua mercimonia. ibid.

Finito belli iuſti congreſſu, & euictis hoſtibus, non eſt licitum uccidere Clericos Sacris initiatos, Monachos, Regulares, Conuerſos, peregrinos, Mercatores, ruſticus, infantes, & mulieres. ibid.3

Animalia etiam quibus agri coluntur nec licitum eſt occidere. ibid.

In bello iuſto per accidens, & præter intentionem interficere innocentes non eſt peccatum. ibid.4

Finito belli congreſſu, & parta victoria in bello iuſto, etiam contra Turcas, & Saracenos, noo licet iotercficere mulieres, nec pueros, nec infantes: vnde etiamſi cùm adoleuerint fiant paruuli infidelium, & hoſtes Chriſtianorum, non ſunt occidendi finito belli congreſſu. ibid.5

Licitum eſt in bello iuſto expoliare & in ſeruitutem ducere innocentes, etiam illos, quor ſcimus eſſe innocentes, qui tamen ſunt partes Reipublicæ aduerſariæ. t.133.2

Tranſacto belli conflictu, & ſtabilita victoria, non tenetur Princeps reſtituere inoocentibus qui ſunt partes Reipubl. nocentis illa quæ ſuperſunt ex ſpoliis innocentium. ibid.3

Si eſſet aliqua ciuitas illius Principis, contra quem eſt iuſtum bellum, quæ in bello non conſenſit, nec auxilium præbuit bello iniuſto, tunc non adeſt ioſta cauſa ad expoliandos ciues illius cioitatis. ibid.4

Si tamen hoſtes in aliqua ciuitate commorantes nollent reſtituere res ablatas per iniuriam ab aliis ciuibus alterius Regni, nec Princeps illius ciuitatis curaret reſtitui, quod à ſois improbè, & iniuſtè ablatum eſt: Reſpublica læſa ſi nō poteſt commodè quod ſuis ciuibos ablatom eſt recoperare à nocentibus, poſſunt læſi auctoritate ſoi Principis expoliare alios innocentes, qui ſunt in Regno hoſtium. ibid.

In iſto caſu non ſolùm ſurripientes bona aliena teneantur

rcotur

xentur ad reſtitutionem, ſed etiam Princeps illorum, qui neglexit vindicare quod à ſuis improbè factum eſt, debet reſtituere illis innocentibus læſis vniuerſa bona ab illis ablata, & damna illata. ibid.

Conſequenter Princeps non agnoſcens in temporalibus Superiorem, iure poteſt dare litteras, quibus concedit ſuis ciuibus poteſtatem expoliandi quoſcunque ciues alterius Reipublicæ pro compenſatione rerum ſibi ab eius Reipublicæ ciuibus iniuſtè ablatarum, quas litteras vocant *Repreſſalia.* t.134. init.

Quando bellum eſt perpetuum cum aliquibus hoſtibus, vt eſt bellum Chriſtianorum contra Turcas, & Saracenos, ſemper licet eis, & eorum ciuibus eripere, quæcunque ipſis eripi poſſunt. ibid.5

Bona alicuius nationis, v.g. Romanorum per iniuſtum bellum ablata à piratis, extracta poſtea à militibus Hieroſolymitanis è manibus piratarum Turcarum, non acquiruntur militibus S. Ioannis. ibid.6

Expoliari non poſſunt in bello iuſto, qui non ſunt partes Reipublicæ cótra quam bellum mouetur, etiamſi inter hoſtes commorentur, vt ſunt peregrini, viatores, mercatores, alienigenæ, qui tranſeunt importantes aliqua mercimonia. ibid.7

Iure gentium res mobiles in bello iuſto captæ, etiamſi excedant compenſationem damnorum, efficiuntur ipſorum militum capientium, & ab eis iuſtè poſſideri poſſunt. ibid.8

Milites pugnantes in bello iuſto tenentur ad reſtitutionem damni illati contra expreſſam, vel tacitam Superioris prohibitionem, præcipientis, ne damna aduerſariis inferantur, vel ne inferantur niſi ad certos limites. ibid.10

Seruitus legalis, qua ſeruitute fiunt ſerui capti in bello iuſto, illa eſt, qua vnus homo dominus vtitur altero ſeruo ad ſuam propriam vtilitatem, & commodum. hæc ſeruitus per legem poſitiuam eſt introducta. t.135.1

Licitum eſt homines bello iuſto captos in ſeruitutem redigere. ibid.3

At Chriſtianos captos bello iuſto ex Chriſtianis, more, & vſu inter Chriſtianos receptum eſt non fieri ſeruos, ſed ſeruari poſſe captiuos, vt pretio poſtea redimantur: quod in fauorem fidei vſu receptum & conſtitutum eſt. ibid.

Hæretici gaudent hoc priuilegio Chriſtianorum, vt capti à Chriſti fidelibus in bello iuſto non fiant mancipia capientium. ibid.4

Apoſtatæ verò à fide, qui dicuntur *Renegati*, non gaudent hoc priuilegio, & fiunt ſerui capti in bello iuſto, & mancipia capientium. ibid.

Lege tamen, & conſtitutione noua Principum Chriſtianorum ſtatui poteſt, vt hæretici, & Chriſtiani nocentes capti bello iuſto à Chriſtianis perpetuæ ſeruituti tradantur, & tanquam mancipia aliis vendantur. ibid.5

Infantes baptizati, filij Apoſtatarum à fide, & alij innocentes apud ipſos, quia fide minimè apoſtatarunt, gaudent eo priuilegio, quo Chriſtiani bello iuſto capti non fiunt ſerui Chriſtianorum capientium. ibid.6

Chriſtiani capti ab infidelibus Paganis bello iuſto, fiunt ſerui capientium, (vt ſi tempore treugæ Chriſtiani aggrederentur illos infideles, in tali caſu haberent bellum iuſtum pro ſe. ibid.7

Chriſtiani verò capti à Turcis, & Saracenis non fiunt ſerui capientium ſecundùm rei veritatem. ibid.

Capti in bello iuſto ſerui capientium nacta occaſione ſi fugiant à dominis ſuis nec peccant, nec tenentur illis aliquod pretium reſtituere. ibid.8

Non tamen poſſunt dominis perſequentibus vi reſiſtere. ibid.

Seruus iure belli captus, & alteri venditus, ſemper habet ius fugiendi ad ſuos, & ad libertatem recuperandam. t.136.init.

Serui ſi ſint domi nati ex parentibus in bello iuſto captis, etiam habent ius fugiendi. ibid.

Per accidens, ſi ſcilicet opus fuerit ad victoriam conſequendam, poſſunt in bello iuſto Eccleſiæ aduerſariæ partis expugnari, & etiam igni tradi. ibid.2

Si verò Eccleſiæ non ſunt incaſtellatæ ad aliquem offendendum, non poſſunt per ſe expugnari, & illas euertentes, & incendentes ſunt excommunicati, & tenentur ad emendam ad omnia damna illata reſarcienda. ibid.

Bona ſimiliter Clericorum ex propoſito in bello iuſto ſurripere non licet. ibid.

Bona tamen Eccleſiaſticorum per accidens ob indigentiam belli poſſunt deuaſtari, & qui iuxta talem indigentiam talia bona deuaſtarunt, peracto bello non tenentur ad reſtitutionem. ibid.3

Si Clerici pugnant in actuali belli conflicto poſſunt expoliari, & occidi. ibid.4

Quòd ſi bellum iuſtum eſſet contra Prælatum Eccleſiaſticum, poſſent Clerici etiam poſt partam victoriam expoliari in pœnam Præſidis Eccleſiaſtici, cui Clerici ſunt ſubiecti. ibid.

Confugientes ad Eccleſias, vt ibi protegantur beneficio immunitatis illius, tunc non poſſunt expoliari ad modum, quo alij rei ad Eccleſias accedentes gaudent illo beneficio. t.137.5

Si hoſtes qui ſunt intra Eccleſiam pugnauerunt, ex ipſa contra gerentes bellum iuſtum, poſſunt ipſi, & eorum bona extrahi ab Eccleſia, & illis priuari. ibid.

Similiter ex Eccleſia extrahendo victualia quibus ſuſtentantur in hoſtium impugnatione, illa rapiendo non peccant iuſtè pugnantes, nec tenentur ad reſtitutionem. ibid.

Si adeſt periculum ne hoſtes confugientes ad Eccleſiam ad ſe defendendum iterum poſtea reintegrent bellum, & rebellent, & pugnent contra Principem bellum iuſtum gerentem, etiamſi ipſi hoſtes de Eccleſia non bellent, licitè ab Eccleſia extrahuntur, & intra Eccleſiam occidi poſſunt, & expoliari bonis in Eccleſia poſitis: ſi aliud remedium non inueniatur hoſtes penitus debellandi, & ſi opus fuerit etiam poſſunt iuſtè pugnantes in iſto caſu Eccleſiam comburere. ibid.

Nomine Clericorum intelligimus in vniuerſum omnes habentes aliquem ordinem Eccleſiaſticum, etiam primam tonſuram. ibid.2

Iure Canonico Clericis bellare eſt interdictum: non tamen diuino, aut naturali. ibid.

Clerici in maioribus Ordinibus conſtituti bellando ſine licentia ſummi Pontificis tam in bello offenſiuo, quàm defenſiuo, peccant lethaliter. ibid.3

Clericis verò in minoribus conſtitutis militare nullum eſt peccatum. ibid.

Clerici autem in minoribus beneficiarij militando grauiter peccant. ibid.

Vt Clerici Sacris initiati, vel Eccleſiaſticum beneficium habentes in minoribus conſtituti licitè in bellis iuſtis interſint ad pugnandum, & militandum extra articulum neceſſitatis, proprij Epiſcopi licentia non ſufficit, ſed auctoritas Papæ requiritur. t.138.4

Vt verò Clerici ſimplices curam animarum non habentes, neque aliquod Eccleſiaſticum beneficium reſidentiam requirens, interſint bello iuſto non ad pugnandum propria manu, ſed vt iuſtè militantibus ſpiritualiter ſubueniant ſuis exhortationibus, abſo-

lutionibus, & aliis huiuſmodi ſpiritualibus ſubuentionibus, non requiritur auctoritas Superioris expreſſa, ſed tacita ſufficit. ibid.5
Epiſcopus, ſiue Clericus habens dominium temporale, non agnoſcens Superiorem in temporalibus, poteſt indicere bellum iuſtum, & Ducem conſtituere, qui eius bella gerat. 1.138.2
Quicunque Clericus, etiam non habens dominium temporale, poteſt conuocare Principem ſæcularem, qui bella gerat pro defenſione ſuæ Eccleſiæ. ibid.3
Tam Clerici, quàm laici poſſunt intereſſe bello iuſto abſque irregularitate, modò ipſi non mutilent, vel occidant, etiamſi adhortentur milites generaliter ad occidendum, vel mutilandum eos, quos victoria requirit: ſecus autem ſi habent intentionem ſpecificam ſanguinis, id eſt, vt hic, aut ille de numero hoſtium occidatur, tunc enim fierent irregulares morte, vel mutilatione ſequuta. 1.139.4
In articulo neceſſitatis licitum eſt Clericis ſine auctoritate Superioris pugnare, nimirum ob defenſionem ſui, vel ſuorum parentum, & ſociorum, quando aliter mors propria parentis, amici, vel ſociorum, vel proximi innocentis euitari non poteſt. ibid.5
Si Clericus ad conſequendam inſignem aliquam victoriam ſimpliciter eſt ad pugnam neceſſarius, adeò quòd ſine eo non conſequeretur, tunc non expectata Superioris facultate poſſet licitè propria manu pugnare. ibid.
Si Clericus, vel Monachus, vel quiuis alius ſæcularis ſine auctoritate tacita, ſaltem Principis habentis iuſtum bellum, militet, non poteſt ſurripere bona hoſtium, & accipiens tenetur illa reſtituere. ibid.2
Clerici, vel Monachi, qui ſine auctoritate ſummi Pontificis in bello iuſto militant, licèt peccent contra præceptum Superioris Eccleſiaſtici præcipientis, ne Clerici, & Deo dicati, bellica exercitia exerceant: tamen ſi ex voluntate Principis temporalis nomen militiæ dederunt, poſſunt iuſtè bona hoſtium accipere, ſicut cæteri milites. ibid.3
Si bellum iuſtum ſit defenſiuum & neceſſarium ad defenſionem propriæ vitæ, & perſonæ, non fit quis irregularis, etiam ſequuto homicidio per propriam actionem. 1.140.5
Si bellum defenſiuum ſit neceſſarium ad defenſionem patriæ, & boni communis, idem iuris eſt quod diximus in bello defenſiuo propriæ perſonæ. ibid.
Qui ad neceſſariam defenſionem parentum, vxoris, aut filiorum in bello iuſto aliquem occideret, irregularis non eſt. ibid.
Defendens innocentem proximum cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiamſi neceſſe ſit aggreſſorem interficere, vt innocentem à morte eripiat, non fit irregularis. ibid.3
Pugnantes in bello iuſto ſi propriis manibus ſanguinem non effundant, vel mutilent, non ſunt irregulares, etiamſi alij occidant, vel mutilent. 1.141.5
Occidens, ſeu mutilans in bello aggreſſiuo tam iuſto, quàm iniuſto, incurrit irregularitatem. 1.145.init.
Militantes tamen in bello iuſto aggreſſiuo, ſi videntes alium militem aggredientem ad occidendum aliquem illum animarent, directè prouocando ad homicidium, vel alium impedirent ne poſſet fugere, ſiue vulnerando, ſiue alio modo, tunc ſequuto effectu mortis, vel mutilationis fierent irregulares, etiamſi propriis manibus non deforment. ibid.3
Militans in bello iuſto in quo aliqui mutilantur, & occiduntur, ſi ipſe ſit dubius, an aliquem occiderit, vel mutilauerit, & magis credit ſe neminem occidiſſe, vel mutilaſſe, non debet ſe reputare irregularem. ibid.4
Si tamen pugnans in bello iuſto maneat omnino dubius, an ipſe per ſe occiderit, vel mutilauerit, ita vt non habeat maius indicium ad vnam partem, quàm ad aliam, & tale indicium non depoſuerit, tunc in foro interiori debet reputari irregularis. ibid.
In foro tamen exteriori non poteſt declarari irregularis. ibid.
Certans in bello iuſto, ſi aliquem vulnerauit leuiter, non tamen occidit, aut mutilauit: ſi poſtea occiſus ſit ab aliis, irregularis erit ſi animum occidendi habuit, etſi non percuſſerit illum lethaliter propria manu. ibid.5
Pugnans in bello iuſto, ſi percuſſit aliquem, & vulnus ab eo inflictum dignoſci poſſit non fuiſſe mortale, & non habuit animum occidendi, etiamſi poſtea vulneratus occidatur ab aliis, non erit irregularis. ibid.
Decertans tamen in bello iuſto, ſi vulnerauit aliquem, qui poſtea occiditur ab aliis, & ſi ipſe occidendi voluntatem non habuerit, ſi vulnus inflictum ab eo diſcerni non poteſt, an fuerit mortale, in dubio irregularis iudicatur. ibid.
Si Papa alicui Clerico det licentiam, vt eat ad bellum iuſtum, & propria manu pugnet contra hoſtes, eo ipſo diſpenſare cenſetur cum eo ne irregularis fiat, ſi in eo bello manu propria hoſtes interficiat. 1.143.2
Clericus, vel Religioſus exiſtens in bello iuſto cum armis defenſiuis, & offenſiuis, etiam ſine licentia Papæ, ſi certus ſit quòd ipſe propriis manibus nullum occiderit, non eſt irregularis, etiamſi aliqui ab aliis occidantur. ibid.3
Miles laicus pugnans in bello iuſto aggreſſiuo, & dubitans an per ſe occiderit, vel mutilauerit, ſi adhibita ſufficienti diligentia ad inquirendam veritatem adhuc manet anceps, poteſt practicè deponere dubium, & ſe non reputare irregularem. ibid.4
Clericus verò, ſeu Religioſus militans in bello aliàs iuſto ſine licentia Papæ, dubitans an propriis manibus occiderit, vel mutilauerit, eſt irregularis. ibid.5
Clericus, ſiue laicus miniſtrans enſem, lanceam, & generaliter arma pugnantibus, quando eſt iniuſtum bellum, ſeu pugna aliqua eſt iniuſta, ſi quis occiditur, vel mutilatur in illo bello iniuſto, vel in illa rixa particulari iniuſta, eſt irregularis. 1.144.6
Clericus, ſiue laicus dans arma ad omnes vſus non eſt irregularis, ſi poſtea accipiens iniuſtè occidat alium. Item mutuans gladium ei, quem neſcit occiſurum alium, non incurrit irregularitatem, etiamſi mutuatarius occidat. ibid.
Si Clericus in bello iuſto arma, quæ habet apud ſe, præbet alteri militi, vt occidat aliquem in particulari, eſt irregularis ſequuto effectu. ibid.
Si verò præbeat arma militi in bello iuſto in genere vt ſe, & ſua defendat, etiam in ipſo belli conflictu, quamuis intendat occiſionem hoſtium in genere, ſequuta morte, vel mutilatione nõ eſt irregularis. ibid.
Clericus exiſtens in bello defenſiuo, ſi non valens ſe defendere ab iniquo inuaſore, det alteri arma, vt ipſum adiuuet, ſi ille defenſor occidat aggreſſorem, ille primus non eſt irregularis. ibid.7
Secus autem ſi daret arma vt proximus ſe defenderet, & ſic erit irregularis ſi ſequatur deformatio. ibid.
Satis probabile videtur, quòd dans arma innocenti vt ſe ipſum defendat ab iniquo inuaſore cum moderamine inculpatæ tutelæ, non contrahit irregularitatem ſequuta deformatione. ibid.
Irregularitas, quæ contrahitur ex homicidio voluntario, non comprehendit illam, quæ ſine vlla culpa procedit ex ſolo defectu lenitatis perfectæ ob iuſtam occiſionem, etiam voluntariam. 1.145.2

Si ſermo ſit de irregularitate incurſa ob mutilandum in bello iniuſto, tunc ſi homicidia, vel mutilationes factæ ſunt ab iniquè pugnantibus in parte hoſtium iuſtè militantium,& licite ſe defendentium, diſpenſatio ſuper irregularitate contracta ab iniuſtè bellantibus ſpectat ad ſummum Pontificem. ibid.3

Sunt etiam irregulares huius ſpeciei homicidæ voluntarij, cum quibos ſolus Pontifex diſpenſat, omnes milites in bello iniuſto pugnantes, imò omoes aſſiſtentes, & ſtantes à parte iniuſtè bellantium, cooperantes,& excitantes ad pugnam,imò totus exercitus ſi contingant homicidia, vel mutilationes in hoſtibus innocentibus,ſiue interſint armati,ſiue inermes, ſiue deforment, ſiue non, ſiue ob id timor inimicis augeatur, ſiue non. ibid.

Pari ratione hanc irregularitatem,ſuper qua ſolus Pontifex diſpenſat, incurruot ſtantes & aſſiſtentes ex parte iniuſtè rixantium ſequuto homicidio auctoritatem dando deformationi iniuſtæ,& qui ſubminiſtrat arma,vt fiat bellum, aut homicidium iniuſtum, non tamen qui dat ad omnes vſus: ſimiliter qui dat pecuniam ad bellum,aut rixam aliquam iniuſtam,ſic etiam qui accuſant, iudicant, teſtificantur iniuſtè,& qui produnt aliquem iniuſtè,vt occidatur. ibid.

Si in bello iniuſto ſequuntur homicidia,vel mutilationes in parte ſociorum, qui iniuſte militant, poteſt Epiſcopus diſpenſare ſuper irregularitate contracta, ſi occultom ſit homicidium, vel mutilatio. 1.146.4

Si ſermo ſit de irregularitate incurſa ob occiſiones, vel mutilationes factas propriis manibus à iuſtè militantibus in parte aduerſa, ſolus Pontifex in ea diſpenſat. ibid.5

Qui habent priuilegium diſpenſandi in irregularitatibus,exceptis irregularitatibus bigamiæ & homicidij voluntarij, vt ſunt Prælati Ordinum Mendicantium,poſſunt etiam diſpenſare in hac ex defectu lenitatis perfectæ. ibid.6

Prælati Religioſorum Ordinum Mendicātium habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem,vt ſunt Generales, & Prouinciales, poſſunt etiam cum ſuis ſubditis diſpenſare in irregularitatibus prouenientibus ex publico delicto, & ad forum contentioſum deducto, prætetquam homicidij voluntarij, bigamiæ & mutilationis membrorum. ibid.7

Non tantùm in bello defenſiuo, ſed etiam in offenſiuo iuſto ſi adſit opportunitas ad acquirendam victoriam,licet bellare in die feſto. 1.147.2

Pugnare in die feſto præciſè abſque neceſſitate,vel vtilitate Reipoblicæ,non eſt peccatum ſaltem mortale, modò Miſſa audiatur. ibid.

Benedictio Epiſcopalis, vide Sacramentale.

Beneficiarius.

Si beneficiarius abſque iuſta, & legitima cauſa alibi ſacrificet, non ſolùm peccat, ſed etiam omiſſa Sacra non celebrata in loco, alterive deſignato, compenſare debet celebrando eo loco, & altari in beneficij inſtitutione conſtitutis. 1.152.3

Si beneficiarius, vel Capellanus ter,vel quater ex inſtitutione beneficij per ſe ipſum in hebdomada offerre, & immolare debet, & per ſe ipſum commodè in certa hebdomada præſtare non poteſt, in aliud tempus differre poterit Sacta illa facere, vel per alium in illa hebdomada, in qua tenetur ſacrificare. ibid.4

Non tamen ei licebit omittere Sactis operari,cauſa voluptatis,vel vt alia Eccleſia celebret. ibid.

Beneficiarius, ſeu Capellanus Miſſam quotidie dicere ex fundatiooe Capellaniæ obligatos excuſatur, ſi omni hebdomada ex cauſa honeſtatis,vel deuotionis augendæ ſemel,& aliquando bis omittat ſacrificare, cùm talis obligatio intelligatur vt toties celebret, quoties honeſtè,& deuotè poteſt. 1.153.init.

Quando Capellania eſt nimis onerata Miſſis dicendis, & redditus ſunt tenues, poteſt Ordinarius minoere numerum Miſſarum. ibid.5

Idem dicendum, ſi proceſſu temporis ita beneficij prouentos decreſcant, tenuéſque fiant, vt beneficiarius ſuo muneri,& officio ſatisfacere commodè nequeat. ibid.

Beneficiarij tria genera bonorum habere poſſunt, patrimonialia,qualia ſunt,quæ ipſi hæreditate,vel alio modo, quo laici ſolent, ſibi acquirunt: quaſi patrimonialia,quæ ipſi acquirunt miniſteriis Clericorum abſque beneficio, vt celebrando, concionando, canendo,coofeſſiones audiendo.Mere Eccleſiaſtica, vt ſunt ea,quæ recipiuotur à Clericis titulo alicuius beneficij Eccleſiaſtici. 1.156.2

Beneficiarij eius partis fructuum beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ congruæ eorum ſuſtentationi eſt neceſſaria, ita ſunt domini, vt non magis teneantur ex ea erogare ad opera pietatis, quàm ex bonis patrimonialibus, vel quaſi patrimonialibus. ibid.4

Magis dilucidè beneficiarij ſi quid ex hac parte congruenti ſuſtentationi neceſſaria percepta ex fructibus beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ poſſident, velint ſibi detrahere, poſſunt de eo diſponere, ſicut de bonis ſecularibus, & ſic ex ea ditare conſanguineos,& exaltare affines,illis licebit. ibid.

Congrua pars ex fructibus beneficiorum, quæ eſt neceſſaria ad decentem ſuſtentationem beneficiarij, non conſiſtit in indiuiſibili, ſed habet latitudinem; ſicut iuſtum pretium rerum non conſiſtit in indiuiſibili,ſed habet latitudinem;infimum aliud,medium, & ſupremum: ita etiam congrua ſuſtentatio habet ſuos gradus; poterit ergo beneficiarius illud, quod ſibi ſubtrahit, à ſummo conuenientis ſuſteotationis,cuiuis donare,& in quoſcumque vſus,etiam prophanos, honeſtos tamen,impendere pro ſua voluntate. ibid.5

Beneficiatij illius portionis fructuum, quæ non eſt vlli gradui conuenientis, & iuſtæ ſuſtentationis neceſſaria,ſed ſuperflua,non ſunt domini,ſed ſolùm diſpenſatores, ita vt ex iuſtitia teneantur illam expendere in pias cauſas; quòd ſi ſecus fecerint, obligantur ad reſtitutionem in opera pia ex aliis bonis, quæ pleno iure poſſident; imò ij,quibus dederunt ad vſus prophanos, reſtituere pauperibus, vel Eccleſiæ, debent accepta, ſi ipſi beneficiarij reddere ex proprio patrimonio aut recuſent,aut non poſſint. 1.157.init.

Mitiùs tamen, & probabiliter dici poteſt poſt erecta beneficia, certóſque prouentus ſingulis titulis aſſignatos beneficiarios non religioſos eſſe abſolutè dominos omnium ſuorum prouentuum. ibid.6

Beneficiarij ita ſunt domini partis ſuperfluæ prouentuum ex beneficiis ſibi prouenientium, vt quamuis prophanè illam expenderint, tamen ad reſtitutionem pauperibus, vel aliis piis cauſis non teneantur. ibid.

Nec etiam recipientes talem portionem ab illis ad vſus prophanos. ibid.

Beneficiarij peccant mortiferè ſi partem fructuum beneficiorum congruæ ſuſtentationi redundantem in vſus prophanos, vel ad ditandos conſanguineos, & amicos impendunt. 1.158.7

Beneficiarij Eccleſiaſtici quicumque ſint illi, lethaliter peccant ſi quod ſupereſt congruenti,& iuſtæ ſuſtentationi, & ex fructibus beneficiorum in communes & ſolitas pauperum neceſſitates non impendant,

Diſquiſ. moral. Tom. II. Pp 2 etiam

etiam ſi nulla extrema, vel grauis neceſſitas egentium vrgeret, & in hoc differunt à laicis, quòd opulenti laici ſi nulla pauperum extrema, vel quaſi extrema, aut grauis indigentia occurrat, poſſunt vtique ſuperfluum licitè retinere ad augendam rem ſuam familiarem, & domeſticam. ibid.

Beneficiarius excommunicatus.

Fructus patrimonij in titulum alicui Clerico aſſignati non amittuntur per excommunicationem. 1.172.2

Vnde quamuis Clericus qui elapſis ſex menſibus poſt beneficium Eccleſiaſticum, vel penſionem clericalem habitam Officium non recitauerit, ad reſtitutionem fructuum ſit obligatus, qui tamen ad titulum patrimonij eſt ordinatus, ad id non obligatur. ibid.

Si quis iuſtè fuerit excommunicatus, & iam pœnituit, nec per eum ſtat, quominus abſoluatur, tunc licèt in foro exteriori priuetur fructibus beneficij Eccleſiaſtici quod ante excommunicationem obtinuit, in conſcientia tamen ex pia matris Eccleſiæ intentione fructus beneficij facit ſuos. ibid.3

Beneficiarius, qui lapſus eſt in excommunicationem poſt beneficij conſequutionem, non eſt priuatus fructibus, vel redditibus, vel diſtributionibus beneficij, conſequenter neque tenetur eos à ſe ſponte abdicare, modò exequatur onera, & officia beneficij; ſiue excommunicatus ſit curator animarum, ſiue ſit Canonicus, ſiue habeat beneficium ſimplex. ibid.

Beneficiarius iuſtè excommunicatus, qui non aſſiſtit diuinis Officiis, qui tamen conſueuit adeſſe choro, poteſt recipere diſtributiones, quæ dantur aſſiſtentibus choro, ſi per ipſum non ſtet, quominus abſoluatur, & ne interſit diuinis Officiis. 1.173.4

Probabiliter etiam alij aſſerunt, excommunicatum non facere proprij beneficij fructus ſuos, ſi ſententia excommunicationis ſit valida, licèt ſit iniuſta propter valorem, & efficaciam eius, recuperari tamen poſſunt propter iniuſtitiam illius poſt abſolutionem. ibid.

Imò quamuis excommunicatus ſit occultus, tenetur, per ſe loquendo, fructus perceptos beneficij Eccleſiaſtici reſtituere. ibid.

Quòd ſi iniuſtè petenti abſolutionem ab excomunicatione, ea denegetur, amittuntur quidem fructus beneficij pro tempore, quo durat excommunicatio; recuperari tamen poſſunt poſt abſolutionem ob iniuſtam dilationem abſolutionis. ibid.

Si verò excommunicatio ſit omnino nulla, & inualida, beneficij fructus non amittuntur. ibid.

Fructus beneficij, quibus excommunicati in contumacia exiſtentes priuantur, ſunt expendendi in vtilitatem Eccleſiæ, ad quam beneficium ſpectat. ibid.5

Pars verò fructuum, qui penſionario adiudicata eſt, ſemper manet reſeruata ex fructibus beneficij, vt illi ſoluatur, cuius eſt penſio. ibid.

Diſtributiones verò quotidianæ, quæ in conſuetudine, vel ſtatuto, accreſcunt intereſſentibus choro, ipſis Canonicis aſſiſtentibus horariis precibus ſunt reſtituendæ quando quis non recitauit Officium diuinum, vel ob excommunicationem, aut ob aliam quamcumque cauſam illas amittit. ibid.

Quòd ſi res eſt occulta, & reſtituendo diſtributiones, vel alios fructus intereſſentibus choro, ſuum peccatum proderet, poteſt in alios vſus pios expendere, vel pauperibus, ſiue illius loci, vbi beneficium ſitum eſt, ſiue alterius. ibid.

Aſſerunt tamen aliqui ex recepta conſuetudine non ſolere excommunicatum priuari fructibus beneficij. ibid.

Beneficiarius ſuſpenſus ab officio.

Suſpenſus ab officio poteſt intereſſe Diuinis, dummodo tanquam hebdomadarius non officiet, aut actum Ordinis exerceat, licèt tanquam laicus in choro cum aliis poſſit canere. 1.174.2

Idem prorſus dicendum de ſuſpenſo à Diuinis, qui poteſt intereſſe Diuinis, non tamen ex officio officiare, aut actum Ordinis exercere. ibid.

Suſpenſus ab officio ille dicitur, cui prohibetur exercitiũ Ordinis Eccleſiaſtici, vel iuridictionis Eccleſiaſticæ: ſuſpẽſus à toto officio ille eſt, qui priuatur vſu cuiuſcũque Ordinis, & ſimul vſu iuriſdictionis. ibid.

Suſpenſus ab officio præcisè, ſiue à iure, ſiue ab homine, per ſe non eſt ſuſpenſus à beneficio, & conſequenter ſic ſuſpenſus non priuatur fructibus beneficij. ibid.3

Suſpenſus ab officio priuatur diſtributionibus quæ conferuntur ratione beneficij, cui aliquis ordo eſt annexus his, qui per ſe aſſiſtunt, & ex officio miniſtrant in diuinis Officiis, vt ſunt diſtributiones quotidianæ Cathedralium Eccleſiarum. ibid.

Beneficiarius ſuſpenſus à beneficio.

Beneficij fructus ſunt annui quidam reditus, qui ex certis bonis Eccleſiæ percipi ſolent; diſtributiones verò quotidianæ ſunt portiones dari ſolitæ beneficiariis eo, quòd diuinis Officiis ſtatuto tempore interſunt, conflatæ quidem ex prouentibus beneficij, conferendæ tamen aſſiſtentibus diuinis Officiis iuxta quantitatem aſſiſtentiæ, & ſeruitij præſtiti. 1.175 2

Suſpenſus à beneficio priuatur iure percipiendi fructus, & diſtributiones, quæ beneficiariis intuitu beneficij conferuntur, vt ſunt diſtributiones quotidianæ, quæ conferuntur Canonicis choro intereſſentibus. ibid.3

Suſpenſus à beneficio non priuatur ſtipendiis, & diſtributionibus, quæ extraordinariè à fidelibus tanquam eleemoſynæ ratione Miſſæ, vel alterius diuini Officij, vel ob mortuaria, vel anniuerſaria offeruntur. ibid.

Secus autem, ſi huiuſmodi ſtipendia eſſent ordinariè annexa, & per ſe coniuncta beneficio. ibid.

Beneficiarius habens curam animarum, &c.

Beneficiarij curam animarum habentes, & prouiſi de Canonicatibus, & dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus, qui per iuſtam ignorantiam, vel obliuionem intra duos menſes publicam fidei profeſſionem non fecerint, quoad forum conſcientiæ fructus beneficij lucrifaciunt. 1.175 2

Tales beneficiarij, qui lege Concilij Tridentini obſtringuntur intra duos menſes ab adepta poſſeſſione beneficij publicè emittere profeſſionem fidei, ſi illam non fecerint intra tempus ſignatum, illo elapſo debent eam emittere. 1.176.3

Ob profeſſionem fidei prætermiſſam mala fide, vel ob ignorantiam vincibilem, & damnabilem, pœna in Concilio Tridentino irrogata in foro conſcientiæ, ante vllam iudicis ſententiam contrahitur. ibid.4

Huiuſmodi fructus, quibus priuantur beneficiarij non emittentes fidei profeſſionem intra duos menſes, in vſus pauperum, vel in fabricam Eccleſiæ ſunt impendendi, ſicut fructus eorum, qui non reſident. ibid.

Fidei profeſſio facta poſt duos menſes non prodeſt quo ad quærendos præteriti temporis amiſſos fructus, ſed ſic ad quærendos temporis futuri, quia regulariter ſemel ipſo iure perdita, non quæruntur ipſo iure. ibid.

Excuſaret tamen ignorantia huius legis, incogitantia, inaduertentia, vel obliuio inculpata in foro conſcientiæ ad reſtituẽdos fructus præteriti temporis. ibid.

Quando

Quando beneficium fructus reddit à diſtributionibus quotidianis ſeparatos, beneficiarios fidei profeſſione non facta quotidianas diſtributiones intereſſendo diuinis Officiis lucrifacit. ibid.6

Fidei profeſſionem omittentes, non iuuat regula Cancellariæ de triennali pacifico,& quieto beneficij poſſeſſore non moleſtando, cuius auctor fuiſſe fertur Calixtus III. quem poſteriores Pontifices deinde ſunt imitati, non iuuat, inquam, quo ad lucrandos fructus cōtra diſpoſitionē Concilij Tridentini. ibid.

Canonicus, vel Parochus facta ſemel profeſſione fidei, ſi dimiſſo priori Canonicatu, vel parochia poſteriorem obtinet in alia Eccleſia, debet ſecundùm aliquos ſemel, & iterum fidem publicè profiteri: alij verò negant, maximè ſi ſecundum beneficium in eadem diœceſi,in qua erat primum,accipit. ibid.7

Hanc fidei profeſſionem Prælati, & Superiores Regularium emittere tenentur intra duos menſes ab adepta poſſeſſione præfecturæ. ibid.8

Non tamen extenditur ad Canonicatus & dignitates Collegiatarum, nec ad penſionarios in Cathedralibus. ibid.

Perſonatus autem, & habentes Officia in Cathedralibus,tenentur fidei profeſſionem emittere. ibid.

Per Procuratorem autem hæc profeſſio fieri non poteſt. ibid.

Beneficiarij, qui diuinum Officium ex ignorantia inuincibili, vel ex naturali obliuione, aut bona fide, vel ex legitimo impedimento non recitārunt, non tenentur ad fructuum reſtitutionem. t.184.2

Legitimum impedimentum excuſans ab Officio diuino dicendo, & conſequenter à reſtitutione, eſt infirmitas grauis, quæ corporis valetudini grauiter nocet. Quando verò dubitatur ſitne infirmitas grauis,conſulendus eſt Medicus, cuius conſilio & iudicio de morbi grauitate ſtandum eſt. ibid.3

Quando Medicus ipſe dubitat an morbus ipſe grauis ſit,vel leuis, ſeu an recitatio nocitura ſit, probabiliter dici poteſt ægrotum ad horas recitandas non teneri. ibid.

Grauis occupatio honeſta, & neceſſaria, quæ in aliud tempus differri non poteſt abſque ſcandalo,aut graui detrimento ſui, vel proximi, excuſat ab onere diuini Officij. ibid.4

Et ſic occupatus beneficiarius non recitans preces canonicas, non obligatur ad fructuum reſtitutionem. ibid.

Beneficiarius, qui non poteſt recitare diuinum Officium abſque auxilio ſocij,modò commodè adhibere poſſit, tenetur adhibere ſocium,ſi non ſit ſurdus,vel ſurdaſter, qui nequeat audire ſine magna vociferatione. ibid.5

Beneficiarius ſi ex beneficio recipit fructus pingues, & ſufficientes,tenetur conducere ſocium, vt adimpleat onus diuini Officij, dum illud per ſe ipſum non poteſt adimplere. Clericus verò in Sacris conſtitutus non tenetur propriis expenſis conducere ſocium, vt cum eo diuinum Officium recitet ſi non habet beneficium. ibid.

Beneficiarius legitimo impedimento non impeditus, qui primis ſex menſibus poſt acceptam beneficij poſſeſſionem, omiſit Officium, quamuis non obligetur ad reſtitutionem,tamen damnatur peccati mortalis; ſi verò poſt ſex menſes elapſos non recitauit preces horarias, tenetur etiam in conſcientia ad reſtitutionem fructuum ante condemnationem iudicis. ibid.6

Hæc reſtitutio facienda eſt pro rata omiſſionis Officij, & temporis. t.185.init.

Idem dicendum de penſionario, qui tanquam Clericus recipit fructus, & paruum Beatiſſimæ V. Officium omiſit, teneri ſcilicet ad reſtitutionem,eo modo,quo tenetur beneficiarius. ibid.

Pro omiſſione minori quàm vnius horæ integræ, probabile eſt beneficiarios non debere aliquid reſtituere. ibid.2

In Matutino verò omiſſio ſextæ partis inducit obligationem reſtituendi ſextam partem fructuum. ibid.

Beneficiarius, qui vltrò mente diſtractus perſoluit diuinum Officium,ſi nihil omittat quoad prolationem externam,probabile eſt non teneri reſtituere fructus beneficij. ibid.3

Sed probabilius mihi videtur beneficiarios recitantes ſine attentione teneri ad reſtitutionem. ibid.

Habens beneficium ſimplex,qui tantùm tenetur ad horas canonicas, ad integram reſtitutionem fructuum omnium pro rata Officij prætermiſſi,quos ex beneficio,vel beneficiis percipit,eſt obligandus. t.186.4

Beneficiarius Curatus curam animarum gerens,vt Epiſcopus,Parochus diuerſa Officia in Eccleſia adminiſtrans, ſi ſuo muneri ſatisfecerit, ſolùmque preces horarias non reſtituerit, ſi per integrum annum illas omiſit,quartam partem fructuum reſtituat;quòd ſi per dimidium anni prætermiſerit, ſatis eſt dimidiam illius quartæ partis reſtituere, & ſic pro rata omiſſionis proportionabiliter; reliquas verò fructuum partes pro potiſſimis miniſteriis ratione tituli,& oneris ſibi retinere poterit. ibid.5

Beneficiarius habens Capellaniam, qui ter, vel quater ſingulis hebdomadis rem diuinam facere tenetur, quod re vera præſtat, ſed Officium diuinum prætermittit, non in integrum eſt cogendus fructus ex capellania perceptos reſtituere, ſed ſufficit tertiam partem pro rata omiſſionis Officij reſtituere. ibid.6

Canonicus Cathedralis, ſeu Collegiatæ Eccleſiæ addictus ad canendum in choro, ſi ſolùm aſſiſtat cum aliis,tamen non pſallit,licet nequeat integras diſtributiones capere, poteſt nihilominus dimidiam partem recipere. t.187.2

Vbi eſt conſuetudo vt Canonici, & beneficiarij choro addicti per Vicarios, Aſſiſios, vel Manſionarios officium peragant,probabile eſt eos poſſe diſtributiones omnes lucrifacere ſi in choro non canunt, priuatim tamen preces horarias recitent: modò temporibus conſtitutis præſentes ſint. ibid.3

Vbi verò viget conſuetudo, vt ipſi Canonici canant in choro,qui non canunt, non merentur omnes diſtributiones, ſed dimidiam ſaltem illarum partem non faciunt ſuam,etiam ſi domi priuatim recitent. ibid.

Canonicus, qui ſubmiſſa voce in choro recitat ſuos verſiculos,& audit ſocios canentes ſuas partes,ſatisfacit obligationi diuini Officij. ibid.4

Licèt addicti choro, ſi ſuos verſiculos ſummiſsè recitent,& alios attentè audiant, obligationi diuini Officij recitandi ſatisfaciant, non tamen ſatisfaciunt debito ſeruitio chori, nec omnes diſtributiones ſibi faciunt ſuas. ibid.

Beneficiarij, quibus incumbit cura animarum, iure diuino reſidere tenentur, & per ſe ſuum Officium adminiſtrare. t.188.2

Pontifex ſine iuſta cauſa diſpenſans cum Epiſcopis, & beneficiariis aliis curam habentibus animarum ad non reſidendum, iſti adhuc non ſunt tuti in conſcientia,ſed peccant grauiter ſi non reſideant. ibid.3

Epiſcopi poſſunt à ſuis Eccleſiis abeſſe ad ſummum ſingulis annis per tres menſes,ſiue continuè, ſiue interruptè,ſine alia Superioris approbatione,nec tunc mittunt fructus. t.189.2

Debet eſſe iuſta cauſa, cur tribus illis menſibus abſint, tametſi non maximi momenti, & præterea debent

abeſſe ſioe vllo gregis detrimeoto, alioqui peccabunt grauirer. ibid.

Si neceſſe fuerit, vt Epiſcopi abſint à ſuis Eccleſiis amplius tribus menſibus ob aliquas iuſtas cauſas, tunc legitimæ abſentiæ cauſæ approbandæ ſunt in ſcriptis à Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo abſente ab antiquiori ſuffraganco Epiſcopo reſidente, qui Metropolitani abſentiam probate debebit. ibid.

Si præter tres menſes aliquando Epiſcopi à ſuis Eccleſiis abfuerint. fructus pro rata temporis abſentiæ non faciunt ſuos, ſed tenentur in conſcientia eos vel fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus loci, ſeu Epiſcopatus erogare. ibid.3

Parochi ſi vltra duos menſes abſque legitima caoſa per Epiſcopum cognita, & approbata, abſint, præter culpam mortalem, quam incurrunt, etiam fructus in conſcientia pro tempore abſentiæ amittunt. ibid.4

Probabilius tamen eſt Parochos non poſſe abeſſe primo bimeſtri ſine Epiſcopi facultare. ibid.

Hodie ex declaratione Congregationis facti Concilij Parochus, qui à ſua Eccleſia per vnum, vel duos menſes abſunt abſque Ordinarij licentia in ſcriptis, pro rata abſentiæ non facit fructus ſuos, ſed tenetur eos applicate fabricæ ſuæ Eccleſiæ, vel paupetibus loci. ibid.

Quòd ſi petat licemiam fingendo cauſam iuſtam, quæ re veta non eſt legitima, peccat mortaliter, & tenetur pro rata abſentiæ reſtituere fructus. ibid.5

Parochus verò ruralis ſi ſemel in hebdomada ad vrbem reuerrit cauſa videndi ſuos, ibíque per vnum diem moratur, non peccat mortaliter, nec tenetur reſtituere fructus. ibid.

Si aliqua neceſſitas ſe offerret, quæ non pateretur dilationem, poteſt Parochus abeſſe non petita licentia, ſed quamprimum debet facere certiorem Epiſcopum. 1.190.6

Appellatione portionis intelligitur beneficium ſimplex in Eccleſiis, quæ Cathedrales, & Collegiatæ vocantur, quod poſſident hi, qui dicuntur beneficiati, ſeu portionarij, qui infra Canonicos in choro diuinas laudes perſoluunt, & altaris miniſterio deſeruiunt, hi teneotur ad reſidentiam in Eccleſia, cui inſeruiunt. ibid.2

Obtinentes in Eccleſiis Cathedralibus, aut Collegiatis, dignitates, Canonicatos, præbendas, aut portiones, non poſſunt vltra tres meoſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe; alioquin primo anno debent priuari dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ ſuos fecerunt; ſecundo anno omnibus fructibus. ibid.3

Tales beneficiarij, de quibus eſt ſermo, ſi amplius tribus menſibus abſque iuſta cauſa abſint à ſuis Eccleſiis, noo tenentur in conſcientia ad fructuum reſtitutionem, ſi officio ſatisfecerint, niſi ad eam condemnentur. ibid.

Quamuis hi beneficiarij abſentes poſſint ſibi in conſcientia retinere fructus beneficiorum, donec condemnentor, non tameo quotidianas diſtributiones faciunt ſuas. 1.191.4

Obtinentes dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, incidunt in pœnas ſi abſint à ſuis Eccleſiis, quamuis ſint præſentes in loco, vbi eſt Eccleſia, cuius ſunt beneficiatij, & peccant mortaliter ſi vltra tempus trium menſium à Concilio permiſſum notabiliter abſint. ibid.5

Hi beneficiarij exiſtente rationabili cauſa poſſunt per tres menſes abſque alia liceotia Superioris à ſuis Eccleſiis abeſſe. ibid.6

Beneficiarij curam aoimarum non habeotes, docentes ſacrã Scripturam, Theologiam, vel ius Canonicum, quantumuis longo rempore excuſentur à reſideotia, ſuos faciunt beneficiorum fructus, ſi in loco ſtudiis generalibus publicè deſtinato legeriot. 192.2

Ad hoc requiritur licentia Epiſcopi. ibid.

Ad docendas autem litteras humaniores, & Philoſophiam, requiritur licentia Epiſcopi. ibid.

Poſt Concilium Tridentinum obtineotes Eccleſias parochiales non poſſunt ſtudiorum cauſa abeſſe à ſuis Eccleſiis, & ſi abſunt, non poſſunt percipere fructus, nec Ordinatij poſſunt talem concedere liceotiam. ibid.3

Parochi vltra bimeſtre tempus non poſſunt abeſſe à ſuis Eccleſiis, niſi causâ per Epiſcopum priùs cognita, & probata, & hanc Epiſcopus coocedere non poteſt, niſi ex graui cauſa. ibid.

Clerici habentes Canonicatus, & alia beneficia non curata, abeſſe poſſunt à ſuis Eccleſiis, vt dent operam Theologiæ, vel iuri Canonico in aliqua Vniuerſitate, ſeu ſtudio generali, in loco videlicet, in quo patet omnibus aditus ad ſtudia, & percipere fructus beneficiorum in abſentia toto tempore, quo ſtuduerint. ibid.4

Clericus beneficiarius ad hoc, vt poſſit à ſua Eccleſia abeſſe cauſa ſtudiorum, debet petere licentiam ab Ordinario, ne inepti ad ſtudia ſe conferant, & ne multi ab Eccleſia abſint in detrimentum ſeruitij Eccleſiæ. ibid.

Licentia, quæ conceditur, vt cauſa ſtudiorum poſſint beneficiatij abeſſe à ſuis Eccleſiis, non extenditur vltra quinquennium à die, quo beneficiarius cœpit ſtudere. ibid.

Hoc verò intelligendum eſt de Clerico dummodo noo ſit Sacerdos, Archidiaconus, Decanus, Præpoſitus, Cantor, vel perſonatum habens. ibid.5

Excuſantur à reſidentia, & faciunt beneficiorum fructus ſuos beneficiarij curam animarum non habeotes, qui in alia qualibet ſcientia etiam Grammatica ſuum ſtudium, & operam ponunt, idque in loco ſtudiis generalibus deſtinato. 1.193.6

Abſens beneficiarius cauſa ſtudendi, vel docendi, non lucratur diſtributiones quotidianas. ibid.7

Quòd ſi beneficium in ſolis conſiſtat diſtributionibus, probabile eſt beneficiarium cauſa ſtudij abſenteo lucrari poſſe diſtributiones, niſi aliud per coaſuetudinem receptum ſit. ibid.

Beneficiarij, qui cauſa ſtudij abſunt, non poſſunt iuſtè percipere fructus ſi ſcholas non frequentant, vel ſi magna cum negligentia litteris dant operam. ibid.

Si tamen maiori anni parte ſtudeant, licèt non ſemper ſtudeant, tuta conſcientia in abſentia poſſunt percipere fructus. ibid.

Epiſcopi in ſui ſeruitium poſſuot habere duos Canonicos Eccleſiæ ſuæ, qui in abſentia fructus præbendarum faciunt ſuos. Non tameo hi percipere poſſunt victualia, quæ non conſueuerunt abſentibus exhiberi. 1.194.2.

Nomine verò victualium intelliguntor diſtributiones quotidianæ. ibid.

Etiam poſt Concilium Tridentinum Epiſcopi poſſunt in ſui ſeruitium aſſumere duos Canonicos. ibid.

Beneficiarij abſentes in ſeruitio Papæ de iure commoni non lucrantor diſtributiones quotidianas, & multò minùs has lucrabuntur abſentes in ſeruitio Cardinalis Legati; nec debent hæ dari etiam præſentibus, qui diuinis non interſunt Officiis, nec valet conſuetudo in contrarium, & qui non intereſſendo diuinis Officiis percipiunt, tenentur ad reſtitutionem. ibid.3

Habens Caoonicatum, vel aliquam dignitatem, oon poteſt

poteſt ſi abſit percipere diſtributiones, quamuis per ſubſtitutum inſeruiat Eccleſiæ, niſi habeat de hoc priuilegium, nec valet ſtatutum, quo datur facultas Canonicis ſeruiendi per ſubſtitutum, vel alternatim vnus pro alio. ibid.

Abſens verò ob euidentem Eccleſiæ ſuæ neceſſitatem, vel vtilitatem, poteſt percipere diſtributiones quotidianas, ac ſi perſonaliter diuinis Officiis intereſſet. ibid.4.

Quando fructus Canonicatus omnes conſiſtunt in quotidianis diſtributionibus, abſens Canonicus in ſeruitio Epiſcopi lucratur illas, excipitur tamen ex his tertia pars quæ de ſeruientibus Eccleſiæ accreſcit. ibid.5

Similiter abſentes cauſa ſtudiorum omnes diſtributiones percipere poſſunt, quando fructus beneficij ſolùm ſunt quotidianæ diſtributiones, nec in iſto caſu eſt eximenda tertia pars, quia hæc abſentia videtur magis pia, & vtilis Eccleſiæ, quàm abſentia propter comitatum Epiſcopi. ibid.

Habens priuilegium à Papa, vt in abſentia poſſit percipere fructus, prouentus, obuentiones, & diſtributiones, non poteſt vi huius priuilegij percipere anniuerſaria & mortuaria. ibid.6

Beneficiarius, qui nudum beneficij habet titulum, & ex conceſſione Papæ omnes redditus alteri dantur ſimul cum ſeruitio, & tota beneficij adminiſtratione, non tenetur ad recitandas horas Canonicas, ſed obligatio perſoluendi penſum diuini Officij manet apud penſionarium, ſeu reſignantem. t.195.a

Qui habet beneficium, tamen non recipit vllos fructus, nec per ſe, nec per alium, nec per ipſum ſtat, quominus recipiat, quod accidere poteſt inter hæreticos occupantes bona Eccleſiæ; talis ſimiliter non tenetur horas Canonicas recitare. ibid.3

Si beneficiarius voluntariè in penſionem omnium fructuum conſentiat ei, qui in ſuum fauorem beneficium renunciauit, recipiat tamen ipſe ſeruitium, & adminiſtrationem beneficij, tenetur ad preces horarias. t.196.4

Qui de certo aliquo beneficio litigant, & neuter illius poſſeſſionem nactus eſt, vterque manens dubius de iure, lite, & cauſa, neuter preces horarias perſoluere tenetur. ibid.5

Qui ſunt in poſſeſſione beneficij, à precibus horariis non excuſantur, ex eo quòd beneficium ſit litigioſum, aut quòd fructus ſint ſequeſtrati, vel ab alio percipiantur: ſi tamen certò ſperant receptutos ſe fructus etiam illius temporis præſentis. ibid.

Beneficiarius, qui non ſperat ſe pro illo tempore quidquam habiturum, neque diſtributiones quotidianas, neque oblationes, neque quid ſimile, nec eſt in eius poteſtate vt aliquid ex beneficio recipiat, probabile eſt non obſtringi ad penſum diuini Officij. ibid.

Pueri ſi ex diſpenſatione ſummi Pontificis obtineant beneficia requirentia miniſterium, & ſeruitium, ſi per ætatem ad recitandas horas canonicas ſunt inhabiles, tenentur ſaltem per ſubſtitutum inſeruire beneficio, ita etiam perſoluere diuinum Officium. ibid.6

Canonicus aliúſve beneficiarius ad canendum choro addictus, non poteſt alium in ſui locum ſubſtituere ſaltem præciſa conſuetudine, vel priuilegio. t.197.a

Conſuetudine tamen legitimè introducta, quæ ſit quadragenaria, introduci poteſt, vt quis per alium choro aſſiſtat, & deſtributiones quotidianas faciat ſuas. ibid.

Beneficiarius Capellanus habens Capellaniam collatitiuam, ſeu Eccleſiaſticam auctoritate Epiſcopi, vel Sedis Apoſtolicæ erectam, quæ ſic eſt beneficium, non eximitur ab onere diuini Officij recitandi, etiamſi maiorem fructuum, & redditûum partem, imò ſi omnes fructus Sacerdoti ſubſtituto tradit ad peragenda, & ſuſtinenda beneficij onera. ibid.

Si Capellania ſit profana, non ſacra, ſcilicet abſque Diœceſani, vel Papæ auctoritate inſtituta, & erecta à teſtatoribus, & patronis laicis, & ab eiſdem concedatur ſine collatione Epiſcopi, vel Papæ, non cogit ad horas Canonicas, ſed ſolùm ad explendum per ſe, vel per alium, Miſſarum onus, & numerum, vbi Capellania eſt erecta; quòd ſi aliquid huius muneris prætermiſſum fuerit, illam accipiens ad reſarciendum tenebitur, & ad nihil vltra. t.198.init.

Directè reſpondens quæſito ratione ſtudij litterarij, vel iuſta alia de cauſa, beneficiarius abſens à ſua Eccleſia, etiamſi eidem Eccleſiæ commodè per alium in ſui locum ſuffectum inſeruiat, liber non eſt à lege, & præcepto precum canonicarum. ibid.3

Beneficiarius ſolemnis Concionator, ſi eius prædicatio eſſet neceſſaria ex carentia prædicantium cum magna populorum vtilitate, ſi non poſſet conciones habere, niſi omittendo diuinum Officium, iuſtè poſſet preces canonicas prætermittere, & conciones ad populum habere. ibid.4

Nec tenetur hic ad reſtitutionem fructuum ex beneficio perceptorum. ibid.

Secus autem ſi non ex neceſſitate, ſed voluntariè prædicaret, & eius conciones non multum vtiles eſſent populo. ibid.

Beneficiarius ſimonia completa ex vtraque parte vendens ſuum beneficium iure naturæ, ſeu diuino, non obſtringitur ad reddendum pretium. t.110.a

Et licèt peccauerit contra virtutem Religionis, qua tenemur Deo, & rebus ſacris reuerentiam exhibere, non tamen iure naturæ deliquit contra iuſtitiam commutatiuam. ibid.

Stante iure Eccleſiaſtico tale pretium poſt conſummatam ſimoniam in materia beneficiali in conſcientia eſt reſtituendum, illúdque ante iudicis ſententiam reſtitui poteſt ei, qui dedit, ita ſanè, quòd ſi ſemel ei venditor beneficij reſtituerit, nemo in foro conſcientiæ obliget illum ad reſtituendum Eccleſiæ, vel pauperibus. ibid.

Probabiliter etiam dici poteſt ante iudicis ſententiam reſtitutionem pecuniæ acceptæ per ſimoniam ex vtraque parte completam circa beneficium commiſſam, non ei qui dedit pecuniam, eſſe faciendam, ſed Eccleſiæ, cuius ignominiam, aut damnum fuit data, vel pauperibus, ſi in nullius certæ Eccleſiæ damnum, vel ignominiam id ceſſit, & ita ſi ſemel fiat reſtitutio Eccleſiæ, vel pauperibus, reſtituens ad aliam reſtitutionem faciendam ei qui dedit pro beneficio obtinendo in conſcientia deobligatus illam remaner. ibid.

Res Eccleſiarum non poſſunt locari ad vitam, aut ad longum tempus, imò neque etiam vltra triennium. t.215.a

Locatio bonorum Eccleſiaſticorum, quæ fructus ferre non ſolent, niſi alternis annis, poterit fieri ad ſexennium; ſi verò tertio quoque anno fructificent, poſſunt locari ad nouennium. ibid.3

Locatio rerum Eccleſiæ, quæ ſingulis annis fructus reddere ſolent, facta vltra triennium non ſolùm eſt irrita ex parte, qua triennium excedit, ſed etiam eſt nulla ex ea parte, quæ triennium continet. ibid 4

Beneficiarius tamen ſui beneficij fructus locare, & vendere poteſt vltra triennium, non tamen anticipatis ſolutionibus. ibid.5

Beneficiarius locare, & vendere poteſt etiam vltra triennium obuentiones, & oblationes Eccleſiaſti-

eas, vt panem oblatum in altari, ceram, & alia eleemoſynaliter data, & fructus decimmarum, dummodo laicus ſi ipſi elocetur ponat Clericum loco ſui pro recolligẽdis huiuſmodi fructibus, ac præſũptuosè laicus accedat ad altare, vbi fiunt oblationes. ibid.

Locationes bonorum Eccleſiæ ad ſexennium, vel nouennium ſi fiant, ſub hac clauſula, vt tot ſint diſtinctæ locationes, quot triennia, ſunt etiam inualidæ. 1.116.6

Locatio rerum Eccleſiæ ad tempus incertum, puta ad vitam conductoris, aut locatoris, hac conſtitutione eſt probibita. ibid.7

Res Eccleſiæ, quæ alienari non poſſunt, non ſolùm ſunt res immobiles, ſed etiam mobiles pretioſæ, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, vt ſunt vaſa aurea, argentea, gemmæ, caſulæ pretioſæ, tapetes, itémque quæcumque triennio non corrumpuntur, & ſimul fructificant, vt ouium grex: ſecus dicendum de his, quæ ipſo vſu conſumootur, vt vinum, oleum, frumentum, pecunia, niſi hæc præcepto Superioris rei immobili comparandæ fuerit deſtinata. ibid.8

Si alienatio rerum Ecleſiæ fuit facta aliquibus de cauſis in iure conceſſis, tunc emens rem Eccleſiaſticam ſine formula iuris ſeruanda in foro conſcientiæ, non tenetur illam vnà cum fructibus reſtituere. ibid.

Si in foro iudiciali talis contractus reſcinderetur, vti poteſt, & res Eccleſiaſtica vnà cum fructibus Eccleſiæ reſtitueretur, tunc qui illam emit, poteſt repetere pretium datum, ſi in vtilitatem Eccleſiæ ſit conuerſum. ibid.9.

Emens mala fide rem Eccleſiæ ſine ſolemnitate iuris, ſi pretium ſit conuerſum in euidentem vtilitatem Eccleſiæ reſtituta re empta, idem poteſt in foro conſcientiæ rehabere pretium datum. ibid.

Beneficium.

Adoleſcens qui cura & ſtudio parentum beneficium Eccleſiaſticum ſimoniacè accepit, quamuis hoc ignorantia inculpata ignorauerit, poſtea certior factus de collatione beneficij ſimoniacè facta, ſi illud recuſet relinquere, non debet abſolui: ſimiliter ſi non habet firmiſſimum propoſitum fructus malè perceptos reſtituendi, cùm primùm commodè poterit. s.42.2

Si talis adoleſcens magna parentum authoritate cogatur ad retentionem beneficij ſimoniacè collati per metum reuerentialem coniunctum cum minis & importunitate eorumdem parentum, durante tali metu iuſto, & graui, excuſatur à peccato mortali ſi non relinquat beneficium, & poteſt abſolui dummodo firmiſſimum habeat propoſitum reſignandi illud cùm primùm commodè poterit, ac fructus malè perceptos reſtituendi. 1.43.init.

Adoleſcens, qui ſimili authoritate parentum coactus eſt beneficium accipere, non ſimoniacè quidem, ſed tamen nullo modo habendo animum ſtatus Eccleſiaſtici, ſed nibilominus ſi tanquam beneficiarius intendit percipere commodum fructum, tenetur recitare horas Canonicas, & ſi nolit eas perſoluere, non eſt abſoluendus. ibid. 3

Talis adoleſcens, qui per metum grauem & iuſtum cogitur acceptare beneficium, ſi nolit quicquam ex fructibus, non videtur teneri ad horas Canonicas. ibid.

Beneficium eſt ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis propter aliquod officium ſpirituale auctoritate Eccleſiæ conſtitutum. r.147.2

Beneficium per ſimoniam realem acquirens eſt ipſo facto excommunicatus, & collatio, & prouiſio huiuſmodi eſt nulla, irrita, & inanis, nullúmque ius tribuit ſic per ſimoniam obtinenti, & ita tenetur illud relinquere, vt iuſtè pœniteat. r.148.3

Beneficium diuiditur in ſimplex, & in compoſitum, ſeu duplex, quorum aliud eſt electiuum, aliud collatiuum, aliud miſſum. Simplex illud dicitur, quod neque adminiſtrationem rei Eccleſiaſticæ, nec præeminentiam ſingularem, nec Clerum, nec populum habet, ſed tantùm inſtitutum eſt ad perſoluendas Deo aliquas preces, vel alia diuina Officia: quale eſt Canonicatus, Altare, Capellania, quibus eſt aſſignata dos, & dantur in titulum perpetuum. Præſtimonium, quod eſt portio aliqua deſumpta ex pinguiori beneficio ſolita dari tantùm Clerico, vt ſua ſtudia perſequi poſſit: quod licèt ab initio ſuæ inſtitutionis non fuerit propriè beneficium, quia dabatur ad certum tempus, poſtea verò tranſiit in beneficium, quia ſic numeratur inter alia in iure Canonico. r. 150.2

Compoſitum verò, ſeu duplex beneficium eſt quod habet aliquam iuris qualitatem, qualis eſt adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum, ſine iuriſdictione, vt eſt officium, & beneficium Theſaurarij, adminiſtratio Sacramentorum cum iuriſdictione in foro conſcientiæ, vt eſt Parochia; ſi præterea habet Clericos, & Parochos, quibus præſit, eſt Plebanatus: ſi habet tantùm honorificum gradum in choro, abſque iuriſdictione, & adminiſtratione, eſt Perſonatus; ſi habet iuriſdictionem in foro exteriori in Clericos, dicitur Dignitas, vt eſt Archidiaconatus; ſi habet etiam populum ſubiectum cui miniſtret ſacramentum Confirmationis, & Ordinis, eſt Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, &c. ſi ſit dignitas, & præeminentia cum iure Romanum Pontificem eligendi, eſt Cardinalatus; ſi hæc omnia habeat, & præterea ſit vniuerſalis Eccleſiæ Præſul, eſt Papatus. Dicuntur hæc beneficia compoſita, ſeu duplicia, quia præter onus recitandi horas Canonicas habent aliquam iuris qualitatem, vt adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum, vel iuriſdictionem, &c. vel aliquam præeminentiam. ibid.

Item beneficium aliud eſt collatiuum quod libera, & ſimplici voluntate Superioris confertur: aliud electiuum, quod ſcilicet præcedente electione ab electoribus facta, & accedente poſtea confirmatione ex conſenſu Superioris confertur: aliud beneficium dicitur Miſſum, quod præſentante patrono, & Epiſcopo inſtituente confertur. ibid.

Conditiones, quæ à patronis Epiſcoporum conſenſu in beneficiis apponuntur, tolli nequeunt ab alio, quàm à Romano Pontifice. s.152.2

Et conſequenter non poterit Epiſcopus conferre etiam de voluntate patroni pro vna vice beneficium ſacerdotale non Sacerdoti, nec actu, nec habitu. ibid.

Si fundatio, vel dotatio in beneficio ſic habet, vt Capellanus, vel beneficiarius in certo loco ſacro, aut in certo altari Sacrum faciat, debet beneficiarius eo in loco, vel altari ſacrificare. ibid.3

Quòd ſi legitimè Capellanus impediatur ne eo in loco, altaríve ſacrificet, non debet à re diuina facienda abſtinere, ſed alibi poterit, & debebit Sacris operari. ibid.

Beneficiorum pluralitas.

Iure communi Clerico non licet duo, aut plura beneficia ſimul obtinere, etiam ſimplicia, & quæ aſſiduam beneficiarij præſentiam non poſtulant, quando vnum beneficium illorum ſufficit ad Clericum honeſtè, & commodè ſuſtentandum. s.159.2

Quamuis ſacri canones antiqui, & nouiſſimi prohibeant, quo minus quis duo beneficia ſimplicia ſimul obtineat quando vnum vitæ ſufficit, etiamſi aſſiduam beneficiarij præſentiam non poſtulent; conſuetudine tamen eos canones eſſe abrogatos, & licere Clerico duo, vel plura beneficia ſimplicia aſſiduam

duam beneficiarij reſidentiam non requirentia, etiamſi vnum illorum ſufficiat ad eum commodè, & honeſtè ſuſtentandum. ibid.

Vbi verò ius hoc humanum viget plura beneficia ſimplicia non obtinendi, quorum vnum ad congruam vitæ ſuſtentationem ſufficit, diſpenſatio ſummi Pontificis eſt neceſſaria, non tamen ſufficit Epiſcopi, cùm is non habeat facultatem diſpenſandi in his, quæ ſunt de iure communi poſitiuo: quæ quidem ſecurum redderet in conſcientia eum, cui plura darentur, quamuis non ſubeſſet legitima cauſa. ibid.

Plura beneficia requirentia reſidentiam, etiam non habentia curam animarum, vt ſunt Canonicatus, dignitates in Eccleſiis, &c. nullo modo poſſunt conferri, vel obtineri ſine Pontificis diſpenſatione, & cauſa legitima, adeò, vt ſi deſit iuſta cauſa diſpēſationis, qui ea obtinet non ſit tutus in conſcientia. ibid.3

Beneficia ſimiliter ſacerdotalia, quæ in animarum curam ſunt inſtituta, vt Parœciæ, Epiſcopatus, &c. vſque adeò non poſſunt abſque legitima diſpenſatione ab eadem perſona obtineri, vt ſi legitima non fuerit, nequeant tutò in foro conſcientiæ apud Deum poſſideri. ibid.

Plura beneficia etiam curam animarum habentia poſſunt vni, & eidem conferre, maxima, & vrgentiſſima cauſa exiſtente, eadémque Eccleſiæ neceſſaria. 1.160.init.

Beneficium Dei collatum hominibus.

Beneficium, ſeu donum aliquod Dei collatum hominibus, dupliciter poteſt æſtimari maius alio: vno modo ex quantitate dati; alio pacto poteſt dici maius ex modo dationis. 2.153.13

Beneficiorum collator.

Iuſtitia diſtributiua eſt virtus, per quam ſeruatur æqualitas inter proportionem meriti, & proportionem præmij in diſtributione præmiorum, vel bonorum communium; iuſtitia verò commutatiua eſt virtus, per quam ſeruatur æqualitas inter rem, & inter perſonas priuatas. 1.160.2

Qui eligit indignum ad beneficium Eccleſiaſticum, peccat contra iuſtitiam diſtributiuam, & reſtituere debet Eccleſiæ, cui eum præficit, tantum, quantum ſatis eſt ad reſarciendum damnum, ſi quid Eccleſia incurrit ob indignitatem talis miniſtri. ibid.3

Quando Prælatus confert beneficium digno, prætermiſſo digniore, non tenetur aliquid Eccleſiæ reſtituere. ibid.4

In beneficiis, quæ debent dari in concurſu per oppoſitionem, omittere digniorem eſt peccatum mortale, & conferens minus digno tenetur facere reſtitutionem digniori arbitrio prudentum, ſi tamen manifeſtè, & notabiliter dignior ſit. 1.161.init.

In aliis verò beneficiis, quæ per oppoſitionem non conferuntur, ſi collator omiſſo digniori conferat beneficium idoneo, probabilius eſt quòd non teneatur ad reſtitutionem. ibid.med.

Ne dum collator conferens beneficium Eccleſiaſticum indigno, tenetur damnum Eccleſiæ compenſare, quæ illud eſt paſſa, ſed etiam indignus electus, vel dimittendo beneficium, vel adiutorem aliquem idoneum ſibi adſciſcendo, quod ni fecerit, ipſe electus, primò qui ſibi procurauit beneficium, cùm ſciret ſe minus idoneum, damna, quibus eſt Eccleſia affecta, reſarcire tenetur, ſecundò collator, tertiò cooperatores. ibid.5

Dignus in ſui electionem conſentiens, cùm competitor magis idoneus omittitur, non peccat. ibid.

Beneficiorum diſtributio.

Dignior cæteris ad beneficium ille diiudicandus eſt, qui ratione habita præfecturæ, ad quam aſſumitur, doctior, ſanctior, vtilior, & aptior eſt, & quamuis abſolutè alius eo peritior, & melior inueniatur; tamen ſi ſit vtilior & aptior ad beneficium ad quod eligitur, dicitur dignior. 1.161.2

Quod attinet ad ius externum, vt ſit valida electio, & collatio, id eſt, vt verè ius beneficij beneficiario conferatur, ſatis eſt eligere dignum. 1.162.3

In foro conſcientiæ collatores ſemper tenentur quantum in ipſis eſt vt dignioribus beneficia conferantur qui ſunt in promptu, præcipuè ſi beneficia curam animarum habeant, etſi in concurſu, & per oppoſitionem conferantur, vnde omittere digniores in talibus beneficiis, ſemper eſt peccatum mortale. ibid.

Mortaliter peccare, inquit ſacrum Concilium, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint, præfici diligenter curauerint. ibid.

Probabile eſt aſſerere in beneficiis ſimplicibus, vt in Canonicatibus, Capellaniis, &c. ſemel, aut bis eligere dignum, prætermiſſo digniore, non eſſe peccatum mortiferum, ſemper tamen eſt ſaltem peccatum veniale digniores prætermittere. ibid.4

Qui omittit digniores, qui in promptu ſunt, ſiue Papa, ſiue Epiſcopus, ſiue alius quicunque ſit, peccat lethaliter. ibid.

Licèt ſit neceſſarium eligere ad prælationem, vel officium Eccleſiaſticum bonum ſimpliciter, qui ſcilicet ſit in charitate, non tamen oportet eligere ſimpliciter meliorem, eum ſcilicet, qui eſt perfectior in charitate, ſed illum, qui ſit melior ad illud officium, ad quod eligitur. ibid.5

Fœmina non eſt capax beneficij Eccleſiaſtici. 1.163.2

Hermaphroditi, in quibus fœmineus ſexus præualet, vel eſt par, ſunt iure diuino incapaces beneficiorum; in quibus verò præualet maſculinus ſexus, non ſunt iure diuino incapaces, ſed tantùm iure Canonico. ibid.

Neophytus, id eſt, recèns conuerſus ad fidem Chriſti, iure Canonico ineptus eſt ad Ordines, & proinde ad beneficium promoueri non poteſt. ibid.

Item amentes, ſimiliter infantes, ad beneficium euehi non poſſunt. ibid.

Si tamen ordinarentur, characterem reciperent. ibid.

Similiter hi, qui nondum ſunt prima tonſura donati, iure Canonico prohibentur à beneficiis; diſpenſatione tamen Pontificis poſſet non Clericus beneficium Eccleſiaſticum recipere. ibid.

Item non eſt rata & firma beneficij adeptio, & impetratio, ſi Titius hodie beneficium conſequatur, ſi non ſit prima tonſura donatus, etiamſi cras certò eam ſuſcipiet. ibid.

Item ſuſcipiens primam tonſuram, ſiue minores Ordines ab alieno Epiſcopo ſine ſui Epiſcopi conſenſu, eſt ineptus ad beneficia. ibid.

Qui patiuntur defectum natalium, prohibiti ſunt habere beneficia. 1.164.3

Per diſpenſationem tamen Epiſcopi illegitimi poſſunt recipere minores Ordines, & beneficiū ſimplex ibid.

Non tamen eo ipſo, quòd ei per diſpenſationem Epiſcopi conceditur, vt poſſit initiari prima tonſura, & minoribus Ordinibus, fit habilis ad beneficia ſimplicia. ibid.

Ad beneficium promoueri poteſt illegitimus, ſi tamen ſubſequens matrimonium legitimis natalibus fuerit reſtitutus, etſi matrimoniū fuerit tantùm ratū. ibid.

Requiritur autem quòd tempore conceptionis, vel natiuitatis parentes potuiſſent contrahere: quamuis alij dicant, ſolùm eſſe conſiderandum non tempus natiuitatis, ſed conceptionis. ibid.

Filius

Filius illegitimus ſit legitimus per ſubſequens matrimonium, etiamſi poſt filium conceptum pater contrahat matrimonium cum alia fœmina, vel è conuerſo, qua mortua contrahat ſecundum matrimonium cum fœmina, ex qua filium habuit. ibid.

Quando ſummus Pontifex diſpenſat, vt iterum celebretur matrimonium antè contractum, quod ob impedimentum dirimens fuit inualidum, filij nati ante diſpenſationem non efficiuntur legitimi poſt matrimonium ſubſequens celebratum poſt diſpenſationem Pontificiam, niſi fiat mentio in diſpenſatione de legitimatione prolis, & conſequenter hi erunt inhabiles ad Ordines, & beneficia. ibid.4

Si filius naſcatur poſt diſpenſationem obtentam à Papa, filius erit naturalis, quamuis ab Ordinario diſpenſatio non fuiſſet expedita, & quamuis matrimonium non eſſet celebratum. ibid.

Iure Canonico omnes illi filij reputantur naturales, qui nati ſunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel natiuitatis nullum erat impedimentum dirimens. ibid.

Habilis ad Ordines, & beneficia Eccleſiaſtica, eſt filius progenitus ex matrimonio in facie Eccleſiæ celebrato bona fide, quamuis contrahentes eſſent inhabiles aliquo occulto impedimento dirimente ad contrahendum. Imò filij ſunt legitimi, ſi alter parentum bona fide contrahit, licèt alius ſciat impedimentum. ibid.5

Filius natus ex parentibus, qui in facie Eccleſiæ matrimonium contraxerunt, eſt reputandus legitimus, etſi poſtea declaretur matrimonium fuiſſe nullum, éſtque habilis ad recipiendos Ordines, & ad officia Eccleſiaſtica, & ſæcularia. ibid.

Filij legitimi dicuntur, qui ex matrimonio clandeſtino procreantur poſt approbationem matrimonij, & conſequenter habiles ad Ordines, & beneficia. ibid.

Nomine autem matrimonij clandeſtini poſt Concilium Tridentinum intelligitur matrimonium, quod quamuis fuerit celebratum coram Parocho, & teſtibus, fuerunt tamen abſque cauſa omiſſæ denuntiationes: non tamen dicitur matrimonium clandeſtinum, quando extante iuſta cauſa ex Ordinarij licentia omittuntur. ibid.

Si matrimonium clandeſtinum ſit inualidum, bona fide tamen celebratum, ſi poſtea tale matrimoniū ab Eccleſia approbetur, filij ante & poſt approbationem progeniti ſunt habiles ad Ordines, & beneficia. ibid.

Filij verò procreati ex matrimonio clandeſtino bona fide inito, quod tamen propter impedimentum occultum ſit inualidum, ſunt illegitimi, & inhabiles ad Ordines, & beneficia, niſi poſtea tale matrimonium ab Eccleſia approbetur. ibid.

Bigami beneficiorum capaces non ſunt. t.165.6

Neque beneficium, neque penſionem clericalem conferri poſſe, ei qui tempore collationis eſt irregularis; imò collatio ei facta eſt nulla. ibid.7

Nulla irregularitas, quæ contrahitur ex quocumque caſu, vel delicto, etiam enormi, poſt beneficium obtentum, vel penſionem clericalem, priuat beneficiarium beneficio, vel penſionarium penſione ipſo iure, ſed eſt priuandus per ſententiam. ibid.8

In rigore iuris probabiliter etiam dici poteſt, irregulares eſſe capaces beneficiorum Eccleſiaſticorum, & penſionis Eccleſiaſticæ. ibid.

Filij procreati ex parentibus, qui votum ſimplicis caſtitatis ex mutuo conſenſu emiſerunt, ſunt legitimi, & habiles ad obtinenda beneficia. t.166.2

Filij geniti ab his, qui poſt ratum, & non conſummatum matrimonium in aliqua Religione approbata profeſſionem emiſerunt, ſiue altero coniuge relicto in ſæculo in profeſſionem conſentiente, ſiue reclamante, illegitimi ſunt ſi poſt profeſſionem emiſſam concepti, vel nati ſunt. ibid.3

Si filij generentur ab his, qui poſt ratum & non conſummatum matrimonium Ordines ſacros extra Religionem ſuſceperunt, ſi inſcia, & inuita vxore alter promotus ſit, ſunt legitimi, & capaces beneficiorum. ibid.

Si poſt conſummatum matrimonium alter coniux altero ignaro, aut ſciente, contradicente tamen, in aliqua Religione approbata profiteatur, & mox copulam habeat cum ſuo coniuge, proles omnino, & quoad omnes effectus eſt legitima. ibid.

Filij progeniti ex coniuge ad ſacros Ordines iam promoto altero coniuge ſciente, & conſentiente, aut non contradicente, ſed tacente, ſunt legitimi quoad ſucceſſionem, hæreditatem, & alios ſeculares honores. ibid.4.

Si ambo coniuges ex mutuo conſenſu emiſerunt ſolemnem profeſſionem in aliqua approbata Religione, ſi poſtea procrearent filios, hi filij eſſent legitimi, ſi conſtante matrimonio, conſummato ſcilicet, ingreſſi ſunt Religionem, & in ea profeſſionem emiſerunt; eſſent tamen hi irregulares quoad ſuſceptionem Ordinum, & conſequutionem beneficiorum Eccleſiaſticorum. ibid.

Vno coniugum profitente in aliqua approbata Religione, etiam de licentia alterius poſt conſummationem matrimonij, ſi relictus in ſæculo perpetuò caſtitatem ſeruare non vouit, & eſt iuuenis ſuſpectúſque de incontinentia, poteſt Profeſſum de monaſterio repetere, & vti matrimoniali copula, & ſic reuocatus tenetur reddere debitum. t.167.5

Coniux, qui licentiam alteri dedit ingrediendi Religionem, ibique profitendi, ſi ipſe ſimiliter non ingrediatur Religionem, vel votum caſtitatis perpetuæ non emittit, poteſt ex ſe in foro conſcientiæ Profeſſum è Monaſterio reuocare, ab eóque petere cohabitationem, & debitum. ibid.

Valida tamen eſt coniugis profeſſio de licentia alterius emiſſa, manentis in ſæculo cum voto caſtitatis, vel abſque illo. ibid.

Si coniux manens in ſæculo, de cuius licentia alter emiſit profeſſionem, voto ſe caſtitatis aſtrinxit, non debet Profeſſus reuocari, ſed cogendus eſt alter manens in ſæculo ad proprij voti obſeruantiam. ibid.

Hæretici occulti, licèt non incurrant infamiam facti, cùm crimen notorium requiratur, vt quis dicatur infamis infamia facti, neque infamiam iuris; tamen, quia ſunt excommunicati, & irregulares ratione criminis hæreſis, ita vt neque dum in hæreſi permanent, neque poſt illius deteſtationem, verámque pœnitentiam, & abſolutionem poſſit ordinari abſque diſpenſatione, ſi ſemel in hæreſim lapſi ſunt, conſequenter etiam erunt inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica. t.168.2

Item cædentes, receptores, defenſores, & fautores hæreticorum, ſunt incapaces beneficiorum Eccleſiaſticorum, ipſorúmque filij, & nepotes per lineam maſculinam. Item qui ad preces huiuſmodi peſtilentium Eccleſiaſticum beneficium ſcienter obtinuerunt, ſunt inhabiles ad illud, & ad alia omnia. ibid.

Quando pater eſt hæreticus, tunc filij, & filiorum filij ſunt inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica, non autem filij filiarum. ibid.3

Similiter quando mater eſt hæretica, filij tantùm ſunt inhabiles ad beneficia, non autem filij filiorum. ibid.

Non tantùm filij legitimi comprehenſi ſunt hac pœna, ſed

ſed etiam quocunque modo illegitimi ſiue naturales, ſiue ſpurij, ſiue Manzeres, quando certum eſt eſſe verè illorum filios. ibid.
Vt filij & nepotes hæreticorum incurrant hanc pœnam inhabilitatis ad beneficia, deſideratur quòd ſit manifeſtum eorum parentes in hæreſi deceſſiſſe, ſiue per ſententiam iudicis, ſiue per euidentiam facti, ſiue per propriam in iudicio confeſſionem. ibid.
Si poſtea parentes emendati ſint, & Eccleſiæ vnitati reincorporati, ceſſat prædicta pœna filiorum. ibid.
Parentes verò, qui fuerunt hæretici, quamuis Eccleſiæ reconcilientur, indigent diſpenſatione. ibid.
Filij tamen parentum hæreticorum, qui tales publicè deceſſerunt in natione hæreſibus infecta, vbi nota infamiæ non incurritur propter hæreſim, non afficiuntur hac pœna inhabilitatis ad beneficia Eccleſiaſtica. t.169.4
Filij relapſorum pœnitentium, ſed propter relapſum morte damnatorum, nō afficiuntur hac pœna. ibid.5
Alij verò, & quidem probabiliùs, tenent oppoſitum. ibid.
Filij, qui nati ſunt ante parentum hæreſim, non incurrunt hanc pœnam. ibid.6
Hæc ſententia eſt ſatis probabilis; ſed tutior ea eſt, quæ affirmat, cui adſtipulatur praxis ſacræ Pœnitentiariæ, & ratio deducta ex odio hæreſis. ibid.
Ob crimen hæreſis Clerici ſunt ipſo iure priuati beneficijs ante delictum adeptis, exigitur tamen ſententia iudicis declaratoria criminis commiſſi, vt hæreticus beneficium adeptum ante hæreſim dimittere teneatur. ibid.7
Filij & nepotes hæreticorum ipſo iure non priuantur beneficiis obtentis, ante parentum delictum. t.170.2
Hæreticorum filij, & nepotes non ſunt priuandi per ſententiam beneficiis obtentis ante parentum hæreſim. ibid.
Filij, & nepotes hæreticorum non ſunt priuati ipſo iure beneficiis obtentis poſt hæreſim parentum, nec ad alia beneficia obtinenda redduntur inhabiles antequam de hæreſi parentes condemnentur, vel niſi crimen illorum per euidentiam facti ſit notorium. ibid.3
Filij hæreticorum, & nepotes per lineam paternam, & filij tantùm deſcendētes per lineam fœmineam, cùm ſint inhabiles ad beneficia obtinenda, non poſſunt permutare ante parentum hæreſim obtenta. ibid.
Filij hæreticorum pœnitentiū, & ad fidem redeuntium, non priuantur beneficijs, nec ad alia obtinenda redduntur inhabiles: priuantur tamen beneficiis ſi parentes catholici quidem mortui ſunt, fuerunt autem combuſti tanquam relapſi in hæreſim. ibid.
Idem dicendum de filiis, & nepotibus eorum, qui quamuis relapſi non ſint, & ad fidem redeant, traduntur tamen brachio ſæculari comburendi. ibid.
Filij eorum, quorum ſtatuæ combuſtæ ſunt, quia ab Inquiſitoribus vocati ad ſe defendendos ab hæreſi, de qua ſunt ſuſpecti, non comparuerunt, incurrunt omnes pœnas quas incurrunt filij hæreticorum, qui ob veram hæreſim combuſti ſunt. ibid.4.
Filij deferentes hæreſim parentum apud Inquiſitores, euadunt omnes pœnas ſibi in iuribus ſtatutas. ibid.5
Filij, & nepotes hæreticorum, ſicuti ſunt inhabiles ad beneficia in poſterum obtinenda, & priuantur his, quæ poſt parentum condemnationem, vel notorietatem facti criminis hæreſis à parentibus commiſſi, ſic etiam ſunt inhabiles ad penſiones acquirendas, & priuantur obtentis poſt eandem parentum condemnationem, vel notorietatem facti criminis commiſſi, &c. ibid.6

Beneficiorum collatio.

Collatio beneficij facta excommunicato eſt nulla. t.171.3
Item penſio ſuper beneficio Eccleſiaſtico facta excommunicato eſt irrita. ibid.
Clauſula, quæ ſolet apponi in litteris collationis beneficij, *téque abſoluentes*, &c. nullum aliud impedimentum quod obſtet collationi, aufert, niſi ſolum id, quod producunt ſolæ cenſuræ, ſcilicet excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum. ibid.
Vnde ſi eſſet irregularis is, cui confertur aliquod beneficium, non eſſet valida collatio. ibid.
Fas non eſt beneficium conferre ei, qui excommunicationis minoris vinculo eſt obſtrictus, beneficij tamen adeptio valet. ibid.3
Si fiat collatio beneficij tempore, quo Clericus non eſt innodatus maioris excommunicationis vinculo, eſt valida, etiamſi poſtea excommunicatione maiori adſtrictus collationem acceptet. ibid.4
Nec ſic acceptans in excommunicatione peccat, niſi animum habeat exercendi munia acquiſiti beneficij abſque excommunicationis abſolutione. ibid.
Collatio beneficij facta exiſtenti in excommunicatione maiori, nulla eſt, etiamſi acceptatio fiat poſt abſolutionem à cenſura. ibid.5
Prouiſus de beneficio ſi ignoret ſe eſſe obſtrictum excommunicatione maiori, adhuc collatio eidem facta eſt irrita. ibid.6
Collatio facta excommunicato excommunicatione maiori, eſt irrita, etiamſi tempore collationis non ſit denunciatus, vel publicus Clericorum percuſſor. ibid.
Suſpenſi ab officio ſunt inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica. ibid.7
Idem dicendum de interdictis perſonaliter. ibid.

Beneficium parochiale.

Vt parochiale beneficium quis ſuſcipiat, ſufficit ea ætas, in qua intra annum ad ſacerdotium prouehi queat, ab eo tempore computandum, quo pacatam beneficij poſſeſſionem eſt nactus. t.177.2
Quòd ſi legitimo impedimento detentus fuiſſet, vt ſi ægrotaſſet, vel abfuiſſet Epiſcopus, vel dimiſſorias dare non potuiſſet, vel recuſaſſet promouere ad ſacerdotium, poſſet vltra annum differri. ibid.
Qui beneficium parochiale acquirit abſque vlla voluntate ad ſacerdotium aſcendendi, debet omnes fructus perceptos reſtituere. ibid.3
Accipiens beneficium parochiale, ſi ab initio habuit animum recipiendi ſacerdotium intra annum, ſed poſtea voluntatem mutauit, fructus receptos prima voluntate manente non tenetur reſtituere. ibid.
Qui dubio animo, & voluntate aſcendendi ad ſacerdotium ſuſcipit parochiale beneficium, non lucratur fructus beneficij. ibid.4
Qui firmato animo nunqum ſacerdotalem Ordinem ſuſcipiendi parochialem Eccleſiam poſſidet, præterquam quòd fructus, vt ait textus, non facit ſuos, non eſt immunis à delicto mortali, niſi illam dereliquerit. t.178.3
Vt accipiens beneficium parochiale faciat fructus ſuos, ſatis eſt, vt ſinceriè, & bona fide proponat aſcendere intra anuū ad ſacerdotium, nec velit ab eo propoſito reſilire, niſi cauſa aliqua iuſta inciderit, v.g. niſi frater primogenitus moriatur, vel niſi optimum matrimonium ad conſeruandam magnam familiam, vel ad lites extinguendas neceſſarium oblatum fuerit. ibid.
Satis etiam probabiliter dici poteſt hanc intentionem conditionalem aſcendendi ad ſacerdotium, non ſufficere

ſufficere, vt quis tuta conſcientia faciat fructus ſuos. ibid.

Si quis recipiat beneficium parochiale habens quidem animum aſcendendi ad ſacerdotium, cum voluntate tamen illud permutandi, vel reſignandi, accepta penſione, ſi interim per idoneum Vicarium ſuo muneri ſatisfacit, facit quidem fructus ſuos, peccaret tamen iſte; quia decipit Eccleſiam, quæ ſi putaret hunc habere talem animum, nullo modo vellet ei conferre beneficium; non tamen peccatum eſſet mortiferum, quia Eccleſiæ non infertur notabile detrimentum, cùm ei inſeruiat per alium, recitando horas Canonicas, & alia neceſſaria faciendo. ibid.6

Sed aduertendum, quòd modò Romæ exigitur iuramentum à petente ſimilia beneficia, quòd illa accipiant animo non relinquendi. ibid.

Recipiens beneficiũ curatũ, ſi infra annũ ab adepta pacifica poſſeſſione Sacerdos nõ fit, nulla præmiſſa monitione in cõſciẽtia beneficio priuatus exiſtit. ibid.7

Similiter in conſcientia debet reſtituere fructus perceptos ante vllam iudicis ſententiam. ibid.

Recipiens beneficium curatum non intendens promoueri ad ſacerdotium, peccat lethaliter. ibid.8

Quare tenetur hic aut mutare voluntatem, aut dimittere id beneficium cum fructibus, aut continuò erit in peccato mortali, quia in priſtina voluntate iniqua perſeuerat. ibid.

Licèt recipiens beneficium parochiale non intenderit aſcendere ad Presbyteratum, ſed propoſitum habuerit ducendi vxorem, acquirit tamen verum beneficij titulum, & ſic ſi mutata voluntate voluerit intra annum Preſbyter fieri, poteſt abſque nouâ prouiſione ſibi beneficium retinere. ibid.

Beneficium ſimplex.

Qui beneficium ſimplex accipit, eo tantùm animo, vt eius fructibus alatur, donec ſtudia abſoluerit, vt opulentam poſtea ducat vxorem, non tenetur ad reſtitutionem fructuum, ſi interim ſuo muneri ſatisfacit, ſiue per ſe, ſiue per alium. 1.179.2

Beneficium ſimplex nullum Ordinem ſacrum annexum habens, non requirit in recipiente intentionem aliquem Ordinem ſacrum recipiendi, ſed tantùm perſeuerandi in ſtatu clericali, ac ſatisfaciendi omnibus, ad quæ beneficium obligat, & ſic vacat prorſus culpa illud recipere, cum intentione ad ſacros Ordines non aſcendendi. ibid.3

Reus eſt culpæ lethalis accipiens, aut retinens beneficium ſimplex animo vxoris ducendæ, vel non clericandi. ibid.4

Non tamen eſt ipſo iure priuatus beneficio, nec tenetur ad reſtitutionem fructuum perceptorum. ibid.

Probabiliter etiam dici poteſt non peccare lethaliter recipientem, aut retinentem beneficium ſimplex, cui ſacer Ordo annexus non eſt, animo ad tempus illud retinendi, & eius fructibus fruendi, & poſtea eo deſerto ad ſecularem vitam, aut coniugalem transeundi, dummodo eo animo accipiat, & retineat, vt velit ei ſufficienter inſeruire, donec illud mutato ſtatu relinquat. ibid.

Eſt tamen in opinione omnium ſaltem culpa venialis animo non clericandi accipere beneficium ſimplex non habens Ordinem ſacrum annexum, præſertim ſi cauſa ſtudij, vel ſimili fine honeſto, quis illud recipiat & retineat. ibid.

Beneficia Eccleſiaſtica nequaquam amittuntur per ſponſalia de futuro. 1.180.2

Clericus minoribus Ordinibus conſtitutus validè contrahens de præſenti, ſtatim ipſo iure amittit beneficia. ibid.3

Licèt matrimonium nondum conſummatum ſit, ſtatim vacant beneficia, quia per matrimonium ratum, licèt non conſummatum, verè eſt aſſumptus ſtatus incompatibilis cum beneficio. imò nec Clericus iniens matrimonium per verba de præſenti, quamuis ſponſa nondum cognita decedat, aut ad Religionem tranſeat, recuperat beneficium nondum alteri collatum. ibid.4

Si quiſquam impetrauit reſcriptum ad beneficium vacaturum, & antequam vacaret iniit matrimonium, & poſtea defuncta vxore vacauit, non poteſt illud obtinere. ibid.5

Inhabilis tamen, puta illegitimus, aut quilibet alius, ſi impetraret diſpenſationem ad obtinendum beneficium, eáque impetrata iniret matrimonium per verba de præſenti, diſſoluto poſtea matrimonio poteſt beneficium obtinere. ibid.

Clericus igitur contrahens matrimonium retinendo beneficium peccat mortaliter. ibid.

Et tenetur ad reſtituendos omnes fructus à ſe poſt matrimonium initum perceptos. ibid.

Licèt aliqui inhabiles ad beneficia, vt excommunicatus, irregularis, obtinentes beneficia iuuentur per regulam de triennali, vt non poſſint moleſtari, ſi ſint quieti & pacifici triennales poſſeſſores ſuper beneficio pacificè poſſeſſo; tamen coniugatus retinens beneficium obtentum ante initum matrimonium non iuuatur ea regula. 1.181.init.

Cum Clerico coniugato Epiſcopus non poteſt diſpenſare vt poſſit beneficium retinere, vel de nouo obtinere. ibid.6

Beneficium Eccleſiaſticum.

Quando matrimonium eſt irritum eo, quòd contrahens eſt in Sacris conſtitutus, beneficiarius ſic irritè iniens matrimonium, non eſt ipſo iure beneficio priuatus abſque alia ſententia, ſed priuandus in pœnam delicti. 1.181.2

Qui ſolis minoribus Ordinibus eſt initiatus, ſi contrahit matrimonium irritum ob conſanguinitatem, vel impedimentum dirimens, nulla expectata iudicis ſententia, vacant ipſo iure beneficia. ibid.3

Quando matrimonium eſt irritum defectu ætatis, quòd vterque contrahens, aut alter ſit impubes, non vacant beneficia Clerici contrahentis, ſiue ipſe ſit puber, & fœmina impubes, vel è conuerſo. ibid.4

Matrimonio exiſtente irrito defectu conſenſus, vel quia alter cõtrahens non eſt mentis compos, vel quia metu viri conſtantis conſenſit, vel quia fictè conſenſum præbuit, ſi talis defectus fuit in vtroque cõtrahente, aut in ſolo Clerico, non vacant beneficia. 1.182.init.

Vacant autem ſi talis defectus ſolùm fuit in fœmina, quæ metu compulſa contraxit, aut non erat ſanæ mentis. ibid.

Ex parte vtriuſuis deficiente legitimo conſenſu ad valorẽ matrimonij requiſito, nõ vacant beneficia. ibid.

Beneficij renunciatio.

Renunciatio, reſignatio, ſeu ceſſio beneficij eſt voluntaria beneficij dimiſſio, ſeu refutatio coram Ordinario legitimè facta in manibus eius, à quo habetur inſtitutio. 1.198.2

Vnde renunciatio Epiſcopatus ab Epiſcopo facta in manibus ſui Capituli, etiamſi ad illud pertineret ius eligendi, non valet ſi fiat abſque licentia Papæ. ibid.

Similiter electio facta à Capitulo ad Epiſcopatum renuntiatum per ſuum Epiſcopum ſine licentia Papæ, nihil valet. ibid.

Renunciatio beneficij poteſt eſſe duplex, tacita ſcilicet, & expreſſa. Tacita eſt quæ fit abſque vllis verbis expreſſis, fit tamen per actus contrarios retentioni beneficij, vt cùm beneficiarius minoribus tantummodò

Ordinibus initiatus vxorem ducit, aut Religionem ſolemni more profitetur, tunc enim vacant ipſo iure beneficia: expreſſa verò fit cùm quis ſponte ſuum beneficium expreſſis verbis coram Ordinario legitimè dimittit. t.199.init.

Rurſus renunciatio expreſſa eſt duplex, quædam ſimplex, & pura, vt cùm quis ſuum beneficium ſine vlla conditione coram Ordinario deponit: altera verò conditionalis, vt cùm quis beneficio ſe abdicat conditione appoſita, vt beneficium, v.g. nepoti conferatur, vel aliis adiectis conditionibus. ibid.

Directè reſpondens quæſito, renunciatio beneficij metu facta eſt valida, ſed tamen reſcindi poteſt. ibid.3

Etiam collatio metu facta ab Epiſcopo eſt valida. ibid.
Vide *Matrimonium*, rubr. *Impedimentum vis, ſeu metus.*

Beneficiorum permutatio.

Permutatio beneficiorum eſt reciproca quædam reſignatio, quæ ad inuicem inter permutantes fit auctoritate legitimi Superioris, cui beneficium ſubeſt. t.199.2

Priuatis perſonis eſt prohibita huiuſmodi permutatio. ibid.

Iure tantùm canonico eſt interdictum quo minus quis auctoritate priuata ſuum beneficium cum alio beneficio commutet, non autem iure naturali, & diuino hoc eſt prohibitum. ibid.

Superioris appellatione hîc intelligitur Epiſcopus, & eo Superior, omnis item Prælatus, qui ius habet conferendi, & à beneficio amouendi Clericos, cuiuſmodi ſunt Abbates, & alij Prælati Epiſcopis inferiores, qui Epiſcopalem iuriſdictionem conſuetudine, vel priuilegio habent, & nulli ſunt Epiſcopo ſubiecti. t.200.init.

Vicarius tamen Epiſcopi non poteſt renunciationem approbare. ibid.

Collegium Canonicorum, ſeu Capitulum, mortuo Epiſcopo poteſt quidem admittere reſignationes ſimpliciter factas, vel ex cauſa permutationis, ſed non poteſt beneficia permutata conferre niſi ius conferendi ad ipſum pertineat. ibid.3

Poteſt etiam Capitulum præſentatos Clericos à patronis admittere, atque inſtituere, & electos legitimè, & canonicè à Clericis confirmare. ibid.

Beneficium iure patronatus affectum nequit citra patroni conſenſum permutari. ibid.4

Non tamen eſt ipſo iure irrita permutatio, ſi auctoritate Epiſcopi inſcio, inconſultóque patrono beneficium permutetur, ſed venit reſcindenda ſi patronus id voluerit. ibid.

Si tamen patronus requiſitus nolit conſentire, poteſt Epiſcopus, ſi indicat permutationem expedientem Eccleſiæ, ſua approbatione ſupplere conſenſum patroni, & valebit permutatio. ibid.

Permutantes beneficia coram Epiſcopo pertractare poſſunt de permutationibus, abſque tamen aliquo pacto, ſed liberè, ponendo totum in arbitrio Epiſcopi: vnde non licet renuncianti beneficium petere ab eo, cum quo permutat tantam pecuniam, aut ſibi reſeruare tot fructus, vel tantam penſionem, quanti æſtimari poſſet illud plus, quod beneficium valet pro recompenſatione, reducendo beneficia ad æqualitatem. ibid.5.

In manibus verò Pontificis pacta, & conuentiones poſſunt fieri, dummodo apud ipſum exponantur. ibid.

Beneficium coram Epiſcopo cauſa permutationis reſignatũ, non poteſt cõferri niſi compermutãti, vnde ſi alteri collatũ fuerit, inanis & irrita eſt collatio. ibid.

In permutatione beneficiorum inæqualium æſtimari & aliquo modo compenſari poteſt auctoritate ſummi Pontificis quantitas fructuum, vel aliorum temporalium emolumentorum ex beneficiis prouenientium, non autem ratio, & conditio dignitatis, poteſtatis, iuriſdictionis, vel alterius iuris ſpiritualis cum beneficio coniuncti. ibid.6

Reſignatio beneficij in gratiam, & in fauorem tertij non eſt licita, nec validè fieri poteſt coram Ordinario, coram quo reſignationes puræ & liberæ eſſe debent, & ſi Epiſcopus virtute talis reſignationis de beneficio alteri prouideret, prouiſio eſſet inanis & irrita. ibid.7

In manibus tamen ſummi Pontificis iuxta ſtylum Curiæ fieri poſſunt. ibid.

Reſignatio præbendæ in manus legitimi Antiſtitis in fauorem alterius deſignatæ perſonæ, & non aliàs, iure diuino nullam habet ſpeciem ſimoniæ. t.201.init.

Iure tamen canonico ſunt prohibitæ huiuſmodi reſignationes coram Ordinariis. ibid.

Propria auctoritate commutantes beneficia, actum viciſſim transferendi faciunt planè nullum. ibid.8

Ac proinde ſicut propria auctoritate ſua beneficia alienant, ita ſua auctoritate poſſunt ad ea redire. ibid.

Poſſunt tamen à Superiore per ſententiam priuari beneficiis in pœnam illius criminis. ibid.

Non tamen amittunt ea ipſo facto, nec ipſo iure incurrunt cenſuras, nec fructus receptos ex beneficiis commutatis in conſcientia reſtituere tenentur. ibid.

Commutantes tamen beneficium cum pacto recipiendæ penſionis ex eodem beneficio commutato, ſi id pactum lateat ſummum Pontificem, incurrunt pœnas contra ſimoniacos. ibid.9.

Permutantes priuata auctoritate penſiones Eccleſiaſticas cum rebus temporalibus, grauiſſimè peccãt. ibid.

Tamen ſic commutantes non ſunt ipſo facto excommunicati. ibid.

Tales tamen venditiones, & permutationes pretio accepto factæ à perſonis priuatis ſine aſſenſu Papæ ſunt nullæ, & inualidæ. ibid.

In penſione clericali duo conſiderari poſſunt. Primum eſt ius exigendi fructus ex beneficio. Secundum eſt commoditas, quod ex iſto iure prouenit Quoad primum, penſionarius non poteſt illam vendere, nec permutare accepto pretio. t.201.10

Quoad ſecundum verò, ſcilicet quoad commoditatem exigendi fructus, poteſt penſio vendi, & deduci in commercium, & pactum. ibid.

Aliud eſt habere ius ad beneficium, aliud eſt ius in beneficio: ius remotum, ſeu largum ad beneficium habere dicitur dignus in præſentia minus digni, vel dignior in præſentia digni, nondum tamen electus. Propinquum, ſeu ſtrictum ius ad beneficium dicitur habere electus ad beneficium præſentatus, vel poſtulatus; ius verò in beneficio dicitur habere, qui iam eſt confirmatus, inſtitutus, vel collationem factam acceptauit, quamuis nondum poſſeſſionem cœperit. t.201.2

Qui nondum habet ius in beneficio, non poteſt temenſo pretio vexationem redimere ab eo, qui non tantùm poteſt obeſſe, ſed etiam prodeſſe. ibid.3

Si verò elector, vel confirmator, qui prodeſſe poteſt, modis apertè iniquis conaretur impedire dignum à conſequutione beneficij, v.g. elector inducendo malitiosè alios electores pecunia, vi, vel fraude ne illum eligant; vel confirmator infamando eumdem no confirmetur, non videtur in foro conſcientiæ ſimoniacum ſi eligendus dignus aliàs, vel electus confirmandus per ſe, vel per alium pecuniam offerat ei, qui prodeſſe poteſt tantummodo, vt ab hac iniqua vexatione deſiſtat. ibid.

Si tamen an e ius quæſi um in beneficio eſſet ſuſpicio, vel dubium de in qu a vexatione, nemini, qu muia

digniſſimo, liceret ad ſuam redimendam vexationem his qui prodeſſe poſſunt electoribus, vel Antiſtiti, cuius eſt confirmare, quidpiam temporale offerre, vt eligatur, vel vt electus confirmetur. ibid.

Qui nondum habet ius in beneficio, poteſt remenſa pecunia redimere vexationem ab his, qui ſolùm poſſunt obeſſe, ſiue vi, & fraude, ſiue muneribus, & precibus obſint apud electores, vel collatorem, qui prodeſſe poſſunt. 1.203.4

Ab eo, qui obeſſe, ſed non prodeſſe poteſt, in beneficio acquirendo non licet redimere vexationem ſi iuſtè vexet: hinc ſi electus petens confirmationem, daret pecuniam alicui, qui non poſſet ei dare ius, ſed poteſt aliquam iuſtam exceptionem opponere coram confirmatore, vel coram electoribus, ne illum eligant, ſimoniam committeret. ibid.

Qui habet ius in beneficio per confirmationem, inſtitutionem, vel liberam collationem, quod ius licitè quidem acquiſiuit, poteſt pretio redimere vexationem ſi fortè alius illum à poſſeſſione capienda impediat. ibid.5

Simonia conuentionalis eſt reſignare beneficium litigioſum cum pacto vt reſignatarius conſentiat conſtitutioni penſionis in fauorem reſignantis, nulla facta mentione in ipſa reſignatione coram R.P. de pactione prædicta, etſi poſtea prouiſus de beneficio dictæ aſſignationi, & conſtitutioni penſionis conſentiat, etiam quòd penſionem non ſoluat, ſimonia fit realis. t.204.2

Si verò reſignatio beneficij & pactio de conſenſu in penſionem imponendam à R.P. vno, & eodem contextu coram Papa exprimatur: tunc conuentio illa, quæ aliàs eſſet ſimoniaca, purgatur auctoritate Papæ, & licitè poteſt beneficiũ ſic reſignari corã R.P. ibid.

Qui obtinuit beneficium litigioſum, & in eo obtinendo multas fecit expenſas, ſi poſtea renunciet cum pacto vt prouiſus ſoluat expenſas, ſimoniam committit. ibid.3

Si P. & N. inter ſe litigantes de beneficio litigioſo auctoritate Superioris, vel boni, & honeſti viri arbitri, in quem ob bonum pacis compromiſſum faciunt, litem componunt, vt vnus eorum, qui non eſt certus de iure ſibi competenti, liti motæ & agitatæ de beneficio aliqua pecunia accepta renunciet, excuſantur à ſimonia, ſi poſtea alter litigans pacificè beneficium obtinet. ibid.4

Secus autem ſi daretur pecunia habenti ius in beneficio vti deſiſtat à lite. ibid.

Si concordia ſuper beneficio in litigium deducto fiat auctoritate partium, litémque inter ſe litigantes componant, vt vnus liti motæ cedat aliquo ſibi dato, vel retento, vel promiſſo, hoc eſt ſimoniacum. ibid.

Habens ius acquiſitum in beneficio, & quidem certum, ſimoniam non committit ſi pecuniam dat tertiæ perſonæ ne litem moueat, & exciteт. ibid.6

Beneficij traditio.

Pecuniam, vel quodcumque temporale datum, vel acceptum in collatione, vel renunciatione beneficij per ſimoniam animo tantùm, & voluntate conceptam, etiam ex vtraque parte commiſſam, non eſt ſecundùm conſcientiam reſtituendum, neque beneficium ſic acceptum eſt dimittendum. t.205.3

Licèt ſimoniaci mentales ſine omni conuentione non teneantur in foro conſcientiæ ad reſtitutionem eorum, quæ ex mente affectu ſimoniaco acquiruntur, ſiue ſint ſpiritualia, ſiue temporalia, peccant tamen mortaliter peccato ſimoniæ, & ſunt in ſtatu damnationis quamdiu perſeuerant in tali animo deprauato. ibid.

Si inimicus tuus occultè per fraudem pecuniam dedit eo fine, vt collatio beneficij tibi facta ſit inualida, tunc non teneris beneficium reſignare, neque fructus perceptos reſtituere: ſecus autem ſi amicus vt tibi prodeſſet, dedit pecuniam, vt ſolent parentes pro filiis, tunc enim ſimul atque ſciueris, teneris dimittere beneficium. t.207.2

Electus ad beneficium ſi eo reclamante daretur pecunia electoribus, non teneretur tunc dimittere beneficium. ibid.3

Si poſt obtentum beneficium conſentit quis ſoluendo pecuniam per alium promiſſam approbando factum amici, iam incurrit ſimoniã, & pœnas illius, tenetur enim beneficiũ reſignare, & fructus reſtituere. ibid.4

Collatio, præſentatio, vel electio ad beneficium facta per ſimoniam realem commiſſam per tertiam perſonam in commodum alterius eam ignorantis, eſt valida. ibid.5

Tenetur tamen is, cui ignoranti ſimoniacè collatio beneficij facta eſt, cùm primùm ſcierit vitium, beneficium dimittere. t.208.init.

Durante tamen ignorantia poteſt iuſtè de fructibus diſponere: nec tenetur illos poſtea reſtituere, certior factus de ſimoniaca collatione. ibid.

Obſtringitur tamen is, qui ignorans per alienam ſimoniam beneficium ſibi quæſiuit, à die notitiæ ſimoniæ commiſſæ reſtituere fructus, quos poſt ſcientiam percepit. ibid.

Probabilius tamen eſt aſſerere ignorantem, qui per alienam ſimoniam realem beneficium quæſiuit, teneri poſt ſcientiam ne dum ad illud dimittendum, ſed etiam ad reſtitutionem fructuum, qui extant. ibid.

Non autem iure compellitur eos fructus reſtituere, quos durante ignorantia, bona fide conſumpſit. ibid.

Sciens per ſimoniam realem, etiam commiſſam ab alio, accipiens beneficium eſt excommunicatus, & illud in conſcientia reſignare tenetur. ibid.6

Fit inhabilis ad idem beneficium obtinendum. ibid.

Ipſo iure eſt infamis. ibid.

Hæc tamen pœna non contrahitur niſi poſt ſententiam iudicis, vel per propriam ſimoniaci confeſſionem in iudicio, vel per euidentiam facti. ibid.

Item regula de triennali poſſeſſore non prodeſt ingreſſo ſcienter per ſimoniam realem in beneficium; prodeſt tamen hæc regula ignoranti ſimoniam commiſſam. ibid.

Item talis ſciens ſimoniam realem in beneficio obtinendo debet reſtituere fructus, non ſolùm perceptos, ſed etiam eos, qui percipi potuerunt à poſſeſſore diligenti. ibid.

Fructuum verò nomine intelliguntur hi, qui ſuperſunt deductis expenſis cauſa fructuum, ſi impendit in vtilitatem Eccleſiæ, id non cogitur reſtituere. ibid.

Poſſeſſor iniuſtus beneficij, ſimoniacus, & malæ fidei, tenetur reſtituere fructus perceptos, vel eorũ valorẽ, qui apud ipſum abſque vlla ſua culpa perierunt, caſu quo periiſſet quoque apud legitimũ poſſeſſorẽ. ibid.7

Qui beneficium accepit ex pacto vt pecuniam daret, non eſt ipſo iure beneficio priuatus, cùm nondum pecuniam promiſſam dederit. 1.209.2

Temporale receptum in ſimonia conuentionali nondum vtrimque completa reſtitui debet in conſcientia. ibid.3

Hæc reſtitutio rei temporalis facienda eſt ei, qui rem dedit. ibid.

Qui verò per ſimoniam realem ex vtraque parte conſummatam beneficium accepit, illud in conſcientia dimittere tenetur. ibid.4

Hæc autem dimiſſio debet fieri in manibus Prælati, non autem reſtitui illud debet priori poſſeſſori, cui ob reſignationem fuit tradita pecunia. ibid.

Beneficium per ſimoniam realem renunciatum non acquiritur reſignatario. r.215.2

Reſignans beneficium alteri pecunia accepta ſine auctoritate Superioris, non eſt ipſo iure beneficij titulo priuatus, ſed penes ipſum ſimoniacum reſignantem manebit illius titulus. ibid.

Renuncians beneficium per ſimoniam realem in manibus Superioris potentis reſignationem admittere, eſt ipſo iure beneficij titulo priuatus, etiamſi reſignatarius illud ſibi non quærat. ibid.3

Imò etiamſi alteri non conferatur per reſignationem factam in manibus legitimi Superioris, poſt illam admiſſam ipſo iure beneficium vacabit, nec eſt ampliùs ipſius reſignantis. ibid.

Inhabilitas ad Beneficia.

Inhabilitas, quæ eſt incapacitas, vel pœna priuatiua, vel priuans dignitatibus, beneficiis, officiis, adminiſtrationibus iam obtentis, vel impoſterum obtinendis reſpecto beneficiorum, dignitatum, &c. iam antè obtentorum, non incurritur ipſo iure in foro conſcientiæ ante ſententiam iudicis declaratoriam ipſius criminis. 1.212.2

Simoniacus tamen in materia beneficiali eſt ipſo iure priuatus in foro conſcientiæ beneficio ſimoniacè obtento, & illud ante omnem ſententiam dimittere tenetur. 1.213.3

Simoniacus in materia beneficiali nedum eſt ipſo iure priuatus in foro conſcientiæ beneficio ſimoniacè obtento, ſed etiam eſt inhabilis ad illud, & quodcumque aliud adipiſcendum. ibid.

Hæc tamen inhabilitas ad illud idem adipiſcendum, & quæcumque alia beneficia Eccleſiaſtica obtinenda, non cenſetur habere locum in foro conſcientiæ ante iudicis ſententiam ſaltem declaratoriam criminis. ibid.

Probabiliter etiam dici poteſt quòd ob ſimoniam realem commiſſam in beneficio, ſimoniacus ante iudicis ſententiam ita ſit inhabilis ad illud idem iterum adipiſcendũ, & ad quæuis alia obtinenda, vt irrita ſit beneficij impetratio ſi illud idem de nuuo, vel aliud ſine præuia diſpenſatione fuerit conſequutus. ibid.

Si teneamus has inhabilitates ob delictum ſimoniæ in materia beneficiali abſque aliqua ſententia incurri, tunc exiſtente facto occulto poteſt Epiſcopus ſuper illis cum ſuis ſubditis diſpenſare. ibid.4

Imò per priuilegia concedentia abſolutionem ab omnibus reſeruatis cenſuris, & pœnis conſurgentibus ex delictis occultis, poſſet Confeſſor habens tale priuilegium abſoluere in foro conſcientiæ à prædictis priuationibus, & inhabilitatibus. ibid.

Virtute tamen Bullæ Cruciatæ, & Iubilæi non poſſunt Confeſſores in his diſpenſare, ſi in illis non conceditur facultas ab omnibus pœnis abſoluendi; licèt concedatur facultas abſoluendi ab omnibus cenſuris. ibid.

☞ Veriſſimum eſt non poſſe Epiſcopos, nec Prælatos Regulares diſpenſare cum ſuis ſubditis ſuper inhabilitate ad beneficia, & dignitates, quam contraxerunt hi, qui poſt Ordines ſimoniacè ſuſceptos in illis miniſtrarunt per conſtitutionem Sixti V. r.214.5

Bigamia.

Bigamia eſt defectus ex ſecundis nuptiis proueniens. Vel, ſecundùm alios, Bigamia eſt irregularitas defectu ſacramenti proueniens. a.205.18

Item bigamia eſt triplex, vera, interpretatiua, & ſimilitudinaria. Bigamia vera eſt ſtatus eius, qui habuit, & cognouit duas vxores, vnam, mortua altera; interpretatiua eſt illa quam incurrit, qui fingitur duas habuiſſe vxores, huiuſmodi eſt ille, qui contraxit cum vna ſola, ſed vidua, aut contraxit cum corrupta per alium; ſecus ſi contraxit cum ea, quam ipſemet ſolus cognouit. ibid.

Item ſi contraxit cum virgine, & eam cognouit poſtquam adulterium commiſit. ibid.

Bigamia verò ſimilitudinaria illa eſt, quam incurrit Ordine ſacro inſignitus, vel voto ſolemni aſtrictus cũ aliqua contrahens, & conſummans, & in hac tertia bigamia ſimilitudinaria diſpenſare poſſunt. ibid.

Blaſphemia.

Blaſphemia eſt ſacrilega execratio, & maledictio Dei, qua nimirum affirmatur aliquid ineſſe Deo, quod illi non ineſt, vel non ineſſe, quod illi ineſt, aut nominatur id quod Deo quidem conuenit, ſed nominatur, ac ſi turpiter, ac fœdè ineſſet. r.217.2

Ad rationem blaſphemiæ non requiritur peruerſa voluntas derogandi diuinæ bonitati, & dignitati, ſed ſatis eſt, quòd loquutio blaſphema in actu exercito ſignificet derogationem, & diminutionem diuinæ bonitatis, & gloriæ. ibid.

De ratione blaſphemiæ non eſt externa loquela contra Deum, ſed ſola interna ſufficit. ibid.3

Blaſphemia ſemper aliquid falſi continet. ibid.

Directè reſpondens quæſito, blaſphemia opponitur virtuti Religionis, cuius eſt Deum, Sanctóſque venerari. ibid.4

Blaſphemiæ hæreticales illæ ſunt, quæ per verbum aliquod indicatiui modi ſignificant, & continent errorem contra fidem. Non hæreticales verò illæ ſunt, quæ etſi ex modo dicendi, & in actu exercito ſignificant errorem contra fidem, non tamen ſecundùm ſe affirmant aliquid contra fidem. 1.218.2

Hæ blaſphemiæ ſunt hæreticales, Deus eſt iniuſtus, eſt acceptor perſonarum, non eſt omnipotens. ibid.

Inſuper hæ ſunt hæreticales, non credo in Deum, renego Deum, fidem, crucem, Chriſma, Baptiſma, puritatem Deiparæ. ibid.

Si quis autem diceret, Renego D. Petrum, D. Paulum, hæc blaſphemia non eſſet hæreticalis. ibid.

Hæ blaſphemiæ, maledictus Deus, malum contingat Deo, & ſimilia, non ſunt hæreticales. ibid.

Blaſphemia propriè, & eſſentialiter conſiſtit in dicendo aliquid contra Deum, atque ita blaſphemia non eſt propriè & eſſentialiter infidelitas. ibid.3

Poteſt tamen blaſphemia inueniri coniuncta cum infidelitate, atque etiam ab ea ſeparata. ibid.4

Blaſphemia hæreticalis eſt etiam diſtincta ab infidelitate. ibid.5

Blaſphemia hæreticalis nedum opponitur Religioni, cuius eſt Deum, Sanctóſque venerari, ſed etiam opponitur confeſſioni fidei. ibid.6

Iurare per vitam Dei eſt blaſphemia. s.219.2

Iurare per Sanctorum vitam eſt blaſphemia. ibid.

Non tamen eſt blaſphemia hæreticalis. ibid.

Iurare per falſos Deos eſt grauiſſima blaſphemia, & ſimul etiam idololatria. ibid.3

Quòd ſi quis per falſos Deos iuraret, non quidem animo per illos iurandi, ſed vel in eorum contemptum, vel ioci gratia, tunc non eſſet blaſphemia, nec peccatum. ibid.

Iurare per quamcunque creaturam, non vt eſt quid Dei, ſed in ea ſiſtendo, eſt blaſphemia. ibid.

Blaſphemia eſt dicere: Faciã hoc ad Dei deſpectum. ib.4

Eadem ratione blaſphemia eſt dicere: Faciam hoc peccatum, velit nolit Deus. ibid.

Blaſphemia eſt cùm quis dicit, Reddes honorem, quem abſtuliſti, etiamſi nolit B. Franciſcus. ibid.

Si quis dicat, Niſi te percuſſero, abnego Deum. Similiter ita inquiens, Niſi verum ſit quod dico, abnego Deum, blaſphemia eſt. ibid.5

Dicere, *voto à Dios*, renoueo Deo, eſt blaſphemia. ibid.
Blaſphemia eſt dicere, quod in aliquibus locis eſt vſitatum, ſanctus Diabolus. ibid.6
Dicere in aliquibus euentibus, ſic erat futurum, ſic erat in fatis, eſt blaſphemia hæreticalis. ibid.7.
Cæterùm ſi id intelligatur non de neceſſitate abſoluta libertatem humanam, & euentus rerum contingentes tollente, ſed de neceſſitate conditionali, & ex ſuppoſitione, qua omnia à Deo ordinata, & præuiſa neceſſe eſt euenire, tunc ille modus dicendi non eſt blaſphemus, neque malus.
In loquutione *puol far Iddio*, non eſt blaſphemia. ibid.8
Peccat tamen venialiter qui hæc verba profert ex aliqua iracundia, cùm aliqua irreuerentia irrogetur diuino nomini. ibid.
Nec eſt blaſphemia cùm aliqui dicunt, Hoc ita eſt verum, ſicut eſt verum Chriſtum natum eſſe de B. Virgine, vel cùm dicunt hoc eſſe verum tanquam Euangeliū, vel, Sum innocēs, ſicuti ſancti Innocentes. ibid.
Eſſet verò blaſphemia, ſi intenderent profiteri tantam eſſe certitudinem in his quæ dicunt, quanta eſt in fidei veritate. ibid.
Qui ex iracundia hæc verba proferret, Non eſt Deus in cœlo, vel ibi non aſſiſtit, niſi hic homo maledicus virulentæ linguæ grauiter in hoc Mundo puniatur, eſſet blaſphemus. ibid.9
Item etiam eſt blaſphemia ſi quis diceret: Niſi putarem, hunc peruerſum hominem in hoc Mundo eſſe acriter puniendum, abnegarem Deum. ibid.
Si quis iræ furore correptus, & paſſione excæcatus in verba blaſphemiæ prorumpit, non aduertens quid dicat, quidve verba illa ſignificent, tunc tantùm peccat venialiter, & propriè non eſt blaſphemus. ibid.10
Si verò attendit eſſe verba blaſphemiæ, mortaliter delinquit, etſi repentina correptus ira, verba illa protulerit, & ipſum ſtatim pœnituerit illa dixiſſe. ibid.
Iurare per membra Dei, & Sanctorum honeſta, nempè per caput, per ſanguinem, & corpus, non eſt blaſphemia. t.210.5
Si verò membra honeſta Chriſti, & Sanctorum nominentur iniurioſè per modum vituperij, & contemptus, tunc eſſet blaſphemia. t.211.init.
Nec eſt blaſphemia, cùm membra Chriſti, & Sanctorum honeſta nominantur cum indignatione quadam, & ira. ibid.
Dicere indignabundè, per corpus, & ſanguinem Dei, ſiue iurando, ſiue reſonando hæc verba in rixa; ſi indignatio, & ira ſit aduerſùs Deum, blaſphema erunt illa verba. ibid.
Iurare per Chriſti, & Sanctorum pudenda membra, eaque inhoneſtè nominare, eſt blaſphemia. ibid.3
Maledicta in Deum, vel Sanctos, blaſphemiæ ſūt. ibid.3
Si conferens contumelioſa verba in Sanctos præſcindat expreſsè habitudinem quam ad Deum habent, ſolámque Sanctorum excellentiam ſpectet, quaſi quorundam hominum excellentiam, non eſſet blaſphemus, ſed peccatum contra cultum duliæ Sanctis debitum committeret. ibid.3
Maledicere creaturis irrationalibus in quantum creaturæ Dei ſunt, eſt blaſphemia; & ſimiliter erit dicendum, ſi maledictio ſit dicta in creaturas rationis participes. t.213.4
Idem dicendum, ſi malediceretur Diabolus vt effectus Dei. ibid.
Secus autem ſi ratione ſuæ culpæ malediceretur. ibid.
Maledicere creaturis irrationalibus ſecundùm ſe conſideratis ſine vlla habitudine ad Deum, vel ad homines, non eſt blaſphemia, nec peccatum mortale, ſed ſolùm veniale. ibid.
Maledicere verò rebus irrationalibus in ordine ad creaturam rationalem, vt qui malediceret domui, quia eſt huius, vel illius, licèt hoc non ſit peccatum blaſphemiæ, eſſet tamen peccatum odij, & contra charitatem proximi, & mortale, ſi malum, quod imprecatur, eſſet graue, & ex animo optaretur. ibid.5
Maledicens diei natiuitatis ſuæ, vt eſt contentiua, & relatiua ad bona humana, & ad natiuitatem ipſam, quæ eſt capax mali magni rationalis creaturæ, ſi hoc fuit ex animo, licèt non blaſphemet, peccat tamen mortaliter. ibid.
Maledicere diei natiuitatis ſuæ vt eſt contentiua malorum humanorum, ſcil. propter culpam originalem, & miſerias, quas quis naſcendo contulit, hoc nullum eſt peccatum. ibid.
Sic etiā homines maledicēdo Diabolo nō peccant. ibid.
Maledicere creaturæ rationali non ſanctæ, non habet malitiam blaſphemiæ. ibid.6
Sed eſt contra charitatem, & peccatum mortale, ſi malum quod imprecatur eſt graue, & ex animo exoptatur. ibid.
Si verò malum ſit leue, erit veniale ratione paruitatis materiæ: vel ſi ſit graue, illud tamen cum imperfecta animi deliberatione imprecatur, eſſet etiā veniale. ib.
Maledicere creaturis rationalibus ſub aliqua ratione veri boni, nullum eſt peccatum nec blaſphemiæ, nec odij. ibid.7
Blaſphemiæ quæ dicuntur in Deum per ſe ſpecie, non diſtinguuntur à blaſphemiis, quæ proferuntur in Sanctos. t.223.3
Licèt blaſphemiæ, quæ dicuntur in Deum, & in Sanctos, ſint eiuſdem ſpeciei, in confeſſione tamen eſt exprimendum an blaſ, bemia fuerit contra Deum, an contra Sanctos. ibid.3
In confeſſione non ſatis eſt dixiſſe ſe blaſphemaſſe Deum, vel B. V. vel Sanctos, ſed oportet modum blaſphemiæ explicare. ibid.
Blaſphemiæ quamuis vt opponuntur Religioni, & confeſſioni fidei, ſint eiuſdem ſpeciei, poſſunt tamen aliunde ſpecie differre. ibid.4
Qui ex conſuetudine blaſphemat, tenetur talem conſuetudinem euellere. t.224.2
Licèt aſſuetus blaſphemare non poſſit abſolui ſine firmo propoſito extirpandi talem malam conſuetudinem: at ſi habeat propoſitum illam euellendi, poteſt, & debet abſolui. ibid.
Qui eſt aſſuetus blaſphemare, ſi conetur talem conſuetudinem extirpare, & firmiter, & efficaciter proponat impoſterum tale peccatum vitare, poſtea ex inaduertentia blaſphemauerit, huiuſmodi blaſphemiæ non erunt tali perſonæ imputandæ ad culpā. t.225.3
Qui ratione prauæ conſuetudinis ita eſt affectus, & aſſuetus ad blaſphemandum, vt ſi aduerteret ſe blaſphemare, adhuc non deſineret à blaſphemia, peccat mortaliter, ſi ex inaduertentia, & inconſideratè blaſphemet. ibid.
Aſſuetus blaſphemare, ſi non conatur euellere conſuetudinem blaſphemandi, ſi poſtea inaduertenter, & indeliberatè blaſphemet, nouiter committit ſpeciale peccatum blaſphemiæ toties, quoties de nouo blaſphemat. ibid.4
Blaſphemia ex ſuo genere eſt peccatum. ibid.1
Blaſphemia eſt minus peccatum, quàm infidelitas. ibid.3
Deſperatio eſt grauius peccatum, quàm blaſphemia. t.226.init.
Blaſphemia eſt grauius peccatum homicidio. ibid.
Qui plura maledicta vnico ſermonis impetu in Deum, vel in aliquem Sanctorum confert, vnicum tantùm blaſphemiæ peccatum admittit; licèt peccatum ſit grauius, quàm ſi ſemel tantùm malediceret Deo, vel alicui ex Sanctis. t.227.2

Similiter qui plura maledicta in Deum, vel in Sanctos confert, vnicum tantùm peccatum admittit, cùm omnia illa maledicta ſint partes vnius continuati ſermonis. ibid.
Qui eodem impetu blaſphemat D. Petrum, & D. Paulum, duo blaſphemiæ peccata admittit. ibid.3
Similiter qui vno ſermone maledicit S. Petro, & S. Paulo, duo blaſphemiæ peccata admittit. ibid.
Qui eodem impetu dicit alteri quatuor, vel quinque iniurioſa verba ſignificantia diuerſas iniurias, puta quòd ſit fur, fallarius, hæreticus, tot peccata committit, quot ſunt contumeliæ diſtinctæ ſpecie. ibid.4
Conſequenter qui mollitiei peccatum admittit, ſi vt magis delectetur inducit ſibi in memoriam, virginem, viduam, nuptam, cognatam, ſacram Monialem, ſex peccata committit, vel vnum, habens ſextuplicem malitiam. ibid.5
Directè reſpondens quæſito, qui vnico ſermonis impetu maledicit B. V. & duodecim Apoſtolis, duo tantùm peccata videtur admittere. ibid.6
Vide *Accuſatio*.

C

Cambium.

Ars CAmpſoria eſt negotiatio in commutatione numiſmatum: cambium autem eſt actus huius artis, permutatio ſcilicet negociatoria numiſmatum pro numiſmatibus. 1.228.1
Cambiorum quatuor ſunt ſpecies. Prima ſpecies dicitur cambium ad minutum, quod ſolet appellari, *Cambium manuale*. Secunda dicitur cambium ſiccum: tertia cambium per litteras: quarta cambium reale. ibid.
Quatuor ſunt genera rerum. Primum eſt earum, quæ ſunt omnino, & intrinſecè bonæ, vt diligere Deum: ſecundum earum, quæ ſunt omnino, & intrinſecè malæ, vt mentiri: tertium eſt earum, quæ ſunt indifferentes: quartum, & vltimum earum, quæ habent quidem ſpeciem mali, & turpitudinis, poſſunt tamen ex circumſtantiis honeſtari, vt occiſio hominis, quæ prima facie habet ſpeciem mali: at ex circunſtantia poteſt rectè fieri, vt cùm occiditur ſicarius ex ſententia iudicis. ibid.
Ars campſoria ſecundùm ſe eſt de genere earum rerum, quæ habent ſpeciem mali, vel de genere malè ſonantium. ibid.3
Licèt ars nummularia habeat ſecundùm ſe quandã ſpeciem mali, poteſt tamẽ iuſtis de cauſis honeſtari. ibid.

Cambium manuale.

Cambium minutum, ſeu manuale, illud eſt, cùm quis dat pecunias maiores pro minoribus; vel econtra, cùm quis dat minores pro maioribus. 1.229.2
Duplex eſt valor pecuniæ. Vnus ratione materiæ, alter valor ipſius eſt ratione formæ, ſeu ſigilli, quod habet vt inſignita, & notata publico ſigillo Reipub. vel Principis auctoritate publica impreſſa, & ſic pretium illius eſt, quod à Principe, vel Repub. fuit illi taxatum, & talis valor dicitur legalis. ibid.
Vſus pecuniæ eſt duplex: alius per ſe, & formaliter, quatenus pecunia eſt, ſignataque publico ſigillo: alius verò per accidens, & materialiter, quatenus confecta eſt ea auro, argento, & ære. ibid.3
Vſus verò pecuniæ per ſe, & formaliter quatenus pecunia eſt, eſt duplex, quidam primarius, alius ſecundarius. ibid.
Pecunia ratione materiæ ſecundùm metalli naturam, & quoad vſum per accidens, poteſt pluris vendi, & commutari, quàm valeat iuxta legis præſcriptum. ibid.4
Licèt pecunia ſecundùm ſuum vſum primarium, & principalem, vt pretium rerum venalium eſt, non poſſit commutari, aut vendi pluris, quàm eius æſtimatio legalis valeat, benè tamen poteſt ſecundùm eius vſum minus principalem, & ſecundarium, & ſic poterit numiſma commutari maiori pretio, quàm ſit legale. ibid.5
In cambio minuto, ſeu manuali, quod eſt permutatio pecuniæ præſentis cum præſenti, & in eodem loco, vt cùm quis dat pecuniam auream pro argentea, vel è contra, licitum eſt commutare pecuniam pro alia pecunia maiori pretio, moderato tamen, quam lege taxetur. ibid.6
Qui publicum cambiendi officium non habet, poteſt ex natura rei pro cambio minuto aliquod lucrum accipere, moderatum tamen. 1.230.2
Licèt qui ſponte ſua abſque auctoritate publica cambiendi officium facit, poſſit aliquod lucrum moderatum exigere, non tamen tantum, quantum illi, qui ex obligatione faciunt. ibid.3
Si lege poſitiua cautum ſit ne quis, præter publicos campſores, pro tali cambio minuto quicquam accipiat vltra valorem monetæ, quam cambit, contrafaciendo non peccat lethaliter. ibid.4
Priuatus homo lucrum acceptum in cambio minuto non tenetur in conſcientia reſtituere. ibid.

Cambium per litteras.

Huiuſmodi cambia cum aliquo incremento ſunt licita. 1.231.1
Qui auctoritate Principis non fungitur munere, & officio campſoris, poteſt tuta conſcientia ex tali cambio lucrum recipere. ibid.
In hoc cambio licet lucrum accipere, etiam quando fit de vno loco in alium eiuſdem regni, vel Prouinciæ, vt à Placentia Parmam. ibid.
Lucrum in cambiis, & permutatione pecuniarum per tres regulas menſurari poteſt, aut per legem, vbi lex taxauit pretium, ſeu lucrum cambiorum, aut per vniuerſalem conſuetudinem, aut arbitrio boni viri. ibid.3

Cambium reale.

Cambium in quo campſor dat pecunias, vt eas in alio loco recipiat, non habet rationem mutui. 1.231.2
Campſor dans pecuniam campſario, vt eas in alio loco recipiat, poteſt tuta conſcientia aliquid ex hoc cambio lucrari. ibid.3
Priuato homini, qui nummularij officiũ nõ facit, etiam licet aliquod lucrum ex hoc cambio percipere. ibid.

Cambium ſiccum.

Cambium ſiccum illud eſt, quod caret humore, ſeu iuſto titulo ad pariendum lucrum; hoc cambium dicitur *fictitium*, quia non eſt verum, ſed fingitur eſſe, eo quòd imaginem quandam cambij præſeferat. 1.232.2
Quando nullæ litteræ campſoriæ ex loco ad locũ mittuntur, eſt cambium ſiccum. Itẽ quando litteræ mittuntur, ſed reuera inanes, remittuntur. Item quando nummularius dat alteri pecunias quem ſcit nullã pecuniam actu, vel poteſtate habere in loco, vbi ſoluturus eſſet. Item cùm pecunia datur alicui, & qui dat ſcit, vel credit ibidem, non alibi eſſe ſoluendam. ibid.
Altera ſpecies cambij ſicci eſt compoſita ex cambio & recambio, v.g. campſor dat Petro centum ſoluenda Venetiis, vbi reuera nummularius nullos habet correſpondentes, nec Petrus habet vnde ibi ſoluat, & petit campſor lucrum ex hoc cambio. Rurſus tempore ſolutionis fingit Petrus ſe non habere Venetiis, & illa centum cum lucro iterum cambit Romam, vbi accepit centum à campſore, & Romæ ſoluit totum, puta pretium cum lucro cambij, & etiam recambij; hoc cambium eſt ſiccum, iniuſtum, & vſurarium. ibid.3

Cambium ſiccum eſt,& vſurarium, quando nummularius dat campſario indigenti eo pacto, vt ſoluat alibi, ſin minùs,ſoluat omnia lucra, quæ numuolarius ex repetitis cambiis eſſet percepturus. ibid.4.

Poſſet tamen hoc cambium excuſari ab iniuſtitia ſi pecuniam campſario indigenti mutuet, & ea de cauſa verum lucrum illi ceſſat. ibid.

Si campſor à principio contractus cambij certò cognoſcit, aut ſaltem ſuſpicatur, campſarium nullam habere pecnniam, vel creditum in loco ſolutioni deſignatu, & ex conſequenti litteras eò remiſſas non eſſe ab aliquo recipiendas, nec perſoluendas, ſed remittendas iode inanes, & vacuas, nullo pacto poteſt paciſci cum campſario de lucro aliquo capiendo ratione lucri ceſſantis, vel damoi emergentis. 1.233.2

Poteſt tamen campſor, qui bona fide tradidit pecuniam ſuam campſario, certò, vel probabiliter credens illum habere pecuniam, vel creditum in loco ſolutionis, conuenire cum illo de lucro, quod verè illi ceſſauerit,& de damno,quod illi verè fuerit ſubſequutum ex non ſolutis litteris in termino & loco ſolutioni deſignato. ibid.

Illicitum eſt in principio contractus cambij conuenire cum campſario de aliquo certo lucro perſoluendo litteris non ſolutis, vbi facienda eſt pecuniarum ſolutio ratione futuri damni emergentis,vel lucri ceſſantis. ibid.3

In contractu cambij licet campſori exigere à campſario fideiuſſores, vel pignora, quando iudicio boni viri imminet probabile periculum non recipiendæ ſolutionis tempore conuento. 1.234.4

Nummularius dans Romæ campſario mille aureos in vim cambij, vt eos Lugduni ſoluat, ſi cogit illum, vt ſuo reſpondenti traiiciat debitum qui pro eo ibi ſoluat, hoc eſt iniquum, & iniuſtum. ibid.2

Si is, qui petit à campſore in vim cambij centum aureos, non poſſit babere alium, qui ipſius nomine ſatisfaciat io loco condicto, ſi ſpontè petat à campſore ſibi aliquem reſpondentem dari, licitum eſt cambium, ſi campſor exhibet ei ſuum factorem exiſtentem in loco conuento, ſi ex ſua pecunia, vel aliena, & non ex pecunia campſoris ibi pro campſario ſoluat. 1.235.init.

Si procurator nummularij ſoluit ex ipſius nummularij pecuniis in loco condicto, puta Lugduni,pro campſario, qui Romæ, v g. à campſore pecunias in vim cambij acceperat, tale cambium eſt illicitum, fictitium, & valdè vſuræ ſuſpectum, & videtur mutuom cum lucro, & non cambium. ibid.3

Campſor, qui pecuniam confert, v.g. Romæ, campſario in vim cambij ſoluendam Lugduni, poteſt requiſitus aſſignare ſuum correſpondenrem exiſtentem Lugduni tanquam in factorem campſario,à quo ſimul fiat Logduni & ſolutio cambij quatenus agit perſonam campſarij, & receptio illius ſolutionis, quatenus agit perſonam nummularij, & eiuſdem ſolutionis Romam remiſſio,quatenus vt creditur campſarij ſcribit alias litteras ſecundi cambij ad ipſum campſariom,vt ſoluat nummulario, à quo Romæ recepit pecunias: hoc cambium non eſt vſurarium, ſed licitum. ibid.4

Nummularius Caius bona fide dans campſario Titio Romæ in vim cambij centum aureos, vt eus ſoluat cum ſolito iuſto lucro Lugduni, ſi litteræ campſoriæ ibi ſolutæ non fuerint, iniuſtè agit ſi propria auctoritate ſine conſenſu campſarij, ſuperaddito nouo intereſſe Lugduni eas iterum recambit, illas per alium ſibi notum remittendo Romas ſoluendas à campſario. 1.236.2

Campſor non poteſt conuenire tempore contractus cambij cum campſario, vt litteris campſoriis non ſolotis in loco conuento, remittantur illæ cum recambio, & nouo intereſſe in alium locum, vel in eundem, à quo fuerunt miſſæ, ibique ſoluendæ.ibid.

Ioiuſtè, & iniqoè etiam agunt campſores obligando campſarium ad celebrandum cambium, quod vocaut *con la ricorſa*, hoc eſt, non modò ad pecuniam, quam, v.g. conferunt Romæ reſtituendam Lugduni, cum intereſſe ibi debito, verùm etiam vt teneatur ſuis expeoſis curare illius pecuniæ redditum, ſeu reductionem Lugduno Romam. 1.237.4

Quando commutantur pecuniæ eiuſdem valoris in diuerſis locis, & contrahenres æqualiter ſe præueniunt, & vterque ſimul indicat ſe commotatione illa indigere, nulli eorum licet lucrum aliquod, vel pretiom ab altero exigere, vel recipere. 1.238.3

Quando in hoc cambio alter alterum præuenit, exigens ab illo pecuniam cambiendam in alio loco, qui præuenitur, & non ſimul exprimit ſe indigere tali commutatione, poteſt recipere ab eo, à quo præuenitur, lucrum, & pretium, qood iuxta commonem vſum fori in conſimilibus cambiis poſſet recipere, eſto reuera indigeat commutatione illa, & pecuniam ſuam habere in alio loco conuento. ibid.4

Campſor qui à principio contractus probabiliter, ac prudenter credidit campſarium habere pecuoiam, vel creditum in loco, ad quem fit cambium, non peccauit. 1.239.2

Campſor cùm primùm nouit ſe deceptom, & campſarium illum reuera nec pecuniam, nec creditum in eo loco habere, ſi hoc nouit facta iam ſolutione, & recepta pecunia, in quam ſuam commutauerat cum aliquo intereſſe, vel lucro, tenetur lucrum illud campſario reſtituere. ibid.3

Is, qui ex vſura lucrum aliquod percipit, exiſtimans bona fide ſe contractum iuſtum, & honeſtum exercuiſſe, quamdiu durat in eo bona fides, liberatur per illam à delicto, & obligatione reſtituendi; at cùm primùm nouit ſe deceptum, & exercuiſſe contractum vſurarium, tenetur quidquid per illum lucratus eſt reſtituere, tanquam is, qui tunc cognouit ſe babere alienum. ibid.4

Ratione tamen lucri ceſſantis, vel damni emergentis, poterit campſor in caſu poſito lucrum illud ſibi retinere, vt ſi habebat tunc in promptu Titiom campſarium,cui ſuam pecuniam per verum,& reale cambium tradere poterat, in gratiam verò & commodum Caij noluit illam tradere Titio, ſed ipſi Caio, poteſt iuſtè in hoc caſu campſor retinere ſibi ex lucro accepto à Caio tantundem, quantum reuera accepiſſet à Titio ſi cum eo pecuniam illam commutaſſet. ibid.5

Cambium de nundinis in nundinas.

Cambium ad nundinas illud dicitur, quando dantur pecuniæ vno in loco, vt ſoluantur in alio, in qoo nundinæ celebrantur. 1.240.2

Aliqoando dantur à campſoribus pecuniæ in vno loco in vim cambij, vt ſoluantur in alio loco ad primas, vel ſecundas nundinas; vbi tamen nullæ nundinæ celebrantur: fingunt autem campſores ibi nundinas celebrari. ibid.3

Cambia, quæ fiunt à nundinis in nundinas ſequentes in eodem loco cum aliquo intereſſe, & lucro, iniqoa ſunt & vſuraria. ibid.4

Cambia, quæ fiunt de nundinis in nundinas proximè ſequentes in diuerſis locis, vel de nundinis ad loca, vbi feriæ non celebrantur, vel è contra de locis, vbi non celebrantur nundinæ,ad loca,vbi nũdinæ fiunt, ſi pecuniæ cambitæ vtrobique, in loco ſcilicet vbi

recipiun

recipiuntur, & in loco ſolutionis habent parem, & æqualem æſtimationem intrinſecam,& extrioſecam, licita ſuot ſi fiunt ſecundùm æqualitatem ratione valotis pecuniarum. ibid.5

Etiamſi vtrobiqoe ſit idem pretium, & valor monetæ, & eadem copia,vel inopia pecuoiarum, poteſt campſor in his cambiis, quæ fiunt à nundiois ad nundinas,vel de oundinis ad loca,vbi feriæ non celebrantur,vel de locis,vbi nullæ ſunt nundioæ,ad loca,vbi ſimiliter non fiunr,licirè & iuſtè aliquid lucrari,noo ratione valoris pecuniarum, ſed titulo traiectionis, ſeu aſpottationis earuodem. 1.241.init.

Æſtimatio pecuoiæ in qoantum pecunia,dupliciter fieri poteſt,vno modo per legem Principis, qua pecunia taxatur,vt valeat tot,vel tot nummos, ſicut Romæ Iulius argenteus æſtimatur quioquaginta quattinis,ſcutum aureum tredecim Iuliis, & hæc dicitur æſtimatio legitima, & inrrinſeca. Altera verò pecuniæ æſtimario eſt extrinſeca accidentalis, & quaſi fottuita,pioueniens ex cauſis exttinſecis, & fortuitis,ratione cuius non cenſetur peconia maior pluris valere reſpectu minutarum in eodem loco, ſed tota pecunia ſimul pluris,vel minoris valere, tum reſpectu rerum venalium in eodem loco, tum reſpectu pecuniarum,quæ ſunt in alio loco. ibid.2

Prima cauſa extrinſeca faciens pecuniam, quoad æſtimationem accidentalem,pluris, minoríſve æſtimari, eſt illius copia,vel inopia. ibid.3

Secunda cauſa extrinſeea,vode prouenit,quòd pecuniæ valor quo ad extrinſecam æſtimationem aliquaodo creſcar, aliquando decreſcat, eſt maior, vel minot multitudo petentium ad cambium. 1.242.init.

Tetria cauſa maiotis, vel minoris æſtimationis extrinſecæ pecuniarum aſſignatur ex multitudine,vel paucitate dantium ad cambium. ibid.

Quarta cauſa minoris, vel maioris æſtimationis pecuniarum deſumitur ex earumdem neceſſitate. ib.med.

Maior etiam hæc pecuniæ accidentalis æſtimatio ortum habet ratione minoris periculi amiſſionis. ibid.

Ratione diuerſæ æſtimationis legalis,& intrinſecæ pecuniarum, pretium cambiorum poreſt iuſtè augeri, vel minui. ibid.4

Conſequenter cómutare pecuniã in vno loco, vt ſimilis,vel eadẽ reddatur in alio loco, vbi ploris æſtimator æſtimatione legali,iniuſtũ,& iniquum eſt. ibid.5

Ratione maioris æſtimationis extrinſecæ, & accidentalis pecuniarum poreſt iuſtè pretium cambiorum augeri. ibid.6

Conſequenter ratione minoris æſtimationis exttinſecę pecuniarum deber pretium cambij diminui. ibid.

Semper tamen campſores poſſunt aliquod lucrum accipere ratione obſequij quod præſtant campſariis. 1.243.init.

Aliquando campſor tribus titulis, & cauſis lucratur, dans ſuam pecuniam hîc ad cambium ſoloendam alibi. Primò titulo traiectionis virtualis pecuniæ campſarij in hunc locom, vbi dat ſuam, & obſequij quod præſtar. Secuodò eo quòd tribuir ſuam pecuniam hîc maioris æſtimationis quoad valorem accidentalem, (vt ſupponimus) qoàm habeat, vbi eſt ſoluenda. Tertiò poteſt etiam lucrari, eo quòd, vt etiam ſupponimus, Romæ, v.g. vbi dat ſuam pecuniam ad cambium, pecunia ſit maioris æſtimationis legalis,& intrinſecæ,qoàm in loco ſolutionis.ibid.7

Imponuntur pretia cambiorum ſic: conueniunt mercatores qui hanc campſoriam artem exercent,in domo negotiationis, vel in loco condicto in nundinis, & congregationem habent,quam *Conſulatum mercatorum* appellant, & ibi accuratè, omnibus penſaris, maximè vbi pecuniæ magis abundant,& vbi illarum eſt penuria, vbi eſt paucitas petentium ad cambium; vbi verò multitudo, & omnibus cauſis conſideratis, & poſt mulram ioter ſe collationem, & diſputarionem,in qoa hi, quibus expedit pretium exiguum eſſe, illud diligenter curant. quibus verò expedit, vt maius illud ſit, illud quoque quantum poſſunt nituntur; denique conueniunt de aliquo certo pretio omnibus accommodatu, & communi cooſenſu iudicato iuſto. ibid.2

Probi igitur, & periti campſores eodem conſenſu in vnum congregati adaugent pretia cambiorum, ſi in loco, vbi recipiuntur pecuoiæ ad cambium, eſt illarum inopia,& abundaot quærenres cambia; in loco verò ſolutionis eſt copia torius generis pecuniarum, & pauci petunt ad cambium. Minuunt verò pretia cambiotum, ſi vbi recipiuntor pecuniæ, eſt maxima illarum copia,& deſunt quærentes cambia; in loco verò ſolutionis è contra pecuniæ deſunt, & multi in vim cambij illas habere petunt. ibid.

Pretium cambiorum in nundinis proximè futuris taxandum illud dicitur, quod campſores in futuris illis nundinis exiſtentes conſtituunt tam in primo cambiorum contracto, quando recipiuntor pecuniæ reſtituendæ in nondinis adueniente ſolutionis termino,quàm in remiſſione ſolutionis ad priorem locum. 1.244.3

Pretij conſtitutio in cambiis,& pecuniarum,quæ commutantur,æſtimatio iuſtè,& licitè fieri poteſt à mercatoribus artem campſoriam exercentibus. ibid 4

Æſtimatio pecuniarum in locis,inter quæ cambia celebrantur, facienda eſt iuxta eundem temporis articulum, quo fiunt cambia, proinde ac ſi in eodem inſtanti pecuniæ illæ inter ſe commutarentur in illis locis, vt rectè, ac iuſtè pretia cambiis conſtituantur. ibid.2

Pretium in cambiis eſt conſtitoendum iuxta æſtimationem pecuniarum quam habent in eodem temporis articulo,quando cambia celebrantur. 1.245.init.

Si locus in quo eſt pecunia ſoluenda, non tam longè abeſt,quàm locus,vbi primæ nundinæ fiunt, non poteſt campſor tantum lucrum exigere à campſario, quantum exigeret ex cambio, cuius pecuniæ ſoluerentur in loco nundinarum. ibid.3

Etiamſi æqua ſit locorum diſtantia; ſi tamen certò, & probabiliter ſcitur,æſtimationem pecuniarum eo in loco,vbi eſt pecunia ſoluenda,eſſe maiorem, non minorem, vel æqualem, quàm ſit in loco vbi nundinæ ſunt celebrandæ, tunc cambium eſt illicitum, ſi eo pacto fiat vt totidem aureos cum tanto lucro ibi ſoluat campſarius ad tres menſes, cum quanto lucro totidem aurei ſoluerentur ad nundinas in loco conſueto. ibid.4

Quòd ſi pretium pecuniarom ſit æquale io loco nundinarum,& in alio loco,vbi fit illarum ſolutio,& æqua ſit locorum diſtantia, tunc cambium cum illo pacto eſt iuſtum,& licitum. ibid.

Cambium,cuius pretium mutuò contrahentium conſenſu relinquitur in incertum, eſt licitum, qoando vtrinque eſt æquale dobium quòd minus, vel plus pecuoiæ ſint valituræ tempore ſolutionis, quàm ſit pretium, quod valent de præſenti,cùm ad tale cambium dantor. ibid.2

Cùm res dubia eſt,quo pretio fient commutationes pecuniarum poſt duos, vel tres menſes à pecunia data io vim cambij in futuris nundinis, ſi ſumatur eo tẽpore,qoo pecunia traditur ad cambium,medium aliquod pretium, quòd patum plus,vel minus credantur pecuniæ in nundinis futuris valituræ,conſtituatúrque illud in fauorem campſoris tanqoam certum,tunc cambium eſſet illicitum. 1.246.3

Primæ nundinæ intelliguntur illæ, quæ non abſolutè ſunt primæ, ſed illæ ad quas à tempore celebrationis cambij competens tempus intermediat pro ſolutione litterarum campſoriarum, quod quidem tempus trium menſium regulariter pro ſufficienti reputatur. 1.246.2

Nundinæ igitur intercallatæ dicuntur ſecundæ nnndinæ mediatæ, quæ poſt deportationem litterarum campſoriarum ad locum conuentum, vbi facienda eſt ſolutio, ſecundò celebrantur non immediatè, ſed mediatè: immediatæ verò, ſeu primæ uundinæ appellantur illæ, quæ poſt deportationem litterarum cambij ad locum condictum ſolutionis primò, & immediatè fiunt, & in ipſis commodè fieri poteſt cambij ſolutio. 1.247.med.

Ad nundinas intercallatas, id eſt, ad ſecundas nundinas, prætermiſſis primis, non licet dare ad cambium cum maiori lucro, quàm ad proximas. ibid.3

Poteſt tamen campſor dare ſuam pecuniam ad cambium ad ſecundas, vel tertias nundinas, eodem tamẽ pretio, quod dediſſet ad primas, & immediatas. ib.4

Si campſor ratione veri intereſſe, & veri lucri ceſſantis plus exigeret, quando ad ſecundas nundinas concedit fieri cambij ſolutiõnem, vel terminum ordinarium profert, peccaret contra iuſtitiam legalem, & diſpoſitionem iuſtam Extrauagantis Sanctiſſimi Pij V. de cambiis, & punitetur io foro exteriori tanquam vſurarius. ibid.

Talis tamen campſor dans ad cambium ad ſecundas nundinas, vel ad ſecundos terminos, non peccaret contra iuſtitiam commutatiuam, ſi aliquid plus exigeret ratione veri lucri ceſſantis taxati arbitrio boni viri, & conſequenter non teneretur ante iudicis ſententiam ad illud plus, quod acciperet, reſtituendum. ibid.

Cambiorum ſolutiones tribus modis conſtituuntur, vel ita, vt ſtatim fiant, cùm primùm proponuntur, & oſtenduntur litteræ campſoriæ, & ſic dicitur cambium celebrari ad viſas litteras. Vel ſolutiones cambiorum fiunt in præfixo termino, qui mutuo vtriuſque contrahentis conſenſu conſtituitur, veluti poſt duos, vel tres menſes, & tunc dicitur cambium fieri ad præfixum terminum. Vel tertiò in ſequentibus nondinis. 1.148.1

Nomine autem nundinarum non intelligitur menſis, vel tempus, in quo celebrantur veræ nundinæ, id eſt, variæ mercium emptiones in aliquo emporio, ſed tempus ſolutionum, & receptionum pecuniarum in vim cambij datarum. ibid.

Iu huiuſmodi cambiis ſiue fiant ad viſas litteras, ſiue ad terminum præfixum, ſiue ad proximas nondinas pro dilata, ſeu tardiori pecuniæ ſolutiono, nequit pretium augeri. ibid.3

Accidere poteſt, vt & iuſtè cariùs cambiatur per cambium tranſlationis pecuniæ & abſentiæ ſecundùm locum, Româ, v.g. Lugdunum, quàm è contra Lugduno Romam. 1.149.2

Triplex eſt genus negotiatorum. Primi negotiatores dicuntur, mercatores celebres, quorum officium eſt merces in vno Regno, vel Prouincia, vbi eſt earum abundantia, emere, vt iterum in alio regno, vbi illarum eſt inopia, vendant. Secundi negotiatores dicuntur campſores, qui negotiantur in mera pecunia, permutantes pecuniam, quam habent in vno loco, pro pecunia reddenda in alio. Tertij dicuntur depoſitarij, ſeu menſarij, vulgo *Banchieri*, quorum officium eſt habere in depoſito pecunias mercatorum, & campſorum, & rationem dati, & accepti in ſuis libris; inſuper ſunt quaſi fideiuſſores ipſorum. ibid.

Hi menſarij, ſeu depoſitarij cuſtodientes pecunias mercatorum, & campſorum, erant olim diſtincti à mercatoribus, & campſoribus, recipiebántque ab illis aliquod ſtipendium, ob obſequium illis præſtitum, ſoluentes litteras, & debita ab illis, ipſis mandata, ſcribentéſque diligenter, ac fideliter in ſuis libris omnia computa, & rationes dati, & accepti. 1.250.3

Stipendium eorum erat, quòd quoties nomine mercatoris, vel campſoris numerarent mille aureos, acciperent ſibi quinque, vel ſex ex mille aureis numeratis: modò verò campſores ipſi ne aliquod ſtipendium reddant menſariis, ſed ſibi ipſis illud retineant, exercent munus menſariorum, accipientes à creditoribus quinque, vel ſex pro milliario. ibid.

Huiuſmodi bancharij poſſunt iuſtè aliquod ſtipendium accipere à mercatoribus & campſoribus, quorum pecunias cuſtodiunt ratione laborum quos ſuſtinent in illis cuſtodiendis, in faciendis ſolutionibus ex illis, & habenda ratione dati, & accepti. ibid.

Non poteſt bancharius, cui debitum ſoluendum traiicitur, prouiſionem accipere ab eo, cui pecuniam numerare debet, ſed à mercatore, ſeu campſore, cuius nomine pecunia numeratur. ibid.4

Conſequenter campſor, qui hîc Romæ, v. g. confert campſario centum aureos in vim cambij ſoluendos Lugduni, vltra iuſtum lucrũm cambij ratione aſportationis, vel maioris, vel minoris æſtimationis pecuniarum, non poteſt ratione laboris numerandæ pecuniæ, vel ſcribendi litteras campſorias, vel mittendi ad ſuum reſpondentem aliquod pretium recipere à campſario. ibid.5

Nummularius, ſeu reſpondens eiuſdem, cùm illi ſoluuntur pecuniæ in loco ſolutionis à campſario, ſeu ab eiuſdem procuratore vltra iuſtum pretium cambij, non poteſt iuſtè aliquod lucrum, ſeu prouiſionem à campſario recipere, propter numerandi laborem, & moleſtiam. ibid.6

Probabile eſt etiam aſſerere, nummularium, cui debitum per litteras campſorias ſoluendum traiicitor, pretium, ſeu prouiſionem aliquam accipere poſſe ab eo, cui pecuniam numerare debet. Idem ſimiliter dicendum dum illi ſoluuntur pecuniæ in loco ſolutionis à campſario ratione oneris & officij in numerando pecunias, quas recipit ſolutas ab aliis. ibid.

Nummularij, ſeu bancharij duobus modis recipiunt apud ſe pecunias à mercatoribus, & à campſoribus: vno modo in pecunia numerata, aurea, argentea, ſiue alterius rationis; alio modo non in pecunia numerata, ſed in chirographis, & ſyngraphis, quibus pollicentur mercatores, ſeu campſores fideliter ſoluere, quæcunque fuerint nomine ipſorum mercatorum, ſeu campſorum à banchariis in eorum menſis ſoluta: qua de cauſa ipſi bancharij ſolent dupliciter litteras campſorias campſariis ſoluere, & debita creditoribus venientibus ad ſe, vno modo in pecunia numerata alio modo remittentes illos per ſyngraphas ad alios menſarios. 1.251.2

Solent menſarij, ſeu bancharij, quæ ad illorum menſas ſoluenda remittuntur debita, vel litteras campſorias ad ipſos remiſſas à mercatoribus, ſeu à campſoribus ſoluere venditoribus, & campſariis per chirographa, & non in pecunia numerata. ibid.

In fine tamen nundinarum tenentur neceſſariò menſarij, ad quos debita, & litteræ illæ campſoriæ remittuntor, in integrum illas ſoluere in numerato. ibid.

Quòd ſi creditor velit ſui debiti ſolutionem ſtatim ante finem nundinarum recipere, conſueuerunt menſarij ratione illius anticipatæ ſolutionis in numerato aliquod ab eo lucrum recipere. ibid.

Non licet menſario, qui nomine mercatoris, vel campſois

pſoris alicui alteri venditori, vel campſario debita, vel litteras campſorias ſoluit, aliquod lucrum exigere, eo quòd in numeratis pecunias tradat, & non per ſyngraphas, remittendo venditorem, aut campſatium ad alium menſarium. ibid 3

Canonicus, vide Beneficiarius.

Canonizatio.

Canonizatio eſt canonicè, & regulariter inſtituere, quòd aliquis pro Sancto honoretur; puta, quòd fiat pro eo ſolemne Officium, ſicut pro aliis Sanctis eiuſdem conditionis, vt ſi eſt Confeſſor, fiat officium Confeſſoris, aut Martyrum, ſi Martyr. 1.357.2
In canonizatione Sanctorum inquiritur primò de excellentia vitæ canonizandi, ſi fuit in laboribus multis, & iuſtis, ſi motibus caſtus, & actibus ſtrenuus, & maximè ſi ſimplex, & humilis fuerit, & ſi ſuſtinuit perſecutionem. 1.358.init.
Inquiritur etiã de miraculis in vita, & poſt mortem. ib.
Hæreticum eſt negare eſſe auctoritatem in Eccleſia, & Romano Pontifice ad canunizandos Sanctos. ibid. 3
Concilium generale Romani Pontificia auctoritate confirmatum non poteſt errare in canonizatione Sanctorum. ibid. 4
Valde temerarium eſt aſſerere, quòd Concilium generale auctoritate ſummi Pontificis confirmatum poſſit errare in canonizatione Sanctorum. ibid. 5
Non ſolùm temerarium, ſed impium valdè eſt dicere Concilium generale confirmatum auctoritate Pontificis poſſe deficere in canonizatione Sanctorũ. ib.
Non ſolùm eſt temerarium, & impium, ſed etiam ſapit hæreſim, aſſerere Concilium generale in canonizatione Sanctorum poſſe errare. ibid. 6
Non ſolùm eſt temerarium, impium, & ſapiens hæreſim, aſſerere Concilium generale, auctoritate Romani Pontificis confirmatum, poſſe errare in canonizatione Sanctorum, ſed etiam eſt erroneum. 1.359.med.
Non eſt damnandus tanquam hæreticus aſſerens Concilium generale confirmatum auctoritate ſummi Pontificis poſſe errare in canonizatione Sanctorum. ibid. 7
Vide *Concilium.*

Capellania, & Capellanus.

Capellania, cui eſt annexa obligatio Sacra faciendi, eſt beneficium, quotieſcumque eſt fundata Epiſcopi auctoritate. 1.151.2
Quòd ſi ad laicos tantùm pertineat, nec Epiſcopus in illam ſe ingerit, beneficium non eſt, ſed vel patrimonium Clerici, in cuius bonum cedit, éſtque beneficium ſimplex, niſi curam animarum habeat adiunctam. ibid.
Capellanus habens capellaniam, cui non eſt annexa animarum cura, iure communi poſitiuo tenetur in Eccleſia reſidere. ibid. 3
Conſuetudine tamen introduci potuit, vt ſimplicia beneficia obtinentes, & capellanias, quibus cura animarum non eſt annexa, tutò redditos, & fructus percipiant, etiam abſentes, dummodo per Vicarios ab ipſis conſtituros ſuis inſeruiant capellaniis. ibid.
Aſſertio hæc immediatè præcedens ſolùm locum habet in iis capellaniis, & beneficiis ſimplicibus, quibus nullum præceptum ſpeciale reſidendi eſt impoſitum ex peculiari ipſorum inſtitutione, vel priuilegio, vel ſtatuto, vel conſuetudine ſpeciali. ibid.
Capellania eo ſolo quòd habet onus celebrandi, ſi in eius fundatione ſit ſtatutum, quòd Collatarius Capellanus per ſe ipſum hoc agat, non poteſt conferri niſi habenti ætatem, qui intra annum ſit Sacerdos. ibid 4
Secus verò ſi in fundatione hoc non ſit expreſsè cautum. ibid.
Probabilius videtur dicendum talem Capellaniam, eo ipſo, quòd habet onus Sacrum faciendi, conferri non poſſe, niſi ei, qui tempore quo nominatur, in ea ætate ſit vt temporibus iure præſcriptis intra annum Sacerdos fieri poſſit. 1.152.init.
Idem dicendum ſi Capellaniæ fundatio habet ſic: Beneficiarius per ſe, vel per alium ter in hebdomada Sacris operetur. ibid.
Non tamen oportet, quòd ſit actu Presbyter, & hoc eſt conſuetudine introductum. ibid.
Si in litteris inſtitutionis Capellaniæ ſacerdotalis, ſeu beneficij presbyteralis (inſtituti ſcilicet pro Sacerdotibus) expreſſim conditio apponatur, quòd conferatur actu Presbyteris, non Sacerdoti, actu collatio fieri non poteſt, & eſt nulla ſi fiat. ibid.
Vide *Beneficium.*

Cardinalatus.

Cardinalatus eſt beneficium duplex collatiuum à Romano Pontifice. 1.150.3
Vide *Beneficium.*

Caro.

Veſci carnibus humanis hominum interſectorum, quando alij cibi ſuppetunt, inhumanum eſt, & peccatum lethale. 1.252.2
Ad euitandum mortis periculum, vti quando ad ſuſtentationem vitæ alius cibus non ſuppetit, non licet hominem interficere. ibid. 3
Per accidens tamen, quando ſunt homines iam occiſi in bello, & non ſubeſt alius cibus, licet veſci carnibus humanis hominum interſectorum. ibid.
Si caro humana hominum interſectorum non ſumitur per modum cibi, ſed per modum medicamenti: vt contingit in medicamento, quod Medici *Momiam* appellant, in quo aliquid carnis humanæ admiſcetur, eum eſum nullo iure vetari, ac proinde eſſe licitum. ibid. 4
Licitus fuit eſus carnium ante diluuium. 1.253.2
De facto ante diluuium fuit eſus carnium. ibid.
In ſtatu innocentiæ ante peccatum valdè probabile eſt quòd homines non veſcerentur carnibus. ibid. 3
Non caret probabilitate, quòd ſi homines perſeuerarent in ſtatu naturæ integræ, aliquoties carnes comederent, quamuis non fuiſſent neceſſariæ ad vitæ ſuſtentationem, eo quòd fructus terræ eſſent virtute ſolidiſſimi ad nutriendos vegetandóſque homines. ibid.
Licèt eſus ligni vitæ homines in ſtatu innocentiæ valerent incolumes ſeruare, vt poſſent non mori, tamen habuiſſent homines corpora paſſibilia. ibid. 4

Carthuſianus.

Carthuſianus poteſt veſci carnibus in extrema neceſſitate, ſiue ea neceſſitas proueniat ex morbo (quam quidem putant non dari ſi alij cibi ſuppetant) ſiue ex aliorum ciborum inopia, etiamſi ex ſtatuto ſuæ regulæ ſub pœna excommunicationis eſus carnium ipſi prohiberetur: & ſic nec peccaret, nec cenſuram incurreret. 1.316.13
Nec refert etiamſi illud ſtatutum voto, aut iuramento firmatum ſit. ibid.
Quòd ſi expreſsè vouiſſet, ſe nullo euentu, etiamſi mors impenderet, carnes eſurum, præcipuè ſi ob commune decus ſuæ Religionis tuendum tali voto ſe obſtrinxiſſet, tunc eſſet validum, & teneretur illud ſeruare. ibid.
Imò abſolutè poteſt etiam Carthuſianus in extrema neceſſitate abſtinere à carnibus propter virtutis exemplum ob reuerentiam ſtatuti, quod ſtrictiſſimè

abſtinen

abſtinentiam à carnibus præcipit,& etiam in extremis morbis in ſuo ordine ſeruatur. ibid.

Caſus conceſſi Anno Iubilæi.

Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poteſt abſoluere à caſibus ibi conceſſis anno Iubilæi. 1.31.2

Caſus Bullæ Cœnæ.

Facultas conceſſa Epiſcopis in decreto Tridentini, & in Motu Pij V. Prælatis Religionum exemptarum, eſt reuocata per Bullam Cœnæ, quo ad abſolutionem ab hæreſi,& cæteris caſibus Bullæ Cœnæ, & ideo ab illis quantumuis occultis non poſſunt Epiſcopi, & Prælati Religionum exemptarum abſoluere. 1.37.2

Caſus Bullæ Cruciatæ.

Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poteſt abſoluere à caſibus ibi conceſſis anno Iubilæi. 1.31.2

Caſus occulti.

Capitolum poteſt abſoluere & diſpenſare, Sede vacante, circa omnes caſus occultos, nec deductos ad forum contentioſum,excepta irregularitate, ex homicidio voluntario, virtute conceſſionis Concilij Tridentini. 1.27.2

Ea poteſtas competit Abbatibus & aliis Prælatis habentibus iuriſdictionem Epiſcopalem, & diœceſim nulli Epiſcopo ſubiectam. 1.28.3

Ea poteſtas Concil.Trid. competit Superioribus,etiam localibus, ſeu conuentualibus Religionum exemptatum. ibid.

Ea facultas competit etiam Epiſcopis electis,& confirmatis,licèt nondum conſecratis. ibid.4

Abſoluere poſſunt Epiſcopi ab omnibus caſibus occultis illis conceſſis virtute Concilij Trid. quos poſt Tridentini publicationem ſibi Pontifex reſeruat. 1.31.2

Vide *Cenſurarum abſolutio.*

Caſus Papales.

Viatores,peregrini, ſcholaſtici, mercatores propriam diœceſim habentes poſſunt abſolui à caſibus Papalibus, in decreto Concilij Trid. contentis, ab Epiſcopo alienæ diœceſis, in qua tunc reperiuntur, etiamſi ad breue tempus in ſuam diœceſim ſint redituri,nec exigitur vt in ea diœceſi maiori anni parte ſint moram facturi. 1.16.3

Caſus reſeruati.

Si nulla ſit neceſſitas,imò ſi nō ſis grauis neceſſitas,puta ſi ſit neceſſe implere præceptum annuæ confeſſionis,aut communicare,vel ſacrum facere, itaut non poſſit omitti ſine graui ſcandalo,aut infamia, & pro tunc non patet aditus ad Superiorem,non poteſt inferior abſoluere ab aliis peccatis antequam Superior abſoluat à reſeruatis. 1.6.2

Si abſolutio ab inferiori hoc modo detur, & pœnitens confiteatur bona fide, talis abſolutio erit valida. ibid.3

In aliquo caſu neceſſitatis, de qua neceſſitate diximus in primo dicto, poteſt inferior Sacerdos abſoluere pœnitentem, qui habet caſus reſeruatos habentes etiam excommunicationem annexam,antequam coram Superiore compareat. ibid.4

Cùm Epiſcopus,vel Superior abſoluit à ſibi reſeruatis, ſtante aliqua rationabili cauſa, tunc datur gratia, qua omnia alia indirectè,& conſequenter remittuntur:ſimiliter quando inferior abſoluit ab his, à quibus poteſt,datur gratia, qua reſeruata conſequutiuè remittuntur,ſed non ob id eximitur obligatio confitendi, vel Superiori reſeruata, vel inferiori omnia; ſicut cum ſola contritione datur gratia, qua peccata remittuntur, ſed non ob id obligatio confeſſionis aufertur. 1.7.5

Conſtitutum in articulo mortis quilibet ſimplex Sacerdos abſoluere poteſt, quando deeſt copia proprij Sacerdotis, ſeu alterius Sacerdotis expoſiti ad audiendas confeſſiones. 1.8.2

Vel ſi proprius Sacerdos, qui adeſt, eſſet ſolicitator ad malum, vel vehementer dubitaretur eſſe reuelatorem confeſſionum. ibid.4

Articulus mortis tunc contingit, quando mors eſt in fieri, & ita proxima, & moraliter certa, vt ferè ſit ineuitabilis, ſiue id ex cauſa naturali proueniat, vt morbo,ſiue ex cauſa violenta, vt ſi quis morte plectendus eſſet. Periculum verò mortis eſt, quando adeſt probabile dubium, & frequenter ſolet in tali caſu mors accidere,vt eſt actuale bellum, longa nauigatio periculoſa, partus mulieris, quæ difficiles partus ſolet habere,& ſimilia. 1.9.2

Sufficit articulus & periculum mortis, vt quilibet ſimplex Sacerdos, ſi abeſt proprius, poſſit abſoluere quoſuis ab omnibus peccatis & cenſuris,&c. ibid.

In articulo,ſeu periculo mortis quilibet Sacerdos non toleratus, etiam præciſus & denunciatus, quando non eſt copia alterius, eſt proprius Sacerdos, abſoluere potens ab omni peccato, & excommunicatione. ibid.3

In articulo mortis non poteſt ſimplex Sacerdos abſoluere,&c. ſi adſit Sacerdos, qui in alia diœceſi Parochus, aut approbatus ad audiendas confeſſiones ſit, non tamen in illa. ibid.4

In articulo mortis ſi adſit Sacerdos expoſitus, excommunicatus tamen,denunciatus, ſeu ſuſpenſus, non toleratus,& ſimul etiam ſimplex Sacerdos,tunc vterque eligi poteſt & abſoluere. ibid.5

Si deficiente Sacerdote approbato, ſimplex confeſſionem conſtituti in articulo, aut periculo mortis, audire cœpit, & ante abſolutionem adſit legitimus Confeſſarius, poteſt prior Confeſſarius cœptam confeſſionem perficere. ibid.6

Si conſtitutus in articulo mortis haberet caſum ratione excommunicationis reſeruatum, & antequam ſimplex Sacerdos abſoluat, adueniat Superior ordinarius, tunc priùs abſoluendus eſt talis pœnitens à ſuo Superiore ab illa excommunicatione, deinde Sacerdos ille,quicunque ſit,poſſet à peccatis abſoluere. ibid.7

Si in articulo mortis ſimplex Sacerdos pœnitentem iam abſoluerat ſuperueniente legitimo Confeſſore, non poſſet poſtea audire peccata oblita, vel quæ æger non potuit fateri tunc. ibid.8

Si conſtitutus in articulo mortis inualidè eſt abſolutus à ſimplici Sacerdote, puta quia in ea confeſſione mentitus eſt, in re graui, ſi ſuperueniat legitimus Confeſſor,adhuc poteſt detecto illo mendacio à Sacerdote illo ſimplici abſolui. 1.10.init.

Ab excommunicato abſoluto in articulo mortis ob hæreſim, vel ob aliud magnum crimen, iuramentum poſtulatur parendi de cætero mandatis Eccleſiæ. ibid.2

Sed non eſt neceſſarium iuramentum generale de ſeruandis Eccleſiæ mandatis,ſed in illa materia, ob cuius violationem excommunicatus manſit. ibid.

Abſoluendo ratione articuli mortis, aut cuiuſuis impedimenti temporalis ab excommunicatione reſeruata,ſiue Pontifici,ſiue cuicunque inferiori, tenetur Confeſſarius iniungere vt ceſſante morbo, vel eo impedimento ſe præſentet Superiori, qui extra eum caſum de iure poterat eum abſoluere. Quòd ſi non ſe præſentauerit, quando commodè poterit, propter contumaciam in eandem excommunicationem incidit. ibid.

Et hoc ſe præſentandi onus eſt ſub iuramento imponendum. ibid.

Si

Si tale fuit deliĉtum, ob quod excommunicatio lata fuerit, vt ſpecialem ſatisfactionem requirat, & illa nondum ſit exhibita, neque alia ſufficiens cautio de illa implenda data ſit pignoratitia, aut fideiuſſoria, tunc etiam cautio iuratoria, ſeu iuramentum eſt exigendum de ſatisfactione exhibenda. ibid.

Abſolutus tamen in articulo mortis, ſi à tali poſtea periculo liberatur, noo tenetur ſe præſentare Superiori pro peceato reſeruato non habente annexam excommunicationem. ibid.3

Habeotes impedimentum perpetuum, ſicuti ſenes mulieter, quibus vagari non expedit: pauperes, qui tanta paupertate laboraot, quòd ad Curiam ire non poſſunt: valetudioarij, id eſt, laborantes morbo incurabili: impuberet, propter defectũ ætatis, ab Epiſcopo ſuo debent & poſſunt abſolui, ita vt non ſit iniungendum eis maodatum de præſentaodo ſe Apoſtulicæ Sedi. ibid.

Filius autem familias licèt abſolui poſſit, non rameo ſine iuramento comparendi, & ideo ſi emancipetur, vel quacunque alia ratione fiat ſui iuris, tenetur comparere. Seruus ſimiliter ſi manumirtatur ſimpliciter, vel quoad illum actum, renetur accedere ad Sedem Apoſtolicam, &c. Habentes etiam graues inimicitias poſſunt abſolui, impoſito tamen iuramento quòd ceſſaote inimicitia teneantur accedere. ibid.4

Hoc ouus ſe præſentandi Sedi Apoſtolicæ, vel alteri Superiori, non eſt imponendum, quando ſanus aliquis, aut lo mortis articulo abſoluitur à reſeruatis habentibus annexam excommunicatiohem virtute Bullæ, aut Iubilæi, aut alterius priuilegij concedentis eam abſolutionem. ibid.

Poteſtas abſoluendi ab hæreſi in articolo mortis non eſt extendenda, vt poſſit quis abſolui alia ratione impeditus, puta paupertate, inimicitiis, ſenectute, aut ſimilibus impedimentis. Vnde in taii caſu extra articulum mortis ad Inquiſitores, vel ad Pontificem per Procuratorem, aut literas tacito nomine recurrendum eſt. t.11.5

Abſolutio ſacramentalis in extrema neceſſitate licitè ab excommunicato denunciato etiam hæretico peti, & adminiſtrari validè poteſt. 1.18 2

Hanc iuriſdictionem abſoluendi in articulo mortis ab omnibus caſibus, & cenſuris omnes Sacerdotes, etiam excommunicati, dennnciati, & hæretici, habent de iure diuino, participatam tamen & deriuatam à ſummo Pontifice; ſicut Epiſcopus iure dinino habet iuriſdictionem, & etiam Parochus. Nihilominus babent illam participatam, & deriuatam ab ipſo R.P. ibid.3

Neceſſarium eſt vt qois ſit capax abſolutionis ſacramentalis qòd aliquo modo nutu, vel voce in præſentia Sacerdotis ſua peceata confiteatur, vnde non ſufficit quòd infirmus ante aduentum Sacerdotis ſua peccata confeſſus fuerit, vel ſigna cootritionis exhibens petierit pœnitentiam. t.19.2

Si infirmus in extrema neceſſitate poſitus in præſentia Sacerdotis dicat confeſſionem generalem, vel proferat hoc verbum, *peccaui*, vel aliquod ſignum contritionis exprimat, hoc ipſum ſignificans, dummodo probabiliter colligat Sacerdos hoc facere infirmum cum intentione confeſſionis, etiamſi poſtea mento turbatus non poſſit aliud proferre, poteſt ſacramentaliter abſolui ſaltim ſub conditione. ibid.3

Conſequenter vtentes in articulo mortis formulis abſoluendi manualium vulgarium, caueant ne intendant abſoluere ſacramentaliter eos, qui ſibi nec verbo, nec nutu, vel ſigno aliquo contritionis peccata ſunt coofeſſi. ibid.4

Poteruot tameo vtentes tali forma in articulo mortis excuſari, & intelligi de abſolutione alia, quàm ſacramentali, puta generali deprecatiua, vel de abſolutione à pœna per Indulgentias fidelibus conceſſas. ibid.

Quando ſubditus coofeſſionem facit Superiori ſine vlla mentione, vel intentione caſuum reſeruatorum, & abſolutio ſimili modo datur ab ipſo, non ſatis eſt vt peccatum oblitum, quod antea erat reſeruatum, poſtea maoeat non reſeruatum, & ſine onere confitendi illud Superiori. 1.20.2

Quando ſubditus comparuit coram Superiore, eique peccata reſeruata integrè reuelauit, quamuis contingat Superiorem abſoluendo verè non abſoluere à peccatis ex defectu circa alia peccata, oibilominus abſoluit, ſeu liberat à reſeruatione, licèt confeſſio fuerit ficta, & inoalida ex aliquo alio defecto. ibid.3

Quando pœnitens confitetor Superiori, vel habenti iuriſdictionem eius ad hunc finem, exonerandi ſcilicet omoioo conſcientiam, & conſequendi abſolutionem peccatorum reſeruatorum, quamuis aliquis caſus reſeruatus propter obliuionem inculpabilem taceatur, liber manet à reſeruatione, itaut poſſit poſtea illud confiteri cuicunque ſimplici Sacerdoti habenti communem iuriſdictionem. ibid. a

Si obliuio fuit culpabilis, tunc peccatum non ſolùm oblitum remanet reſeruatum, ſed etiam alia explicita reſeruata in tali confeſſione. 1.21.3

Quando quis virtute Iubilæi, vel priuilegij ſibi cõceſſi abſoluitur ab omnibus peccatis, etiam reſeruatis, & obliuione inculpabili obliuiſcitur alicuius reſeruati, ſi poſt abſolutionem acceptam oon facit opera neceſſaria ad conſequendum Iubilæum, cuius virtute abſoluitur, poteſt poſtea à quocunque Confeſſore ab eo abſolui. ibid.4

Prælatus licitè poteſt ſub tali condiſione, vt iterum pœnitens ſe illi præſentet, facultatem concedere à reſeruatis. 1.22.a

Confeſſor in caſu præſenti hanc conditionem pœnitenti manifeſtare tenetur, & ſi pœoitens eam non accepret, non poteſt tunc illum abſoluere. ibid.3

Si Confeſſor priùs abſoluit pœnitentem, & poſtea declarauit conditionem præſentandi ſe coram Superiore, & pœnitens non vult dictæ conditioni aſſentiri, abſolutio eſt valida, neque reincidit in peccatum illud reſeruatum. ibid.

Pœniteos ſic abſolutus ſi poſtea oon acceptauit dictam cooditionem, comparendi ſcil. coram Superiore, ſecundùm opinioné multorum, non tenetur ad comparẽdum, etiamſi poſtea declaretur cõditio. t.23.init.

Pœnitens acceptando dictam conditiooem comparendi coram Superiore, remanet obligatus ad illam implendam, vnde quoad vſque perſiſtit in propoſito non adimplendi, eſt impœnitens, ac per conſequens inhabilis ad abſolutionem iterum de aliis peccatis poſtea commiſſis obtineodam. ibid.4

Quilibet Sacerdos abſoluere poteſt ab omnibus cenſoris & caſibus reſeruatis captiuos Chriſti fideles apud Turcas commorantes, præcipuè veniente tempore Quadrageſimali, ſi non adeſt proprius Cooſeſſarius, vel alius expoſitus ab aliquo Ordinario. 1.25.2

Viatores, & peregrini bona fide iter agentes habentea caſus reſeruatos in propria diœceſi, poſſunt abſolui ab ordinariis Confeſſoribus diœceſis in qua verſantur, ſi aliàs noo ſint etiam reſeruati per Epiſcopum loci illius in quo morantur. 1.26.3

Si peccata ſint reſeruata in illo Epiſcopatu in quo pœnitẽs viator & peregrinus cõfitetur, non autẽ in ſuo, tũc talis pœnitẽs cùm iudicetur vt ſubditus, & incola illius loci in quo verſatur, ooo poterit abſolui à

Confeſſariis ordinariis, qui aliàs non habent facultatem citca reſeruata: ſed oportet, vt ab Epiſcopo loci, vel ab habeote illius facultatem abſoluatur. ibid.

Viatores, & peregrini qoi dũ ſe inueniũt in aliena diœceſi, incurrũt in caſus ibi reſetuator, licèt nõ ſint reſeruati in ſua propria diœceſi, nõ poſſunt ibi abſolui ab ordioariis Confeſſariis, ſed ab Epiſcopo loci, vel ab habeore illius facultatem ſuper reſeruata. ibid.4

Viatores, peregrini, ſcholaſtici, mercatores propriam diœceſim babentes, poſſunt abſolui à caſibus Papalibus in decreto Trid. conteotis ab Epiſcopo alienæ diœceſis, in qoa tunc reperiontor, etiãſi ad breue tẽpus in ſuã diœceſim ſint redituri, nec exigitur vt in ea diœceſi maiori anni parte ſint morã tractuti. 1.16.3

Secuodus Sacerdos habens tantùm iuriſdictionem cõmunem, poteſt abſoluete à caſibus reſeruatis habentibus cenſuram annexam, illa ablata pet Superiorem. 1.40.2

Si quis Religioſus babet authoritatem abſoluendi à reſetuatis actiuè, ſi hanc haber à Genetali, poteſt ea vti cum omnibur Fratribur totius Ordinis: ſi à Prooinciali, cum Fratribus tantùm illius Prouinciç, & etiam cum hoſpitibus ad eam venientibus: ſi à Prioribus conuentualibus, eum Fratribus illius Conuentus, & cum hoſpitibus ad eum declinantibus. 2.191.6

Si aceidat in Prouincia, vel in Conuentu, ad quam, vel ad quem declinauit Religioſus eiuſdem Ordinis, aliquem caſum eſſe teſeruatum, qui tamen non eſt reſernatus in Prouincia, vel in Conuentu, à quo diſceſſit talir Religioſus, hoſpes tenetur etiam ad illum caſum reſeruatum. ibid.7

Regularis caſu aliquo reſeruato Innodatus in ſua Prouincia, vel Conoentu, ſi iuſta de cauſa pergit in aliam Prouinciam, vel Conuentum, vbi talir caſus non eſt reſeruatus, poteſt ab omnibus Confeſſariis eiuſdem Ordinis abſolui, habentibus tantùm communem poteſtatem abſoluendi. ibid.

Regulares Ordinum Mendicantium caſu aliquo reſetuato innodati in ipſotum Prouincia, vel Conuentu, etiamſi dedita opera, & induſtria acceſſerint ad aliam Prouinciam, vel Conuentom, vt ibi confiteantur, vbi talis caſus non eſt reſetuatus, poſſunt abſolui ab omoibus Coofeſſariis expoſitis in ſuo Ordine habentibus tantùm auctoritatem communem. ibid.8

Duplicitet poteſt Sacerdos abſoluere à peccatis reſeruatis. Primo modo per ſe, & ditectè: ſecundo verò modo per accidens & inditectè. 2.217.2

Si ſit grauis neceſſitas, puta ſi ſit neceſſe implere præceptum annuæ confeſſionis, aut commonicate, vel Sacrum facere, itaut oon puſſit omitti ſine graui ſcandalo, aut infamia, & pro tunc non patet aditus ad Supetiorem, poteſt inferior Sacerdos abſoluere eum, qui habet caſus reſeruatos habentes etiam excommunicationem annexam. ibid 3

Quando vrget grauis cauſa, vel neceſſitas recipiendi ſacramentum, tone ſi ſimul pœnitens confiteatut peccata non teſeruata, & explicitè etiam reſetuata, à non reſetuatis abſoluitur directè, & per ſe. ibid.

In caſu grauis neceſſitatis, de qua in ſecunda aſſertione diximus, non poteſt pœnitens abſolui indirectè à reſeruatis, niſi etiam cunfiteatur Confeſſario illi inferiori peccata non teſeruata, ſupra quæ Sacerdus habet iutiſdictionem ordinatiam, vel delegatam. ibid.4

Quando quis confiterur Sacerdoti infetiori, qui non poteſt abſoluere à reſetuatis, tenetur confiteri peccata reſeruata. ibid.

Qui non habet poteſtatem in reſeruata, inualidè abſolueret eum, qui etiam vrgente aliqua neceſſitate hæc ſola confiteretur. ibid.

Qoando pœnitens ioferiori Confeſſatio booa fide confitetur ſimul eum non reſeruatis aliqua peccata reſetuata, validè ab eo abſoluitur, ditectè quidem à non reſeruatis, à reſeruatis verò indirectè, & cum onere ea iterum confirendi. ibid.5

Qui ſine neceſſitate peccata reſeruata Sacerdoti inferiori ſcienter coofiteretur, grauiter peccaret, & conſequenter inualidum eſſet ſacramentum. ibid.6

Si pœnitens obliuiſcatur peccatorum mortalium, atque adeò inuincibiliter ignorer ſe habere aliquod peccatum mortale, & confiteatur venialia ſimplici Sacerdoti, probabile eſt, quòd remaneat abſolutus, directè quidem à venialibus, & inditectè à mortalibur inuincibiliter oblitis. 2.218.7

Fidelis tamen ſciens, & prudens babens caſur teſeruatos, vel peccata mortalia, ſi neceſſitatem habeat communicandi, vel ſi currat præceptum annuæ confeſſionis, non poteſt licitè, neque validè confiteri ſimplici Sacerdori. ibid 8

Vigente tamen aliqua graui neceſſitate, habens caſua reſeruatos, licitè etiam ſcienter confitetur ẹi, qoi ſolùm haber poteſtatem in peccata mortalia oon teſeruata. ibid.

Sacerdos, qui neceſſitatem haber celebrandi, ſed caret copia Sacerdotis approbati pro teſeruatis, debet inferiori Confeſſario reſeruata confiteri, & non teſeruata, vt ab iſtis ditectè, ab illis iodirectè, & conſequutiuè abſoluatur. ibid.

Conſequenter non excuſatur aliquis ab obligatione implendi præceptum de annua confeſſione, quando habet caſus reſeruatos, & non poteſt Superiorem adire. ibid.9

Qui aliqua vrgente neceſſitate, extra tamen atticulum mortis, confeſſus eſt peccata reſeruata Confeſſori inferiori, tenetur poſtea nacta opportunitate adire Superiorem, vt directè abſoluator à reſeroatis; non tamen tenetur repetere Superiori peccata non reſeruata. 2.219.10

Certum eſt ſecundùm fidem in Eccleſia eſſe poteſtatem reſeruandi aliqua peccata iudicibus ſuperioribus, ita vt iudices inferiores non poſſint ab illis abſoloere, etiamſi ſint Confeſſarij expoſiti, & idem dicendom eſt de cenſuris, & hæc ſine dubio videtur eſſe traditio Apoſtolica ex communi conſenſu rotius Eccleſiæ. ibid.2

In Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, immò ſi adſint doo Sacerdotes, aliàs expoſiti ad audiendam confeſſionem illius, qui eſt in articulo mortis, & vnus eorum poteſtatem habeat ad abſoluendum à caſibus reſeruatis, alius verò non, quòd poteſt infirmus confiteri, cui voluerit. ibid.3

Eccleſia poteſt omnia peccata mortalia reſeruare, non tantùm externa, ſed etiam interna, & ſic poſſet reſeruare mentalem conſenſum in hæreſim, formale odium Dei, ioſidelitatem ioteriorem, & deſperationem. 2.220.4

Regulatiter tamen loquendo, nollum internum peccatum reſeruatur. ibid.

Summus Pontifex poteſt inferiores Sacerdotes priuare poteſtate neceſſaria ad abſolueodum ab aliquibus peccatis venialibus. ibid.5

Superior tenetur ex iuſtitia concedere inferiori petenti facultatem, vt poſſit alicui alteri confiteri caſus teſeruatos, & ab eo abſolui, quando inferior probabiliter timet reuelationem ſigilli, aut ne Superior graue odium circa ſe concipiat, aut ne ſcientia ex confeſſione habita abutarur in ordine ad regimen cum damno inferioris. ibid.6

Quando Superior timet quòd talis conceſſa facultas non ſit profutura tali pœnitenti, ſed potiùs occaſio

iterum

iternm peccandi, vel quòd ſequatur aliquod damnum extrinſecum ex conceſſione talis facultatis, non debet ſubdito illam petenti concedere. ibid.7

Quando Superior non babet inſtas cauſas in contrarinm, debet ſe ſatis facilem præbere in bac cooceſſione. ibid.8

Quando Confeſſarius facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis petit, ita tamè boc debet facere, vt Superior nullo modo poſſit aut perſonam, aut caſum, ob quem ea petitur, coniicere. ibid.9

Si negante Prælato ſuam auctoritatem ad reſeruata, ſi adeſt graue periculum, vel ſcandalum, puta ſi pœnitens non communicaret cum aliis in aliquo die ſolemoi, poterit pœnitens tunc abſolui à Confeſſario approbato, ſi illi confiteatur peccata oon reſeruata, & reſeruata, & tunc remanebit ſi habeat ſaltem debitam attritionem ſupernaturalem abſolutus indirectè à reſeruatis, directè quidem à non reſeruatis, cum obligatione confitendi poſtea habenti ad ipſa reſeruata ſpecialem iuriſdictionem. 1.221.10

Si Prælatus iniuſtè, & tyrannicè denegaret petitam licentiam ad reſeruata, tunc pœnitens poſſet abſolui à reſeruatis à Sacerdote inferiori approbato habenti tantùm facultatem communem. ibid.

Probabilius tamen, & verius videtur dicendum quòd ſi noo adeſt granis neceſſitas, vel graue damnum alicuius magnæ infamiæ, inferior Sacerdos non poteſt etiam iodirectè abſoluere à reſeruatis, licèt tyrannicè, & iniuſtè Superior præſens deneget facultatem. ibid.

In tribus tamen caſibus quilibet Sacerdos ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine iuriſdictionem habet abſoluendi à peccatis. Primò ſuper venialia peccata taotùm: ſecundò ſuper mortalia, à quibus pœnitens antè legitimè abſolutus fuit: tertiò, in mortis articulo ſuper omnia omnino peccata. a.186.5

Facultas abſoluendi in articulo, & periculo mortis conceſſa cuilibet Sacerdoti eſt abſoluta, & directa, per ſe loquendo. 1.187.6

Vide *Cenſurarum abſolutio, & Indulgentia.*

Cenſura.

Dicitur cenſura pœna ſpiritualis: dicitur inflicta ab Eccleſiaſtica poteſtate: dicitur priuans bominem baptiaarum: dicitur priuans vſu aliquorum ſpiritualium, &c. 1.254.2

Ceſſatio à Diuinis eſt ſimplex prohibitio, qua miniſtri Eccleſiæ prohibentur perſoluere diuina Officia, miniſtrare Sacrameota, & ſepelire laicos in loco ſacro. ibid.

Ceſſatio à Diuinis non eſt cenſura, quia ceſſatio ſeruat per modum ſimplicis prohibitioois; cenſura verò eſt veluti quoddam accidens morale, efficiens & quaſi ligans ſubiectum, in quo lata eſt cenſura. ibid.

Depoſitio eſt priuatio exequutionis legitimæ officiorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum ſimpliciter, & ea toto abſque ſpe reſtitutionis; retento tamen vtroque priuilegio clericali, tum canonis, tum fori, ita vt conueniri non poſſit depoſitus in iudicio ſæculari, nec capi, oec puniri à laicis. ibid.3

Depoſitio non eſt cenſura. ibid.

Degradatio eſt duplex, alia verbalis, alia verò actualis, ſeu realis. ibid.4

Degradatio verbalis idem eſt quod depoſitio; actualis verò, ſeu realis, eſt pœna Eccleſiaſtica, qua vir Eccleſiaſticus priuatur omni exequutione Ordinis, & beneficij adminiſtratione, & omni priuilegio clericali abſque ſpe reſtitutionis cum quadã ſolemnitate. ibid.

Degradatio non eſt cenſura. ibid.

Irregularitas eſt impedimentum canonicum, ſeu inductum à iure canonico, directè impediens acceptionem Ordioum Eccleſiaſticorum, aut vſum eorum quatenus ſunt Ordines etiam poſt pœniteotiam, irregularitas non eſt cenſura. ibid.5

Cenſuræ ſunt tantùm tres; excommunicatio ſcilicet, ſuſpenſio, & interdictum. 1.255.6

Alia eſt cenſura lata à iure, alia ab homine. ibid.2

Cenſura lata à iure illa eſt, quæ vniuerſaliter applicatur à conditore canonis: lata verò ab homine, illa eſt, quæ applicatur à iudice contra certas perſooas. ibid.

Et licèt cenſura lata ab homine æquiualeat canooi, & ſtatuto, tamen cenſura iuris perſeuerat quouſque ius fuerit reuocatum, quamuis conditor canonis deperdiderit iuriſdictionem per ceſſum, vel deceſſum. ibid.

Cenſura verò hominis generalis, vel ſpecialis non perſeuerat niſi quouſque perſeuerat hominis iuriſdictio. ibid.

Vtraque tamen vbi ſemel eſt incurſa, durat in perpetuum, niſi relaxetur. ibid.

Cenſura excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, vel eſt latæ ſententiæ, vel eſt ferendæ ſententiæ. ibid 3

Cenſura latæ ſententiæ dicitur, quæ ipſo facto incurritur abſque alia iudicis ſententia: cenſura ferendæ ſententiæ illa dicitur, quæ ſolummodò eſt comminatoria, nec ipſo iure incurritur ante ſententiam iudicis, vt io confeſſo eſt apud omnes DD. ibid.

Cognoſci poteſt cenſuram eſſe latæ ſententiæ, primò quando in forma tum iuris, tum hominis appooitur vna ex his particulis, ipſo iure, ipſo facto latæ ſententiæ, eo ipſo, ſtatim, mox, illicò, continuò, ex tunc, protinus, & huiuſmodi, tunc cenſura eſt latæ ſententiæ. ibid.4

Quando cenſura ponitur per verbum præſentis, vel præteriti temporis, eſt cenſura latæ ſententiæ. ibid.

Si ad hæc verba futuri temporis, *excommunicabitur*, vel *excommunicetur*, per futurum optatiui, communione priuetur, ſuſpendatur, interdicto ſubiiciatur, addantur particulæ latæ ſententiæ, ipſo iure, ipſo facto; tunc cenſura eſt etiam latæ ſententiæ. 1.256.init.

Si hæc verba, *excommunicetur*, *ſuſpendatur*, *interdicatur*, *vel arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ*, ſint futuri temporis, & illis particulæ *ipſo facto*, *ipſo iure*, latæ ſententiæ noo iunguntur, tunc ceoſura eſt ferendæ ſententiæ. ibid.

Si verò Superior per hæc verba, *excommunicetur*, *ſuſpendatur*, *arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ*, imperatiuo modo prolata, intendat ſua poteſtate ſuſpendere, excommunicare, vel arcere ab ingreſſu Eccleſiæ, cenſura eſt latæ ſententiæ. ibid.

Quando in forma cenſuræ prohibetur aliquid ſub pœna excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, vt nemo, v.g. percutiat; tunc cenſura eſt ferendæ ſententiæ. ibid.med.

Quando applicatur cenſura per verbum futurum, vt *excommunicabo*, eſt ferendæ ſententiæ. ibid.

Item quando cenſura applicatur per verbum ſimilitudinis, vt, *ſicut excommunicatus vitetur*, eſt ferendæ ſeotentiæ. ibid.

Quando ſub bis verbis præcipitur aliquid, *indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, aut noſtram incurras*, noo incurritur de facto aliqua cenſura, neque ſi dicatur ſub obteſtatiooe diuini iudicij. ibid.

Cenſura lata ſub illis verbis, *Qui hoc, vel illud fecerit, ſit anathema, ſit excommunicatus*, eſt latæ ſententiæ. ibid.a

Cenſuræ cauſa efficiens.

Poteſtas ferendi cenſuras eſt de iure diuino, vt potè à Deo collata. 1.257.2

Cenſuræ verò inſtitutio eſt de iure poſitiuo. ibid.
Similiter applicatio cenſuræ ad hanc, vel ad illam perſonam, eſt de iure poſitiuo. ibid.
Obligatio non operandi contra cenſuram tantùm de iure poſitiuo eſt impoſita immediatè. ibid.3
Poteſtas ferendi cenſuras iure ordinario reſidet in ſummo Pontifice, reſpectu omnium Chriſtianorum: præterea in Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Patriarchis, reſpectu ſibi ſubditorum. ibid.4
Poteſtatem ordinariam ferendi cenſuras habent Legati ſummi Pontificis in ſua Prouincia. ibid.
Concilium generale congregatum auctoritate ſummi Pontificis, Capitulum prouinciale Archiepiſcopi, & Diœceſanum Epiſcopi. ibid.
Eandem habet Capitulum, Sede vacante. ibid.
Eâdem gaudet Vicarius Capituli Sede vacante ad formam Concil. Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 16. de Reform.* electus. ibid.
Habet etiam iuriſdictionem ordinariam Eccleſiaſticam in foro externo, & conſequenter ferendi cenſuras, Vicarius Epiſcopi, vel Archiepiſcopi. ibid.
Abbates habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem valent ferre cenſuras. ibid.
Parochi verò, neque ſimplices Sacerdotes curati, nequeunt ferre cenſuras. ibid.
Cardinales in propriis titulis poſſunt ferre cenſuras. ibid.
Idem dicendum de Superioribus Religionum approbatarum. ibid.
Vicarius Epiſcopi denunciati excommunicati validè ferre cenſuras non poteſt. ibid.5
Fœmina de facto, & de iure communi nequit ferre cenſuras. 1.258.2
Ex commiſſione tamen Papæ fœmina poteſt ferre cenſuras. ibid.
Laicus etiam Religioſus ſtando in iure poſitiuo, cenſuras ferre non valet. ibid.3
Epiſcopi verò, & multò minus alij Prælati, quia iuri communi poſitiuo ſunt ſubiecti, nequeunt hanc facultatem ferendi cenſuras laicis, aut fœminis tribuere. ibid.
Clericus coniugatus non poteſt ferre cenſuras, etiam ſi habeat quatuor Ordines minores. ibid.
Baptiſmo nondum initiatus cenſuræ ſententiam ferre nequit. r.259.init.
Ferens igitur cenſuras neceſſe eſt quòd ſit homo viator baptizatus, in ſtatu clericali conſtitutus, & ita neque Angelus, neque homo beatus, aut extra viam eſt capax iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. ibid.4
Laicus electus in Epiſcopum non haberet iuriſdictionem ad ferendas cenſuras antequam prima ſaltem Tonſura initiaretur. ibid.

Cenſura cauſa materialis proxima.

Cauſa materialis cenſuræ eſt duplex, proxima, & remota. Proxima eſt peccatum, propter quod incurritur cenſura: remota eſt perſona ipſa, quæ cenſura ligatur. 1.260.2
Cenſura grauis, ſeu maior, vt eſt excommunicatio maior, ſuſpenſio à beneficio, & officio ad longum tempus, interdictum, in aliqua prouincia latum, non poteſt applicari niſi pro culpa mortali. ibid.
Cenſura verò leuis, ſeu minor pro culpa veniali ferri, & applicari poteſt: vt eſt excommunicatio minor, quæ contrahitur pro communicatione in humanis cum excommunicato denunciato, vel notorio Clerici percuſſore. ibid.
Idem dicendum de ſuſpenſione minori, ſeu leui, vt eſt ſuſpenſio à beneficio, ſeu ab officio ad breue tempus. ibid.
Similiter de interdicto ad aliquem particularem vſum, & ad breue tempus impoſitum, hæ cenſuræ leues, & minores, pro leui culpa ferri, & applicari poſſunt. ibid.
Ad incurrendam cenſuram requiritur peccatum exterius, & non ſufficit peccatum purè internum, quod ita in mente lateat, vt aliter cognoſci non poſſit niſi per reuelationem. ibid.3
Licèt actus purè internus, & per ſe occultus non poſſit eſſe materia cenſuræ, quia eſt (vt ſic dicam) extra obiectum potentiæ iuriſdictionis, & poteſtatis vindicatiuæ Eccleſiæ: tamen actus exterior licèt per accidens occultus, poteſt eſſe materia cenſuræ. ibid.
Quamuis actus interior ſecundùm ſe, & abſolutè ſumptus, nec puniri, nec præcipi poſſit ſub pœna cenſuræ per Eccleſiam; tamen vt eſt vnitus, & moraliter informat actum exteriorem, & præcipi, & puniri poteſt pœna cenſuræ. ibid.4
Contumacia eſt voluntaria tranſgreſſio præcepti Superioris. Et quia præceptum Superioris eſt duplex, alterum præcipientis aliquid ſine pœna cenſuræ; alterum præcipientis aliquid ſub pœna cenſuræ, propterea duplex eſt tranſgreſſio voluntaria: reſpectu primi præcepti, illa tranſgreſſio dicitur peccatum commiſſum; reſpectu verò ſecundi, dicitur contumacia. r.261.2
Probabile eſt pro peccato commiſſo purè præterito ab Eccleſia poſſe ferri cenſuram. ibid.3
Probabilius tamen, & verius eſt aſſerere, non poſſe licitè pro peccato externo præterito ferri cenſuram, ſed ad eam ferendam requiri contumaciam. ibid.
Vnde qui Miſſam die præterita non audiuit, non debet excommunicari propter peccatum præteritum omiſſionis Miſſæ, ſi non erat præceptum impoſitum Miſſæ audiendæ ſub pœna excommunicationis. ibid.
Cenſura ſiue ſit lata ab homine, ſiue à iure, ſiue in genere, ſiue in ſpecie, ſiue pro præteritis, ſiue pro futuris culpis, ſemper requirit præuiam admonitionem. ibid.4
Admonitio eſt duplex, altera canonica, altera verò non canonica. ibid.
Admonitio non canonica, quæ prærequiritur in ferenda cenſura, eſt præceptum tum iuris, tum hominis, generaliter prohibens futura ſub nota cenſuræ: admonitio verò canonica eſt actio regulata, per quam Superioris auctoritate admonetur reus perſonaliter, formaliter, vel virtualiter teſtibus præſentibus, vt à culpa in admonitione explicata reſipiſcat. ibid.
In cenſuris latis ipſo iure pro futuris culpis ſiue ab homine, ſiue à iure, non requiritur admonitio canonica, ſed ſufficit non canonica monitio. ibid.
In cenſuris verò latis pro culpis præteritis, ſeu iam cómiſſis, requiritur admonitio canonica. r.262.init.

Cenſura cauſa materialis remota.

Tantùm homo viator, compos mentis, baptizatus, inferior, ſubditus, eſt ſubiectum capax cenſuræ. 1.262.2
Cenſura excommunicationis ferri non poteſt niſi in hominem determinatum, & ſic Collegium, & Vniuerſitas excommunicari collectiuè nó poteſt. 1.265.3
Si Collegium, & Vniuerſitas collectiuè excommunicaretur à R. P. aliqui affirmant ſententiam excommunicationis eſſe validam, non tamen caderet ſuper vniuerſos, niſi omnes eſſent culpabiles, ſed ſolùm ſupra ſingulos, qui eſſent culpabiles. Quamuis etiam innocentes ſeruare deberent excommunicationem in foro exteriori, quandiu non apertè conſtaret de eorum innocentia ad euitandum ſcandalum. ibid.
Si Epiſcopus, vel alius iudex dicat, Excommunico vnum ex communitate, vel ex tali Collegio, vel ex his, qui tale furtum fecerunt, ſententia excommunicationis nulla eſt. ibid.4

Licèt pueri, ſeu infantes, furioſi, & amentes, quia vſu rationis carent, & doli, & contumaciæ incapaces ſunt, nulla ratione excommunicari poſſint; tamen amentes, & furioſi, qui aliquando vſum rationis habuerunt, excommunicationis capaces ſunt. ibid. 5

Si quis tamen mandaret alicui, vt Clericum percuteret, & antequam mandatarius Clericum percutiat, mandans moritur: mandator, ſequuta poſt mortem percuſſione, in excommunicationem non incidit. ibid. 6

Licèt Collegium collectiuè, & Vniuerſitas excommunicari non poſſit, eſt tamen Collegium, ſeu Capitulum ſuſpenſionis capax. ibid. 7

Quamuis in generali ſuſpenſione, & interdicto, non comprehendatur Epiſcopus propter periculum regiminis Eccleſiaſtici, & idem dicendum eſt de Cardinali; tamen in generali excommunicatione tam Epiſcopus, quàm Cardinalis comprehenduntur, niſi excipiantur à lege excommunicationis generaliter latæ, vti excipiuntur in generali ſuſpenſione, & interdicto. ibid. 8

Homo mortuus, non viator, excommunicari non poteſt. 1.264 9

Item cenſuræ ſententia generalis pro futuris culpis ſimpliciter lata, aut ſub conditione, non ligat, ſi antequam culpa committatur, aut conditio extet, iudex moriatur. ibid.

Idem dicendum, ſi aliqua de cauſa iuriſdictione priuetur, vt ſi ſit publicè denunciatus excommunicatus, aut ſi ſe Prælatura abdicauit, aut ab hoſtibus captus. ibid.

Immò ſi poſtquam ſententiam tulit ſub conditione, ante conditionis adimpletionem iuriſdictione priuetur, iterúmque iudex creetur, ſi poſtea conditio extet, ſententia ſub conditione lata non ligabit. ibid.

Si poſtquam ſententiam ſub conditione tulerat iudex, excommunicatus fuerit, aut in manus hoſtium deuenit, ante verò conditionis euentum ſit ab excommunicatione abſolutus, aut ab hoſtibus liberatus, tunc conditione deinceps adueniente ſententia priùs lata valebit. ibid. 11

Pluries incidens in actum, cui annexa eſt cenſura latæ ſententiæ, plures incurrit cenſuras, ſi actus ſint formaliter, & moraliter diſtincti. 1.265.2

Conſequenter furans in Eccleſia ſi lata eſſet excommunicatio contra fures, & contra ſacrilegos, duplici ligaretur excommunicatione. ibid. 3

Verberans Clericum pluribus ictibus ſucceſſiuè per aliquod tempus, ſiue tamen interruptione morali, vnam tantummodo incurrit excommunicationem. ibid. 4

Percutiens tamen plures Clericos ſucceſſiuè, abſque interruptione morali, tot excommunicationes incurrit, quot ſunt Clerici, qui ſucceſſiuè percutiuntur. ibid. 5

Si peccato furti eſſet annexa excommunicatio, furans ſucceſſiuè, abſque interruptione morali etiam toto vno die vin, & eidem vinum, oleum, pecuniam, ligna, vnum peccatum committit, & vnicam contrahit excommunicationem. 1.266.6

Secus autem ſi fornicationi eſſet annexa excommunicatio, ſi quis poſtea fornicaretur cum vna, & ſtatim cum eadem, de nouo fornicaretur abſque temporis interruptione. ibid.

Quando actus habet plures circunſtantias mutantes ſpeciem actus moralis, pro quibus ſingulis lata eſt cenſura, faciens talem actum tot contrahit cenſuras, quot ſunt circunſtantiæ mutantes ſpeciem actus moralis. 1.267.2

Quando actus habet plures circunſtantias non mutantes ſpeciem, ſed ſunt eiuſdem ſpeciei, committens talem actum, ſi ſub pœna cenſuræ ſit prohibitus, vnicam tantummodo incurrit cenſuram. ibid. 3

Percutiens tamen Monachum initiatum prima Tonſura, in duas incideret excommunicationes. ibid. 4

Qui vno, & eodem actu ſepelit aliquem publicum excommunicatum in Eccleſia, qui etiam ſit nominatim interdictus, & vſurarius manifeſtus, tres excommunicationes incurrit. ibid. 5

Qui verò perſonam interdictam tempore interdicti Eccleſiaſtica ſepultura donaret, non committeret duplex peccatum, neque ex illo oriretur duplex cenſura. ibid.

Quando aliquis actus pluries ab eodem Superiore prohibetur ſub pœna cenſuræ, vel à pluribus habentibus eandem poteſtatem, incurritur vna tantummodo cenſura, faciendo illum actum ab ipſis prohibitum. 1.268.2

Similiter quando hæc excommunicatio ſingulis annis in cœna Domini ab eodem R.P. qui diutiùs vixit, lata eſt, non ideo plures, & diuerſas cenſuras contrafaciens incurrit, ſed vnam tantùm. ibid.

Qui facit actum ſub pœna excommunicationis prohibitum à pluribus Superioribus habentibus eandem poteſtatem, etiam ſi vnus ex ferentibus illam, ſibi eam reſeruauerit, alter verò non ita, adhuc vna tantùm excommunicatione ligatur. ibid. 3

Si actus ſub pœna cenſuræ eſt prohibitus ab habentibus diuerſam poteſtatem, puta à R.P. & ab aliquo Epiſcopo, qui non ſunt idem Superior, neque propter identitatem perſonæ, neque propter identitatem poteſtatis, ſeu prælationis, tunc tot cenſuræ incurruntur, quot ſunt Superiores illum prohibentes actum: modò quiſque tulerit cenſuram tanquam ſuam, & intenderit ferre nouum ius, & imponere nouam pœnam. ibid. 4

Cenſura lata contra facientes aliquid, non ligat mandantes, vel conſulentes, niſi in ſententia cenſuræ exprimantur mandantes, vel conſulentes. 1.269.2

Mandans, vel conſulens qui aliquo modo exprimuntur in ſententia cenſuræ, non ligantur cenſura, niſi verè influat in effectum prohibitũ ſub cẽſura. ibid.

Mandans, & conſulens percuſſionem Clerici ligatur excommunicatione, quando per ſuum mandatum, & conſilium auxit voluntatem delinquentis ad præſtandum effectum, & effectus eſt ſubſequutus, quamuis delinquens eſſet paratus ad percuſſionem præſtandam. ibid. 3

Conſulens minus malum, vt quando parato occidere Clericum, ſuaſit tantummodo eundem percutere, non ligatur cenſura, etiam effectu ſequuto. 1.270. init.

Mandans effectum prohibitum ſub cenſura, non incurrit cenſuram, nec tenetur ad reſtitutionem damni, ſi reuocauit mandatum, eiúſque reuocatio innotuit mandatario, etiamſi mandatarius poſtea Clericum percutiat. ibid. 4

Quòd ſi nota reuocatio mandati mandatario non fuerit, ſi hic percutit Clericum, mandans incurrit excommunicationem. ibid.

Conſulens percuti Clericum, ſi poſtea reuocat conſilium, & ſatis probabiliter credit hoc ſufficere, credidit enim ſic reuocato conſilio percuſſionem non ſubſequuturam, non ligatur cenſura, ſi bona fide putauit reuocationem ſufficere ad impediendam percuſſionem, quãuis de facto ſequatur percuſſio. ibid. 5

Conſulens verò percuſſionem Clerici ſi dubitauit, aut dubitare debuit non ſufficere reuocationem, tenetur indicare ei contra quem conſilium datum eſt, vt ſibi caueat, non tamen reuelare debet nomen perſonæ, cui conſilium dedit, quo facto, ſequuta percuſſione non ligatur cenſura. ibid.

Mandans tamen percuti Clericum, vt non ligetur excommunicatione, ſequuto effectu, ſufficit quòd ante percuſſionem reuocauerit mandatum, & mandatario talis reuocatio innotuerit. ibid.6

Aliud eſt dubium iuris, aliud dubium facti. 1.271.2

Dubium iuris contingit, quando quia ignorat legem prohibentem aliquid ſub pœna cenſuræ, vel legem continentem irregularitatem: dubium verò facti tunc contingit, quando quia ſciens legem latam prohibere aliquid ſub pœna cenſuræ, vel continere irregularitatem, dubitat tamen an factum perpetrauerit prohibitum ſub pœna cenſuræ, vel ſub irregularitate. ibid.

Fieri poteſt, vt conſulens aliquem actum ſub pœna cenſuræ prohibitum ſpeculatiuè dubitet an ſuo conſilio in talem actum ſub pœna cenſuræ prohibitum influxerit, nec ne, & quòd tamen practicè deponat poſtea tale dubium; tunc hic dicitur dubitaſſe de influxu in actum prohibitum ſpeculatiuè, non autem practicè. ibid.

In dubio iuris nullus iudicandus eſt cenſuram incurriſſe, qui dubitat vtrùm lata ſit excommunicatio contra ſurripientes, vel dubitat, an conſuluerit alteri actum prohibitum ſub pœna cenſuræ, ſi adhibita ſufficienti diligentia ad rei veritatem inueſtigandam adhuc perſiſtit in dubio: ſed poteſt practicè deponere dubium, iudicando non eſſe latam excommunicationem contra furantes, nec conſuluiſſe actum prohibitum ſub pœna cenſuræ, & conſequenter ſi furtum commiſit, practicè diiudicare poteſt non eſſe excommunicatione ligatum, nec incurriſſe cenſuram aliquam ob conſilium datum. ibid.3

In dubio etiam facti dubitans quis, an excommunicationem, vel aliquam cenſuram contraxerit, poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, ſi adhuc remanet dubium, poteſt practicè deponere dubium, & reputare ſe non incurriſſe cenſuram. ibid.

Dubitans an ſuo conſilio influxerit in factum prohibitum ſub pœna cenſuræ ex dicto ipſius, cui datum eſt conſilium, poterit hoc cognoſcere, modò ſit fide dignus, vnde ſi aſſerat ſe motum non fuiſſe conſilio ad ſubſtantiam actus, vel ad illius accelerationem, poteſt credere ſe non influxiſſe, & ſic non ligari cenſura, ſi contra conſulentes illum actum ſit lata cenſura. t.272.4

Conſulens ſi dubitat an ſuo conſilio in homicidium, vel in actum prohibitum ſub pœna cenſuræ influxerit, poterit ex coniecturis id dignoſcere. ibid.

Cenſuræ ferendæ forma.

De eſſentia formæ cenſuræ tam iuris, quàm hominis, non eſt neceſſarium neque verbum, neque ſcriptum. t.273.2

Ad incurrẽdam cenſuram neceſſe eſt vt cenſura lata ſit à iudice per ſigna exteriora, & non per ſolam voluntatem internam ipſius iudicis volentis aliquem ligare cenſura. ibid.3

Ad cenſuram ferendam non requiruntur certa, & determinata verba, ſed ſufficiunt quæcunque verba, aut etiam ſcriptura, aut etiam nutus & ſigna, quibus intentio iudicis ferendi cenſuram ſufficienter exprimatur. ibid.4

Cenſura ita ferri debet, & exprimi, vt verba, in quibus continetur, ſint definita & determinata ad aliquam particularem cenſuram. ibid.5

Valida tamen eſt forma cenſuræ ſine expreſſione excommunicationis maioris, vel minoris. t.274.6

Verba, quibus exprimitur cenſura, debent eſſe determinata ad aliquam perſonam, eam nominando ſi cognoſcatur vel deſcribendo aliquo modo, vel illam deſignando per ordinem ad delictum. ibid.7

Forma cenſuræ debet eſſentialiter determinari quoad tempus præſens, quòd ſi determinaretur ad tempus futurum, eſſet inualida, & ita oportet, vt dicatur, Excommunico, non autem, Excommunicetur, ſuſpendatur, arceatur, per verbum futuri optatiui. ibid.

Nam Baptiſmus traditus ſub forma Græcorum, Baptizetur ſeruus Chriſti in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, eſt validus, licèt Latinus peccet ſic baptizans. ibid.8

Si ſumatur practicè, vt imperatiuum, ita vt ſit ſenſus, excommunicetur, ſuſpendatur, arceatur Petrus mea poteſtate, eſt valida cenſura. ibid.

Tamen ſi verbum illud *excommunicetur* ſumatur per modum futuri optatiui, & ſit quaſi præceptum datum alteri, vt illud exequatur, clarum eſt nihil per ſe efficere; & quia communi vſu omnium in hoc ſenſu proferri ſolet, ideò moraliter cenſura lata ſub illa forma, Excommunicetur, ſuſpendatur, arceatur, non eſt valida, nec ipſo iure ligat, ſed eſt ferendæ ſententiæ. ibid.

Sed benignius eſt, vt intelligamus verbum illud *excommunicetur, ſuſpendatur*, exprimere ferendam cenſuræ ſententiam, & non latam. ibid.

Satis probabiliter dicitur nullam incurri cenſuram, quando forma cenſuræ fertur ſub diſiunctione. t.275.2

Probabilius videtur dicendum, quòd forma cenſuræ lata ſub dictione alternatiua inter duas cenſuræ ſpecies, vt ſi dicatur, Aut ſuſpendo, aut excommunico, eſt valida. ibid.

Quando forma cenſuræ eſt lata ſub dictione alternatiua, vel diſiunctiuè, ſi delinquens non vult vnam partem eligere, in hoc euentu ſubiacebit vtrique pœnæ. ibid.

Ferens cenſuram ſolo verbo, ſine ſcriptura, aut ſine expreſſione cauſæ, ſeu culpæ illius, contra quem applicatur, aut qui parti petenti non concedit exemplar cenſuræ latæ infra menſem, ſi petatur, peccat mortaliter. t.276.2

Ab iſta pœna ſuſpenſionis recenſita, & à culpa lethali, eximuntur denunciantes ſolo verbo aliquem excommunicatum. ibid.

Eximuntur etiam ab hac pœna ſuſpenſionis ferentes cenſuram bona fide, & ex quadam inaduertentia, & ignorantia, quæ tamen ſit ignorantia iuſta, & inuincibilis. ibid.

Vicarius tamen generalis alicuius Epiſcopi ſi proferret ſententiam excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, contra aliquem ſolo verbo, & non in ſcriptis, ſi non adeſt rationabilis cauſa illam in ſcripto non ferendi, ſed ſola ignorantia iuris hoc faceret, non eximeretur à pœna ſuſpenſionis. ibid.3

Excipiuntur ab hac pœna ſuſpenſionis Epiſcopi. ibid.

Prælati regulares ſecundùm opinionem aliquorum Canoniſtarum & Theologorum non tenentur, ferendo cenſuras, ſeruare hunc ordinem iuris, maximè ſi ſtatuta ſuorum Ordinum, vel communiter approbata conſuetudo aliud haberet. ibid.

Hæc omnia, quòd ſcilicet in ſcriptis proferatur cenſura, quòd ſit in ea expreſſio cauſæ, & quòd tradatur exemplar cenſuræ parti petenti infra menſem, ſolùm habent locum in cenſuris, quæ feruntur ab homine pro culpis præteritis; ſecus autem in cenſuris, quæ feruntur pro culpis futuris ab homine, ſiue quæ ſunt canonis, ſiue iuris. ibid.4

Cenſura lata ab homine pro culpis præteritis, debet ferri in ſcripto. ibid.

Debet tradi exemplar cenſuræ parti petenti infra menſem. ibid.

Pœna hæc ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, & diuinis

Officiis per menſem locum babet, à quocunque iudice ordinario, aut delegato, cenſura feratur. 1.277.5

Habet etiam locum, ſiue cenſura ſit excommunicatio, ſiue ſuſpenſio, ſiue interdictum. ibid.

Item pœnam hanc incurrunt omittentes aliquod horum trium, etſi non omnia tria. ibid.

Item hæc pœna tenet, & ligat, ſiue cenſura feratur ab homine ſpeciatim in perſonam certam, ſiue generaliter in perſonam incertam, vt ſi à iudice excommunicarentur omnes, qui tale furtum commiſerunt. ibid.

Index igitur Eccleſiaſticus, ſeu eius delegatus ferens cenſuram quamcunque contra tenorem *cap. cùm medicinalis, de ſententia excomm. in 6.* incurrit per menſem ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ, & diuinis Officiis, quam ſi per menſem à die ſententiæ ſeruauit, liber, & immunis remanet à tali ſuſpenſione ſine alia abſolutione. ibid.

Duplex eſt admonitio, altera eſt nõ canonica, & eſt præceptum iuris, tum hominis generaliter prohibens futura ſub pœna cenſuræ; vel eſt præceptum hominis præcipientis aliquid in ſpecie, ſeu in particulari tali perſonæ, vt hoc, vel illud faciat, aut vitet ſub tali cenſura ipſo facto incurrenda. Alia verò eſt admonitio canonica, quæ eſt actio regulata, per quam Superioris auctoritate admonetur reus ſub pœna cenſuræ ter formaliter, vel virtualiter, teſtibus præſentibus, vt à culpa in monitione explicata reſipiſcat, & hæc admonitio propriè canonica & competens appellatur. ibid.2

Ad incurrendam cenſuram latam ipſo facto pro futuris culpis, à iure non requiritur admonitio canonica, ſed ſufficit monitio non canonica, ſcilicet præceptum iuris prohibens futura ſub pœna cenſuræ. ibid.3

Idem dicendum de cenſuris latis ab homine per ſententias generales pro peccatis futuris, etiamſi tales ſententiæ omninò non attingant ſtatum, & perpetuitatem legum, & ideo *ab homine* vocentur. ibid.

Idem verè aſſerendum mihi videtur de cenſuris latis ab homine pro futuris culpis, etiamſi in ſpecie, ſeu in particulari ferantur per præceptum tali perſonæ impoſitum, vt hoc, vel illud faciat, aut vitet, ſub tali cenſura incurrenda. 1.278.init.

Ex ſola tamen tranſgreſſione ſimplicis præcepti Eccleſiaſtici abſque comminatione cenſuræ, non cenſetur homo ſufficienter contumax, vt abſolutè ſtatim cenſura feratur, ideo admonitiones ſiue canonicæ, ſiue non canonicæ, præcedentes cenſuram latam à iure, vel ab homine pro futuris culpis, ſeu præteritis, fieri debent ſub expreſſa comminatione, & nota cenſuræ. ibid.4

In cenſuris verò latis ab homine pro culpis præteritis, vel præſentibus, requiritur admonitio canonica, quæ eſt actio regulata, per quam Superioris auctoritate admonetur reus ſub comminatione cenſuræ incurrendæ ter formaliter, vel virtualiter teſtibus præſentibus, vt à culpa in monitione explicata reſipiſcat. ibid.5

Non eſt neceſſarium quòd admonitio fiat in ſcriptis, quando præmittitur vna tantùm admonitio abſque neceſſitate vrgente, etſi valida ſit cenſura, peccaret tamen iudex illam ferens ſine triplici admonitione lethaliter. ibid.6

Aliquod temporis ſpatium pro ſingulis monitionibus eſt conſtituendum. ibid.

Et ſaltem duo dies ſunt conſtituendi pro ſingulis monitionibus, ſiue ſeparatim, ſiue ſimul illæ fiant. ibid.

Aliqua tamen neceſſitate cogente vna monitio pro tribus fieri poteſt, aſſignato vno tantùm termino, qui valeat pro prima, ſecunda, & tertia monitione, cum interuallo ſaltem duorum dierum. ibid.

Licet iudex, ſiue ſit ordinarius, ſiue delegatus, malè faceret, & grauiter peccaret, ferendo cenſuræ ſententiam in caſibus non permiſſis, non præmiſſa trina, vel vna pro trina, cum interuallis, canonica monitione; ſententia tamen ſic lata eſſet valida. 1.279.2

Pro peccato præterito etſi ferri non debeat cenſura niſi præcedente canonica monitione, tamen ſine vlla monitione lata, neque trina, neque vna pro trina, neque bina, neque vnica de plenitudine poteſtatis Eccleſiæ tenet & ligat. ibid.

Cenſuræ latæ à iudicibus per præcepta de re aliqua facienda, vel danda ſine cauſæ cognitione ſunt ipſo iure nullæ, niſi temperentur per clauſulam iuſtificatiuam, Si te ſenſeris grauatum, compareas, dando terminum ad allegandas iuſtas cauſas, ſi quas babuerit, per quam præceptũ, vel condemnatio reſoluitur in vim ſimplicis citationis, vel monitionis. 1.280.2

Declaratoria excommunicationis ipſo iure incurſæ facta, parte non citata, eſt nulla: declaratio igitur excommunicationis incurſæ ſine citatione, & auditione illius, qui eſt declarandus talis, eſt ipſo iure nulla, & nullum impedimentum facit, quominus facta per iudicem ligatum cenſuris valeant. ibid.

Cenſuræ latæ à iudicibus excommunicatis, ſuſpenſis, vel interdictis non toleratis, ſunt inualidæ. ibid.3

Cenſuræ verò latæ ab excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto nominatim, ac proinde iure publico, de facto verò occulto, quia ab aliis, vel omnibus, vel ſaltem pluribus, ac publicè ignoratur, ſunt validæ, ſiue hoc accidat in diuerſo loco, vt ſi in vno denunciatus ſit, in aliu verò pro non excommunicato publicè habeatur, vel etiam in eodem loco pro diuerſo tempore, vt ſi iam denunciatio memoria excidit, vel iam publicè creditur abſolutus. ibid.

Index denunciatus nominatim excommunicatus, ſeu Clerici percuſſor notorius in vno loco, ſi alibi exiſtat, vbi denunciatus non eſt, neque ibi delictum percuſſionis fuit perpetratum, ſi tamen per publicam famam cenſura, & denunciato, & percuſſio Clerici in vno loco notoria, ad alia loca peruenit factitata à tali iudice denunciato, vel Clerici notorio percuſſore, vbi per publicam famam ipſius denunciatiu, vel percuſſio Clerici notoria peruenit, inualida sũt. ibid.

Cenſuræ latæ à Delegato, qui copiam ſuæ delegationis, ſiue ſuæ commiſſionis petenti non dedit, nec oſtendit, ſecundùm Innocentium. 1.281.4

Cenſura lata poſt legitimam appellationem nulla eſt. ibid.5

Secus autem eſſet quando appellatio fieret poſt ſententiam cenſuræ ipſo iure, & abſolutè latam. ibid.

Appellatio ex cauſa probabili interpoſita annullat cenſuras omnes poſt eam latas, etſi poſtea declaretur cauſam appellandi non fuiſſe iuſtam. ibid.

Appellatio igitur ſi fuerit interpoſita poſt ſententiam latam ſub conditione, ante conditionis exiſtentiam, quamuis deinceps adueniat conditio, excommunicatio nulla eſt: ſi verò ſententia excommunicationis purè, & ſimpliciter ſit lata, trahit ſecum executionem, nec ſuſpenditur per ſequentem appellationem. ibid.

Licèt à ſententia excommunicationis purè & ſimpliciter lata, non poſſit appellari ad effectum ſuſpendendi eam, à declaratione tamen, qua quis declaratur eam incurriſſe, poteſt appellari etiam ad effectum ſuſpendendi eam, ita quòd appellatione pendente nihil ei obſit. ibid.6

Vnde appellatione pendente talis excommunicatus non deberet vitari. ibid.

Ipſe tamen vitare alios teneretur. ibid.

Immò lite pendente ſuper declaratione excommunicatiouis, ſi talis excommunicatus eſſet iudex, eius iuriſdictio non ſuſpenderetur, & ſic declaratio lite pendente nullum impedimentum faceret, quo minus factitata per iudicem ligatum cenſuris, valeant. ibid.

Tribus modis cenſuram poſſe eſſe iniuſtam, ex animo, ex ordine, & ex cauſa. 1.282.2

Quando cenſura lata eſt iniuſta, quia indignatione, odio, vel inuidia promulgatur, nullo tamen alio vitio polluitur, valida eſt, & ſuum ſortitur effectum: quamuis iudex proferens illam quo ad Deum iniquus ſit, & peccatum committat. ibid.3

Quando cenſuræ ſententia eſt iniuſta ex defectu ordinis iuris, ex eo ſcilicet, quòd non præcedat trina monitio, aut vna pro tribus, aut nulla, aut non profeta tur in ſcriptis, & ſine traditione exemplaris cenſuræ parti petenti infra menſem, vno tamen caſu excepto, quando ſcil. quis excommunicat participantes cum excommunicatis à ſe, non præmiſſa canonica monitione. ibid.4

Inualida tamen eſt cenſura materialiter iniuſta, quando ſcil. cauſa, propter quam fertur, non ſubſiſtit. ibid.5

Conſequenter iniuſtè materialiter ex parte cauſæ excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, dummodo certus ſit de ſua innocentia, etiamſi ſecundùm allegata, & probata nocens ſit repertus: quamuis ex contemptu publicè celebrando, aut communicando cum aliis in Diuinis mortaliter peccaret ob contemptum & ſcandalum; neque tamen in conſcientia, & animæ iudicio eſſet cenſura ligatus. ibid.

Neque talis in foro animæ irregularitatem incurreret. ibid.

Quoties dubitatur an iudex ſententiam cenſuræ in aliquem protulerit, non teneri hunc, quando præmiſſa diligentia, adhuc manet dubius, ſe gerere tanquam cenſura ligatum. 1.283.2

Quando dubium eſt, an iudex, qui excommunicationem tulit, vel pars, ad cuius inſtantiam eſt lata, habuerit intentionem ligandi, an ſolùm ad terrorem illam promulgauerit, tunc is, in quem fertur excommunicatio, tanquam cenſura ligatum ſe gerere debet. ibid.

Si tamen pater, vel maritus obtineat à Superiori edictum, quo ſub pœna excommunicationis præcipiatur, vt qui furta commiſerit, teneatur illa manifeſtare, non comprehenduntur filij, & vxores, niſi in edicto habeatur expreſsè, vt teneantur omnes, quantumuis coniuncti. ibid.3

Quando verba, quibus iudex, aut ipſum ius excommunicationem, ſeu aliam cenſuram tulit, ſunt in iure dubia, an excommunicationem latam, an potiùs ferendam contineant, in hoc dubio non debet quis reputari excommunicatus. ibid.4

Si dubium ſit de abſolutione cenſuræ qui fuit cenſura ligatus, dubitans de eius abſolutione, tanquam illa ligatus eſt reputandus. 1.284.5

Quando dubium eſt de cenſura, eo quòd conditionalis fuerit, dubitatúrque de conditionis impletione, tunc dicendum cenſeo, hunc non reputandum cenſura ligatum. ibid.6

Quando dubitatur de valore cenſuræ eo quòd dubitatur an appellatio ab ea interpoſita præceſſerit, an ſequuta ſit, tunc in vtroque foro præſumitur cenſura lata ante appellationem, ac proinde valida. ibid.7

Si dubium ſit de valore cenſuræ, eo quòd dubitatur de poteſtate iudicis ferentis cenſuram, tunc ſi iudex illic ſit in poſſeſſione ferendi cenſuras, validæ ſunt cenſendæ cenſuræ. ibid.8

Secus autem ſi dubitatur de poteſtate, nec iudex eſt in ipſius poſſeſſione. ibid.

Quando certum eſt cenſuras à iudice competenti latas eſſe, ac dubitatur an ſit iuſta, ac ſufficiens cenſuras ferendi cauſa, & ſunt opiniones hinc inde: tunc tales cenſuræ ſunt validæ, & ligant, & manens ſic dubius, tanquam cenſura ligatum ſe gerere debet. ibid.9

Conſequenter, ſi duo litibus contendant circa aliquem fundum, Aduocatis peritis ex vtraque parte aſſerentibus fundum ſpectare ad ſuum clientem, ille ligatur cenſura, contra quem iudex fert ſententiam ſub pœna talis cenſuræ ipſo facto incurrendæ, ſi fundum non cedat alteri, in cuius fauorem tulit ſententiam. ibid.10

Similiter dicendum, ſi debitor iuſſus à iudice ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, vt debitum ſoluat, vel ſi non ſoluit, compareat, licèt ægrè, & difficulter ſoluere, aut comparere poſſit, in dubio ſe pro excommunicato habere debet. ibid.

Quòd ſi talis eſſet Clericus, & conſecraret, fieret irregularis, & orationibus, & ſuffragiis Eccleſiæ priuaretur. ibid.

Si verò probabilior eſt ſententia, & opinio affirmantium cauſam, propter quam lata eſt cenſura, eſſe iniuſtam, tunc valdè probabiliter ſuſtineri poteſt, ſubditos, contra quos lata eſt, non ea ligari quoad Deum. ibid.11

Sententiam cenſuræ continere errorem intolerabilem, quando iudex eam fert non habens, neque indicans ſe habere rationem, & iuſtam cauſam ad cenſuram ferendam. 1.285.2

Duobus modis poteſt iudex proferre cenſuræ ſententiam errorem intolerabilem continentem, primo modo explicando in ipſa ſententia cauſam vel prorſus iniquam, vel exprimendo cauſam in ſententia non legitimam, vel inſufficientem. Alio modo contingit iudicem proferentem ſententiam non exprimere in illa poſitiuè hunc errorem, ſed quaſi præciſinè ſe habere proferendo ſententiam, & nullam declarando cauſam, licèt aliunde conſtet de iniuſtitia cauſæ, propter quam fertur ab eo ſententia. ibid.

Quando in ſententia cenſuræ expreſſus eſt error intolerabilis, tunc cenſura eſt nulla tam in interiori foro, vt per ſe patet, quàm in foro exteriori; quia ius ipſum ita diſponit. ibid.3

Et quando cenſura eſt ita nulla in vtroque foro, non eſt neceſſarium petere abſolutionem ad cautelam. ibid.

Si error intolerabilis in ſententia iudicis non contineatur, neque de eo aliunde notoriè conſtet, tunc ſententia quoad Eccleſiam in foro exteriori tenet. ibid.4

Quando error intolerabilis non eſt expreſſus in ſententia, neque aliunde conſtat de iniuſtitia, iniuſtè cenſura ligatus licèt ſit verè innocens, ad euitandum ſcandalum publicè ſe pro cenſura innodato gerere debet. ibid.

Quando error intolerabilis in ſententia non eſt expreſſus, nec aliunde à principio notoriè conſtat de ſententiæ nullitate, ſi appelletur à tali ſententia, & coram iudice ſuperiori defectus nullitatis poſtea ſufficienter probetur, is, in quem lata eſt talis ſententia, non indigebit abſolutione. ibid.

Si error intolerabilis non eſt in ſententia manifeſtus, aliunde tamen conſtat de ſententiæ iniuſtitia, tunc ſententia eſt nulla. 1.286.5

Neque tunc abſolutionem petere eſt neceſſe. ibid.

Quamuis cenſura lata à iudice ſolùm ex libera ſua voluntate, abſque legitima, & rationabili cauſa, ſit iniuſta, & nulla, tamen reuocatio priuilegij, facultatis, vel iuriſdictionis, quæ ſuo modo *ſuſpenſio* poteſt appellari,

appellari, valida eſt ex ſola voluntate concedentis, etiamſi ipſe ex ſolo odio, vel ex alia iniqua cauſa, vel inſufficiente moueatur. ibid. 6

Quod ſecus eſt de propria cenſura ſuſpenſionis, excommunicationis, vel interdicti, quæ cùm intrinſecè ſint pœnæ, neceſſariò ſupponunt culpam. ibid.

Cenſura aliquando fertur per modum ſententiæ, aliquando per modum ſtatuti. t. 286. 3

Lata per modum ſtatuti, obligat, & ligat ſolùm exiſtentes, & delinquentes in territorio legiſlatoris. ibid.

Cenſura verò lata per modum ſententiæ reſpicit, & afficit perſonas ſubditas tunc temporis, quando fertur. ibid.

Sed verius, & probabilius eſt aſſerere ſententiam generalem latam ab homine pro futuris culpis non ſolùm ligare eos, qui, dum fertur, ſunt rę ipſa, & actu ſubditi, ſed etiam, qui ſpe futuri ſunt ſubditi, vt vel qui naſcentur, vel eò transferent domicilium, ſi tempore, quo ſententia durat, fiant ſubditi. t. 287. ioit.

Sententia cenſuræ alia dicitur eſſe iudicis, ſeu hominis; alia verò canonis, iuris, ſeu ſtatuti. ibid.

Illa dicitur ſententia iudicis, ſeu hominis, quæ fertur intentione non faciendæ perpetuæ conſtitutionis, ſed ad tempus, vt alicui perſonæ particulari, vel perſonis, vel alicui negotio conſulatur: illa verò dicitur ferri à Iure, ſeu à canone, ſeu per modum ſtatuti, cùm ab eo, qui poteſt condere conſtitutionem, ſtatuitur aliquid in perpetuum, & generaliter in omnes ſubditos ſuos, & ſtatutum illud roboratur per ſententiam cenſuræ prolatam in futuros tranſgreſſores illius ſtatuti. ibid.

Licèt iudex Eccleſiaſticus non poſſit extra propriam diœceſim, & in loco exempto ferre cenſuras ſedendo pro Tribunali, & cum cauſæ cognitione, quia tunc opus eſt iuriſdictione contentioſa; tamen ſine cauſæ cognitione non ſedendo pro Tribunali poteſt illas ferre. ibid. 5

Similiter poteſt in alieno territorio in foro conſcientiæ ab excommunicatione, aliiſque cenſuris abſoluere. ibid.

Prælati Religioſorum extra ſua monaſteria, & loca vbique terrarum habent poteſtatem ferendi in ſuos ſubditos cenſuras, etiamſi delinquant extra monaſteria. ibid. 6

Epiſcopus tamen à ſua ſede expulſus, impeditúſque ne iuriſdictionem in propio territorio exerceat, poteſt illam exercere in alieno, in loco vicino ſuo Epiſcopatui, ſeruata forma, quæ ibi præſcribitur. ibid. 7

Superior non poteſt iudicialiter ſedendo pro Tribunali abſoluere à cenſuris extra proprium territorium, ſicut neque poteſt iudicialiter ligare. ibid. 8

Cæterùm extraiudicialiter, ſicut poteſt ligare, ita etiam poteſt abſoluere. ibid.

Sicuti Parochus poteſt in aliena diœceſi excipere confeſſiones ſuorum ſubditorum, illóſque abſoluere. ibid. 9

Epiſcopus, ſiue quilibet alius Superior, non habet iuriſdictionem obligandi per ſtatutum ſuos ſubditos in alieno territorio exiſtentes, modò re vera exiſtant extra territorium, & ſimul etiam res, circa quam delinquunt, ſit extra territorium. t. 288. 2

Vnde ſubditus Epiſcopi non ligatur pœna ſtatuti prohibentis ſub pœna excommunicationis, nę quis tali tempore vadat de nocte, ſi extra diœceſim vadat de nocte. ibid.

Si Epiſcopus ſtatutum ferat, vt qui furatur, vel aleis ludit, ipſo facto ſit excommunicatus, ſi ſubditus eius in loco diœceſis exempto ludat aleis, vel furetur, in excommunicationem latam per modum ſtatuti contra furantes, vel ludentes aleis, non incidit. ibid. 3

Locus exemptus ille propriè dicitur in caſu noſtro, qui eſt plenè exemptus à iuriſdictione Epiſcopali, ita vt non poſſit Ordinarius ferre in eo leges obligantes incolas illius loci, vt ſunt Parochiæ aliquæ, aut oppida intra terminos territorij alicuius Epiſcopi materialiter contenta, exempta tamen formaliter quò ad ordinariam eius iuriſdictionem, ſiue locus ille ſit ſubiectus alteri Epiſcopo, vel ſummo Pontifici reſeruata. ibid. 4

Probabilius tamen dicendum videtur, Eccleſias, & monaſteria Religioſorum, maximè Mendicantium, exempta à poteſtate, & iuriſdictione Epiſcoporum, eſſe propriè loca exempta. ibid.

Si Epiſcopus per ſtatutum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipiat in generali, ne quis monaſteria Monialium ingrediatur, adiens portam, vel ingrediens Eccleſiam Monialium, non ligatur excommunicationis cenſura. t. 289. 5

Si verò Prælatus condens ſtatutum non ſolum ingreſſum in Monaſterium, ſed etiam acceſſum ad illud prohiberet, tunc ſubditos adiens portam Monaſterij, & intrans Monialium Eccleſiam, incideret in excommunicationem latam per ſtatutum. ibid.

Si ſtatutum loquatur de Monaſteriis Monialium in generali, nullam mentionem faciens de Monaſteriis exemptarum contrafacientes, ingredientes Monaſterium exemptarum, vel adeundo portam, vel earum Eccleſiam, ſi prohibeatur acceſſus, licèt malè facerent ſine licentia eius, ad quem ſpectat, accedendo, non tamen ſubiacerent pœnæ excommunicationis. ibid.

Si verò ſtatutum ſpecialiter exprimeret Monaſteria exempta, dicendo, Nullus furetur, aut fornicetur in Monaſterio aliquo exempto, vel non exempto, vel nullus ingrediatur, vel accedat ad Monaſteria exempta, vel non exempta, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ; tunc contrafacientes, furantes, fornicantes, ingredientes, vel accedentes ad Monaſteria exempta, inciderent in pœnam excommunicationis. ibid.

Si Epiſcopus ſtatutum condidit, quo excommunicat omnes Clericos, qui in Eccleſiis ſibi commiſſis non reſident, eo tenentur Clerici extra diœceſim commorantes, & ligarentur cenſura excommunicationis perperam facientes contra ſtatutum extra territurium. ibid. 6

Si ſtatuto alicuius iudicis Eccleſiaſtici ſub pœna talis cenſuræ ipſo iure incurrendæ ſtatuatur, quòd ipſius ſubditi facientes furtum vbicunque intra menſem à die commiſſi criminis compareant coram iudice delicti, vel coram nobis, ſubditi facientes furtum ſi non compareant, ligantur non ratione furti, ſi fiat in alieno territoriu, ſed ex ea parte, quia non comparent, cùm comparere ſit factum affirmatiuum faciendum in limitibus territorij ſtatuentis. ibid. 7

Conſequenter ſi ſtuptum, e. g. ſit prohibitum ſub cenſura in aliquo Epiſcopato, & quis decipiens virginem, eam traheret extra diœceſim, quamuis in territorio per tactus, & oſcula inchoaret delictum, ſi tamen non conſummaret, niſi donec eſſet in alieno territorio, non incurreret cenſuram. ibid. 8

Sequitur, quòd ſi exiſtens in Eccleſia iaciat ſagittam ad occidendum hominem deambulantem extra Eccleſiam, non incurrit cenſuram latam per ſtatutum contra occidentem in Eccleſia. nam illius delictum conſummatur extra Eccleſiam, licèt inchoetur in Eccleſia: è contra verò Incurritur cenſura ab eo, qui dum extra Eccleſiam exiſtit, ſagittam iecit intra Eccleſiam, ibique hominem exiſtentem occidit. t. 290 9

Si ſubdiius alicuius Epiſcopi vulneret aliquem lethaliter in territorio eiuſdem, in quo lata eſt cenſura contra homicidas, quamuis vulneratus recedens ab eo territorio moriatur in alia regione, vbi nulla cenſura poſita eſt contra homicidas, cenſura innodatur. ibid.

Quòd ſi Epiſcopus per ſtatutum ſub cenſora prohibeat, ne triticum, vel aliquid ſimile extra ſuum territorium feratur, contrauenientes cenſura innodantur. ibid.11

Ciuis Tiburtinus, e.g. qui mutato domicilio eatra diœceſim Tiburtinam ſurator, non incurtit cenſuras latas ab Epiſcopo Tibottino, ſiue ſint latæ per modum ſtatuti, ſiue per modum ſententiæ generalis, ſeu ſpecialis. 1.291.a

Quando cenſura lata eſt ptopter actum præteritum patratuio eo tempore, quo delinquens erat ſubditus Epiſcopo, e.g. Tiburtino, conttaoeniens adhuc ligatur cenſura, etiamſi eatra territorium Tiburtinum exiſtat. ibid.

Quòd ſi aliquis Superior per ſpeciale præceptum ſibi ſubdito præcipiat aliquid agendum, vel omittendum in futorum ſub tali cenſura ſine vllo ordine, vel habitudine ad præteritom factum, non ligabitur poſtea iſte talis conttaoeniens ſi mutauit domicilium, vel deſinit eſſe ſubditus. ibid.

Quando delictum, puta furtum, eſt omninò commiſſum extra territorium, in quo reus habet domicilium, ſi delinquens poſtea conoenitur coram ſuo Prælato intra propriom territorium, tunc poteſt Ordinarius cogere delinquentem ſub pœna cenſuræ, vt reſtituar, & non parendo poſt elapſum terminum, iocurret cenſutam. ibid.3

Iudex Eccleſiaſticus ſi per ſententiam generalem, ſeu ſpecialem excommunicet pro culpa, vel offenſa præterita, non ligat ſubditum, qui eam commiſit extra territorium eacommunicantis: & ſic Epiſcopus Tiburtinus nequit excommunicare ſuum ſubditum, qui furtum commiſit in alieno territotio. ibid.4

Poteſt tamen iudex Eccleſiaſticus per ſenteutiam generalem, ſeu ſpecialem cogere ſuos ſubditos ſub pœna cenſuræ pro culpa præterita extra territorium commiſſa, puta pro furto, vt reſtituant, ſi pars læſa ab ipſo ius ſuum requirat. ibid.

Quando ſententia ſpecialis, ſiue generalis à iudice Eccleſiaſtico ſub pœna cenſuræ ipſo iute incurrendæ fertut io futurum ad præcauendom delictum, & oon ad illud emendandum, non ligat ſubditos in alienâ diœceſi agentes contra illam, ſioe in loco eaempto. ibid.5

Probabiliter etiam dici poteſt, quòd quando ſententia ſub ceuſora ſpecialis, ſiue generalis fertor in foturum ad præcauendum delictum, ligat ſubditos in aliena diœceſi, ſeu in loco exempro agentes contra illam. t.292.init.

Inferrur conſequenter, quòd ſi aliquis Epiſcopus præcipiat ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ alicui, vel omnibus Clericis ſibi ſubditis, ne eatra diœceſim Sacrum faciant, celebrando extra diœceſim, ſeu in loco eaempto, incurrunt ſuſpenſionem. ibid.

Similiter ſi deferant tormentom igneum eatta diœceſim, incidunr in eacommunicationem, ſi contra geſtantes huiuſmodi genus armorum per modom ſententiæ lata eſſet eacommunicatio à proprio ipſorom Ordinario. ibid.

Quilibet Chriſtianus vbicumque exiſtit, ligatut cenſuris latis à ſummo Pontifice, ſiue latæ ſint per ſtatutom, ſiue per ſententiam. ibid.6

Subditi Religioſi eatra ſepta loci in quo deguot, & extra eorum clauſuram, ſuorum Prælatorum ſententiis generalibos, ſeu ſpecialibus ligantur, & eis obedire tenentur. ibid.7

Si eſſet ſtatutum in Capitulo prouinciali Religioſorum ab ipſis conditum ieiunandi, e.g. in Prouincia, ſub pœna cenſuræ, feria ſexta, ſobditus, qui extra illam verſatur, non tenebitur illo ſtatoto, nec incurret cenſuram non ieiunando. ibid.

Statotum, & cenſura lata per canonem ab Archiepiſcopo in Concilio prouinciali, non ſolùm ligat ſubditos ptoprios ipſius Archiepiſcopi delinquentes in diœceſi, ſed etiam ſubditos ipſius Prouinciæ, & ſuffraganeotum, exiſteotes in territorio Archiepiſcopi. 1.293.a

Seutentia verò Archiepiſcopi, ſiue generalis, ſiue ſpecialis ſit, ligat tantùm ſubditos ipſius, qui iure diſtinctæ diœceſis ſont ſubditi: inde non ligat ſubditos ſuffragancorum ſi agant coutta illam in territorio, ac diœceſi Archiepiſcopi. ibid.

Cenſura generaliter lata per ſtatutom pro futuris culpis contra delinquentes non ſolùm obligat eos, qui ſtatuti lati tempore reſpectu domicilij ſubditi ſunt, ſed etiam eos, qui futuris temporibus dum lex ipſa vim habuerit, eidem diœceſi, & legi ſubditi fuerint; lex enim fotura conſiderat nedum ſubditos actuales, verùm etiam & extraneos non ſubditos, intra territorium delioquentes. ibid.3

Extranei verò delinquentes in alieno territotio, vt ligentur cenſuris latis per ſtatutom in eo loco, in quo repetiuntur, requiritur, vt ad illum petueniant intentione ibi manendi maiori anni parte. ibid.4

Probabiliter etiam dici poteſt extraneum ligari cenſutis latis per ſtatutum in loco, in qoo repetitur agens contra illud in alieno territorio, etiamſi non habeat intentionem ibi commurandi maiori anni parte, niſi probabiliter illud ignoret: & ſic quamois illo ſtatuto non eſſet anneaa cenſura, talis homo peccaret frangendo ſtatutum, e.g. comedendo carnes die prohibito in alieno Epiſcopatu ea peculiari ſtatuto illius. ibid.

Vagi, qui nullibi certam ſedem habent, abſque omni opinione tenentur ſeroare leges, & conſuetodines loci, in quo etiam obiter reperiuntor, & incidont in cenſuras latas per ſtatuta agentes contra illa vbi verſantur. ibid.5

Sententia generalis lata ab homine pro futuris culpis ſub pœna cenſuræ ſolùm ligat eos, qoi tempore ſententiæ re, aot ſpe ſub iodicis eam proferentis iuriſdictione continentur, eique ſubditi ſunt, non autem obſtringit forenſes. 1.294.6

Sententia generalis lata ab homine directè ligat, & fertur in perſonas ſubditas, re, ant ſpe, id eſt, in eos, qui tunc ſubditi ſunt, vel qui naſcentor, vel eò transferent domicilium. ibid.7

Eatraneus eaiſtens in alieno territorio, etiamſi tempore quo pronunciatur ſententia aliqua generalis continens cenſuram ab Ordinario illius loci, ſit ibi præſens, non tenetur ſub cenſura ad ſeruandum id, quod in ea ſententia continetur. ibid.8

Si verò eatranei venerint in alienam diœceſim, animo ibi inhabitandi maiori anui parte, tenentur nedum ſeruare leges, & ſtatuta illius territorij, in quo reperiuntur, ſed etiam ſententias generales ab homine latas. ibid.

Eatraneus ſi in alieno territorio delictum committat, in quo per breue tempus verſatur, licèt in ea diœceſi per ſententiam ſit lata cenſura ob illod delictum, illam non incurrit, quamuis talis ſententia omnes ſubditos comprehendat. ibid.

Sententia tamen generalis, ſiue ſpecialis, lata ab homine

Digitized by Google

ne ſub cenſura pro culpis præteritis cum ordine ad ſatisfactionem, vel reſtitutionem, ligat quidem extraneos, qui deliquerunt in territorio eam ferentis, ſi non ſatisfecerint, vel reſtituerint; ſi tamen fuerint citatione præuenti, antequam è territorio recederent. ibid.9

Extraneus delinquens in alieno territorio, & inde recedens, ſi ante exitum non fuit citatione præuentus à iudice delicti, non ligatur cenſura lata à iudice delicti pro culpa præterita: poteſt tamen iudex delicti requirere iudicem loci, vbi degit delinquens, vt eum citet, vel remittat id, quod de iure requiſitus iudex facere tenetur. Quòd ſi citatus per iudicem vbi degit comparere recuſat, per iudicem delicti excommunicari poteſt, & alius proceſſus fieri contra perſonam, in quantum ſtatus cauſæ patitur. ibid.

Extraneus degens breui tempore in alieno territorio, contrauenienſ ſtatutis, & præceptis illius loci, non incurrit cenſuras latas per illas leges, & ſtatuta. 1.295.11

Neque ligatur cenſuris latis per præcepta, ſeu ſententias generales iudicis illius loci, vbi per modum tranſitus reperitur. ibid.

Metus eſt duplex, vnus leuis, quo timetur leue malum, vel graue malum, ſed leuiter, id eſt, ex cauſa leui, & improbabili, qui cadit in virum leuem timentem vbi non oportet. Alius dicitur grauia cadens in virum conſtantem, intellige etiam mulierem, licèt minor timor excuſet magis mulierem, quàm virum. Metus grauis eſt quando mors ipſa, aut corporis cruciatus grauis, aut vniuerſorum bonorum, aut partis eorum amiſſio ex probabili cauſa interminatur. ibid.2

Cenſura, quæ non omninò liberè, ac voluntariè fertur, ſed potiùs per metum iuſtum incuſſum iudici à cauſa libera per iniuriam ad cenſuram extorquendam, valida eſt. ibid.3

Qui cenſuram à iure, vel ab homine latam Ipſo facto contraxit, non eſt declarandus ſtatim poſt delictum, etiamſi ſit publicum, & notorium, ſed præmittenda eſt citatio, & auditio eius, qui illam incurriſſe præſumitur. 1.296.2

Qui cenſuram contraxit, denunciari debet. ibid.3

Ad declarationem, & denunciationem ferendam non ſemper tenetur iudex, niſi vel ad petitionem partis, vel quando ad commune bonum eſt ita neceſſarium, vt ratione ſui publici muneris ad id obligetur. ibid.

Hæc denunciatio fieri debet à legitimo Superiore, ſiue de auctoritate legitimi Superioris. ibid.4

In cenſuris latis iure communi denunciatio fieri poteſt vel à proprio Epiſcopo ipſius delinquentis, vel ſi in alterius diœceſi delinquit, & conſequenter ibi cenſuram incurrit, ab Ordinario illius loci poterit denunciari. ibid.

In cenſuris verò latis ab homine, primò & per ſe denunciatio fieri poteſt ab eo, qui cenſuram intulit. 1.297.init.

Deinde verò ab aliis paſtoribus, & Epiſcopis fieri poterit, & debebit, qui fuerint ab excommunicatione requiſiti. ibid.

Idem erit dicendum in cenſuris ipſo facto contractis per violationem ſtatuti proprij Epiſcopi. ibid.

Cauſæ excuſantes ab incurrenda cenſura.

Ignorantia probabilis, quæ etiam dicitur inuincibilis, inculpabilis, & antecedens, excuſat ab incurrendis cenſuris. 1.299.7

Ignorans inuincibiliter canonem Papæ excommunicationis pœnam imponentem pro delicto lege alioquin naturali, aut diuina damnato, quamuis ſciat factum eſſe illicitum, malum, & damnatum, excommunicationem non incurrit, ſi delictum illud commiſerit. ibid.8

Ignorantia probabilis nedum iuris particularis, & communis, ſed etiam facti, & qualitatis facti, excuſat à cenſuris incurrendis. ibid.10

Conſequenter, ſi quis cognoſceret Monialem aliquam, ignorans probabiliter eſſe Monialem, ſciens tamen non eſſe propriam vxorem, non coiturus cum ea, ſi cognoſceret eſſe Monialem, quamuis ob hanc ignorantiam inuincibilem non excuſaretur à peccato fornicationis, à peccato tamen ſacrilegij excuſaretur, vnde ſi cenſura eſſet lata contra rem habentem cum Moniali, talem cenſuram non incurreret. ibid.11

Percutiens Caium Clericum credens inuincibiliter illum non eſſe Caium, ſed Titium ſimiliter Clericum, incurreret cenſuram excommunicationis. ibid.12

Qui proiicit ſagittam ad occidendum Caium Clericum, ſed fortè fortuna inculpabiliter percutit, vel occidit alium Clericum, cùm ſufficientem diligentiam adhibuerit, ne actus emiſſionis ſagittæ perueniret ad illum, non incurrit excommunicationem. ibid 13

Si verò actio illa exterior non ſolùm quatenus tendebat ad Caium Clericum percutiendum, ſed etiam quatenus de facto attingit alium Clericum tranſeuntem, fuit peccaminoſa eo quòd reſpectu vtriuſque fuerit voluntaria, directè quidem reſpectu Caij, vt ſupponitur, indirectè verò reſpectu Clerici tranſeuntis, quem percuſſit, quia nimirum ſufficientem diligentiam proiiciens ſagittam non adhibuit vt caueret, ne ob errorem ictus in alium Clericum caderet. Tunc iaciens ſagittam incurrit excommunicationem canonis *ſi quis, 17. queſt.4.* t.300.med.

Ad incurrendam excommunicationem non ſufficit ſcientia iuris poſitiui prohibentis rem illam, cui eſt annexa excommunicatio, ſed etiam deſideratur ſcientia ipſius excommunicationis. ibid.2

Suſpenſionis, & interdicti pœnæ non incurruntur vbi adeſt probabilis ignorantia iuris poſitiui eas imponentis, etiamſi delinquens in aliud ius peccare nouerit. t.301.init.

Probabiliter etiam dici poteſt ad incurrendam irregularitatem ex delicto conſurgentem, puta ex delicto violandi cenſuras, non ſufficere ſcientiam iuris poſitiui prohibentis ſimplex delictum, ſed etiam deſiderari ſcientiam ipſius irregularitatis, quæ eſt pœna delicti, & incurritur propter delictum. ibid.3

Dicitur irregularitas incurri ex defectu propter indecentiam. ibid.

Verius tamen, & probabilius dicimus ignorantiam ſolius irregularitatis, quæ conſurgit ex delicto, quantumcumque inuincibilis ſit, non impedire quin irregularitas contrahatur. ibid.

Securius, & probabilius videtur ignorantiam inuincibilem de præcepto Eccleſiaſtico prohibente actum pro quo imponitur irregularitas, non excuſaro ab incurrenda irregularitate, quando actus ab Eccleſia prohibitus ſub pœna irregularitatis eſt de ſe malos, & contra legem diuinam, aut naturalem. ibid.4

Ignorantia tamen inuincibilis excuſans à culpa ſimpliciter, excuſat etiam à pœna irregularitatis. ibid.5

Si quis ignoranter rebaptizetur, vel occidat hominem abſque omni culpa, ſi poſtquam ſciuit ſe eſſe rebaptizatum, vel rebaptizaſſe, vel occidiſſe hominem ſecundum Baptiſmum ratum habeat, & gaudeat homici

Digitized by Google

homicidio,ſeu meliùs occiſione facta, non eſt irregulatis. ibid.6

Hinc infertur, quòd infantes abſque propria colpa rebaptizati pœna irregularitatis non afficiuntur, etiamſi poſtea certiores facti de ſecundo Baptiſmo illum ratum habeant. 1.302.7

Ignorantia concomitans non eximit ab excommunicatione, cæteriſque cenſuris Eccleſiaſticis. 1.303.3

Verius,& probabilius dicendum videtur, ignorantiam probabilem comitantem ſemper excuſare operantem à cenſuris incurrendis, irregularitate, cæteriſque iuris pœnis,etiamſi adſit prauus ille affectus circa obiectum quod ignoratur. ibid.

Si tamen dubitauit vacans venationi, eſſet ne fera, an Clericus inimicus, quem præ oculis habebat in ſylua, & mittens ſagittam, voluntatem actualem habuit interficiendi quemcumque in conſpectu ſuo, ſiue ſit hoſtis, ſiue fera: tunc non euadet excommunicationem, neque irregularitatem, ſi ſequuto effectu iaciens ſagittam interficit Clericum inimicum. ibid.4

Ignorantia craſſa, & ſupina facti, vel iuris poſitiui prohibentis, vel imponentis aliquid ſub pœna cenſuræ, non excuſat ab incurrendis cenſuris. 1.304.4

Ignorantia verò vincibilis,ſi leuis ſit,& culpabilis, tantùm venialiter excuſat à cenſuris. ibid.

Ignorantia vincibilis, quæ non excuſat à mortali, nec etiam à cenſuris incurrendis eximit. ibid.5

Ignorantia quantumcumque craſſa, & lata culpa excuſat à pœna cenſuræ impoſita ſcienter aliquid facienti. 1.305.2

Idem dicendum eſt, quando canon præcipit, vel punit aliquid ſub pœna cenſuræ,ſi adhibeat has particulas, *ſi quis auſus fuerit, vel auſu temerario fecerit, ſi quis conſultò,ſi quis præſumpſerit,ſi quis contempſerit,ſi quis temerè,ſi quis temerarius violator extiterit*, non incurri ſcilicet cenſuram,*ſi quis laborans ignorantia craſſa, & ſupina tranſgrediatur legem,ſi lex adhibeat aliquam ex particulis enumeratis*. ibid.3

Si verò pœna cenſuræ imponitur ſcienter, aut auſu temerario, vel conſultò facienti, audenti, contemnenti, aut præſumenti, non excuſaretur quis à pœna cenſuræ, ſi laboraret ignorantia ita craſſa, ſeu craſſiſſima, quæ importaret latiſſimam culpam, ac dolo æquipararetur. ibid.

Ignorantia affectata, qua videlicet ignorans eligit neſcire quò liberiùs delinquat,nunquam excuſat à cenſuris ſcientiam, temeritatem, ac præſumptionem exigentibus. ibid.4

Ex dictis probabiliter dici poteſt percuſſorem Clerici non incurrere cenſuram excommunicationis latam *can.ſi quis ſuadente*,17.q.4.ſi ignorabat etiam craſsè,& lata culpa Clericatum. ibid.5

Probabilius tamen,& verius dicendum eſt ignorantiam craſſam, & ſupinam Clericatus non excuſare ab incurrenda cenſura lata *in can. ſi quis ſuadente* 17.q 4 contra percuſſores Clericorum. ibid.

Si quis telum in Clericum iaciat, & mox antequam ad ipſum perueniat per contritionem verè doleat de peccato, adhuc incurrit cenſuram excommunicationis ſi poſtea telo Clericus vulneratur. 1.309.10

Cenſura lata nulla eſt, ſi habens iuriſdictionem illam ferendi, non habeat animum,vt liget. 1.319.3

Cenſura lata ad inſtantiam partis non ligat vltra intentionem requirentis: & ſic non ligabit niſi quos, & quot, qui fert cenſuram, aut qui eam petit, obſtringere intendit. ibid.

Voluntas, ſeu conſenſus illius, in cuius fauorem conceſſa fuit cenſura, ſufficit ad ſuſpendendam cenſuram,ne incurratur. ibid.4

Quando ſententia cenſuræ lata eſt à iudice in Titium debitorem, niſi intra decem dies ſatisfecerit Caio creditori, ſi illi decem dies in alios decem proferantur à creditore, etiamſi dicta prorogatio auctoritate iudicis minime ſit facta, finito dicto termino prorogationis,ſi debitor non ſatisfecerit, & aliàs ſit potens ſoluendo, ipſo iure cenſura ligatur ſtatuta in ſententia, etiamſi iudex nouam non ferat ſententiam. 1.320.5

Cenſurarum abſolutio.

Directè, & ex poteſtate, ſeu iuriſdictione ordinaria in foro interno,& externo,illi tantùm habent abſoluere à cenſuris, qui tanquam Prælati Eccleſiaſticam habent iuriſdictionem in foro exteriori in ipſum hominem cenſura ligatum. 1.321.2

Ex delegata verò iuris facultate poſſunt proprij Sacerdotes, id eſt, qui poteſtatem habent abſoluendi à peccatis mortalibus, abſoluere à cenſuris non reſeruatis à iure latis, ſiue ab homine per ſententiam generalem pronunciatis indirectè, per reſpectum ſcilicet, & ordinem ad abſoluendum a peccatis in foro interno. ibid.3

Omnis, qui tulit cenſuram, ab eadem abſoluere poteſt, & hoc ſiue ſit homo ſingularis,qui ſententiam tulit, ſiue Concilium generale, ſiue prouinciale, ſiue Synodus diœceſana, ſiue Collegium, aut Capitulum Eccleſiæ Cathedralis. 1.322.2

A cenſuris latis ab homine abſoluere poteſt etiam Superior iudicis ferentis cenſuræ ſententiam, ſi tamen habet omnem iuriſdictionem, & plenam poteſtatem ſuper cenſura ligatum, æquè, inquam, poteſt abſoluere, ac ipſe iudex, qui tulit cenſuræ ſententiam,ſiue hæc ſit ſpecialis,ſiue generalis. ibid.3

Vnde Papa, qui eſt Superior omni alio, poteſt à ſententia cuiuſcumque cenſuræ à quocumque iudice Eccleſiaſtico lata abſoluere, ſiue ſit generalis, ſiue ſpecialis. quod etiam aliis committere poteſt: nec alicui inferiori facit iniuriam, cùm vtatur iure ſuo. ibid.

Vnde eius Pœnitentiarij ſæpè abſoluunt à ſententiis cenſurarum latis ab aliis inferioribus iudicibus Eccleſiaſticis. ibid.

Conſequenter Epiſcopus reſpectu alicuius Prælati ordinarij inferioris, & ſibi ſubiecti, licet hic non habeat iuriſdictionem ab ipſo Epiſcopo, ſed ex vi ſui Officij, vt ſunt aliqui Abbates, Archidiaconi, vel Archipresbyteri, qui generali nomine Plebani dicuntur,poteſt latas cenſurarum ſententias etiam ſpeciatim ab huiuſmodi inferioribus ordinariis ſibi ſubiectis relaxare, & cenſura ligatum abſoluere. ibid 4

Delinqueret tamen Epiſcopus,ſi irrequiſito Ordinario ſibi inferiori, & non præmiſſa ſatisfactione abſolueret à cenſuris ſibi ſubiectum ab inferiori Ordinario ſibi ſubdito cenſura ligatum. ibid.

Idem aſſerendum eſt de Prælatis regularibus. ibid.5

Archiepiſcopus tamen ad ſuum arbitrium non poteſt ab Epiſcopis ſuis ſuffraganeis, aut eorum Vicariis cenſura ligatos abſoluere, niſi in caſu, quo per appellationem cauſa cenſuræ ad eum delata fuerit; tunc enim poteſt,vocatis tamen partibus,& cognito de appellatione,aliàs non valet abſolutio. ibid.6

Similiter is, cui Epiſcopus committit vices ſuas, vt eſt Vicarius generalis, licèt is habeat iuriſdictionem ordinariam in totum territorium Epiſcopo ſubiectum, non valet abſoluere nominatim cenſura ligatos à ſubditis Epiſcopi,puta ab Archidiacono. ibid.7

Vicarius generalis Epiſcopi ſua ordinaria iuriſdictione, quam accepit à iure eo ipſo, quòd ab Epiſcopo inſtituitur,non poteſt abſoluere ex generali mandato nominatim

Digitized by Google

nominatim cenſura ligatos ab Epiſcopo, cuius eſt Vicarius, benè tamen ex mandato ſpeciali, & ex iuriſdictione delegata. ibid.

Succeſſor in onere, & dignitate illius, qui cenſuram tulit, abſoluere poteſt à cenſura quam tulit ille, cui ſuccedit. 1.323.8

Succeſſor etiam ad tempus ille qui iure communi exercet iuriſdictionem, donec ſucceſſor perpetuus conſtituetur, abſoluere poteſt à cenſuris, quas tulit is, cui ſuccedit; & ſic mortuo Epiſcopo, Archiepiſcopo, Patriarcha, ſucceſſor eorum ad tempus, ſcilicet Capitulum Eccleſiæ Cathedralis abſolueret. ibid.

Capitulo verò hodie iure nouo Concilij Tridentini eligi debet Vicarios qui ea, quæ iuriſdictionis ſunt, exercere debet. ibid.

Si Epiſcopus à paganis, aut ſchiſmaticis capiatur, non Archiepiſcopus, ſed Capitulum in ſpiritualibus, & temporalibus miniſtrare debebit, ac ſi Sedes per illius mortem vacaret, donec libertati fuerit reſtitutus, vel per Sedem Apoſtolicam prouiſum. ibid.

Idem aſſerendum mihi videtur ſi Epiſcopus alia de cauſa fuerit iuriſdictione priuatus. ibid.9

Si à Romano Pontifice, Sede vacante, vel quaſi vacante, detur viſitator in Eccleſia Cathedrali, aut ob Capituli negligentiam ab Archiepiſcopo datos ſit Adminiſtrator, quia fortè Capitulum in ſpiritualibus negligenter, aut perperam adminiſtrat: tunc talis viſitator, & adminiſtrator à cenſuris abſoluet, & non Capitulum. ibid.10

Mortuo ſummo Pontifice maior Pœnitentiarius iuxta poteſtatem, quam, viuente Pontifice, habebat, abſoluere poteſt à cenſuris, & caſibus Pontificiis. ibid.11

Collegium verò Cardinalium, Sede vacante, Pontificiam iuriſdictionem exercere non valet, ea præcipuè, quæ ſunt Romano Pontifici reſeruata, & ſic nequit à cenſuris Pontifici reſeruatis abſoluere. ibid.

Mortuo Pontifice, licèt actualis iuriſdictio Pontificia in Collegio Cardinalium non remaneat; habitualis tamen, ſeu quantum ad radicem proximam, remanet in Collegio Cardinalium. 1.114.12

Licèt Collegium Cardinalium poteſtatem habeat eligendi ſummum Pontificem, electo tamen R. P. iuriſdictionem Pontificiam non tribuit. ibid.13

Sede vacante Collegium Cardinalium in certis caſibus & magna ex cauſa à caſibus, & cenſuris abſoluere poteſt, à quibus Pontifex abſoluere potuit. ibid.14

Cenſura ab homine lata per ſententiam ſpecialem determinatè contra particularem aliquam perſonam, ab eo tantùm auferri poteſt, qui eam tulit, vel ab eius ſucceſſore, vel Superiore in iuriſdictione, vel ab habente facultatem delegatam à iudice illam ferente. ibid.2

Cenſura ligatus nominatim à ſuo Epiſcopo per ſententiam ſpecialem, ſi poſtea tranſtulit domicilium in alienam diœceſim, à priori Epiſcopo debet abſolui, & non ab Epiſcopo in cuius diœceſim poſt cenſuram incurſam tranſtulit domicilium. ibid.3

Qui in vno loco contraxit excommunicationem non reſeruatam latam ab Epiſcopo illius loci per ſententiam generalem, ſi poſtea mutet domicilium, ſeque transferat ad aliam diœceſim, poteſt iure communi abſolui à Confeſſariis illius loci, ad quem ſe transfert. 1.325.4

Cenſura non reſeruata lata per ſententiam generalem ſiue pro culpis futuris, vt ſi Epiſcopus generali edicto excommunicaret omnes, qui in ſua diœceſi in futurum commiſerint homicidium, ſiue ſit lata pro cõmiſſo iam delicto ſub conditione ſatisfaciendi, vt ſi excommunicaret omnes, qui furati ſunt, niſi alienum intra decem dies reſtituerint, tolli, & auferri poteſt à quocumque poteſtatem habente abſoluendi à mortalibus. ibid.

Appellatio proprij Sacerdotis extenditur ad omnem illum, qui iuriſdictionem habet abſoluendi à peccatis mortalibus. 1.326.2

Iure communi proprius Parochus ſimplex Sacerdos, etiam Religioſus expoſitus ad audiendas fidelium confeſſiones, in foro interiori abſoluere poſſunt à cenſuris iuris communis, aut à Synodis, vel generaliter ab homine latis non reſeruatis. ibid.3

Cap. *nuper, de ſententia excomm.* concedens proprio Sacerdoti facultatem ad abſoluendum à cenſuris canonis, & à generaliter latis ab homine non reſeruatis, quo ad forum internum communi praxi, & conſuetudine non eſt reuocatum, benè tamen quo ad externum. ibid.4

Licèt Parochi, & Sacerdotes expoſiti ex facultate *d. c. nuper*, & ex tacita commiſſione Ordinarij exponentis ad audiendas confeſſiones abſoluere poſſint in foro interno ab excommunicatione iuris, & à generali hominis ſi non reſeruetur, ab interdicto tamen, & ſuſpenſione eiſdem abſoluere non conceditur. ibid.5

Cenſura ſuſpenſionis non impedit, quin ſuſpenſus poſſit confiteri, & communicare corpori Dominico, nec quidquam illi per eam prohibetur, quod poteſt vt laicus exercere. ibid.6

Licèt iure communi Parochis, & Sacerdotibus expoſitis, per dictum *cap. nuper*, ſit conceſſa facultas abſoluendi à cenſuris non reſeruatis impedientibus ſacramentalem à peccatis abſolutionem, iure tamen particulari in aliquibus diœceſibus ſancitum eſt ab ordinariis Diœceſanis, ne Parochi, vel alij Sacerdotes expoſiti abſoluant à cenſuris, excepta minore excommunicatione, idque conſuetudine introduci potuit. 1.327.8

A cenſuris latis per ſententiam generalem, ſiue per ſtatutum, non reſeruatis, ingrediens Religionem poteſt à Superiore illius Religionis abſolui, non ſolùm poſt profeſſionem, ſed etiam antea. 1.328.2

Prouinciales Ordinis Prædicatorum, ac Vicarij Prouinciarum abſentibus Prouincialibus, & quibus ipſi ſpecialiter commiſerint in quocumque loco quarumcumque Prouinciarum in toto Orbe exiſtentes, licèt non iure communi, ex priuilegio tamen Nouitios abſoluere valent ne dum à cenſuris iuris, & hominis generaliter latis non reſeruatis: ſed etiam à cenſuris, & caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis. ibid.3

Virtute ſupradictæ conceſſionis Clementis VII. poſſunt prædicti Prælati, & communicantes in priuilegiis Mendicantium abſoluere ingredientes Religionem, etiam ſi fuerint nominatim & ſpecialiter ab homine excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti, ſi priùs ab eis ſatisfactio fiat parti læſæ. ibid.

Ingredientes Religionem Ordinis Prædicatorum, vel Minorum, ſi poſt ſuſceptum habitum, vel profeſſionem emiſſam, recoluerint ſe in ſæculo cenſurarum ſententiis irretitos diuina Officia celebrando, vel Ordines recipiendo, irregularitates incurriſſe, Prælati Regularium dictorum Ordinum, Generalis, Prouincialis, & eorum vices gerentes, etiam Priores locales valent eiſdem Nouitiis, vel perfectè Religioſis poſt profeſſionem emiſſam, diſpenſationis beneficium ſuper irregularitatibus contractis impartiri, nedum ortis ex delicto occulto, ſed etiam ex delicto notorio: cum reincidentia tamen, vt ſi retrocedant à Religione, habitum dimittendo, in priſtinas irregularitates relabantur. 1.329.4

Prælati

Prælati Regularium Mendicantium nedum abſoluere poſſunt iam Profeſſos, quàm Nouitios in Religione perſeuerantes à quibuſcumque criminibus, cenſuris, & pœnis, tam ante, quàm poſt ingreſſum in Religionem incurſis, & in futurum incurrendis, ob quemcumque exceſſum, & delictum publicum, vel occultum, & etiam à caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ. His tamen exceptis, quæ continentur in Bulla, quæ ſingulis annis die Cœnæ legi conſueuit toties, quoties opus fuerit: ſed etiam diſpenſandi habent facultatem cum Profeſſis, & Nouitiis ſuper irregularitate orta ex homicidio voluntario, ſeu membri mutilatione in foro conſcientiæ: ſi tamen homicidium ſit occultum, & non poſt ingreſſum in Religionem fuerit ſubſequutum. ibid.5

Prælati Regularium nedum poſſunt diſpēſare cum Profeſſis, & Nouitiis in Religione perſeuerantibus ſuper irregularitate in foro conſcientiæ orta ex occultò homicidio voluntario, vt ad Ordines promoueri, & in ſuſceptis liberè miniſtrare poſſint, ſed etiam cum eiſdem diſpenſare valent ad Prælaturas, vt in Religione poſſint eſſe Prælati. 1.329.6

Prælati Ordinum Mendicantium à dictis cenſuris virtute dictorum priuilegiorū abſoluere poſſunt ſuos ſubditos, & Nouitios in Ordine perſeuerantes extra forum ſacramentale, etiamſi in illis clauſula eſſet appoſita abſoluendi tantùm in foro conſcientiæ. 1.330.7

Generales, Prouinciales, & Superiores locales Ordinis Prædicatorum, & fruentium eorum priuilegiis, per quandam conceſſionem & Motum proprium Pij V. fel. record. gaudent prorſus eadem facultate erga ſibi ſubiectos Regulares, quam habent Epiſcopi virtute Concilij Tridentini erga ſuos ſubditos. 1.331.2

Dicti Prælati, & communicantes in eorum priuilegiis poſſunt committere ſuis Confeſſariis, vt cum ipſis diſpenſent in iis omnibus, in quibus poſſunt cum ſuis ſubditis ipſi diſpenſare, & vt ipſos abſoluant ab omnibus caſibus, cenſuris, & pœnis, à quibus valent ipſi ſubditos abſoluere vi decreti Concilij Tridentini ad ipſos factam. ibid.

Prædicti Prælati Regularium vi decreti Concil. Trident. in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare poſſunt cum ſuis ſubditis, & in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, delinquentes Regulares ſibi ſubiectos per ſe ipſos abſoluere. ibid.3

Delictum deductum ad forum contentioſum dicitur quando in id forum deductum eſt, etiamſi vno teſte probetur, nec refert ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè res in iudicium ſit delata. ibid.4

Quòd ſi delinquens ſit defectu plenæ probationis in foro externo abſolutus, etiamſi falſis teſtibus ſe defenderit, non dicitur delictum ampliùs deductum ad forum contentioſum. ibid.

Epiſcopi, & Prælati Regularium per conceſſionem Sanctiſſimi Pij V. vi Concilij Tridentini poterunt ſuos ſubditos abſoluere ab omnibus caſibus occultis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, & cum eis diſpenſare in irregularitatibus omnibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario: etſi delicta eorum fuerint ad forum contentioſum delata, ſi tamen in foro externo fuerint ab eis abſoluti. ibid.

Etiamſi delictum ad forum contentioſum delatum, fuerit ſemiplenè probatum per teſtimonium vnius teſtis oculati, iurati, & omni exceptione maioris, qui nullum ſcilicet patitur defectum, ob quem poſſit à teſtimonio repelli: ſi reus in foro externo abſoluitur, ſiue diffinitiuè, ſiue ab inſtantia iudicij, quia delictum non eſt plenè probatum, adhuc delictum remanet occultum, & ab eo reum abſoluere poteſt, qui aliàs habet facultatem abſoluendi ab occultis. 1.332.init.

Reum in iudicio abſolui diffinitiuè tunc eſt, quando illius crimen, à quo abſoluitur, nunquam poteſt in iudicium iterum deduci. ibid.5

Liberari verò reum, & abſolui non diffinitiuè, ſed per ſententiam interloquutoriam, tunc eſt quando iudicium terminatur quidem, minimè tamen diffinitiuè, & totaliter. ibid.

Si duo eiuſdem criminis ſint conſortes, & alter ſolùm ad iudicium deferatur, delictum alterius rei nondum deductum ad forum contentioſum erit occultum. ibid.

Si aliquo loco res ſit ad forum contentioſum delata, dum in eo pendet, quocumque delinquens fugiat, nequit habens facultatem in delictis occultis delinquētem abſoluere, & cum eo diſpenſare. ibid.6

Si delictum delatum ad forum contentioſum eſt iam iudicio diffinitiuè punitum, non poſſunt qui ſolùm habent auctoritatem in delictis occultis, ab illo abſoluere, nec cum reis ſi ex illo irregularitatem contraxerunt, diſpenſare. ibid.7

Habens facultatem abſoluendi, & diſpenſandi in occultis, ſi abſoluit, & diſpenſat, quando nondum crimina erant delata ad forum contentioſum, ſi poſt abſolutionem, & diſpenſationem ad id forum deducantur, abſolutio, & diſpenſatio adhuc proſunt in foro interiori. ibid.8

Caſus occultus, vt ab eo poſſit abſoluere, & in eo diſpenſare is qui habet facultatem abſoluendi, & diſpenſandi in caſibus, ſeu delictis occultis, ille dicitur, qui non eſt publicus, & ita etiamſi ab aliquibus ſciatur, etiam à quinque perſonis, & in iudicio probari poſſit, cenſetur occultus. 1.333.9

At tunc tantùm occultum non eſt, quando in ratione delicti eſt publicum, vtpote quod in maiori parte viciniæ, Collegij, Monaſterij, vel parochiæ cognoſcitur, dummodo ſaltem decem perſonæ inueniantur in ea vicinia, parochia, Collegio, vel Monaſterio. ibid.

Si delictum alicubi ſit publicum, & petatur abſolutio, ſeu diſpenſatio in loco ita diſtanti, vt non ſit periculum, quòd ibi manifeſtetur, poterit ab illo peccato tanquam occulto abſoluere, & diſpenſare is, qui aliàs habet facultatem in occultis ſibi conceſſam. ibid.10

Quando delictum fuit deductum ad forum contentioſum cum effectu, id eſt, deductio in foro exteriori ſortita eſt ſuum effectum, quia delictum fuit plenè probatum, & propterea reus fuit punitus, abſoluto iudicio, nequit habens facultatem in delictis occultis delinquentem abſoluere, aut cum eo diſpenſare. ibid.11

Si actus delicti materialiter ſit publicus, non tamen formaliter, tunc delictum dicitur occultum, & non publicum. ibid.12

Licèt delictum vt delictum ſit publicum, ſi tamen vt cenſuræ, vel irregularitati ſubiectum ſit occultum, habens facultatem abſoluendi à cenſuris occultis, vel diſpenſandi in irregularitatibus occultis, poterit, &c. ibid.

In priuationibus & inhabilitatibus contractis ob delictum occultum poteſt Epiſcopus diſpenſare virtute Concilij Trident. qua facultate gaudent Generales, Prouinciales, & Superiores locales per Motum proprium Sanctiſſimi Pij V. 1.334.13

Abſens localiter à cenſuris poteſt abſolui. 1.335.2

Erit tamen abſolotus tunc abſens quando litteras abſolutionis teceperit, aut qoando abſolutio profertur, quod ex verbis abſoluentis, & circunſtantiis colligendum eſt. ibid.
Conſequenter abſolutio generalis à cenſoris facta à Prælatis Religioſorum in Capitulis, vel viſitationibus, extenditur etiam ad abſentes, ſi id Prælati intendant, etiamſi abſentes non faciant qđod Prælati iniungunt. ibid.5
Religioſi, qui in Capitulis, & viſitationibus ab irregularitatibus, ſuſpenſionibus, & aliis cenſuris generaliter à ſuis Superioribus abſoluuntur, eſto tunc non meminerint illa, ſublata tamen cenſentur, nec tenentur aliam diſpenſationem, & abſolutionem quærere ab eis, ſed ſatisfaciunt confitendo ſimpliciter peccata, ob quæ illas incurrerunt, cuicumque alteri Confeſſario. ibid.
Confeſſarius, qui aliquem abſoluit à peccatis habentibus annexam excommunicationem reſeruatam, à qua ipſe non poterat abſoluere, poteſt obtenta facultate abſoluendi, abſoluere abſentem ab excommunicatione. t.336.4
Non ſolùm abſens à cenſuris abſolui poteſt; ſed etiam diſpenſatio ab irregularitatibus fieri poteſt circa abſentem. ibid.5
Epiſcopi vi Conc. Trid. & Prælati Regularium virtute conceſſionis Pij V. extra confeſſionem ſacramentalem ſuos ſubditos abſoluere poſſunt ab omnibus cenſuris occultis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, & cum eis diſpenſare in omnibus irregularitatibus occultis, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario. ibid.6
Certiſſimum tamen eſt quoad diſpenſationem ab irregularitatibus, & ſuſpenſionibus Epiſcopos vi Concilij Tridentini, & Prælatos Mendicantium virtute conceſſionis ſanctiſſimi Pij V. poſſe vti cum ſuis ſubditis facultate ſibi conceſſa extra forum pœnitentiale. ibid.
In Iubilæis tamen, quando datur facultas abſoluendi à cenſuris, & à caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, vigore illorum non poſſunt Confeſſarij abſoluere à cenſuris extra confeſſionem ſacramentalem. ibid.7
Idem dicendum, quando in Iubilæo conceditur facultas vota commutandi, neceſſariò ſcilicet talem commutationé votorum debere fieri in confeſſione. ibid.
Vigore Concilij Tridentini Epiſcopi ſi exiſtant extra ſuam diœceſim, non poſſunt in foro conſcientiæ abſoluere ſubditos ſuos ſimiliter exiſtentes extra diœceſim, à cenſuris, & caſibus Sedi Apoſtolicæ occultis reſeruatis, quamuis poſſent ibi ab aliis peccatis abſoluere, atque etiam à cenſuris Papæ non reſeruatis. t.337 8
Prælati verò Regularium virtute conceſſionis Pij V. ſuos ſubditos abſoluere poſſunt in foro conſcientiæ à cenſuris, & caſibus occultis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis extra ſua Monaſteria, & loca vbique terrarum. ibid.
Si verò Epiſcopus exiſtat intra diœceſim, vi Concilij Tridentini poteſt à cenſoris reſeruatis, & occultis ſuos ſubditos abſentes in alio oppido eiuſdem diœceſis exiſtentes abſoluere. ibid.
Poterunt etiam Epiſcopi virtute Concilij Tridentini in ſua diœceſi cum abſentibus ſubditis ſuis in irregularitatibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare. ibid.
Idem poterunt Prælati Mendicantium virtute Bullæ ſanctiſſimi Pij V. diſpenſare ſcilicet cum ſuis ſubditis abſentibus. ibid.
Epiſcopi vi Concilij Tridentini exiſtentes in ſua diœceſi poſſunt ſuos ſubditos extra diœceſim degentes à cenſoris occultis reſeruatis abſoluere, & ſimiliter cū eiſdē diſpenſare in omnibus ſuſpenſionibus, & irregularitatibus occultis, vna excepta; & è contrario ſi Epiſcopi commorentur extra ſuum territorium, poſſunt ex vi facultatis Concilij Tridentini mittere ſubditis intra diœceſim exiſtentibus abſolutionem à cenſuris reſeruatis, & diſpenſationem ſuper omnibus irregolaritatibus occoltis, vna excepta. ibid.9.
Ex vi huius facultatis Concilij Tridentini poſſunt Epiſcopi & per extenſionem eiuſdem priuilegij conceſſam à ſanctiſſimo Pio V. Prælatis Mendicantium, poterunt etiam hi abſoluere, & diſpenſare cum ſuis ſubditis abſentibus in omnibus priuationibus & inhabilitatibus prouenientibus ex delictis occoltis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, vna excepta quæ prouenit ex homicidio voluntario. ibid.
Per hoc decretom Clementis VIII. & Paoli V. non eſt reuocatum priuilegiom Epiſcopis conceſſum in Concilio Tridentino, abſoluendi ſcilicet ſuos ſubditos ab omnibus cenſuris, & caſibus occultis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis. t.338.2
Pontifex concedens generali clauſula caſus, & cenſuras ſibi reſeruatas, cenſendus eſt concedere etiam caſus, & cenſuras, quas inferiores Epiſcopi ſibi ſpecialiter reſeruant. ibid.3
Conſequenter Epiſcopus vi Concilij Tridentini poteſt abſoluere ſuum ſubditum à caſibus reſeruatis & cenſuris ſimiliter reſeruatis latis per ſententiam generalem ab Ordinario alterius diœceſis, quas maiori anni parte ibi manens contraxit. ibid 4
Epiſcopus vigore Concilij Tridentini non valet abſoluere ſubditum ſuum, ſi aliàs ab Ordinario alterius diœceſis legitima iuriſdictione acquiſita ratione delicti nominatim, & per ſententiam ſpecialem fuerit cenſura ligatus. ibid.
Epiſcopi vigore Concilij Tridentini poſſunt ab excommunicatione publica, & alia quacumque reſeruata Papæ abſoluere ſubditum excommunicatum habentem impedimentum legitimum, propter quod non poteſt Papam adire; ceſſante tamen impedimento ſi non ſit perpetuum, tenetur Papam adire, non vt iterum ab excommunicatione abſoluatur, quia plenè ab illa eſt abſolutus, ſed vt Pontifex medicinam adhibeat conuenientem, ſatisfactionémque imponat. t.339.5
Quòd ſi non præſentauerit, quamprimum commodè poterit, reincidet in eandem ſpecie excommunicationem. ibid.
Contrahens excommunicationem publicam Papæ reſeruatam, etiamſi in ſententia reſeruationis dicatur neminem ab ea poſſe abſoluere, præterquam in mortis articulo, ſi longiſſimè abeſſet ab Vrbe, in diſceſſu proficiſcens Romam, à ſuo Ordinario petere poteſt abſolutioné ab ea, quæ dari poterit, ne moriatur in itinere in excommunicatione, promittendo ſe quàm citò commodè poterit per ſe, vel per aliū adituram Pontificem, & eius mandatis pariturom. ibid.
Obtinens facultatem abſoluendi, vel vt ei beneficium abſolutionis poſſit impendi à caſibus ſummo Pontifici reſeruatis poteſt abſoluere, & abſolui à cenſoris illis reſeruatis. ibid.6
Vnde ſublata cenſura quilibet Sacerdos approbatus poteſt ab illis abſoluere, quamuis facultatem non habeat abſoluendi à cenſuris, & caſibus reſeruatis. ibid.
Obtinens verò ab Epiſcopo facultatem abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis, non poteſt abſoluere à cenſuris. ibid.

Prælatus concedens abſoluendi facultatem ab omnibus ſuis caſibus,& cenſuris, noo cenſetur concedere facultatem diſpenſandi in irregularitate, votis, aut iuramentis, in quibus ipſemer Prælarus poteſt. ibid.

Obtinens à ſummo Pootifiee facultatem abſoluendi ab omnibus cenſuris, poteſt abſoluere à cenſuris reſeruatis. ibid.

Obtinens facultatem generalem abſoluendi ab omnibus caſibus ſummo Pontifici reſeruatis, nequit abſoluere à caſibus contentis in Bulla Cœnæ, quando non eſt facta mentio in conceſſione illius Bullæ, ibid.

Habens facultatem abſoluendi à caſibus ſummo Pontifici reſeruatis, etiam contentis in Bulla Cœnæ, non poteſt abſoluere ab excommunicatione ob hæreſim contracta, niſi in eonceſſione boc exprimatur, ibid.

Per ſubreptionem, vel obreprionẽ dicitur quis abſolutionem à cenſuris impetraſſe, quando apud iudicem Eccleſiaſticum, à quo abſolutio ab eis obtineri debet, incurſæ cenſuræ vera cauſa ſubticetur, & alia explicatur; ſicut reſcripta, quæ ad gratias obtinendas conceduntur, dicuntur ſubreptitia, vel obreptitia, quando in eis tacira eſt veritas neceſſariò explieanda, vel falſum aliquid narratum eſt. t.340.a

Abſolutio cenſurarum obtenta ab Ordinario per obreptionem, ſeu per mendacinm, abſolutè loquendo, eſt inualida, pnta ſi abſoluendus menriatur ſe ſatiſfeciſſe, aut ſibi remiſſam ioiuriam, vel boiuſmodi. t.341.3

Similiter in hoc conſimili caſu ſi quis occidit Clericum, allegando per mendacium ſe illum occidiſſe ad ſe defendendum, cùm à Clerico per iniuriam fuerit aggreſſus, abſolutio ſic obtenta per obreptionem eſſet inualida. ibid.

Valeret tamen abſolutio ſi iudex ordinarius abſolutè vellet cenſura ligatum abſoluere, quamuis ſciret in obtinenda abſolutione referri falſum, tunc enim valebit abſolutio: at peccabit iudex, qui illum abſoluit cum iniutia partis. ibid.

Si non conſtat de intentione iudicis abſoluentis, an talem animum habuerit abſoluendi, ſcilicet cenſura ligatum, etiamſi ſciret falſam cauſam eſſe expreſſam in obrinenda abſolutione; tunc pro non abſoluto eſt babendus, qui per obreprionem abſolutionem obtinoit. ibid.

Conſequenter, ſi hæreticus fictè conuertitur, & ſic fictè petit ab Inquiſitoribns à cenſuris abſolui, abſolutio ei impenſa in foro interiori nulla eſt. ibid 4

Valet abſolutio à cenſuris ſi fideliter cenſura ligatus cauſam principalem incurſæ cẽſuræ expreſſit, etiamſi cauſas aliquas accidentales finxerit, vt magis iudicem alliceret ad concedendam abſolutionem. ibid. 5

Si aliquis vnica tantùm cenſura ligatus ex pluribus cauſis per ſe ſufficientibus ad illam incurrendam, puta quia legitimè citatus concubinam non dimiſit, debitum creditori non ſoluit, & parti læſæ ob iniuriam illatam non ſatisfecit, ſi poſtea in impetratione abſolutionis cauſam aliquam æquè principalem incurſæ cenſuræ ſubticuerit, non cenſetur abſolutus à cenſura. ibid.

Secus autem ſi cauſa ſuppreſſa non fuit æquè principalis, & per ſe ſufficiens. ibid.

Similiter valida eſt abſolutio, ſi cauſa, quæ expreſſa non fuit, minimè Prælarum ab abſolutione auertiſſet, ſi expreſsè ei eſſet ſignificata. ibid.

Varias ob cauſas variis cenſuris, vna ſententia, vel pluribus ſententiis irretitus, ſi abſolutionem petens vnam ſolùm cauſam exprimit, eius cenſuræ tantùm cuius cauſam expreſſit, abſolutiooem conſequitur, & hoc etiam ſi abſolutio generalis fuerit, & ab eo facta, qui ab omnibus abſoluere poterat. ibid.

Præcedens proonunciatum intelligendum eſt, quando is, qui abſoluitur, cenſurarum ſuarum cauſas aliquas tacet frandolenter, & alias exprimit. ibid.

Indiffinita, & generalis abſolutio à cenſoris exhibita pluribus ligato cenſuris ab eo, qui habet poteſtatem abſoluendi ab omnibus, vnica tantùm nominatim expreſſa, quo ad alias etiam ſufficit, ſi ſic abſolutus eas taceret ignoranter. 1.342.6

Pœnitens, qui inualidè confeſſus eſt, vel defectu contritioois, & attritioois, vel quia culpabiliter, & malitiosè prætermiſit in confeſſione aliqood peccatum mortale Sacerdoti habenti facultatem abſolueodi à peccatis reſeruatis, & à cenſuris virtute Iubilæi, non remanet abſolutus à peccatis, quoad reſeruationem, neque à cenſuris. ibid.7

Abſolutus tempore Iubilæi à Confeſſario approbato, vel ab alio extra Iubilæi tempus facultatem habente circa cẽſuras, & caſus reſeruatos, remanet abſolutus à cenſuris, & caſibus reſeruatis, quæ per obliuionem inculpabilem prætermiſit in cooſeſſione. ibid.

Abſolutus à cenſuris inculpabiliter oblitis in ſacramento Pœnitentiæ, ſi poſt confeſſionem recordetur alicuius cenſuræ, tenetur quidem confiteri peccàta oblita, vt ab ipſis directè abſoluatur; non verò tenetur confiteri cenſuras illis peccatis adnexas, quando confeſſus eſt Sacerdoti babenti facultatem abſoluendi ab illis cenſuris oblitis. ibid.8

Pœnitens, qui coofeſſus eſt extra Iubilæum legitimo Superiori habenti facultatem ordinariam, ſeu delegatam abſoluendi à caſibus, & cenſuris reſeruatis, remanet abſolutus, quo ad reſeruationem in confeſſione manifeſtatorum, & cẽſuris, quas expreſſit, licèt confeſſio fuerit inualida vel defectu contritionis, vel attritionis, vel quia culpabiliter prætermiſſum eſt in confeſſione aliquod peccatum mortale. ibid.9

Intellige ſi abſolutio detur ab habente poteſtatem delegatam abſoluendi à cenſuris, ne dum in ſacramento Confeſſionis, ſed etiam extra ſacramentum. ibid.

Pœnitens, qui inualidè eſt confeſſus, non remanet abſolutus à cenſuris, quas voluntariè malitiosè in confeſſione ſubticuit. s.343.initr.

Qui ſolùm habet facultatem delegatam abſoluendi à cenſuris in ſacramento Pœnitentiæ, à nolla cenſura expreſſa, vel non expreſſa in confeſſione validè abſoluit, ſi ſacramentum ſit inualidum ex parte pœnitentis ob defectum contritionis, vel attritionis, vel ob defectum integritatis. ibid.10

Conſeqnenter, quando Prælati Religionum in aliquibus præcipuis feſtiuitatibus ſuam authoritatem impartiuntur Confeſſariis in Conuentu expoſitis, vt eorum ſubditi poſſint abſolui à cenſuris, & caſibus reſeruatis, ſi ipſi extra tempus conceſſum omnia peccata reſeruata, & cenſuras ſiue debita contritione, aut attritione confitentur, aut ſcienter celato aliquo peccato motali, minimè remanent liberati à cenſuris, & à reſeruatione caſnum, & ſic tranſacto dicto tempore tenentur confiteri Confeſſario non cuicumque potenti abſoluere à mortalibus, ſed potenti à cenſuris abſoluere, & à reſeroatis liberare. ibid.

Habens poteſtatem ordinariam abſoluendi, validè poteſt abſoluere pœnitentem, qui nondum ſatisfecit parti læſæ, quamuis antea potuerit ſatisfacere, aut cautionem ſatisfaciendi exhibere, peccaret tamen ſic abſoluendo. 1.344.a

Habens facultatem delegatam, ſeu priuilegium abſoluendi à cenſuris abſque limitatione ſatisfactæ partis, validè abſoluit pœnitentem, qui nondum ſatisfecit parti læſæ, licèt peccet cootra iuſtitiam. ibid.3

Habens priuilegium limitatum ſub conditione ſatisfactionis, non poteſt validè abſoluere pœnitentem, quia nondum ſatisfecit, modò poſſit commodè ſatisfacere. ibid.

Priuilegium cum limitatione conceſſum tunc limitat poteſtatem, & iuriſdictionem, & irritat abſolutionẽ, quando in eius conceſſione apponuntur verba expreſsè negantia poteſtatem, & limitantia iuriſdictionem, ſiue actiuè, ſiue paſſiuè proferantur. 1.345.4

Si priuilegium abſoluendi ſit conceſſum ſub hac forma, ſatisfacta parte, vel de conſenſu partis, valida eſt abſolutio collata ante ſatisfactionem partis. ibid.

Quando pœnitens non poteſt ſatisfacere, & abſolutio differretur per multum temporis, vel cum graui damno, poteſt Confeſſarius habens priuilegium abſoluendi cum limitatione ſatisfactionis abſoluere à cenſuris exhibita à pœnitente ea ſatisfactione, quam poteſt exhibere ante abſolutionem, exhibendo ſcilicet cautionem pignoratitiam, vel fideiuſſoriam, vel ſaltem iuratoriam, modò Confeſſarius credat illum oblata occaſione ſatisfacturum. ibid.5

Facultas conceſſa alicui delegato abſoluendi à cenſuris, exprimens ne abſoluat niſi præmiſſa, & reali ſatisfactione, poteſt validè, & licitè exerceri, quando reus ſimpliciter, vel moraliter ſatisfacere nequit. ibid.

Delegatus, qui habet facultatem abſoluendi à cenſuris, ſub hac conditione, ſatisfacta parte, abſoluere poteſt pœnitentem, quoties non ſtat per ipſum, ne ſatisfactionem præſtet, ſed potiùs ſtat per ipſam partem, quæ non vult ſatisfactionem acceptare. ibid.

Satisfactione, vel reſtitutione facta, non ſtatim aufertur excommunicatio abſque alia abſolutione, quando aliquis fuit excommunicatus ob aliquod delictum. ibid.6

Summus tamen Pontifex poteſt aliquem excommunicare, ita vt poſita ſatisfactione, vel alia conditione liberatus remaneat ab excommunicatione, abſque alia abſolutione. ibid.

Alij verò Prælati Romano Pontifice inferiores hoc efficere nequeunt. ibid.

Cenſura interdicti ſi lata eſt ad tempus, vel vſque ad aliquam actionem, vel ceſſationem actionis, puta vſque ad annum, vel donec ſatisfeceris, reſtitueris, vel donec à contumacia ceſſaueris, vel huiuſmodi, elapſo illo tempore, vel facta reſtitutione, vel ſatisfactione, &c. ipſo facto tollitur interdictum. 1.346.init.

Quando facultas abſoluendi à cenſuris in priuilegiis, ſeu Bullis Iubilæorum nulla addita limitatione conceditur, videtur conceſſa in vtroque foro. ibid.2

Quando dicitur in conceſſione priuilegij, vel Bullæ Iubilæi, Abſoluant à cenſuris in foro conſcientiæ, vel in ordine ad ſacramentalem confeſſionem; facultas abſoluendi cenſetur conceſſa tantummodo pro foro interiori. 1.347.med.

Pœnitens, qui abſolutus fuit in foro conſcientiæ ab aliqua cenſura contracta ob aliquod delictum, ſi poſtea ipſius delictum defertur ad iudicem, non indiget noua abſolutione, vt poſſit cum cæteris communicare, aut actus per cenſuram prohibitos exercere: modò conſtet aliis ipſum fuiſſe abſolutum, ita vt non ſubſit ſcandali periculum. ibid.3

Quando cenſura fuit publica, tunc etiam abſolutio in foro conſcientiæ tollit illam, & multò magis, quando cenſura fuit occulta: tamen vt poſſit quis publicè abſolutione vti, ſi notoriè erat cenſura ligatus, neceſſe eſt, vt de abſolutione publicè conſtet, non propter cenſuram veram, ſed propter præſumptam putatam, & propter ſcandalum. ibid.4

Si poſt abſolutionem in foro conſcientiæ de cenſura occulta caſus iſte iam cenſurati deducitur ad forum contentioſum, & in eo conſtare non poteſt de abſolutione habita in foro interiori, cogitur iſte ad aliam abſolutionem petendam vel à ſuo excommunicatore, vel ab alio, qui eum in foro exteriori cauſa cognita in forma iudicij abſoluere poteſt. ibid.5

Conſtare tamen poterit publicè de abſolutione à cenſuris habita in foro conſcientiæ, ſi cenſura ligatus tempore Iubilæi, vel habenti facultatem abſoluendi ab eis ex priuilegio aliquo fuerit confeſſus, vel per atteſtationem Confeſſarij aſſerentis ſe illi beneficium abſolutionis impendiſſe. ibid.6

Caueat tamen Confeſſarius, ne faciat prædictam atteſtationem, antequam obtinuerit à pœnitente facultatem iſtius atteſtationis faciendæ. ibid.

Fidem, de qua aſſertione præcedenti diximus, poteſt Confeſſarius præbere perſonæ abſolutæ de licentia ipſius, ſic dando pœnitenti tale ſcriptum coram teſtibus, & Tabellione, qui in altera ſcripturæ facie fidem faciat illud ſcriptum eſſe talis Sacerdotis, vt iuridicè conſtet illud eſſe teſtimonium talis Sacerdotis; & ſic iudex exterioris fori poſſet diſſimulare ſe neſcire cenſuras illas, quarum abſolutiones oſtenderentur eis factæ quoad forum conſcientiæ tantùm ad effectum dimittendi abſolutum impunitum, ſi ex ſuo tantùm officio ſine vllo præiudicio publico, & priuato procederet: ſi verò procedit ad inſtantiam partis, non tenetur credere teſtimonio dato à Confeſſario, imò nec poteſt in præiudicium partis illi credere, poſſet tamen diſſimulare ceſſante aduerſario. ibid.

Exiſtenti in articulo mortis poteſt quilibet Sacerdos ſimplex abſolutionem earum cenſurarum impẽdere, quæ obſtant ſuſceptioni Sacramentorum, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ, qualis eſt excommunicatio, interdictum perſonale, ſuſpenſio à ſuſceptione Sacramentorum, & ab Eccleſiaſtica ſepultura. 1.348.2

Exiſtens in articulo mortis non poteſt liberari ab irregularitate à quolibet Sacerdote, neque abſolui à ſuſpenſione, ab Ordine, officio, vel beneficio. ibid.

Etiam quando dubitatur an pœnitens exiſtat in articulo mortis, nécne, poteſt ſimplex Sacerdos præſens non expectata Superioris facultate illum abſoluere à prædictis cenſuris, & caſibus reſeruatis. ibid.

Pœnitens conſtitutus in probabili periculo mortis, qui non poteſt per ſe ipſum adire Superiorem, vt à cenſuris, & caſibus reſeruatis abſoluatur, non tenetur per nuncium, vel per litteras ad illum recorrere, & ita poteſt abſolui à quolibet Sacerdote. ibid.

A pœnitente non habente impedimentum perpetuum adeundi Superiorem, qui in articulo mortis abſoluitur à cenſuris & caſibus reſeruatis à Sacerdote non habente facultatem ab illis abſoluendi extra mortis articulum, extorquendum eſt, ſi fieri poteſt, iuramentum, ſeſe ſublato impedimento non perpetuò præſentandi coram Superiore, qui de iure poteſt extra illum articulum abſoluere: alioquin pœnitens non ſe præſentans reincidit in eandem excommunicationem. 1.349.4

Piè ſatis, & probabiliter dicendum videtur laicum, & multò magis Clericum non Sacerdotem, in articulo mortis poſſe abſoluere à cenſuris, quæ obſtant ſuſceptioni Sacramentorũ & Eccleſiaſticæ ſepulturæ. ib.5

Diuiditur abſolutio cenſurarum in abſolutè latam & ſub conditione, vel, quod idem eſt, in abſolutam, & conditionatam. 1.350.2

Abſolutio cenſurarum abſolutè lata, ſeu abſoluta, illa eſt, quæ & in verbis, & in intentione abſoluentis nullam claudit conditionem. Conditionata verò, ſeu ſub conditione, illa eſt, quæ ſub conditione alicui datur: hæc autem conditio poteſt eſſe de

præſenti, vt, Abſoluo te, ſi excommnnicatus es ; de præterito, vt, Abſoluo te, ſi ſatisfeciſti ; de futuro, vt, Abſuluo te, ſi ſatisfacies. ibid,

Abſolutio ad cautelam illa dicitur, quæ ex defectu cognitionis, ſeu certitudinis ipſius cenſuræ tribuitur quando ob periculum, quod ineſſe poteſt, dubitatur. ibid.

Alia etiam dicitur abſolutio à cenſuris ad reincidentiam, & illa eſt, per quam quidem tollitur cenſura, non tamen in perpetuum, ſed ita, vt redictura ſit poſt certum tempus, vel poſt talem effectum conſequutum. ibid.

Abſolutio cenſurarum validè fertur ſub conditione de præſenti, & de præterito, dicendo ſic: Abſoluo te à vinculo excommunicationis, ſi parti læſæ ſatisfeciſti ; vel, Abſoluo te à ſuſpenſione, ſi habes animum offenſo ſatisfaciendi. ibid.3

Valida eſt etiam abſolutio à cenſuris ſub conditione de futuro ; quia validè cenſura ferri poteſt ſub conditione de futuro, vt ſi iudex dicat: Excommunico te, niſi infra 20. dies Titio ſatisfeceris. ergo etiam eius abſolutio ſub conditione de futuro, vt dicendo ſic: Abſoluo te à ſuſpenſione incurſa ſi ſatisfacies. ibid.

Hæc tamen abſolutio data ſub conditione de futuro non ſortitur effectum ſuum ante ſatisfactionē. ibid.4

Abſolutio cenſurarum dari poteſt ad cautelam. ibid.5

Imò abſolutio ad cautelam communiter præmitti ſolet, antequam pœnitens abſoluatur à peccatis, vt tollatur impedimentum, ſi quod fortè ſubeſt ad recipiendum ſacramentum. ibid.

Per abſolutionem à cenſuris ad reincidentiam, licèt hæc non ſit abſoluta, & perfecta, tamen homo verè, & validè abſoluitur à cenſuris. ibid.

Liberatus à cenſuris ad reincidentiam poſt conſummatum actum, ad quem fuit abſolutus, iterum in eandem ſpecie cenſuram incidit, quæ non requirit nouum peccatum mortale. 1.351.6

Valida eſt abſolutio à cenſuris ſic impenſa, Ego abſoluo te, nulla facta cenſurarum mentione. 1.352.2

Sacerdos poteſt his verbis, Abſoluo te, validè vti ad abſoluendum à peccatis, & ſimul à cenſuris, modò intendat, ſimul abſoluere à cenſuris, & à peccatis, in quo caſu abſolutio à cenſuris cenſetur prior natura abſolutione à peccatis, quamuis vtraque abſolutio ſit ſimul tempore. ibid.3

Quando excommunicatus tam eſt morti vicinus, vt non poſſit prius à cenſuris abſolui, quàm à peccatis, ſi Sacerdos ignorans poſſe dari ſimul per hæc verba, Abſoluo te, abſolutionem ſimul à cenſuris, & peccatis, proferat hæc verba, Abſoluo te, intendens abſoluere morti propinquum tantùm à peccatis, valida eſſet abſolutio à peccatis collata ante abſolutionem excommunicationum. ibid.

Sicut in forma ſacramenti Pœnitentiæ non eſt neceſſarium de neceſſitate Sacramenti, adiungere inuocationem ſanctiſſimæ Trinitatis, dicendo ſcilicet, Abſoluo te à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: ita à fortiori, nec in abſolutione à cenſuris de neceſſitate eſt inuocatio ſanctiſſimæ Trinitatis: licèt de neceſſitate Sacramenti in forma Baptiſmi tres perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis ſint exprimendæ. ibid.4.

Epiſcopus, & alij Prælati inferiores ſummo Pontifice, non poſſunt impendere abſolutionem à cenſuris per nutus, & ſigna, abſque verbis, vel ſcriptura. ibid.5

Si priuilegia abſoluendi à cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis conceſſa Superioribus Ordinum Mendicantium erga ſibi ſubditos nihil limitent, nec explicitè, nec implicitè, ſeu ex circumſtantiis, ſed abſolutè concedant facultatem abſoluendi à cenſuris, tunc in vtroque foro, interiori, & exteriori, abſolutio per talia priuilegia impenſa locum habet. a.199.2

Si dicatur in priuilegiis, quòd abſoluant à cenſuris, & caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis in foro conſcientiæ, vel in ordine ad ſacramentalem confeſſionem, vel ex circumſtantiis, & coniecturis, capi poteſt non fuiſſe mentem Pontificis delegare poteſtatem abſoluendi à cenſuris cum præiudicio fori externi, ſed tantùm in fauorem animæ, puta cùm in Bullis Iubilæi, aut Cruciatæ datur poteſtas Confeſſariis abſoluendi ab omnibus peccatis, & cenſuris, tunc facultas abſoluendi cenſetur conceſſa tantummodo pro foro conſcientiæ. ibid.

Regulares Prælati Ordinum Mendicantium ſibi ſubditos abſoluere poſſunt à cenſuris Papæ reſeruatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini, & hæc abſolutio valet in vtroque foro. a.200.3

Ceſſatio à diuinis, vide Cenſura.

Character, vide Baptiſmus, *rubr.* Baptiſmi effectus.

Charitas, vide Gratia.

Circumſtantia.

Circumſtantia eſt accidens actus humani. a.57.2

Circumſtantiæ ſunt in quadruplici differētia. Aliæ ſunt impertinentes, quæ nec augent, nec minuunt peccatum, quales ſunt furari dextera, vel ſiniſtra; quas circunſtantias conſtat non eſſe explicandas in confeſſione. Aliæ ſunt augentes notabiliter, qualis eſt intenſio actus: vt ſi quis cum magna intenſione odij aliquem odio proſequatur. Aliæ ſunt notabiliter minuentes; talis eſt ſimiliter circumſtantia odij, quod ſtatim ac fuit elicitum, fuit animo depoſitum. Aliæ ſunt mutántes ſpeciem, quæ nouam ſpeciem addunt, qualis eſt circunſtantia voti caſtitatis in peccato luxuriæ. hæ circunſtantiæ mutantes ſpeciem appellantur à DD. aggrauantes in infinitum, ſeu infinitè, eo quòd homo ratione malitiæ mortalis ab infinito bono auertatur. ibid.

Tunc circunſtantia mutat ſpeciem, ſeu aggrauat infinitè, quando importat ſpecialem repugnantiam cum ratione vltra propriam malitiam ipſius actus, & addit nouam ſpeciem in genere moris: vnde circunſtantia in percuſſione Clerici eſt aggrauans infinitè actum percuſſionis. ibid.3

Alij verò aſſerunt illam circumſtantiam mutare de vna in aliam ſpeciem moralem, quando actio etiamſi alio reſpectu mala non eſſet, ratione tamen illius circunſtantiæ fieret mala; vt de ſanguinis, vel ſeminis effuſione in Eccleſia patet. ibid.

Hæ igitur circunſtantiæ, quæ faciunt actionem peccaminoſam, etſi alio reſpectu mala moraliter non ſit, dicuntur mutare ſpeciem, & aggrauare in infinitum, ſiue infinitè. ibid.

Circunſtantiæ minuentes peccata non ſunt neceſſariò exprimendæ, niſi ſpeciem mutent. ibid.4

Quando verò circunſtantiæ minuentes culpam faciunt eſſe veniale id quod aliàs eſſet mortale, ſunt neceſſariò explicandæ. ibid.

Verum eſt aſſerere circunſtantias quæ aggrauant quodammodo culpam, non tamen in aliam ſpeciem mutant, nec ſunt aggrauantes notabiliter, & euidenter, non eſſe neceſſariò explicandas in cōfeſſione. a.58.6

Fides eſt, ita vt oppoſitum ſit hæreſis manifeſta, quòd circunſtantiæ addentes nouam ſpeciem, vel aggrauantes ſpecificè, ſeu in infinitum, vel infinitè, ſunt explicandæ in confeſſione. ibid.7

Clauis.

Nomine clauis intelligitur poteſtas collata Sacerdoti, per quam Sacerdos conſtituitur Miniſter ſacramenti

Pœni

Pœnitentiæ, qua tollitur impedimentum intrandi gloriam cœlorum. a.186.a

Clauis hæc, ſeu clauium poteſtas duplex eſt, Ordinis ſcilicet,& iuriſdictionis. Clauis Ordinis conſiſtit in charactere, qui in ordinatione confertur Sacerdoti: character autem eſt quoddam ſignaculum, quo anima inſignitur ad ſuſpiciendum, vel aliis tradendum ea, quæ ſunt diuini cultus. ibid.

Clerici non religioſi.

Clerici non religioſi habent verum dominium bonorum patrimonialium. 1.156.3

Cœtus Eccleſiaſticorum.

Cœtus Eccleſiaſticorum, cuiuſcumque Eccleſiæ, habet dominium bonorum ſuæ Eccleſiæ: ſicut Conuentus Monachorum habet dominium bonorum Monaſterij, & ſic bonorum ad Eccleſiam Romanam pertinentium non eſt Papa dominus, ſed cœtus Eccleſiaſticus Romanus: bonorum Eccleſiæ Toletanæ, vel Moguntinæ,&c. dominium non eſt penes ſtatum Eccleſiarum Præſides, ſed penes Conuentum Eccleſiaſticum, Toletanum, Moguntinum,&c. 1.154.4

Conuentus Eccleſiaſticus cuiuſcumque diœceſis tenetur iſta bona poſteris ſeruare, nec poteſt ea vendere, vel extinguere pro arbitrio. ibid.

Cognatio, vide Matrimonium, *rubr.* Impedimentum cognationis.

Cognatio ſpiritualis, & legalis, vide Coniugalis actus.

Communicatio cum excommunicatis, ſuſpenſis, interdictis.

Solùm iure Canonico prohibitum eſt communicare etiam in Diuinis cum excommunicatis, ſuſpenſis, ſeu interdictis. 1.317.2

At ſi iure diuino eſſet prohibita communicatio in Diuinis, cum excommunicatis, ſuſpenſis, vel interdictis, id Eccleſia conſtituere non poſſet. ibid.

Si quis ordinetur ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto, qui tamen non eſt denunciatus, vel notorius Clericorum percuſſor, Ordinis vſum,& functionem recipit. ibid.

Epiſcopus tamen excommunicatus, denuntiatus talis, vel manifeſtus Clerici percuſſor, vel à Diuinis ſuſpenſus, interdictus, depoſitus, degradatus, declaratus talis, iure non poteſt ordinare, quòd ſi ordinet, confert quidem Ordinis characterem, ſed non Ordinis exequutionem, quia eam non habet. ibid.3

Scienter, vel per ignorantiam affectatam participans in Diuinis cum Epiſcopo excommunicato, vel hæretico nominatim, vel publico Clericorum percuſſore, Ordines ab eo ſuſcipiens eſt ipſo iure ſuſpenſus ab Ordine, nec poteſt abſolui à tali ſuſpenſione, niſi Romani Pontificis auctoritate. ibid.

Etiam Epiſcopus ab hac ſuſpenſione poteſt abſoluere, quando eſt occultum delictum. ibid.

Si verò ignorantia probabili participet quis in Diuinis cum Epiſcopo excommunicato, ſuſpẽſo, vel interdicto non tolerato, ſuſcipiendo ab eo Ordines, debet adhuc ab vſu Ordinum abſtinere, poteſt tamen per Epiſcopum à tali ſuſpenſione abſolui. ibid.

Suſpenſio, quam incurrit communicans cum Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto non tolerato ab eo Ordines ſuſcipiendo, ſi laborat ignorantia inuincibili, non eſt verè cenſura. 1.318.4

Si excommunicatus, inuincibiliter tamen non aduertens cenſuram, communicet in Diuinis cum Epiſcopo tolerato Ordines ſacros ab eo ſuſcipiendo, nullam in conſcientia contrahit irregolaritatem, vel ſuſpenſionem. ibid.

Directè reſpondens quæſito per diſpenſationem legitimam habitam à ſummo Pontifice, fieri poteſt, vt quis ſine peccato exerceat actum cenſura prohibitum, etiamſi à cenſura non abſoluatur, & ſimiliter Papa exſtante aliqua rationabili cauſa diſpenſare poteſt, vt quis cum excõmunicatis denunciatis participet etiã in Diuinis, ipſe quoq; participare poterit ſine culpa, neque minorem excommunicationẽ incurret. ibid.5

Prælati tamen R.P. inferiores non habent hanc poteſtatem diſpenſandi cum cenſura ligatis, vt actus eis prohibitos ſine abſolutione exerceant, vel vt cum eis communicemus ſi ſint denunciati manente cenſura. Imò Epiſcopus, vel alius Prælatus inferior Papa communicans cum excommunicatis à ſe ipſo, contrahit excommunicationem minorem. ibid.

Epiſcopi & cæteri ſimiles Eccleſiarum Antiſtites, qui ſtatutis interdicunt Clericis aleæ ludum, alioqui ſi luſerint ipſo facto ſint excommunicati, ſi contrafecerint ſuis ſtatutis, ludendo aleis, nec graue peccatum, nec excommunicationem contrahunt, quamuis ex quadam æquitate,& honeſtate ſua ſtatuta ſeruare debeant. ibid.6

Ludens verò aleis cum Epiſcopo condente tale ſtatutum, manente edicto continente excommunicationem,& grauiter peccat, & excommunicationem incurrit. ibid.

Epiſcopus verò, vel alius Antiſtes ludens cum eo, qui iam contraxit excommunicationem à ſe latam contra ludentes, grauiter peccat,& incurrit excommunicationem maiorem poſitam à iure communi. ibid.

Communio.

Sacerdos, vel Diaconus communicans ſe ipſum in peccato mortali, duo peccata lethalia cõmittit. 2.380.25 Vide *Confeſſio.*

Commutatio, vide Diſpenſatio.

Compoſitio, & venditio, vide Ars componendi, & vendendi.

Conceptio, vide Abortus.

Concilium.

Concilium, vt in præſentia loquimur, eſt conuentus, ſeu congregatio Sacerdotum, maximè Epiſcoporum, ad tractandum de fide,& Religione, & moribus auctoritate capitis conuocata. 1.353.2

Triplex eſt Concilium, Generale, Prouinciale, & Epiſcopale. ibid.3

Concilium generale eſt Synodus Catholicorum Epiſcoporum generali conuocatione, & congregatione ſummi Pontificis auctoritate celebrata. ibid.

Concilium generale ſine auctoritate Papæ congregatum non meretur nomen Concilij Eccleſiaſtici, ſed potiùs conciliabuli ſchiſmatici, & ſynagogæ Satanæ. ibid.

Concilium prouinciale eſt Synodus Epiſcoporum vnius prouinciæ, aut Regni Metropolitani, Primatis,& Patriarchæ auctoritate congregata, in quo fieri poſſunt conſtitutiones, & ferri poſſunt ſententiæ fulminatoriæ, adſtringentes omnes illius prouinciæ, vel Metropolis Clericos, & laicos, non exemptos. ibid.

Aliud verò dicitur Concilium Epiſcopale, quod magis conſueuit dici Synodus, & Congregatio, illud eſt, quod Epiſcopus celebrat cum Curatis, Clericis,& Religioſis, Abbatibus non exemptis, illúdque celebrare poteſt ipſe Epiſcopus, irrequiſito ſuo Metropolitano, in quo condi poſſunt conſtitutiones adſtringentes omnes illius diœceſis,& non alios. ibid.

Dantur caſus, in quibus ſine R. P. auctoritate Concilium generale conuocari poteſt. 1.354.6

Pimus eſt ex cauſa hæreſis, in quam ſommus Pontifex incurriſſet, ſi hætcſis manifeſtè cooſtet, & Papa admonitus non teſipiſcerer, & tunc Cardinalium, & Epiſcoporum eſt conuocare, & congtegare Concilium ad inquirendum contra Papam, iliúmque depooendum; & hoc poſſent Cardinales, & Epiſcopi io iſto caſu iure diuino. ibid.

Secundus caſus eſt ex cauſa ſchiſmatis, vt ſi duo cūtenderent de ſummo Pontificatu, & ex æquo vtriuſque ius eſſet iocertum, & dubium; tunc penès Eccleſiam poteſtas eſt generale Concilium conuocādi, vt ſchiſma tollatur, & ſcandala ab Eccleſia auferantur. ibid.

Tertius caſua eſt, quem tamen Deus auertat, ſi Cardinales omnes morerentur, mortuo quoque Pontifice; tunc Concilium generale ab Epiſcopis eſſet conuocandum, cuius auctoritate Pontifex crearetur. ibid.

Quartus caſus eſt, ſi Pontifex in perpetua infidelium captiuitate eſſet detentus, cuius redimendi ſpes Eccleſiæ eſſet adempta. ibid.

Concilium generale antequam Romani Pontificis auctoritate confirmetur, non eſt certa tegula definiendi quæ ad fidem, & mores ſpectant, ſed fidei dogmata definiendi certam, & indubitatam normam, ac regulam eſſe penes Romanum Pontificem omninò tenendum eſt ratione muneris, & officij ſibi diuinitus iniuncti, non autem ratione perſonæ. 1.355.2

Conſequenter, non eſt admittenda eorum ſententia dicentium, penes vtrumque, videlicet Romanum Pontificem, & generale Concilium, eſſe regulam firmam, & certam definiendi res fidei. ibid.3

Concilium genetale legitimè conuocatum authoritate ſummi Pontificis, & ritè celebratum aſſiſtentibus ipſius Legatis, non eſt regula infallibilis in definiendis rebus fidei, & ſic poteſt errare ante ſummi Pontificis confirmationem. ibid.5

Concilium generale congregatum, & confirmatum auctoritate Pontificis errare non poteſt in rebus fidei definiendis. 1.356.6

Item neque Concilium Prouinciale auctotirate ſummi Pontificia confirmatum, imò etiamſi Epiſcopale ſit in determinandis rebus fidei, errare non poteſt, ſi ſit à R.P. confirmatum. ibid.

Concilium generale accedente confirmatione Romani Pontificis, nedum in rebus fidei non poteſt errare, ſed etiam nec in ſuis legibus ferendis ad bonos mores in Eccleſia componendos errare poteſt. ibid.7

Licèt ſimpliciter, & abſolutè dici poſſit, quòd Concilium generale ante Romani Pontificis confirmationem in rebus fidei definiendis errare poſſit, tamen eſt impoſſibile, quòd omnes Patres Concilij generalis ad vnū vſque errare poſſint, etiam ante confirmationem Rom. Pontificis in rebus fidei definiendis. ibid.8

Similiter impoſſibile eſt quòd omnes Patres ſimul congregati in Cōcilio generali errare poſſint in fide. ibi.

Licèt omnes ſimul Patres congregati in Concilio generali legitimè congregato errare non poſſint in fide, etiam ante confirmationem R. P. non tamen eorum definitiones facerent certam fidem, vnde eas negare non eſſet hæreticum, ſed valde temerarium, & errori proximum. ibid.9

Concilium generale Sede Apoſtolica vacante legitimè congregatum, vt ſi congregentur omnes Epiſcopi, & Patres Eccleſiæ ad electionem R. P. vel ſi conueniant ad eligendum, & creandum vnum, & certum Pontificem in caſu, quo duo, vel plures pro Romanis Pontificibus dubiis, & incertis haberentur, vt contigit tempore, quo celebratum eſt Concilium Conſtantienſe, tunc in his caſibus, etſi omnes ſimul Patres in rebus fidei errare non poſſint, tamen dogma, & ſententiā fidei definire non poſſunt. 1.357.10

Tunc Concilium generale legitimè congregatum aliquam propoſitionem tāquam de fide proponit, quando expreſsè, & ex profeſſo in eo definitur. 1.359.8

Quando de aliqua propoſitione in Concilio generali ex profeſſo non agitur, quamuis in illo reperiatur, non debemus illam putare illic expreſsè eſſe definitam tanquam de fide. ibid.

Vt aliqua propoſitio pertineat ad fidem, debet haberi expreſsè in ſacris litteris, vel in aliquo Concilio generali legitimè congregato, & confirmato definita, vel ab ipſo ſummo R. P. vel debet eſſe communis conſenſus totius Eccleſiæ, quæ recipiat illam propoſitionem tanquam certam, & veram ſecundùm fidem. 1.361.2

Vt veritaa huios dubij illuceſcat, dupliciter aliqua propoſitio pertinet ad fidem per ſe primò, & per ſe ſecundò. Illa propoſitio per ſe primò pertinet ad fidem quæ immediatè eſt reuelata ab ipſo Deo formaliter, vel virtualiter, vt proximè explicatum eſt; illa verò propoſitio per ſe ſecundò pertinet ad fidem, quæ euidenter infertur ex aliqua propoſitione fidei, & altera quæ ſit euidens lumine naturali per euidentem conſequentiam, & talis propoſitio appellatur concluſio Theologica, qualis eſt iſta; Chriſtus Dominus eſt riſibilis. ibid.

Iſta propoſitio, Hic homo, ſcil. Vrbanus VIII. eſt verus & legitimus ſummus Pootifex, mediatè, & per ſe ſecundò pertinet ad fidem. ibid.3

Idem prorſus eſt dicendum de iſta propoſitione, Concilium generale, puta Tridentinum, eſt verum, & legitimum Concilium, hanc ſcil propoſitionem mediatè, & per ſe ſecundò pertinete ad fidem, & conſequenter eſſet temerarium, & ſcandaloſum oppoſitum ſentire. ibid.

Iſta propoſitio, Vrbanus VIII. qui nunc clauum Eccleſiæ tenet, eſt verus, & legitimus ſummus Pontifex, nedum mediatè, & per ſe ſecundò pertinet ad fidem, ſed etiam per ſe primò, & immediatè, & ſic diffiteri illam, non ſolùm eſſet temerarium, & ſcandaloſum, ſed etiam hæreticum. ibid.4

Hæc propoſitio, Concilium Tridentinum, vel aliud ritè conuocatum, & confirmatum auctoritate ſummi Pontificis, eſt verum, & legitimum Concilium, non ſolùm mediatè, & per ſe ſecundò pertinet ad fidem, ſed etiam immediatè, & per ſe primò, & ſic qui illam negaret, non ſolùm tanquam temerarius, & ſcandaloſus, ſed etiam vti hæreticus eſſet puniēdus. 1.362.5

Ex data hypotheſi, ſed non conceſſa, quòd in Eccleſia eſſet aliquis putatiuus Pontifex ſolum habens titulum putatiuum, vt ſi ſimoniacè eligeretur, tunc non eſſet, vt dixerunt aliqui, verus, & legitimus Pontifex, ſed Apoſtaticus; tunc hic putatiuus Pontifex, & non legitimus, non haberet poteſtatem definiendi res fidei infallibiliter, neque Concilium generale conuocatum, & confirmatum à tali putatiuo Pontifice. ibid.6

Data hypotheſi quòd in Eccleſia Dei eſſet aliquis non legitimus, ſed putatiuus Pontifex, nunquam error ipſius definientis in determinandis rebus fidei reddundaret in Eccleſiam vniuerſalem. ibid.

Idem prorſus dicendum de Concilio generali conuocato, & confirmato à non legitimo, ſed putatiuo Pontifice, ſi talis daretur, quòd non determinaret res fidei, vel determinaret verum, vel ſi falſum determinaret, non reciperetur tanquam de fide à tota, & vniuerſali Eccleſia. ibid.

Vide *Papa, ſeu Pontifex.*

Conditio, vide Matrimonium, *rubr.* Impedimentum conditionis.

Confeſſa

Confeſſarius.

Confeſſarius extraordinarius, non proprius, ſeu ex commiſſione, quamuis non teneatur confeſſionem pœnitentis audire, excepta tamen eius confeſſione talem pœnitentem bene diſpoſitum abſoluere tenetur,& negando abſolutionem peccaret. 1.23.2

Tutus eſt in conſcientia pœnitens habens vſum & propoſitum varios DD. & Confeſſarios conſulendi, donec aliquem ad libitum ſuum reſpondentem inueniat, dummodo animo firmo id faciat nihil mali efficiendi, niſi id ſolum, quod inuenerit ſibi licere. 1.24.4

In bello, naufragio, ac peſte, vbi multi inſimul moriuntur, quando pœnitentis totam confeſſionem Confeſſor audire non poteſt, ſatis eſt quòd audiat vnum aut mortale, aut veniale alicuius, vt poſſit eum abſoluere, cùm non ſit illi tempus audiendi integras ſingulorum confeſſiones. 1.41.2

Muti,& etiam ſurdi qui in confeſſione nequeunt ſe ſatis explicare, qui per nutus & ſigna ſoliti ſunt confiteri eo modo, quo poſſunt, quamuis Confeſſores non omnia eorum peccata, & circunſtantias neceſſariò explicandas percipiant, poſſunt nihilominus à Confeſſariis abſolui. ibid.3

Gallus, qui non poteſt omnia, & ſingula ſua peccata Confeſſori Italo non callenti Gallicam linguam confiteri, ſi facilis eſt acceſſus ad alium Confeſſorem linguam Gallicam intelligentem, niſi ſit in articulo mortis conſtitutus, non eſt audiendus, nec abſoluendus, ſed remittendus ad Confeſſorem eum plenè intelligentem, etiamſi currat præceptum ſacræ Communionis tempore Paſchatis. ibid.4

Si Æthiops Chriſti fidelis confiteretur vnum, vel duo peccata, à quibus intelligitur, alia vult & conatur confiteri, ſed ob linguæ imperitiam non poteſt audiri à Confeſſore, nec ſperatur futura commoditas habendi alium Confeſſarium, qui meliùs intelligat, hic poteſt licitè abſolui. 1.41.init.

Confeſſarius expoſitus ab Ordinario ad excipiendas fidelium confeſſiones, præter Monialium, tempore Iubilæi pleniſſimi, in quo conceditur omnibus fidelibus vtriuſque ſexus tam ſæcularibus, quàm Regularibus, poſſe ſibi eligere in Confeſſorem quemlibet approbatum ab Ordinario, vi talis conceſſionis poteſt audire in confeſſione, & validè abſoluere Moniales. 2.210.5

Si in aliqua diœceſi ſpecialiter eſſent deputati Confeſſarij ad confeſſiones Monialium excipiendas, nihilominus tempore Iubilæi pleniſſimi poſſent Moniales eligere Confeſſarium expoſitum ab Ordinario aliàs non habentem facultatem audiendi confeſſiones Monialium. ibid.6

Confeſſarij expoſiti non ſolùm validè exciperent confeſſiones Monialium, etiamſi non haberent facultatem audiendi confeſſiones Monialium ab Ordinario loci, tempore Iubilæi pleniſſimi, ſed etiam licitè, ſi licitum haberent acceſſum accedendi ad Moniales à Superioribus earum, quibus ipſæ ſunt ſubiectæ. ibid.7

Confeſſores expoſiti ſi abſque licentia legitimi Superioris accedant ad Monaſteria tempore Iubilæi pleniſſimi, etſi validè poſſint excipere confeſſiones Monialium, propter rationes adductas, non tamen licitè, quia peccarent contra obedientiam Superioris prohibentis acceſſum ad Monaſteria. ibid.

Non ſolùm Confeſſarij expoſiti ab Epiſcopo poſſunt validè excipere confeſſiones Monialium tempore Iubilæi pleniſſimi, ſed etiam Confeſſarij expoſiti tantummodo à ſuo Superiore regulari, cui ipſæ ſunt ſubditæ. ibid.8

Satis etiam probabiliter dici poteſt, pœnitentem qui virtute Iubilæi, aut alterius priuilegij facultatem habet eligendi Confeſſarium approbatum ab Ordinario, teneri eligere approbatum ab Epiſcopo loci, in quo intendit ſua peccata confiteri, & ſic Sacerdos pro vna diœceſi approbatus, non cenſetur approbatus pro alia. 2.211.3

Quilibet ſimplex Sacerdos habet iuriſdictionem ad audiendam confeſſionem cuiuſlibet de venialibus tantùm, itémque de mortalibus, quorum priùs etiam confeſſio facta ſit: hanc autem iuriſdictionem ſimplex Sacerdos abſoluendi à venialibus,& à mortalibus, quæ iam antea aliquis eſt confeſſus, non habet immediatè à Chriſto Domino, ſed ab ipſa Eccleſia vi conſuetudinis. 2.215.2

Probabilius tamen, & verius aſſerimus, ſimplicem Sacerdotem non expoſitum ab Epiſcopo, nullo pacto, neque directè, neque indirectè, ſeu per accidens, poſſe pœnitentem confitentem peccata venialia, & mortalia, etiamſi bona fide confiteatur, validè abſoluere à peccatis mortalibus. 2.216.4

Sacerdos nullo modo expoſitus poteſt quidem abſoluere à peccatis venialibus, ſi pœnitens ſolùm iſta haberet,& conſequenter augere gratiam,& validum tunc conficeretur ſacramentum. ibid.

Confeſſio ſacramentalis.

Licentia conceſſa excommunicato alibi denunciato audiendi confeſſiones à legitimo Superiore, inualida eſt: at ſi in loco, vbi excipit confeſſiones, excommunicatio eſt occulta, validæ ſunt confeſſiones auditæ, virtute talis licentiæ, quæ eſt titulus putatiuus, ſeu coloratus ad audiendas confeſſiones. 1.12.2

Confeſſiones Confeſſariis ſemel approbatis factæ, licèt occultè priuatis, vel ob occultum delictum, vel ob occultam reuocationem, vel inhibitionem, ita ſunt validæ, vt etiam poſtea detecto vitio priuationis, reuocationis, inhibitionis, non ſint repetendæ. 1.13.4

Titulus & licentia audiendi confeſſiones debet conferri à legitimo Superiore potente conferre, aliàs abſolutiones non valebunt, quamuis communis error adſit. Vnde ſi titulus & licentia audiendi confeſſiones conferretur ab Archiepiſcopo, non valerent abſolutiones collatæ ab his Sacerdotibus expoſitis ab Archiepiſcopo ſubditis ſuffraganei. 1.15.5

In Religionibus, in quibus grauiter prohibetur ne Fratres audiant confeſſiones ſine expoſitione ſuæ Religionis, lethale peccatum eſt, quòd Religioſus audiat confeſſiones ſine expoſitione Ordinis, & ſi ſit poſita ſibi aliqua cenſura ipſo facto incurrenda, verè illam incurrit oppoſitum faciens, etiamſi ſit approbatus ab Ordinario loci, & eligatur à pœnitente per priuilegium Iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ. ibid

Exiſtente aliqua iuſta vtilitate, vel neceſſitate confitendi peccata ſua, licèt non ſit extrema, vt in articulo mortis, neque valde grauis, vt eſt neceſſitas implendi præceptum Eccleſiaſticum, ſed ſit ſolùm, v.g. vtilitas, & neceſſitas, non differendi nimium vſum Sacramenti confeſſionis: tunc licebit petere Sacramentum confeſſionis à Miniſtro, qui vel ex officio tenetur, vel paratus eſt, etiamſi in peccato ſit miniſtraturus, ſi non eſt alius, qui ſine peccato miniſtret. 1.17.3

A malo Miniſtro, tolerato quidem, licèt non parato, ſi non ſit alius, qui ſine peccato miniſtret ſacramentum Confeſſionis, licebit illud petere ſi inſtet grauis aliqua cauſa, puta ſi ſubeſt neceſſitas faciendi Sacrum, & intercedat conſcientia peccati mortalis, vel inſtet neceſſitas, ſcilicet præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis adim-

plendi, & multo magis ſi ſit neceſſitas in articulo mortis. ibid.

Mos erat antiquitus, vt viatores, & peregrini à ſuo Diœceſano facultatem impetrarent vbilibet confitendi: modò verò quamuis abſque licentia proprij Sacerdotis viam fecerint, poſſunt confiteri, & abſolui ab ordinario Confeſſariu diœceſis alienæ, in qua iter agentes reperiuntur. 1.26.2

Non ſolùm Confeſſores ordinarij, vt ſunt Epiſcopi & Parochi, ſed etiam delegati, poſſunt audire confeſſiones ſubditorum diœceſis in qua ſunt expoſiti extra illam diœceſim: & ſic Parochus Bononienſis, v.g. ſi inuenerit ſubditos ſuæ Parochiæ in alieno Epiſcopatu, poteſt eos audire, & abſoluere. 1.37.2

Similiter Religioſus approbatus Florentiæ, reſidens nunc Romæ poterit excipere confeſſiones Florentinorum. ibid.

Nemo tenetur, aut per ſcriptum, aut per interpretem confiteri. 1.42.5

Licèt non ſit de eſſentia confeſſionis, quòd fiat ſecretò, & ideo, licèt fiat publicè, ſit licita, tamen non eſt neceſſaria. ibid.

Confeſſio ſacramentalis eſt legitima, & ſacramentalis accuſatio de propriis peccatis facta Sacerdoti ad obtinendam remiſſionem peccatorum per abſolutionem. 2.1.1

Confeſſio eſt legitima coram Sacerdote peccatorum declaratio. 2.3.3

Confeſſio, & contritio, qui ſunt actus pœnitentis, ſunt partes non ſolùm integrales, verùm etiam eſſentiales ſacramenti Pœnitentiæ. ibid.5

Sacramenti Confeſſionis phyſica definitio hæc congruè aſſignari poteſt. Sacramentum Pœnitentiæ eſt confeſſio oris exterior ab interna contritione, vel attritione proueniens, facta ſub præſcripta verborum forma, ſub debita ſcilicet abſolutione. 2.6.3

Metaphyſica verò definitio huius Sacramenti eſt Sacramentum nouæ legis, ad ſignificandam, & conferendam gratiam ſanantem, & ad remittenda peccata commiſſa poſt Baptiſmum. ibid.

Fidei eſt, ita vt oppoſitum ſit hæreſis manifeſta, quòd hoc Sacramentum Confeſſionis fuit inſtitutum à Chriſto Domino. ibid 4

Sacerdotes, dum recipiunt ſacerdotalem Ordinem, non ſimul recipiunt, & eodem actu poteſtatem conſecrandi Chriſti corpus, & poteſtatem completam abſoluendi à peccatis. ibid.5

Confeſſionis Sacramentum neceſſarium eſt ex neceſſitate medij in re, vel in voto illis, qui mortaliter peccarunt poſt Baptiſmum. ibid.6

Confeſſionis Sacramentum neceſſarium eſt ad ſalutem neceſſitate præcepti. ibid.7

Peccata remitti per ſacramentum Confeſſionis in voto, eſt illa remitti per contritionem per ordinem ad confeſſionem futuram. 2.7.8

Votum quatenus dicit propoſitum ſuſcipiendi ſacramentum Confeſſionis, non debet eſſe neceſſariò explicitum, ſed ſufficit quòd ſit implicitum, & ſic per contritionem extra Sacramentum remittuntur peccata, quatenus in ea continetur deſiderium implicitum ſuſcipiendi Pœnitentiæ ſacramentum. ibid 9.

Duplex eſt votum, ſiue propoſitum recipiendi aliquod Sacramentum; alterum implicitum, alterum explicitum. Implicitum eſt, quod ſolùm ratione quadam cõmuni terminatur ad tale Sacramentum; vt quando quis habet contritionem, habet etiam propoſitum ſeruandi omnia præcepta, atque adeò ibi includitur votum cuiuſcumque Sacramenti neceſſarij, & etiam præcepti. Votum verò explicitum eſt quod in particulari terminatur ad tale Sacramentum explicitè cognitum, vt quando quis credens per fidem, confeſſionem eſſe neceſſariam, formaliter, & explicitè deſiderat confiteri. Ad iuſtificationem per contritionem ſufficit votum implicitum confeſſionis. ibid.

Triplex eſt materia, *in qua*, *ex qua*, & *circa quam*. Materia *in qua*, eſt ſubiectum, in quo recipitur forma. Materia *ex qua* eſt illa, quæ ſimul cum forma conſtituit rem, quæ materiæ aliquando coincidit, vt materia equi eſt in qua recipitur forma equi, & ex qua componitur equus. Tertia materia eſt illa, *circa quam* verſatur actio agentis, & in hoc ſenſu peccata dicuntur materia Sacram. Confeſſionis. 2.8.2

Supra eandem tamen confeſſionem non poteſt iterari ſacramentalis abſolutio, quod propriè fieret quando ſucceſſiuè idem peccatum eâdem confeſſione accuſatum bis remitteretur per ſacramentalem abſolutionem; hoc enim, inquam, fieri non poteſt. 2.9.9

Quicũque peccata ſemel ritè confeſſa ſubſequutâ abſolutione, & ſatisfactione, iterũ confitetur, non ſolùm licitè ſuſcipit Sacramentũ, ſed etiã fructuosè. ibid.10

Similem etiam fructum habet prima confeſſio, ad quam heri contritus, hodie acceſſit. ibid.

Significatio formæ ſacramentalis abſolutionis datæ pœnitenti confitenti ſola peccata iam ritè confeſſa eſt veriſſima. ibid.11

Pœnitẽs poteſt aliqua peccata, ſiue mortalia, ſiue venialia ſint ritè cõfeſſa, iterum manifeſtare in cõfeſſione, & alia reticere, imò licèt in tali caſu intẽdat generalem omniũ confeſſionẽ facere, poteſt hodie partem confiteri, & ab illis abſolui, & cras aliam partem, & tunc abſolui, & ſic per totam hebdomadam, & hoc non eſt dimidiare culpabiliter confeſſionem. 2.10.12

Certum eſt ſecundùm fidem, quòd peccatum veniale ſit materia ſufficiens ſacramenti Confeſſionis, ita vt poſſit homo verè confiteri, & abſolui ab illo. ibid.2

Certum eſt etiam, quòd ſtando in ſolo iure naturali, & diuino non tenetur homo confiteri de peccatis venialibus. ibid.

Habens ſolùm peccata venialia præcepto Eccleſiaſtico non tenetur illa ſemel in anno confiteri. ibid.3

Tenetur tamen is, qui toto anno à peccato mortali abſtinuiſſet, ſaltem ratione ſumendæ Euchariſtiæ ſuum proprium Sacerdotem adire, & dicere ſe non habere conſcientiam peccati mortalis; & ideo poſſet ſine prænia confeſſione ad diuinum epulum ſumendum accedere, cui eſſet fides adhibenda, quando contrarium euidenter non conſtaret. ibid.

Poteſt tamen Eccleſia præcipere confeſſionem peccatorum venialium. ibid.4

Eccleſia non poteſt præcipere confeſſionem omnium venialium. 2.11.init.

Si quis tantùm venialibus teneatur, & ſine vllo prorſus dolore confiteatur, peccat mortaliter. ibid.5

Similiter ſi vnum tantùm veniale confitetur ſine vllo prorſus dolore, veniam, & gratiam non conſequitur, & mortaliter peccat, quia facit iniuriam Sacramento. ibid.

Habens, exempli gratia, quatuor peccata venialia, quorum duo in confeſſione tantummodo deteſtetur, & veram habeat contritionem, vel attritionem, alia verò duo confiteatur, licèt illa non deteſtetur, hic non peccat mortaliter, & verum tunc conficitur Sacramentum. ibid.

Qui ſolùm confitetur ſe peccaſſe, quòd vnum peccatum veniale commiſerit, puta quòd verbum otioſum dixerit, & in hoc ſcienter mentiatur, peccat mortaliter, & conſequenter ſacramentum Pœnitentiæ eſſet inualidum. ibid.

Habens multa peccata venialia ſi confiteretur ſimplici Sacerdoti, ſi obliuiſceretur inculpabiliter alicuius mortalis,

mortalis,tonc Sacramentum eſſer validom, & formatum,ſi pœnitens cum vera ſupernaturalj attritione confiteretur ſola peccata venialia. ibid.6

Non eſt neceſſe vt dolor antecedat ipſam confeſſionem,ſed ſufficit vt tempore præcedat, vel vt eliciatur in ipſamet confeſſione,vel etiam factâ confeſſione,antequam pœnitens abſoluatur. a.12.3

Confeſſor excipiens confeſſionem alicuios ſi coram ipſo pœoiteos paulò poſt cooſeſſionem non completam in ameotiam incidat,ita vt ampliùs non poſſit cooſiteri, poteſt illum abſoloere,dummodò moraliter credat pœnitentem in phreneſim verſum in eadem voluntate,& pœnitentia manſiſſe. ibid.4

Sacerdos ſi abſoluendo vteretor his verbis, *Abſoluat te Deus,abſoluat te Chriſtus*, ſacrameotum Confeſſionis eſſet inualidum. a.13.3

Valida eſt abſolutio hoc modo collata, *Abſoluatur ſeruus Chriſti in nomine Patris*,&c. ibid.

Tripliciter poteſt contingere, quòd pœnitens accedat ad Confeſſionis ſacramentum. Primò taliter quòd nõ recipiat gratiam, ſed ſit Sacramentum tantùm informe. Secundò in alio extremo poteſt accedere cum contritione, atque adeò iam habens gratiam. Tertiò poteſt accedere medio modo cum ſola attritione,ſupernaturali tamen. 2.16.2

Hæc verba,*Ego te abſoluo*,prolata à Miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ in ſacramentali confeſſione in proprietate ſermonis verificantur. ibid.3

Si quis ſcriptum tradat Sacerdoti, in quo ſua peccata continentur, ſi Sacerdos legens,nihil pœnitens voce,aut ſigno affirmet, poſtquam ſcriptum legit beneficium abſolutionis impendit,tunc non eſt valida confeſſio. 2.18 5

Si verò cùm ſingula peccata Sacerdos legit, pœnitens dicat ſe illa feciſſe,vel nutu capitis, ſi mutus ſit, annuat,tunc eſt vera confeſſio. ibid.

In ſacramentali confeſſione licèt ex parte accoſationis pœnitentis non ſit de eſſentia,vt fiat voce, ſed fieri poteſt ſcripto,annuente, dum legitur,ipſo pœnitente,ſigno,aut nntibus.In prolatione tamen ſententiæ, & abſolutionis requiritur vox humana, & verba propriè dicta. 2.19.init.

De neceſſitate ſacramenti Confeſſionis eſt voluntas confitendi peccata in hoc Sacramento,& obtinendi abſolutionem eorum. ibid.2

Contritio, ſeu dolor aliquis internus eſt de eſſentia ſacramenti Confeſſionis. ibid.3

Falſum eſt aſſerere confeſſionem integram omninm peccatotum cum abſolutione ſuſcepta, etiamſi abſque dolore fiat, & propoſito non peccandi formali, vel virtuali,eſſe validam quoad ſubſtantiam,licèt ſit informis, eo ſolo quòd peccatoe ſua peccata integrè Sacerdoti innoteſcit, & clauibus Eccleſiæ ſe ſubiicit. a.37.4

Si contingat confeſſionem fieri cum vera attritione peccatorum mortalium,non tameo omnium, etiam quæ in confeſſione dicuntor, tunc ſacramentum Confeſſionis erit validum,licèt informe. ibid.5

Licèt defectos integritatis materialis confeſſionis quando inculpabilis eſt,nec ſubſtantiam,neque effectum Sacramenti tollat: tamen, ſi pœnitentia,interior contritio ſcilicet, vel attritio ſimul cum Sacramento reſpectu alicuius peccati mortalis nondum dimiſſi deſit,iſte defectus etiamſi ſit inculpabilis, licèt non ſit contra ſubſtantiam Sacramenti; impedit tamen eius effectum. 2.38.7

Duplex eſt coofeſſionis integritas, altera Mathematica, altera verò moralis. Integritas Mathematica eſt quando homo confitetur aliqua peccata mortalia, nulla via relinquendo aliqood peccatum mortale, neque ſcienter,neque ex ignorantia,neque ex rationabili cauſa, neque etiam ſine cauſa. Integritas verò moralis illa eſt, quæ poteſt haberi modo humano; quando ſcilicet facta ſufficienti diligentia confitetur homo omnia peccata mortalia, qoæ memoriæ occurrunt, attendendo ſimul ad alias circumſtantias, qoæ occurrunt, vt ſcilicet non ſe conſtituat homo in notabili periculo mortis,vel infamiæ, non faciat iniuriam tertiæ perſonæ. 2.47.2

Dupliciter contingere poteſt cõfeſſionem non eſſe integram. Primò per ſe,formaliter,& culpabiliter, vt quando ex voluntate pœnitentis,& abſque rationabili cauſa dimidiatur. Secundò contingit confeſſionem non eſſe integram per accidens materialiter,& inculpabiliter, & tunc eſt quando nón voluntariè dimidiatur,puta,quia per obliuionem, vel inadoertentiam naturalem, & inculpabilem relinquitur aliquod peccatum, quod neceſſariò fuiſſet confitendum,& confeſſio ſic non integra valet: ſecus autem primo modo. ibid.4

Integritas mathematica in hoc ſacramento Confeſſionis non eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti 2.48.5

Fides eſt,itaut oppoſitum ſit hæreſis manifeſta,integritatem moralem eſſe neceſſariam in hoc Sacramento neceſſitate diuini præcepti;itaque hæreſis eſt aſſerere quòd ſit licitum ſcienter aliquod peccatum mortale omittere ſine rationabili cauſa. ibid.

Pueri, & puellæ grandiores facti nouitet cognoſcentes eſſe mortale,quod aliàs ſcienter omiſeruot confiteri ex neſcientia grauitatis eius, non tenentur reiterare confeſſiones. ibid.6

Quando pœnitens interrogatus à Confeſſario de numero peccatorum,ſi reſpondet, quòd non eſt ſolitus culpatom numerum explicare; ſi talis pœnitens eſt rudis, & vulgaris homo de media plebe, neque de induſtria omiſit numerum peccatorum in confeſſione propalare, non eſt cogendus reiterare confeſſiones. ibid.

Non eſt contra integritatem confeſſionis, ſi quis habeos peccata lethalia,& venialia, mortalia confitetur Confeſſario à quo non dignoſcitur; venialia verò,leuia,& communia Confeſſario ordinario,vt peccata grauia,& lethalia ignoret. ibid.7

Licèt qoando certus eſt numerus peccatorum, pro integritate confeſſionis debeat totus ille manifeſtari in confeſſione, tamen quando facta ſufficienti diligentia non occurrit numerus omnino certus,ſufficit explicare numerum illum, qui plus,minúſve parum diſtare videtur à numero certo. ibid.8

Secus autem dicendum eſt in iſto caſo, ſi poſtea pœnitens recordetur numeri notabiliter maioris, vt ſi confeſſus ſit ſe decies plus,vel minus peccato fornicationis peccaſſe,& poſtea recordatur ſe vigeſies,aut quindecim vicibus peccaſſe. 2.49.init.

Qui confeſſus eſt numerum certum, & determinatum, non dicendo plus,vel minus, vt ſi dixit ſe decies ſurripuiſſe bona aliena & poſtea facta confeſſione cognoſcit ſe duodecies furatom, tenetur in ſequenti confeſſione fateri duplex peccatum furti prætermiſſum in antecedente confeſſione. ibid.

Qoi cum peccati mortalis conſcientia plures ſucceſſiuè communicauit,aut plurium confeſſiones excepit,tenetur in confeſſione numerum perſooarum, ſeu actuom,qoantum poteſt explicare. ibid.9

Qui tenentor recitare canonicas horas in confeſſione, ſi non ſoluunt penſum diuini Officij, tenentur exprimere quot horas omiſerint. ibid 10

Iofirmus impotens recitare ſingulis diebus totum diuioom Officium, qui aliàs tenetur ad hoc penſum perſoluendom vel ratione beneficij, vel quia eſt

inſignitus Ordinibus ſactis, ſi tamen ſit potens vnam, aut alietam horam commodè recitate; ſi talem horam prætermittit tecitare, tenetut in confeſſione ſe accuſarode tali omiſſione. ibid.11

Satis etiam probabiliter dici poteſt impotentem ad maiorem diuini Officij partem, oon teneri ad mioorem. Potentem verò ad maiorem partem ad eam teneri, vel ſi ſit potens ad æqualem partem, ad eam teneri, quamuis à minori, vel æquali patte perſoloenda excuſetur ratione impotentiæ. ibid.

Qui puſt vnam fornicationem cum amica habitam, eam vigeſies oſculatur, non ad iterandam fornicationem, ſed ad maiorem delectationem, ſemel tantùm videtur peccare quoad neceſſitatem numerum peccatorum confitendi. ibid.12

Habens vnum peccatum mortale, puta fornicationis, & propoſitum committendi omnia venialia quotquot ſe obtulerint, vt integrè confiteatur, accedens ad confeſſionem ſactamentalem vtrumque debet neceſſariò explicare. a.50.13

Muliet, quæ parata fuit quemcumqoe ad turpitudinem admittere, ſatis eſt, quòd in confeſſiooe dicat, Tanto tempore fui huic turpitudini expoſita. verùm ſi perſonas nouerit, quæ peccatum aggtaoaot, tenetur quanto meliùs poterit huiuſmodi explicare. Prҿterea tenetur explicare quàm frequentiùs io hebdomada tem haboerit, quia multum intereſt, ſi rarò, vel frequentiùs exercuerit, quamuis mente ſemper fuerit parata ad quoſcumque admittendos. ibid.14

Qui tria adulteria, vel tres fornicationes cum eadem fœmina, vel cum tribus fœminis admiſit, ſatis eſt fateri ſe tria adulteria, vel tres fornicationes, admiſiſſe. ibid.15

Maritus, qui antequam in naturali ſexu ſeminet, priùs membrum virile in vaſe innaturali ad maiorem delectatinnem citra animum ſodomiam complendi immittit, peccat lethaliter peccato ſodomiæ inchoatæ. ibid.16

Eſt culpa lethalis neceſſariò explicanda in confeſſione ſi coniux in actu coniugali delectetur in alterius viri, aut fœminæ cogitatione carnaliter dilectorum. a.51.init.

Qui vno ictu plutes laicos occidit, aut infamauit, aut pluribus iniuriam intulit, & qui ſimiliter vno, & eodem actu ſurripuit à pluribus quantitatem notabilem, tenetut numerum perſonarum exprimere. ib.17

Qui ſæpiùs fœminam aliquam carnaliter dilexit, vel aliquem odio proſequotus eſt, debet numerum delectationis moroſæ, ſeo deſiderij carnalis, ſeu numerum actuum odij repetitorum & moraliter interruptorum explicare in confeſſione, modò recordetur numeri certi. Si verò facto examine non recordetur numeri certi, dicere poteſt ſe toties delectationem moroſam circa mulierem carnaliter dilectam, ſeu toties peccato odij peccaſſe plus, vel minus. ibid.18

Peccata hæc non multiplicantur numero donec prior voluntas per contrariam voluntatem interrumpatur, & poſtea ad priorem voluntatem iterum redeatur. ibid.

Ad multiplicationem numericam peccatorum ſufficit quæcumque vel minima interruptio, ſeu ceſſatio, ſiue voluntaria ſit, ſiue ex quacumque diſtractione naturali, vel ſomno etiam modici temporis. ibid.19

Probabile etiam eſt aſſerere quòd qoi intendit inimicum occidere, & ob id præparat enſem, ſuſcipit iter ad illom occidendum, vnum nomero peccatum committit, quamois ſæpiùs in via repetat inteotionem occidendi. a.52.20

Vadens ad occidendum inimicum, ſi in eodem itinere diuertat voluntatẽ ad alia, & pòſt dum eſt in eodem itinere, iterum deliberat occidere eundem inimicum, tot numero peccata committit, quot ſunt nouæ voluntates deliberatæ occidendi inimicom, & idcirco qoi multiplicat hos actus, debet hoc ipſum explicare in confeſſione. ibid.

Conſequenter aſſerendum eſt, qoòd ſi qois multo tempore rem alienam, quam vero domioo potoit reſtituere, detinuit, & poſitiuas volitiones non reſtituendi multiplicauit, non ſufficit dicere in confeſſione ſe per annum integrum non reſtituiſſe; ſed debet etiã de iſtis poſitiois volitionibus ſe accuſare. ib.21

Quo maiorem numerum peccatorum mortalium in confeſſione exprimit, quàm re vera commiſerit, peccat mortaliter, & conſequenter inualidè confitetur. ibid.22

Si peccatum mortale ſit ſemel ritè confeſſum, ſi pœnitens ioterrogatur à Confeſſario num tale peccatom aliquando commiſit quod antea confeſſus eſt, non peccat mortaliter, per ſe loquendo, negans ſe commiſiſſe, nolens idem peccatum ritè aliàs confeſſum confeſſioni ſubiicere. ibid.23

Simplices, & rudes homines, qui nulla ratione credunt ſe mortaliter peccare, maiorem numerum peccatorum mortalium in confeſſione explicando, quàm re vera ſit per accidens, noo delinquunt lethaliter, nec faciuot confeſſionem inualidam. ibid.24

Qui pugione lethaliter percuſſit inimicum, ſi ſtatim pœniteotia ductus confiretor legitimo Confeſſario ſe lethaliter percuſſiſſe ioimicum, ſi poſt confeſſionem habitam vita fungitur inimicus, tenetur iterum confiteri opus mortis ſubſeqootum. ibid.25

Similiter qoi die procurauit efficaciter pollutionem ſubſequutuτam in nocte in ſomno, ſi pœnitentia eius procurationis tactus, ante noctem confeſſus eſt dedita opera eam procuraſſe; ſi pollutio ſic procurata in ſomnis poſtea accidit, tenetur poſtea iterum confiteri, ſic culpabiliter, & ex procurata cauſa eam pollutionem ſibi in ſomnis eueniſſe. ibid.

Adulter tamen, qoi antè confeſſus eſt adulteria commiſſa, non tenetur poſtea euentum adulterinæ prolis inde genitæ confiteri. a.53.26

Petens corpus à fœmina etiam parata ad fornicandum, ſequuta fornicatione, vltra ſuum fornicationis peccatum, committit etiam peccatum inductionis ad peccatum, quod eſt peccatum ſcandali generalis actiui. ibid.27

Petens corpus à fœmina parata, in cõfeſſione non opus eſt hãc circũſtantiã declarare, inductionis ſcil. fœminæ paratæ, licèt, vt diximus, ſpeciale peccatũ ſit. ibid.

Si fœmina virum paratum primò inuitaret ad corpus ſuum, teneretur hanc inductionem fateri. ibid.

Certiſſimum eſt ſi fornicans conſortem habuit alioquin non paratum ad fornicationem, tunc reus eſt duarum fornicationum, & ſuæ, & fornicationis in conſorte. ibid.

Faciens confeſſionem generalem peccatorum aliàs ritè confeſſorum, non tenetur ſingula peccata mortalia aliàs expiata iterũ in confeſſione exprimere. a.54.28

Committens peccatom beſtialitatis (beſtialitas eſt coitus hominis cum alio alterius ſpeciei ſuppoſito) in confeſſione non tenetur exprimere belluam, com qua habuit copulam. ſufficit enim dicere ſe congreſſum fuiſſe cum ſuppoſito alterius ſpeciei. ibid.29

Pœnitens qui ſe expoſuit periculo committendi aliquod peccatum, tenetur fateri ſpeciem illius peccati, cuius periculo ſe expoſoit. ibid.30

Qui peccauit diuinando per aquam, vel per aſtra, quamuis non exprimat id per quod diuinauit, ſatisfacit integritati confeſſionis, dicendo ſe toties peccaſſe diuinando. ibid.31

Qui lapſus eſt in hæreſim, ſatisfacit in confeſſione dicendo ſe toties in hæreſim lapſum fuiſſe, quamuis nõ exprimat qualitatem hæreſis, vtrùm ſit hæreſis Lutheri, vel Caluini, vel alterius hæreſiarchæ. ibid. 32

Qui gloriatur de peccatis lethalibus commiſſis, tenetur ſtatim cùm confitetur exprimere obiectum mortale ſpecificum culparum, de quibus gloriatur, ſi dum gloriatur, complacentiam habet earum. ibid. 33

Si quis verè, vel falsò ſe laudauit de peccato mortali verè admiſſo, vel non admiſſo, quamuis non adfuerit de tali peccato de quo ſe laudat, gaudium, complacentia, vel delectatio moroſa, ſed ſola vana iactantia, etiam fatendæ ſunt circunſtantiæ quibus illud peccatum eſt effectum. ibid.

Licèt quando quis ſe iactat de opere, quod eſt peccatum mortiferum, peccet lethaliter, ſiue verè, ſiue falsò de illo malo ſe laudet; ſi tamen ſolùm narret peccatum aliquod mortiferum, vt inde appareat eius dexteritas, ingenium, virilitas, abſque approbatione, vel affectu ipſius operis, non videtur hoc eſſe peccatum mortiferum, ſed tantùm veniale, conſequenter tunc in confeſſione non teneretur hic ſpeciem peccati mortiferi, quod enarrauit, exprimere. 2.55.34

Quando quis ſe laudat de peccato mortifero admiſſo, vel non admiſſo, propter iactantiam vanam peccatorum lethalium, ſi adeſt etiam delectatio moroſa in eo malo cogitato, eſt duplex lethale. ibid. 35

Laudans alium de mortali, ſiue verè, ſiue falsò illum laudet, peccat lethaliter. ibid. 36

Qui furatus eſt calicem, ſed in confeſſione ex inaduertentia naturali dixit ſe rem magni momenti ſurripuiſſe, non expreſſa circunſtantia rei ſacræ calicis, quando recordatur huius circunſtantiæ in ſecunda confeſſione, ſatisfacit integritati confeſſionis, dicendo ſe mortale ſacrilegium commiſiſſe, non exprimendo furtum. ibid. 37

Similiter qui iurauit ieiunare in vigiliis ex præcepto ieiunandis, & ex obliuione inculpabili ſolùm expreſſit in confeſſione, in vigiliis ieiunium fregiſſe, ſatisfacit in alia confeſſione, dicendo ſe licitum iuramentum perfregiſſe, non exprimendo fractionem ieiunij, ad quod ex præcepto tenebatur. ibid.

Omnia igitur peccata mortalia poſt Bapriſmum commiſſa per ſe neceſſariò explicanda ſunt in confeſſione quoad ſpecies morales, & ſingillatim quoad numerum, quantum moraliter fieri poteſt. ibid. 38

Sacerdos proprios, ſeu ordinarius, ſecundùm largam quandam acceptionem, ille dicitur, qui in foro Pœnitentiæ habet iuriſdictionem, ſiue ordinariam ex officio, quod habet, ſiue delegatam, quam habet ex commiſſione: ſed ſecundùm propriam acceptionem proprius, & ordinarius Sacerdos dicitur ille, qui in iſto foro Pœnitentiæ habet iuriſdictionem ordinariam, ſiue particularem. 2.188.2

Propriè non eſt idem ordinarius & proprius Sacerdos. ibid. 3

Fides eſt, ita vt oppoſitum ſit hæreſis manifeſta, quòd omnes fideles tenentur confiteri proprio Sacerdoti, vel alteri de illius licentia. ibid. 4

Habentes domicilium in aliquo loco non ſolùm poſſunt confiteri Parocho loci in quo domicilium habent: ſed etiam poſſunt confiteri alteri Sacerdoti in ea diœceſi approbato ad confeſſiones omnium ad ſe recurrentium excipiendas. ibid. 5

Habentes duo domicilia, in quibus æquè habitant pro diuerſa anni parte, poſſunt vtrique Parocho, in quorum parochia habent domicilia, confiteri. 2.189.6

Satis etiam eſt probabile quòd pro illo tempore quo quis in aliquo domicilio ex dictis habitat, Parochum illius habet tanquam proprium Sacerdotem, atque adeò ei tenetur confiteri, & in illa Eccleſia debet communicare in Paſchate. ibid.

Qui in vno loco habent domicilium, in alio verò quaſi domicilium, ſcilicet habitationem diuturnam pro aliquo tempore anni, quamuis non fixam, in quo ordine ſunt ſcholaſtici, milites, litigantes, mercatores, quando in aliis oppidis diu morantur, in foro Pœnitentiæ ſubiiciuntur ordinariis Parochis illorum locorum, in quibus habitant. ibid. 7

Vagi qui nullum habent domicilium, poſſunt cuicumque Parocho confiteri. ibid 8

Peregrini, & iter agentes abſentes à parochia ſua, poſſunt ſua peccata confiteri Parocho loci ad quem perueniunt, aut etiam alteri Sacerdoti approbato ad confeſſiones in eo loco audiendas. ibid. 9

Peregrini, & viatores, cùm in aliena diœceſi iuſta de cauſa confitentur, poſſunt etiam abſolui à peccatis in propria ipſorum diœceſi Epiſcopo reſeruatis, ſi in diœceſi vbi confitentur reſeruata non ſunt. ibid.

Peregrini, & iter agentes, qui ſolùm ad hunc finem iter agunt, vt euitent proprium Parochum, & alteri confiteantur, non poſſunt validè confiteri Parocho, aut Sacerdoti approbato ad excipiendas confeſſiones in illo loco, ad quem perueniunt. ibid. 10

Peregrini, & iter agentes bona fide, ſi peccata, quæ confitentur in aliena diœceſi, ſunt reſeruata, etiamſi in diœceſi, vbi peregrini domicilium habent, reſeruata non ſint, tunc à ſolo Epiſcopo diœceſis, ad quam deuenerunt, vel à Sacerdote, qui ab ipſo poteſtatem habet abſoluendi à reſeruatis, abſolui poterunt. 2.190.11

Confeſſarij Regulares Ordinum Mendicantium in loco in quo ſunt approbati, excipere poſſunt confeſſiones fidelium cuiuſcumque ſint diœceſis, etiamſi dedita opera ad illos acceſſerint. ibid. 12

Priuilegio illo quod habent Confeſſarij Ordinum Mendicantium, non comprehenduntur Religioſi, quibus ſecundùm propria ſtatuta, extra ſuum Ordinem, aut alteri, quàm illi, quem Prælatus ad hoc munus deſtinauit, confiteri permiſſum non eſt. ibid.

Regulares Sacerdotes, qui ab Ordinario ſunt approbati ad audiendas confeſſiones in diœceſi, inſcio, vel inuito Prælato Ordinis, licitè ea poteſtate abſoluendi pœnitentes, quam ipſis Epiſcopus, aliúſve Ordinarius delegat, vti non poſſunt. ibid. 13

Superiores Religionum exemptarum poſſunt facultatem concedere ſuis ſubditis confitendi aliis Confeſſariis intra, aut extra Religionem, quam profitentor. 2.191.4

Iure communi Religioſi vnius Prouinciæ confiteri minimè poſſunt cũ Religioſis alterius Prouincię. ibid. 5

Ex priuilegio tamen Religioſi Ordinum Mendicantium participantes, & communicantes in priuilegiis conceſſis Ordinibus Mendicantium, poſſunt de materia peccati mortalis confiteri cuiuis ſui Ordinis Sacerdoti Confeſſario, etiamſi à ſuis Prælatis licentiam non petant. 2.192.init.

Conſequenter Religioſi Ordinum Mendicantium, ſi habent authoritatem paſſiuam, vt poſſint abſolui à caſibus reſeruatis, ſiue ſit eis authoritas iſta conceſſa à Generali, ſiue à Prouinciali, ſiue à Superiore locali, poterunt confiteri, & abſolui à quouis ſui Ordinis Confeſſario. ibid.

Religioſi itinerantes, vel exiſtentes extra Conuentum cum licentia ſaltim præſumpta ſuorum Prælatorum, non aſtringuntur confiteri Sacerdotibus approbatis ab Epiſcopis, ſed poſſunt ſibi eligere Confeſſorem tantùm Religioſorum, & non ſecularium approbatum, ſcilicet à Prælatis Religionum cuiuſconque Ordinis. 2.193.9

Religioſi ſimiliter itinerantes,& extra Conuentus ſuos exiſtentes, non poſſunt confiteri Sacerdotibus Religioſis ſui Ordinis, nec alterius Religionis, niſi ſaltem à ſuis Prælatis licentiam habuerint ad audiendas confeſſiones Religioſorum. ibid.

In licentia data Religioſo itinerandi, virtualiter clauditur licentia confitendi, non tamen poteſt etiam cum expreſſa licentia confitendi,cui velit, abſolui à reſeruatis. a.193.10

Quando in Iubilæo datur facultas ſpecificè,& expreſsè, vt Regulares poſſint ſibi eligere Confeſſarium extra ſuum Ordinem,tunc nulli dubium eſt,quin Religioſus poſſit extra Ordinem ſuum confiteri,& iuxta tenorem Iubilæi eligere ſibi Confeſſarium, qui eum à reſeruatis,& ab omnibus abſoluat. a.206.2

Quando in Bulla Iubilæi datur Regularibus expreſsè facultas eligendi ſibi quemcumque Confeſſarium etiam ſecularem, vigore tunc pleniſſimi Iubilæi poſſunt Regulares abſque licentia, & inconſultis ſuis Superioribus eligere ſibi Confeſſarium, quem maluerint approbatum ab Ordinario. ibid.

Religioſus pœnitens tempore Iubilæi pleniſſimi, ſi intra ſuum Ordinem vult confiteri,ſufficit,quòd Confeſſarius,quem eligit, ſit approbatus à Prælatis ſuæ Religionis,etiamſi in Bulla apponatur,quòd poſſint pœnitentes ſibi eligere Confeſſarium approbatum ab Ordinario loci. ibid.3

Religioſus ſi voluerit extra Ordinem ſuum confiteri, ſuppoſito, quòd in tranſumpto Iubilæi id expreſsè concedatur,ſi alicui Sacerdoti ſeculari maluerit confiteri, tunc neceſſe eſt, vt talis Confeſſor à ſuo Epiſcopo ſit approbatus,& expoſitus. ibid.4

Probabile eſt aſſerere Regularem tempore Iubilæi pleniſſimi, ſi voluerit confiteri extra ſuum Ordinem Regulari, Sacerdoti alterius Ordinis, poſſe eligere Confeſſarium approbatum à ſuo Prælato ad audiendas confeſſiones Regularium;licèt non ſit expoſitus, & approbatus ab Epiſcopo. ibid.

Si Prælatus Ordinis det facultatem Regulari confitendi Sacerdoti cuicumque voluerit, poteſt is eligere etiam ab Epiſcopo non approbatum. ibid.5

In generali conceſſione facta etiam in Iubilæo, & in Bulla Cruciatæ, omnibus fidelibus eligendi quemlibet Confeſſarium, non cenſetur conceſſa facultas Regularibus eligendi Confeſſarium extra ſuam Religionem,niſi expreſsè,& ſpecificè hoc etiam Regularibus concedatur. a.208.6

Probabile etiam eſt per Bullas Cruciatæ conceſſas ab a iis Pontificibus poſſe Regulares abſque licentia ſuorum Prælatorum eligere Confeſſorem,& abſolui à reſeruatis iuxta tenorem earum,& ſic Religioſi ſumendo Bullam Cruciatæ,per quam conceditur omnibus fidelibus vtriuſque ſexus,vt poſſint ſibi eligere Confeſſarium,& abſolui à reſeruatis, poterunt, &c.ibid.

Confeſſio facta bona fide ſimplici Sacerdoti de venialibus,& mortalibus peccatis, eſt valida, etiamſi Sacerdos ille iuriſdictionem non habeat in peccata mortalia. a.215.3

Certior poſtea factus pœnitens,quòd Sacerdos ille non habebat iuriſdictionem ſuper peccata mortalia ab eo bona fide in confeſſione expoſita, tenebitur iterum lethalia peccata confiteri Confeſſario legitimo habenti iuriſdictionem ſuper mortalia. ibid.

Confeſſio auricularis.

Iure diuino omnes fideles poſtquam deuenerint ad vſum rationis ſi cognoſcant ſe eſſe in peccato mortali,tenentur confiteri in articulo, & periculo mortis. a.87.2

Iure diuino tenemur etiam confiteri quotieſcumque debemus ſumere ſacramentum Euchariſtiæ. ibid.3

Qui ſuſcipit Euchariſtiam non præmiſſa confeſſione peccati mortalis, ſi confeſſio tunc temporis per ordinem ad communionem tantùm eſt facienda,vnum peccatum committit. a 88.init.

Obligatio confeſſionis iure diuino non extenditur ad tempus ſuſceptionis, vel etiam collationis cuiuſcumque alterius ſacramenti; quia non inuenitur talis obligatio in iure poſitiuo diuino, nec Eccleſiaſtico,neque in iure naturæ. ibid.5

Licèt iure diuino obligatio confeſſionis non extẽdatur ad tempus collationis ſacramentorum; Miniſter tamen deputatus,& ſpecialiter conſecratus ad adminiſtrationem Sacramẽtorum,tenetur ſub culpa lethali conari,& curare,vt in gratia per contritionem conſtituatur,antequam adminiſtret ſacramenta. ibid.

Sacerdos Miniſter deputatus, & conſecratus ad adminiſtrationem Sacramentorum,habens conſcientiam peccati mortalis, ſi aduertit ſe ſolùm eſſe attritum, debet contritionis actum elicere; ſi verò aduertat ſe non poſſe actum contritionis elicere, debet Pœnitentiæ ſacramentum recipere antequam adminiſtret Sacramenta. ibid 6

Sacerdos habens conſcientiam peccati mortalis, tenetur antequam Euchariſtiam adminiſtret præparare ſe ad gratiam per confeſſionem, vel ſaltem per contritionem. ibid.

Secus autem quando ſuſcepturus eſt Euchariſtiam.ibid.

Sacerdos habens conſcientiam peccati mortalis, ſi de vno altari ad aliud transfert Euchariſtiam non obſtringitur præcepto confeſſionis, vel contritionis,antequam ſanctiſſimam Euchariſtiam transferat. ibid.7.

Diaconus ex neceſſitate adminiſtrans Euchariſtiam, ſi exiſtit in peccato mortali, tenetur ſub peccato mortali antequam adminiſtret, præcepto confeſſionis, vel contritionis, vt in gratia conſtitutus Sancta ſanctè miniſtret. a.89.8

Sacerdos exiſtens in peccato mortali non tenetur confiteri, vel conteri, ſi in neceſſitate miniſtret Baptiſmum ſine ſolemnitate. ibid.9

Sacerdos culpæ mortalis reus, non tenetur ad confeſſionem,neque ad contritionem,ſi aſſiſtere debet matrimonio, & conſequenter nec peccat lethaliter lethalis culpæ reus aſſiſtens. ibid.

Contrahentes matrimonium, qui ſunt Miniſtri conficientes matrimonij ſacramentum non tenentur ad confeſſionem,vel contritionem,nec peccant lethaliter ſi culpa lethali affecti, miniſtrant ſibi hoc ſacramentum,ea ratione qua miniſtrant. ibid.10

Qui debet exercere functiones Ordinum minorum, ſi ſit reus culpæ lethalis, non obſtringitur præcepto naturali diuino ad confeſſionem, vel ad contritionem ſub culpa lethali, etiamſi miniſtrare debeat in Ordinibus minoribus ex officio. ibid.11

Idem dicendum eſt de exercente functionem ſubdiaconatus. ibid.

Epiſcopus conferens primam Tonſuram, aut benedicens ſacras veſtes,conſecrans vaſa, templa, virgines, & Abbatiſſas, ſi eſt reus culpæ lethalis antequam exerceat huiuſmodi functiones,ſub peccato mortali non obſtringitur ad confeſſionem, vel contritionem.Neque exercere talia opera in mortali,eſt mortale. ibid.12

Epiſcopus, qui conficere volt Chriſma, vel benedicere volt oleum, ſi habet conſcientiam peccati mortalis,antequam huiuſmodi functiones exerceat, vt licitè, & ſine peccato mortali hæc munia operetur,obſtringitur præcepto confeſſionis, vel contritionis. ibid.

Proba

Probabilios tamen, & verius dicendum eſt quòd, per ſe loquendo, & ſecluſo contemptu io huiuſmodi actionibus exercendis, non interuenit peccatum mortale, ſed tantùm veniale, ſi Epiſcopus illas exercens ſit lethalis culpæ teus. ibid.

Conſequenter iudex Eccleſiaſticus reus culpæ lethalis, ſi iudicium, & ſententiam dicit, vel alios actus iuriſdictionis exercet, ſimiliter Cócionator verbum Dei prædicans in mortali, vel Prælatus corrigens ſubditũ exiſtens in culpa lethali; item Sacerdos benedicens aquam benedictam in peccato mortali, nó peccant homines lethaliter exercendo huiuſmodi functiones extra gratiam, & per conſequens antequam illas exerceaot, non tenentur præcepto diuino ad confeſſionem, neque ad contritionem. ibid. 13

Clericus affectus culpa lethali non obſtringitur ad confeſſionem, vel ad actum contritionis eliciendum, antequam tangat res ſacras. ibid. 14

Iure diuino tenetur homo confiteri quotieſcumque cognoſcit in ſe ipſo graue, & ſpeciale periculum, iterum peccandi mortaliter. ibid. 15

Quando eſt ſpeciale, & graue periculum, quòd obliuiſcetur homo multorum peccatorum mortalium, ſi per multum temporis differat confiteri, iure diuino tenetur ad cooſeſſionem ante determinationem Eccleſiæ, vnde ante elapſum anoum tenebitur fidelis ſua peccata confiteri. ibid.

Stando in ſolo iure naturali, & diuino, non tenetur homo confiteri de peccatis venialibus. ibid.

Suſcipientes periculoſas nauigationes iure diuino tenentur ad confeſſionem: ſimilitet milites quando inſtat prælium; item fœmina, quæ primò paritura eſt, aut quæ aliàs peperit cum magna difficultate, ſeu vitæ periculo; item infirmus grauiter laborans, qui peccauit mortaliter poſt confeſſionem, tenetur adhuc coufiteri. ibid. 16

Infirmus verò qui in articulo mortis, quando tenetur, commuoicauit, ſi ſumpta ſemel Euchariſtia peccauit poſtea mortaliter, non tenetur iterum communicare, licèt infirmus grauiter laborans ſi peccauit poſt confeſſionem teneatur adhuc confiteri. 2.91.17

Omnes fideles baptizati præcepto Eccleſiaſtico habentes peccata mortalia poſt Baptiſmum, aut in ipſa ſuſceptione Baptiſmi, tenentur ſemel in anno confiteri. ibid. 18

Pueri compotes vſus ratioois, io ea ſcilicet ætate, in qua cognoſcunt ſe grauiter peccare, in qua diſcernunt bonum à malo, honeſtum à turpi, quod quidem io pleriſque contingit ad finem ſeptennij, vel ad octauum ætatis annum, tenentur ex præcepto Eccleſiaſtico ad confeſſionem faciendam, ſi habent conſcientiam peccati mortalis. ibid.

Quamuis puer ſtatim ac peruenit ad vſum rationis, ſi eſt capax peccati mortalis, teneatur ſemel in anno confiteri, non tamen ſtatim, ac habet ſufficiens iudicium, & diſcretionem, obligatur ad communionem ſaltem ſemel in anno Paſchate, ſed poſt vnum, vel duos annos, prout prudens Confeſſarius conſuluerit, & iudicauerit. ibid. 19

Tempus Paſchatis in quo obligat præceptum communionis, complectitur quindecim dies, ſcilicet à Dominica in Ramis palmarum incluſiuè, vſqoe ad Dominicam in Albis etiam incluſiuè: itaque quocumque die iſtorum homo communicet, ſeruat præceptum Eccleſiaſticum. ibid. 20

Licèt pueri ſtatim, quòd veniont ad vſum rationis, obligentur præcepto Eccleſiaſtico, ac diuino ad ſemel in anno confitendum, & peccent mortaliter non adimplendo illud: tameo vſque ad annum ætatis 12. Eccleſia per cenſuras neminem ad confeſſionem cogit. ibid. 21

Conſequenter ſi in aliqoa Parochia in communi excommunicátur, qui non ſuot confeſſi, non comprehenduntur pueri ante annum duodecimum. ibid.

Pueri tamen ante 12. vel 14. annum afficiuntur excommunicatione ſi manus violentas ioiiciant contra Clericum, & ſint doli capaces. ibid. 22

Iure communi oulla pœna eſt impoſita tranſgreſſoribus huius præcepti annuæ confeſſionis, quæ ipſo facto incurratur. 2.92.23

Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ per ſententiam iudicis ob tranſgreſſionem præcepti annuæ cófeſſionis, vel ob aliud delictum, noo eſt priuatus vſu Sacramentorum, ſed vſu diuinorum Officiorum, & ſepulturæ: ergo quando non celebrantur diuina Officia, poterit in Eccleſia recipere Sacramenta. ibid. 24

Pueri dum ad vſum rationis peruenerint, quod communiter ſeptennio completo accidere ſolet, tenentur nedum præcepto annuæ confeſſionis ſemel in anno, vt probatum eſt, ſed etiam omnibus Eccleſiæ legibus, præter ieionij, & Euchariſtiæ legem. ibid. 25

Summus Pontifex obligatur ad præceptum annuæ confeſſionis obſeruandum quoad vim directiuam, non tameo quoad vim coactiuam, quod eſt dicere, ipſum non debere puniri, etiamſi faciat contra legem; teneri nihilomi ous, ſimpliciter loquendo, ad ſeruandam talem legem. ibid. 26

Qui in Natiuitate Domini, aut in alio die, confitetur, ſatisfacit præcepto aonuæ confeſſionis, nec poſtea teoetur ex vi iſtius præcepti in Quadrageſima, vel in Paſchate confiteri, cùm iam adimpleuerit præceptum; fieri tamen poteſt, vt alio titulo confiteri teneatur, vt ſi ſuſcepturus ſit Euchariſtiam, aduertens ſe conſcientiam habere lethalis culpæ. ibid. 27

Annus in quo ſemel ex præcepto Eccleſiaſtico faciẽda eſt confeſſio, iuxta determinationem Eccleſiæ computãdus eſt ab vno Paſchate ad ſequens Paſcha. ibid.

Qui non eſt cunfeſſus anno præterito, tenetur hoc anno quamprimum confiteri, ex præcepto aonuæ confeſſionis. ibid. 28

Idem dicendum eſt de eo, qui non communicauit in Paſchate, quòd ſcilicet teneatur elapſo tempore Paſchatis, quamprimom commodè poteſt, eodem anno communicare, propter eandem rationem. ibid.

Dupliciter præcipi poteſt aliquid faciendum tali tempore. Primò ob circumſtantiam, & conditionem, ſeu honorem talis temporis. Secundò abſolutè, & ſimpliciter, non ſpectata circumſtantia, & conditione temporis, ſed ne diutiùs differatur: quæ præcipiuntur primo modo, elapſo tempore determinato ceſſat eorum obligatio, & ſic obligatio diuini Officij ſingulis diebus recitandi, obligatio de Sacro audiendo diebus feſtiuis, obligatio ieiunandi in vigilia talis Sãcti, &c. ceſſat elapſo tẽpore determinato. 2.93.29

Qui diſtulit confeſſionem anni præteriti vſque ad præſentem annum, vnica confeſſione non ſatisfacit præcepto confeſſionis anni præteriti, & anni præſentis. ibid. 30

Eſt etiam probabilis oppoſita ſententia. ibid.

Qui noo eſt confeſſus in periculo mortis, cùm haberet conſcientiam peccati mortalis, non tenetur poſtea quamprimum confiteri. ibid. 31

Qui per obliuionem naturalem, vel aliam iuſtam cauſam in confeſſione prætermiſit aliquod peccatum, cuius recordatur poſt ſumptionem Euchariſtiæ, aut poſt Paſcha, non tenetur ei vi præcepti annuæ confeſſionis, illud peccatum quamprimum confiteri, aut confiteri intra illum annum, ſi nondum annus ſit elapſus. ibid.

Qui facit confeſſionem imperfectam, puta non confi-

tendo omnia ſua peccata mortalia ex malitia, aut ex ignorantia craſſa, aut ſine debito dolote, aut non obtenta abſolutione, non adimplet præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis. 2.94.init.

Faciens confeſſionem informem, ſed validam, ſatisfacit præcepto annuæ confeſſionis. ibid.33

Si quis manifeſtè vellet ſe communicare in peccato mortali, vetè non adimplet præceptum annuæ communionis in Paſchate. ibid.34

Lex præcipiens aliquem actum, tantùm præcipit ſubſtantiam illius, & non modum, ſi modus non ſit eſſentialis illi actui: vnde audiens in die feſto Sacrum extra gratiam, & ieiunans in Quadrageſima, quando præcepto Eccleſiaſtico iciunare tenetur, etiamſi ſit in peccato mortali, ſatisfacit præcepto, Sacrum audiendi, & ieiunandi. ibid.

Qui vno anno prætermiſit confeſſionem, non toties peccat mortaliter, quoties elapſo anno non confitetur oblata opportunitate: ſed tantùm manet ille obſtrictus eodem illo peccato, quod admiſit non confitendo intra annum, idque tandiu, quandiu elapſo anno confeſſionem differt. ibid.35

Qui præuidet fore, vt non ſit habiturus copiam Confeſſarij in articulo mortis, aut ſequenti tempore præſentis anni, tenetur præuenire confitendo antequam adueniat mortis articulus, vel antequam elabatur annus in quo tenetur confiteri. ibid.36

Qui verò præuidet, vt veſperi nequeat recitare Veſperas, aut Completorium ob febrim, aut grauem infirmitatem, ob impedimentum non voluntarium, non tenetur illas horas manè recitare. ibid.37

Qui præuidet ſe ita impediendum in die feſto, vt non poſſit Miſſam eo die audire, non tenetur in alio die non feſto anticipare adimpletionem huius præcepti. 2.95.38

Qui debet aliquid debitori ſoluere, ſi aduertat ſe non poſſe elapſo præfixo termino ſoluere, tenetur præuenire ſolutionem. ibid.39

Si quis præuideat futurũ, vt intra quindecim paſchales dies Euchariſtiã accipere nõ poſſit, debet præuenire tempus, & ad ſacram Communionẽ accedere, ſi ſimul cognoſcat ſe non poſſe communicare multis diebus poſt illud determinatum ab Eccleſia. ibid.40

Si iſte talis, de quo dicto dubio præcedenti aduertit, quòd, etſi non poſſit communicare in illis quindecim diebus, poterit tamen Euchariſtiam accipere poſt illud tempus determinatum, intra quindecim alios, vel 20. vel 30. ſequentes dies, non tenebitur anticipare communionem. ibid.

Qui præuidet ſe ita impediendum in Paſchate, vt intra illos quindecim dies non poſſit communicare, vi præcepti Eccleſiaſtici non tenetur communionem anticipatè ſumere. ibid.

Vi præcepti Eccleſiaſtici tenetur in Hebdomada ſacta communicare, qui aduertit ſe non poſſe ſequentibus diebus communionem accipere, ob ſuperuentura impedimenta. ibid.

Qui poſt confeſſionem, & communionem commiſit aliquod peccatum mortale nondum elapſo anno in quo prius confeſſus eſt, tenetur illud peccatum cõfiteri, vt ſatisfaciat præcepto annuæ confeſſionis, quo præcipitur omnia peccata mortalia cõfiteri. 2.96.41

Qui non facit confeſſionem perfectam, volũtariè prætermittẽs aliquod peccatum mortale ſine cauſa, aut debito, carens dolore incurrit cenſuras, ſi quæ infligerentur contra eos, qui non ſunt confeſſi. ibid.42

Ad incurrendam pœnam iuris, vel cenſuras per edicta Epiſcoporum poſitas contra tranſgreſſores præcepti annuæ confeſſionis, & communionis ſemel in anno in Paſchate, ſatis eſt confeſſionem, aut communionem emiſiſſe. ibid.43

Licèt pœna iuris communis nõ incurratur ipſo facto à violantibus hoc præceptũ, ſed per particulares iudices eſt imponenda; regulariter tamẽ in Eccleſiis particularibus eſt poſita pœna excõmunicationis ipſo facto incurrenda ante iudicis condemnationẽ. ibid.

Confeſſio annualis.

Pœnitens habens peccata mortalia, & venialia, tenetur confiteri vi præcepti annuæ confeſſionis peccata venialia, tacitis mortalibus, ex quorum manifeſtatione probabiliter timet graue periculum infamiæ, vel grauis nocumenti, ſibi, vel aliis extra confeſſionem. 2.98.8

Habens ſolùm peccata venialia excuſatur à præcepto annuæ confeſſionis. ibid.

Poteſt Eccleſia, ſiue Romanus Pontifex præcipere, vt qui ſolis venialibus peccatis tenentur, ea confiteri certis temporibus debeant. 2.99.9

Monachi tum atro, tum candido amictus genere vtentes, debent confeſſionem etiam venialium facere vnoquoque menſe. ibid.10

Excuſatur homo ab adimpletione huius præcepti annuæ confeſſionis, non tantùm ob impotẽtiam phyſicam, & abſolutam, ſed etiam ob impotentiam moralem, & difficultatem extraordinariam. ibid.11

Excuſatur à præcepto annuæ confeſſionis, qui non poteſt ſua peccata confiteri ſub ſecreto ſigilli confeſſionis, vt ſi Confeſſarius vitio ſurditatis laboret, aut pœnitens in naui cum aliis exiſtens peccata ſua nequeat explicare, niſi ab aliis audiatur. ibid.

Similiter, qui non poteſt niſi per interpretem conteri, excuſatur ab iſto præcepto, etiamſi nullum aliud malum timeat. ibid.

Non ſolùm præceptum Eccleſiaſticum excuſat, & non obligat pœnitentes ad confitenda peccata publicè, vel per interpretem; ſed nec etiam præceptum diuinum aſtringit fideles ad faciendum iſtam confeſſionem, extra periculum & articulum mortis. ibid.

Iure diuino homo conſtitutus in articulo, ſeu periculo mortis, ſi nequit obtinere abſolutionem a peccatis, niſi publicè, vel per interpretem confiteatur, ſi non poteſt actum contritionis elicere, aut dubitat de ſua contritione, tenetur publicè, vel per interpretem confiteri, ſaltem ea, quæ cum minore infamia poteſt explicare: quòd ſi omnia mortalia, quæ habet, ſint notabilis infamiæ, poterit in tali caſu confiteri de ſolis venialibus. ibid.

Excuſatur homo à præcepto annuæ confeſſionis, ſi nõ poteſt aliter confiteri, quàm per ſcripturam. ibid.12

Si verò pœnitens commodè, & ſine periculo poteſt per ſcripturam confiteri coram Sacerdote, tenetur per ſcripturam confiteri, quoties inſtat præceptum confitendi. ibid.

Qui lubricam habet memoriam, non tenetur peccata ſcribere, vt ſuo tempore confiteatur. 2.100.13

Confeſſio generalis, vide Sacramentale.

Confeſſio Regularium, & Religioſorum.

Nullus Sacerdos neque ſæcularis, neque regularis, poteſt audire confeſſiones Fratrum, niſi à Prælatis ipſorum Religioſorum habeat iuriſdictionem: ſicuti nemo poteſt audire confeſſiones fidelium alicuius Epiſcopatus, niſi ab Epiſcopo, aut à Romano Pontifice iuriſdictionem actualem habeat ſuper ipſos fideles. 1.59.2

Conſequenter ad audiendas confeſſiones Religioſorum ſolùm ſufficit approbatio ſuorum Prælatorum cum iuriſdictionis conceſſione. ibid.

Licet ante Concilium Tridentinum Sacerdotes ſeculares poterant eligere Confeſſorem quemlibet ſimplicem

ſimplicem Sacerdotem:tamen ante Concilium Sacerdotes Regulares minimè poterant eligere Sacerdotem Religioſum ſimplicem, ſed tantùm à ſuis Prælatis approbatum. ibid.5

Religioſi itinerantes non poterunt confiteri aliis Religioſis ſui Ordinis, vel alterius Regulæ, niſi à ſuis Prælatis licentiam habuerint ad audiendas confeſſiones Religioſorum; & hæc conſuetudo ſemper in Religionibus bene ordinaris viguit. ibid.

Sacerdotes quiliber ſeculares ante Concilium Tridentinum ex conſuetudine omnium Eccleſiarum, cuiuis Sacerdoti ſimplici non approbato confitebantur, ſiue eiuſdem, ſiue alienæ eſſet diœceſis. 2.187.9

Confeſſio ſubditorum.

Quando ſubditus confeſſionem facit Superiori ſine vlla mentione, vel intentione caſuum reſeruatorum, & abſolutio ſimili modo datur ab ipſo, non ſatis eſt vt peccatum oblitum, quod antea erat reſeruatum, poſtea maneat non reſeruatum, & ſine onere confitendi illud Superiori. 1.20.2

Superiores Religionum exemptarum poſſunt facultatem concedere ſuis ſubditis confitendi aliis Confeſſariis intra, aut extra Religionem, quam profitentur ratione itineris, aut alia de cauſa. 1.39.3

Conceſſa licentia à Prelatis Religionum exemptarum ſubditis itinerantibus, aut alia de cauſa ad eligendum extra Ordinem Confeſſorem, poſſunt tales ſubditi eligere Confeſſorem tantùm Religioſorum, & non ſecularium, id eſt, non ab Ordinario loci, ſed à ſuis Prælatis approbatum. ibid.

Speciatim Priores locales Ordinis Prædicatorum poſſunt concedere ſibi ſubditis licentiam confitendi Sacerdoti Confeſſario alterius Ordinis, & licèt in conſtit. eiuſdem Ordinis Præd. *diſt.* 1. *c.* 14. habeatur quòd ſolus Generalis Ordinis hoc poteſt concedere, hoc verum eſt, ſecluſo priuilegio: at ex priuilegio poſſunt etiam Superiores locales. ibid.4

Hanc tamen facultatem & alias conceſſas Superioribus localibus, poſſunt maiores Prælati in Religionibus Mendicantium, exiſtente rationabili cauſa reſtringere & coarctare. ibid.

Vide *Abſolutio.*

Confeſſionis auditio.

Sacerdos generaliter approbatus, ſiue ſit ſæcularis, ſiue Regularis, ad omnes audiendas in aliqua diœceſi, poteſt omnes illius diœceſis ad ſe concurrentes audire: etiamſi ad ipſum accedant animo vitandi proprium Parochum. 2.187.10

Non tamen talis Sacerdos generaliter approbatus in aliqua diœceſi poteſt homines alterius diœceſis audire, ſi ad ipſum accedant hoc animo, vt euitent proprium Parochum, & alteri confiteantur. ibid.

Epiſcopus, Parochus, aut alter Sacerdos aliàs habens iuriſdictionem in aliquem quoad forum pœnitentiæ, poteſt eandem audire extra diœceſim, in qua fuit approbatus. ibid.

Regulares expoſiti in aliqua diœceſi poſſunt etiam audire confeſſiones ſubditorum diœceſis in qua expoſiti ſunt extra illam diœceſim. ibid.11

Secundùm ius commune nullus Sacerdos, neque ſecularis, neque Regularis, poteſt audire confeſſiones Fratrum, niſi à Prælatis ſuorum Religioſorum habeat iuriſdictionem. 2.191.4

Sacerdotes Regulares ſunt in triplici differentia, quidam ſunt, qui nunquam fuerunt admiſſi in ordine ſuo ad audiendas confeſſiones; quidam, qui fuerunt aliquando admiſſi, ſed modò non ſunt deputati; quidam verò qui de facto ſunt deputati. 2.193.12

Sacerdos Regularis, qui in ſuo Ordine nunquam fuit admiſſus ad audiendas confeſſiones, poteſt abſoluere ſiue in Monaſterio, ſiue extra alios Regulares habentes ſolùm peccata venialia. ibid.

Sacerdos Regularis aliquando admiſſus in ſuo Ordine ad confeſſiones excipiendas, poteſt in ſuo Ordine audire confeſſiones Religioſorum proprij Ordinis, ſiue in Monaſterio, ſiue extra, etiamſi de facto ad hoc munus non ſit deputatus. ibid.

Per approbationem factam ab Epiſcopis non confertur vllum ius ad audiendum confeſſiones, nec vlla iuriſdictio, ſed perſona ſolùm iudicatur idonea, cui illa conferantur, ſine qua approbatione inualidè ei hoc munus committeretur. 2.209.2

Sacerdos ſi ſemel approbatus ſit ab Ordinario, quamuis eſſet occultè reuocata licentia audiendi confeſſiones, ita vt illius reuocationis ſit communis error, eſt eligibilis per Bullam Cruciatæ, ſeu pleniſſimum Iubilæum ad audiendas fidelium confeſſiones, & validè illas exciperet. ibid.

Sacerdos approbatus ab Epiſcopo cum limitatione perſonarum, non defectu ſcientiæ, ſed ratione ætatis, quòd iuuenis ſit, quod contingit, dum approbatur ad audiendas ſolas virorum confeſſiones, ſolùm poteſt eligi ab illis, reſpectu quorum approbatus eſt, & ſic approbatus ad audiendas virorum confeſſiones, per Bullam, aut Iubilæum, non eſt eligibilis à fœminis, & à Monialibus. ibid.4

Satis etiam eſt probabile expoſitum Sacerdotem ad audiendas ſolas virorum confeſſiones per Bullam Cruciatæ, aut Iubilæum, eſſe eligibilem à fœminis, vt ipſæ ſic limitatè expoſito validè confiteātur. ibid.

Qui ſimpliciter, & abſque vlla limitatione eſt expoſitus in vno Epiſcopatu ad audiendas cōfeſſiones, poteſt eligi virtute Bullæ Cruciatæ, & vi conceſſionis pleniſſimi Iubilæi in alio quocūque Epiſcopatu. 2.211.2

Parochus virtute Iubilæi poteſt eligi ad confeſſiones ſubditorū alterius parochiæ in eadē diœceſi. 2.212.4

Approbatus à Superiore Regularium pro ſubditis Regularibus, non poteſt à ſecularibus eligi virtute Iubilæi. ibid.5

Sacerdos, qui fuit ab Epiſcopo approbatus, ab eóque facultatem obtinuit audiendi confeſſiones, nouā licentiam petere non tenetur à Parochis, in quorum parochia prædictus Sacerdos vult cōfeſſiones iuxta facultatē ſibi ab Epiſcopo conceſſam audire. 2.213.7

Qui, poſtquam fuit approbatus ab Epiſcopo ad audiendas confeſſiones, obtinet priuilegium à Rom. Pontifice audiendi confeſſiones omnium fidelium, non indiget ampliùs Epiſcoporum, aut Parochorum licentia ad audiendas confeſſiones exiſtentium in ipſorum parochia, aut diœceſi. ibid.8

Sacerdotes Regulares ſemel ab aliquo Ordinario approbati iter facientes, poterant non repugnantibus Parochis prædicare, & quorumlibet fidelium confeſſiones audire, dummodo hoc non feciſſent in locis vbi Ordinarij exiſtebant, & tunc cum eorum licentia. ibid.9

Approbatio requiſita ad audiendas confeſſiones etiam ſufficit quòd ſit ab Epiſcopo ipſius pœnitentis, licèt non ſit idem Epiſcopus pœnitentis, & Confeſſoris. Vnde Clericus Sacerdos tranſiens per aliquem Epiſcopatum, poteſt approbari ab Ordinario illius Epiſcopatus per quem tranſit, vt audiat confeſſiones ſubditorum illius loci, in quo iter habet, etiamſi ipſe Sacerdos, qui approbatur, non ſit abſolutè ſubditus Epiſcopi approbantis illum. 2.214.11

Epiſcopi verò non poſſunt ſibi eligere Sacerdotem ſibi non ſubditum, qui à proprio Ordinario non fuerit approbatus, ſi pro ſe ipſis illum tantùm eligant, & non pro aliis ſuis ſubditis. ibid.12

Epiſcopus pro altis ſibi ſubditis poteſt approbate, & exponetc ad audiendas confeſſiones Sacerdotem ſibi non ſubditum, puta Sacerdotem, licèt non approbatum, & admiſſum à ptoprio Otdinario, ttanſeuntem per ſuam diœceſim. ibid.

Dilucidans magis ſupradicta, Epiſcopus poteſt approbare, & exponere pro ſuis ouibus Sacerdotem non ſibi ſubditum, licèt non ſit approbatus à proprio Ordinario. ibid.

Quandiu Epiſcopus non prohibet ſuis Parochis ne Sacerdotes alibi approbatos ad audiendas cõfeſſiones pro propriis Parochianis in ſua diœceſi exponant, hi validè ad hoc aſſumnntut, & exponuntur. ibid.

Quamuis Epiſcopus huic, vel illi beneficium confetat parochiale, tamen quicumqoe eſt Parochus, iure diuino eſt proprius Sacetdos reſpectu ſuorum Parochianotum, habens in foro pœnitentiali otdinariam iuriſdictionem in illos. ibid.14

Confeſſionis audiendæ delegatio

Quiconque otdinariam iuriſdictionem habent, vt Papa, Epiſcopus, eiúſque Vicarius, Patochus, & Ordinum Ptælati, hi poſſunt alteri Sacerdori delegare poteſtatem confeſſiones audiendi. 2.191.2

Ante tempora Conc. Trid. Parochus poterat committete ſuam iuriſdictionem cuicunque Sacerdoti idoneo, etiamſi aliàs nullam haberet iuriſdictionem, nec alicuius Epiſcopi approbationem, & hoc non modò validè, ſed etiam licitè. 2.212.2,3

Parochus poſt Concil. Trid. non poteſt delegare ſuam ordinariam iuriſdictionem, quam habet in ſuos Parochianos, Sacetdoti non approbato ab aliquo Ordinario. 2.213.4

Epiſcopus poteſt dare facultatem audiendi confeſſiones eorum omnium, qui habitant in ſua diœceſi, & ſummus Pontifex poteſt date facultatem audiendi confeſſionem omnium fidelium, idque etiam repuguantibus Epiſcopis, ac Parochis. ibid.6

Patochus ſuam poteſt committere otdinariam iuriſdictionem vel aliis Parochis, vel aliis Sacerdotibus ab Epiſcopo approbaris, non tamen requiritur vt Sacerdotes, quibus Parochus ſuam ordinariam iuriſdictionem committit, in proprias oues ſint approbati à proprio Epiſcopo ſuæ diœceſis, ſed ſatis eſt, ſi ſint expoſiti, & approbari à ptoprio Epiſcopo ipſotum Sacerdotum. ibid.10

Confeſſionis ſigillum.

Sigillum confeſſionis eſt obligatio, qua Confeſſarius tenetur ea reticere, quæ ſibi per confeſſionem manifeſtata fuerunt. 2.167.2

Quando ſecretum eſt parui momenti, & præceſſit promiſſio, vel obligatio celandi illud, tunc in detegendo tantùm committitur peccatum veniale. 2.168.3

Similiter ſi quis putat ſecretum eſſe parui momenti, ſed re vera eſt magni: tunc ſi negligentia, & inconſideratio fuit lata, eſt peccatum lethale. ibid.

Secretum nobis commiſſum, etiamſi iuramentum, vel promiſſio ptæceſſerit ſeruandi illud, ſi eſt in graue damnum Reipublicæ, vel innocentis, poſſumus, & tenemur detegere. ibid.5

Si ſecretum nobis commiſſum non cedit in damnum alterius, non poſſumus illud detegere Prælato, vel alteri maioti ptæcipienti. ibid.

Secretum nobis commiſſum, etiamſi vergat in dãnum alterius, ſi firmiter, & certò credimus per noſtrã priuatam diligentiam, damnum impediendũ fore, non poſſumus licitè illud Prælato, vel iudici præcipienti detegere; imò tunc eſſet peccatũ illud apetire. ibid.6

Secretum quod vergit, ſi detegatur, in grauem perniciem communitatis, puta Reipublicæ, exercitus, &c. ſeruare tenemur, etiamſi tormenta pateremur, & mortis periculum ſubitemus. ibid.7

Confeſſionis ſigillum numquam eſt reſerandum, præterquam in vnico tantùm caſu, nempè quando qui confeſſus eſt, ad hoc dederit facultatem; oportet tamen, quòd pœnitens verè confiteatur peccata ſua, non enim ſufficit dicere: Hoc tibi dico in confeſſione, etiamſi genibus flexis, & ſigno Crucis, fronte ſignata, id faciat abſque propoſito confitendi peccata, & abſolutionem accipiendi. ibid.8

Confeſſarius iure diuino tenetut ad ſigillum confeſſionis, eſt enim ſpeciale ius diuinum de ſigillo confeſſionis ratione finis. 2.169.9

Nec Pontifex, nec tota Eccleſia poteſt diſpenſare, vt ſigillum confeſſionis reoeletur, non ſolùm de peccatis mortalibus, ſed etiam nec de venialibus. ibid.

Sacerdos etiam metu mortis non poteſt frangere fidem ſigilli confeſſionis; imò potiùs tenetur ſubire mortem, quàm audita in cõfeſſione reuelare. ibid.10

Non ſolùm iure naturæ, & diuino ad ſigillum confeſſionis ſeruandum tenentur Confeſſarij, verùm etiam Eccleſiaſtico. ibid.11

Confeſſor, qui perfringit confeſſionis ſigillum, duo lethalia peccata committit, vnum contra iuſtitiam, alterum contra Religionem, éſtque ſacrilegium contra rem ſacram. ibid.12

Non oritur obligatio ſigilli confeſſionis, quando quis ſcienter manifeſtat laico, vel Clerico, quem manifeſtans nouit non eſſe Sacerdotem, ſua peccata, vel aliquid aliud, etiamſi credat ex tali manifeſtatione oriri obligationem ſigilli confeſſionis, etiamſi dicat, Hoc tibi dico ſub ſigillo confeſſionis, non tamen propterea eſt ſigillum confeſſionis, ſed ſigillum ſecreti humani, etiamſi alter affirmet ſe illud recipere ſub ſigillo confeſſionis. 2.170.2

Si quis aliquid Sacerdoti dicat genibus flexis, præmittendo etiam confeſſionem generalem, ſi id duntaxat faciat cauſa detegendi illud ſecretum, non exurgit inde vinculum ſacri ſigilli cõfeſſionis. ibid.

In his duobus caſibus præcedentibus ſolùm oritur obligatio ſeruandi ſecretum naturale, vt dixi. ibid.3

Si verò crimen commendatum alicui ſub ſigillo ſecreto non pendet in futurum, & ſolùm inquiritur à iudice, vt puniatur delictum commiſſum, ne illud maneat impunitum; tunc vocatus ad iudicium, & interrogatus à iudice, non eſt obligatus ad illud detegendum, ſiue iudex procedat per accuſationem, vel denuntiationem, ſiue per inquiſitionem. ibid.

Qui ſe finxit Sacerdotem, & ob talem fictionem cauſa fuit, quòd pœnitens manifeſtauit ſua peccata, tenetur ad obligationem ſigilli. ibid.4

A fortiori tenetur ad ſeruandum ſigillum Sacerdos, qui non eſt expoſitus, & pœnitens confitetur ei, exiſtimans quòd habet iuriſdictionem. ibid.

Si pœnitens ſcit Sacerdotem nullã habere iuriſdictionem, cõfitetur tamen ei, vt poſtea petat iuriſdictionem antequam abſoluat; talis Sacerdos tenetur ad ſeruandum ſigillum confeſſionis, etiãſi de facto non petatur iuriſdictio, neque ſequatur abſolutio. 2.171.5

Confeſſarius tenetur etiam ad ſigillum confeſſionis, quando dubitat an aliquid ſibi reuelatum fuerit per ordinem ad confeſſionem. ibid.6

Sacerdos tenetur obligatione ſigilli ad ea reticenda, quæ in confeſſione audiuit, etiamſi pœnitentem ob aliquem defectum non abſoluerit. ibid.7

Quoties pœnitens propoſitum committendi aliquod peccatum Cõfeſſario manifeſtat animo ſe accuſandi, ſeu per modum accuſationis coram Deo, tunc illud ptopoſitum cadit ſub ſigillo confeſſionis. ibid.8

Parochus qui in confeſſione nouit aliquod impedimentum

mentum ad matrimonium contrahendum tenetur huiuſmodi impedimentum ſub ſigillo confeſſionis reticere,conſequenter non poteſt pœnitenti matrimonium denegare quem in confeſſione nouit obſtrictum eſſe impedimento dirimente. ibid.7

Si quis verò nouit inter volentes contrahere impedimentum, quantumuis ei ſub ſecreto committatur, extra tamen confeſſionis ſigillum,poteſt,& tenetur illud manifeſtare. ibid.

Sub obligatione ſecreti confeſſionis includuntur non ſolùm peccata mortalia, & venialia, verùm etiam eorum circumſtantiæ neceſſariò, vel voluntariè confeſſæ, & quodcumque aliud, quod licèt peccatum non ſit,eſt tamen tale,per quod detectum directè,vel indirectè, in genere, vel in ſpecie detegitur eum, qui confeſſus eſt aliquod mortale,vel aliquod particulare veniale admiſiſſe,etiamſi leuiſſimum foret,& peccaret mortaliter Confeſſarius pœnitentis leuiſſimum peccatum veniale auditum in confeſſione reuelando. ibid.10

Si Confeſſarius aliunde nouerat peccatum,quod audiuit in confeſſione, poteſt extra confeſſionem de eo loqui eo modo, quo antea, ſiue poſt confeſſionem, illud nouerit. ibid.11

Sacerdos ex vi ſigilli confeſſionis non tenetur ad occultanda bona,& virtutes pœnitentis,ſed ſolùm tenetur ex vi ſecreti naturalis iuxta intentionem pœnitentis. 2.172.12

Ea igitur omnia cadunt ſub ſigillo confeſſionis, quæ manifeſtata ſunt Sacerdoti per ordinem ad confeſſionem ſacramentalem factam animo ſe accuſandi coram Deo. ibid.13

Non ſolùm Confeſſarius tenetur ad ſacrum ſigillum confeſſionis ſeruandum,ſed etiam hi omnes, qui ſiue caſu,ſiue ex malitia, ſiue ex neceſſitate confitentem ſua peccata audiunt. ibid.2

Strictiſſimè,& propriè ſolus Sacerdos tenetur ad ſigillum confeſſionis. 2.173.3

Alij verò,propriè loquendo, directè, & ſtrictiſſimè ſigillum confeſſionis non habent,ſed indirectè,& reductiuè,tenentur ad ſigillum confeſſionis. ibid.

Habentes ſigillum confeſſionis,ſiue directè,& propriè vti Sacerdos,ſiue reductiuè, & indirectè, vt alij reuelantes audita in confeſſione, ne dum peccant contra virtutem fidelitatis, ſed etiam contra virtutem Religionis. ibid.4

Quando pœnitens aliquis ſponte ſine vlla neceſſitate adhibet aliquos præter Confeſſarium, quibus audientibus confitetur, hi non obligantur ad ſigillum confeſſionis,neque directè,neque indirectè. ibid.5

Hi verò, qui ex neceſſitate, vel caſu aliquo præter intentionem pœnitentis confeſſionem audiunt, tenentur indirectè ad ſigillum confeſſionis. ibid.

Is cui Confeſſarius ex venia pœnitentis audita in confeſſione legitimè reuelauit,tenetur etiam ſub ſigillo confeſſionis non reuelare manifeſtata ſaltem indirectè. ibid.6

Superiores obligantur ad ſigillum, quibus Confeſſarius aliquid in confeſſione auditum aperuit, vt facultatem abſoluendi à reſeruatis obtineret. ibid.7

Superior verò rogatus,vt det veniam abſoluendi à caſu reſeruato, ſiue ipſemet pœnitens hanc per ſe petat,vt poſſit ab eo abſolui:ſiue ipſe Confeſſario extra confeſſionem dixit, vt eam facultatem peteret, ſolùm tunc ad naturale ſecretum ſeruandum, non autem ad ſigillum confeſſionis tenetur. ibid.

Probabilius tamē videtur dicendū Superiorem, à quo petitur facultas abſoluēdi certam perſonā à caſibus reſeruatis,ſiue id fiat per pœnitentem,ſiue per Confeſſariū, ex venia pœnitentis teneri ad ſigillū. ibid.

Si aliquis bona fide alicui amico non Sacerdoti narrat aliqua ſua peccata, qua ratione ex poteſtà debeat confiteri; hæc narratio non obligat amicum ſæcularem conſultum ad ſigillum confeſſionis,ſed ad ſecretum naturale. 2.174.8

Qui inuenit ſchedulam, ſeu ſcriptum, in quo aliquis ſua peccata ad memoriam ſuæ confeſſionis ſcripſerat,non adſtringitur ad ſigillum confeſſionis. ibid.9

Tenetur tamen is ad ſecretum naturale,qui chartam reperit, in qua expreſſa erant alicuius peccata per ordinem ad confeſſionem. ibid.

Imò qui ſcriptum inuenit,in quo peccata alicuius continentur,grauiter peccat,ſi aliquid in eo legat,poſtquam nouerit in eo contineri peccata. ibid.

Iudex Eccleſiaſticus, ſiue ſecularis, qui legit repertam paginam, in qua deſcripta continebantur peccata pœnitentis, non poteſt de huiuſmodi peccatis inquirere ſi non vergunt in damnum publicum,vel in nocumentum tertiæ perſonæ imminens in futurum: ſed debet ea perpetuo ſilentio tegere. ibid.10

Iudex ſiue laicus,ſiue Eccleſiaſticus, nequit punire delictum etiam grauiſſimum cognitum per iniquam reuelationem confeſſionis. ibid.11

Conſequēter ad ea,quæ dicta ſunt,iudex ſæcularis,ſiue Eccleſiaſticus, qui bona fide incipit in aliqua cauſa procedere,cùm primùm certè ſciuerit, cognitionem ex ſola confeſſione ſacramentali fuiſſe certam, ceſſare debet,& facta omnia pro infectis habere. ibid.

Si Sacerdos ex auditis in confeſſione cognouerit inſigne furtum,aut incendium perpetrandum tali nocte in vrbe,& dixerit ſic iudicibus,Vigilate. tunc iudex vigilare poteſt, & illi obuiare malo, & ſi nefarios tunc comprehenderit, iuxta qualitatem delicti poteſt illos punire. ibid.12

Confeſſarius loquens de auditis in confeſſione abſque manifeſtatione perſonæ,& ſine periculo, vt audientes veniant in cognitionem, vel ſuſpicionem perſonæ, non dicitur frangere ſacrum ſigillum 2.175.2

Si Confeſſarius loquatur de auditis in confeſſione manifeſtando perſonam, vel cum periculo, vt audientes veniant in cognitionem,vel in ſuſpicionem perſonæ, perfringit ſacrum ſigillum. ibid.

Sigillum confeſſionis violat Confeſſarius ſi generatim dicat Titium confeſſum eſſe peccatum mortale, caſum reſeruatum, aut ſi peccatum veniale in ſpecie reuelet. ibid.3

Confeſſarius ſi ita dicat, Caius confeſſus eſt mihi ſua peccata,non violat confeſſionis ſigillum. ibid.4

Sigillum licèt non violetur ſi Confeſſarius nulla nominata perſona generatim dicat ſe audiuiſſe in confeſſione peccatum adulterij,furti,ſacrilegij, &c. cōſultiſſimum tamen eſt omninò tacere,& de peccatis in confeſſione auditis mentionem nonquam facere, niſi ob cauſam magnæ vtilitatis,vel conſilij capiendi à viro docto,& tunc cum tali cautione, vt in perſonæ notitiā nullo modo deueniri poſſit.2.176.init.

Probabile eſt non frangi ſigillum confeſſionis, quando Confeſſarius dicit,Nondum abſolui Petrum, interrogatus de abſolutione eiuſdem. ibid.5

Probabilius tamen dicendum eſt Confeſſorem interrogatum de abſolutione alicuius, ſi dicat, Non abſolui eum,frangere ſigillum confeſſionis. ibid.

Confeſſarius, qui duarum, aut trium perſonarum confeſſionibus auditis,de vna illarum ſic loquitur:Hæc nullum peccatum mortale habuit, ſacrum ſigillum confeſſionis indirectè infringit. ibid.6

Idem facit Confeſſor, qui confeſſione pœnitentis audita ſtatim cōſulit virum doctum præſentem,à quo quid agendū ſit in aliquo caſu cōfeſſionis quærit,& accepto conſilio illico redit, vt eum abſoluat. ibid.

Confeſſarios tenetur ſchedulam,& atteſtarioo em confeſſionis præbere illi,quem ob indiſpoſitionem,vel ob aliam cauſam non abſoluit, vt ſi audiuit famulos alicuius Principis, qui factæ confeſſionis teſtimonium inquirere conſueuit. ibid.7

Neque Confeſſarius in tali caſo mendacium committit. ibid.

Si verò aliquis ſimulato animo ad confeſſionem accedat,puta quia hæreſim,qua adhuc infectus eſt,abiurare nolit, ſolúmque pœnæ, aut infamiæ cuiuſdam vitandæ cauſa ad ſactam Synaxim accedere cupit, tali Confeſſarius negare debet ſchedulam teſtimonij,ne eius petnicioſæ ſimulationi cooperetur. ib.8

Narrare peccata etiam mortalia audita in confeſſione, quando nullo modo deueniri poteſt in cognitionem perſonæ,non eſt contra ſigillum;nec ſi dicatur, in aliqua ciuitate,vel tali loco,expreſſo nomine loci, vbi cooſtat Confeſſarium narrantem audiuiſſe multorum confeſſiones, fiunt grauia peccata, vel ſunt multi ſodomitæ; vel ſi de certa Religione in genere dicatut, vendi officia, vel ſolitum fieri tale, vel tale crimen. Caueodum tamen eſt ab huiuſmodi narrationibus, etiam quando nollius in particulari ſuſpicio eſſe poteſt. ibid.9

Confeſſarius non peccat peccatum reuelationis confeſſionis ſi dicat eſſe Religioſum,qui tale peccatum graue confeſſus eſt. 2.177.19

Si quis dicat Religioſum talis Religionis, vel cœnobij, de quo habetut optima exiſtimatio, ea in patte inuentum eſſe cum meretrice, vel aliquid ſimile commiſiſſe,quod Religionem, vel cœnobium infamet, peccat mortaliter. ibid.

Peccat mortalitet, qui totam aliquam Religionem, Monaſterium,aut domum infamat, v.g. dicendo, in tali Religione,vel Monaſterio non eſſe obſeruationem,vel quòd malè viuitur,vel ſimoniam,vel ſodomiam exerceri,&c.niſi id aliàs eſſet notoriū.ibid.11

Si quis geoeraliter dicat, In hoc oppido, loco, Republica,ſunt omnes improbi,peccat mortaliter. ibid.

Directe reſpondens quæſito, vnicus caſus eſt quo ratio,& obligatio ſacramentalis ſigilli, ceſſat ſi pœnitens Confeſſatio licentiam det loquendi de peccatis ſuis,ſiue cotam ſe ipſo,ſiue coram aliis. ibid.12

Si error, ſiue defectus à Confeſſario in ipſa confeſſione commiſſus,eſt neceſſatiò corrigendus,tunc Confeſſarius debet pœnitentem conuenire,& ab eo petere facultatem, vt cum ipſo loquatur de confeſſione præcedenti, quod ſi dare renuat, quamuis illam teneatur conferre,imputet ſibi pœniteos, & Confeſſarius non teoetur pœnitente inuito reuelare errorem. ibid.13

Non eſſe improbabile aſſerere quòd Confeſſarius etiā inuito pœnitente poſſit aperire eidem pœnitenti errorem, ſiue defectum commiſſum in confeſſione neceſſariò corrigendum,ſi ita corrigi poſſit. ibid.

Aſſertum præcedens exiſtimo eſſe ſatis probabile,ſi error, vel defectus commiſſus in confeſſione neceſſariò eſt corrigendus in commodum alicuius tertiæ perſonæ. ibid.

Confeſſorem non eſſe reum fractionis ſigilli ſi admoneat hæredes pœoitentis, iuxta præceptum pœnitentis. 2.178.14

Confeſſarius ex ſcientia in confeſſione habita non poteſt admonere Epiſcopum, vel Prælatum Monaſterij,vel alium,qui peccata impediat, ſi periculum ſit vt delinquens aliqua ratione cognoſcatur. ibid.15

Ex ſuprà dictis patet eſſe maximam differentiam inter ſigillum confeſſionis,& ſigillum naturale. ibid.16

Confeſſarius, qui in confeſſione nouit aliquem non eſſe Sacerdotem, poteſt abſtinere à confeſſione illi facienda, quamuis conſueuiſſet illi, quem per confeſſiooem oouit non eſſe Sacerdotem, ſua peccata confiteri. 2.179.2

Sacerdos qui per confeſſionem nouit vinum ad Miſſam dicendam paratum eſſe veneno infectum, poteſt Miſſam prætermittere. ibid.3

Si plures in oecem Sacerdotis conſpirarunt, quorum vnus pœoitẽtia ductus eidem Sacerdoti malignum hoc propoſitum confitetur, in tali caſu Sacerdos vitæ ſuæ conſulere poteſt fugiendo; tamen ſi certus ſit ſocios conſpirationis exinde in ſuſpicionem, vel cognitionem venturos, quòd ille tertius peccatum illud ſuum confeſſus fuerit. ibid.4

Conſequenter ſi Confeſſarius hominem ob publica latrocinia motte damnatum apud alios commendet,quòd benè de peccatis ſuis confeſſus fuetit,nullo modo violat ſigillum confeſſionis. ibid.5

Similiter ſi Confeſſarius pluties accedens ad hominem,qui domi ſuæ concubinam alit,illum ad emendationem hortetur,denique eius confeſſionem excipiat,& ad ſactum epulum admittat,profectò concubina hinc apettè colliget hominem illum peccatum fornicationis confeſſum fuiſſe, non tamen tunc talis Coofeſſarius dicitur violare ſigillum confeſſionis. ibid.6

Si ex fuga Sacerdotis,de quo io dubio, pœnitenti periculum immineret,ne à ſociis propterea occidatur, nihilominus eum abſolutè fugere poſſe dicimus, quia id agendo ſigillum ſacrum noo violat. 2.18c.7

Si Sacerdos nouit in confeſſione ſequenti nocte conueniſſe quoſdam latrones, vt domom amici diripiant,& illum occidant,nec aliter malum impedire poſſet,licebit vti notitia confeſſionis, & alios amicos inuitare, vt tota nocte ludat cum aliis in domo amici,quamuis inde ſequatur, vt qui malum intentat, comprehendatur in delicto. ibid.8

Si pœniteos occaſiooe fugæ, occidatur ab inſidiatoribus, Sacerdos fugiens non incorret irregularitatem. ibid.9

Sacerdos, qui ex confeſſione nouit ſuum famulum furem, non poteſt ex ſola ſcientia confeſſionis ipſum dimittere. ibid.10

Ratione ſigilli ſacramentalis propriè,& ſtrictè accepti obligari Sacerdotem magis principaliter ne confeſſionem peccati reuelet iis, quibus ignotum eſt; ratione verò eiuſdem ſigilli amplè accepti obligari etiam Sacerdotem, quamuis non tam grauiter, vt peccatum ex ſola confeſſione cognitum etiam coram ipſo pœnitente, aliiſque perſonis illius notitiam habentibus, occultatum ſeruet, obligat; item ratio ſigilli ſacramentalis, ne Sacerdos propter acceptam ex confeſſione notitiam, quicquam agat quod confitenti graue ſit,eique damnum,& incommodum inferat,atque conqueri,& à ſacramento deterreri poſſit. 2.181.2

Confeſſarium non poſſe denegare ſuffragium, aut electionem ad beneficium pœnitenri, qui exteriùs communi hominum opinione probus exiſtimatur, licèt ipſum cognoſcat per confeſſionem improbum, & indignum. ibid.3

Prælatus ſubditum, quem ex ſola ipſius ſacramentali confeſſione ſcit officio ſuo non rectè fungi,inde remouete non poteſt; etiamſi abſit omne periculum aliis reuelandi, vel in ſuſpicionem adducendi defectum pœnitentis,cùm tale ſit officium à quo Prælatus arbitratu ſuo aliquem amouete poſsit, ac ſoleat. ibid.4

Generaliter Sacerdos notitia ex ſola cōfeſsione comparata, vti non poteſt in externa gubernatione, præcipuè ſi ex notitia confeſsionis aliquid fiat,

quod

quod confitentium honori, vel commodis aliquo modo præindicet: & ſic Epiſcopus hominem, quem ex ſola confeſsione ſcit irregularem, à ſacris Ordinibus clanculum remouere non poteſt, & Parochus ſacramenta Euchariſtiæ, Extremæ vnctionis, aut Matrimonij aſſiſtentiam, occulta cauſa denegare non poteſt iis, quorum impedimentum ex ſola ſacramentali confeſſione cognitum habet. ibid.5

Satis probabile Sacerdotem poſſe vti notitia comparata ex ſola confeſſione, ſi nō fiat aliquid, quod honori, & commodis confitētium præiudicet: tali caſu non eſſe prohibitum notitia confeſſionis vti, vel adiuuari, etiam ſine cōſenſu pœnitētis, præſertim ſi is rogatus conſentire nolit, cùm tamē debeat. a.182.6

Simili modo, ſi pœnitens confiteatur Sacerdoti ſe cum pluribus conſpiraſſe ad ipſum occidendum, vel aliqood maximum damnum Monaſterio inferendum; poſtea verò ipſemet confitens, vel alius enſem, aut ſimilia inſtrumenta petat, poteſt Sacerdos denegare ſi abſit omne periculum reuelandi peccatum. ibid.7

Laudabilius eſſe in huiuſmodi caſibus, in quibus imminet periculum, peccatorum petere licentiam ab ipſo pœnitente, antequam abſoluatur. ibid.

Sacerdos reuelando complicem peccat contra ſigillum confeſſionis. a.183.2

Complex non poteſt concedere facultatem Confeſſario, vt de peccato ipſius cum ipſomet complice loquatur. ibid.3

Sacerdos ſciens per confeſſionem Titij ipſum cum Platone peccaſſe, qui poſtea eidem Cōfeſſario confitendo non dicit, poteſt ipſum Platonem de hoc peccato in genere interrogare, licèt dicere non poſſit, quòd alius ſibi reuelauerit, & etiam in ſpecie poteſt Platonem interrogare, quando non inſurgit ſuſpicio probabilis de confeſſione alterius. ibid.4

Si Confeſſarius non ex confeſſione complicis, ſed extra confeſsionem ex aliorum fideli relatione peccatum pœnitentis cognouit, non ſolùm generatim, ſed etiam examinare poteſt, imò etiam debet; negantēm tamen abſoluere debet. ibid.5

Si verò Confeſſarius commiſsi, ac nondum per confeſsionem expiati peccati notitiam manifeſtam habet, eámque extra confeſsionem accepit, vtpote quia oculis ſuis vidit paulò antè furantem, vel auribus audiuit blaſphemantem, atque adeò conſideratis omnibus circumſtantiis animaduertit, qui peccatum illud negat non eſſe diſpoſitum, tunc abſolutionem illi negare debet. ibid.

Si Confeſſarius ex audita vnius complicis confeſsione videt Petrum, quem ſcit fuiſſe alterius complicem, non fateri id mortale; roget cautè in generali ſine illius complicis nominatione, vel etiam ſpeciatim ſi tale peccatum ſit, de quo aliàs eiuſdem conditionis perſonas interrogare ſolet. ibid.

Quamuis Sacerdos certò ſciat delictum pœnitentis extra confeſsionem, vtpotè, quia ſuis oculis illum videret furantem, vel ſuis auribus audierit blaſphemantem, & etiam manifeſtè cognoſcat non fuiſſe alteri Confeſſario de tali peccato confeſſum, ſi conſideratis omnibus circumſtantiis non certò nouit pœnitentem non eſſe diſpoſitum, poteſt, imò debet, illum abſoluere. ibid.6

Sigillum confeſsionis licèt directè non ſe extendat niſi ad illa, quæ directè ſunt materia confeſsionis ſacramentalis; indirectè tamen etiam ſe extendit ad omnia illa, quæ ſi explicentur, manifeſtari poteſt perſona pœnitentis. a.184.2

Magis explicando aſſertionem primam, & ſecundam dubij præcedentis, cadit ſub ſigillo confeſsionis ſocius criminis cuius perſonam Confeſſarius cognouit ex confeſsione pœnitentis. ibid.3

Nullo modo poteſt Confeſſarios accedere ad complicem criminis, vt illum corrigat de delicto, cuius notitiam habuit in ſola confeſsione; & oppoſitum faciens eſſet reuelator confeſsionis confitentis. ibid.4

Quamuis ſit probabile, quòd quando aliquis fecit aliquod peccatum, quod non poteſt hîc, & nunc confiteri niſi detegendo perſonam complicis, quæ nota eſt Confeſſario, licitum eſſe tunc alieni peccati mentionem facere in ſua confeſsione, & indirectè explicare complicem quatenus eſt neceſſarium ad integritatem confeſsionis. ibid.5

Nunquam tamen licitè poteſt Confeſſarius exigere à pœnitente, vt ſibi reuelet in confeſsione perſonam complicis ad hoc ſolùm quòd talis perſona corrigatur. ibid.6

Neqoe etiam ipſi pœnitenti eſt licitum tertiam perſonam deliquentem in ſacramentali confeſsione Sacerdoti detegere ad finem correctionis fraternæ, vel denunciationis iudicialis, vel ad bonam gubernationem communitatis. a.185.7

Non tamen confitens dare poteſt veniam, vt de peccato alterius complicis audito in confeſſione, loquatur Sacerdos extra confeſsionem cum eodem complice, vel cum aliis. ibid.

Quando pœnitens tenetur præcepto correctionis fraternæ corrigere eum, quem nouit eſſe in peccato mortali, quotieſcumque fuerit ſpes quòd ille emendabitur, vel tenetur ad denunciationem complicis, vt bono communi prouideat: ſi Sacerdos in confeſsione hoc nouerit, nec poteſt, nec debet illum abſoluere niſi proponat, & promittat procedere ad correptionem, vel ad denunciationem. ibid.8

Quòd ſi per ſe ipſum pœnitens non poteſt, vel neſcit procedere ad prædictas actiones, debet extra confeſſionem palàm facere deliquentem vel Confeſſori, vel alteri, qui poſſit, & ſciat corrigere, vel denunciare, vel bono communi prouidere. ibid.

Regulariter tamen loquendo periculoſum eſt, vt Sacerdos exigat à pœnitente, vt dicat ſibi extra confeſſionem quænam ſit perſona complicis, vt ipſe Confeſſarius procedat ad prædictas actiones. ibid.9

Quòd ſi res ipſa in tales anguſtias redacta ſit vt nulla alia perſona inueniatur idonea ad tales prędictas actiones, niſi ipſe ſolus Sacerdos, tunc non repugnat ſecreto confeſſionis, vt Confeſſarius obliget pœnitentem, vt ſibi reuelet extra confeſſionem tertiam perſonam corrigendam. ibid.

Cauſæ excuſantes ab integritate Confeſsionis.

Pœnitens ob ignorantiam, vel obliuionem naturalem excuſatur ab integritate confeſſionis. a.71.2

Excuſatur pœnitens ab integritate confeſſionis, cui Sacerdos ſubitò contulit abſolutionem, antequam pœnitens integrè ſua fateretur peccata: ſatisfaciet poſtea hic pœnitens exprimendo poſtea in alia confeſſione peccata, quæ in præcedenti per accidens, & inculpabiliter non expreſſit; nec tenetur iterum priora peccata per ſe ritè confeſſa repetere. ibid.3

Excuſatur ab integritate confeſſionis Confeſſarius qui culpam erroris à ſe facti in alterius abſolutione, non poteſt integrè confiteri, niſi reuelans alteri Confeſſario peccatum alterius auditū in confeſſione. ibid.4

Mutus, aut vir ignoti idiomatis, ſi tempore præcepti explicet quod poteſt, abſoluendus eſt. ibid.5

Sicuti muti, & ſurdi, qui in confeſſione nequeunt ſe ſatis explicare per nutus, & ſigna, ſoliti ſunt confiteri, eo modo quo poſſunt. ibid.

Quando multi ſimul confitentur in aliquo periculo, vel articulo mortis conſtituti, ſatis eſt vt Confeſſarius omnibus dicat, Ego vos abſoluo. ibid.

Quando ægrotus patitur paroxiſmos, & adeſt periculum quòd decedat abſque abſolutione, Confeſſarius non debet expectare integram omnium peccatorum confeſſionem; ſed audito vno mox poteſt, & debet illum abſoluere. 1.72.6

Si pœnitens inchoata confeſſione ob probabilem mortis metum abſoluatur antequam integram, & perfectam faciat confeſſionem, ſed poſtea obtenta abſolutione, ſtatim non moritur, debet ſi per tempus illi concedatur, proſequi confeſſionem, vt integrè ſua peccata fateatur. ibid.

Quando infirmus laborat morbo contagioſo, & Confeſſarius non poteſt ipſum etiam à longè abſque periculo audire diutiùs immorando in peccatis audiendis, poteſt auditis aliquibus peccatis abſolutionem ſtatim impendere. ibid.

Iuuenis, ſeu fœmina ſi confitendo peccatum aliquod timeat Confeſſarium ſcandalizandum, aut ſe ab eo ſollicitandam, tenetur abſtinere à confeſſione talis peccati, ſi non habet copiam alterius Confeſſarij, & adſtringitur ad confeſſionem faciendam ratione vitandi ſcandali, quod probabiliter timetur ex dilatione, aut omiſsione confeſsionis. ibid.7

Eadem ratione dicendum eſt, ſi pœnitens timeat probabiliter Confeſſorem non ſeruaturum ſigillum, & ex confeſsione talis peccati, vel circunſtantiæ infinitè aggrauantis ſumpturum occaſionem ad infamandum proximum, nec teneor, nec licitè poſſum tale peccatum, & circunſtantiam explicare in confeſsione, propter eandem rationem. ibid.

Si Parochus, vel alius Confeſſarius, cui pœnitens ſua peccata confitetur, habiturus ſit in futurum prauam de pœnitente opinionem ob peccatum aliquod graue in confeſsione auditum, non poteſt tunc pœnitens dimidiare confeſsionem tale peccatum mortale reticendo. ibid.8

Licèt pœnitens poſsit in confeſsione reticere aliquod peccatum, vel circunſtantiam in infinitum aggrauantem, quando ex illius manifeſtatione probabiliter timet ſibi, vel alteri extra confeſsionem graue periculum grauis infamiæ, vel alterius ſimilis incommodi temporalis, vel ſpiritualis: ſi tamen tantùm dubitat, aut leuiter ſuſpicatur tale periculum, non poteſt illud tale peccatum, vel circunſtantiam reticere in confeſsione. ibid.

Ad euitandum aliquod graue detrimentum proprium, vel alienum, licet, vt diximus præcedentibus aſſertionibus, omittere in confeſsione aliquod graue peccatum mortale, vel circunſtantiam mutantem ſpeciem. Imò quotieſcumque occurrit præceptum confeſsionis, ſi non habet homo copiam alterius Confeſſarij, cui integrè abſque tali periculo poſſit confiteri, tenetur ſic confiteri, ſiue præceptum ſit diuinum, ſiue Eccleſiaſticum, vt in articulo mortis, & quando vrget neceſsitas confeſsionis, & etiam in confeſsione annuali. ibid.

Idem dicendum, quando eſt neceſsitas ſuſcipiendi Euchariſtiam, aut aliud quodcumque ſacramentū. ibid.

Similiter quando eſt neceſsitas faciendi Sacrum, & ſine graui ſcandalo, aut alio incommodo prætermitti id non poteſt. ibid.

Quando eſt neceſsitas vitandi aliquam infamiam propriam, vel aliud ſimile incommodum, quod quis timet, niſi confiteatur eo modo quo poteſt, tunc licèt ſit ſufficiens ratio, vt homo poſsit licitè ſic confiteri, quia præceptum integritatis confeſsionis obligat quoties ſeruari poteſt abſque graui incommodo; non tamen obligatur ſaltem ſub mortali ſic confiteri. 2.73.9

Secus autem dicendum eſt ſi ſcandalum aliorum ex dilatione, vel omiſſione confeſſionis probabiliter timeatur. ibid.

Idem dicendum ſi ex manifeſtatione alicuius peccati in confeſsione, vel circunſtantiæ infinitè aggrauantis, aliquod graue damnum, vel incommodum aliis obueniret. cùm ex charitate teneamur ſcandalum, & graue alienum damnum euitare. ibid.

Licèt confeſsio non ſit in præcepto, nec ſcandalum ex dilatione, vel omiſsione confeſsionis probabiliter timeatur, eſt tamen magna vtilitas Confeſſoris, vt ſi illa occaſio non confitendi aliquod peccatum mortale duret per aliquot menſes, tunc licèt non ſit præceptum, vel ſcandalum, melius eſt ſic confiteri, quàm differre confeſsionem. ibid.10

Quando poſt breue tempus ſperatur commoditas alterius Confeſſarij, integréque confitendi, debet homo differre confeſſionem. ibid.

Pœnitens, qui vnum ſolum habet peccatum mortale, de quo probabiliter, ſi in confeſsione illud explicet, timet graue periculum, vel incommodum, ſi præter illud peccatum mortale habet alia venialia, ſi currit præceptum diuinum, vel Eccleſiaſticum annuæ confeſsionis, vel ſumendi Euchariſtiam, vel eſt maxima neceſsitas Sacrum faciendi; tenetur peccata venialia confiteri, tacito peccato mortali, de quo graue periculum timet. ibid.11

Cùm quis habet vnum ſolum peccatum mortale, ex cuius confeſsione timet periculum; ſi præter illud peccatum mortale habet peccata venialia, per ſe loquendo, ante Sacrum faciendum, vel ante ſumptionem Euchariſtiæ, non tenetur confiteri de venialibus, vt indirectè ſaltē abſoluatur ab illo mortali. ibi.

Per accidens tamen fieri poteſt, vt communicaturus, vel Sacrum facturus, teneatur præmittere confeſſionem venialium, tacito illo peccato, de quo timet graue incommodum: vt ſi accederet huiuſmodi communicaturum, vel Sacrum facturum non exiſtimare ſe eſſe contritum, ſed tantùm attritum; tunc teneretur non communicare, nec Sacrum facere, niſi vel ad probabilem exiſtimationem ſuæ contritionis perueniret, vel priùs confiteretur illa venialia tacito mortali, quod non poteſt propter periculum in confeſsione explicare. ibid.

Quando occurrit præceptum annuæ confeſsionis, tenetur homo confiteri de venialibus, ſi non habet aliud mortale, tacito illo lethali commiſſo, de quo timet graue incommodum. ibid.

Sacerdos celebraturus ex neceſſitate, & quicumque pro euitando ſcandalo Euchariſtiam ſumpturus; ſi habet peccata mortalia non reſeruata, & præterea aliqua reſeruata, ſi habeat copiam Confeſſarij habentis facultatem abſoluendi à non reſeruatis, non videtur habere iuſtam cauſam, qua ſe eximat à confeſſione præmittenda, ante ſumptionem Euchariſtiæ, cùm ex iuſta cauſa poſſit directè abſolui à peccatis non reſeruatis, & indirectè à reſeruatis. x.74.13

In caſu præcedentis aſſertionis tenebitur talis Sacerdos celebraturus, vel quiuis alius ex neceſſitate ſumpturus Euchariſtiam, omnia peccata tam non reſeruata, quàm reſeruata, confiteri illi Confeſſario ſolùm habenti facultatem directè abſoluendi à non reſeruatis. ibid.

Sacrum facturus, vel Euchariſtiam ſumpturus ex graui neceſſitate, puta ad euitandum maximum ſcandalum, ſi habet ſolùm vnum peccatum mortale reſeruatum, & aliqua venialia, ſi non poteſt peccatum reſeruatum confiteri Sacerdoti approbato habenti facultatem reſeruatorum, per ſe non tenetur prætermittere confeſſionem venialium, vt directè ab illis abſoluatur, & indirectè ab illo reſeruato. ibid.

Qui

Qui habet iuſtam cauſam reticendi in confeſſione aliquod peccarum, in confeſſione non poteſt plura reticere. ibid. 13

Similiter habens iuſtam cauſam reticendi actum externum, non verò internum. ibid.

Similiter, qui ſolum habet peccatum reſeruatum, poteſt in neceſſitate communicandi confiteri actum internum, & ab eo abſolui; imò tenetur ſi putaret ſe tantùm eſſe attritum vt Sanctum ſanctè ſuſciperet, quamuis pœnitens adhuc retineret obligationem præſentandi ſe coram legitimo Superiore pro reſeruatione. ibid.

Qui peccatum aliquod ex iuſta cauſa conticuit in confeſſione, non tenetur ſtatim oblata opportunitate illud confiteri: quamobrem differre poteſt confeſſionem illius peccati, donec ex vi alterius obligationis iterum confiteri teneatur, quia tunc ſic confeſſus ſatisfecit integritati morali confeſſionis. ibid. 14

Sacerdos, qui vrgente neceſſitate celebrauit non præmiſſa confeſſione peccati mortalia, tenetur quamprimum confiteri. ibid.

Pœnitens præſenti Confeſſario confeſſus non poteſt ab eodem abſente abſolutionem obtinere. 2.75.3

Etiam ſecluſo decreto à Sanctiſſimo Clemente VIII. die vigeſima menſis Iunij 1601. edito, abſolutio ab abſente Sacerdote collata non ſolùm eſt nulla, & in nullo caſu licet, ſed dicere quòd facta teneat, & liceat ſaltim in aliquo caſu, eſt ſententia erronea. 2.76.4

Non poteſt pœnitens per litteras, ſeu internuntium peccata ſua abſenti Sacerdoti ſacramentaliter confiteri. 2.77.5

Pœnitens abſenti Sacerdoti per litteras, ſeu internuntium confeſſus, nullo alio pœnitentis actu intercedente, non poteſt à præſenti Sacerdote abſolui. ibid.

Propoſitio aſſerens quòd pœnitens peccata ſua per litteras, ſeu internuntium abſenti Sacerdoti ſacramentaliter confiteri poteſt, & ab eodem Sacerdote præſente nullo alio pœnitentia actu intercedente abſolui, etiam ſecluſo decreto prædicto Clementis VIII. eſt proxima errori. ibid.

Non poteſt pœnitens morti proximus, quia abſente Sacerdote in præſentia teſtium contritionis ſigna exhibuit, & ſacramentum Pœnitentiæ petiit, ac poſtea ſenſibus fuit priuatus, à ſuperueniente Sacerdote ex relatione teſtium illud ſciente ſacramentaliter abſolui. 2.78.2

Quamuis de iure diuino ſit quòd confeſſio ſacramentalis ſit integra omnium peccatorum mortalium in ſpecie, & omnium circunſtantium, quæ mutant ſpeciem; tamen in caſu neceſſitatis ſi pœnitens vicinus morti vnum tantùm confiteatur peccatum, poteſt ſacramentaliter abſolui: non tamen poteſt abſolui pœnitens vicinus morti, ſi tantùm Pœnitentiæ ſacramentũ petiit, & ſigna contritionis exhibuit. ibid.

Confirmatio.

In Confirmatione ſimiliter commemoratio Sanctiſſimæ Trinitatis eſt de eſſentia formæ illius: *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Amen.* 2.14.6

Vide *Baptiſmus*, rubr. *Baptiſmi Miniſter*, & *Baptizati ſuſceptor.*

Coniugalis actus.

Si fluxus menſtrui ſit præter naturam, præter communem fœminarum conſuetudinem continuò ex morbo aliquo conſurgens, tunc licitus eſt coniugalia vſus. 1.24.2

Vbi menſtruum eſt naturale, quod quibuſdam fœminis tertio quoque menſe accidit, communiter autem ſingulis menſibus, aliis nunquam, tunc abſolutè exigere debitum culpa ſolùm eſt venialis. ibid.

Qui, vel quæ coniux bono fine ducitur ad debitum exigendum, vt gratia vitandi in ſe, vel in altero fornicationem, vel ne ſit illi odio, tunc tempore menſtruorum exigere debitum nullum eſt peccatum, & ſic abſoluendus eſt ſi abſtinere nolit à tali exactione. ibid. 3

Reddere debitum tempore menſtrui naturalis nullum eſt peccatum. ibid.

Coniugatus, ſimiliter coniugata, habens delectationem moroſam circa ſolutam, tenetur in confeſſione exprimere ſe eſſe coniugatum. 2.60.14

Coniugatus qui extra congreſſum coniugalem voluntariè ſecum per pollutionem emittit ſemen, tenetur in confeſſione exprimere ſe eſſe coniugatum. 2.61.15

Quamuis debitum coniugale extra caſum neceſſitatis ſit illicitum & ſacrilegum in loco ſacro exercere, tum ex parte petentis, tum ex parte coniugis reddentis, propter circunſtantiam ſe tenentem ex parte actus. tamen ſi illicitè petitur ob ſolam circunſtantiam petentis, tunc coniux reddens licitè reddit, imò reddere tenetur. 2.67.41

Quando vterque coniux poſt matrimonium vouit caſtitatem, habita priùs licentia; at non mutuo conſenſu, ſed ſeorſum, & independenter ab altero, ſi licentia fuit abſolutè ad vouendum, neutri licet debitum petere propter votum caſtitatis vtriuſque, at vtrique petenti eſt reddendum. ibid.

Quando verò vterque coniux communi conſenſu, & voluntate caſtitatem vouit, tunc neuter ſub culpa mortali poteſt reddere, aut petere debitum. ibid.

Copula illicita habita cum conſanguineis alterius coniugis, minimè impedit debiti petitionem vltra ſecundum gradum. 2.357.11

Tunc inceſtuoſus huiuſmodi priuatur debiti exactione, quando ſemen incidit intra vas, itavt ex ea copula oriatur affinitas. ibid.

Coniux qui poſt contractum matrimonium factus eſt affinis, vel cognatus ſpiritualis alterius coniugis ex ignorantia iuris, vel facti, non priuatur iure petendi debitum. ibid. 12

Ignorantia iuris contingit, quando aliquis accedit ad conſanguineam vxoris, neſciens latam eſſe legem poſitiuam humanam prohibentem acceſſum ad conſanguineam vxoris. ibid.

Ignorantia facti, eſt quando aliquis ſcit latam eſſe legem ab Eccleſia ſpecialiter prohibentem acceſſum ad conſanguineam vxoris, ſed neſcit illam ad quam modò accedit eſſe conſanguineam, & iſte acceſſus non eſſet tunc inceſtuoſus. ibid.

Idem dicendum eſt quando aliquis baptizat proprium filium, neſciens illum eſſe proprium filium, licèt ſciat ex Eccleſiæ ſtatuto contrahi cognationem ſpiritualem baptizando: vtraque hæc ignorantia, & iuris, & facti, excuſat à priuatione exactionis debiti. ibid.

Etiam ignorantia pœnæ excuſat à priuatione iuris petendi debitum, & ſic factus affinis, vel cognatus ſpiritualis alteri, ex ignorantia pœnæ non priuatur iure petendi debitum, licèt fortè habeat ſcientiam iuris, vel facti. ibid.

Inceſtuoſo cum propriis conſanguineis non interdicitur debiti petitio. ibid. 13

Si alter coniux rem habet cum affinibus alterius coniugis, non interdicitur ei debiti petitio. ibid.

Coniux extra neceſſitatem ſciens baptizans, aut tenens tanquam patrinus in Baptiſmo, vel Confirmatione,

matione,communem filium , aut alterius coniugis, priuatur ratione illius cognationis ſpiritualis , nimirum compaternitatis ortæ inter illum,& alterum coniugem iure exigendi debitum. a.358.15

Cooiux verò qui in neceſſitate baptizauit filium communem,aut filium alterius coniugis , non priuatur iure petendi debitum:adeſt autem neceſſitas filium baptizandi , quando noo adeſt alius , qui illum baptizet,& alioquin erat periculum, vt filius diſcederet ſine Baptiſmo , in iſto caſu coniux baptizans filium oon priuatur iure petendi debitum. ibid.

Coniux qui in neceſſitate tanquam patrinus ſuſcepit in Baptiſmo , vel in Confirmatione filium communem , vel alterius coniugis , quando ſcilicet nullus adeſt,qui fungatur munere patrini, ſi ſcienter ſuſcipiat, priuatur iure petendi. ibid.

Verius tamen , & probabilius eſt in caſu neceſſitatis, quando nullus adeſt qui patrinus ſit , ſi parens id munus obeat erga communem filium , aut erga filium ſolius alterius coniugis , non priuari iure petendi debitum. ibid.

Cognatio ſpiritualis eſt quædam perſonarum proximitas proueniens ex ſtatuto Eccleſiæ , ex hoc quòd quis confert ſacramentum Baptiſmi , vel Confirmationis,ſeu tenet,vel ſuſcipit illum, cui tale ſacramentum confertur.Contrahitur igitur hæc affinitas ſpiritualis inter baptizantem,& baptizatum, & inter ſuſceptores,& ipſum baptizatum, ſimiliter inter confirmantem,& confirmatum,& inter ſuſceptores, & ipſum confirmatum , & hæc affinitas dicitur *paternitatis*. Altera eſt *compaternitatis* , quæ contrahitur inter baptizantem,ſeu confirmantem,ac patrem & matrem baptizati, vel confirmati , & inter ſuſceptores cum eiſdem parentibus baptizari,ſeu confirmati. Altera affinitas ſpiritualis *confraternitatis* ceſſauit iure nouo Concilij Tridentini. ibid.16

Cognatio iſta ſpiritualis non contrahitur inter ſuſceptores. ibid.

Iure antiquo cognatio iſta ſpiritualis tres gradus habebat , nempe paternitatem , compaternitatem & confraternitatem , quæ contrahebatur inter filias carnales ſuſcipientis , & ipſum qui ſuſcipiebatur in Baptiſmo,vel Confirmatione,& inter filios carnales baptizantis,vel confirmantis, & ipſum qui baptizabatur,vel illũ, qui ſacro Chriſmate donabatur : imò hæc cognatio ſpiritualis iure antiquo à viro ſuſcipiente in Baptiſmo,vel in Cõfirmatione aliquẽ puerum,tranſmittebatur ad vxorem,& è contra.ibid.17

Vide *Diſpenſatio in actu coniugali.*

Coniux.

Coniux nullitatis matrimonij conſcius ob impedimentum dirimens,ſiue diuino, ſiue humano iure in nullo euentu poteſt reddere debitum coniugi ignoranti , licèt excommunicetur ab Eccleſia, vitæque periculum ſubeat : & conſequenter tanquam indiſpoſitus non eſt abſoluendus ſi in eo matrimonio vult perſeuerare reddendo tantùm debitum , licèt non petat. 1.34.2

Is coniux impedimenti dirimentis conſcius ſi ab Eccleſia excommunicetur,quia debitum negat,non eſt verè excommunicatus coram Deo. 1.35.init.

Teneretur tamen is coniux de nullitate matrimonij conſcius ceſſante incontinentiæ periculo cohabitare cum alio,non ratione præcepti, ſed ratione ſcandali , ſi tale ſequeretur non cohabitando , nec eſſet copia fugiendi in locum vbi ceſſaret. ibid.

Coniux dubitans de matrimonij valore bona fide contracti ante adhibitam diligentiam , ad aſſequendam veritatem tenetur reddere , non tamen poteſt petere. 1.36.2

Coniux dubitans de matrimonij valore bona fide contracti poſt adhibitam ſufficientem diligentiam ad aſſequendam veritatem , licet veritas non innoteſcat , poteſt etiam licitè petere. ibid.

Quando vterque coniux mala fide contraxit matrimonium , dubitans de eiuſdem nullitate , certiſſimum eſt neutrum poſſe petere,nec licitè reddere. ibid.

Quando alter ſolus coniux dubia fide contraxit , alter verò bona fide coniux , qui tali dubio & mala fide contraxit,nullo pacto petere poteſt, tenetur tamen reddere alteri bona fide poſſidenti. ibid.

Coniuges qui mala fide contraxerint dubitantes de nullitate matrimonij , ſi poſtea ſubeſt rationabilis cauſa ad perſuadendum matrimonium valere arbitrio viri prudentis:exiſtente opinione probabili valoris matrimonij,poteſt vterque petere, & reddere, quamuis contrahendo lethaliter peccauerint. ibid.

Vide *Matrimonium.*

Conſuetudo peccandi.

Conſuetudo peccandi eſt neceſſariò fatenda in confeſſione a.69.50

Si verò Confeſſarius iuſta de cauſa pœnitentem interroget de conſuetudine peccandi,vt pœnitentis diſpoſitionem intelligat, pœnitens tenetur conſuetudinem explicare , ſecundùm omnium DD. ſententiam. ibid.

Contritio,& Attritio, pœnitentia actus.

Contritio dupliciter ſumitur ; primò , vt eſt actus virtutis Pœnitentiæ. 2.3.3

Contritio igitur vt eſt actus virtutis Pœnitentiæ eſt dolor perfectus voluntariè aſſumptus propter Deum pro peccatis. ibid.

Secundò , ſumitur contritio , vt eſt pars ſacramenti Pœnitentiæ habens relationem ad alias partes , & ſic eſt dolor perfectus voluntariè aſſumptus propter Deum pro peccatis cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi. ibid.

Licèt contritio ſit ſecundùm ſe actus internus ſpiritualis , & vt ſic præciſè & in recto non ſit pars eſſentialis materialis ſacramenti Pœnitentiæ , quia Sacramenta nouæ legis conſtant ex rebus, & verbis ſenſibilibus:tamen actus contritionis elicitus à pœnitente ante actualem confeſſionem , vel in ipſa confeſſione , vel etiam facta confeſſione , ante tamen abſolutionem, eſt pars eſſentialis materialis ſacramenti Pœnitentiæ. 2.4.7

Contritio ſecundùm ſe,id eſt, ſecundùm ſua principia intrinſeca,& ſpecifica , non habet ex hac parte præciſè quòd ſit pars ſacramenti Pœnitentiæ , id eſt, non eſt de eſſentia contritionis , nec eſt prædicatum eſſentiale illius. ibid.

Ad valorem ſacramenti Pœnitentiæ requiritur dolor formalis. a.10.4

Dolor , pœnitentia , & diſplicentia eſt duplex. Altera *actualis , & formalis* ; quæ eſt quotieſcumque homo habet verum , & actualem dolorem , & diſplicentiam de peccatis commiſſis.Altera verò vocatur pœnitentia,dolor, ſeu diſplicẽtia *virtualis*, quæ non eſt formaliter, & actualiter diſplicentia de peccatis, ſed eſt formaliter alius actus , putà dilectio Dei ſuper omnia,tantæ virtutis,& vis, vt ex eo nata ſit ſequi diſplicentia actualis peccatorum , ita vt ſi tunc occurreret memoria peccatorum ex vi illius actus, ſequeretur eorum formalis diſplicentia, & ſic actus dilectionis Dei ſuper omnia ex charitate procedens dicitur diſplicentia, & dolor peccatorum , virtualis tamen & implicitus.Prima igitur diſplicentia & dolor ad validitatem ſacramenti Pœnitentiæ requiritur ; ſecunda verò diſplicentia & dolor virtualis non ſufficit,vt hoc Sacramentum ſit validum. ibid.

Quamuis

Quamuis homo non teneatur ad confitenda peccata venialia, tamen ſi velit aliqua confiteri, tenetur illorum, quorum intendit abſolutionem obtinere, dolorem formalem habere, vnde confeſſio venialium non eſſet valida, ſi fieret ſine vllo dolore formali, etiamſi pœnitens eliceret in confeſſione actum dilectionis Dei ſuper omnia. ibid.5

Pœnitens, qui multa peccata venialia exponit, in confeſſione eorum tantùm recipit abſolutionem cum effectu, quorum fuit dolor formalis: aliorum verò, quæ ſine tali dolore formali explicantur, minimè. ibid.

Ad valorem ſacramenti Pœnitentiæ, & eius effectum conſequendum non eſt neceſſaria contritio, quæ eſt dolor perfectus de peccatis voluntariè aſſumptus propter Deum cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi. 2.21.2

Ad valorem ſacramenti Pœnitentiæ, & eius effectum conſequendum requiritur attritio vera, & ſupernaturalis, quæ ſic deſcribi poterit iuxta Concil. Trid. quòd ſit deteſtatio peccati, quæ hominem ad gratiam ſuſcipiendam diſponit, ex ſe quidem, & ſolitariè ſumpta remotè, & inſufficienter; cum Sacramento autem, ſufficienter. ibid.3

Licèt dolor & attritio ob fœditatem peccati concepta, ſecundùm quod terminatur ad naturalem peccati turpitudinem, naturalis ſit: tamen ille dolor, & attritio ob fœditatem peccati concepta quatenus ordinatur ab aliis actibus, puta à fide diuina, & à ſpe veniæ peccatorum conſequendæ ad ſuſceptionem ſacramenti Pœnitentiæ ratione iſtius ſupernaturalis & perfectionis ſupernaturalis eſt donum Dei, & ſufficiens diſpoſitio ad valorem Sacramenti, & gratiam conſequendam. ibid.4

Certiſſimum eſt quòd attritio, quæ concipitur ex gehennæ & pœnarum metu, vel ex damno ſpirituali amiſſionis beatitudinis, & gratiæ, vel ex aliquo æterno motiuo, quantùm ad omnia ſit ſupernaturalis, donum Dei, & ſufficiens diſpoſitio nedum ad valorem Sacramenti, ſed etiam coniuncta cum Sacramento ad gratiam conſequendam. ibid.

Etiam attritio, quæ concipitur ex conſideratione naturali turpitudinis peccati ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, indiget auxilio peculiari Dei. 2.21.med.

Etiam dolor, & attritio, qui naſcitur ex timore detrimentorum temporalium, vt timore honoris, infamiæ, mortis, aut iacturæ, & amiſſionis bonorum temporalium, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ peccatorum conſequendæ, ſufficit ad valorem Sacramenti, & ad iuſtificationem. ibid.5

Attritio, quâ quis dolet de peccatis ob timorem pœnæ, triplex eſſe poteſt. Prima eſt, quando homo dolet de peccatis ob timorem pœnæ excitatiuè: quatenus ſcilicet homo timore pœnæ arripit occaſionem dolendi de peccatis, & præſtandi bonum aliquod opus. Secunda eſt, qua quis dolet de peccatis ob timorem pœnæ tanquam ob finem proximum, non excludendo vltimum finem, id eſt, Deum, ad cuius gloriam hoc totum referri poteſt. Tertia eſt, quâ quis dolet ob timorem pœnæ, ſed cum tali affectu, vt ſi pœna non eſſet, non præcaueret peccatum. ibid. 6

Dolor, qui eſt attritio pars eſſentialis materialis ſacramenti Pœnitentiæ, debet eſſe efficax; vt Sacramentum ſit validum, vt videlicet includat voluntatem abſolutam non peccandi in futurum. 2.23.2

Propoſitum implicitum, & virtuale quo quis ita deteſtatur peccata, vt ſi menti occurrerent peccata futura, firmum eliceret propoſitum, & voluntatem abſolutam illa præcauendi in futurum, eſt ſufficiens ad valorem Sacramenti, & ad effectum illius conſequendum. ibid.3

Ad habendum propoſitum efficax, & abſolutum in confeſſione non peccandi ampliùs de cætero, non requiritur quòd pœnitens credat ſe non ampliùs commiſſurum peccata confeſſa. ibid.4

Attritio vera, & ſupernaturalis, etiam vt talis cognita, eſt ſufficiens ad valorem Sacramenti, & ad iuſtificationem cum Sacramento. 2.24.5

Ad Pœnitentiæ ſacramentum ſuſcipiendum non ſufficit actus, quo quis dolet non habere veram attritionem peccatorum. ibid.6

Confeſſio ex attritione humana facta etiamſi inuincibiliter vera, & ſupernaturalis putetur, & exiſtimetur, eſt nulla. ibid.7

Ad valorem ſacramenti Pœnitentiæ, & ad gratiam in hoc Sacramento ſuſcipiendam non ſufficit attritio particularis, ſed requiritur vniuerſalis attritio omnium peccatorum mortalium confeſſorum. ibid.8

Attritio tamen vniuerſalis de omnibus venialibus confeſſis non eſt neceſſaria ad valorem Sacramenti; ſed ſufficit particularis attritio vera de quibuſdam, licèt non de omnibus culpis venialibus confeſſis habeatur. ibid.9

Si contingat confeſſionem fieri cum vera attritione aliquorum peccatorum mortalium, non tamen omnium, quæ in confeſſione dicuntur: ſi talis pœnitens ſciens, & videns, vel ex ignorantia culpabili mortaliter talem attritionem veram omittat confeſſi peccati mortalis, quod eſt materia neceſſaria in ſacramento Confeſſionis, tunc ſacramentum erit inualidum. 2.25.10

Tamen ſi omiſſio illa veræ attritionis omnium culparum lethalium quæ exponuntur in confeſſione, contingat ex ignorantia, & inaduertentia inculpabili, confeſſio non eſt ſimpliciter nulla, ſed abſolutè valida. ibid.

Tenebitur tamen pœnitens iterum confiteri illa peccata, quæ ſine vera attritione in confeſſione patrauit, ſi defectum commiſſum poſtea recognoſcat. ibidem.

Prima contritio, illa ſcil. quæ elicitur ab homine peccatore prioritate naturæ ante iuſtificationem, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam, & remiſſionem peccatorum, non eſt actus elicitus ab habitu aliquo ſupernaturali infuſo, puta ab habitu pœnitentiæ infuſo, vel ab habitu charitatis, ſed ab auxilio ſupernaturali ſupplente vicem habitus pœnitentiæ infuſæ, vel charitatis. 2.26.2

Contritio verò ſecunda, illa ſcilicet, quæ eſt ab homine iuſto in gratia Dei exiſtente, eſt actus elicitus ab habitu pœnitentiæ infuſæ, quæ eſt in voluntate. ibid.

Primus actus contritionis, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam, prior natura intelligitur informis, quàm formatus. ibid.3

Iſte tamen primus actus contritionis, quæ eſt diſpoſitio ad iuſtificationem, licèt priùs natura intelligatur informis, cùm præcedat gratiam ordine naturæ, & phyſicè effectiuè non procedat à gratia, tamen in eodem inſtanti temporis actus ille contritionis, quæ eſt vltima diſpoſitio ad gratiam, intelligi poteſt, & eſt formatus, quatenus intelligitur eſſe hominis grati, & iuſti. ibid.

Actus iſte contritionis vt formatus, vt ſcilicet eſt actus hominis grati, & iuſti, licèt non ſit meritorius gratiæ iuſtificantis, quia cùm hæc ſit principiũ meriti, non

non cadit ſub merito, eſt tamen meritorius, & quidem de condigno gloriæ. ibid.

Contritio, quæ eſt vltima diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem, non includit eſſentialiter formalem diuini amoris actum. a.27.4.

Dum in ſacro Concilio Tridentino dicitur, perfectam contritionem informari charitate, non oportet intelligi de actu formali charitatis; ſed de infuſione gratiæ, & charitatis, per quam formatur contritio. ibid.

Virtute tamen in contritione, & deteſtatione peccati, vt eſt offenſa Dei, includitur votum formalis amoris Dei ſuper omnia, non quidem, quòd neceſſe ſit explicitè habere hoc propoſitum in particulari, ſed implicitè. ibid.

Attritio, quæ eſt dolor imperfectus de peccato, conceptus ex metu gehennæ, & pœnarum, vel ob fœditatem peccati, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ conſequendæ, eſt quidem ſufficiens diſpoſitio ſimul cum ſacramento ad conſequendam gratiam; atqui non eſt actus pœnitentiæ infuſæ; procedit tamen ab auxilio Dei ſupernaturali. ibid.5

Verum tamen eſt, quòd poſtquam aliquis eſt in gratia, etiam attritio producitur ab habitu pœnitentiæ, atque adeò ad illum reduci debet, & pœnitentia ſimpliciter appellari. ibid.

Contritio, quæ eſt dolor perfectus de peccatis, vt ſunt offenſa Dei, ſemper eſt vniuerſalis ſaltem virtualiter de omnibus peccatis mortalibus commiſſis, & nunquam per veram pœnitentiam retractatis. ibid.6

Duobus modis contingere poteſt vniuerſalis deteſtatio peccati, ſcilicet formaliter, vel virtualiter. Formaliter dicitur, quando ad talem deteſtationem antecedit in intellectu recogitatio peccatorum omnium, ſiue illa ſint diſtincta per expreſſam propoſitionem ſingulorum peccatorum, ſiue confuſa, ita tamen vt formalem diſtributionem contineāt, vt cùm quis omnium peccatorum mortalium commiſſorum, & per veram pœnitentiam non retractatorum pœnitet, etiamſi per expreſſam propoſitionem ſingulorum in particulari non fiat in intellectu recogitatio. Virtualiter autem dolor vniuerſalis eſt, quando licèt peccatum, de quo cogitatur, particulare ſit, ratio tamen deteſtandi illud eſt ſufficiens, ad auertendam voluntatem ab omni peccato. a.28.med.

Licèt contritio, quæ eſt dolor perfectus peccati, vt eſt grauis Dei offenſio, ſemper ſit vniuerſalis ſaltem virtualiter de omnibus culpis lethalibus, vt patet ex rationibus allatis duabus præcedentibus aſſertionibus, non tamen ſemper eſt vniuerſalis virtualiter de omnibus venialibus. ibid.7

Contritio tamen venialium virtute continet deteſtationem omnium mortalium. ibid.8

Etiam attritio vera, & efficax, quæ cum ſacramento eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, ſi habet vniuerſale motiuum, eſt virtualiter vniuerſalis omnium peccatorum mortalium. ibid.9

Attritio alicuius peccati mortalis, quæ concipitur ex aliquo motiuo particulari, non eſt vniuerſalis, & conſequenter virtualiter non ſe extendit ad omnia peccata mortalia. ibid.10

Contritio, & attritio ſpecie, & eſſentialiter inter ſe diſtinguuntur. a.29.1

Contritio, dolor, ſeu diſplicentia de peccatis eſt duplex. Altera formalis, & expreſſa, quæ eſt quotieſcumque homo habet verum, formalem, & actualem dolorem de peccatis: altera verò dicitur pœnitentia, & diſplicentia eminens virtualis, quæ non eſt formaliter dolor, & diſplicentia, ſed eſt formaliter alius actus, puta dilectio Dei ſuper omnia, quæ tantæ vis eſt, & virtutis, vt ſi tunc occurreret memoria peccatorum ex vi illius actus, dilectionis ſcilicet Dei ſuper omnia, ſequeretur formalis diſplicentia, & actualis dolor de peccatis. ibid.2

Contritio, dolor, ſeu diſplicentia de peccatis expreſſa & formalis, rurſus eſt duplex. Alius eſt explicitus dolor erga omnia peccata; vt quando quis cogitat de omnibus peccatis, & ſingulis culpis, & de omnibus illis habet formalem dolorem. Alius verò dicitur dolor formalis implicitus, vt quando quis ſciens ſe habere peccata mortalia, vel cognoſcens ſe grauiter, & lethaliter Deum offendiſſe, dolet de omnibus illis in communi. ibid.

Adhuc ille actus doloris formalis explicitus erga omnia, & ſingula peccata recogitata dupliciter poteſt fieri. Primò quando recogitatis omnibus, & ſingulis peccatis, poſtea in communi habeat dolorem vnicum de omnibus. Secundò taliter, quòd ſicut habet ſingulas recogitationes circa ſingula peccata, ita ſimiliter habeat ſingulos dolores, & ſic patet, quòd dolor formalis explicitus, poteſt eſſe magis, & magis explicitus, dum meliùs recogitātur peccata. ibid.

Ad valorem ſacramentalis confeſſionis non ſufficit dolor eminens virtualis de peccatis, ſed neceſſariò requiritur ad eius ſubſtantiam, & valorem peccatorum dolor formalis, & actualis. ibid.3

Ad valorem, & ſubſtantiam ſacramentalis confeſſionis, pro ſingulis peccatis ſingulæ contritiones non requiruntur. a.30.4

Similiter pœnitens accedens ad ſacramentum Confeſſionis, non eſt neceſſe quòd pro ſingulis peccatis ſingillatim ſingulas eliciat deteſtationes. ibid.

Vt ſacramentum Confeſſionis ſit validum, non eſt neceſſe vt pœnitens per contritionem, vel attritionem doleat in ſpecie de omnibus, & ſingulis peccatis, puta vt decem adulteria à ſe patrata, centum furta, mille blaſphemiæ in ſpeciali ſibi diſpliceant, ſed ſatis eſt ſi doleat de omnibus culpis lethalibus in genere, & in communi. Vnde pœnitens qui ſe præparat ad confeſſionem, ſatisfacit ſi ante examen, aut facto examine, aut inter examinandam conſcientiam vnico actu contritionis, vel veræ & ſupernaturalis attritionis deteſtetur omnia ſua peccata in genere & in communi. ibid.

Si quis commiſit periurium, adulterium, furtum, e.g. poſtea præparans ſe ad ſacramentalem confeſſionem, cogitans de ſolo periurio illud deteſtatur ex motiuo vniuerſali, puta propter pœnas gehennæ, licèt hæc attritio formaliter terminetur ad periurium, & virtute ad alia peccata mortalia; nihilominus hic dolor formaliter terminatus ad vnum peccatum mortale, & virtualiter ad alia, non eſt ſufficiens ad valorem ſacramenti. ibid.5

Qui plura peccata commiſit, & actu de illis cogitat, non poteſt formaliter deteſtari vnum per veram contritionem, non ſic deteſtando aliud. Itaque qui actu conſiderat duo peccata lethalia vt habeat veram contritionem, debet habere neceſſariò dolorem de vtroque expreſsè, & formaliter. ibid.

Contritio, quæ eſt dolor perfectus peccati, vt eſt offenſa Dei, habet pro obiecto materiali peccatum commiſſum deſtruendum & expellendum; formale verò contritionis obiectum eſt peccatum, quatenus malum, & offenſa Dei. a.31.2

Differt ſpecie contritio ab attritione; quia illa habet pro obiecto peccatum vt eſt malum, & offenſa Dei: hæc verò peccatum deteſtatur propter pœnas gehennæ, vel ob eius fœditatem. ibid.

Peccatum

Peccatum dimiſſum, & multò magis ſi neſcitur an ſit dimiſſum, poteſt eſſe obiectum contritionis, non vt dimiſſum. ibid. 3

De peccatis venialibus contritio haberi poteſt. ibid.

Deteſtari peccatum futurum, licèt primariò non ſit actus contritionis: ſecundariò tamen deteſtatiu peccati futuri eſt actus pœnitentiæ, & cótritionis. 2.32.4

Actus contritionis propriè nun poteſt eſſe de peccato originali. ibid 5

Peccatum alienum non poteſt eſſe obiectum contritionis. ibid.

Contritio propriè accepta in lege noua non eſt neceſſaria ſimpliciter neceſſitate medij ad iuſtificationem, & ſalutem. ibid. 6

Extra vſum Sacramenti homo iuſtificatur per contritionem formalem. ibid. 7

Aliquando etiam iuſtificatur per contritionem virtualem, quæ eſt dilectio Dei ſuper omnia. ibid.

Per ſe loquendo, quouis tempore legis naturæ, legis veteris, & etiam in lege gratiæ extra vſum Sacramenti pœnitentia formalis, vera ſcilicet, & propria contritio fuit neceſſaria neceſſitate medij & finis ad remiſſionem peccatorum mortalium. 2.33.11

Per ſe loquendo, quouis tempore legis naturæ, legis veteris, & etiam legis gratiæ extra vſum ſacramenti, pœnitentia formalis, vera ſcilicet, & propria contritio, fuit neceſſaria ad remiſſionem peccatorum mortalium, non ſolùm neceſſitate medij, ſed etiam neceſſitate præcepti. ibid.

Per ſe loquendo, tenetur homo, qui eſt in peccato mortali, inſtante occaſione, ſeu neceſſitate moriendi pro Chriſto Domino præmittere contritioné peccatorũ per formalem deteſtationem eorum, ſi non adeſt copia Confeſſuris; vnde ſi voluntariè hoc omittat, & ſine ea diſpoſitione moriatur, ſi peccata commiſſa in mente venerint, non ſaluabitur per martyriũ. ibid. 12

Peccator actus contritionis ſub præcepto elicere non tenetur ſtatim poſt delictum. 2.34.2

De peccato mortali prima contritione contrito nó tenetur homo nouum actũ contritionis elicere. 2.35.3

Præceptum contritionis non obligat in die feſto, quia nullibi extat tale præceptum, quo teneamur contritionis actum in diebus feſtis elicere, ſicut extat præceptum audiendi Miſſam, & abſtinendi ab operibus ſeruilibus. ibid. 4

Per ſe, & vi propria præceptum contritionis obligat in periculo mortis & perpetuæ amentiæ. ibid. 5

Nedum in periculo mortis, & perpetuæ amentię per ſe, & vi propria præceptum contritionis ad deteſtandũ peccata mortalia nondum contrita obſtringit, ſed etiam poſt aliquod tempus, vt ſi peccator toto vno integro anno maneat in peccato mortali, imò fortè octo, vel ſex menſibus peccato mortali affectus maneat, nullum eliciens actum contritionis, tenetur poſtea accedens ad ſacramentum Confeſſionis ſe accuſare de violatione huius præcepti. ibid.

Per accidens tamen præceptum contritionis ratione alterius circumſtantiæ obligat extra mortis articulum, & pluſquam ſemel in anno. ibid. 6

Per accidens, & ratione altérius circumſtantiæ præceptum contritionis obſtringit, quando quis eſt in probabili, & vero ſimili periculo incidendi in aliquod peccatum mortale, ſi contritionis actum non eliciat de peccatis præteritis. ibid. 7

Quando adeſt copia Confeſſarij, ſi pœnitens præſente Confeſſario abſolutionem ſacramentalem obtineat in caſibus ſuprà enumeratis, non tenetur ſub mortali ad contritionem: quia ſacramentum facit de attrito contritum. 2.36.8

In caſibus, in quibus præceptum contritionis per accidens, & ratione alterius circunſtantiæ obligat, ſi homo tunc non conteritur, non committit duo peccata, ſed vnum tantùm. ibid.

Similiter exiſtens in probabili periculo incidendi in aliquód peccatum mortale, ſi non elicit actum contritionis, non committit duo peccata, vnum contra præceptum contritionis, & alterum contra præceptum, contra quod ingruunt tentationes, quibus tunc ſuccumbit. ibid.

Secus autem dicendum eſſet, quando præceptum contritionis obligaret ratione ſui. ibid.

Attritio quæ oritur ex propria malitia conoerſionis alicuius peccati, non habet vniuerſalitatem ad alia peccata oblita, neque ad ea, quæ ſine vera attritione quis exponit in confeſſione. 2.38.6

Præceptum contritionis ſecundùm ſe obligat ad faciẽdum aliquod conſcientię examen, vt recogitet homo peccata, quæ fecit, vt de omnibus illis conteratur, propter rationes allatas præcedenti aſſertione; non tamen obligat ad illud rigoroſum examen, quod requiritur ad ſacramentum Confeſſionis. 2.39.3

Quando homo actu cogitans de vno ſolo peccato commiſſo veram contritionem habuit, ſi poſtea eſt dubius, an alia peccata commiſerit, quæ memoriâ exciderint, tunc ratione dubij, & conſequenter ratione periculi, tenebitur formaliter alia peccata deteſtari, quæ dubitat commiſiſſe ſaltem per generalem formalem contritionem. 2.40.4

Aliud eſt quòd attritio fiat contritio, & aliud quòd attritus fiat contritus. 2.44.2

Propriè, & in rigore loquendo, attritio non poteſt fieri contritio. ibid. 3

Licèt actus attritionis eſſentialiter in entitate ſua talis non poſſit fieri contritio: tamen attritio poteſt extrinſecè participare honeſtatem contritionis per relationem extrinſecam. ibid.

Dolor, qui eſſentialiter eſt attritio, licèt continuetur in homine iuſtificato, & per actum charitatis ordinetur in ipſum Deum, adhuc talis dolor non eſt contritio. ibid. 4

Homo vi ſacramenti nouæ legis dicitur fieri ex attrito contritus. ibid. 5

Actus contritionis eſt duplex, alius formalis, & actualis, alius verò virtualis. Actus contritionis, ſeu pœnitentia actualis, & formalis eſt quotieſcumque homo habet verum, & actualem dolorem, & diſplicentiam de peccatis commiſſis. Contritio verò, dolor, ſeu diſplicentia virtualis eſt formaliter alius actus à contritione formali, & eſt dilectio Dei ſuper omnia tantæ virtutis, & vis, vt ex ea nata ſit ſequi diſplicentia actualis peccatorum, ſi tunc venirent in mentem, & ſic actus dilectionis Dei ſuper omnia ex charitate procedens dicitur contritio, diſplicentia, & dolor peccatorum, virtualis tamen, & implicitus. 2.45.2

Contritio propriè accepta in lege noua, non eſt neceſſaria ſimpliciter neceſſitate medij ad iuſtificationem. ibid. 5

Vide *Confeſſio, Pœnitentia, Iuſtificatio.*

Contractus, vel *Promiſſio, vide* Iuramentum, *rubr.* Iuramentum emiſſum in contractibus, *&* Matrimonium, *rubr.* Impedimentum vis, ſeu metûs.

Conuerſio in Deum.

Primum quod homini vtenti primo vſu rationis occurrit, eſt bonum in communi, ſi ad illud ſe ordinat, ſeruat pręceptũ naturale implicitè conuertendi ſe in Deum; ſi verò non ſe ordinat ad illud, quodcumque

aliud bonum apparens appetat, appetit illud tanquam vltimum finem. a.136.4

Copula, *vide* Diſpenſatio in votis, & Fornicatio.

Crimen, *vide* Delictum. *item* Matrimonium, *rubr.* Impedimentum criminis.

Culpa.

Culpa ſimplex differt à dolo, quòd iſte ſcienter, & ſtudioſè fit; illa verò ignoranter, & negligenter: & ita eſt triplex, lata, leuis, & leuiſſima. Lata appellatur illa, qua quis deuiat ab ea diligentia, quam communiter adhibent homines eiuſdem profeſſionis in tali re, etiam qui parum circumſpecti ſunt. Leuis dicitur illa deuiatio incircumſpecta à diligentia, quam communiter adhibent homines diligentes, & circumſpecti in ſimilibus rebus: leuiſſima verò culpa eſt incircumſpecta deuiatio à diligentia, quam homines plurimum diligentes, & maximè circumſpecti ſolent in ea re adhibere. a.268.4
Vide *Indulgentia.*

Cultûs diſparitas, *vide* Matrimonium, *rubr.* Impedimentum diſparitatis cultûs.

D

Damni, vel ſenſûs pœna.

PArtuuli cum ſolo peccato originali decedentes, nulla prorſus, etiam poſt diem iudicij, afficiuntur pœna ſenſus, ſed ſolùm pœna damni, quæ in carentia diuinæ viſionis conſiſtit. s.136.2

Pœna damni in damnatis eſt pœna quædam priuatiua, quæ conſiſtit in carentia diuinæ viſionis: pœna verò ſẽſus eſt dolor, ſeu afflictio quædam poſitiua afflictiua appetitus, ſiue inferioris, ſiue Superioris. ibid.

Debitor, Debitum.

Non eſt abſoluendus in ſacramentali confeſſione, qui eſt certus de debito contracto, ſiue ex delicto, ſiue aliunde id contraxerit, dubius tamen an ſoluerit, ſi nolit integrè ſoluere. s.38.2

Debiti remiſſio, *vide* Donatio.

Degradatio, *vide* Cenſura.

Delectatio moroſa.

Fœmina virgo quæ venereas delectationes moroſas habet circa aliquem adoleſcentem, vel quæ deliberatè deſiderat, aut ſtatuit copulam carnalem illicitam cum aliquo viro ſoluto, non tenetur in confeſſione exprimere quòd eſt virgo. 2.59.9

Idem de viro iuuene qui deliberatè deſiderat, aut ſtatuit habere copulam carnalem illicitam cum fœmina virgine, non debere ſcil. in confeſſione dicere, quòd fœmina illa à ſe concupita ſit virgo. ibid.

Oppoſita ſententia eſt veriſſima, & omnino tenenda, teneri ſcilicet fœminam virginem, nō dum quando actu ex tero defloratur, ſed etiam quando delectationem moroſam, & deſiderium illicitum circa virum iuuenem habet. ibid.

Similiter & iuuenem deflorantem fœminam virginem conſentientem, ſeu habentem delectationem moroſam, & deſiderium illicitum congrediendi cum fœmina virgine, teneri, inquam, virginitatis, & integritatis circunſtantiam confiteri. ibid.

In confeſſione explicanda eſt circunſtantia perſonæ, circa quam fuit delectatio moroſa venerea. 2.61.17

Delectatio de conſanguinea non tantùm habet malitiam ſimplicis fornicationis, contra caſtitatem, ſed etiam inceſtus, contra pietatem, ſeu reuerentiam debitam parentibus, & ſanguine, vel affinitate coniunctis. ibid.

Delectatio de Moniali non ſolùm habet culpam, & malitiam fornicationis contra caſtitatem, ſed etiam ſacrilegij contra Religionem. ibid.

Delectatio de rapta non ſolùm malitiam habet contra caſtitatem, ſed etiam contra iuſtitiam. ibid.

Quando delectatio venerea moroſa verſatur circa obiectum, & rem turpem cogitatam ſecundùm totam ſuam malitiam, vt dum quis delectatur de concubitu cogitato cum coniugata, conſanguinea Moniali, &c. tunc plenam, & integram operis externi malitiam, & ſpeciem ſortitur. ibid.

Amplexus, tactus, & oſcula habita inter virum, & fœminam omnino ſolutos lege matrimonij, & ſponſalium inter ſe iōctorum propter ſolam delectationem ſenſibilem in appetitu ſenſitiuo conſurgentem ex ipſis, quamuis nec de fornicatione, nec de illius delectatione cogitetur, ſunt peccata lethalia. 2.62.18

Aſpectus mulierum, & delectatio, quæ capitur ex eo, licèt communiter ſit tantùm culpa venialis. ibid.19

Si verò ex tali aſpectu conſurgit delectio aliqualis venerea excitans maximè appetitum ſenſitiuum, tunc ratione delectationis notabilis venereæ, vel ratione rem turpem cogitatam appetendi, talis aſpectus eſt lethalis, & ſic in confeſſione aperiendæ ſunt circunſtantiæ perſonarum, ſicut in copula ipſa. ibid.
Vide *Amplexus.*

Delegatio.

Poteſtatem habens in aliquibus caſibus, ſi ea ſibi competit ex officio, ſiue ex priuilegio perpetuo ſuæ dignitati annexo, poteſt hanc facultatem alteri committere. t.58.2

Quòd ſi ei competat ex delegatione, tunc nudum tantùm miniſterium poteſt alteri committere; ita vt mãdans priùs de omnibus informatus mandatario committat, vt talem hoc modo hácque impoſita pœnitentia abſoluat, mandatariúſque nulla in re ſuo vtatur arbitrio, ſed ſola ſibi iniuncta exequatur. ibid.

Poſſunt Epiſcopi generaliter delegare hanc facultatem ſibi conceſſam in decreto Concil. Trid. generaliter Vicario, vel alij, vt habeant facultatem generalem abſoluendi & diſpenſandi pro ſuo libito. ibid.3

Prælati Religionum exemptarum, qui gaudent eadem facultate, ac Epiſcopi circa caſus Papales occultos, illam generaliter alijs delegare poſſunt. t.59.4

Verius tamen & probabilius cenſeo Prælatos exemptos Regulares non habere facultatem circa caſus Papales vi Concilij Tridentini, ſed tantùm ex ſpeciali priuilegio Pij V. ibid.
Vide *Iuriſdictio.*

Delictum.

Delicta aliqua ſunt publica, & notoria, alia verò occulta. Delictum publicum, ſeu notorium eſt duplex, famoſum & manifeſtum: famoſum eſt quod omnibus, vel pluribus alicuius communitatis patet, & publica fama diuulgatur. Manifeſtum eſt duplex, aliud ſimpliciter, & aliud ſecũdùm quid. Simpliciter illud eſt, quod multis populis, in quibus peccator exiſtit, innotuit; manifeſtũ ſecundùm quid eſt quod plures in aliqua vicinia, Collegio, vel monaſterio norũt. 1.51.2

Notorium triplex dicitur, notorium iuris, aliud facti, aliud ſecundùm iuris præſumptionem. Notorium iuris illud eſt, quod in iudicio ſcitur, aut per ſententiam iudicis, aut per confeſſionem rei in iudicio, aut per claram teſtium probationem in iudicio: notorium facti illud eſt, quod à pluribus ſcitur, decẽ ſaltem perſonis, vt ſi Petrus occidit virum coram decem hominibus: notorium ex præſumptione iuris, eſt illud quod per ſe non eſt euidens, ſed dicitur tale propter vehementes cõiecturas, & ſigna ipſum ſignificantia, vt ſi Clericus cum muliere ſuſpecta ſub eodem tecto cohabitaret, quam omnes ferè dicunt eſſe

ſuam concubinam,talis concubinatus diceretur notorius præſumptione iuris. ibid.3
Occultum dicitur illud,quod non eſt aliquo ex his modis in ſecundo dicto explicatis,notum,quamuis ſciatur à duobus,tribus,aut quatuor,aut etiam pluribus, & per eos probari poſſit,ſiue tantùm ſciatur ab vno, & probari non poſſit. ibid.4
Occulta ſi vergant in damnum publicum, aut tertiæ perſonæ imminens in futurum, præmiſſa correctione fraterna, ſi per eam creditur emendanda, aliàs omiſſa etiam monitione priuata poſſunt, & debent iudici manifeſtari, & multo magis ſi extet edictum Superioris præcipientis ſub pœna excommunicationis huiuſmodi delicta denuntiari, ſi aliàs probari poſſunt. 1.15 a.init.
Si Prælatus in viſitatione præciperet ſub pœna excommunicationis,vt ei reueletur delictum aliquod, ſi ſit occultum, & probari non poſſit, ſi priuata noſtra monitione fraterna non emendetur, tenetur ſubditus reuelare illud extraiudicialiter Prælato tanquam Patri,ſi probabiliter ſciat,quòd Prælatus poſſet prodeſſe, & non obeſſe, ſalutem animæ delinquentis quærens. ibid.6
Conſequenter,ſi Prælatus, vel Epiſcopus excommunicationem promulgauerit contra eos, qui non manifeſtauerint reum,qui tale furtum fecit, ſciens manifeſtare non debet, quoadusque eum iuxta ordinem correctionis Euangelicæ moneat, & inducere debet vt mandato Epiſcopi,vel Prælati ſatisfaciat, & ſi fur ſatisfecerit,eum manifeſtare non debet, nec etiam ſi non ſatisfaceret,ſi illud probare non poteſt. ibid.7
Non tamen reus tenetur ſeipſum prodere,neque ſubditus teneretur delinquentem manifeſtare,ſi nulla reus furti commiſſi laboraret infamia, etiamſi ſubditus vnà cum alio,vel duobus aliis ſciret. ibid.8

Denunciatio,vide Accuſatio.
Depoſitio,vide Cenſura.

Depoſitum.

Per ſe loquendo,& ex præcepto naturali,tenemur vnicuique reddere proprium depoſitum, tamen in aliquo caſu non eſt tribuendum. 2.381.32

Deſperatio.

Deſperationis peccatum grauius eſt,quàm blaſphemia. 1.226.init.
Vide *Infidelitas.*

Detractio.

Qui coram pluribus detrahunt, aut de rebus turpibus loquuntur, tenentur in confeſſione exprimere numerum perſonarum quibuſcum detractionis peccatum,& turpiloquium commiſerunt. 2.69.49

Dilectio Dei.

Præceptum diligendi Deum cùm ſit affirmatiuum, non omni tempore obligat, ſed certis temporibus. 2.70.52

Diſpenſatio in votis & irregularitatibus.

Poteſt Epiſcopus virtute Concilij Tridentini cum ſcholaſticis, mercatoribus, & aliis, qui maiori anni parte in ſua diœceſi inhabitant, licèt perpetuum domicilium habeant in aliena,diſpenſare in votis,& irregularitatibus, & coniungere eos matrimonio, nec opus eſt expectare, vt maiori anni parte hi in ſua diœceſi habitarint, ſed ſtatim, ac animum habitandi maiori anni parte habuerint. 1.27.4
Non poteſt tamen Epiſcopus cum viatoribus & peregrinis diſpenſare in votis,& irregularitatibus,quamuis poſſit illos abſoluere à caſibus in eo decreto Concilij Tridentini conceſſis. ibid.

Diſpenſatio circa caſus occultos.

Capitulum, Abbates & alij Prelati habentes iuriſdictionem Epiſcopalem, & diœceſim nulli Epiſcopo ſubiectam, item Superiores, etiam locales, ſeu Conuentuales Religionum exemptarũ, & Epiſcopi electi ac confirmati, licèt nondum conſecrati, Sede vacante poſſunt abſoluere & diſpenſare circa omnes caſus occultos,nec deductos ad forum contentioſum, excepta irregularitate ex homicidio voluntario,virtute conceſſionis Concilij Trident. 1.27.2,3,4

Diſpenſatio circa caſus Papales.

Priuatum Religioſum exemptum, manifeſtum eſt non poſſe abſque licentia Superiorum ſe Epiſcopo ſubiicere,vt ab illo abſoluatur, vel cum eo diſpenſet in caſibus, in quibus Epiſcopus hæc poteſt cum ſuis ſubditis. 1.29.2
Religioſus exemptus ex ſui Superioris licentia poteſt ſubiici Epiſcopo, & cedere priuilegio exemptionis, vt ab eo abſoluatur,& cùm eo diſpenſet in caſibus in quibus poteſt ipſe Prælatus. 1.30.init.
Prælatus Religionum exemptarum,ſi indiget Epiſcopi abſolutione, aut diſpenſatione, poterit ſemetipſum illius iuriſdictioni ſubiicere,ſicut poteſt ſuos ſubditos. ibid 4
Vt poſſit Prælatus ſeipſum, aut Religioſum ſibi ſubditum ſubiicere Epiſcopo, vt ipſum abſoluat, ſufficit quòd ſit in diœceſi Epiſcopi abſoluentis per modum tranſitus;quoad diſpenſationem requiritur, quòd in diœceſi Epiſcopi diſpenſantis commoretur, aut habeat animum in ea commorandi maiori anni parte. ibid.5
Si facultas abſoluendi, aut diſpenſandi quæ non eſt in immediato Religionis Prælato, eſſet in Prouinciali, aut alio Superiore Religionis, tunc Epiſcopus non poſſet abſoluere Regularem exemptum, aut cum eo diſpenſare de conſenſu Superioris immediati, niſi accederet conſenſus illius Prouincialis, aut Superioris, ſed remittendus eſſet Religioſus ad illum, vt per ſe ipſum abſolueret,aut alteri vices ſuas committat. ibid.
In aliquo verò caſu neceſſitatis ſufficit conſenſus præſumptus illius mediati Superioris, vt poſſit immediatus illum Religioſum ſubiicere Epiſcopo, vt ſi Prælatus mediatus ſit impeditus,quia eſt excommunicatus,denunciatus,aut obiit,aut longè abeſſet,nec eſſet alius vices eius gerens. ibid.

Diſpenſatio in votis,& iuramentis.

Summus Pontifex dum diſpenſat in voto & iuramento,in matrimonio rato, & non conſummato, vel in aliis, quæ ſunt de iure diuino naturali, non propriè dicitur in his diſpenſare. 2.97.3
Summus Pontifex impropriè poteſt diſpenſare in his, quæ ſunt de iure diuino,puta in voto, iuramento, & in matrimonio rato,declarando ſcilicet aliquem non teneri in hoc,vel illo caſu ſeruare votum, vel iuramentum,cauſa legitima ſuppetente,vel diuinam voluntatem non eſſe,vt quis præcepto,iuramento, vel voto in tali,vel tali caſu aſtringatur. ibid.
Summus Pontifex non poteſt diſpenſare vt aliquis ſaluetur ſine confeſſione ſecundùm quod obligat ex vi ſacramenti,id eſt,ex inſtitutione diuina, qua ſacramentum Pœnitentiæ inſtitutum eſt. ibid.4
Ea,quæ ſunt iuris diuini,ſunt in duplici differẽtia: quædam ſunt,quæ non ponuntur in executione, neque obligant niſi medio aliquo actu noſtro,à quo ſemper dependent in indiuiduo. huiuſmodi ſunt votum,iuramentum, matrimonium ratum, & in his poteſt ſummus Pontifex diſpenſare impropriè. ibid.5

Poteſt tamen ſummns Pontifex diſpenſate in præcepto Eccleſiaſtico annuæ confeſſionis,vt ſcilicet plus differatur, quàm eſt inſtirutom ab ipſa Eccleſia. ibid.6

Quamuis ſummus Pontifex abſolutè non poſſit diſpenſare com aliquo in præcepto diuino confeſſionis, probabiliter etiam dici poteſt, ſignari poſſe aliquem caſum, in quo Rom. Pontifex tale ius diuinum interpretari, & declarare poterit, & non obligare ſtantibus talibus circumſtantiis. a.98.7

Si vir iſte, de quo in præcedenti aſſertione, aliquando ex fragilitate lethaliter deliquerit, ſi cognoſcat in ſeipſo magna contritionis ſigna, & nun ſentiat periculum iterum lethaliter peccandi, poterit ſic celebrare, & iuſtificatur ſuppoſita attritione prudenter exiſtimata contritione. ibid.

Confeſſores Regulares, qui fruuntur priuilegiis Ordinum Mendicantium, poſſunt diſpenſare in omnibus votis, in quibus poſſunt Epiſcopi: vota autem in quibos poſſunt Epiſcopi,ſunt omnia, exceptis quinque, videlicet caſtitatis perpetuæ, Religionis, peregtinationis Hierosſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ, & ſimiliter omnia ſæcularium vota commutare,quæ poſſunt Epiſcopi. a.354.2

Confeſſores Regulares vi ſoorum priuilegiorum non poſſunt vota commotare in præiudiciũ tertij. ibid.3

Confeſſores Regulares Ordinum Mendicantium poſſunt vi ſuorum priuilegiorom, quibus conceditur facultas commotandi vota fideliom, etiam commutare iuramenta facta Deo: vt ſi quis iurauit ieiunare, vel peregrinati, vel alia quæ non ſunt in damnum tertij, vi ſuorum priuilegiorum Confeſſarij Regolares Ordinum Meudicantium, poſſunt hæc iuramenta in alia pietatis opera cummutare. ibid.4

Confeſſarij Regulares Ordinum Mendicantium poſſunt commutare vota fidelium, etiam coniuncta iuramento,ſeu vota iurata,ſeu vota iuramento firmata, ſiue iuramentum accedat acceſſoriè voto, vt quando præſtatur iuſiurandum ad voti emiſſi confirmationem,ſiue non præſtetur in voti confirmationem,ſed indepēdēter à voto,& tantùm concomitanter.ibid.5

Facultas commutandi vota Confeſſariis Ordinum Mendicantium conceſſa per ſua priuilegia, non eſt reſtringenda vt tantùm eo priuilegio vti poſſint erga ſæculares ſubditos Epiſcopo illius diœceſis, in qua ſunt hi Confeſſarij; ſed eſt extendenda erga omnes fideles vndequaque venientes. 2.355.6

Vota pœnalia ſæculariom circa materiam Papæ reſeruatam,v.g. ſi quis ita voueat, Si fornicatus fuero, voueo in pœnam me ingreſſurum Religionem: vel ſi luſero taxillis, vooeo me iturum Compoſtellam,vel Hieroſolymam, etiam poſt adimpletam conditionem poſſunt virtute ſuorum priuilegiorum commutare Confeſſores Regulares Ordinum Mendicantium, & in eis diſpenſare. ibid.7

Epiſcopus in votis perpetuæ caſtitatis, ac Religionis, poteſt diſpenſare, quando magnum incontinentiæ periculum imminet, nec facilis aditos ad Pontificem patet præ paupertate,vel alia cauſa, etiamſi huiuſmodi vota ſint abſoluta. ibid 8

Quamuis non immineat periculum incontinentiæ ex mora, ſi aliquod quodcumque graue periculum immineat, vt granis ſcandali, vel magni damni tertiæ perſonæ, poteſt Epiſcopus diſpenſate in votis perpetuæ continentiæ, vel Religionis: vnde ſi voto Religionis obſtrictus virginem deflorauit, ac grauidam effecit, voléſque eius famæ conſulere, vult eam ducere, adéſtque periculum in mora, poſſet in iſto caſo Epiſcopus in voto Religionis diſpenſate ad effectum contrahendi. ibid.

Idem dicendum eſt de cæteris votis abſolutis reſeruatis, peregtinationis ſcilicet Romanæ, Hierosſolymitanæ, Compoſtèllanæ, poſſe ſcilicet in his votis Epiſcopum diſpenſate, qoando vouens iuſtam cauſam ſecom diſpenſandi habet, nec poteſt adire, nec mittere R[illegible]mam, vel caret ſumptibus neceſſariis ad diſpenſationem impetrandam. ibid.

Confeſſarij Regulares Ordinum Mendicantium, qoi virtute ſuorum priuilegiorum habent facultatem diſpenſandi in votis, eaque commmutandi, in quibus puſſont Epiſcopi iore ordinario diſpenſare, in votis abſolutis reſeruatis non poſſunt diſpenſate,neque ea commutare,etiam inſtante graui neceſſitate. 2.356.9

Quando non eſt facilis aditus ad Romanum Pontificem pro petenda diſpenſatione in votis eiſdem reſeruatis, poteſt Epiſcopus in illis diſpenſare.quod limitandum eſt, niſi facilè recurri poſſit ad Nuncium Apoſtolicum, ſi poteſtatem habeat ad diſpenſandum in ſimilibus votis, vel ad quemlibet alium ſimili facultate præditum. ibid.

Confeſſarij Regulares commnnicantes in priuilegiis conceſſis,& concedendis aliis Ordinibus Mendicantibus,& non Mendicantibus,ſi ſint viri docti,& iuxta formam Conc. Trid. approbati, ex c[illegible]miſſione Prnuincialis diſpenſare poſſunt in foro conſcientiæ od petendum debitum cum iis, qui conſanguineum vel conſanguineam ſui coniugis poſt matrimonium carnaliter cognouerunt. ibid.10

Hoc priuilegium conceſſum Confeſſariis Regularibus diſpenſandi in foro conſcientiæ ad petendum debitum cum iis coniugibus, qui poſt matrimonium contractum inter ſe ex copula carnali habita cum conſanguineis ſui coniugis affinitatem contraxerunt, non extenditur ad diſpenſandum cum coniogibos, qui ſpiritualem coguationem contraxerunt, vt poſſint licitè petere debitum. ibid.

Cognatio legalis ſuperueniens matrimonio, non impedit debiti petitionem. ibid.8

Cognatio legalis eſt propinquitas quarumdam perſonarum conſurgens ex adoptione: adoptio verò eſt legitima aſſumptio extraneæ perſonæ in filium, vel filiam. 2.359.19

Cognatio legalis contrahitur primò inter adoptantem, & adoptatum, & adoptati deſcendentes vſque ad quartum gradum: ſecundò inter vxorem adoptantis, & adoptatom, & è conuerſo, id eſt, inter vxorem adoptati, & adoptantem: tertiò inter filios adoptantis & adoptatum: vnde triplex linea in cognatione legali reperitur. Prima eſt recta inter adoptantem & adoptatum,& deſcendentes adoptati: ſecunda eſt tranſuerſalis inter adoptatum & filios carnales adoptantis: tertia eſt per modum cuiuſdam affinitatis legalis inter adoptantem & vxorem adoptati, & inter adoptatum, & vxorem adoptantis; cognatio hæc legalis impedit,& dirimit matrimonium inter perſonas recenſitas. ibid.

Inualidum igitur eſt matrimonium inter adoptantem & adoptatum, & deſcendentes adoptati, vſque ad quartum gradum, & hæc cognatio inter has perſonas ſemper impedit, etiamſi adoptio diſſoluatur. ibid.

Item inualidom eſt matrimonium inter vxorem adoptantis, & adoptatum, & inter vxorem adoptati, & adoptantem, hæc ſimiliter cognatio perpetuò impedit, & dirimit, etiamſi adoptio ſublata fuerit. ibid.

Inualidum ſimiliter eſt matrimoniom inter filios, ſeu filias adoptantis,& adoptatum, ſeu adoptatam. hæc cognatio impedit,& dirimit quandiu durat, quamdiu ſcilicet filij, vel filiæ adoptantis ſub illius exiſtant poteſtate. ibid.

Vnde

Vnde infertur quòd ſi filij adoptantis emancipentur, vel ſi pater eorum moriatur, poterunt contrahere cum adoptato, vel adoptata. ibid.

Filius adoptaotis poteſt matrimonium coottahere cum filia adoptati. ibid.

Diſpenſatio cum ſubditis.

Epiſcopus poteſt diſpenſare in irregularitatibus & ſuſpenſionibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis. a.197.3

Item Prælati Regulares. ibid.

Poteſt Epiſcopus diſpenſare virtute Concilij Tridentini in inhabilitatibus contractis ob delictum occultum cum ſibi ſubditis. ibid.4

Conſequenter Generales, Prouinciales, & Superiorea locales Ordinum Mendicantium, & fruentium eorum priuilegiis, poteruot cum ſuis ſubditis diſpenſare in inhabilitatibus contractis ob delictum occultum. Ibid.

Epiſcopi, & Prælati Regulatium, vt ſunt Generales, Prouinciales, & Præpoſiti locales, poſſunt ſuo Confeſſario committere vt abſoluat illos, & cum illis diſpenſet ab omnibus, à quibus poſſunt ipſi abſoluere, & in his omnibus, in quibus ipſi cum ſuis ſubditis poſſunt diſpenſare. ibid.5

Probabile etiam eſt aſſerere, Romanum Pontificem, Epiſcopos, Prælatos ſimiliter Regulatium, immediatè, verè, & propriè ſecum diſpenſare poſſe in his omnibus, in quibus poſſunt cum ſibi ſubditis. a.198.6

Habentes etiam poteſtatem delegatam diſpenſandi cum aliqua communitate in vniuerſum, cuius ipſi ſunt pars, poſſunt io bis omnibus ſecum diſpenſare, io quibus poſſunt cum illa commuoitate, cuius ſunt pars. ibid.8

Generales, & Prouinciales Religionum exemptarum, & iſtis amotis eorum Vicarij, poſſunt etiam in foro exteriori reſtituere ſibi ſubditos priuatos ab officiis, & perpetuò inhabiles ad illa per conſtitutiones Apoſtolicas ob crimina grauia, ſi aliàs Papa oon reſeruat ſibi talium diſpenſationem. a.201.a

Generales Ordinum poſſunt cum ſibi ſubditis diſpenſare aliàs ad Ordines malè promotis, etiã dum erant in ſæculo vt mioiſtrent in Ordinibua malè ſuſceptis, & vt vlteriùs ad Ordines promoueantur. ibid.3

Generales, Prouinciales, & Priores cunuentuales poſſunt cum ſibi ſubditis, & hoſpitibus ſui Ordinis diſpenſare in irregularitatibus contractis ex delicto violandi cenſuras. ibid.4

In ſupradictis irregularitatibus poſſunt cum ſibi ſubditis, & hoſpitibus ſui Ordinis, imò etiam & cum Nouitiis diſpenſare. ibid.

Non poſſunt ſupradicti Prælati diſpenſare cum ſibi ſubditis hoſpitibus ſui Ordinis, & Nouitiis ſi ſpecialiter fuiſſent iſti excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti à iudice, & deinde celebraſſent diuina, vel Ordines ſacros ſuſcepiſſent. a.202.5

Iudex generaliter dicitur ferre ſententiam, aut cenſuram, cùm dicit, *Excommunico*, vel *ſuſpendo*, vel *interdico, facientes hoc, vel illud*, & talis ſententia perinde eſt, ac ſi eſſet à iure. ibid.6

Specialiter autem dicitur Iudex excommunicare, vel ſuſpendere, vel interdicere, quando in particulari talem excommunicat, ſuſpendit, vel interdicit. ibid.

Poſſunt igitur prædicti cum ſibi ſubditis, hoſpitibus ſui Ordinis, & Nouitiis diſpenſare ſi excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti, aut in locis interdictis celebrauerint, vel ſacros Ordines ſuſceperint; modò à iudice generaliter fuerit data, vel lata ſententia, vel à iure: ſecus ſi per ſententiam particularem, ſpecialiter, & nominatim talibus cenſuris fuerint adſtricti. ibid.

Religioſi Ordinum Mendicantium, etiam Nouitij, cum animo profitendi, poſſunt diſpenſari ſemel in vita, in omni irregularitate, exceptis his, quæ ex homicidio voluntario, & mutilatione voluntaria proueniunt per Confeſſorem eiuſdem Ordinis ab eis electum, audita priùs confeſſione. ibid.7

Generales, & Prouinciales Ordinum Mendicantium poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditia irregularibus ex homicidio caſuali, & ex homicidio facto cauſa defenſionis, ooo ſolùm in foro interiori, ſed etiam in foro exteriori. ibid.8

Prouinciales tamen Ordinum Mendicaotium cum Fratribus alterius Prouinciæ, & Priores Conuentuales cum Fratribus alterius Conuentus, diſpenſare minimè poſſunt ſuper irregularitate contracta ratione homicidij caſualis, vel ex homicidio facto cauſa defenſionis. ibid.

Prælati Regulares poſſunt diſpenſare ſecundùm eorum priuilegia cum ſuis ſubditis in irregularitate contracta ratione homicidij voluntarij, occulti tamen. 2.203.9

Vi præcedentis priuilegij Martini V. in quo communicant Religiones Ordinum Mendicantium, non ſolùm Generales, & Prouinciales, ſed etiã Præpoſiti, & Priores locales poſſunt diſpenſare cũ ſibi ſubditis in foro conſcientiæ ſuper omni irregularitate, etiã contracta ex homicidio voluntario, occulto tamen. ibid.

Superior Conuentus mortuo, vel amoto Priore poteſt ſupradicto priuilegio Martini V. gaudere erga ſibi ſubditos. ibid.

Prælati Regnlares Ordinum Mendicantium poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare in irregularitatibus prouenientibus ex publico delicto, & ad forum contentioſum deducto, præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, quia in re illi Prælati maiorem auctoritatem habent erga ſuoa ſubditos, quàm Epiſcopi erga ſuos diœceſanos ibid.

Generales, & Prouinciales Religionum diſpenſare non poſſunt cum Fratribus infamia iuris maculatis. ibid.11

Generales, & Prouinciales cum infamibus ſuis ſubditis ex delicto enormi infamia facti, quod nulla tergiuerſatione celari poteſt, diſpenſare valent. 2.204.13

Prælati Regularium poſſunt diſpenſare ad Ordines cum ſibi ſubditis bigamis ſimilitudinariis, ſcilicet com Religioſo, vel initiato maioribus Ordinibus, qui contraxit, & conſummauit matrimonium. ibid.17

Generales, & Prouinciales poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis, qui habent membrum occultum, ſeu manifeſtum, non ſua culpa abſciſſum. 2.205.19

Similiter cum Religioſo oon habente aliquem digitum, dummodo non ſit pollex, qui eſt neceſſarius ad celebrandum. ibid.

Item cum Religioſo, vt celebret cum pede ligneo. ibid.

Cum Religioſo autem habente pudenda culpa ſua abſciſſa, ſolus Papa diſpenſat. ibid.

Epiſcopus tamen, & non Prælatus regularis debet iudicare, ſitne Religioſus corpore vitiatus. ibid.

Prælati Regularium diſpenſare valent cum ſuis ſubditis in irregularitate prouenieute ex defectu lenitatis perfectæ. ibid.21

Conſequenter ſupradicti Prælati poſſunt cum ſibi ſubditis diſpenſare ſuper irregularitate cootracta ex occiſione facta in bello iuſto. ibid.22

Generales, Prouinciales, & Priores coouentuales poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis, qui exiſtentes in ſeculo iudicando, aut miniſterium iuſtitiæ peragendo hominem ad mortem, aut mutilationem membrorum condemnarunt, & eorum ſententia fuit exequutioni mandata. ibid.

Similiter ſi in bello iuſto aliquem occiderunt, aut mutilarunt. ibid.
Hæ diſpenſationes factæ à prædictis Prælatis proſunt in vtroque foro, etiam quādo factū eſt publicū. ibid.24
Illegitimi per profeſſionem in Religione approbata manent diſpenſati ad omnes Ordines. ibid.25
Prælati tamen regulares diſpenſant cum ſibi ſubditis ad officia, & Prælaturas. ibid.

Diſpenſatio in actu coniugali.

Nedum Regulares Confeſſarij vi ſuorum priuilegiorum diſpenſare poſſunt ad petendum debitum cum coniuge, cui debiti petitio eſt interdicta ratione affinitatis contractæ cum altero coniuge, ſed etiam id poſſunt Epiſcopi. 2.359.20
Epiſcopus poteſt diſpenſare cum coniuge ad petendum debitum, non ſolùm, quando poſt contractum matrimonium contraxit affinitatem cum ſuo coniuge per copulam carnalem habitam cum conſanguineis alterius coniugis, ſed etiam quando cum ſuo coniuge contraxit affinitatem ſpiritualem. ibid.
Poteſt Epiſcopus diſpenſare cum coniuge ad petendum debitum, qui cum ſuo coniuge contraxit affinitatem ratione copulæ habitæ cum conſanguineis alterius coniugis, vel quia contraxit cognationem ſpiritualem, baptizando extra caſum neceſſitatis filiū communē, vel alterius coniugis, quāuis ad quoſcunque potētes diſpenſare ſit facillimus aditus. ibid.
Epiſcopus poteſt diſpēſare cū eo, qui voto caſtitatis adſtrictus matrimoniū contraxit, vt petat debitū. ibid.21
Epiſcopus poteſt diſpenſare cum eo qui voto caſtitatis ligatus matrimonium contraxit, etiam quando nondum eſt matrimonium conſummatum vt debitum petat. ibid.
Confeſſores Regulares Ordinum Mendicantium communicantes in priuilegiis conceſſis, & concedendis aliis Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, poſſunt cum eo qui poſt votum caſtitatis matrimonium contraxit, diſpenſare, vt durante eo matrimonio debitum petat. 2.360.22
Quando poſt matrimonium conſummatum alter coniugum vouit caſtitatem, ſiue ex licentia alterius coniugis, ſiue illo inſcio votum emiſerit, poteſt cum iſto Epiſcopus diſpenſare ad debiti petitionem. ibid.23
Hoc idem poſſunt Confeſſores Regulares Ordinum Mendicantium vi ſuorum priuilegiorum. ibid.
Si ante matrimonium initum, ſiue poſt contractum matrimonium, ante tamen eius conſummationem vouerit coniux Religionem ingredi, non poſſunt cum iſto Confeſſarij Regulares vi ſuorum priuilegiorum diſpenſare vt petat, vel reddat debitum. ibid.
Confeſſores Regulares vi ſuorum priuilegiorum non poſſunt diſpenſare in voto caſtitatis ad petendum debitum cum coniugibus, quando vterque coniux poſt matrimonium contractum communi conſenſu per modum contractus illud emiſit. ibid.24
In caſu præcedentis aſſertionis, quando vterque coniux poſt matrimonium contractum communi conſenſu per modum contractus emiſit votum caſtitatis, poteſt Epiſcopus diſpenſare ad petendum & reddendum debitum, ſi fortè inter coniuges ſit periculum incontinentiæ, & non poteſt de facili patere acceſſus ad ſummum Pontificem, vel ſi ipſi coniuges ſunt ita pauperes, vt non habeant, quo diſpenſationem acquirant. ibid.
Regulares tamen Confeſſarij vi ſuorum priuilegiorum in iſto caſu non poſſunt cum coniugatis diſpenſare ad petendum & reddendum debitum qui poſt contractum matrimonium communi conſenſu votum caſtitatis emiſerunt, etiam inſtante magno incontinentiæ periculo. ibid.
Vide *Bellum, Irregularitas.*

Diſpenſatio in impedimentis matrimonium dirimentibus.

Summus Pontifex non poteſt diſpēſare in impedimentis dirimentibus matrimoniū iure naturali. 2.424.2
In impedimentis non dirimētibus poteſt Epiſcopus diſpēſare, excepto voto caſtitatis, & Religionis. ibid.2
Epiſcopus poteſt etiam diſpenſare in matrimonio iam contracto cum impedimento dirimente occulto, vt iterum celebrari poſſit; concurrentibus his circumſtantiis, vt matrimonium ſit publicum in facie Eccleſiæ celebratum, impedimentum autem dirimens ſit occultum, & ſit ſcandalum in ſeparatione, nec ad Pontificem aditus pateat, inopia, aut alia iuſta cauſa impediente. 2.425.init.
Vt Epiſcopus in caſu magnæ neceſſitatis diſpenſare valeat in impedimentis iure humano matrimoniū dirimētibus, deſideratur bona fides in cōtrahētibus. ibid.
Vt contrahentes cum impedimento iure Eccleſiaſtico dirimente matrimonium, dicantur contrahere mala fide, non ſatis eſt cognitio ſpeculatiua, qua, v.g. contrahere volens, nouit ſe acceſſiſſe ad conſanguineam eius, cum qua inire vult matrimonium, niſi adſit cognitio, & ſcientia practica, qua ſciat inde oriri impedimentum dirimens matrimonium contrahendum. ibid.
Non excluditur hæc bona fides, quamuis procedat ex ignorantia culpabili. ibid.
Poteſt Epiſcopus in caſu magnæ neceſſitatis, concurrentibus circumſtantiis enumeratis diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium, etiam ſi alter ſolus ex contrahentibus ineat matrimonium bona fide, alter verò mala fide. ibid.
Poteſt Epiſcopus diſpenſare in impedimento iure Eccleſiaſtico dirimente matrimonium, etiam ſi contrahentes eſſent diuites, & haberent expenſas neceſſarias ad diſpenſationem Pontificis obtinendam, ſi vrgens neceſſitas cum eis diſpenſandi concurreret, vt ſi Roma longiſſimè diſtaret, eſſétque magnum incontinentiæ periculum tamdiu expectare. ibid.
Valeret ſimiliter Epiſcopus diſpenſare, ſi impedimentum eſſet ex parte fœminæ, quæ conſanguinea viri ante matrimonium contractum copulata eſt, nec poteſt impedimentum viro detegere, nec poteſt à viro abſque ſcādalo ſeparari, nec ei debitum negare ibid.
Probabile eſt etiam aſſerere, poſſe Epiſcopum aliquando diſpenſare in impedimento matrimonium dirimente, antequam matrimonium contrahatur, ſi vrgentiſſima neceſſitas id poſtularet. nam dari poteſt caſus, vt fœmina aliqua nobilis ſit parata matrimonium de præſenti contrahere cum altero viro nobili, ſtatuto aliquo die, & poſtea eadem die accedens ad confitendum, inueniatur habere impedimentum dirimens, cuius manifeſtatio eſſet illi cauſa grauis infamiæ, nec eſſet alia via euadendi infamiam, vel ſuſpicionem grauis delicti in confeſſione manifeſtati, ſi tunc eodem manè, aut veſperè non celebrentur nuptiæ: tunc in iſto caſu poteſt Epiſcopus diſpenſare in illo impedimento dirimente ante contractum matrimonium. 2.426.init
Confeſſarij Regulares Ordinum Mendicantium virtute ſuorum priuilegiorum diſpenſare non poſſunt in impedimentis matrimonium dirimentibus. ibid.2

Diſplicentia, vide Contritio.
Dolor, vide Contritio.
Dolus, vide Error.

Dominium Eccleſiæ.

Probabile eſt etiam aſſerere bonorum Eccleſiæ dominium eſſe penes Chriſtum Dominum. 2.154.5

Dominus temporalis.

Dominus temporalis, qui impediuit litteras Apoſtolicas, vel mandatum de manutenendo, alicuius diœceſis, ſi litteræ, ſeu mandatum ſit manifeſtè ſubreptitium, & ipſe dominus temporalis aliàs non habuerit caſus reſeruatos, abſoluendus eſt. 1.40.2

Donatio, remiſſio debiti, legatum, teſtamentum, vide Matrimonium, *rubr.* Impedimentum vis, ſeu metûs.

Dubium.

Quando conſtat de facto vt de peccato admiſſo, dubitat tamen quis, an id fuerit mortale, tenetur illud fateri, dum id dubium ex iuſta cauſa non deponitur. 1.38.2

Quando quis eſt dubius de facto, & de iure, vt ſi quis dubitet, an alicui peccato mortali conſenſerit, vt deſiderio, aut delectationi moroſæ mortalibus, tenetur confiteri vt peccatum dubium. ibid.

In vtroque dubio ſunt peccata confitenda vt dubia. ibid.

Si quis dubitet, an deſiderio fœminæ conſenſerit, tenetur explicare ſuum, ac illius ſtatum. ibid.

Qui confeſſus eſt, quòd ſit furatus, vel aliud peccatum mortale, ſub dubio, ſi poſtea certus ſit de conſenſu in furtum, vel in aliud peccatum mortale ſub dubio confeſſum, tenetur illud iterum confiteri. ibid.

Directè reſpondens quæſito quando quis integrè faſſus eſt peccatum, quod fecit, dubitabat tamen, an eſſet lethale, licèt etiam Confeſſor ſimili dubio teneretur, non eſt iterum confeſſio illius peccati repetenda, ſi poſtea alteruter doctior factus nouit id peccatum eſſe mortale. ibid.3

Non poteſt abſolui in ſacramentali confeſſione, qui eſt certus de debito contracto, ſiue ex delicto, ſiue aliunde id contraxerit, dubius tamen an ſoluerit, ſi nolit integrè ſoluere. ibid.2

E

Ebrietas.

Etiamſi euentus mali, & occiſiones ſoleant eſſe frequentes ei, qui inebriatur, ſi tamen tempore, quo inebriari voluit, non habuit prorſus vllam dubitationem, aut cogitationem de illis, nec in ſpecie, nec in genere, minimè imputantur ad culpam. 1.307.2

Si dum quis inebriari vult, aduertat peccata inde conſurgentia, tunc ſi eueniunt, imputabuntur ei ad culpam, ſi non adhibeat prudentem, & tantam diligentiam, ne aliquid illorum eueniat, ea autem adhibita, etiamſi poſtea eueniant, minimè culpæ imputabuntur. ibid.

Plurima tamen dicta, & contumeliæ erga homines, quæ alioquin in ſana mente iniurioſa eſſent, & peccata, etiamſi præuideantur quando quis inebriari vult, facta tamen in ebrietate non ſunt peccata, nec imputantur ad culpam. 1.308.3

Blaſphemiæ tamen, infidelitas, & periuria in ebrietate dicta, vel facta, culpæ imputantur, ſi ſint præcogitata, & præuiſa. ibid.

Fornicatio in damnum prolis naſcituræ, adulterium, homicidium, aut aliud damnum temporale quod fit in ebrietate, ſi præuiſum fuit, quando quis incipit inebriari, peccatum eſt ſi non adhibita diligentia poſtea in ebrietate contingat. ibid.

Si quis ſponte, vel culpa ſua ebrius, furioſus, vel amens euaſerit, & præuidit multa mala poſtea in ebrietate, furore, vel amentia ſubſequutura, ſi antequam fiat ebrius, furioſus, amens, voluntas illa, in qua illa mala indirectè volita ſunt, per pœnitentiam fuerit interrupta, mala poſtea ſi ſequantur, nullo modo ei imputantur ad culpam. ibid.4

Quando voluntas per pœnitentiam non eſt interrupta in caſu præcedentis aſſertionis, peccata illa præuiſa ſunt quidem in ſe peccata, non tamen habent diſtinctam malitiam à malitia ſuæ cauſæ, ſed dicuntur peccata denominatione, & imputabilitate extrinſeca, quam contrahunt ex præterita negligentia voluntaria. ibid.

Mala igitur in ebrietate commiſſa, ſunt quidem peccata, non propter libertatem, quæ tunc eſt formaliter, ſed propter præcedentem, quæ manet in virtute. ibid.

Probabiliter etiam dici poteſt, opera, quæ ex ſe ſunt peccata, puta blaſphemiæ, homicidium, adulterium, contingentia tamen in ebrietate in ſe non informari morali aliqua malitia, neque eſſe formaliter peccata, ſed ſolùm eſſe quoſdam peccati effectus; etiamſi fuerint præuiſa, & hoc quamuis voluntas mala non ſit per pœnitentiam interrupta. ibid.5

Ita etiam mala illa contingentia in ebrietate non ſunt in ſe peccata, ſed peccati effectus, præteritæ ſcilicet prauæ voluntatis per pœnitentiam non interruptæ. ibid.

Quando quis dat cauſam ebrietati futuræ, & præuidet adueniente ebrietatis ſtatu multa mala ſubſequutura, ſi antequam fiat ebrius confiteretur, & legitimè facti pœniteret, mala quæ in ebrietate poſtea ſubſequerentur, non teneretur confiteri. ibid.6

Tutius tamen eſt poſtea ſubſequentia futura mala eſſe fatenda. ibid.

Ebrij incurrunt cenſuras ſi committunt delictum ſub cenſura prohibitum tempore ebrietatis, modò præuiderint delictum ſequuturum, illúdque noluerint præcauere. 1.309.8

Ebrij in caſu, de quo diximus præcedenti aſſertione, incurrunt cenſuras non tempore, quo ſe inebriarunt, quia tunc non eſt conſummata tranſgreſſio, nec cauſa cenſuræ, licèt quoad interiorem culpam idem peccatum commiſerint ratione periculi, cui ſe expoſuerunt: cenſuras igitur eo tempore contrahunt, quo re ipſa fit factum ſub cenſura prohibitum, etiamſi tunc ebrij in ebrietate conſtituti, vſu rationis ſint priuati. ibid.9

Quādo quis incipit inebriari, & præuidet Clerici percuſſionem in ebrietate ſubſequuturam, etiamſi antequam ebrius fiat, cauſæ daræ ebrietati per veram contritionem verè pœnituit, ſi poſtea in ebrietate ſequitur Clerici percuſſio, incidit in excommunicationem. ibid.10

Qui culpa ſua incipit inebriari, ſi aduertit adeſſe periculum, ſe factum prohibitum ſub cenſura in ebrietate commiſſurum, ſi diligentiam ſufficientem adhibuit, vt prædictum periculum euitaretur, puta ſi incluſit ſe in cubiculo obſerato, ſi præuidiſſet periculum percutiendi, vel occidendi Clericum, ſi poſtea in ebrietate conſtitutus percutit, & occidit Clericum, neque excommunicationem, neque irregularitatem incurreret. ibid.

Eccleſia.

Etiamſi conſideretur poteſtas totius Eccleſiæ, vt includit poteſtatem ſummi Pontificis, non eſt maior, quàm poteſtas ipſius ſummi Pontificis. 1.353.5 Vide *Concilium.*

Eccleſia theſaurus.

Theſaurus Eccleſiæ nihil aliud eſt, quàm collectio, ſeu cumulus diuitiarum ſpiritualium, ex ſuperabundantia paſſionum, & ſatisfactionum Chriſti Domini, Beatiſſimæ V. & Sanctorum ac bonorum operum

cæterorum fideliom à primo iuſto Abel, vſque ad nouiſſimum iuſtum, coadunatum in mente, & acceptatione diuina diſpenſandum per Prælatos in Eccleſia militanti pro exoluendis debitis Chriſti fidelium. a.224.11

Theſaurus Eccleſiæ conficitur nedum ex meritis infinitis, & ſatisfactioonibus Chriſti Domini, ſed etiam ex ſatisfactionibus ſuperabundantibus Sanctorum, quibus ipſi non indiguerunt, nec aliis applicauerunt. Item etiam conficitur ex meritis Sanctorum ſub propria ratione meriti à ſatisfactione diſtincta. a.228.18

Merita iſta Sanctorum repoſita in theſauro Eccleſiæ ſub propria ratione meriti à ſatisfactione diſtincta non diſpenſantur nobis, ſeu meliùs, non applicantur nobis per Indulgeotias. ibid.19

Merita Sanctorum ſub propria ratione meriti à ſatisfactione diſtincta, repoſita in theſauro Eccleſiæ, applicantur nobis per modum meriti de congruo per orationes, quæ fundi poſſuot ab ipſiſmet Sanctis in cœlo exiſtentibus. ibid.

Item etiam id fit per noſtras priuatas orationes, aliqoando per publicas totius Eccleſiæ poſtulationes dum à Deo poſtulamus vt propter Sanctorum merita bonum aliquod nobis conferat, & hoc modo merita Sanctorum ſub prupria ratione meriti applicantur nobis per modum meriti de congruo. ibid.

Satisfactiones verò ſuperabundantes Sanctorum, quibus ipſi non indiguerunt, nec aliis applicauerunt, repoſitæ in theſauro Eccleſiæ nobis per Indulgeotias applicantur, non vt aliquid, cuius intuitu Deus ob merita iufinita Chriſti Domini, nobis relaxet debitam pœnam pro peccatis dimiſſis, ſed verè, & propriè nobis applicantur per Indulgentias, vt iuſtæ ſolutiones, ob quas Deus de iuſtitia nobis pœnas debitas pro peccatis dimiſſis relaxet. ibid.

Ex aſſerto præcedenti non ſequitur Saoctos poſſe dici propriè noſtros eſſe Redemptores. ibid.30

Meritis, & ſatisfactionibus Chriſti Domioi in theſauro Eccleſiæ nou ideo adiunguntur merita, & ſatisfactiones Sanctorum. ibid.31

Pro peccati tamen mortalis remiſſione, & æternæ pœnæ ſatisfactiooe homini attrito ſacramentum recipienti ſola Chriſti Domini ſatisfactio, & meritum applicatur. a.229.32

Eccleſiaſtica bona, *vide* Matrimonium, *rubr.* Impedimentum vis, ſeu metûs.

Electio, *vide* Matrimonium, *rubr.* Impedimentum vis, ſeu metûs.

Eleemoſyna, *vide* Sacramentale. *item* Matrimonium, *rubr.* Impedimentum vis, ſeu metûs.

Epiſcopus, *vide* Beneficiatius.

Error.

Si aliquis Sacerdos habet titolum coloratum, ſeu putatiuum, & communi populi errore legitimus Confeſſor putetur, validæ ſunt confeſſiones ab eo auditæ virtute tituli colorati, & communis erroris, nec ſunt reiterandæ detecto impedimento. r.12.2

Quòd ſi Epiſcopus conferret illegitimo, vel occulto homicidæ beneficium parochiale, licèt collatio ſit nulla, confeſſiones tamen auditæ ab eo eſſent validæ, nec reiterandæ, cùm eius nullitas ſit occulta, & adeſt coloratus titulus, & communis error, licèt illegitimus, & occultus homicida ſit incapax, & inhabilis ad beneficium parochiale ſuſcipiendum, cùm ſit irregularis. ibid.

Vide *Cenſura.* & *Matrimonium*, rubr. *Impedimentum erroris.*

Error, & dolus, vide Iuramentum, *rubr.* Iuramentum factum cum errore, & dolo.

Excommunicatio.

Nemo Superiorum poteſt ſe ipſum excommunicare. 2.198.7

Si quis nominatim à iudice excommonicatus eſt, aut publicè denunciatus, & hic parti reipſa ſatisfecit, aut concordauit cum illa, vel ab illa habet licentiam, vt abſoluatur, poteſt hic reus per Bullam Cruciatæ abſolui pro foro conſcientiæ. 2.199.11

Quando abſoluendus adhuc apertè tenetur ad aliquam ſatisfactionem, non eſt abſoluendus antequam actu ſatisfecerit, aut totaliter, ſi poteſt, aut ex parte, ſi hoc ſolùm poſſit. 2.200.4

Quando verò excommunicatus eſt omninò impotens ad ſatisfaciendum, vt licitè abſoluatur, debet præſtare cautionem pignoratitiam, aut fideiuſſoriam; vel ſi nihil horum poſſit, ſaltem iuret, quòd ſtatim ac poterit ſatisfaciet, quo facto poterit in vtroque foro abſolui etiam inuita parte. ibid.

Quando abſolutio differri non poteſt, niſi per multum temporis, vel cum graui damno ipſios pœnitentis, poteſt Confeſſarius abſoluere, exhibita à pœnitente ea ſatisfactione, quam poteſt exhibere ante abſolutionem, exhibendo videlicet cautionem pignoratitiam, vel fideioſſoriam, vel ſaltem iuratoriam, quando non poteſt pignoratitiam, vel fideiuſſoriam, ſimúlque promittendo ſe ſatisfacturum prima oblata occaſione, modò Confeſſarius probabiliter credat pœnitentem oblata occaſione ſatisfacturum. ibid.

Vide *Cenſura.*

Excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus.

Abſolui hi poſſunt virtute Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi; quamuis cenſuræ illæ deductæ ſiot ad forum contentioſum. 1.4.2

Si ſcienter excummunicatus, vel per ignorantiam vincibilem accederet ad ſacramentum Pœnitentiæ vt abſoluatur prius à peccatis, quàm ab excommunicatione, nullatenus Sacramentum & rem Sacramenti ſuſciperet. r.7.2

Quando pœnitens ignorat inulneibiliter ſe eſſe excommunicatum, vel ſi ſcit ſe eſſe excommunicatum, iuſto tamen quodam iuris, vel facti errore, exiſtimat ſe à peccatis abſolui prius poſſe, quàm ab excommunicatione abſoluatur, ſi à peccatis tantùm recipit abſolutionem, valet abſolutio, nec confeſſionem reiterare tenetur: quamuis certior factus de ſuo errore remaneat obligatus ad impetrandam abſolutionem ab excommunicatione. ibid.

Quando pœnitens ſolus ignorat probabiliter, & putat prius abſolui poſſe à peccatis, quàm ab excommunicatione, licèt Confeſſor ignoret vincibiliter, vel aduertat excommunicationem pœnitentis eſſe reſeruatam, & tamen ex ſua malitia intendit abſoluere illum, in hoc caſu Confeſſarius abſoluendo peccat, abſolutio tamen valet, & pœniteos certior factus de excommunicatione reſeruata tenetur petere abſolutionem excommunicationis ab habente facultatem. ibid.

Si tamen ambo, tam pœnitens, quàm Confeſſarius, ſcirent quòd excommunicatus non poteſt abſolui prius à peccatis, quàm ab excommunicatione abſoluatur, & tamen petit abſolutionem à peccatis, & Sacerdos impendit abſolutionem, tunc Sacramentum eſt inualidum, & abſolutio impenſa irrita, & confeſſio reiteraoda, cùm ambo ſacrilegium committant, & pœnitens reddit ſe indignum

abſolutione ob ſacrilegium,& peccatum quod committis. ibid.3

Excommunicatus ſpecialiter ab homine, etiam denunciatus, & percuſſor notorius Clerici, ſimiliter ſpecialiter interdicti ab homine, etiam denunciati poſt iuſtam ſatisfactionem poſſunt abſolui quoad forum conſcientiæ,ſi per Iubilæum,& Bullam Cruciatæ datur poteſtas generalis indefinita abſoluendi excommunicatos,& interdictos,&c. 1.32.2

Si in Iubilæo,ſiue in conceſſione Bullæ Cruciatæ fieret exceptio ne excommunicati, vel interdicti ab homine abſoluantur: generaliter tamen excommunicati,vel interdicti ab homine, & nondum denunciati poſſent adhuc abſolui virtute Iubilæi, & Bullæ Cruciatæ. ibid.3

Interdicto populo,ac etiam denunciato,non ideo ſinguli cēſentur nominatim interdicti,vel nominatim denunciati, poterunt ideo abſolui aliqui ex populo nominatim,& per cedulones declarato interdicto, quamuis in Iubilæi,vel Bullæ Cruciatæ conceſſione prohibeatur, ne abſoluantur nominatim interdicti, vel nominatim denunciati tales. ibid.

Conſequenter interdicto populo, vel Clero nominatim,cenſentur interdicti ſinguli de populo, vel ſinguli de Clero, ſi Clerus notatur interdicto, & ſic non poſſent ſinguli de populo interdicto,vel ſinguli de Clero interdicto audire diuina, nec Eccleſiaſtica recipere Sacramenta:poſſent tamen ſinguli de populo nominatim interdicto, & ſinguli nominatim de Clero interdicto ſepeliri in Sacro, dummodo locus interdictus non ſit. ibid 4

Excommunicatus ſumens Euchariſtiam,ſciens ſe teneri vinculo peccati,& cenſura,duplex peccatum committere videtur. 2.88.4

Excommunicatus nominatim denunciatus.

Abſolutio iſta in foro conſcientiæ operabitur in abſoluto vt poſſit diuina recipere Sacramenta,& beneficia ſibi canonicè collata, & poterunt omnes, qui ſunt certi de illa, licitè ei communicare quoad forum conſcientiæ. 1.6.5

Extrema vnctio.

In extremæ Vnctionis forma eſt de eſſentia commemoratio Dei, dicendo: Per iſtam ſanctam vnctionem,& ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus,quidquid deliquiſti per viſum. 2.14.6

Non tamen eſt de eſſentia huius formæ inuocatio ſanctiſſimæ Trinitatis. ibid.

Vide *Baptiſmus*,& *Sacramentale*.

F

Fides.

Tempus obligationis præcepti fidei primum eſt cùm alicui fides ſufficienter proponitur vt infideli. 2.70.54

Secundum tempus eſt, quando quis grauem aliquam contra fidem tentationem patitur,tunc enim tempus eſt reſiſtendi contrariis fidei actibus,ac in fide ſe muniendi. ibid.

Fides informis in homine peccatore ſecundùm eſſentiā ſuam verè poteſt dici virtus intellectualis. 2.137.8

Quamuis fides ex natura ſua poſtulet, & vendicet ſibi rationem virtutis,tamen charitas illa eſt, quæ de facto tribuit illi ſtatum,& perfectionem virtutis:vnde fides firmata dicitur habere ſtatum virtutis, quia fides charitate firmata illa eſt,quæ promptè, & delectabiliter operatur. ibid.

Fætus, *vide* Abortus.

Fornicatio.

Fœminæ, quando primò exteriùs fornicantur cum viris,tenentur hoc explicare in confeſſione. 2.58.8

Confeſſores qui ſuas pœnitentes carnaliter cognouerunt, iſtam circunſtantiam in confeſſione explicare tenentur. 2.64.30

Parochus habens copulam cum ſua parochiana committit ſpeciale peccatum,etiamſi eam non baptizauerit. 2.65.init.

Obſtrictus voto caſtitatis ſi carnaliter congrediatur cum fœmina, vel cum viro habente votum caſtitatis,tenetur vtramque circunſtantiam fateri. ibid.32

Diuerſa tamen malitia eſt neceſſariò in confeſſione detegenda,ſi votum, & iuramentum de eadem re quis violauerit. ibid.

Sacerdos, & profeſſus fornicans non ſatisfacit in confeſſione,dicens ſe Sacerdotem eſſe,tacita Religionis profeſſione. ibid.33

Si fornicetur Religioſus Sacris initiatus vtraque circunſtantia eſt exprimenda. ibid.

Item Sacerdos non profeſſus non ſatisfacit, ſi dicat ſe eſſe voto caſtitatis ligatum, tacito Sacerdotio. ibid.

Sacerdos tamen non profeſſus non tenetur Sacerdotij circunſtantiam fateri, ſed ſatisfacit ſe ſacri Ordinis eſſe dicens. ibid.

Si fornicetur Religioſus profeſſus, tenetur ſe Religioſum eſſe explicare,& non ſatis eſt, vt votum caſtitatis explicet. ibid.34

Fornicatio Epiſcopi nondum conſecrati, ſed tantùm electi, & confirmati, non excedit malitiam ſimplicis fornicationis, nec continet circunſtantiam fatendam. ibid.35

Epiſcopo verò conſecrato fornicanti non ſatis eſt fateri ſe contra votum caſtitatis deliquiſſe. 2.66.init.

Religioſus profeſſus, vel Clericus in Sacris cōſtitutus, vel quicunque votum caſtitatis emiſit,ſi poſtea ſpecialiter vouit ſe non habiturum mollitiem, ſatis fatetur ſe profeſſum, vel Clericum in Sacris conſtitutum,vel ſe habere votum caſtitatis, tacito eo ſecundo voto abſtinendi à peccato mollitiei: aut dicere contra votum non polluendi ſe deliquiſſe. ibid.36

Si tamen is, de quo ſuprà, vltra mollitiem admitteret aliud peccatum in ea voto caſtitatis aduerſum, vt delectationis moroſæ in fœminæ cogitatione, aut concupiſcentiæ ipſius, aut tactum cum tertia perſona,non ſatis eſſet explicare votum abſtinendi à pollutione;ſed aut ſimul eſſet votum caſtitatis explicandum,aut ſolùm id caſtitatis votum. ibid.

Habet circunſtantiam luxuriæ mutantem ſpeciem, ac neceſſariò fatendam acceſſus fidelis cum infideli. ibid.

Vide *Iuramentum*, rubr. *Iuramentum de non fornicando*.

Furtum.

Licèt furtum mortale in quantitate notabili,& furtum veniale in re leui,non diſtinguantur ſpecie ex parte conuerſionis: tamen furtum in quantitate notabili, & furtum veniale in re parui momenti ſi conſiderentur ex parte auerſionis, ſiue in ratione grauis, & leuis offenſæ,aut ratione effectus, dicendum eſt differre pluſquam genere. 2.58.5

Si contra latrones pro latrocinio non committendo feratur excommunicatio,furtum committentes poſt latam excommunicationem in latrocinium vtram furti malitiam incurrunt. 2.68.45

Quando quis furatur rem ſacram ex loco ſacro, vel rem ſacram ex loco non ſacro, vel rem non ſacram ex loco ſacro; tunc non ſolùm furtum in confeſſione tenetur fateri, ſed etiam circunſtantiam rei ſacræ,vel loci ſacri,ſi ſurripit rem non ſacram ex loco ſacro. ibid.

Gratia,

G

Gratia, & Charitas.

GRatia poteſt dupliciter conſiderari, primò in eſſe habitus,& qualitatis, ſecundùm phyſicam entitatem, quam habet: ſecundo modo in eſſe gratiæ, quatenus videlicet per illam iuſtus acceptatur ad gloriam. a.130.2

Similiter etiam charitas poteſt conſiderari in eiſe habitus, & qualitatis, vel ſecundùm rationem propriam charitatis,id eſt,amicitiæ ad ipſum Deũ. ibid.

Præmium eſſentiale, quod debetur Beatis ratione proprij metiti,dupliciter conſiderari poteſt, vno modo materialiter in eſſe rei, ipſum ſcilicet lumen glotiæ, ipſam ſcilicet viſionem beatificam, ſecundùm ſuam propriam perfectionem intrinſecam, & eiſentialem: alio modo formaliter in ratione præmij, quatenus confertur propter opera bona, vnde poteſt contingere quòd Beatitudo vnius ſit excellentior, quàm Beatitudo alterius in ratione præmij eſſentialis,non tamen in ratione beatitudinis eſſentialis,ſecundùm perfectionem intrinſecam,& eſſentialem. ibid 3

Gratia,& charitas, ſi conſiderentur in eſſe habitus, & qualitatis, non augentur à Deo, niſi quando iuſtus prorumpit in actum feruentiorem. ibid.4

Gratia,& charitaa io eſſe habitus, & qualitatis augentur per actus intenſiores ſecundùm exceſſum actus ſupra habitum præexiſtentem,non autem ſecundùm totam latitudinem actus, itaque ſi habens charitatem vt quinque, prorumpat in actum feruentem vt octo,augetur habitus vſque ad octo,non autem vſque ad tredecim. ibid.5

Gratia in ratione gratiæ, & ſimiliter charitas in eſſe charitatis,augentur per actus æquales, & etiam remiſſos,ita videlicet, vt illis correſpondeat in Patria nouus gradus gloriæ eſſentialis. a.131.6

Deus abſoluta ſua potentia efficere poteſt hominem gratum,& acceptum ad gloriam eſſentialem abſque aliqua qualitate inhærente per ſolam extrinſecam acceptationem. ibid.7

Gratia in eſſe gratiæ, & ſimiliter charitas in eſſe charitatis,ſtatim augetur in hac vita, etiam per actus remiſſos. ibid.8

Gratia in eſſe gratiæ,& charitas in eſſe acceptationis ad gloriam, ſtatim augetur ſecundùm totam latitudinem actus remiſſi ſupra habitum. a.132.init.

Licèt non poſſint augeri gratia in eſſe gratiæ, & charitas in eſſe charitatis,in eſſe phyſico, ſecundùm quod ſunt vltimæ differentiæ contrahentes habitum ad talem, vel talem ſpeciem, quin etiam augeantur in eſſe habitus: tamen ſi conſiderentur gratia,& charitas in genere morali quatenus mediantibus operibus meritoriis per gratiam,& charitatem acceptatur homo ad gloriam, non eſt neceſſe quòd quando augentur gratia,& charitas in genere morali,quòd augeantur in eſſe habitus. ibid.9

Nullum eſt inconueniens quòd in via non ſemper ſaluetur æqualitas,& proportio inter quantitatem gratiæ, & charitatis in eſſe habitus, & qualitatis, & in eſſe gratiæ,& charitatis,ſeu meriti;ſed ſufficit, quòd ſeruetur in Patria, vbi etiam ſeruabitur æqualitas inter quantitatem gratiæ, & charitatis in eſſe qualitatis, & quantitatem gloriæ in ratione beatitudinis eſſentialis in eſſe rei ſecundùm perfectionem intrinſecam,& eſſentialem. ibid.10

Augmentum gratiæ, & charitatis in eſſe habitus, & qualitatis,quod homo meretur per actus remiſſos in hac vita,dabitur poſtea illi in primo inſtanti glorificationis. ibid.

Ex aſſertione præcedenti non ſequitur quòd homo mereatur in alia vita,ſed tantùm quòd præmium recipiat,quod ſibi meruit in via:in via autẽ meruit ſibi homo augmentum gratiæ, & charitatis in eſſe habitus, & qualitatis conferendum cùm ſufficienter fuerit diſpoſitus, quod erit in Patria cùm feruentiſſimum dilectionis actum habuerit. ibid.11

Licet Chriſtus Dominus per actus ſubſequentes non meruit aliquid de nouo, niſi id quod antea meruerat per primum actum, idque nouo titulo,quia per primum actum meritorium meruit infinitè; hæc tamen ratio non procedit de noſtris meritis, quæ finita ſunt:vnde cùm poſſit illis fieri additio per actus ſubſequentes etiam remiſſos meritorios,non ſolùm ſibi meretur homo in hac vita augmentum gratiæ, & charitatis in eſſe acceptationia ad gloriam nouo titulo habendam,ſed augmentum gratiæ,& charitatis in eſſe qualitatis, & habitua in primo inſtanti glorificationis conferendum cùm fuerit ſufficienter tunc diſpoſitus per feruentiſſimum actum charitatis, & nouos etiam gradus gloriæ eſſentialis. a.133.init.

Quamuia gratia,& charitas in eſſe gratiæ, & charitatis augeantur ſtatim ſecundùm totam latitudinem, ſi vnus habet actum charitatis intenſum vt viginti: alius autem producat duus actus charitatia intenſós vt decem,magis meretur ille iuſtus vno actu intenſo vt viginti, quam iſte duobus actibus intenſis vt decem. ibid.12

Sicut per actus remiſſos meritorios augetur gratia, & charitas ſtatim in eſſe gratiæ, & charitatis in via, & in Patria in primo inſtanti glorificationis in eſſe habitus,& qualitatis;ita etiam per maiorem continuationem actus meritorij, augetur gratia, & charitas, atque gloria eſſentialis. ibid.13

Quotieſcumque iuſtus continuat meritum per aliquod tempus, quamuis in ipſa continuatione etiam mereatur,non tamen inde ſequitur quòd mereatur præmium infinitum,ſeu infinitè. ibid.14

Habens habitum charitatis, vt quinque, e.g. quando producit actum charitatis intenſum vt ſex, illa maior intenſio actus non poteſt produci effectiuè ab habitu, qui in illo inſtanti temporis augetur vt ſex. ibid.15

Eſt tamen ſatis probabile actum contritionis, & charitatia, qui eſt vltima diſpoſitio in iuſtificatione ad gratiam habitualem, procedere in genere cauſæ efficientis ab ipſa gratia habituali, & ab habitu infuſo pœnitentiæ & charitatia. ibid.

Quando habens habitum charitatis vt quinque,diſponitur ad augmentum vt octo, illa diſpoſitio vt octo non procedit effectiuè ab habitu vt octo, ſed ab habitu præexiſtente vt quinque,ſimul cum auxilio diuino actuali ſupernaturali intenſo vt octo, per quod habitus vt quinque eleuatur, vt poſſit effectiuè producere ipſum actum intenſum vt octo,per quem diſponitur ad augmentum habitus. a.134.init.

Ex dicto præcedenti non ſequitur quòd homo ſit merum inſtrumentum illius actus meritorij quantum ad maiorem intenſionem quam habet ſupra habitum præexiſtentem. ibid.16

Fateri tamen debemus, quòd ſi Deus ſuo actuali concurſu ſpeciali eleuaret ignem habentem ſolum calorem vt octo,vt per illum produceret calidum vt decem, tunc ignis ſolùm eſſet agens inſtrumentale reſpectu illius maioris intenſionis. ibid.

Quamuia intellectus, & voluntas creata ſecundùm ſe nullam habeant naturalem virtutem proximam actiuam comparatione actuum ſupernaturalium, habent nihilominus non ſolùm potentiam obedientialem; ſed etiam radicalem actiuitatem reſpectu

ſpectu eorumdem actuum in quantum ſunt vitales. ibid. 17

Si intellectus, & voluntas nullam haberent actiuitatem radicalem, & remotam comparatione vitalis actionis ſupernaturalis meritoriæ; ſed ſolùm potentiam quamdam obedientialem, qualis reperitur in omnibus rebus, vt in illis, cum illis, & de illis fiat quidquid Deus voluerit, ſequeretur, quòd ſicut Deus vtitur intellectu, & voluntate ad producendam illam actionem meritoriam, poſſet indifferenter vti quacumque alia creatura, vel potentia creata ad producendam eandem actionem, & ita poſſet per lapidem, vel potentiam viſiuam, vel per aliam quamcumque rem naturalem producere actum illum ſupernaturalem charitatis, & alios conſimiles. a. 135. init.

Gratia baptiſmalis collata puero.

Gratia baptiſmalis collata puero, licèt ſit maius bonum ex quantitate dati remiſſione peccatorum, quam obtinuit ille deueniens ad vſum rationis poſt actuale peccatum commiſſum: hæc tamen eſt maius donum, & beneficium ex parte dationis. a. 153. 14

Veniens ad vſum rationis ſi poſt primi peccati actualis remiſſionem, in aliud ſimile ſecundò recidit, quamuis primum peccatum ab eo commiſſum tollat maius bonum ex quantitate dati, nempè iuſtitiam baptiſmalem: tamen ſecundum peccatum ratione ingratitudinis eſt maius peccatum. ibid. 15

Secundum peccatum commiſſum à baptizato poſt remiſſionem primi actualis, cæteris paribus, ſcilicet ſi ambo ſint homicidia, vel adulteria, non ſolùm eſt maius primo, quia fit contra beneficium remiſſionis actualis peccati, quæ eſt maius donum ex modo dationis, quàm gratia baptiſmalis; ſed etiam, quia in ipſo ſecundo peccato commiſſo non ſolùm reperitur ingratitudo contra remiſſionem primi actualis, ſed etiam contra remiſſionem originalis per Baptiſmum, per quem homo obtinuit innocentiam baptiſmalem. ibid. 16

H

Hæreſis, Hæreticus.

INquiſitores non habent facultatem abſoluendi hæreticum occultum in ſolo conſcientiæ foro. 1. 44. 2

Abſolutio hæretici fictè pœnitentis etiam per Inquiſitores conceſſa, eſt irrita, itaut etiam licèt ille poſtea reſipiſcat interiùs, peccatum hæreſis priùs commiſſum eadem cenſura, & eadem reſeruatione ligatum manebit, ac erat ante illam abſolutionem. ibid. 3

Hæreticus fictè conuerſus, etſi in foro conſcientiæ non remaneat abſolutus, in foro tamen externo habetur pro abſoluto, atque adeò ſi poſtea reſipiſcit inſtar hæretici occulti, poterit abſolui ab eo, qui aliàs habet facultatem abſoluendi ab hæreſi occulta, & in hoc ſenſu eſt vera ſententia Emanuelis Sà, valere ſcilicet abſolutionem datam hæretico fictè conuerſo in foro externo. ibid.

Hæreticus verè ad fidem rediens, ſi faſſus eſt in foro externo aliquas hæreſes coram Inquiſitore, ſi mala fide, & induſtria alias tacuit, manet poſt abſolutionẽ liber ab excommunicatione hæreſum expreſſarum: remanebit tamen ratione aliarum excommunicatus, ac proinde peccatum hæreſum tacitarum manet reſeruatum, vtpote cenſura priſtina affectum. ibid. 4

Si bona fide alias hæreſes tacuit, illarum nempe immemor, tunc manet abſolutus omnino à cenſura, & tunc peccatum hæreſis bona fide oblitum non manet ampliùs reſeruatum, ſed poteſt quicunque Confeſſarius ab illo abſoluere. ibid.

Non poteſt hæreticus occultus extra articulum mortis virtute Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi concedentis caſus Cœnæ, non facta expreſſa mentione hæreſis, abſolui, quamuis hæreſis ſit occulta. ibid.

Receptores, fautores, defenſores hæreticorum, legentes, tenentes, imprimentes eorum libros, hi omnes ſi re vera hæretici non ſunt, & tenentes libros, eos tradant Inquiſitoribus, poſſunt abſolui ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo à Confeſſore virtute Bullæ Cruciatæ ſic concedentis caſus Cœnæ, & ſimiliter virtute Iubilæi eos caſus concedentis. 1. 45. 3

Sub conceſſione generali caſuum Pontifici reſeruatorum non comprehenditur caſus hæreſis, nec alij Bullæ Cœnæ. ibid. 4

Vide *Accuſatio.*

Hæreſis occulta, vide Caſus Bullæ Cœnæ.

Homicidium.

Qui occidit aliquem per venenum ipſi propinatum occultè, aut per inſidias, aut proditionem in confeſſione, hanc circonſtantiam exprimere tenetur. 2. 68. 46

Si quis occidat aliquam perſonam ſanguinis cognatione, vel affinitate coniunctam, v. g. Si quis occidat aliquem ex ſuis parentibus, aut occidat fratrem ſuum, aut ſororem, aut nepotem, aut alium cognatum, aut affinem ſuum, vt ſocerum ſuum, aut nurum ſuam, quæ homicidia dicuntur parricidia, & ſunt ſpecie diſtincta ab homicidiis, non ſatis fatetur dicendo; Commiſi homicidium; ſed tenetur exprimere circunſtantias conſanguinitatis, vel affinitatis. 2. 69. 47

Vide *Matrimonium*, rubr. *Impedimentum criminis.*

Honeſtas, vide Matrimonium, *rubr.* Impedimentum publicæ honeſtatis.

I

Ieiunium.

QVi ieiunium prætermiſit aliquo die Quadrageſimæ, in quo tenebatur ieiunare, non ſolùm ex præcepto Eccleſiæ, verùm etiam ex voto, vt ſuppono, non ſatisfacit in confeſſione, dicendo ſe ieiunij præceptum ſemel fregiſſe. 2. 68. 44

Ieiunij votum, vide Votum, *rubr.* Vouentes aliquid indeterminatè, &c.

Ignorantia.

Ignorantia alia eſt iuris, alia facti, & alia pœnæ. 1. 297. 2

Ignorantia iuris eſt quando neſcitur ſtatutum, præceptum, vel prohibitio. ibid.

Ignorantia facti contingit quando adeſt ſcientia, & notitia legis, ſeu præcepti, ſed ignoratur factum, quod prohibetur in dicta lege. ibid.

Ignorantia pœnæ contingit quando neſcitur latam eſſe talem pœnam contra delinquentes. ibid.

Ignorantia alia eſt iuris communis, alia iuris particularis. ibid.

Ignorantia iuris communis contingit, quando ignoratur ius, ſeu lex vniuerſalis, quæ vniuerſaliter obligat. ibid.

Ignorantia iuris particularis eſt illa, qua ignoratur ius obligans particulares aliquas perſonas, vel tantùm in aliquo particulari territorio: & ſic ignorans excommunicationes latas in Bulla Cœnæ Domini, dicitur habere ignorantiam iuris communis: ſi verò neſciat excommunicationes latas ab Ordinario alicuius loci in ſuo territorio, dicitur habere ignorantiam iuris particularis. ibid.

Ignorantia alia craſſa, & ſupina eſt; alia affectata, alia probabilis, vt Canoniſtæ loquuntur, ſeu, vt Theologi volunt, inuincibilis. ibid. 3

Ignorantia craſſa, & ſupina eſt, qua quis ignorar id, quod communites omoes ſui Ordinis ſciunt, & quod ipſe ſcire debet, & poteſt. ibid.

Affectata eſt, vbi quis ignorat, quia ſcite non vult, quod ſcire debet, & poteſt, vt liberiùs, abſque conſcientiæ remorſu, aut alia de cauſa iniuſta peccet. ibid.

Iouincibilis dicitur, non quòd ſimpliciter vinci non poſſit, ſed quæ manet, poſtquam homo debitam diligentiam adhibuerit, & qua homines ſui ſtatus communiter poſt adhibitam debitam diligentiam labosant, qualis eſt ignorantia eius, qui homines doctos, & timoratos conſulens non rectè inſtruitur. ibid.

Licèt ignorantia affectata, craſſa, & ſupina ſit vincibilis, non tamen omnis ignorantia vincibilis eſt affectara, craſſa, & ſupina. 1.198.4

Ignorantia craſſa, & ſupina accidit, quando ignorans nimiam, & ſummam negligentiam exhibuit vt ſciret quod noſſe tenetur. Ignorantia verò vincibilis quatenus diſtinguitur à craſſa, & ſupina, illa eſt, quando quis modicam, & mediocrem adhibuit diligentiam, non tamen ſufficientem morali, & humano modo ad ſciendum neceſſariom id, quod ſcire tenetur. ibid.

Ignorantia aliquando appellatut antecedens aliquando concomitans, & aliquaudo conſequens. ibid.5

Antecedens dicitur illa, quæ eſt probabilis, & inuincibilis, qua non poſita actus malus non fieret. ibid.

Ignorantia comes, ſeu concomitans dicitur illa, quæ ſi non adeſſet, actus nihilominus fieret. ibid.

Ignorantia conſequens eſt ignorantia voluntaria. ibid.

Dicitur autem hæc ignorantia conſequens, non quatenus eſt cauſa peccati, quia vt ſic, illud antecedit, ſed quia cùm ſit voluntaria directè, vel indirectè, conſequitur actum voluntatis. ibid.

Ignorantia alia eſt cauſa eius, quod ignotanter fit, alia verò non item. ibid.

Ignorantia concomitans, ſeu comes, licèt ſecundùm ſe formaliter, & propriè non ſit antecedens, vel conſequens, cùm non ſit cauſa eius, quod fit: tamen diuerſis reſpectibus poteſt dici vtroque modo. ibid.6

Dici poteſt conſequens, vt puta quando non adhibita ſufficienti diligentia, vacans venationi in ſylua putans occidere ecruum, interficit inimicum. ibid.

Concomitans autem dicitur, quatenus prauum animi affectum inferendi necem iuunico, ſecluſa etiam ea ignorantia, comitatur. ibid.

Ignorantia concomitans, quæ comitatut quidem id quod fit, ſed non eſt cauſa actus, non enim tollit ſcientiam, quæ ſi adeſſet probiberet actum, imò ſi adeſſet, ſequeretur actus. 1.302.2

Ignorantia vincibilis alia eſt affectata, ſiue optata, qua quis ignorat id quud ſcite tenetur: alia verò eſt craſſa, & ſupina, quæ licèt non ſit directè volita, eſt tamen indirectè volita & culpabilis, & conſequenter vincibilis, qua quis ignorat quæ tenetur ſcite, & facillimè poſſet eam ignorantiam vincere, nullam tamen, aut valdè modicam adhibet diligentiam ad eam viocendam. 1.304.2

Ignorantia vincibilis alia eſt culpabilis venialiter, alia verò culpabilis moraliter. ibid.3

Ignorantia verò vincibilis lethaliter culpabilis illius eſt, qui valde modicam, aut prorſus nullam diligentiam adhibuit ad id ſciendum, quod tenetur, & poteſat ſcire, & ſic omnis ignorantia mortaliter culpabilis eſt craſſa, & ſupina, non tamen ignorantia vincibilis venialiter tantùm culpabilis eſt craſſa, & ſupina. ibid.

Ignorantia habitualis tunc eſt, quando quis omnino nihil audiuit de præcepto Superioris præcipientis aliquid; actualis verò eſt obliuio, inconſiderantia, inaduertentia. hæc actualis ignorantia, quæ propriè dicitur inconſideratio, poteſt eſſe inuoluntaria, & voluntaria ſaltem indirectè, & poteſt eſſe vincibilis, & inuincibilis, vel concomitans. 1.306.2

Hæc ignorantia habitualis, vel actualis, quæ eſt obliuio, inaduertentia, inconſideratio, vincibilis, & culpabilis mortaliter dici nequit, niſi in eo, qui opus aggreditur, & operatur, adſit aliqua actualis aduertentia ad obiecti malitiam, vel aliqua dubitandi ratio, aut ſcrupulus de eius malitia. ibid.3

Vide *Cenſura*.

Ignorantia iuris & facti, *vide* Coniugalis actus.

Ignorantia pœna, *vide* Coniu galis actus.

Impediens alium à conſecutione beneficij.

Qui vi, aut fraude impedir aliquem à conſequendo beneficio, quo erar dignus, vt ſi illum vi detineat, vel minetur ei ne ſolliciter, vel litteras intercipiat, vel fraude auertat à beneficio proſequendo: vel ſimiliter mineror collatori, ne conferat tali, aut perſuadendo ipſum eſſe indignum, ignarum, &c. idque falsò, tenetur ad reſtitutionem, quanti iudicio prudentis viri ea ſpes ipſi valebit. 1.45.2

Titius Neapoli ſcribit Romam ad Caium Clericum, ſignificans vacare beneficium in menſe Pontificis, vt illi ſibi impetret: ſi Sempronius ſuppreſſit litteras, vel ſerò eas seddidit Caio, & illam præueniens apud Summ. Pont. obtinuit beneficium, tenetur Sempronius ad reſtitutionem quanti ſpes Caij obtinendi beneficium iudicio prudentis æſtimabitur. ibid.

Si Sempronius litteras tempeſtiuè tradidit, ſed illas antè artificio quodam apertas legit, & ſibi beneficium impetrauit, probabilius eſt non teneri ad reſtitutionem. ibid.

Idem dicendum ſi litteras inuentas in cubiculo Caij Sempronius illas legit, & ex tali notitia ſibi beneficium comparauit. ibid.

Satis eſt probabile, quòd impediens ſolis precibus, & ſuaſionibus apud collatorem, ne beneficium conferatur digniori, non teneatur ad aliquam compenſationem ipſi impedito faciendam. 1.46.3

Impotentia.

Quoties aliquis excuſatur à peccato mortali, excuſatus etiam à cenſura graui incurrenda, præſertim in foro conſcientiæ. 1.312.2

Impotentia faciendi quod præcipitur ſub cenſura, excuſat ab incurrenda cenſura. ibid.3

Non ſolùm impotentia phyſica, ſeu ſimpliciter ad perficiendum id, quod præcipitur ſub pœna cenſuræ, excuſat à cenſuris incurrendis, ſed etiam impotentia moralis, quando ſcilicet non poteſt præceptum adimpleri ſine graui detrimento, aut incommodo. ibid.

Quando cenſura fertur, e. g. vt fiat ſolutio ad certum tempus, ſi illo tempore quis ſit impotens, excuſatur quidem tunc à culpa, & conſequenter à cenſura incurrenda, non tamen propterea præcepti, & excommunicationis, ſeu cenſuræ quæcumque ſit illa, vis prorſus extinguitur, ſed perſeuerat potiùs, & obligat ad ſoluendum, cùm primùm quis poſſit. ibid.4

Vt debitor, qui non erat ſoluendo tempore præfixo in præcepto, ſi deueniat ad pinguiorem fortunam, incidat in cenſuram latam, ſi non ſoluat cùm primùm poteſt, requiritur vt iudex, qui præceptum tulit ſub pœna cenſuræ, adhuc in officio duret, & debitor dum pecuniam habet, maneat ſub eius iuriſdictione. ibid.

Debitor,cùm certum tempus, e.g. menſis, conſtitutum eſt ad ſoluendum ſub pœna cenſuræ incurrendæ, incidit in cenſuram,ſi initio menſis ſoluere poterat, & non ſoluit, præuidens quidem fore, vt reliquo tempore fiat impotens ad ſoluendum. ibid.5

Idem dicendum de eo, qui voluntariè, ex malitia, vel ex negligentia impotentiam faciendi id, ad quod tenetur, incurrit,vel potiùs aſſumit. ibid.

In huiuſmodi caſibus duarum præcedentium aſſertionum aliud eſt tempus, in quo delinquitur coram Deo, aliud verò, in quo cenſura incurritur. 1.313.init.

Impudicitia.

Impudicitia vitium eſt quando quis vacat actibus, tactibus, oſculis, & amplexibus libidinoſe, hoc eſt, cauſa delectationis ſenſibilis,quæ ibi ſentitur,etiamſi nullum opus aliud intendat,& ſi fiant à non coniugibus,mortale eſt. 2.158.10

Vide *Matrimonium*,rubr. *Impedimentum impotentiæ.*

Inaduertentia,vide Obliuio.

Inceſtus.

Inceſtus, eſt conſanguineorum, vel affinium abuſus. 2.66.3

Inceſtus eſt congreſſus cum perſona cognata intra gradus, in quibus non poteſt celebrari matrimonium: omnes inceſtus ſunt eiuſdem ſpeciei. 2.64.29

Licèt omnes inceſtus ſint eiuſdem ſpeciei, circunſtantiæ tamen ipſius notabiliter,& euidenter aggrauantes,ſunt in confeſſione explicandæ. ibid.

Pater copulam habens cum filia, præter grauiſſimum peccatum inceſtus, admittit etiam ſpecialem malitiam contra proprium officium, quo tenetur curam habere de filiis, vt bonis moribus imbuantur,& ideò hanc circunſtantiam eius paternæ tenetur exprimere neceſſariò in confeſſione. 2.65.31

Si quis acceſſum habeat cum conſanguinea in primo gradu ſponſæ de futuro contra publicæ honeſtatis impedimentum, dirimens in eo caſu matrimonium, tenetur hanc circunſtantiam in confeſſione detegere. 2.66.38

Inconſiderantia,vide Obliuio.

Indicium.

Indicia ſunt ſigna & circumſtantiæ ex quibus prudenter, & rationabiliter iudicamus de actibus aliorum. Sunt autem indicia in triplici differentia, alia ſunt leuia, alia grauia, alia probabilia. Leue indicium dicitur illud, cui frequenter contingit abeſſe veritatem, & tale eſt reiiciendum. Graue indicium eſt, cui frequenter contingit veritatem adeſſe: probabile autem indicium eſt medium inter vtrumque, quod & facit aliqualem ſuſpicionem. Grauia debent eſſe indicia vt iudex iuridicè interroget, & reus iuratus aperire veritatem teneatur. 2.313.31

Indulgentia,Iubilæum.

Indulgentia eſt remiſſio, ſeu relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus iam dimiſſis, conceſſa homini exiſtenti in gratia à Prælato per applicationem theſauri Eccleſiaſtici. 2.225.2

Indulgentia dicitur relaxatio pœnæ. ibid.

Vel dicitur, Indulgentia eſt remiſſio pœnæ. ibid.

Quando,verò ab Eccleſia conceditur Indulgentia plenaria, & adiungitur cum tertia parte peccatorum, vel quarta parte,& aliquando à tota pœna, & culpa, tunc per culpam,ſeu tantùm partem peccatorum intelligere poſſumus venialia ipſa. ibid.3

Poteſt etiam ſenſus eſſe, quando in aliquibus formis Indulgentiarum dicitur fieri condonationem à culpa, & à pœna, per huiuſmodi Indulgentiam concedi facultatem eligendi Confeſſarium, qui abſolutionem impendat à quolibet peccato. ibid.

Imò tripliciter dici poteſt Indulgentia pœnæ, & culpæ præſuppoſitiuè,id eſt,per præcedentem confeſſionem, finaliter, id eſt, vt ea lucrata ſuccedat mors, & homo ampliùs non peccet, vel concomitanter, quia ſcilicet datur facultas eligendi Confeſſarium, qui abſoluat à culpa. ibid.

Quando in formis Indulgentiarum dicitur fieri condonationem à pœna, & à culpa, non intelligitur à culpa mortali,circa quam Eccleſia nihil poteſt,niſi mediante ſacramentali confeſſione,ſed à veniali. ibid.4

Indulgentia eſt relaxatio pœnæ temporalis. ibid.5

Indulgentia eſt relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus. ibid.6

Indulgentia eſt relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus iam dimiſſis. 2.224.7

Indulgentia eſt relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus iam dimiſſis homini exiſtenti in gratia. ibid 8

Ponitur in deſcriptione Indulgentiæ, quòd Indulgentia conceditur à Prælato. ibid 9

Indulgentia, per quam nobis applicantur merita, & ſatisfactiones Chriſti Domini, & Sanctorum, eſt vel plenaria, vel non plenaria, ſeu partialis. Plenaria, ſeu totalis eſt illa, quæ per ſe totum reatum pœnæ tollit, quæ poſt culpam remiſſam fortè remanſit: partialis verò,ſeu non plenaria Indulgentia eſt illa, quæ per ſe pars tantùm pœnæ remittitur, vt eſt indulgentia 40. dierum, vnius anni, centum, aut centum mille annorum. 2.229.13

Quoad rationem indulgentiæ nulla eſt diſtinctio inter indulgentiam plenariam, pleniſſimam, & Iubilæum, niſi quædam accidentalis ratione adiunctorum. ibid.34

Paludanus verò affirmat indulgentiam plenariam eſſe qua relaxatur omnis pœna mortalium tantùm, & quòd plenior indulgentia ſit illa, qua relaxantur pœnæ debitæ mortalibus, & venialibus iam dimiſſis. ibid.

Pleniſſima tandem eſt illa, qua non ſolùm relaxatur pœna mortalium & venialium, ſed etiam ipſa culpa venialis, & in hac pleniſſima poteſt verificari illud, quod dicitur, abſolutio à culpa, & pœna, ſcilicet à tota pœna, & culpa veniali eo modo, quo explicauimus ſuprà ibid.

Iubilæum verò addit quaſdam ſolemnitates, & quia in Iubilæo ſolet concedi maior poteſtas abſoluendi à caſibus, & cenſuris reſeruatis commutandi vota, & interdum diſpenſandi ſuper rebus malè poſſeſſis, quarum veri domini ignorantur. ibid.

At communior eſt opinio, nullam ſcilicet dari diſtinctionem quoad rationem indulgentiæ inter indulgentiam plenariam, pleniorem, pleniſſimam, & Iubilæum, niſi quandam accidentalem ratione adiunctorum. Vnde quoad rationem indulgentiæ ſolo nomine differunt. ibid.

Quando Pontifices vltra indulgentiam plenariam concedunt tot dies, vel tot quadragenas, vel ſeptenas de indulgentia, id fit ad cautelam, vt ſi cauſa ob quam conceditur indulgentia,non ſit verè ſufficiens ad indulgentiæ plenariæ conceſſionem, ſaltem is,cui talis Indulgentia conceditur, lucretur illos dies, vel quadragenas. ibid.35

Quando conceditur indulgentia plenaria de pœnitentiis iniunctis, talis indulgentia eſt plenaria, & totalis, quæ ſcilicet totum per ſe pœnæ reatum tollit, qui poſt culpam remiſſam fortè remanſit. ibid.36

Per Indulgentias, ſeu Iubilæum non liberatur homo à pœnitentiis ſibi iniunctis à Confeſſario, quæ ſunt medicinales & præſeruatiuæ futurorum peccatorum. 2.230.37

Pœnitentiæ præſeruatiuæ à peccatis præcipuè ſunt, dimiſſio concubinæ, depoſitio officij, quod ſine peccato exerceri nequit, dimiſſio conuerſationis, qua prudens Confeſſor credit in mortale peccatum lapſurum pœnitentem, ſi illam non deſerat, reſtitutio alieni, odij mortalis depoſitio: hæ pœnitentiæ vt ſunt neceſſariò imponendæ, nec abſoluendi pœnitentes ſi ipſas non acceptent, ita per indulgentias suppleri non poſſunt. ibid.

Per nullam, quantumuis amplam, & plenariam indulgentiam, etiamſi concedatur expreſsè de pœnitentiis iniunctis, deobligatur pœnitens à pœnitentia perſoluenda ſibi à Sacerdote iniuncta in confeſſione. ibid.38

Satis etiam probabiliter dici poteſt quòd pœnitens poſtquam acceptauit pœnitentiam in punitionem ſuorum peccatorum ſibi à Sacerdote iniunctam, poteſt poſtea adueniente indulgentia liberari ab illa ſoluenda, & eximere ſe ab omni opere pro pœna ſuorum peccatorum iniuncto. ibid.

Vt pœnitens tuta conſcientia omittere poſſit pœnitentiam ſibi iniunctam à Sacerdote in confeſſione, ſi indulgentiam conſequatur, ſufficit quòd ſibi de inualiditate confeſſionis non conſtet, & bona fide ipſe putet eſſe validam, & fuiſſe in gratia tempore effectus indulgentiæ. ibid.39

Pœnitens, cui in pœnitentiam à Sacerdote, e. g. impoſitum fuit vt per annum ſingulis diebus ſacratiſſimum Roſarium recitaret, ſi poſtea concesſa indulgentia plenaria à R. P. omnia peragit pro illa conſequenda, ab iniuncta illa pœnitentia liber remanet. ibid

Conſultiſſimum tamen eſt ſemper totam pœnitentiam ſacramentalem iniunctam à Sacerdote implere. 2.231.40

Pœnitens grauatus multis ſacramentalibus pœnitentiis, ſi de illis conqueritur, poteſt Confeſſarius illas commutare, imponendo pœnitenti aliquid loco cuiuſcumque confeſſionis, vt omnes illæ integræ reddantur, licèt in multa minori quantitate, quàm à principio fuerint illæ aliæ pœnitentiæ iniunctæ, præcipiendo pœnitenti, vt alicuius indulgentiæ ſe participem reddat. ibid.41

In omnium opinione, quando conceditur indulgentia, vel Iubilæum pœnitentibus, ſemper eſt imponenda aliqua pœnitentia, licèt multò minor, quàm imponeretur ſi non eſſet indulgentia, vel Iubilæum præter id, quod in ipſo Iubilæo imponitur. ibid.42

Pœnitens acceptando pœnitentiam ſibi impoſitam in ſacramentali confeſſione, ſi poſtea indulgentiam conſequatur, non peccat. ibid.43

Melius, & ſecurius eſt quòd ab ipſo Confeſſario annumerentur omnes illæ pœnitentiæ non adimpletæ in aliis confeſſionibus iniunctæ, & loco vniuſcuiuſque aliqua leuiſſima pœnitentia apponatur, vt ſacramenta reddantur integra. ibid.44

Cùm conceditur à R. P. indulgentia plenaria, tunc remittitur pœna peccatorum mortalium, & venialium remiſſorum, ita vt nec vlla in hoc ſæculo, nec in Purgatorio maneat ſoluenda pro illis; quando verò dicitur concedi indulgentiam tot dierum, vel tot annorum, ſenſus eſt tantum pœnæ in Purgatorio debitæ remitti tunc, quantum remitti poſſet per tot dierum, vel annorum iuſtam pœnitentiam in hac vita peractam. ibid.45

Item indulgentia vnius carenæ eſt relaxatio tantæ pœnæ, quanta redempta fuiſſet per pœnitentiam 40. dierum in ieiunio panis, & aquæ, & per pœnitentiam etiam aliam ſeptem annorum ſequentium: iſti tamen quadraginta dies ſtrictiſſimæ pœnitentiæ includebantur in annis ſeptem ſequentibus, ſicuti quando conceditur indulgentia tot annorum cum quadragenis, quadragenæ non debent computari extra tempus annorum conceſſorum, ſed continentur in illis tot annis indulgentiæ conceſſis. ibid.

Item indulgentia vnius quadragenæ eſt relaxatio tantæ pœnæ, quanta fuiſſet redempta per pœnitentiam quadraginta dierum: erat aſperiſſima, & ſtrictiſſima pœnitentia, vt ſolo pane, & aqua, qui illam antiquitus peragebant, contenti eſſe deberent. ibid.46

Item indulgentia vnius ſeptenæ eſt relaxatio tantæ pœnæ, quanta fuiſſet redempta per pœnitentiam ſeptem annorum. ibid.

Item quando conceditur indulgentia tertiæ, aut quartæ partis peccatorum, tunc intelligitur de remiſſione pœnæ debitæ pro tanta parte peccatorum, quanta ſignificatur in indulgentia: ſimiliter ſi conceditur indulgentia mille annorum, vel bis mille annorum, tunc remittitur pœna illa, quæ remitteretur ſi homo toto illo tempore ſecundùm Canones, aut ſecundùm Dei Iuſtitiam pœnitentiam ageret. ibid.47

Qui in principio Iubilæi fraudulenter, & ſine animo exequendi opera iniuncta, caſus reſeruatos confitetur, non remanet abſolutus, ſi omnia requiſita ad conſequendum Iubilæum non adimplet. ibid.48

Qui tempore Iubilæi tali fraude vteretur, non eſſet legitimè confeſſus, nec abſolutus, nedum à reſeruatis, ſed neque etiam à non reſeruatis. ibid.49

Qui verè intendebat lucrari Iubilæum cum intentione, & animo adimplendi omnia requiſita ad conſequendum Iubilæum, & ſic fecit ſe abſoluere ab omnibus caſibus, & cenſuris reſeruatis, ſi poſtea mutata voluntate non implet, quæ remanent adimplenda, puta non facit eleemoſynam, non ieiunat, &c hic licèt non conſequatur indulgentiam plenariam, remanet tamen verè abſolutus à caſibus, & cenſuris reſeruatis. ibid.50

Etiam vota commutata tempore Iubilæi non ampliùs redeunt, ſed manent benè commutata, licèt pœnitens poſtea non præſtet neceſſaria ad conſequutionem Iubilæi. ibid.51

Qui animo, & intentione non adimplendi ea quæ imponuntur ad conſequutionem Iubilæi, ſi abſoluatur à reſeruatis, & votorum commutationem obtinuerit verè & propriè, non eſt abſolutus neque à reſeruatis, neque à non reſeruatis. 2.233.52

Qui tempore Iubilæi abſoluitur à caſibus & cenſuris reſeruatis, antequam compleat reliqua opera, quæ diploma recipit, ſi obliuiſcitur alicuius caſus, vel cenſuræ, & deinde recuſat facere reliqua opera ad Iubilæum requiſita, talis ab illis peccatis reſeruatis oblitis poteſt à quocumque alio Sacerdote habente ſolùm facultatem communem, abſolui. ibid.53

Qui verò tempore Iubilæi non eſt confeſſus ex eo, quòd non habet mortalia, ſi poſtea recordetur alicuius caſus, vel cenſuræ reſeruatæ, non remanet immunis à reſeruatione. ibid.54

Probabile eſt etiam aſſerere, quòd tranſacto tempore Iubilæi poſſint commutari vota oblita ante illud emiſſa, nec tunc commutata. ibid.55

Rationabiliter etiam dicere poſſumus, quòd pœnitens ſi tempore Iubilæi memor voti emiſſi noluerit

commuta

commntationem petere, integrum eſſe ei tranſacto Iubilæo eam petere etiam poſt annum ſi ipſe intra tempus Iubilæi opera ad Iubilæi conſequutionem præſcripta præſtitit. ibid.56

Vota verò oblita non poſſunt tranſacto Iubilæo verè ooo comparato ampliùs commutari. 2.234.57

Qui tempore iubilæi omnia ad illius conſequutionem neceſſariò requiſita adimpleuit, non tamen eſt confeſſus eo, quòd præmiſſa ſufficienti conſcientiæ examine nullius peccati mortalis meminit, hic non lucratur Iubilæum, ſi aliàs non confitetur peccata venialia, ſi poſt vltimam ſuam confeſſionem non commiſit peccatum mortiferum. ibid.58

Qui facit omnia quæ requiruntur ad lucrandam indulgentiam, & facit confeſſionem informem, exiſtimans ſe facere formatam, tranſacto poſtea tempore Iubilæi, ſi faciat confeſſionem formatam, vel habear contritionem, homo in iſto caſu non conſequitur indulgentiam. ibid.59

Lethali peccato infectus non poteſt quærere indulgentiam, etiam pro peccatis ſibi aliàs dimiſſis. ibid.60

Quamuis peccator exiſtens in mortali toto tempore Iubilæi, poſtea recedente fictione non lucretur indulgentiam: potuit tamen Summus Pontifex hoc concedere, quòd ſcilicet qui fecerit tempore Iobilæi operà ſignata, in illo conſequatur indulgentiam in tempore, in quo habuerit contritionem. ibid.

Qui virtute Iubilæi abſolutionem obtinuit à Confeſſario approbato, ſed oblitus eſt alicuius peccati reſeruati, directè remanet abſolutus à reſeruatione peccati inculpabiliter obliti, & ſic non tenetur poſtea tranſacto tempore Iubilæi vt abſoluatur ab illo accedere ad Confeſſarium habentem facultatem abſoluendi à reſeruatis. 2.235.61

Qui ante tranſactam hebdomadam conceſſionis Iubilæi fuit abſolutus à caſibus, & cenſuris reſeruatis, ſi denuò in eadem labitur ante expleta opera in Iubilæo præſcripta, poteſt iterum eadem hebdomada ab illis abſolui. ibid.62

Qui priori hebdomada expletis omnibus operibus in Iubilæo præſcriptis fuit à caſibus, & cenſuris reſeruatis abſolutus, ſi denuò in peccata, & cenſuras reſeruatas reincidat, non poteſt poſteriori hebdomada Iubilæum lucrari, & à prædictis abſolui, ſi iterum opera requiſita perficiat. ibid.

Abſolutus vigore Iubilæi in prima hebdomada à peccatis reſeruatis, ſi extante rationabili cauſa Confeſſario concedente in ſecundam hebdomadam Iubilæi diſtulit communionem, ſi denuò durante tempore Iubilæi in peccata reſeruata ruat, & vota ſimiliter Sedi Apoſtolicæ reſeruata emittat, poteſt ab his peccatis reſeruatis iterum commiſſis abſolui, & vota de nouo emiſſa ſibi poſſunt commutari in ſecunda hebdomada antequam communicet. ibid.63

Pœnitens ſimiliter ſi poſt adimpleta opera præſcripta Iubilæi in prima, vel ſecunda hebdomada confeſſionem, vel communionem de conſenſu Confeſſarij diſtulit in aliud tempus extra finitum Iubilæum, poteſt in hoc caſu abſolui ab omnibus caſibus reſeruatis, & ſibi poſſunt commutari vota emiſſa infra ſecundam & primam hebdomadam Iubilæi finito tempore Iubilæi, puta in alio die tertiæ hebdomadæ. ibid.64

Volens Iubilæum obtinere tenetur omnia opera, quæ in Bulla exiguntur per ſe loquendo, vna eadémque hebdomada adimplere. 2.236.65

Satis etiam probabiliter dicitur quòd ſi quis tempore Iubilæi prima hebdomada viſitat Eccleſias, ieiunat, eleemoſynam præbet, & die Dominico immediatè ſequenti confitetur peccata ſua, & communicat, conſequitur Iubilæum. ibid.

Fidelis, qui intra vnam hebdomadam Iubilæi expleuit omnia opera ſignata pro conſequutione Iubilæi, ſi ex aliqua ignorantia, & negligentia etiam culpabili tunc fuit abſolutus ſine fructu, dummodo confeſſio fuerit vera, licèt informis, & communicauit in peccato mortali, & tamen poſtea intra eandem hebdomadam fundens orationes pro intentione Iubilæi contritus redit ad cor, lucratur Iubilæum. ibid.66

Qui tempore Iubilæi Anni ſancti in peccato mortali impleret viſitationes Eccleſiarum, ſi poſtea anno durante, qui incipit à primis veſperis Natiuitatis Domini, & in eiſdem incluſiuè reuoluto anno finitur confeſſus in Dei gratiam rediret, quamuis etiam in patriam fuiſſet reuerſus, conſequeretur talis fructum Iubilæi Anni ſancti. ibid.67

Si quis pro conſequutione indulgentiæ, & cuiuſque Iubilæi fecerit veram, & validam confeſſionem, ex ignorantia tamen informem, & communicauerit in peccato, & ſine fructu, ſerò tamen die Dominico antequam expiraret terminus Iubilæi per contritionem iuſtificaretur, etiam ſi tempore præcedenti fuerit inimicus, & omnia opera requiſita perfecerit in peccato, vtique conſequeretur indulgentiam Iubilæam. ibid.

Qui poſtquam confeſſus fuit, & excommunicauit, ſi poſt communionem incidit in aliquod peccatum mortale, vt conſequatur Iubilæum, non tenetur iterum confiteri, ſed ſufficit, vt de illo peccato conteratur, & ſic durante tempore Iubilæi, cùm ſit in gratia, per contritionem lucrabitur indulgentiam Iubilæam. ibid.68

Similiter recordatus alicuius peccati mortalis obliti, non tenetur iterum confiteri, ſi aliàs primò eſt confeſſus. 2.237.69

Probabile eſt aſſerere, quòd qui in peccato mortali ſacram Euchariſtiam ſuſcipit, Iubilæo ſatisfaciat, ſuppoſito, quòd communio non ſit vltimum opus iniunctum, & quòd antequam expiret terminus Iubilæi, iuſtificetur per contritionem. ibid.70

Probabilius tamen, & verius videtur dicendum, hunc non ſatisfacere Iubilæo ſi ſacram Euchariſtiam ſuſcipit in peccato mortali. ibid.

Infamis, & infamatus.

Aliud eſt eſſe aliquem infamatum, aliud autem eſſe infamem. Infamis dicitur cùm crimen, in quòd incidit aliquis, vel eſt confeſſus in iudiciu, vel de eo conuictus quis eſt, vel à iudice tanquam infamis punitus, & damnatus, vel crimen enorme commiſſum eſt ita notorium in ciuitate, collegio, vicinia, vel loco, vt nulla tergiuerſatione celari poſſit. Infamatus autem dicitur, cùm quis eſt publicè accuſatus de aliquo delicto, ſed nondum eſt vel conuictus illius criminis, vel crimen illud confeſſus, nec crimen illud eſt notorium notorietate facti. 2.204.14

Infamatus in iudicio publicè accuſatus reſtituitur in integrum per canonicam criminis purgationem. ibid.

Purgatio canonica fit aliquando per ſolum iuramentum ipſius infamati coram ſuo iudice, aliquando etiam per iuramentum teſtium compurgatorum. ibid.

Infamatus poſt purgationem canonicam non eſt ab Ordinibus repellendus; interim tamen, dum infamia durat non eſt ordinandus. ibid.

Infamia eſt frequens vox bonorum & proborum virorum, quæ hominem de tali crimine ſuſpectum red-

dit ; ad infamiam ergo iudicialem requiritur, vt ſit frequens opiniu & vox bonorum, vux enim diſcolorum, & homioum infimæ ſortis, non efficit legitimam, & iudicialem infamiam. 2.313.30

Vt infamia probet, deſideratur vt ipſa plenè, & verè probata ſit, vt ſaltem duplici teſte prubata ſit. ibid.

Infidelitas.

Licèt habitus infidelitatis poſſit tolli in peccatore per actum fidei, & ſimiliter habitus deſperationis in peccatore auferri poſſit per actum ſpei; ramen habituale peccatum infidelitatis, quod remaner rrauſacto actu infidelitatis, & habituale peccatum deſperationis, non tollnntur per actum fidei, ſed per ioſuſionem diuinæ gratiæ. 2.137.7

Habitus infidelitatis tollitur ab homine manente in peccato mottali per actum fidei. ibid.

Ingratitudo.

Ingtatitudu eſt vitinm oppoſitum gratiæ, ſeu gratitndini. 2.150.2

Ingratitudo eſt duplex, alia materialis, alia formalis, ſeu ſpecialis. Ingratitudo materialis ad Deum eſt in quolibet peccato, iu quantum ſcilicet homo facit aliquid, quod poreſt ad ingratitudinem pertinere: formalis autem eſt qoando actualiter beneficium contemnitur, vel non apptetiatur, aut non recogooſcitur, & ſic eſt ſpeciale peccatum, & ingratitudo formalis. idid.

Ingratitudo materialis, quæ vagatur per omnia peccata, non eſt neceſſariò aperienda in confeſſione, qualis ingratitudo repetitur in reincidentia in idem, vel in eadem peccata. 2.151.3

Ingratitudo verò formalis, quæ eſt ſpeciale peccatum, vt ſi quis ea intentione peccaret, vt de induſtria vilipenderer beneficium præteritæ remiſſionis, extra controuerſiam eſt quòd debet iu confeſſione declatari. ibid.

Peccata commiſſa poſt præcedentia remiſſa, eſſe quidem grauiota ratione ingratitudinis, quàm alioquin eſſenr præmiſſa eitcumſtantiâ ingratitudinis, & ideò debetur maior teatus pœnæ tatione ingratitudinis, quàm illa præciſa. ibid.4

Peccata tamen commiſſa poſt præcedentia remiſſa, non ſemper ſunt grauiora, vel æqualia peccatis antè remiſſis. ibid.

Non eſt neceſſarium, quòd per ingratitudinem peccati ſequentis conſurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum priùs dimiſſorum. ibid.5

Pro maiore, vel minore grauitate, & numero peccatorum priùs remiſſorum eſt maior, vel minot ingtatitudo in ſequenti peccato. ibid.6

Quo maior eſt ingtatitudo in peccato commiſſo poſt præcedentem peccatorum temiſſionem, eo maior ex parte ingratitudinis, eſt reatus pœnæ in peccato ſubſequenti. ibid.7

Idem omninò peccatum æquale, puta furtum, ſi committitur à Petro, & à Ioanne, à Petro tamen committitnr poſt remiſſionem grauiſſimorum peccatorum, à Ioanne verò poſt remiſſionem leuium crimioum, grauius erit in Petro furtum illud commiſſum ratione maioris ingratitudiuis, quàm in Ioanne, quamuis ſecundùm rationem ſpecificam ſit æquale in ambobus. ibid.8

Pœna ramen maior, quæ debetur peccato præſenti, ratione circumſtantiæ ingratitudinis poſt præcedentium peccatorum remiſſionem non erit tanta, quanta fuerar debita peccatis dimiſſis. 2.152.init.

Si quis tamen poſt remiſſionem præcedentium peccatorum committeret peccatum adulterij, & ſimiliter eſſet ingratus formaliter, tnnc fieri poſſet, vt illud peccatum adulterij cum tali ingratitudine formali annexa æquaret malitiam, & pœuam omnium præcedentium, atque etiam aliquando ſuperaret, quando non eſſent ita grauia. ibid.9

Non ſolùm reatus pœoæ ſenſus ſemper non redit totus, vel æqualis per ſequena peccatum poſt præcedeotium peccatorum remiſſionem; ſed nec etiam pœnæ damni reatus, quæ in priuatiune beatitudinis, & carentia diuinæ viſiunis conſiſtit. ibid.10

Pœna damni maiot, vel minot non conſiſtit eſſentialiter, & propriè in illa maiori, vel minori triſtitia, quàm damnati patiantut iu infetno. ibid.11

Peccatum commiſſum poſt pœnitentiam, ſeu poſt remiſſionem præcedentium peccatorum, maius eſt, cæteris paribus, ratione ingratitudinis, quàm peccatum commiſſum poſt innocentiam, id eſt, poſt gratiam baptiſmalem. ibid.12

Datis duobus hominibus iuſtis æqualibus in gratia quantum ad eſſentialia, differentibus verò tantùm in hoc, quòd vnus numquã peccauit poſt acceptam gratiam baptiſmalem, alius peccauit, & poſtea egit pœnitentiam: pœnitens iuſtus poſt temiſſionem peccatorum magis tenetnr ad gratias Deo agendas, & magis eſſet ingratus recipiens temiſſionem peccatorum, non ferendo Deo debiras gratias, quàm innocens, qui nunqoam peccauit. ibid.

Cum vitium ingratitudinis opponatur gratiæ, hoc eſt, rei gtatis datæ; maior, vel minor iugratitudo illa erit, quæ gratiæ magis, vel minns gratis datæ opponitur, & quia remiſſio peccati actualis, eſt gratia collata homini baptizato, magis gratis, quàm gratia baptiſmalis, quia remiſſio peccati actualis fit magis inimico; gratia verò baptiſmalis minus inimico. ergo ratione ingratitudinis, cæteris paribus, magis peccat homo per ſecundum peccatum, quàm per primum, quia per ſecundum peccatum, facit contra gratiam magis gratis collatam. 2.153.17

Iniuria.

Quando quis grauem aliquam iniuriam intulit Principi, vel Superiori, tenetur iu confeſſione aperire circunſtantiam perſonæ, & non ſatisfacere dicendo ſe iniuriam alteri intuliſſe. 2.69.48

Innocentia, vide Pœnitentia.

Innocentiæ donum Adæ datum.

Donum innocentiæ datum Adæ, quamuis ex quantitate dati fuerit maius bonum quàm remiſſio peccati poſtquam ille deliquit: tamen remiſſio, & venia peccati per gratiam fuit maius donum, & beneficium ex modo donationis. 2.153.14

Intemperantia.

Per actum temperantiæ, quem poteſt homo exiſtens in culpa lethali habere, tollitur quidem habitus intemperantiæ in eſſe rei; non tamen peccatum veniale intemperantiæ exiſtens in homine peccatore, aufertur per actum temperantiæ. 2.138.9

Interdictum.

Interdictum generale locale, & generale perſonale neminem excludit à participatione ſacramenti Pœnitentiæ, paſſiuè loquendo: niſi illum qui cauſam interdicto dedit, vel eſt ſpecialiter perſonaliter interdictus. 1.327.7

Iure nouo certum eſt interdictis interdicto generali loci, vel generali perſonali conceſſum eſſe ſacramentum Pœnitentiæ. ibid.

Excipiuntur tamen illi, quorum culpa, dolo, vel fraude latum eſt interdictum, ſiue fuerint cauſa interdi-

cti

ἀi generalis loci, vel generalis perſonalis, ſiue ſint in ſua perſona ſpecialiter interdicti, qui quidem ſi non ſint culpabiles, ſimpliciter admitti poſſunt ad ſacramentum Pœnitentiæ. ibid.

Si verò ſint culpabiles, nequaquam admitti poſſunt ad Confeſſioois ſacramentum, niſi priùs ſatisfecerint, vel idoneam ſaltem cautionem dent de ſatisfaciendo. ibid.

Vide *Cenſura.*

Interdictus, vide Excommunicatus.

Irregularitas.

Irregularitas alia eſt vera pœna, quæ incurritur propter delictum; alia non eſt vera pœna, ſed incurritur propter decentiam. 1.4.2

Aliquæ irregularitates ſunt cēſuræ, & pœnæ Eccleſiaſticæ, & inhabilitates ex defectu ſignificationis, huiuſmodi ſunt omnes irregularitates, quæ contrahuntur ex homicidio culpabili, & voluntario. qua parte homicidium eſt culpabile, & voluntarium, ſunt cenſuræ, & pœnæ illius culpæ; qua parte verò eſt homicidium, & effuſio ſanguininis, eſt inhabilitas ex defectu ſigoificationis, lenitatis ſcil. perfectæ. ibid.

Ab irregularitate, quæ contrahitur ex defectu ſignificationis, non poteſt aliqois abſolui per Bullam Cruciatæ, Iubilæum, vel priuilegium. 1.5.3

Ab irregularitate, quæ ſimul eſt inhabilitas, cenſura, ac pœna, non poteſt quis abſolui per Bullam Cruciatæ, Iubilæum, vel priuilegium aliquod. ibid.

Probabile eſt quòd ab irregularitate, quæ eſt purè pœna, & contrahitur ex ſolo peccato, poſſit Confeſſarius abſoluere virtute Bullæ, & Iubilæi, in quo habetur clauſula, vt valeat abſoluere à cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis. ibid.

Duo ſunt neceſſaria ad irregularitatem incurrendam ex delicto notorio. Primum eſt vt crimen ſit notorium, ſecundum vt delictum ſit enorme, id eſt, depoſitione dignum, id eſt, de quo in iure conſtitutum eſt, quòd puniatur depoſitione. 2.204 16

Crimen in iure depoſitione dignum, eſt adulterium, & cætera peccata carnis eo maiora, homicidium, blaſphemia, periurium, ſacrilegium, maleficium, hæreſis, ſimonia, concubinatus diu continuatus, ſiue fornicatio diu continuata, ſtuprum virginis, inceſtus etiam cum filia ſpirituali. ex his omnibus, & aliis quantumuis enormiſſimis criminibus irregularitas non incurritur ſi factum ſit occultum. ibid.

Vide *Bellum, Cenſura.*

Iubilæum, vide Indulgentiæ.

Iuramentum.

Eius natura.

Iuramentum eſt inuocatio diuini teſtimonij in dicti alicuius confirmationem, vnde iurare eſt Deum in teſtem vocare. Quatuor ſunt ſpecies iuramenti, aſſertorium ſcilicet, promiſſorium, comminatorium, & execratorium. Aſſertorium eſt quando negatur, aut affirmatur aliquid præſens, aut præteritum: promiſſorium in quo affirmatur futurum, aut negatur comminatorium, in quo promittitur malum pœnæ, vt, Per Deum caſtigabo te: execratorium in quo affirmatur, vel negatur aliquid ſibi, apponendo pœnam, vt dicendo, Deus me deſtruat, niſi hoc ita ſit. 2.303.1

Tria requiruntur, vt ſit licitum iuramentum, videlicet veritas, iuſtitia, & iudicium. Veritas in iuramento requiſita conſiſtit in hoc vt iurans non leui, ſed probabili coniectura, & prudenter arbitretur verum eſſe quod iurat: iuſtitia iuramenti conſiſtit in hoc vt iuramentum non fiat de re illicita, propterea iurans ſe fornicaturum, grauiter peccat; qui verò iurat ſe facturum aliquod veniale, vt prolaturum verbum otioſum, peccat venialiter. Iudicium in iuramento requiſitum in hoc conſiſtit, vt iuramentum fiat cum neceſſitate & reuerentia, ideò ſi fiat ſine neceſſitate, vt in re leui, quam non ſit neceſſe iuramento confirmare, committitur peccatum defectu iudicij: quamquam hoc peccatum ſit ſolum veniale. ibid.2

Si quis audiuit aliquid à viro fide digno, poteſt extra iudicium iurare ita eſſe ibid.3

Iuramenti adimpletio.

Ex iuramento facto abſque animo iurandi, non oritur obligatio ex vi iuramenti coram Deo. 2.304.1

In foro tamen externo iurans abſque animo iurandi cogeretur ad ſeruandum iuramentum ob præſumptionem veri iuramenti. ibid.

Ratione tamen ſcandali, quod oriretur ex tranſgreſſione iuramenti, obligatur iurans ſtare iuramento facto aoimo ficto abſque voluntate iurandi: ſicut etiam ſtare teneretur iuramento quando iuramenti adimpletio neceſſaria eſt ad impediendum damnum cuius eſſet cauſa iurans, non adimpleto iuramento fictè & dolosè facto. ibid.

Ex iuramento facto animo iurandi, ſed cum animo non ſe obligandi, oritur obligatio ex vi iuramenti. ibid.2.

Vouens tamen cum expreſſa intentione, ſe non obligandi, non tenetur ſeruare votum. ibid.3

Ex iuramento facto cum animo non adimplendi, naſcitur obligatio ex vi iuramenti. ibid.4

Vouens ſimiliter aliquid cum animo ſe obligandi, voluntate tamen non adimplendi quod vouit, tenetur ad votum. ibid.5

Vouens aliquid Deo ſciens ac volens, nihil tamen cogitans ſe obliget, nec ne, voti nexu, & vinculo tenetur. ibid.6

Iurare verum ſine intentione iurandi, ſi rationabiliter exigitur iuramentum, vel ſi fiat in iudicio, eſt peccatum mortale: & ad obſeruantiam iuramenti ſic iurans tenetur, non quia fuerit verum iuramentum, ſed propter ſcandalum. 2.305.7

Quando quis iniuſtè, & irrationabiliter cogitur iurare, non committit peccatum mortale iurando cum animo non iurandi, ſi iurans iuret verum. ibid.

Iurans verò cum animo non iurandi, quando iuramentum irrationabiliter exigitur, ſi falſum eſt quod iurat, & iuramentum ad rem falſum refert, peccat mortaliter. ibid.7

Iniuſtè, & irrationabiliter coactus ad iurandum, ſi non habet animum iurandi, ſi falſum eſt quod iurat, ſiue in iuramento aſſertorio, affirmando falſum, ſiue in promiſſorio, non habendo animum implendi, ſi per iuramentum illud extrinſecum non intendit materiam illam falſam confirmare, ſed ſolùm vſurpat illa verba ad ſignificandum aliquid mente conceptum, aut non intendit per illa verba quidquam confirmare, non peccat mortaliter ſecluſo ſcandalo. ibid.8

Quando aliquis inuitus compellitur ad hoc quòd ſub iuramento aliquid promittat, vt ſi coactus vi & metu à latrone iurat ei daturum ſe centum aureos, tenetur illi dare. ibid.9

Dubitans vtrùm iurauerit, nécne, & an habuerit veram intentionem iurandi, & obligandi ſe, nécne, talis ſi poſt adhibitam ſufficientem diligentiam inquirendo, an habuerit veram intentionem iurandi, nécne, adhuc remanet dubius, poteſt deponere dubium, &

& coram Deo deobligatus manebit à vinculo iuramenti. ibid.10

Coactus à latrone iurare ſe daturum illos nummos, poteſt abſque periurio id iurare, retinendo mente, ſi ad id ſecluſo iuramento teneor, nec eſt periurus ſi intendit non dare, ſciens minimè teneri. 2.306.11

Similiter ſi iurat ſe daturum, concipiendo intra ſe, ſi mihi placuerit, tunc nec peccat, nec tenetur illos perſoluere. ibid.

Vt iuramentum obliget, non requiritur vt iurans formalem & actualem habeat intentionem ſe obligandi, ſed ſufficit vt iurans velit iurare, ſciens naturam iuramenti, ſeu ſciens iuramentum obligare. ibid.12.

Iuramentum ſub æquiuocatione.

Non eſt illicitum in iuramento vti æquiuocatione & verbis amphibologicis, addendo reſtrictionem aliquam in mente, quoties aliquid incommodi, vel iniuriæ nobis impendet loquendo ad mentem interrogantis, ſi interrogatus ſit perſona priuata. 2.307.1

Quando quis nemine petente ſe ad iurandum offert, ſi nulla neceſſitas, aut vtilitas ad iuramentum cogit, nequit vti æquiuocationibus, aut verbis amphibologicis iurando. ibid.

Si neceſſitas, vel vtilitas vtendi æquiuocationibus & verbis amphibologicis cogit, parum refert ſiue rogatus, ſiue non rogatus quis iuret, vt ad placandum proximum, vel ad reſtituendam famam iniuſtè ablatam, & ita poteſt quis ſe ſponte ſua ad ſic iurandum inuitare. ibid.

Quando quis crimen occultum fratris reuelauit, ex quo iniquè infamauit proximum, ſi alio modo famam proximo reſtituere non poteſt, niſi dicendo ſe falſum dixiſſe, & mentitum fuiſſe, poteſt ita dicere iuſtè & licitè. ibid.2

Qui crimen occultum, licèt verum, alterius manifeſtauit, poteſt ſic licite famam reſtituere, ſi dicat ſe quidem tale quid narraſſe, ſed in eo fuiſſe mentitum, aut dixiſſe falſum. ibid.

Qui famam abſtulit alteri, falſum crimen ei imponendo, vel crimen verum, ſed occultum detegendo per infamiam, non tenetur dicere reſtituendo ei famam ſe eſſe mentitum, ſe dixiſſe falſum, ſi notabilem iacturam propriæ famæ incurreret, quæ longè maioris momenti ſit, quàm fama illius, quem diffamauit. ibid.3

Cum æquali infamia tenetur infamator famam alterius iniuſtè læſam reparare, & dicere, ſi aliter fama proximo reſtitui non poteſt, ſe eſſe mentitum, ſe falſum dixiſſe. ibid.

Doloſè iurans, & ſophiſticè vtendo æquiuocationibus, & amphibologiis, quoties id neceſſarium, aut vtile non eſt, neque ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium actum virtutis, ita vt veritatis occultatio cenſeatur expediens, ac ſtudioſa, ſed ſolùm ioci cauſa ſic iurat, vt quando quis iurat, Seium, v.g. eſſe ſuſpenſum, mente concipiendo, eius imaginem ſuſpenſam eſſe ad feneſtram, vel ad parietem, ſecluſo ſcandalo, & damno, peccat tantùm venialiter. 2.308.4

Caret culpa vti amphibologiis in ioco & in ridiculis, ſi id fiat abſque iuramento, & cauſa iuſtæ recreationis. ibid.

In iudicio verò, iudice legitimè interrogante, & in materia aliis præiudiciali, eſt peccatum mortale verbis quibuſuis ambiguis vti. ibid.5

Qui ab alio quàm à ſuo iudice competente interrogatur, vel etiam dum interrogatur à ſuo iudice, ſed non iuridicè rogatus vt iuret de dicenda veritate, poteſt licitè vti amphibologia, & poteſt reſpondere ſe neſcire, vel non vidiſſe id de quo interrogatur, etiam ſi aliàs ſciret, & vidiſſet, addita reſtrictione in mente, vt teneatur dicere. ibid.

Teſtis etiam iuratus ſi ex denonciatione, vel teſtificatione aliquod notabile damnum ſibi, ſuiſque timet, poteſt vti interrogatus, etiam iuridicè, æquiuocationibus, & amphibologiis ſine mendacio, & ſine periurio. ibid.6

Qui venit è loco, qui falsò putatur infectus peſte, poteſt cuſtodibus vrbis cum iuramento reſpondere, ſe non venire à tali loco, addendo tacitè, vel mente concipiendo, hodie, vel vbi ſit peſtis. 2.309.7

Clerici & Religioſi venientes ex loco verè peſtilenti, ac de hoc rogati ab vrbis cuſtodibus, tenentur ad ipſorum cuſtodum mentem iurare. ibid.8

Clericus, vel Religioſus rogatus à cuſtodibus vrbis, an aliqua portet, eo fine vt gabellam ſoluere compellatur, poteſt iurare ſe nihil portare, intelligendo ex quo gabellam debeat. ibid.9

Qui habet iuſtam cauſam celandi aliqua bona ne capiantur a creditoribus, quæ ſibi neceſſaria ſunt ad vitæ ſuſtentationem, & ſine quibus cogeretur mendicare, poteſt negare etiam cum iuramento ſe occultaſſe, intelligendo quæ non poſſet occultare, vel quæ teneatur manifeſtare. ibid.10

Idem poſſent iurare teſtes etiam coram iudice, ſcientes ipſum licitè occultaſſe. ibid.

Adultera rogata à marito an adulterium admiſerit, poteſt iurare ſe non fregiſſe matrimonium. ibid.11

Licitum eſt etiam adulteræ rogatæ à marito, an adulterium commiſerit, negare illud commiſiſſe, etiam cum iuramento, concipiendo intra ſe aliam diem ab ea in qua id admiſit. ibid.

Mulier tamen adultera nequit iurare interrogata à marito, an adulterium commiſerit, ſe adulterij crimine carere, eo quòd illud confeſſa eſt. ibid.

Is à quo mutua pecunia petitur, quam re vera habet, poteſt iureiurando affirmare abſque periurio & peccato, ſe eam non habere, intelligendo intra ſe, vt mutuo det, vel ſe non habere pecunias in alio loco, ab eo in quo re vera habet, ſi adeſſet iuſta cauſa non mutuandi: vt ſi ſic iurans illis pecuniis eget ad alium vſum, aut credit fore, vt accipiens ſit tardus, aut difficilis in ſoluendo, aut ignorat qualiter habiturus ſit circa ſolutionem. ibid.12

Si res, quæ petitur, eſt aliquo modo petenti debita, is à quo petitur, ſi iurat, tenetur ſub mortali reſpondere ſecundùm intentionem petentis. 2.310.init.

Si verò res, quæ petitur, non eſt debita aliquo modo petenti, rogatus ad illam dandam, vel commodandam, non peccat mortaliter, iurando ſecundùm intentionem propriam, ſcilicet non habere rem illam vt det illi, vel accommodet, etiamſi nullam aliam iuſtam cauſam habeat ſic iurandi, niſi quia non tenetur. ibid.

Is à quo mutua res aliqua petitur, non debita petenti, quamuis non ſit periurus iurando ſe non habere, quam re vera habet, intelligendo in mente, non habeo vt tibi mutuare velim: peccabit tamen in ea iuramenti æquiuocatione, ſi nulla non dandi, vel mutuandi cauſa ſit. ibid.

Fœmina morti proxima, ac excommunicata, eo quòd viro non cohabitet, quem nouit ob impedimentum occultum non eſſe ſuum, coactaque iurare, vt abſoluatur, fore vt adepta ſanitate illi cohabitet, poteſt illud licitè iurare, intelligendo intra ſe, ſi id mihi licet. ibid.13

Mercatores vendentes ſua mercimonia, qui cùm non

poſſint

poſſint alia via pretium iuſtum ab emprore obtinere, iurant tem ianti, vel tanti ſibi ſteriſſe, alio ſenſu quàm emptores intelligant, non ſolùm ad quidquam non teneri præcisè ratione iurameoti; verùm etiam huiuſmodi venditores oon videntur peccare mortaliter. ibid. 14

Idem dicendum de emptoribus, qui ne cogantur emere mereimonia à mercatoribus ſupra iuſtum pretiom, affirmant ſub iuramento res alias mioori emiſſe, vel ſibi offerti minori pretio, vt venditorer deſcendant ad iuſtum, vel ad infimum prerium, intra iuſtum tamen mente concipiendo res minoris emiſſe, vel ſibi oblatas minuri pretio, quas alio tempore emerunt, tunc hi non ſunt periuri. ibid.

Si quis iniquè interroget excludendo omnem exquiuocarionem, vt ſi quis interroger Confeſſarium, num aliquid ſciat, eacludendo omnem æquiuocationem, ſi videlicer ſeiat vt bomo, vel vt miniſter Dei, ſiue illud ſciat in confeſſione, ſiue extra confeſſionem: ſimilitet ſi iodea teſtem iniquè interroget, an ſciat delictum, ſiue publicè, ſiue occultè commiſſum vt reſpondeat ſecluſa omni æquiuocatione: tunc adhuc poſſunt ſic iniquè interrogati licitè vti æquiuocatione, apponendo aliquam particulam in mente per quam verum efficiatur iuramentum: vt ſi reſpondeant nullo modo illud audiſſe, vel commiſiſſe, mente coucipiendo, vt teneantur iniquè interrogantibus illud dicere. ibid. 15

Creditor ſi virtute inſtrumenti publici exigit coram iudice ſibi debitas pecunias à debitore, etiam ſi pars illius ſummæ debitæ ſoluta ſibi ſit, ſi tantumdem pecuniæ, quantumdem ſolutum eſt, ſit alia via ſibi debitum ab eodem debitore, de quo nullum eſt inſtrumentum publicum, virtute cuius illud exigere poſſit, poteſt iureiurando aſſerere totam quantitatem in eo inſtrumento contentam eſſe ſibi debitam, mente concipiendo, ex alio debito, ſimul cum iſto tanta pecuniæ quantitas mihi debetur, quanta in hoc inſtrumento exprimitur: imò negare poteſt partem ſibi ſolutam fuiſſe, intelligendo vt modò tantumdem non debeatur. ibid. 16

Si quis mutuo accepit ab aliquo centum, & ea integrè ſoluit, poſtea iniquè conuenitur in iudicio, & rogatur ſimpliciter, acceperit, néene mutuo à mutuante, Franciſco, e.g. centum, poteſt iurare ſe non accepiſſe mutuo centum à Franciſco. 2. 311. 17

Mutuo accipiens centum aureos ſoluendos poſt annum, ſi terminus, ad quem mutuum datum fuit, non eſt impletus, rogatus à iudice de mutuo, iurare poteſt ſe illud non accepiſſe, intelligendo, ita vt teneatur illud ſoluere ante terminum impletum. ibid. 18

Si Titius, v.g. verè promiſit Bertæ, etiam cum iuramento, ducere illam in vxorem, non tenetur poſtea ſeruare fidem, ſi illa poſt fidem datam fornicata eſt, immo cum ioramento negare poteſt promiſſionem, intelligendo ita vt teneatur. ibid. 19

Non eſt periurus qui abſolutè negat cum iuramento ſe debere centum, cùm re vera debeat tantùm quinquaginta: aut qui interrogatus de fundo, an ſit ſuus abſolutè, negat ſuum eſſe, ſi ſola fundi pars ſua ſit. ibid. 20

Non ſolùm eſt periurus ille, qui abſolutè negat cum iuramento ſe debere centum, cùm tantùm debeat quinquaginta, & interrogatus de fundo, an ſit ſuus, abſolutè negat ſuum eſſe, cùm tantùm ſola fundi pars ſua ſit, verùm etiam ſi iniquè interrogetur, videlicet vt ſoluat centum, cùm tantùm debeat quinquaginta, vel vt ſoluat maiorem penſionem quàm ſoluere non debet, ſi fatetur fundum ſuum eſſe; ſed eſt etiam liber ab omni culpa, mente concipiendo ſe non debere centum, & totum fundum non eſſe ſuum. ibid.

Licèt is, de quo diximus duabus præcedentibus immediatè aſſertionibus, non ſit periurus, & liber ſit à culpa, ſi iniquè interrogatur: tamen ex alio capite culpæ reus eſſe poteſt. ibid.

Reus ſub iuramento interrogatus à iudice legitimo, ſeruato iuris ordine, non poteſt vti amphibologiis, immo peccat mortaliter illis vtendo, & tenetur veritatem aperire, etiamſi manifeſtata veritate damnandus ſit ad mortem. ibid. 21

Eſt etiam falſum, & omnino improbabile aſſerere reum iuratum iuridicè interrogatum poſſe vti verbis ambiguis ad contegendam veritatem, negando crimen, præſertim in cauſa criminali, quamdiu eſt ſpes euadendi, eo quòd crimen nondum ſit plenè probatum, & ex ipſius confeſſione reus eſt occidendus. 2. 312. 22

Eſt omnino falſum, & improbabile, aſſerere Religioſos grauiſſimis delictis notatos, non tamen plenè probatis, vt ſe non prodant, etiamſi à ſuis Prælatis ſint ſub iuramento iuridicè interrogati de dicenda veritate, poſſe ipſam veritatem verbis amphibulogicis celare. ibid. 23

Reus iuratus non tenetur crimen fateri quando dubitat vtrùm iudex iuridicè, id eſt, ſeruato iuris ordine, interroget. idem dicendum de teſte. ibid. 24

Quando interrogatio iudicis, vel Superioris non tendit ad punitionem, ſed ad impediendum peccatum, ſubditus iuratus tenetur fateri veritatem etiam de occultis, etſi nulla præceſſit infamia, aut ſemiplena probatio, aut indicia, vt cùm promouendus ad Ordines rogatur de natalibus, de cenſuris, de irregularitate, cùm inituri matrimonium interrogantur de impedimentis. ibid. 25

Qui defendendo ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel ſaltem abſque notabili exceſſu, ſeu ſine mortali culpa occidit hominem. non tenetur iuratus fateri ſe hominem occidiſſe, ſed vtendo reſtrictione, in mente negare poteſt ſe homicidium commiſiſſe, etiamſi de homicidio ab ipſo commiſſo præceſſerit infamia. ibid. 26

Qui crimen non commiſit, non tenetur etiam iuratus fateri illas circumſtantias, ex quibus vehemens ſuſpicio capi poteſt ipſum fuiſſe criminis auctorem, ideo negare poteſt hunc eſſe ſuum pugionem, quamuis re vera ſuus ſit, aut ſe eo loci fuiſſe, quamuis ibi verè fuerit, adhibita tamen conuenienti æquiuocatiooe. ibid. 27

Reus iuratus & legitimè interrogatus ſi neget veritatem metu mortis, ad quam iuſtè damnaretur, non tenetur Confeſſarius ei præcipere vt dictum ſuum retractet, & iniuſtè repellit ab abſolutione ſi nolit illud retractare. 2. 313. 28

Tenetur Coofeſſarius monere reum iuratum vt ſit animo præparato, & voluntate confitendi veritatem, ſi iterum interrogetur, quantumuis ſit condemnandus ad mortem. ibid.

Si reus legitimè ſeruato iuris ordine interrogatus, etiamſi non iuret abſolutè, ſe cum reſtrictione dicturum veritatem, ſi prima vice interrogatus, & iuratus iuxta mentem iudicis non reſpondit, ſed iuxta reſtrictionem ſuam mentalem reſpondit, contegendo veritatem, etiamſi adfuerit ſpes euadendi pœnam grauiſſimam ſibi à iudice imponendam ea ſua confeſſione, ſi iterum eſſet interrogandus, tenetur Confeſſarius illum cogere ad veritatem aperiendam, & debet illum ab abſolutione repellere, ſi nollet iterum interrogatus aperire veritatem. ibid.

Reus iuratus vt teneatur iudici reſpondere veritatem, neceſſarium eſt quòd priùs iudex ei notificet contra

ipſum eſſe infamiam, vel indicia ſufficientia, vel ſemiplenam probationem, vt ſic ſciat ipſum iuridicè interogare, & conſequenter non tenetur ſtatim ei fidem adhibere, credereque quòd iuridicè interroget vt veritatem illico manifeſtet. ibid.29

Iuramenti materia.

Materia iuramenti ſoli Deo præſtiri non eſt res indifferens quamdiu res illa manet indifferés, aut impoſſibilis, aut impeditiua maioris boni, ſeu contraria diuinis conſiliis: immo iuramentum non obligat ſi fiat de re indifferenti, vel quando meliùs eſt non fieri. 2.314.34

Quando præſtatur iuramentum hominis in eius vtilitatem, obligat vtique, etiamſi impediat maius bonum, licèt tale iuramentum ſoli Deo præſtitum non obſtringat iurantem ad ſui obſeruationem. ibid.35

Iuramentum de re indifferenti vt ſic ſecundùm ſpeciem, ſiue homini præſtetur, ſiue ſoli Deo, non obligat. ibid.36

Iuramentum præſtitum homini de re in ſe indifferenti, ſi in diuiduo res promiſſa induat rationem boni, honeſti, vtilis, aut delectabilis, eſt obligatorium ibid.37

Si quis iurauerit tranſire extra muros ciuitatis, aut aliquid eiuſmodi efficere, tale iuramentum non eſt obligatorium, ſi nulla ſit ratio ſic tranſeundi. ibid.38

Si verò quis iuraret tranſire extra muros ciuitatis ad cautelam, ſeu vtilitatẽ ſpiritualem, vel temporalẽ ſui, vel alterius, iuramẽtum tunc eſſet obligatorium. ibid.

Iuramentum factum circa ſponſalia.

Qui contraxit ſponſalia cum iuramento, poteſt ingredi Religionem ante contractum matrimonium. 2.315.1

Qui contraxit ſponſalia cum iuramento, ſi virtute ſponſalium copulam habuit cum ſponſa de futuro, licitè poſtea non poteſt ingredi Religionem, ſed debet contrahere matrimonium cum ſponſa. ibid.

Si quis celebrauerit ſponſalia cum iuramento, ſiue ſine iuramento, cum virgine, quam poſtea ante contractum matrimonium defflorauit de præſenti, ſiue etiam contraxit ſponſalia cum iuramento cum vidua bonæ famæ, cum qua rem habuit, quæ alioquin grauem infamiam pateretur, niſi duceretur in matrimonium: ſimiliter ſi promittens alicui fœminæ illam ducere in vxorem, tantam cum illa habuit familiaritatem, vt inde oriatur ſponſæ grauis infamia, ſi nolit ſponſam in matrimonium ducere, licitè non poteſt ingredi Religionem. ibid.

Priora ſponſalia non diſſoluuntur per poſteriora, etiamſi poſteriora facta ſint cum iuramento. ibid.2

Sponſus non tenetur ſtare ſecundis ſponſalibus etiam iuratis, contractis eo tempore quo valida erant priora minimè iurata, etiam ſi poſtea illa priora diſſoluantur nouo aliquo ſuperuenienti. ibid.

Si iurans ſecunda ſponſalia facta contra alia priora celebrata cum iuramento, ſiue ſine iuramento, habuit intentionem obligandi ſe pro tempore quo fuerit licitum adimplere ſecunda ſponſalia, vel aliam rem promiſſam, tunc remaneret obligatio pro eo tempore, & conſequenter ſi prima ſponſalia ob aliquam iuſtam cauſam diſſoluantur, ſecunda ſponſalia remanerent valida. ibid.

Iuramentum rei illicitæ, ſi poſtea licita fiat, non eſt obligatorium pro tempore, quo licita fuerit. 2.316.3

Iurans ſponſalia, aliudque iniens de præſenti matrimonium, peccat mortaliter. ibid.4

Poſt ſponſalia tamen iurata contrahens de præſenti cum altera, ſi matrimonium aliquo impedimento dirimente eſſet irritum, priorem illam ſponſalium promiſſionem adimplere tenetur. ibid.

Maneret tamen alter ſponſus à ſponſaliũ fide liber. ibid.

Quando ſponſalia iuramento firmata ſunt, ſi iuramentum in fauorem partis præſtitum ſit, licitè mutuo conſenſu diſſolui poſſunt. ibid.5

Etiam quando ſponſalia iuramento firmata ſunt, & iuramentum eſſet præſtitum in honorem Dei, vt ſi intuitu pietatis quiſquam iuraret fœminæ pauperi, ſe eam ducturũ, mutuo cõſenſu diſſolui poterunt. ibid.

Iuramentum emiſſum in rebus prohibitis per legem.

Iuramentum factum de re prohibita per legem ciuilem, quæ primariò, & immediatè dirigitur ad bonum publicum, non eſt obligatorium. 2.317.1

Id iuramentum appoſitum contractui prohibito per legem ciuilem, principaliter ob publicam vtilitatem, relaxatione non indiget. ibid.

Conſequenter inualidum, & non ſeruandum eſt iuramentum Clerici quo renunciat priuilegio fori. ibid.2

Iuramentum factum contra legem ciuilem, quæ primariò, & principaliter reſpicit fauorem, & commodum perſonæ priuatæ, obligat, modò non vergat in præiudicium tertij. ibid.3

Conſequenter fœmina, quæ iurauit ſe non habituram regreſſum ad bona paterna, tenetur ſtare iuramento, quamuis lex ciuilis irritet promiſſionem, qua fœmina promittit ſe ampliùs non habituram regreſſum ad paterna bona. ibid.4

Iuramentum validam reddit alienationem immobilium, & multo magis mobilium factam per minorem abſque curatoris authoritate ac iudicis decreto, quamuis lex ciuilis irritet talem alienationem, ſi non fiat ſeruato iuris ordine. ibid.5

Dupliciter dicitur eſſe iuramentum contra bonos mores, aut tantùm contra bonos mores ciuiles, aut contra bonos mores naturales. Contra bonos mores ciuiles tantùm dicitur eſſe iuramentum, ſi fiat contra legem ciuilem reſpicientem immediatè bonum priuatum, & tale iuramentum eſt obligatorium: contra bonos mores naturales eſſe dicitur, quando res promiſſa impleri non poteſt abſque culpa lethali, vel veniali. 2.318.6

Lex ciuilis immediatè & principaliter reſpicit bonum commune, quando ex eius tranſgreſſione immediatè læditur bonum commune, vt eſt lex de non extrahendis equis, aut armis, aut frugibus ex ſtatu. ibid.7

Iuramentum emiſſum in contractibus.

Iuramentum dicitur firmare promiſſionem, ſeu contractum, cùm facit illum validum, qui alioquin eſſet irritus, & inualidus. ibid.1

Iuramentum non firmat contractum, qui alioquin eſt irritus, & inualidus, ſi aliqua turpitudo inueniatur in creditore, in cuius fauorem præſtatur iuramentum, & ſic promiſſio facta vſurario cum iuramento de ſoluendis vſuris, non firmatur iuramento. ibid.

Promiſſio, ſeu contractus, qui per vim, dolum, vel metum fuit extortus, non firmatur iuramento. 2.319.2

Ex dictis ſequitur aliud eſſe iuramentũ firmare contractum, aliud verò iuramentum eſſe ſeruandum. ibid.3

Quando iuramentum obligat, non tamen confirmat cõtractum, vt eſt iuſiurandum præſtitum vſurario de ſoluendis vſuris, dimittitur contractus in ſua natura; quare ſi erat inualidus, adhuc remanet poſt iuramentum irritus, & inualidus. ibid.4

Vt iuramentum firmet contractum, & faciat illum de inualido, & irrito validum, & irreuocabilem, puta vt iuſiurandum faciat contractum venditionis fundi dotalis, qui iuris prohibitione eſt irritus, & inualidus (licèt ex ſui natura primordiali ſine iuramento talis contractus ſit validus) non ſufficit vt ſit iuramentum aſſertorium de præſenti. ibid.5

Vt firmetur contractus iuramento qui iuris prohibitione eſt irritus & reuocabilis, requiritur vt iuramentum ſit de futuro, vt videlicet contrahens, vel donans iuret ſe non repetiturum, aut ſoluturum, aut non reuocaturum contractum, vel donationem, vel non reſiliturum à contractu, vel non contrauenturum contractui. ibid.

Voluntas vera & libera aliquid vendendi, vel alienandi expreſſa, & confirmata per iuramentum de præſenti, non facit contractum, qui iuris prohibitione eſt irritus, & inualidus, validum, & firmum. ibid.

Iuramentum contra prius iuramentum factum, ſimiliter ſimplex promiſſio contra priorem promiſſionem facta, non obligant. 2.310.6

Geſta tamen contra obligationem prioris iuramenti valida ſunt, niſi aliunde ſint irrita: ideo reuocatio teſtamenti facta contra iuramentum de non reuocando teſtamento valida eſt. ibid.

Similiter venditio facta contra promiſſionem iuratam de non vendendo valida eſt. ibid.

Similiter matrimonium contra votum ſimplex caſtitatis, aut contra ſponſalia iurata cum alia, validum eſt. ibid.

Geſta contra obligationem prioris iuramenti, etiam iurata, ſi aliunde ſunt irrita, puta ex iuris prohibitione, ſunt illicita, & inualida, & ſic alienatio fundi dotalis iurata facta contra prius iuramentum, eſt illicita, & inualida. ibid.

Conſequenter contractus non firmatur iuramento, quoties iuramentum eſt contrarium alteri priori iuramento. ibid.7

Quando contractus, ſeu promiſſio non firmatur iuramento, poteſt iurans obtinere relaxationem iuramenti, & hoc modo excuſaretur ab impletione rei promiſſæ, aut ſi nolit petere relaxationem iuramenti, poteſt facta & adimpleta ſolutione rei promiſſæ repetere rem ſolutam, modò non iurauerit ſe non repetiturum. ibid.8

Quando ius irritum reddit non ſolùm contractum, ſed etiam iuramentum appoſitum, tunc iuramentum non obligat. ibid.9

Leges ciuiles, & laici legiſlatores poſſunt prohibere ne iuſiurandum in contractibus humanis, vel pactis interponatur. ibid.10

Leges ciuiles, & laici legiſlatores ne dum ob bonum Reipublicæ poſſunt prohibere ne iuramentum in contractibus ad forum ſeculare ſpectantibus apponatur, ſed etiam cauere, & impedire ne contractus aliàs lege ciuili irriti & inualidi, iuramento appoſito confirmentur. ibid.

Licèt contractus humanus ſpectans ad forum ſeculare, non firmetur iuramento, quando lex ciuilis irritat huiuſmodi confirmationem propter bonum Reipublicæ: iuramentum tamen eſt ſeruandum. ibid.11

Probabile eſt etiam aſſerere iuſiurandum adiectum contractibus ad forum ſeculare ſpectantibus aduersùs legum ciuilium prohibitionem omnino irritari, ac proinde nullam ex illo oriri obligationem, nec indigere relaxatione, vt illi cõtractui cõtraueniatur. ibid.

Quando contractus ſecluſo iuramento eſt in ſe validus, at infirmus, eo quòd poteſt reuocari, ſeu fas eſt contra ipſum reclamare, qualis eſt contractus, quem minor cum ſui curatoris authoritate init, abſque iuramento tamen, & cum decreto etiam iudicis, quando eſt circa res immobiles, hic quidem contractus validus eſt: at minor ex eo læſus poteſt reclamare implorando beneficium reſtitutionis: adiecto tamen iuramento huic contractui firmatur, & fit irreuocabilis, & reclamandi facultas minori per appoſitionem iuramenti denegatur. ibid.12.

Priuilegium reſtitutionis in integrum, eſt beneficium, ſeu remedium, quo aliquæ perſonæ læſæ reſtituuntur à iudice in priſtinum ius, & ſtatum, itaut contractus validi cum ipſis celebrati reſcindantur, ſi ipſis propter læſionem expediat vt contractus reſcindantur, vel vt æquetur pretium, ſi in pretio læſæ ſunt tam infra, quàm ſupra dimidium, modò læſio notabilis ſit. 2.322.13

Tunc venditor decipitur, vel læditur ſupra, vel vltra dimidium iuſti pretij, quando non recipit dimidium iuſtæ æſtimationis. ibid.14

Emptor decipitur vltra dimidium iuſti pretij, quando ſoluit verum & iuſtum pretium, & prætetea pluſquam dimidiam partem. ibid.

Minores igitur, videlicet qui nõdum expleuerunt vigeſimumquintum annum (iſti enim *minores* appellantur, iuxta ius commune) quando contractum celebrarunt in ſuum incommodum, poſſunt reſcindere contractum tanquam irritum, & non obligantem, quamuis alios obliget. ibid.15.

Minores etiam poſſunt vti beneficio reſtitutionis in integrum, quando ſe aliquo contractu, licèt valido, non tamen firmo, læſos deprehendunt tam infra, quàm ſupra dimidium iuſti pretij, modò læſio ſit notabilis. ibid.

Talis tamen minorum contractus in ſe validus, non tamen firmus, propter læſionem, quã minoribus affert, firmatur adiecto iuramento, & fit irreuocabilis. ibid.

In *l. rem maioris, & l. ſi voluntate, C. de reſcindenda vend.* decernitur ne in iudicio detur actio emptori, ac venditori, quando ſolùm decepti ſunt citra dimidium iuſti pretij, minoribus tamen datur actio in iudicio, & quando infra dimidium iuſti pretij ſunt decepti. ibid.16

Certiſſimum tamen eſt, talem venditorem, qui decipit emptorem infra dimidium iuſti pretij, peccare, & cogi ſecundùm conſcientiam ad reſtitutionem quandocumque vendit pluris iuſto pretio, & emptorem qui minoris emit, quamuis id modicum ſit, & infra dimidium iuſti pretij. ibid.

Iuramentum factum cum erore, & dolo.

Iuramentum non obſtringit quoties error, & dolus ſunt circa ſubſtantiam rei promiſſæ. 2.323.1

Etiam quando error, & dolus verſatur circa rei qualitatem, ſi error & dolus dedit cauſam iurandi & promittendi, & aliàs cognita illa qualitate non iuraſſet promittens, iuramentum non obligat. ibid.

Qui aliquo errore, vel dolo circumuentus iurauit, ſi dolus, & error eſt huiuſmodi, vt ſi à principio rem prævidiſſet, nullatenus iuraſſet, non peccat non adimplendo illud iuramentum, ſiue error, & dolus ſit circa ſubſtantiam rei iuratæ, ſiue circa qualitatem. ibid.

Error, ſeu dolus circa ſubſtantiam rei iuratæ, etiamſi ſit non dans cauſam promiſſioni, ſeu ſit tantùm error concomitans, id eſt, etiam ſi iurans cognito errore iuraſſet, tollit obligationem iuramenti. ibid.2

Dolus, ſeu error concomitans ille dicitur, qui ſic concomitatur contractum, ſeu iuramentum, vt nullo modo ad illud inducat, ſed eo ſublato adhuc contractus fieret, & iuramentum quis præſtaret. ibid.

Dolus aliquando dicitur dare cauſam iuramento, vel contractui, quando quis ſuppoſito dolo inducitur ad contrahendum, non contracturus, ſi dolus non adeſſet. ibid.3

Solus incidens in iuramentum, vel in contractum, ille dicitur, quando adhuc eſſet præſtitum iuramentum, & adhuc contrahentes contraxiſſent, secluſo dolo, vterque dolus tollit obligationem iuramenti. ibid.

Dolus dans cauſam iuramento, tollit obligationem iuramenti. ibid.

Si

Si error, vel dolus verſetur circa accidentalem rei conditionem, vel circumſtantiam, non infirmat obligationem iuramenti, ſi ſublato illo errore, vel dolo iuramentum eſſet quidem præſtitum à iurante, quamuis non ita libenter, non ita facilè. a.324.4

Si verò qualitas, ſiue circumſtantia, quæ rei quidem accidentalis, aut extrinſeca eſt, tamen ſecundùm intentionem iurantis adeò intrinſeca ſit obiecto, vt in illud non feratur, niſi quatenus tali conditione, aut circunſtantia affectum eſt, tunc ea deficiente per errorem, aut dolum, deficit etiam obligatio iuramenti, & ſic error, vel dolus circa rei qualitatem infirmat obligationem iuramenti, ſi iurantis explicita, vel virtualis voluntas fuit non ſe obligare iuramento, niſi ſubſiſtente tali qualitate in ſubſtantia rei, quam iurauit. ibid.

Error, vel dolus circa qualitatem perſonæ, nullo modo infirmat matrimonium. ibid.5

Idem dicendum eſt de iuramento præſtito cum errore, vel dolo circa qualitatem. ibid.

Si verò qualitas perſonæ, circa quam erratur, fuerit appoſita in contractu matrimonij per modum conditionis, tunc ſi contingeret error, vel dolus circa qualitatem perſonæ, matrimonium eſſet inualidum. ibid.

Similiter eſſet nullum matrimonium ſi contrahens habeat actualem voluntatem non accipiendi mulierem hanc in vxorem, niſi virgo ſit, ſi ipſa alias ſit corrupta, etiamſi actualis intentio fuiſſet ſolo animo retenta non accipiendi eam niſi virgo ſit. ibid.

Idem conſequenter aſſerendum eſt de iuramento. ibid.

Iuramentum factum per nuntium, vel Procuratorem.

Iuramentum per nuntium, vel Procuratorem poteſt præſtari. ibid.1

Is cuius nomine præſtatur iuramentum, obligatur iuramento, non verò nuntius, vel Procurator emittens iuramentum nomine alterius. ibid.2

Mandans ſuo Procuratori iurare, ſi falſum eſt, quod iurare mandatur, afficitur pœnis in periuros conſtitutis, non verò Procurator. a.315.3

Procurator iurans nomine alterius ſcienter falſum, vel dubium tanquam certum, peccaret peccato periurij, non quia vinculo iuramenti afficiatur, ſed quia cooperatur periurio alterius. ibid.4

Si Procurator nomine partis bona fide præſtet id iuramentum, ignorans falſitatem, aut dubium inſtructionis partis, immunis eſt à culpa periurij, totaque hæc in partem refundetur. ibid.5

Vt Procurator nomine partis præſtet iuramentum, exigitur ſpeciale mãdatum iurandi illi cõmiſſum. ibid.6

Ad iuramentum nomine alterius emittendum, non ſufficit ſpeciale mandatum ad iurandum in quacunque cauſa mandantis, ſed requiritur ſpeciale mandatum in cauſa particulari. ibid.

Is qui generale mandatum dedit ad contrahendum, & iurandum ſuo nomine, non tenetur ex vi iuramenti, ſed ex vi contractus ſtare cõtractibus per Procuratorem mãdantis nomine celebratis cũ iuramẽto. ibid.10

Iuramentum aſſertorium.

Iuramentum aſſertorium in omni materia etiam leui eſt peccatum mortale, quoties iurans credit non eſſe verum, quod aſſerit. 2.326.1

Iuramentum aſſertorium deſtitutum veritate ſemper eſt mortale, quantumuis finis apponatur ſanctus ac neceſſarius, nec etiam excuſat à mortali quicunque timor. ibid.

Emittere iuramẽtũ falſum cauſa ioci eſt mortale. ibid.2

Si quis rem ſibi dubiam vt certam iurat, eſt periurus, & peccat lethaliter. ibid.3

Iurans etiam rem ſibi certam vt dubiam, eſt periurus peccans lethaliter. ibid.

Iuramentum promiſſorium, & comminatorium.

Iuramentum promiſſorium eſt ſemper mortale ex defectu veritatis de præſenti, id eſt, quoties iurans non habet animum ſeruandæ rei promiſſæ, ſiue ea licita, ſiue illicita, ſiue magna, ſiue parua ſit. a.326.1

Lethaliter etiam peccat emittens iuramentum promiſſorium animo dubio implendæ rei promiſſæ. ibid.

Præſtans iuramentum promiſſorium, credens probabiliter fore, vt implere nequeat, quod promittit, peccat mortaliter: ſimiliter ſi non habeat cauſam probabilem credendi fore, vt poſſit implere quod promittit. ibid.

Iuramentum promiſſorium ſi ſuperueniat impoſſibilitas, vel neceſſitas, aut magna difficultas, non obligat. ibid.2

Quando iuramento promiſſorio ſola veritas de futuro deficit, (quia nimirum adfuit animus adimplendi tempore iuramenti emiſſi: at poſtea res promiſſa non impletur) quæcumque ſit materia promiſſionis, ſiue magna, ſiue parua, ſiue illa parua ſit totalis, ſiue partialis materia iuramenti promiſſorij, hoc eſſe lethale, fatetur Leſſius. 2.317.3

In iuramento promiſſorio duplex veritas exigitur, altera de præſenti, nempe vt adſit animus rei iuramento promiſſæ adimplendæ, in quo conuenit cum iuramento aſſertorio: altera verò de futuro, vt res promiſſa adimpleatur ſuo tempore. ibid.

Probabilius tamen aſſerendum videtur, in iuramento promiſſorio, ſi exigua materia promiſſa, ſit partialis materia iuramenti, eſſe ſolùm veniale culpam illam emittere: ſecus ſi materia exigua ſit materia totalis iuramenti promiſſorij. ibid.

Quamuis Sanchez teneat peccare tantùm venialiter promittentem ſub iuramento ſi non adimplet promiſſum, ſi res promiſſa ſit parua, ſiue ſit tota materia iuramenti, ſiue pars tantùm. ibid.

Qui emiſit iuramentum comminatorium de infligenda alicui pœna, tenetur iuramentum adimplere, modò eius impletio non ſit in peditiua maioris boni, aut non ſit ſublata cauſa ob quam adimpleri debeat. ibid.4

Cenſetur cauſa emiſſi iuramenti comminatorij quoties ſuperuenit ratio non puniendi. ibid.

Iuramentum comminatorium de infligenda alicui pœna, ſi oriatur ex paſſione, ex ira, ſeu ex animo vindictæ inordinatæ, non eſt ſeruandum. ibid.

Tranſgreſſio iuramentorum, quibus parentes, heri, domini, iurant ſe punituros filios, famulos, aut ſeruos, quoties iuſta cauſa excuſandi abeſt, excuſatur à mortali. ibid.5

Si verò punitio iurata per iuramentum comminatorium expediret maximè ad Dei obſequium, neceſſariò dicendum eſt, eiuſdem adimpletionem obligare ſub mortali. ibid.

Parentes dum iuramento comminatorio iurant ſe filios caſtigaturos ſi illos arripuerint, dicendo, Si te arripuero, te interficiam, etiam ſi non habeant animum arripiendi, & huiuſmodi iuramentis veritas de præſenti deeſſe videatur, non peccant mortaliter, & excuſantur à periurio. a.328.6

Parentes & alij comminatoriè ſic iurando. Si te arripuero, interficiam te, debent habere animum grauiter puniendi filios, vel alios, data hypotheſi quòd arripuerint filios, &c. ibid.

Excuſantur à periurio iuramenta comminatoria, quibus parentes iurant ſe filios, & ſeruos occiſuros, eorum capita fracturos, quamuis quando iurant, non

habeant

habeant animum occidendi, & frangendi capita, & inferendi graue nocumentum. ibid.

Pueri leuiter iurantes ſe alium puerum accuſaturos coram parentibus, vel Magiſtris, excuſantur à periurio, & à culpa mortali, tranſgrediendo tale iuramentum. ibid.7

Is qui iurauit tradere pecuniam meretrici pro copula, tenetur ſequuta copula illam ſoluere. ibid.8

Promiſſio tamen iurata facta fœminæ vt corporis ſui copiam faciat, ante crimen patratum nullo pacto eſt ſeruanda, ſed potiùs diſſoluenda. ibid.

Promiſſio prodiga iuramento firmata non obligat quoad illam partem, in qua eſt prodigalitas. ibid.9

Iuramentum emiſſum in rebus non bonis.

Promiſſio iurata committendi aliquod lethale, eſt peccatum mortale. 2.329.1

Idem dicendum ſi quis iurat ſe omiſſurum, quod omittendo peccat mortaliter. ibid.

Peccat mortaliter iurans ſe perpetraturum aliquod mortale, ſiue ſe omiſſurum id, ad quod tenetur ſub culpa lethali, ſiue adſit animus implendæ rei illius iuramento promiſſæ. ibid.

Qui iurat aliquid lethale committere, vel aliquid omittere, quod ſub mortali adimplere tenetur cum animo exequendi, bis peccat lethaliter. ibid.

Iurans facturum ſe aliquid in quo faciendo peccatum veniale contrahitur, ſi habeat in animo id facere quod iurat, peccat venialiter defectu iuſtitiæ; præter illud veniale propoſitum peccandi venialiter, & ita erit duplex veniale. ibid.2

Iurans tamen ſe admiſſurum rem venialem animo non adimplendi, lethaliter delinqueret. ibid.

Iurans ſe facturum aliquid, quod eſt veniale, venialiter tantùm delinquit. ibid.

Iurans veniale ſe patraturum, etiamſi poſtea adimpleat quod iurauit, non peccabit mortaliter. ibid.

Iurans quamcumque iniuſtitiam etiam venialem abſque animo adimplendi, & faciendi, peccat mortaliter. ibid.

Certum tamen eſt iurantem ſe facturum aliquam iniuſtitiam venialem, vel mortalem, nullo pacto obligari ad faciendum. ibid.

Minus malum eſt aliquem iurare ſe facturum rem venialẽ animo exequẽdi, quàm abſque eo animo. ibid.3

Minus tamen malum eſt iurare rem mortalem animo non exequendi, quàm animo adimplendi. ibid.

Si quis iuret ſe facturum aliquid contra conſilia Euangelica, vt ſe non facturum Religioſum, non erogaturum eleemoſynam, quando ad eam non tenetur, eſt peccatũ veniale defectu iuſtitiæ iuramenti. ibid.4

Qui de alio detrahit, & iniuſtam ſuam detractionem iureiurando confirmat, præter graue peccatum detractionis, committit culpam grauem defectu iuſtitiæ iuramenti. ibid.5

Quando iuramentum aſſertorium aſſumitur vt inſtrumentum illius peccati, id eſt, vt augeatur, probabilior fiat infamia grauis proximi eo iuramento confirmata, tunc certum eſt tale iuramentum eſſe peccatum mortale. ibid.

Iurans ſe facturum aliquam iniuſtitiam venialem, aut mortalem, non ſolùm non obligatur ad ſeruandum tale iuramentum, ſed etiam ſi ex vi iuramenti rem illam iuratam malam adimplet, nouam culpam admittit. 2.330.6

Iuſiurandum, quo quis promittit opus bonum ad conſequendum malũ finem, non eſt obligatorium. ibid.7

Quando quis iurat opus bonum ad agendas gratias pro malo fine obtento, vel ad malum finem obtinendum, tunc etiam iuſiurandum non eſt obligatorium, ſicut etiam nec ſimile votum. ibid.

Iurans opus bonum ad conſequendum bonum conſurgens ex aliquo malo, ſeu ſupponens actionem malam, tenetur ſeruare iuramentum. ibid.8

Quando opus bonum promittitur ſub iuramento ob finem principalem bonum, ſed ſecundarius finis, ſeu cauſa applicandæ voluntatis ad iuramentum, ſeu cauſa impulſiua ad præſtandum tale iuramentum, eſt mala. ibid.

Iurans ſe facturum eleemoſynam ob finem malum venialiter, puta ob inanem gloriam, iuramentum ſeruare non tenetur. ibid.9

Emittens tamen votum ſolemne profeſſionis in aliqua approbata Religione ob malum finem, licèt venialem, puta ob inanem gloriam, tunc profeſſio eſſet inualida, & lethaliter peccaret. ibid.10

Si quis iuret ſe facturum aliquod peccatum, puta adulterium, & peccat iurando, & peccat iuſiurandum ſeruando: at ſi iuret ſe non facturum aliquod melius bonum, puta ſe non ingreſſurum Religionem, peccat quidem iurando, quia ponit obicem Spiritui ſancto, qui eſt boni propoſiti inſpirator, non tamen peccat iuramentum ſeruando; ſed multo melius facit ſi non ſeruet. ibid.11

Iuramentum promiſſorium poteſt eſſe à principio licitum, impletio tamen eius propter aliquid quod de nouo emergit, poteſt eſſe illicita. 2.331.12

Si quis iuret ſe nihil mutuo daturum, fideiuſſorem non futurum, non facturum obſequium alicui, eleemoſynam huic, vel illi non erogaturum, nunquam futurum Prætorem, vel Magiſtratum acceptaturum, incantè iurat, & venialis ſe culpæ reum conſtituit, quando id quod iurat præcepti vim non habet. ibid.13

Iuramenta enumerata aſſertione præcedenti non ſunt ſeruanda. ibid.

Iurans ſimiliter rem aliquam indifferentem, aut impoſſibilem, obligatur ad iuramentum. ibid.14

Iuramentum obligatorium.

Alumni Collegij Anglicani Romæ, qui iuramentum præſtant ſe abſolutis ſtudiis in Angliam ituros, fidei Catholicæ propagandæ cauſa, non poſſunt ſine diſpenſatione Religionem ingredi, in qua iuramento ſuo ſatisfacere non poſſunt. 2.332.1

Obligatio iuramenti præciſè non tranſmittitur ad hæredes, & ſucceſſores iurantis. ibid.2

Poteſt quis hæredem obligare temporaliter, immo etiam non faciendo mentionem de hæredibus, pactum regulariter tranſit in eos, ſpiritualiter tamen non poteſt, & conſequenter obligatio iuramenti propria, & præciſè non tranſit in hæredes. ibid.

Si pars maior alicuius communitatis, v. g. Capituli, iuramento ſe obſtrinxit ad aliquid præſtandum quibuſdam contradicentibus, vel non conſentientibus, hi non obligantur ex vi iuramenti, & ſub periurij reatu, ſed interdum ex vi pacti, legis, aut conſuetudinis. ibid.3

Epiſcopus, aut Canonicus, aut quæuis alia dignitas habens annexa multa iuramenta, ſi admitteretur ad ſuum officium abſque vllo iuramento, non teneretur ex prædeceſſorum iuramento illa ſeruare, & ita ſi non eſſet aliud vinculum obligans ad illa, niſi iuramentum, eſſet liber ab illis; ſed ſi eſſet aliud vinculum obligans officium illud, ſeu dignitatem, vt vinculum ſtatuti, aut contractus, teneretur ratione huiuſmodi vinculi ſeruare illa, quæ non iurauit. ibid.4

Iuramentum ex parte eius cui præſtatur, non eſt perſonale, & ſic tranſit in eius hæredem. ibid.5

Subditus iurans obedientiam alteri in dignitate, aut officio conſtituto, expreſſo eius dignitatis, aut officij nomine, Religioſus, v. g. iurans obedientiam Generali ſui Ordinis, tenetur ex vi illius iuramenti ad

obedi

Digitized by Google

obedientiam omnibus ſucceſſoribus in ea dignitate, aut officio conſtitutis: ſimiliter ſi quis iuraret obedientiam alicui Epiſcopo, aut Rectori alicuius communitatis, tenetur ex vi illius obedire etiam ſucceſſoribus. 2.333.6

Iuramentum præſtitum Epiſcopo, vel alteri Prælato nomine proprio, vt dicendo: Iuro tibi Petro obedientiam, non ratione dignitatis, ſed perſonaliter, & tanquam priuatæ perſonæ, eo mortuo, vel amoto, cui iuratum eſt, non tranſit ad ſucceſſores, præcipuè ſi id iuramentum non præſtetur illi circa rem ad dignitatem pertinentem. ibid.

Iuramentum obedientiæ præſtitum alicui in dignitate conſtituto ratione illius dignitatis, non amplius obligat iurantem eo ab ea dignitate amoto: & ſic ſi Eccleſia deponeret Epiſcopum ex naturali ſequela, omnes iuramento illi obſtricti non tenerentur ei amplius ſeruare iuramentum. Similiter ſi Eccleſia iuſtè priuet aliquem Regem regno, omnes, qui illi perſonæ iurauerant ſe ſeruaturos illum in Regno, non tenentur amplius. ibid.

Si Eccleſia remoueret ſtatuta alicuius Religionis, vel Collegij ex naturali ſequela, qui vouerunt, aut iurauerunt illa ſeruare, non amplius ad ea ſeruanda ſub voto, vel iuramento tenerentur. ibid.7

Quando quis præſtat iuſiurandum ratione alicuius dignitatis, aut officij in ſua propria perſona exiſtentium, ceſſantibus illis, ceſſat quoque iuramentum obligare. ibid.8

Quamuis obligatio iuramenti præcisè non tranſmittatur ad hæredes, tamen obligatio contractus, ſupra quem cadit iuramentum, tranſit ad hæredes, modò contractus ſit validus, vel ſaltem validus efficiatur, ſeu firmetur iuramento. ibid.9

Hæredes non ſeruantes contractum iuratum, vel promiſſionem iuratam defuncti, non peccant peccato periurij contra Religionem. ibid.

Hæredes illius qui iurauit ſe ſoluturum vſuras vſurario, nullo pacto tenentur eas illi ſoluere. ibid. 10

Conſequenter ad aſſertionem immediatè præcedentem, ſi quis iurauit ſe pecunias latroni daturum, & ſolutas non repetiturum, hæredes non tenentur illas ſoluere, & ſolutas poſſunt repetere. ibid.

Hæredes illius, qui iurauit ſe non repetiturum certam pecuniam, quæ illi debetur, non peccant peccato periurij repetendo. ibid.

Iuramentum ſoli Deo præſtitum erogandæ alicuius eleemoſynæ, vel dandi dotem puellæ, vel ædificandi Eccleſiam, tranſit ad hæredes, quoad onus erogandæ eleemoſynæ, dandi dotem puellæ, vel ædificandi Eccleſiam. 2.334.11

Iuramenta vrbanitatis gratia ſolita præſtari in ingreſſu, vel egreſſu alicuius loci non ingrediendi, aut egrediendi, priùs non violantur, nec grauiter peccant iurantes contraueniendo. ibid.12

Iuramenta ſeruandi ſtatuta Reipublicæ, Collegij, Vniuerſitatis alicuius, Confraternitatum, officij ad ſtatuta edita, non autem ad edenda, in poſterum obligant. ibid.13

Præſtans iuramentum ſeruandi ſtatuta alicuius Collegij, vel communitatis, non tenetur ſeruare ſtatuta vſu non recepta, etiamſi in indiuiduo petitum ſit ab eo iuramentum ſeruandi illa peculiaria ſtatuta. ibid.

Iurantes ſeruare ſtatuta Reipublicæ, Collegij alicuius Vniuerſitatis, ſeu Confraternitatis, ſeu officij, ſi res contentæ in ſtatutis ſint graues, & tanti momenti, vt obligent ad mortale, obligantur ſub mortali ad illa ſeruanda. ibid.

Si verò res ſeruanda per ſtatutum ſit leuis, itaut per ſe ſtans ad veniale ſolùm obliget, erit peccatum veniale, eam prætetire ſine cauſa. ibid.

Conſequenter iuramenta ſeruandi ſecretò ea, quæ in Collegiis, Vniuerſitatibus, Confraternitatibus, ſeu officiis tractantur, non obligant ſub mortali in quauis re modica, ſed iuxtà materiam, quæ detegitur, iudicanda eſt culpa; ſi enim ſit grauis momenti, detectio erit mortalis; ſi autem leuis, erit venialis. ibid.14

Si ſtatutum alicuius Religionis, Collegij, Vniuerſitatis, &c. ad nullam culpam obliget, ſed tantùm ſub conſilio ſit, iuramentum præſtitum ad ſeruandum illud ſtatutũ, ad nullam quoque culpam obſtringet. 2.335.15

Qui iurant ſtatuta alicuius Collegij, communitatis, Vniuerſitatis, &c. decernentia aliquid ſub certis pœnis faciendum, aut omittendum, nullam culpam contrahunt illa tranſgrediendo. ibid.

Si aliquod ſpeciale ſecretum iuret quiſpiam ſe ſeruaturum, non erit mortalis tranſgreſſio, ſed venialis, ſi leuis momenti id ſecretum ſit. ibid.16

Qui iurauit celare ſecretum ſibi commiſſum, non peccat contra iuramentum detegendo ſecretum, quoties illud celare non poteſt abſque graui ſuo, vel alterius damno. ibid.

Scholaſtici non ſeruantes præcepta Rectorum Vniuerſitatis, vel Academiæ ſub pœna iuramenti præſtita, non ſunt rei periurij mortalis, vbi materia non eſt grauis. ibid.17

Qui promittit aliquid alteri cum iuramento, non obligatur ſtare promiſſioni iuratæ, antequam promiſſio acceptetur. ibid.18

Conſequenter promittens cum iuramento aliquid alteri abſenti dandum tali certa die, ſi non adimplet promiſſionem non acceptatam non eſt periurus. ibid.

Simplex promiſſio facta præſenti, qui tacet, valida eſt, & multo magis ſi ſit iurata, & reuocari non poteſt, etiamſi nondum acceptata videatur, modò tacens cui fit promiſſio, ſit præſens moraliter, & intelligat ſibi fieri promiſſionem. ibid.

Promiſſio purè mentalis, id eſt, quæ fit interiùs in mente, & iurata, non obligat, niſi fiat per modum voti, 2.336.19

Promiſſio etiam iurata facta ſurdo, & abſenti non obligat. ibid.

Promiſſio tamen interna facta in gratiam hominis per modum voti, eſt adimplenda. ibid.

Promiſſio iurata, ſiue non iurata, interna facta in gratiam hominis per modum voti, eſt adimplenda, quamuis ille cui facta eſt promiſſio, nullum ius acquiſierit eam acceptando, dummodo ſit de meliori bono, aut non impeditiua maioris boni. ibid.

Qui promiſit iurando matrimonium fœminæ, tenetur eam ducere. ibid.20

Qui iureiurando promiſit Deo ſe ducturum aliquam fœminam in vxorem ob vitandam fornicationem, vel alia peccata carnis, cognoſcens ex frequenti lapſu ſe imbecillem, & inſufficientem ad ſuperandas carnis tentationes, tenetur ad matrimonium. ibid.

Habens concubinam à qua difficillimè recedere poſſet, ſi iuraret, ſeu voueret Deo ſe illam ducturum, vt ſic à peccati ſtatu deſiſteret, niſi mallet Religionem ingredi, teneretur vtique ſeruare votum, ſeu iuramentum factum Deo de illa ducenda. ibid.

Si quis iuraret mulieri ſe eam ducturum vt illius inopiam ſubleuaret, teneretur eam ducere. 2.337.21

Iurans tamen Deo per modum voti ducere pauperem in honorem Dei, vel meretricem, vt illa ſe recipiat ad meliorem frugem, non tenetur promiſſionem implere. ibid.22

Probabiliter etiam dici poteſt, promittentem Deo ducere meretricem, vel pauperem in honorem Dei, teneri talem promiſſionem adimplere. ibid.

Si

Si quis iuraret Deo ſub conditione, ita dicens: Si ductus ſum vxorem, ducam pauperem, aut meretricem, in honorem Dei, tunc poſito quòd nubat, tenebitur ducere pauperem, vel meretricem, quia melius eſt in honorem Dei ducere pauperem, vel meretricem, quàm aliam: abſolutè tamen ſub iuramento promittens, vel vouens Deo ducere pauperem, vel meretricem in honorem Dei, non tenetur vi voti, vel iuramenti illam ducere. ibid.

Immo iurans Deo abſolutè, & ſine conditione ducere pauperem, aut meretricem in honorem Dei, poteſt, ſi velit, cum alia contrahere. ibid.

Iuramentum Deo præſtitum ſeruandi caſtitatem, vel ingrediendi Religionem, vel non nubendi, factum ab eo cui ſalubrius videtur eſſe matrimonium ob incontinentiam, & frequentem lapſum in res veneteas, validum eſt. ibid.13

Licet patienti frequentes lapſus in res venereas, vt ſingulari perſonæ ſit melius, iuramento Deo præſtito ſeruandi caſtitatem, vel ingrediendi Religionem, minimè ſeruato, ad matrimonium tranſire: at ipſimet vt parti communitatis Eccleſiæ, atque adeò omnibus conſideratis melius eſt, gratiúſque Deo, vt quandiu Superior cum eo non diſpenſat, cenſeatur eo voto obſtrictus. ibid.

Iuramentum de non fornicando, vel non ludendo.

Iurans ſe non ampliùs, e.g. luſurum, vel fornicaturum, ſub pœna, quòd ſi luſerit, vel fuerit fornicatus, non poſſit abſolui, vel diſpenſari præterquam à Romano Pontifice, poteſt adhuc ab Epiſcopo abſolui, immo à ſimplici Confeſſario, niſi aliàs ſit caſus iſte Epiſcopo reſeruatus. 2.338.1

Iurans ſimiliter ſe non ampliùs fornicaturum, ſub pœna, quòd ſi fornicationem commiſerit, teneatur Romam adire, & ab alio non poſſit abſolui, quàm à Summo Pontifice, poteſt adhuc abſolui ab Epiſcopo, vel ab eo cui ſuam delegauit iuriſdictionem. ibid.

Iurans, vel vouens non cognoſcere fœminam, non tenetur abſtinere à matrimonio ex vi talis iuramenti, vel voti, ſi intentio iurantis, ſeu vouentis colligi nequeat ex motiuo, vel ex aliis circumſtantiis. ibid.2

Qui cum iuramento promiſit nuptias alicui fœminæ ſanæ, virgini, vel bonæ famæ, ſi hæc poſt promiſſionem incidit in infirmitatem, in fornicationem, vel in malam famam, non tenetur ſtare iuramento. ibid.3

Promittens non offendere inimicum ſub iuramento, non eſt periurij reus, ſi ex noua inimicitia, & illata denuo iniuria eum offendat. ibid.4

Iurans, vel vouens non cognoſcere fœminam, non peccaret contra iuramentum non cognoſcendæ fœminæ ſi cognoſceret illam ſodomiticè. 2.339.5

Iurans non cognoſcere fœminã, ſi tactus turpes habeat cum illa, peccat contra iuramentum emiſſum. ibid.

Cæterùm copula ſodomitica cum fœmina, habet ſuam ſpeciem completam, nec dicitur congreſſus cum fœmina, vt talis eſt, ideo iurans non cognoſcere fœminam, ſodomiticè illam cognoſcens, non ageret contra iuramentum emiſſum. ibid.

Iurans non fornicari tenetur ſub iuramento ab omnibus venereis abſtinere extra matrimonium, & peccat contra id iuramentum admittendo quodlibet venereum extra matrimonium. ibid.6

Iuramentum non ludendi intelligitur de ludo illicito, non verò de licito, qui recreationis gratia ſuſcipitur, niſi aliter coniiciatur de iurantis intentione. ibid.7

Ludus autem illicitus intelligitur ludus in magna quantitate, quando magna quantitas pecuniæ periculo amiſſionis exponitur. ibid.

Iuramentum non ludendi ſi conſtet iurantem voluiſſe ſe obligare ad abſtinendum ab omni ludo etiam licito, validum eſt iuramentum, & ex vi iuramenti tenebitur iurans abſtinere à ludo etiam licito. ibid.

Qui timore iacturæ facultatum iurauit abſtinere à ludo, tenetur abſtinere à ludo non ſolùm illicito in magna quantitate, verùm etiam licito in parua quantitate, præcipuè ſi adeſt probabile periculum ne in ludo incaleſcendi, vt magna pecunia prodigatur, & periculo amiſſionis exponatur. ibid.

Iurans abſtinentiam à ludo ob timorem iacturæ facultatum, ſi modicam pecuniæ ſummam ludo exponit, & non adeſt probabile periculum exponendi magnam quantitatem, ludendo non committit culpam pluſquam venialem. ibid.

Iurans non ludere per ſeipſum, neque nomine proprio, neque alieno ludere poteſt, ſi finis iuramenti fuit, iacturam temporis non facere, vtpote quia ludo occupatus ſuo miniſterio non vacabat. ibid.8

Iurans abſtinentiam à ludo, ſi finis quo mouetur ad tale iuramentum præſtãdum, fuit vitare rixas, diſcordias, blaſphemias, & ſimilia ex ludo orta, ſi hæc naſcuntur ex eo ſolum quòd iacturam pecuniarum in ludo faciat, tunc poterit ludere nomine alieno. ibid.

Iurans abſolutè non ludere, ſi intentio ipſius colligi non poteſt ex coniecturis, quo fine ſcilicet ductus tale iuramentum emiſit, tunc non ſolùm non poteſt nomine proprio ludere, verùm etiam neque alieno. ibid.

Præſtans iuramentum abſolutè abſtinentiæ à ludo, poteſt tradere pecuniam alteri ad ludendum ſuo nomine, & inſpicere ſocium ludentem, niſi aliter colligatur de mente iurantis. 2.340.9

Iuſiurandum non ludendi cum perſona determinata, vel in domo determinata, vel in determinato ludo manente libertate ludendi cum aliis, & in aliis locis, & in aliis ludis, communiter non obligat. ibid.10

Iuramentum abſtinentiæ à ludo cum tali perſona, ſimiliter iuramentum non ludendi tali ludo, ſi iſte ludus eſt ſpecialiter occaſio magnæ iacturæ pecuniarum: item iuramentum non ludendi in domo determinata, hæc iuramenta ſunt valida. ibid.

Iuramentum verò non fornicandi cum certa fœmina, puta cum Berta, eſt validum, abſolutè loquendo, etiam relicta libertate fornicandi cum cæteris aliis fœminis. ibid.11

Iuramentum non fornicandi cum certa fœmina, licèt relinquatur facultas fornicandi cum aliis, validum eſt ſi aliquo fine honeſto abſtinentia ab illa certa fœmina afficiatur, puta ſi finis non fornicandi cum illa ſit vitare rixas, & diſcordias cum aliis concurrentibus ad fornicandum cum illa, vel vitare iacturam maximam pecuniarum, vel vitare aliam mali occaſionem vltra fornicationem. ibid.

Iuramentum tamen emiſſum non fornicandi cum certa fœmina, ſi abſtinentia ab eius fœminæ concubitu ordinetur ad vindictam de illa ſumendam, vel eo quòd deformis, parùmque voluptatis eius concubitus afferat, ſi remanet facultas iurandi cum aliis fœminis fornicandi, videtur irritum. ibid.

Iurans non ludere neceſſariò, tenetur abſtinere à ludo in quo ampla pecunia exponitur ludenda. ibid.12

Luſor qui propter ludũ ſubtrahit ſuæ familiæ, videlicet vxori, & filiis neceſſaria ad victum, & veſtitum, vel in ludo, habet in vſu admiſcere graues fraudes, periuria, blaſphemias, vel ſi ſolitus ſit aduerſus à ſe lucrãtes magnum odium concipere, grauea rixas, & diſcordias excitare, non eſt abſoluendus in ſacramentali confeſſione, ſi noluerit deſiſtere à tali ludo, qui cum mortalibus iſtis circumſtantiis exercetur. ibid.13

Laici etiamſi magnam peconiarum copiam ludo exponaor, principaliter propter lucrum, & quæſtum, dum abſunt prædictæ eireumſtanriæ mortales, à Confeſſariis abſolui poſſunt, etiamſi in tali caſu anlmo abſtinendi à tali ludo careant. ibid.

Mortale tamen eſt peecatum Clericis in Sacris conſtitutis, vel Monachis, ludis prohibitis alearom & taxillorom frequenter vacare in notabili quantitate, & gratia quæſtus. 2.341.14

Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, vel habentes beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſemel, bis, térve per annum ſic luſerint aleis, vel taxillis, non ſunt damnandi peccati mortiferi ſi abſit ſcandalom. ibid.

Clerici in Sacris conſtituti, vel habentes beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſecluſo ſcandalo, modicum quid gratia ſolatij, & reereatioois luſerint taxillis, & aleis, etiam ſi crebrù ad breue tempus ſic luſeriot, non ſunt damnandi culpæ lethalis. ibid.

Clericis tamen omnibus in Satris conſtitutis interdicitur ludus larualis, quem exercent perſonati ſub peccato mortali. ibid.15

Triplex eſt ludus, primus honeſtus, ſeu virtuoſus, ſiue actus virtutis Eutrapeliæ, qui exercetur recreationia honeſtæ, & ſolatij cauſa: ſecundus ludus malus venialiter, qui exereetur principaliter cauſa lueri, & quæſtus, abſque tamen fraude, & iniuſtitia: tertiua malus mortaliter, qui ſit in magna pecuniarum quantitate, periuriis, blaſphemiis, dolis, & fraudibus plenus. Abſtinentia ab omoi iſto triplici ludo eſt apta materia iuramenti. ibid.16

Suſceptores luſorum, qui in domo ſoa ſuſcipiunt vacantes luſibua mortalibus, eiſdem menſas ſternentes, aleas, taxillos, chartas, lumina ad ludendum diu noctúque ſubminiſtrant, delinquunt mortaliter. 2.342.17

Suſcipienres in domo ſua frandulentum luſorem, ſternentes menſam, & miniſtrantes aleas, vel taxillos, ſi ille ludendo per fraudem aliquid lucratur, ſi ſint conſcij talis fraudis, luſore non reſtituente tenentur ad reſtitutionem: vel ſi talis luſor lucrifacir aliquid à mioore ſub paterna cura, vel tutore conſtituto, lucrante id non reſtituente, ſuſceptor qui in domo ſua miniſtrauit aleas ad ludendum, vel taxillos, ad id tenetur. ibid.

Iurans, ſeu vouens Deo nunqoam peccandi, aut nunquam peccandi venialiter, ad nihil ex vi huius iuramenti, ſeu voti obligatur. ibid.18

Valeret ramen iuramentum, & votum vitandi omnia venialia quando conſtaret intentionem iurantis fuiſſe obligare ſe ad illa vitanda, non collectiuè, id eſt, per modum vnios, ſed diuiſiuè. ibid.

Iuramentum Deo præſtitum numquam peccandi mortaliter, eſt validum & obligatorium. ibid.

Iuramentum emiſſum à Medicis in ſua profeſſione, vide Medicus.

Iuramenti commutatio, diſpenſatio, relaxatio.

Habens facultatem diſpenſandi ordinariam, & commutandi vota, poteſt etiam diſpenſare, & commutare iuramenta ſoli Deo præſtita: quales ſunt Epiſcopi, ac Superiores Antiſtites, & cæteri Epiſcopalem iuriſdictionem ordinariam habentes. 2.344.1

Obligatio iuramenti tollitur per Superiores quibus ſubiecta eſt materia iuramenti per irritationem, & ſic poterunt Superiores irritare iuramenta facta de re ſibi ſubiecta, ſicut poſſunt irritare vota eiuſdem materiæ, & hanc facultatem habent parentes reſpectu filiorum, & filiarum, Superior reſpectu ſubditorum, dominus reſpectu ſeruorum, maritus reſpectu vxoris, in his rebus, in quibus tales perſonæ ſunt ſubiectæ. ibid 2

Tollitur etiam obligatio ioramenti remiſſione eius, in cuius fauorem præſtitum eſt iuramentom. ibid 3

Etiam quando iuramentum eſt principaliter in honorem Dei præſtitum, vt ſi intuitu pietatis quiſpiam iuret fœminæ pauperi, ſe eam ducturum, & tota res promiſſa cedit in fauorem & commodum partis, parte condonante obligationem, liber erit iurans à vinculo iuramenti. ibid.

Iuramentum factum in fauoré hominis qui illud acceptauit, non poteſt commutari, vel diſpenſari, nolente eo in cuios fauorem factum eſt, quando nulla verſatur turpitodo ex parte recipientis iuramentum, nec tenetur rem ſibi iuramento promiſſam reſtituere. 2.345.4

Si aliqua præceſſit iniuria, aut aliqua turpitudo verſatur ex parte recipientis iuramentum, vt quando iuramentum à latrone fuit extortum, ſub promiſſione certæ pecuniæ ad ſeruandam vitam, aut quando factum fuit vſurario tale iuramentum, poteſt relaxari non ſolùm à Papa, verùm etiam ab Epiſcopo. ibid.

Poteſt conſequenter, loquendo ad præcedens aſſertum, ſimiliter Epiſcopos diſpeoſare ſuper iuramento metu extorto: & idem dicendum, quamuis metu coactus aliquis ſit ad iurandum ſe facturum id, ad quod aliàs tenebatur. ibid.

Vt iuramenti relaxatio valida ſit, requiritur iuſta cauſa. ibid.5

Si quis iurauit pecuniam debitam creditori ſuo ſoluere, quamuis Pontifex non poſſit illum abſoluere ab illo debito, quin virtute iuſtitiæ ſoluere teneatur, ſi abſque vlla cauſa diſpenſet in iuramento, non tollitur debitor Religionis. ibid.

Iuramenta caſtitatis, Religionis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ, ſi ſint abſoluta, regulariter & vtplurimum reſeruantur Romano Pontifici. ibid.6

Iurans ſeruare caſtitatem, ingredi Religionem, pergere Hieroſolymam peregrinationis cauſa, Romam, Compoſtellam, ſi ſolummodo intendit Deum in teſtem adducere, & non reſpicit Deum, quaſi velit aliquid ei offerre in eius obſequium, ſed ſolùm per iuramentum quaſi aſſertorium id ſe facturum affirmat, confirmans nudum propoſitum, non verò promiſſionem Deo factam de ſeruanda caſtitate, de ingrediendo Religionem, &c. tunc poteſt ſuper his iuramentis Epiſcopus diſpenſare. ibid.

Probabilius tamen & verius oppoſitum videtur. ibid.

Licèt Prælati Eccleſiaſtici, & ipſe ſummus Pontifex iuramenta Deo præſtita abſque iuſta cauſa validè relaxare non poſſint, propter rationem allatam: homo tamen, cui iuramentum ſit in eius gratiam, obſequium, lucrum, vel commodum, nulla cauſa indiget, vt huiuſmodi ioramenta relaxet. ibid.

Iuſiurandum præſtitum homini, non tamen principaliter gratia ipſius cui præſtatur, ſed principaliter in Dei honorem, in cuius obſequium res iuramento promiſſa cedit, non poteſt homo cui præſtatur huiuſmodi iuramentum, relaxare. ibid.

Iurans alteri homini dare intuitu pietatis eleemoſynam, aut Religionis ingreſſum, vel alia in honorem Dei cedentia, vt ſe nunquam blaſphematorum, vel nunquam mortaliter peccaturum, ſi principaliter cultum Dei reſpexit, intuitúque principali Religionis iurauit, & ſecundò inſtigante illo homine, vt illi rem gratam faceret, tale iuramentum non poteſt homo cui iuratur relaxare, ſeu remittere, propter rationem hîc ſuprà allatam. ibid.

Cæterùm ſi hæc cedentia in honorem Dei non intuitu

Religionis iurauit, ſed animo fidem ſuam alteri aſtringendi ratione amicitiæ, qnia id alteri gratum ferè exiſtimabat, poteſt homo, cui præſtitum eſt iuramentum, illud remittere. ibid.

Iurans verò abſolutè alteri homini cedentia in honorem Dei, ſi nequit diſcernere, quem animum, vel intentionem habuerit, cenſendus eſt illa iuraſſe principaliter in cultum Dei, intuitúque principali Religionis. ibid.

Qui non obſeruat id, in quod iuramentum auctoritate Superioris fuit commutatum, non facit contra iuramentum, nec dicitur periurus. ibid.

Iurans cedentia in honorem Dei, puta Religionis ingreſſum, vel ſe recitaturum Pſalterium, ſi hęc iurauit non intuitu Religionis principaliter, ſed principaliter alteri homini, fidem ſuam illi aſtringendo ratione amicitiæ, qnia id ei gratum fore exiſtimabat: huiuſmodi iuramentum non poteſt à Prælato Eccleſiaſtico relaxari, aut commutari. ibid. 9

Poteſt tamen Prælatus Eccleſiaſticus commutare, vel relaxare iuramenta in fauorem tertij præſtita, modò ab eo non fuerint acceptata. ibid.

Poteſtas delegata commutandi vota, qualis conceditur per Bullam, vel Iubilæum, extenditur ad commutanda iuramenta ſoli Deo facta, etiamſi huiuſmodi iuramenta per ſe fiant, & ſine voto, & præuia promiſſione expreſsè Deo facta. ibid. 10

Quando adſunt expreſsè vinculum voti, & vinculum iuramenti eiuſdem rei, vt ſi emiſſo voto ieiunandi ſtatim, vel ex temporis interuallo emittator de eodem ieiunio iuramentum; ſi tunc iuramentum præſtetur ad voti emiſſi confirmationem, priuilegium commutandi, vel diſpenſandi in votis conceſſum per Bullam, vel Iubilæum extenditur ad vota, ſic iuramento munita. 2.347.11

Si adſunt expreſsè vinculum voti, & vinculũ iuramenti eiuſdem rei, & iuramentum non præſtatur in voti confirmationem, ſed indepẽdenter ab illo, vt ſi quiſpiam vouit ieiunium, & poſtea idem iurauit, non quaſi votum confirmans, ſed omnino independéter, tunc priuilegium, vel poteſtas delegata, vel votum commutandum per Bullam, & Iubilæum minimè extenditur ad votum & iuramentum ſimul. ibid.

Quando adſunt votum & iuramentum expreſsè eiuſdem rei, & adeſt dubium an iuramentum ſit pręſtitũ ad voti emiſſi confirmationem, vel independenter ab illo, credendum eſt iuramentum poſterius emiſſum eſſe ad ſolum confirmandum votum. ibid.

Poteſtas delegata ſi concederetur circa diſpenſationem, & commutationem iuramentorum, quæ ſoli Deo fiunt, extenderetur ad diſpenſationem, & commutationem votorum. ibid. 12

Poteſtas delegata conceſſa per Bullam, per priuilegium, aut Iubilæum ad commutanda vota, extenditur ad iuramenta, in quibus turpitudo aliqua reperitur ex parte recipientis iuramentum, vt quando iuramentum fuit extortum à latrone ſub promiſſione certæ pecuniæ ad ſaluandam vitam, aut quando factum fuit vſurario ad ſoluendas vſuras, aut quando metu graui fuit extortum, huiuſmodi iuramenta poſſunt relaxari non ſolùm à Papa, & ab Epiſcopo habentibus poteſtatem ordinariam, vti dictum, ſed etiam ad hæc relaxanda ſe extendit poteſtas delegata conceſſa per Bullam, vel Iubilæum ad commutanda vota. 2.348.13

Probabilius tamen & verius eſt hanc poteſtatem delegatam conceſſam per Bullam, vel Iubilæũ, vel quodcunque aliud priuilegium ad cõmutanda vota, nullo modo extendi ad commutationem, vel relaxationem iuramentorum directè in hominis vtilitatem cedentium, licèt per ea nullum ius homini illi, cui fiunt, acquiratur ob interuentum iniuriæ illatæ. ibid.

Poteſtas delegata conceſſa per aliquod priuilegium, Bullam, vel Iubilæum diſpenſandi in votis, eave commutandi, ſe extendit ad diſpenſandum in iuramentis, eave commutanda ſi intuitu pietatis fuerit in fauorem tertij. ibid. 14

Idemmet iurans poteſt iuramenta in honorem Dei præſtita commutare in euidenter melius, aut in rem euidenter æquè bonam. ibid. 15

Iuramentum promiſſorium præſtitum in fauorem cauſæ piæ, poteſt idemmet iurans propria auctoritate in melius commutare. ibid.

Iuramentum factum in fauorem cauſæ piæ, ſiue dirigatur in ſolum Deum, ſiue in talem Eccleſiam, aut in talem pauperem, ante acceptationem adhuc poteſt commutari in melius à Superiore Eccleſiaſtico, aut ab ipſomet iurante propria auctoritate. ibid.

Iurans in fauorem cauſæ piæ date, e.g. determinatę pauperi perſonæ, vel Collegio, aut Eccleſiæ tali centum, vel facere calicem, vel huiuſmodi, ſi tali perſonæ, vel Eccleſiæ ſit acquiſitum ius ad rem, vel per inſtrumẽtum, vel teſtamentum, vel donationem, vel promiſſionem factam coram teſtibus, & ipſe cui acquiritur ius, ſcit, & acceptat, non poteſt tale iuramentum auctoritate propria in melius commutare. ibid.

Iuramenti abſolutio, commutatio, diſpenſatio, relaxatio.

Iuramentum præſtitum homini de aliqua re ei danda, ſi turpitudo, vel iniuſtitia ex parte recipientis iuramentum reperiatur, poteſt tunc tale iuramentum relaxari, vel commutari per Bullam, priuilegium, vel Iubilæum, ſi fortè concedant relaxationem, vel commutationem iuramentorum abſque tertij præiudicio. 2.351.1

Pontifex reſeruans ſibi aliqna vota, etiam cenſetur reſeruare iuramenta de eiſdem rebus. ibid.

Pari ratione dicendum eſt, quòd omnis qui per Bullam, priuilegium, vel Iubilæum poteſt diſpenſare, aut commutare vota, poteſt etiam & ſimilia iuramenta facta Deo abſque præiudicio tertij præſtita. ibid.

Iuramenta abſoluta rerum reſeruatarum, vt perpetuæ caſtitatis, Religionis, peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ, Compoſtellanæ, virtute Iubilæi, Bullæ, aut priuilegiorum nullatenus poſſunt commutari. ibid. 3

In iuramentis pœnalibus perpetuæ caſtitatis, Religionis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, Compoſtellanæ, poteſt Epiſcopus diſpenſare. ibid. 4

Ne dum Epiſcopus poteſt diſpenſare ſuper huiuſmodi pœnalia iuramenta caſtitatis, Religionis, &c. ſed etiam quilibet Confeſſor per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum poteſt commutare prædicta iuramenta pœnalia, etiam poſt adimpletam conditionem. ibid.

Iuramentum conditionatum, v. g. Si ex morbo conualuero, iuro me Religioſum fore, ante conditionem impletam reſeruatum non eſt. ibid. 5

Iuramentum rerum reſeruatarum, puta caſtitatis perpetuæ, Religionis, &c. conditionatum, vt ſi quis iuret eſſe Religioſum, vel ire Hieroſolymam peregrinationis cauſa, ſi Deus illum ab hac infirmitate liberet, vel ſi factus fuerit diues, poſt adimpletam conditionem videtur eſſe Papæ reſeruatum. 2.352.init.

Iuramentum, vel votum conditionatum rerum reſeruatarum, v.g. Si coniugi ſuperſtes fuero, iuro, vel voueo me ingreſſurum Religionem, vel perpetuam caſtitatem ſeruaturum, eueniente conditione

omnino perficitur, & purificatur, itaut remaneat reſeruatum Romano Pontifici. ibid.

Iuramenta pœnalia rerum reſeruatarum nec ante, nec poſt impleram cooditionem remanent reſeruata Romano Pontifici. ibid.6

Si quis iu pœnam, ac ſupplicium virij à ſe admiſſi, pota homicidij, vel fornicationia, iurauerit ingredi Religionem, vel perpetuam ſeruare caſtitatem, aut peregrinationem Romanam, Hieroſolymitanam, vel Compoſtellanam; vel ſi qois, qoia non obtinuit beneficium, cui ſe oppoſuerat, præ indignatione, vel deſperatione, ne vitam paoperem ducat, iuret ingreſſum Religiooia, perpetuam caſtitatem, &c. Epiſcopus ſuper his iuramentis diſpenſare non poteſt, nec per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum, hæc iuramenta poteſt Confeſſarios commutate. ibid.7

Confeſſarius cui virtute Iubilæi, vel alterius Bullæ facultas commutandi vota conceditur, poteſt etiam vi huius conceſſionis commutare iuramenta ſoli Deo præſtita, circa eaſdem materias, quæ ſi eſſent vota, poſſet illa commutare. 2.353.a

Vide *Diſpenſatio in votis, & iuramentis*,

Iuriſdictio.

Iuriſdictio alia eſt gratioſa, & voluntaria: alia contentioſa, ſeu neceſſaria. Voluntaria illa dicitur, quæ in ſolos ſubditoa volentes, vel ſine ſtrepitu iudiciali exercetur: contentioſa verò, quæ habet contradictionem, & inter contendentes exercetur. 1.186.5

Iuriſdictio in pœnitentiæ foro alia eſt ordinaria, quæ alicui competit, ratione officij quo fungitur: alia delegata, quæ alicui competit ex commiſſione Ordinarij. 2.187.7

Ex præſcripta conſuetudine Cardinales ordinariam iuriſdictionem exercent in ſuos familiares, vt proinde hi cum licentia Cardinalis cuique Confeſſario expoſito coofiteri poſſint. ibid.8

Iuriſdictio competens Prælatis Regularibus, ſiue ſint Generales, ſiue Prouinciales, ſiue Præpoſiti locales, qui toti domui præſunt, & eorum abſentium longa aliqua abſentia Viceſgerentibus, vt ſunt Vicerectores, Vicepriores, vt in Ordine Prædicatorum eſt ſubPrior, mortuo. vel amoto Priore in Ordine D Benedicti, Prior in Ordine S. Franciſci Vicarios, eſt ordinaria, & quaſi Epiſcopalis. 2.191.3

Poteſtas Prælatorum Regularium, quę competit illis ex iure communi, vel particolari ſuarum legum, vel ex priuilegio Principis, perpetnò eſt delegabilis. ibid.

Vide *Matrimonium*, rubr. *Impedimentum vis, ſeu metus.*

Ius diuinum naturale.

Duplex eſt ius diuinum naturale, aliud abſolutum, vt de non fornicando, non mentiendo, & in hoc nullo modo poteſt ſummus Pontifex diſpenſare, quia nullus excogitari poteſt caſus in quo ſit rationabilis cauſa diſpenſandi. Aliud verò eſt ius diuinum naturale fundatum in actu, vel contractu humano, & in hoc poteſt ſummus Pontifex aliquando diſpenſare; quia ad regimen, & bonam animarum gubernationem aliquando conducit diſpenſatio in his quæ ſunt de iure dioino oaturali, in quibus admiſcetur aliquid obligationis humanæ. a.97.a

Iuſpatronatus.

Emptio iuriſpatronatos, etſi facta ſit ſimoniacè, valida eſt. 1.149.6

Idem de penſione ſpirituali, idem de vicaria quoad tempus, quæ beneficium non eſt. Idem de officijs quibuſdam Eccleſiaſticis, vt Auditoratus Cameræ Apoſtolicæ. Idem de ſoperioritatibus Mendicantium, quæ non recenſentur inter beneficia, &c. ibid.

Vide *Beneficium*.

Iuſtificatio.

Iuſtificatio, & remiſſio peccati mortalis per virtualem pœnitentiam, ſcilicet dilectiooem Dei ſuper omnia, ſolùm obtinetur in caſu naturalis obliuionia, vel inconſiderationis, quando peccata memoriæ non occurrerent, & homo cogitando de Deo ſuper omnia, diligeret illum. 2.32.8

Conſequenter quando homo cogitat de Deo, & peccatis ſuis, non poteſt pro ſua libertate actum dilectionis Dei ſuper omnia fructuoſum, & ſufficientem ad iuſtificationem elicere, ſi per pœnitentiam formalem noo deteſtetur peccata cognita, & memoriæ occurrentia. ibid.

Io caſu ſuperioria aſſertionia, qua homo iuſtificatur per pœnitentiam virtualem, ſcilicet dilectionem Dei ſuper omnia, non tenetur ſtatim dolere formaliter de peccatis mortalibus, quando venerint in memoriam. a.33.9

Tenebitur tamen hic inſtificatus per pœnitentiam virtualem, nempè dilectionem Dei ſuper omnia ad pœnitentiam formalem, quando occurrit præceptum confeſſionis, & poſt ſufficientem indaginem peccata mortalia venerint in mentem. ibid.

Tenebitur etiam hic iuſtificatus per dilectionem Dei ſuper omnia actum veræ pœnitentiæ formalis elicere in periculo mortis corporalis, vel perpetuæ amentiæ, &c. ibid.10

Ad iuſtificationem obtinendàm per contritionem ſecundùm ſe, & extra ſacramentum, requiritur ſaltem confuſa peccatorum commiſſorum conſideratio. a.39.a

Qui facto peccatorum examine recordatur vnius tantummodo peccati, iuſtificatur ſi de illo peccato contritionem eliciat, quamuis alia peccata commiſerit, quorum non recordatur. a40.init.

Is qui multa peccata commiſit, & vnum tantùm conſiderat actu, licèt aliorum non ſit omnino oblitus, ſed ſolùm actualem inconſiderationem eorum habeat, poterit de peccato illo verè conteri, & per illam contritionem vltimò diſponi ad gratiam iuſtificantem. ibid.

Qui de vno ſolo peccato actu cogitans, veram contritionem habuit, & iuſtificatus eſt, non tenetur poſtea, per ſe loqneodo, diſtinctè omnia peccata recogitare, & iterum confiteri. a.40.4

Cogitans de vno peccato mortali, ſi elicit actum veræ contritionis, & ſic iuſtificatur, licèt poſtea non teneatur ad examē rigoroſum, & diſtinctè omnia peccata recogitare, obſtringitur tamen poſtea ad faciendam aliqualem conſiderationem peccatorum. ibid.

Cogitans de vno ſolo peccato, ſi elicit actum veræ contritionis, & ſic iuſtificatur, poſtea ſi poſt aliqualem recogitationem peccatorum nullum habeat morale dubium, an alia peccata commiſerit, nō tenetur iterū conteri, etiam ſub cōditione, ſed potiùs diligere. ibid.

Cogitans de voo ſolo peccato per contritionem iuſtificatus, ſi poſtea vult confiteri, neceſſariū eſt ſufficiēs, & rigoroſum examen, cùm nullus poſſit ſua peccata cōfiteri, niſi facto ſufficiēti examine cōſciētiæ. ibid.5

Iuſtificatus per contritionem etiam in lege noua, ſi contingat excuſari ab obligatione præcepti confeſſionis, nimirum, quia confiteri non poteſt ob inopiam Confeſſoris, tunc ſimpliciter excuſatur à rigoroſo examine, & recogitatione omnium peccatorum facienda. ibid.

Dupliciter contritio dici poteſt magna, primò intenſiuè; ſecundò appretiatiuè. 2.41.a

Ad contritionem, & conſequenter ad iuſtificationem, non requiritur certa intenſio, & vt contritio ſit magna

magna, vel maxima intenſiuè intentione phyſica, ſed ſufficit qualibet contritio, licèt tenuiſſa, modò ſit vera contritio. ibid. 3

Ad veram contritionem quoad ſubſtantiam licèt non requiratur intenſio magna, vel maxima phyſica, & entitatiua, requiritur tamen intenſio quædam moralis maxima, quæ conſiſtit in appretiatione, & aſtimatione Dei ſuper omnia bona, & in deteſtatione peccati ſuper omnia mala. a. 42. 4

Pœnitens in eliciendo contritionis actu non tenetur facere comparationem peccatorum cum aliis malis, ita vt deteſtari debeat peccatum magis, qoàm amiſſionem vitæ, aut ſaeuliatum, aut honoris, &c. ſed ſufficit in genere, vt deteſtetur peccata ſuper omnia deteſtabilia in communi, cum propoſito vitandi omne peccarum ſuper omne deteſtabile in commoni, aut etiam ſufficit, ſi malit quodlibet malum ſubiiſſe, quàm offeodiſſe Deum, cum propoſito ſubeundi quodlibet malum, quàm offendendi Deum. ibid. 5

Conſequenter, licèt homo debeat eſſe diſpoſitus, quòd magis doleat de culpa, quàm de quacumque pœna etiam inferni, ita vt magis velit pati illas pœnas, quàm iterum peccare mortaliter, non tamen eſt tentandus in huiuſmodi expreſſis, & formalibus comparationibus. ibid.

Licèt Cooſeſſarij deſcendere non debeant ad huiuſmodi expreſſas, & formales comparationes particulares, quia contingit aliquando, quòd quis habeat verum dolorem de peccatis, non aduertendo ad hæc ſingularia; tamen ſi de facto fiat talis comparatio, debet pœnitens potius velle pati pœoas inferni, quàm iterum peccare. ibid.

Si pœnitens non faciat comparationem expreſſam & formalem inter maios, & minos peccatom, nulla eſt culpa magis iotenſiòe dolere de mioori peccato, quàm de maiori peccato. ibid. 6

Si verò pœnitens faciat comparationem expreſſam, & formalem, inter maius, & minos peccatum, tenetur magis intenſioè deteſtari maius peccatum, quàm minus, & ſic magis tenetur deteſtari homicidium, quàm furtum, ſi formaliter inter iſta duo peccata comparationem faciat. ibid.

Licèt omnia peccata mortalia appretiatiuè ſint in ſummo deteſtabilia, quia vnumquodque illorum ſuper omnia deteſtabilia deteſtari tenemor: intenſiuè tamen maius peccatum eſt minori deteſtabilius, facta comparatione expreſſa, & formali inter maius, & minus peccatum. ibid. 7

Licèt maior contritio intenſiuè non exigatur ad remiſſionem grauiſſimi peccati, loquendo quoad culpam, quàm leuioris, & plurium, quàm vnios. a. 43. 8

Ad veram contritionem non requiritur aliqua duratio temporis. ibid. 9

De potentia Dei abſoluta poteſt homo adultus iuſtificari à peccato mortali abſque vlla pœnitentia, contritione ſcilicet actuali, vel virtuali; modò eeſſet actus peccati. a. 45. 6

Non ceſſante vero actu peccati implicat hominem iuſtificari. ibid.

Iuſtificati ob infuſionem virtutum moralium promptiores ſunt in operibus virtutum, quàm alij, cæteris paribus. a. 139. 14

Vide *Contritio*.

L

L*Egatum, vide* Donatio.

Ligamen, vide Matrimonium, *rubr.* Impedimentum ligaminis.

Ludus, vide Fornicatio, *&* Iuramentum, *rubr.* Iuramentum de non ludendo.

M

Matrimonium.

LIcèt Parochus & Epiſcopus degentes in ſua Eccleſia parochiali poſſint coniungere matrimonio, ſi habitauerint ibi toto anno, vel maiori anni parte, vel habuerint animum ibi inhabitandi maiori parte anni; non tamen poterint ſi ibi quaſi ruri, vel cauſa recreationis aliquot diebus, vel menſibus habitauerint, rediruri deinde ad ſolitum domicilium. t. 27. 5

Quando Procurator contrahit matrimonium nomine alterius, contrahendo iſta verba debet adhibere Recipio te in vxorem nomine Titij, v. g. Similiter fœmina reſpondere debet: Ego, te mediante, duco Titium in virom: vel, Talis conſentit in te, vel accipit te in vxorem, vel in virum, me mediante. a. 325. 7

Iure antiquo matrimonium contractum per epiſtolam validum erat. quamuis etiam poſt Conc. Trid. conſtat matrimonium per epiſtolam celebratum. ibid. 8

Matrimonium celebratum per litteras, vel Procuratorem, ne dum eſt validum, ſed etiam Sacramentũ. ib. 9

Vide *Coniux*.

Matrimonium clandeſtinum.

Matrimonium clandeſtinum tribus modis dicitor, vno modo cùm non habentur teſtes; ſecundò, cùm fit ſine ſolemnitate requiſita; tertiò, ſi fit non præmiſſis in Eccleſia denunciationibus. t. 165. init.

Vide *Beneficium*, rubr. *Beneficiorum diſtributio.*

Matrimonij impedimentum in genere.

Impedimentum in genere in matrimoniis contrahendis eſt duplex. Vnum quod dicitur impediens, & dirimens ſimul, & hoc eſt illud, quod impedit contrahendum, & dirimit contractum, id eſt, facit, quòd contrahens cum tali impedimento, non ſolùm peccet, ſed etiam, quòd matrimonium ſic contractum nullum reddatur. Alterum eſt impediens tantùm, & hoc eſt illud quod impedit contrahendum, id eſt, facit quòd contrahens cum tali impedimento peccet mortaliter; tamen matrimonium ſic contractum non anoullat. a. 361. 1

Impedimentum dirimens.

Impedimentum dirimens tunc dirimit, & annullat matrimonium contractum, quando tale impedimentum præceſſit matrimonium, ſecus eſt ſi ſuperueniat matrimonio ritè facto, vt affinitas, vel crimen, & huiuſmodi. ibid. 2

Impedimenta in ſpecie impedientia ſimul, ac dirimentia, duodecim communiter aſſignãtur à Doctoribus, quæ ſunt, Error, conditio, votum, cognatio, crimen, diſparitas cultûs, vis, ſeu metus, Ordo, ligamen, publica honeſtas, affinitas, & impotentia. ibid. 3

Impedimentum Erroris.

Error eſt duplex, quidam eſt perſonæ, qoidam verò fortunæ, ſeu qualitatis. Errat in perſona ille, qui intendit contrahere cum Berta, & contrahit cum Antonia. Item errat in perſona, qui intendens contrahere cum filio talis, vel talis Regis, Ducis, vel Principis, contrahit cum filio alterius, qui non eſt Rex, Dox, vel Princeps. Error in fortuna, ſeu qualitatibus tunc eſt, quando quis intendit contrahere cum virgine, nobili, diuite, & cum perſona bonæ famæ, & nihilominus eſt infamis, pauper, ignobilis, & corrupta. ibid. 1

Matrimonium contractum cum errore perſonæ, vel circa ſubſtanriam perſonæ, non ſolùm iure humano, ſed etiam iure naturali eſt inualidum. a. 362. a

Matrimonium contractum cum errore perſonæ, vel circa ſubſtantiam perſonæ, non ſolùm eſt inualidum inter fideles, ſed etiam inter infideles. ibid.

Matrimonium verò contractum cum errore qualitatis perſonæ, non eſt inualidum. ibid.3

Impedimentum Conditionis.

Matrimonium contractum cum errore conditionis perſonæ, id eſt, ſeruitutis, non eſt inualidum, qoando perſona cum qoa contrabitur eſt æqualis, aut melioris conditionis. ibid.1

Matrimonium contractum cum errore conditionis, eſt inualidum, quando conditio errantis ſit deterior, vt quando liber contrahit cum ſeroa, quam credebat liberam. ibid.

Quando liber contrabit cum ſerua, neſciens illam eſſe ſeruam, etiam ſi ita eſſet affectus, vt ſi cognoſceret illam eſſe ſeruam, nihilominus cum ea adhuc contraheret, matrimonium eſſet nullum. ibid.2

Setuus poteſt validè, etiam inuito domino, contrahere matrimonium cum ſerua, vel cum libera, modò ſeruitus ſit nota perſonæ liberæ. ibid.3

Quando ſerui de couſenſu dominorum ſuorom matrimonium contraxeront abſque peccato mortali, non poſſunt domini vendere illos in locis diſtantibus, in quibus ſerui non poterunt ſibi debitum reddere. 2.363 4

Si malitia ſerui exigeret, vt in partes longinquas ſeruus vendendus mitteretur, vel ſi in proprio oppido, aut partibus vicinis non inueniretur emptor: tunc licitè poſſet dominus, quamuis conſenſerit in matrimonium ſerui, illum vendere in locis diſtantibus, in quibus ſerui emptorem inuenit. ibid.

Si ſernus contraxit matrimonium domino ignorante, vel contradicente, eſt validum matrimonium, & magis tunc teneretur ſeruus domino de obſequio, quàm coniugi de redditione debiti: peccaret tamen grauiter dominos, ſi abſque graui neceſſitate ſeruum diſtraheret in partes remotas, in quibus ob diſtantiam debiti petitio, & redditio impediretur. ibid.5

Error conditionis ſeruilis ſolo iure Eccleſiaſtico reddit irritum matrimonium, non autem iure naturali: vnde valeret matrimonium initum inter infideles cum errore conditionis ſeruilis. ibid.6

Impedimentum Voti.

Votum aliud eſt ſimplex, aliud ſolemne. Votnm ſimplex eſt illud quod fit ad libitum cuiuſcumque: votum verò ſolemne eſt illud quod emittitur in ſuſceptione ſacrorum Ordinum, vel in profeſſione exceprеſſa, vel tacita alicuius Religionis approbatæ. Votum ſimplex non dirimit matrimonium, ſed tantùm impedit ne contrahatur, propterea qui vouit caſtitatem, vel Religionem, vel ſacros Ordines, validè contrahit matrimonium, quamuis grauiter peccet contrahendo: aſtrictus verò voto ſolemni contrahens matrimonium, ne dum peccat mortaliter, verùm etiam eſt excommunicatus, & matrimonium nullum eſt. ibid.1

Votum caſtitatis emiſſum in profeſſione valida Religionis approbatæ dirimit matrimoninm etiam conſummatum, factum poſt ipſam profeſſionem, cônſequenter Religioſus Profeſſus inoalidè contrahit matrimonium. 2.364.2

Profeſſio facta in approbata Religione dirimit matrimonium celebratum ante ipſam profeſſionem, modò matrimonium ſit tantummodo ratum, & non conſummatum; conſequenter coniugatos, ſi ante conſummatum matrimonium profeſſionem faciat in approbata Religione, remanet liber ab obligatione matrimonij. ibid.

Matrimoninm conſummatum celebratum ante profeſſionem, nō dirimitur per ſequentē profeſſionē. ibid.

Matrimonium conſummatom non dirimitur per profeſſionem ſubſequentem, non ſulùm, ſi fuit conſummatum poſt bimeſtre, ſed etiam ſi fuit conſummatum intra bimeſtre, &c. quamuis conſummatum fuerit per vim. ibid.

Profeſſio emiſſa in aliqua approbata Religione, iure naturæ dirimit matrimonium, etiam conſommatum, factum poſt ipſam profeſſionem. ibid.

Vel diei poteſt, profeſſionem emiſſam in aliqua apptobata Religione dirimere matrimonium ratum, ex priuilegio diuino, quod Eccleſia accepit per Apoſtolos, & confirmatum retinet perpetuo vſo, & ſanctorum Patrum exemplis. ibid.

Matrimonium tamen ratom minimè diſſoluitur per ſuſceptionem ſacrotom Ordinum, neque per ordinationem Epiſcopalem. ibid.3

Matrimonium verò poſt ſacros Ordines contractum, eſt inualidum. Imò Clericus in Sacris conſtitutus, ſi de facto matrimonium conttahit, eſt ipſo facto excommunicatus. Similiter Clericus exiſtens in Sacris, ſi matrimonium ineat, fit irregularis. ibid.4

Huius criminis cognitio, Clerici ſcil. poſt Ordines ſacros tranſeuntis ad nuptias, ad Tribunal ſancti Officij pertinet. ibid.

Diſpenſatio in votis caſtitatis, vel Religionis, poteſt eſſe totalis, aut partialis, & reſtricta; totalis eſt, quando abſolutè & abſque limitatione aliqua conceditur: partialis autem, quando quo ad actum determinatum, vel reſpectu perſonæ determinatæ, conceditur. ibid.5

Diſpenſatio partialis, quoad actum eſt quando diſpenſatur in voto caſtitatis, vel Religionis ad matrimonium ineundum: partialis autem diſpenſatio quoad perſonas, eſt qnando ad matrimonium cum certa perſona ineundum diſpenſatur. ibid.

Dicitur autem diſpenſatio partialis, eo quòd non ſit integra in voto diſpenſatio. ibid.

Ad validitatem diſpenſationis non eſt neceſſe, vt cauſa ſit vera, quando litteræ Romam mittuntur. ibid.6

Ad diſpenſationis valorem exigitur, vt cauſa in eius litteris ſignata verificetur, & tempore, quo proponitur Pontifici, vel Pœnitentiario, & etiam tempore, quo examinata precum veritate Ordinarius, vel Cōfeſſarius diſpenſationem exequitur. 2.365.init.

Diſpenſatio verò non habet vim veræ, & conſummatæ diſpenſationis, donec Ordinarius, vel Confeſſarius diſpenſet. ibid.

Si accidat, vt tempore qoidem conferendæ, ſeu exequendæ diſpenſationis cauſa ſubſiſtat, ſed non conſtiterit tempore impetrationis, vel datarum literarum (poteſt diſpenſatio, & priuilegiom, vel viua voce, vel in ſcripto concedi) non poteſt diſpenſatio fieri à Commiſſario, vel exequutore. ibid.

Vt diſpenſatio ſit valida, inſuper eſt opos, vt tempore, quo omnino conſummanda eſt, aſſequens ſuum vltimatum effectum indiuiſibilem, non ceſſârit omnino cauſa finalis: effectus autem diſpenſationis duplex eſt, proximus nimirum, ablatio vinculi legis impedientis rem fieri; alter verò vltimatos, nempè opus illud, ad quod faciendum conceditur. ibid.7

Probaliter etiam dici poteſt, quòd ſi cauſa diſpenſandi eo tēpore ſubſiſtat, cùm diſpēſatio ab Ordinario, aut Commiſſario abſolutè facta intrinſecum effectum conſeqouta eſt, etiamſi poſtea deſinat ſubſiſtere, non tamen reuiuiſcit obligatio, quæ ſemel per diſpenſationem ablata eſt: etiamſi nondum ſit ſortita ſuum effectum vltimatom, puta quia nondum matrimonium eſt contractum: vnde ſi cum aliquo diſpenſatum ſit ſuper irregularitate ad Ordines ſuſcipiēdos, ob penuriam Miniſtrorum Eccleſiæ, etiamſi hæc

cauſa

cauſa poſt collatam diſpenſationem ceſſet, non reuiuiſcit irregularitas,nec ceſſat diſpenſatio. ibid.
Similiter ſi cum aliquo diſpenſatum ſit ſuper voto continentiæ, vel ſuper impedimento matrimonij cauſa legitimandæ prolis,etiamſi poſt factam diſpenſationem proles moriatur, non reuiuiſcit impedimentum,aut voti obligatio. ibid.
Diſpenſationes, quæ tractum ſucceſſiuum habent, & earum effectus commodè diuidi poteſt, ceſſante cauſa finali,pariter ceſſant. quare ſi Pontifex cum infirmo,euius valetudo deſperata videtur, abſolutè diſpenſet in lege,e.g. ieiunij, ille autem poſtea præter opinionem vires integrè recuperet, tenebitur poſtea legem cum aliis obſeruare. ibid.8
Diſpenſatio rei indiuiſibilis ſemel obtenta, & iam executioni mandata, non ceſſat, ceſſante cauſa, ob quam fuerat conceſſa. ibid.9
Similiter ſi quis poſt matrimonium contractum, emittat votum caſtitatis, ſi poſtea ob incontinentiæ periculum diſpenſationem obtineat ad petendum debitum, ceſſante incontinentiæ periculo, adhuc poteſt debitum exigere. ibid.
Si diſpenſatio rei indiuiſibilis deducta ad vltimatum effectum,& iam executioni mandata,ceſſaret cauſa finali,ceſſaret, is, qui virtute diſpenſationis in voto caſtitatis ex iuſta cauſa obtentæ contraxit matrimonium, teneretur poſtea ceſſante cauſa ſeruate votum in quantum poſſet, nempe non petendo debitum, vel deberet diſcedere ab vxore cum magno illius,ac filiorum detrimento. ibid.
Similiter qui poſt matrimonium contractum emiſit votum caſtitatis,poſtea ob incontinentiæ periculum obtinuit diſpenſationem ad petendum debitum,ceſſante periculo incontinentiæ, teneretur ceſſare à debiti petitione, & ſic multis premeretur ſcrupulis circa debiti petitionem. ibid.
Duplex eſſe poteſt diſpenſationis effectus,nempè opus, ad quod faciendum conceditur diſpenſatio,aliquando eſt indiuiſibilis,quandoque verò diuiſibilis:indiuiſibilis dicitur,quando eius eſt naturæ, vt quamuis ex pluribus conſtet partibus,& ſit opus ſucceſſiuum, at commodè diuidi non poteſt, huiuſmodi eſt matrimonium. ibid.
Diuiſibilis autem eſt quando commodè diuidi poteſt, vt diſpenſatio ad edendas carnes, vel non ieiunandum in Quadrageſima,vel ad non recitandum Officium diuinum. 3.366.10
Non ceſſat diſpenſatio in irregularitate reſpectu illius, qui ratione paupertatis parentum diſpenſationem ad Ordines obtinuit,ſi Ordinibus iam ſuſceptis ceſſat paupertas, quæ fuit cauſa finalis diſpenſationis. ibid.11
Irregularis ſi ex iuſta diſpenſatione ad omnes Ordines obtenta recepit ſubdiaconatum,ceſſante poſtea cauſa diſpenſationis, poteſt aſcendere ad vlteriores Ordines. ibid.
Superior ob cauſam temporalem, quam ſufficientem putat ad diſpenſationem perpetuam concedendam, poteſt abſolutè diſpenſare, non ſolùm in his, quæ ſunt de iure humano, ſed etiam in his, quæ ſunt de iure diuino. ibid.12
Conditio contraria ſubſtantiæ matrimonij, aut bonis eius,illud irritum reddit. ibid.13
Conditio contra bonum matrimonij, & contra ſubſtãtiam eiuſdem,tunc eſt,quando eſt contra prolem,vel contra fidelitatẽ,vel contra indiſſolubilitatem:contra prolem,puta ſi alter dicat alteri, Contraho tecū ſi generationem prolis euites;contra fidelitatem,puta ſi dicat, Contraho tecum ſi pro quæſtu adulterandam te tradas; contra indiſſolubilitatem, puta ſi dicat, Contraho tecum, donec inueniam digniorem, matrimonialis contractus tunc eſt irritus. ibid.

Impedimentum Cognationis.

Cognatio eſt triplex,vna dicitur naturalis,ſeu carnalis, quæ dicitur conſanguinitas: ſecunda eſt ſpiritualis, quæ dicitur compaternitas:tertia eſt legalis, quæ dicitur adoptio. a.367.1
Cognatio naturalis, quæ dicitur conſanguinitas, eſt vinculum perſonarum ex eodem ſtipite deſcendentium,carnali propagine contractum. Cognatio ſpiritualis eſt attinentia duarum perſonarum, quæ ex ſtatuto Eccleſiæ per Baptiſmi,& Confirmationis adminiſtrationem oritur. Legalis verò cognatio eſt propinquitas ex adoptione alicuius in filium, vel filiam prouenieus. ibid.
Inualidum eſt ſaltem iure Eccleſiaſtico matrimonium celebratum inter perſonas conſanguineas intra quartum gradum incluſiuè,tam in linea rectā, quàm in linea tranſuerſali. ibid.2
Linea,ſeries, ſeu collectio perſonarum in conſanguinitate eſt duplex, vna quæ dicitur recta, altera verò tranſuerſa,ſeu collateralis. ibid.3
Linea recta illa eſt, ſecundùm quam multæ perſonæ ita deſcendunt ab vno ſtipite immediatè,vel mediatè,vt vna ſit genita ab altera,vt filius à patre,nepos à filio, pronepos à nepote. ibid.
Iterum linea recta adhoc eſt duplex, alia eſt aſcendentium,alia deſcendentium. Linea aſcendentium eſt illa,qua progredimur à genitis ad genitores,quærendo illorum ſtipitem, numerando patrem,auum,proauum,abauum:linea verò deſcendentium eſt illa,qua progredimur à genitoribus ad genitos, ſcilicet à patre ad filium,nepotem,& pronepotem. ibid.
Linea verò collateralis,& tranſuerſa eſt illa, ſecundùm quam multæ perſonæ ab vno ſtipite immediatè, vel mediatè procedunt, ipſæ tamen perſonæ à ſe inuicem non deſcendunt. ibid.
In linea recta aſcendentium,& deſcendentium,tot ſunt gradus conſanguinitatis,quot ſunt perſonæ,dempta vna perſona,nempè ſtipite, propterea cùm pater, & filius ſint duæ perſonæ,ſi ſtipes demitur,id eſt,pater, pater & filius erunt in primo gradu. ibid.
Similiter pater,& nepos ſunt in ſecundo gradu. ibid.
Conſanguinei in linea tranſuerſali, ſeu collaterali, eo gradu diſtant inter ſe, quo gradu alter magis remotus diſtat à communi ſtipite. ibid.
Matrimonium in primo gradu conſanguinitatis lineæ rectæ eſt iure ipſo naturæ irritum. ibid.4
Deus optimus maximus poſſet diſpenſare, vt id matrimonium in primo gradu lineæ rectæ inter patrem,& filium,v.g.iniretur. ibid.
Imò in caſu extremæ indigentiæ, vt ſi ſolus filius, & mater in mundo ſupereſſent citra diſpenſationem Dei,tale matrimonium liceret propter conſeruationem vniuerſi,quod eſt bonum commune. ibid.
In ſolo primo gradu aſcendentium, & deſcendentium eſt ita interdictum matrimonium iure naturæ, vt irritum ſit eo iure attento, vt inter ſolos parentes, & liberos. ibid.
Auus, & cæteri aſcendentes, non ſunt principium nepotum per ſe,ſed per accidens. a.368.5
Licèt in aliis gradibus conſanguinitatis, vltra primum lineæ rectæ non prohibeatur matrimonium iure naturali irritante, non tamen eſt negandum eſſe aliquo modo contra ius naturæ, quando non adeſt aliqua cauſa iuſta illud coboneſtans. ibid.6
Infideles matrimonio coniuncti cum quocumque aſcendente,demptis patre,& matre, dummodo non contra leges ſuas, aut conſuetudines matrimonium

itritantes illud inierint, ſi poſtea conuertantur ad fidem, non ſunt ſeparandi. ibid. 7

In nullo gradu lineæ tranſuerſæ conſanguinitatis, eſt ita iure naturæ matrimonium interdictum, vt eodem iure attento, irritum ſit, ac proinde attento ſolo iure naturæ validum eſt matrimonium inter fratres, & ſorores. ibid. 8

Satis eſt probabile in primo gradu lineæ tranſuerſæ, vt inter fratres, & ſorores, eſſe interdictum, ac irritum iure naturæ matrimonium. ibid.

Impedimentum Criminis.

Crimeo homicidij inducit impedimentum dirimens, quando vnus coniugum conuenit cum altero, vt occidant alterum coniugem, vt poſſint inter ſe contrahere, tunc ſi occidant illi, machinantes in mortẽ alterius coniugis, non poſſunt contrahere. 2. 369. 1

Non deſideratur adulterium, vt crimen homicidij inducat impedimentum dirimens, ſed ſufficit, quòd vterque matrimonio copulari volens cooperatus ſit ad mortem alteri coniugi inferendam, vt cum ſuperſtite contrahat. ibid.

Crimen ſimplex homicidij non admixtum adulterio, non inducit impedimentum dirimens matrimonium, ſi alter abſque conſilio alterius coniugem enecet: ac proinde ſi aliquis occidit coniugem ſuum, vel alterius, vt poſſit contrahere matrimonium cum alio, qui non fuit particeps homicidij, validè poſt occiſionem coniugis contraheret. ibid. 2

Ad inducendum hoc impedimentum non ſufficit ratihabitio bomicidij abſque cooperatione. ibid. 3

Vt crimen ſolius homicidij indocat impedimentum dirimens, requiritur vt machinatio, ſeu conuentio occidendi alterum coniugem, facta ſit ad hunc finem, vt mortuo coniuge machinantes, ſeu conſpirantes, poſſent inter ſe contrahere. ibid. 4

Non requiritur tamen, vt vterque machinator habuerit hunc finem, contrahendi ſcilicet, ſed ſufficit, vt vnus tantùm hanc habuerit intentionem. ibid.

In opinione tamen omnium ad hoc impedimentum inducendum requiritur, vt mors ſequatur. ibid.

Crimen adulterij inducit impedimentum dirimens matrimonium, ſi præter adulterium adeſt homicidium coniugis commiſſum ab aliqua perſona, cum intentione contrahere matrimonium cum illa perſona, cum qua commiſit adulterium. 2. 370. 5

Vt crimen adulterij cum homicidio inducat hoc impedimentum dirimens, non requiritur, vt vterque adulter cooperetur morti coniugis, ſed ſufficit, vt vnus ſit conſcius homicidij, quamuis alter non ſit conſors. ibid.

Vt crimen adulterij cum homicidio inducat impedimentum dirimens, requiritur vt vterque norit adulterium, alioquin non contrahitur. ibid. 6

Is, qui occidit propriam vxorem, vt contrahat matrimonium cum adultera, poteſt validè contrahere matrimonium cum alia, quamuis non poſſit validè contrahere cum ipſa adultera. ibid. 7

Verum tamen eſt occidentem proprium coniugem incurrere impedimentum impediens matrimonium cum quacunque perſona. ibid.

Quando vir adulteratur cum aliqua muliere, cum promiſſione, quòd eam in ſuam vxorem accipiet, mortuo ſuo viro, vel è conuerſo; tunc inter iſtos non poteſt eſſe matrimonium in æternum, ſiue præcedat, ſiue ſequatur adulterium huiuſmodi promiſſio. ibid. 8

Vt adulterium cum fide futuri matrimonij inducat impedimentum dirimens, requiritur vt vterque adulterans cognoſcat copulam, quam habet, eſſe adulterium, videlicet vt vterque ſciat ſuperſtitem eſſe coniugem alterius. ibid. 9

Si promiſſio facta fuit animo decipiendi, adulterium cum fide, & promiſſione futuri matrimonij non inducit impedimentum dirimens. ibid. 10

Satis eſt probabile ſufficere in caſu præcedentis aſſertionis fictam promiſſionem futuri matrimonij. ibid.

Vt promiſſio futuri matrimonij adiuncto adulterio inducat hoc impedimentum dirimens, non debet eſſe mutua. ibid.

Promiſſio futuri matrimonij adiuncta adulterio, vt inducat hoc impedimentum, requiritur quòd ſit expreſſa aliquo ſigno externo. ibid.

Pollicitatio eſt ſolius offerentis promiſſio, antequam ab altero acceptetur: promiſſio verò eſt datio fidei deliberata, vera, & ſpontanea de re licita, & poſſibili: ad inducendum hoc impedimentum dirimens, non ſufficit pollicitatio, ſed promiſſio, fides data, & acceptata. 2. 371. 11

Ad inducendum hoc impedimentum licèt non requiratur alterius adulteri repromiſſio, ſed ſola promiſſio alterius adulteri, acceptata ab altero, ſufficiat: non ſufficit tamen taciturnitas eius, cui promittitur. ib. 12

Taciturnitas tamen eſſet ſufficiens, vt promiſſio facta præſenti, & tacenti obliget, quando cedit promiſſum omnino in commodum promiſſarij. ibid.

Non eſſet impedimentum dirimens ſi coniugatus dicat adulteræ: Niſi matrimonio ligatus eſſem, te ducerem. ibid. 13

Non inducitur hoc impedimentum dirimens matrimonium, ſi Caius, e.g. promiſit nuptias Semproniæ mortua ſua vxore, ſi poſtea mortua vxore contraxit cum Simplicia, & viuente Simplicia carnaliter cognouit Semproniam abſque noua promiſſione, & ſic validè mortua Simplicia poterit contrahere cum Sempronia. ibid. 14

Grauem culpam admitit promittens matrimonium poſt obitum coniugis ineundum. ibid. 15

Quando duo promiſerunt ſibi matrimonium, ſi ambo, vel vnus ex his eſt coniugatus, ſi poſtea pœnitentia ducti reſilierunt à tali promiſſione ante ſequutam copulam, quæ deinde ſequuta eſt abſque noua promiſſione, non contrahetur hoc impedimentum. ibid.

Si verò ſequuta promiſſione, & copula reſiliant à promiſſione, remanent inhabiles ad contrahendum. ibid.

Si durante priori matrimonio adulter fidem dederit adulteræ de contrahendo matrimonio cum perſona, quam tertius quidam ab adultera ſignatus deſtinauerit, quando fraudulenter ea fides datur, vel petitur, vt tertius ille adulteram deſignet, in hoc caſu inducitur hoc impedimentum dirimens. 2. 372. 16

Quòd ſi ea fraus non interuenerit, ſed fides illa petita eſt bona fide, eo quòd credebatur fore, vt tertius ille conueniens adultero matrimonium conſuleret, non tamen ſpeciale cum adultera, cum qua peccauit, ſed cum alia quacunque indeterminata, tunc non oritur hoc impedimentum matrimonium dirimens. ibid.

Vt in caſu præcedentium duarum aſſertionum oriatur impedimentum dirimens, ſatis eſt, ſiue fidem dans, ſiue acceptans probabiliter exiſtimet, vt tertius ille conſulat matrimonium inter illos adulteros. ibid.

Si Sempronia, e.g. ſub hac fide cum Petro in adulterium conſentit, vt de futuro marito ipſius Semproniæ, & vxore Petri, ducat eam in vxorem, quam Berta eidem Petro conſuluerit, & poſtea mortuis coniugibus, Berta conſulit Petro, vt ducat Semproniam, ſi Sempronia hoc fecit fraudulenter, ſciens probabiliter Bertam conſulturam Petro, vt ſe ipſam Semproniam duceret, certè eſt impedimentum dirimens. ibid.

Non

Non ſolùm fides data futuri matrimonij cum adulterio cognito, inducit hoc impedimeotum dirimens, ſed etiam ex matrimooio de præſenti,ſiue publicè, ſiue clandeſtinè contracto concorrente cum illo adulterio,oritur impedimentum ditimens:vnde ſi Semproniua contraxit publicè, aut clandeſtinè matrimonium cum vxore Titij,illámque carnaliter cognouit, non poterit mortuo Titio matrimonium cum ipſius vxore validè contrabere. ibid.17

Vt adulteriom cum matrimonio de præſenti inducat impedimentum dirimens, requiritur, vt vterque cootrahens ſciat copulam, qoam habet, eſſe adulterium,videlicet vt vterque ſciat ſuperſtitem eſſe coniugem alterius. ibid.

Ad hoc dirimens impedimentum incurrendum ſufficit, vel qoòd poſt ſcientiam coniugij alterius, marrimonium de facto ineatur,& copula habeatur, vel ſi ante ſcientiam ineatur matrimonium, habita poſtea ſcientia, ſi tales contrahentes non reſilierint ab eo mattrimonio de facto inito,copula habeatur. ibid.

Si duo ambo coniugati noſſeur proprium coniugium, altero tamen alterius coniugium igoorante,& ſtante tali ignorantia inter ſe copulam haberent, & poſt copolam matrimonium de præſenti contraherent (quamuis tale matrimonium ſit nullum) in iſto caſu non induceretur impedimentum ditimens. ibid.18

Vt inducatur boc impedimentum dirimens, ſufficit ſi fides futuri matrimonij detur, aur marrimouium de præſenti ioeatur ante ſcientiam alterius coniugij, ſi poſtea habita ſcientia accedat copula. 2.373.med.

Ad hoc tamen impedimentum dirimens ſufficit ſi fides futuri matrimooij detur, aut matrimonium de præſenti ineatur,ante ſcientiam alterius coniugij haberi,& poſt ſcientiam dari fidem futuri marrimonij,aut matrimonium de facto iniri, abſque noua copula ſubſequenti poſt ſcientiam alteriusconiugij ibid.fin.

Impedimentum diſparitatis cultús.

Diſparitas cultus reperitur inter fidelem, & infidelem, ſeu inter baptizatum,& non baptizatum. 2.374.1

Matrimonium baptizati, ſeu fidelis contractum cum infideli,ſen non baptizato,inualidum eſt iure Eccleſiaſtico. ibid.

Ne dum matrimonium contractum à baptizato, ſeu fideli,cum infideli,ſeu non baptizato, eſt irritum iure Eccleſiaſtico, ſed etiam inter perſonam baptizatam, & catechumenam, iure Eccleſiaſtico eſt inualidum matrimonium. ibid.

Non valeret matrimonium ſi hæreticus, aut Apoſtata à fide contraheret cum infideli, ſeu non baptizato. ibid.

Ex Pontificia diſpenſatione poſſet iniri matrimonium validè inter fidelem, ſeu baptizatum, & infidelem, ſeu non baptizatum. ibid.2

Quamuìs abſque vrgentiſſima cauſa hæc diſpenſatio à Romano Pontifice concederetur, vt ſcilicet fidelis cum infideli contraheret, valeret tamen matrimonium virtute illius initum. ibid.

Iure Pontificio ſecluſo,ſtando in mero iure naturali, & diuino, non eſt inualidum matrimonium contractum inter fidelem,ſeu baptizatum,& infidelem, ſeu non baptizatum. ibid.

Coniuges infideles conuerſi ad fidem, non tenentur iterum contrahere. ibid.3

Principes ſeculates poſſunt apponere aliqna impedimenta, per qnæ dirimatur infidelium ſibi ſubditorum mattimonium. ibid.4

Principes ſecolares fidelium poſſunt ſecluſa prohibitione Eccleſiæ conſtituere impedimenta mattimonij, quatenus matrimonium eſt quidá contractus. ibid.5

Iſta poteſtas ſupra contractus matrimoniales Principibus ſeculatibus ablata eſt ab Eccleſia, & iure optimo. ibid.

Si ſolùm ius diuinum,& naturale attendamus,ſicut integrum eſt Pontifici in vniuerſa Eccleſia impedimenta mattimonium dirimentia ſtatuere,ita Epiſcopo in ſua diœceſi. 2.375.6

Hodie verò Epiſcopi ſtatuere in ſua diœceſi minimè poſſunt impedimenta mattimonium ditimentia.ibid.

Mattimonium in lege oaturæ,& veteri non fuit ſacramentum. ibid.7

Poſt legem Euangelicam matrimonium infidelium non eſt ſactamentum. ibid 8

Si fidelis ex Pontificia diſpenſatione matrimonium contraheret cum infideli,ſeu non baptizata,vel cum catechumena, tale matrimonium ex parte neutrius eſſet ſactamentum verè,& propriè. ibid.

Matrimonium infidelium cùm ambo baptizantur, fit ſacramentum,eiſque gratiam confert. ibid.9

Matrimonium infidelium cùm ambo baptizantur, eſt nouum matrimonium, nouúmque vinculum, non omnino,ſed in quantum prius matrimonium, quod erat contractus naturalis, prophanus, & ſolubilis, efficitur inſolubilis ſacer, & repræſentans vnionem Chriſti cum Eccleſia. ibid.

Vt matrimonium infidelinm conuerſorum ad fidem fiat ſacramentum, requiritur noous conſenſus, vel antiquus verbis, vel nutibus, vel copula maritali approbatus. ibid.

Probabiliter etiam dici poteſt,vt matrimonium infidelium conuerſorum ad fidem fiat ſacramentum, non requiri nouom conſenſum explicitum in Baptiſmum. ibid.

Licèt matrimonium verum inter infideles exiſtat, noo tamen eſt ratum. 2.376.10

Matrimonium infidelinm,quamuis conſummatum,poteſt diſſolui,ſi alter coniux ad fidem conuertatur,alter verò in infidelitate pertinax aut omnino cohabitationem reſpuat,aut habitare nolit,abſque Creatoris contumelia, vel abſque eo quòd coniugem fidelem ad peccatum lethale pertrahat:& tunc integrum eſt conuerſo ad alias nuptias migrare. ibid.11

Matrimonium infidelium in his euentibus poſſe diſſolui,non eſt ex iure Pontificio. ibid.

Ex priuilegio tamen Chriſti Domini id in fauorē fidei concedentis matrimonium infidelium in infidelitate contractum in illis euentibus diſſolui poteſt. ibid.

Quando infidelis conuerti renuit, vult tamen habitare ſine contumelia Creatoris, & ſine pertractione ad peccatom,non licet alteri ad fidem conuerſo matrimonium in infidelitate conttactum diſſoluere, ad aliúdque tranſite. ibid.

Probabile eſt etiam aſſerere poſſe vinculum prioris matrimonij dirimi,& ad aliud tranſiri,qooties infidelis pertinaciter conuerti reſpuit,quamuis pacificè habitare velit cum fideli conuerſo ſine contumelia Creatoris,& ſine pertractione ad peccatum. ibid.

Tempore primitiuæ Eccleſiæ licebat coniugi fideli conuerſo ad fidem cum infideli nolente conuerti habitare: hodie verò illicitum eſt fideli habitare cum coniuge infideli in infidelitate pertinaci. ibid.12

Crimen vxoris,vel alterius coniugis,ſiue fœmina, ſiue vir fuerit,nolentis cohabitare ſine contumelia Creatoris,abſoluit alterum coniugem à ſeruitute,qua tenebatur alteri,vt non poſſit,eo viuente,alium ducere,& ſic poteſt,ſtante tali crimine,coniox fidelis ducere aliam,ſed non dum ſoluit matrimonium, quo ad vinculum. ibid.13

Conſequenter ſi ante matrimonium à fideli contractum, tranſeat infidelis ad alias nuptias, cæ ſunt irritæ; & ita ſi poſtmodum ad fidem conuertatur,

eſt

eſt ab illis is ſeparandus,& reddendus coniugi priùs conuerſo. a.577.med.

Fidelis eſt compellendus ad receptionem coniugis iam conuerſi, quandu ille noodum tranſiit ad ſecundas nuptias. ibid.14

Infidelis perſiſtens in infidelitate poteſt cum alia contrahere, quando vxor conuerſa diſſolnit prius matrimonium. ibid.15

Vt fidelis conuerſus de nouo ad fidem prius matrimonium diſſulnere poſſit, & ad aliud tranſire, neceſſarium eſt præcedere monitionem infidelis, aut interrogationem, an velit conuerti, ſeu iuxta aliam opinionem, an velit habitare ſine Creatoris contumelia, nec ad peccatum pertrahere. ibid.16

Quoties infidelis adeò diſtat, vt commodè requiri, moneri, aut interrogari nequeat; tunc non eſt opus hac monitione, vt fidelis conuerſus ad alias nuptias migrare valeat. ibid.

Coniugi conuerſo ad fidem licet tranſire ad Religionem, vel Ordines ſuſcipere, aut votum ſimplex caſtitatis emittere, quoties infidelis monitus conuerti renuit, licèt habitare velit, abſque Creatoris contumelia, & ſine pertractione ad peccatum. ibid.17

Per profeſſionem conuerſi ad fidem actam in Religione, non ſolùm matrimonium ratum, ſed etiam conſummatum diſſulueretur. a.378.18

Si infidelis renuat conuerti, etiamſi habitare velit abſque Dei contumelia, poteſt fidelis conuerſus ſuſcipere Ordines ſacros, non tamen poſt ſuſceptionem ſacrorum Ordinum prius matrimonium diſſoluere-tur. ibid.19

Si infidelis conuertitur, poſtquam iam fidelis priùs conuerſus ſacris Ordinibus eſt initiatus, vel votum caſtitatis emiſit, non eſt ſibi fidelis reſtituendus, ſed imputet ſibi tardam conuerſionem. ibid.20

Si verò infidelis conuertatur ad fidem, fideli ingreſſo in Religionem, nondum tamen Profeſſo, hic eſt cogendus redire ad coniugem conuerſum. ibid.21

Matrimonium perſonæ fidelis cum hæretica, vel Apoſtata à fide, validum eſt. ibid.22

Sponſalia verò inita inter Catholicum, & hæreticam, vel Apoſtatam, ſunt irrita. ibid.

Catholicus contrahens de præſenti cum hæretica, vel Apoſtata à fide, validè quidem contrahit, ſed graue peccatum committit. ibid.

In Germania, Gallia, Polonia ex conſuetudine recepta, & tolerata, licent coniugia catholicæ perſonæ cum hæretico dummodo coniugi, qui Catholicus eſt, modò permittatur ſine periculo peruerſionis in fide orthodoxâ perſiſtere, & morali euidentia conſter nullum eſſe periculum ſcandali, peruerſionis, aliorúmque incommodorum, quæ cum tali matrimonio plerumque iuncta ſunt. ibid.

Si verò periculum ſcandali, & peruerſionis adeſſet, tunc nullo pacto talia coniugia inter perſonam catholicam, & hæreticam fieri licitum eſt. a.379.med.

Et licèt in partibus, in quibus hæretici cum Catholicis permiſti conuiuunt, vt in Germania, Gallia, Polonia, liceant coniugia catholicæ perſonæ cùm hæretica ob conſuetudinem receptam, & toleratam, dummodo Catholicæ liberè permittatur, & abſque peruerſionis periculo in fide permanere. Cæterùm hoc vbi conſuetudine non eſt receptum, minimè licet, etiamſi eſſet ſpes certa conuerſionis alterius coniugis hæretici. ibid.

Catholici degentes in Germania, Gallia, & Polonia licitè contrahere poſſunt cum hæreticis. ibid.

Miniſter eſſentialis ſacramenti matrimonij non eſt Sacerdos, ſed ſunt ipſi contrahentes conficientes hoc ſacramentum, & ita ante ſacrum Concilium Tridentinum clandeſtinum matrimonium verum erat ſacramentum. ibid.23

Miniſter ſacramentorum adminiſtrans ſacramenta peccatori publico indignè petenti grauiter peccat. ibid.

Catholicus degens in Germania, Gallia, & Polonia, in quibus hæretici cum Catholicis permixti conniuunt, contrahens matrimonium cum perſona hæretica, non peccat prophanando ſacramentum matrimonij, dum illud perſonæ hæreticæ adminiſtrat. a.382.34

Summus Pontifex poteſt licitè diſpenſare, vt Catholicus contrahat matrimonium cum perſona hæretica, ſi non adeſſet ſcandalum, neque periculum peruerſionis coniugis Catholici ad hæreſim, præcipuè ſi probabilis ſpes adeſſet ex eiuſmodi matrimoniu magni alicuius ſpiritualis fructus, vt eſſet conuerſio ad fidem alicuius Regni, vel maioris partis Regni, vel inde oriretur maxima concordia & pax inter Principes Catholicos, vel ſi adeſſet ſpes conuerſionis ad fidem perſonæ hæreticæ contrahentis cum Catholico. ibid.35

Impedimentum Vis, ſeu metûs.

Matrimonium celebratum per metum grauem, ſeu cadentem in conſtantem virum, eſt inualidum iure Eccleſiaſtico, modò metus ſit iniuſtè incuſſus à cauſa libera ad hoc, id eſt, ad extorquendum conſenſum. a.383.1

Metus alius eſt cadens in virum conſtantem, alter verò, qui dicitur non cadens in virum conſtantem. Metus cadens in virum conſtantem, qui alio nomine dicitur grauis, vel probabilis, ille dicitur, qui illatus cogit eligere minus malum, vt maius malum probabiliter imminens euitetur. ibid. 2

Metus non cadens in conſtantem virum, ille eſt, quo quis maius malum, vel inconueniens admittit ad fugiendum minus malum, vel inconueniens. ibid.

Metus hic non cadens in conſtantem virum, qui dicitur metus leuis, non irritum reddit matrimonium. ibid.

Ad metum grauem, & cadentem in conſtantem virum reuocatur metus mortis, metus mutilationis, vel atrocis cruciatus, vel longi carceris, vel exilij diuturni, vel ſeruitutis, vel ſtupri, vel amiſſionis ſtatus honorifici, vel amiſſionis omnium bonorum, vel ſaltem magnæ partis, aut amiſſionis rei magnæ, & notabilis: ſimiliter metus infamiæ iuris, vel facti. ibid.

Metus leuis, per ſe loquendo, non irritat matrimonium: in foro tamen conſcientiæ, quoties tollit omnino conſenſum, inualidum reddit matrimonium. ibid. 3

Metus grauis poteſt eſſe duplex, quidam eſt incuſſus ab intrinſeco, vel à cauſis naturalibus, vt à morbo, tempeſtate, feris animalibus, ab his enim metus incuſſus dicitur ab intrinſeco. ibid. 4

Metus incuſſus ab extrinſeco, id eſt, à cauſa libera, adhuc eſt duplex: quidam incuſſus à cauſa libera, ſed nō gratia matrimonium extorquendi, ſed alia de cauſa; alter verò incuſſus gratia extorquendi matrimonium, & hic poteſt incuti iuſtè, vel iniuſtè. ibid.

Rurſus metus, qui iuſtè incutitur ob vnum finem, non ſemper licitè, & iuſtè incutitur ob alium finem. a.384.init.

Metus incuſſus à cauſa naturali, quantumuis grauiſſimus ſit, non reddit irritum matrimonium. ibid.5

Metus incuſſus ab extrinſeco à cauſa libera, quamuis grauiſſimus, non reddit inualidum matrimonium, ſi non eſt incuſſus ad extorquendum matrimonium. ibid.6

Si capite plectendo, aut alio graui ſupplicio puniendo condonetur vita, aut ea pœna à conſanguineis occiſi ea lege, vt filiam occiſi, aut aliam eius conſangui-

ncam

neam ducat ; & ſimiliter ſi vir de adulterio vxorem accuſans,mortis pœnam remittat,ſub conditione, vt Religionem profiteatur, quamuis hic metus in virum conſtantem cadat, non irritat matrimonium, aut profeſſionem. ibid.7

Etiamſi ipſe iudex capite puniendo vitæ condonationem promittat,ſi ducat ipſiuſmet iudicis filiam,alioquin mortem ei iuſtè inferendam comminetur,validum eſſet matrimonium ſi contraheretur. ibid.

Matrimonium contractum ab ægro,morbo lethali oppreſſo,cum filia Medici,aliter ei mederi nolentis,eſt validum. ibid.

Solo iure Eccleſiaſtico eſt irritum matrimonium extortum metu iniuſtè incuſſo à cauſa libera. ibid 8

Omnes contractus celebrati per metum grauem,aut leuem,validi ſunt iure naturæ. a.385.9

Contractus metu graui,aut leui celebratus, validus eſt iure poſitiuo,exceptis quibuſdam caſibus. ibid.

Caſus, in quibus contractus celebrati per metum grauem iniuſtè incuſſum ad extorquendum conſenſum, ſunt ipſo facto inualidi, ſunt hi. nempe contractus matrimonij. ibid.10

Eodem modo dos promiſſa per metum,vel ſoluta,non tenet. ibid.

Votum ſimiliter ſiue ſimplex, ſiue ſolemne, factum ex metu graui iniuſtè incuſſo à cauſa extrinſeca, ſeu libera ad extorquendum votum,inualidum eſt,ſaltem iure Eccleſiaſtico, modò vouens cognouerit illum metum ſibi incuti ad extorquendum votum. ibid.11

Si animus incutientis metum ſit votum extorquere, eo tamen animo non ſignificato voventi,nec per ipſum intellecto,vouens aliquid voueat ad incolumitatem obtinendam,obligabitur voto. ibid.

Renunciatio beneficij facta per metum grauem incuſſum ab extrinſeco,eſt ipſo iure irrita. ibid.12

Electio Prælati per metum grauem facta, eſt ipſo iure nulla. a.386.13

Abſolutio ſimiliter ab excommunicatione metu extorta,eſt nulla. ibid.

Quando teſtes ſunt adhibiti per metum in teſtamentis, eorum teſtimonium eſt inualidum : vnde cùm tenentur in vinculis, aut ab hoſtibus, non valet eorum teſtimonium. ibid.14

Authoritas ſimiliter tutorum extorta per metum,nulla eſt. ibid.

Traditio de rebus Eccleſiæ facta per metum eſt irrita. ibid.15

Imò nec iuramentum factum ſuper talem traditionem de rebus Eccleſiæ eſſet ſeruandum. ibid.

Communis eſt opinio, quòd quando certa perſona eligitur, & electio eſt metu extorta, eam non valere, propter textum putatum ſingularem. ibid.16

Quando verò electores non coguntur certam perſonam eligere,ſed vnam ex certo genere perſonarum, tunc electio eſt valida. ibid.

Conſequenter communitas exercitu militum obſeſſa,ſi compellatur vnum ex certo genere perſonarum eligere in Regem,vel Imperatorem,tunc electio eſt valida. ibid.

Quando electores metu compelluntur,propoſitis duobus vnum ex illis eligere,vt ſi electio ſit futura inter duos,& metu cogantur electores alterutrum ex illis eligere,tunc valet electio. ibid.

Iuriſdictio per metum extorta non transfertur, qualis eſt electio Prælati. ibid.17

Similiter prorogatio iuriſdictionis per metum grauem extorta non valet. ibid.

Aliæ verò iuriſdictiones metu extortæ, validè transferuntur. ibid.

Donatio, & quæ vim habent meræ donationis, vt eſt remiſſio debiti,legatum, & teſtamentum, non ſunt valida,etiam in foro conſcientiæ,ſi fiant per metum. a.387.18

Item & eleemoſyna metu extorta, rata, & firma non eſt. ibid.

Sicut matrimonium metu graui celebratum eſt irritum, ita etiam ſunt irrita ſponſalia cum metu graui celebrata. ibid.19

Et conſequenter ſponſalia celebrata per metum grauem non inducunt impedimentum publicæ honeſtatis. ibid.

Etiamſi ſponſalia,per metum grauem extorta, non eſſent ipſo iure irrita, & cæteri contractus per metum grauem celebrati non omnino irriti, poſſunt tamen in foro conſcientiæ reſcindi, & in irritum reuocari pro arbitrio eius,qui metum paſſus eſt, ſi metus iniuſtè incuſſus eſt ad contractum extorquẽdum. ibid.

Si quis metu graui ſibi ab extrinſeco iniuſtè incuſſo cogatur vxorem ducere, non quidem certam aliquam fœminam, ſed alteram ex duabus, videtur matrimonium tunc eſſe validum. ibid.20

Matrimonium celebratum per metum etiam grauem, & cadentem in conſtantem virum, iuſtè incuſſum, validum eſt,(metus autem cadens in conſtantem virum iuſtè incutitur,quando malum,quod minamur, iuſtè inferre poſſumus.) ibid.21

Si filia voluntariè conſenſit in ſtuprum abſque promiſſione futuri matrimonij, non videtur validum matrimonium contractum cum metu accuſationis ad extorquendum matrimonium. ibid.

Si pater puellæ iuuenem comprehenſum in ſtupro metu mortis cogeret ad contrahendum cum illa matrimonium,validum non eſſet. ibid.22

Si inuoluntariè puella violata eſt, & pater illius minatur accuſationem ſtupratori, niſi ducat propriam filiam, validum eſſet matrimonium celebratum cum tali metu accuſationis. a.388.init.

Satis eſt probabile, metum minimè reddere irritum matrimonium quando iuſtè incutitur,ſiue metus ſit lege incuſſus ad illum finem matrimonij extorquendi, ſiue talis metus non ſit lege incuſſus ad extorquendum matrimonium. ibid.

Stuprator virginis conſentientis, ſi nullum dolum, vim,aut iniuſti metus incuſſionem adhibuit, nullam vel ipſi,vel parentibus eius reſtitutionem damni in conſcientiæ foro facere tenetur. ibid.23

Qui virginem ſponte ſua conſentientem vitiauit, ſi factum à parentibus deduceretur ad forum contentioſum, poſt condemnationem delicti, ſtuprator teneretur ſubire pœnam, vel eam ducere, quam vitiauit,vel eam dotare,vti iudex iudicauerit. ibid.

Licèt quando puella voluntariè, & propria ſponte amatoris blanditiis capta conſenſit in ſtuprum, violator ipſius in foro conſcientiæ ad nullam teneatur reſtitutionem faciendam nec virgini,nec parentibus ipſius, ſi tamen cùm facinus ſit occultum, ſtuprator puellam non ſine iniuria infamauit, tunc tenetur damnum inde ſequutum filiæ, & parenti eius reſarcire. ibid.24

Compenſatio damnorum à violatore virginis ordinariè ita facienda eſt, quando per vim, & dolum illam vitiauit,in foro conſcientiæ, vt vel ſtuprator puellam in vxorem ducat,ſi ipſa velit,vel tantam illi dotem offerat,vt æquè honeſtas nuptias ſortiatur, ac ſi corrupta non fuiſſet, & cùm in alternatiuis debitoris ſit electio,ſi malit tali modo dotare, non tenetur eam in vxorem ducere ante iudicis ſententiam, etiamſi ipſa, & parentes cupiant, præterquam ſi eam ſub pollicitatione matrimonij vera, vel ficta ſtupri conſenſum induxerit. ibid.25

Quando

Quando ſtuprator tenetur ad faciendam reſtitutionem, non obſtringitur ante iudicis ſententiam, integram dotem virgini vitiatæ perſoluere, ſed ſolùm tenetur ad ſatisfacienda tam patri, quàm virgini, damna ex tali ſtupro ſubſequuta; adueniente verò iudicis ſententia, tenetur illi obedire. 2.389.init.

Qui per vim, dolum, & fraudem virginem deflorat, etiamſi illa æquè benè nubat, ac ſi violata non fuiſſet, tenetur ad reſtitutionem faciendam virgini, vel parentibus eius, ratione damni in bonis temporalibus, & in honore. ibid.26

Si poſtea maritus cognouit corruptionem puellæ, quæ æquè benè nupſit, ac ſi vitiata non fuiſſet, & ob hoc vel eam deſerit, vel malè tractat, aliquid eſt reſtituendum puellæ per vim, & fraudem vitiatę, ob huiuſmodi damnum ſequutum, nimirum tantum, quanti arbitrio boni, & prudentis viri æſtimabitur eiuſmodi damnum. certiſſimũ hoc debet eſſe apud omnes. ibid.

In foro externo, præſertim ciuili, cogi nõ ſolet ſtuprator ad matrimoniũ, ſi illud non promiſerat. ibid.27

Quando ſtuprator eſt diues, è contra verò virgo paupercula, tenebitur ille iudicio prudentum ad aliquam reſtitutionem faciendam in pecunia pro dote, vel pro parte dotis, etiam ſi non interceſſerit aliqua violentia, aut fraus, ſed ipſa voluntariè conſenſit cum illo. ibid.18

Qui virginem corrupit, ficto animo promittens ſe eam ducturum in vxorem, obligatur ad promiſſionem præſtandam, licèt fictam, eam ſcilicet, quam vitiauit, ducere. ibid.29

Si ſtuprator virginis fictè promittens eam ducere in vxorem, longè ſit nobilior, vel opulentior, ſi ipſa id ſciuerit, non tenetur eam ducere, ſed ſufficiet aliter damnum reſarcire. ibid.

In caſu præcedentis aſſertionis corruptor ille nobilior, & opulentior tenetur corruptæ virgini recompenſare tantum, quantum magis opus habet ad adipiſcendum maritum, qualem ſi non eſſet ſic vitiata, & corrupta, adipiſceretur. ibid.

Si virgo cui vir nobilis, & diues ficto animo promiſit eam ducere in vxorem ſi conſentiret in ſtuprum, omnino ignorauit ſuperiorem illius conditionem, & exteriùs non habuit vllam cauſam ſuſpicandæ fraudis, tunc corruptor ille nobilis, & diues tenetur eam ducere. 2.390.init.

Probabilius tamen videtur, virum illum ſuperioris conditionis promittentem ficto animo puellæ impari in genere, & diuitiis, non teneri poſt admiſſum ſtuprum eam ducere in vxorem, etiamſi illa omnino ignorauerit viri conditionem, ſed poſſe cum pecunia ſatisfacere arbitrio prudentum. ibid.

Qui corrupit virginem ficto animo, vel etiam vero, promittens ſe eam ducturum in vxorem, ſi ſcandalum magnum ex matrimonio timeatur, puta ſi diſſolueretur parentum pietas, cognatorum amicitia, etiamſi corruptor & corrupta ſint pares, tunc corruptor non tenetur eam ducere. ibid.30

Qui ex intentione animi promiſit ſe ducturum vxorem, quam corrupit, tenetur eam ducere, etiam in caſu, quo ſit in vitæ ſtatu longè ſuperior, ſi conſcius erat conditionis alterius. ibid.31

Non eſt improbabile aſſerere, quòd quando vir eſt notabiliter impar nobilitate, aut diuitiis, aut potentia, ſi vera promiſſione extorſit copulam à fœmina, non teneatur eam ducere, ſed ſufficiet tunc damnum illarum arbitrio prudentis reſarcire, eam dotando, vel aliquo alio modo. ibid.

Si vir dicenti puellæ ſe eſſe virginem, promiſit nuptias, vt ea potiretur, & poſtea deprehendat non eſſe virginem, non tenebitur ſtare promiſſis. ibid.32

Quando fœmina decipit virum dicendo, vel fingendo ſe eſſe virginem, etiam ſi ſeriò vir illi promiſerit eam ducturus, ſi conſentiret in copulam, ſi comperta fuerit corrupta, nec tenetur eam ducere, nec ad vllam reſtitutionem. ibid.

Si quis promiſit ſe ducturum puellam, quam putabat virginem, & tamen corruptam inuenit, tunc non obligatur eam ducere. 2.391.init.

Si quis promiſit puellæ ſe eam ducturum, ſi eam virginem inueneri, expreſsè ſub iſta conditione, & tamen corruptam inuenit, certum eſt tunc illum teneri ad nuptias. ibid.

Cognoſcens puellam, ſciens illam corruptam, nihilominus fictè promiſit ſe eam ducturum, non tenetur eam ducere. ibid 33

Cognoſcens vi, aut fraude puellam iam ab alio vitiatam, ſed opinione hominum habitam vt virginem, obligatur ad aliquam ſatisfactionem, non quidem ratione integritatis, ſed ratione infamiæ. ibid.34

Qui puellam non vitiauit quidem, ſed ita ſollicitauit, vt infamia ſit notata, tanquam corrupta, ſi liberè conſentiẽna ſollicitata eſt, ſollicitans non tenetur ad aliquam reſtitutionem. ibid.

Fictè promittens fœminæ matrimonium, ſi ſe deflorandam ei tradiderit, ſi promittens fictè nuptias exiſtimabat eam virginem, & poſtea comperiat non eſſe, non tenetur eam ducere. ibid.35

Præcedens aſſertum intelligitur, etiamſi poſtquam vir defectum virginitatis nouit, eam carnaliter cognoſcat. ibid.

Seriò, & verè promittens puellæ, ſe eam in vxorem ducturum ſi ſe deflorandam ei tradiderit, quam putabat eſſe virginem, ſi in conuentione per copulam deprehenderit non fuiſſe virginem, non tenebitur poſtea ad nuptias. ibid.

At ſi poſtquam vir deprehenderit illam non fuiſſe virginem, eam iterum, vel pluries cognouerit carnaliter, eam tenebitur ducere. ibid.

Promittens nuptias alicui puellæ, ſciens poſtea adeſſe iuſtam cauſam diſſoluendi ſponſalia, vel ſi poſt contracta ſponſalia fœmina cum aliquo tertio fornicationem commiſit; ſi poſtea carnaliter cognoſcat ſponſam, non poteſt ratione illius prioris cauſæ reſilire à ſponſalibus, ſi tempore copulæ conſcius erat illius cauſæ, & ſponſalia præcedentia erant vera. ibid.

Si quis virgini exiſtimatæ ſub expreſſa conditione promitteret matrimonium, ſi ea virgo, ſi virgo non ſit, ſponſalia ſunt ipſo iure nulla. 2.392.36

Sponſalia tamen, quæ à principio fuerunt nulla, puta ob defectum conditionis, vel ob aliam aliquam cauſam, fiunt valida per copulam ſubſequutam, ſi ſponſus tempore copulæ conſcius erat nullitatis præcedentium ſponſalium, & animum habuit manendi in prioribus illis ſponſalibus, & ſponſa priorem conſenſum non reuocauerat. ibid.

Priora ſponſalia à principio nulla, fiunt etiam valida ſi ſponſus conſcius nullitatis illorum ſciebat tacitè per copulam ſubſequutam illi ratificari, nec contrarium conſenſum habens, carnaliter ſponſam cognouit. ibid.37

Si priora ſponſalia fuerunt nulla, & ſponſus tempore copulæ ignorauit eſſe nulla, vel per actum ratificari, vel habuit diſſenſum per copulam ſubſequutam, non manent valida. ibid.

Si priora ſponſalia erant ipſo iure nulla, & ſponſus dum habuit copulam, ſciuit illa eſſe irrita, habuit tamen diſſenſum illa ratificandi, non remanent firma per copulam ſubſequutam. ibid.

Si priora ſponſalia fuerunt valida, vt quando ex animo promiſit vir ducere aliquam in vxorem, ſciens poſtea ſponſus adeſſe iuſtam cauſam ea diſſoluendi, vt ſi poſt contracta ſponſalia ſciret ſponſus, ſponſam eſſe cum alio tertio fornicatam, ſi poſtea ſponſus carnaliter cognoſceret ſponſam, firmarentur ſponſalia, & non haberet ampliùs ſponſus ius illa diſſoluendi, quamuis haberet animum iniuriam ſibi illatam ob fornicationem cum tertio non remittendi. ibid.

Si quis ex animo, & validè contraxit ſponſalia cum Berta, ſi poſtea habens ſufficientem cauſam reſiliendi ab eis, vtpote, quia ſponſa fornicata eſt cum alio tertio, diſſolutis ob hanc cauſam ſponſalibus, ſi carnaliter poſtea Bertam cognoſcat, non cenſetur ſibi ſponſam reconciliare. 2.393.38

Contrahens ſponſalia ſub iſta conditione: Contraham tecum, ſi te virginem inuenero, ſi intellecta fuit à ſic contrahente iſta conditio in ſenſu honeſto, nempè ſi te virginem per conſpectum fœminarum honeſtarum inuenero, contrahuntur ſponſalia conditionalia, quæ confirmantur per impletionem conditionis. ibid.39

Si verò talis conditio: Contraham tecum ſi te virginem inuenero, eſſet intellecta in ſenſu inhoneſto, ſcilicet per concubitum, & copulam, tunc quoad Eccleſiam in foro externo non conditionalia ſponſalia intelligerentur eſſe contracta, ſed pura. ibid.

Contrahentes ſponſalia ſub conditione turpi, vt, Contraham tecum, ſi per fornicariam copulam te virginem inueniam, non tenentur ad huiuſmodi conditionem implendam: illa tamen adimpleta, aſtringuntur ad ſeruandam fidem. ibid.

In foro tamen conſcientiæ ſponſalia illa contracta cum conditione turpi, vt, Contraham tecum, ſi per fornicariam copulam te virginem inueniam; non ſunt valida ante conditionis euentum, ſi contrahentes habebant intentionem promittendi ſolummodo dependenter ab illa conditione: benè tamen in foro externo. ibid.

Si vir de præſenti diceret fœminæ, Contraho nunc tecum coram Curato, & teſtibus, vel duco te in vxorem, ſi te virginem repererо, ſi intellexit, ſi illam reperiſſet virginem per inſpectionem honeſtarum fœminarum, tunc non erit matrimonium conditionale, ſed ſponſalia. ibid.40

Si verò vir coram Parocho, & teſtibus contraheret cum Berta in hunc modum, Contraho tecum, vel duco te in vxorem, ſi te virginem reperero, ſi ſub iſta conditione intellexit de inuentione, & exploratione eius virginitatis per copulam futuram carnalem affectu fornicario habendam, tunc eſſet purum matrimonium, quoad Eccleſiam. ibid.

Si quis ſic contraheret cum Caia coram Parocho, & teſtibus: Contraho tecum ſi te virginem inuenero, per copulam affectu maritali tecum habendam, quo ad Eccleſiam matrimonium validum faciet. ibid.

Coram Deo, & in foro conſcientiæ contrahens in hunc modum: Duco te in vxorem, vel contraho tecum, ſi permiſeris coitum, vel ſi te virginem reperero, ſiue intellexit per copulam affectu maritali habendam, vel affectu fornicario, ſi habuit animum ſuſpendendi conſenſum matrimonij vſque ad impletam conditionem coitus, etiamſi illa verba protulerit coram teſtibus, & Parocho, neque tunc quando protulit illa verba ſub conditione de futuro, neque poſt coitum habitum, modò poſt Concil. Trid. validum conficit matrimonium. ibid.

Si quis dixerit coram Parocho, & teſtibus: Contraho tecum, appoſita aliqua conditione de futuro, vt ſi te virginem inuenero, ſi permiſeris coitum, ſiue intellexerit modo honeſto per inſpectionem honeſtarum fœminarum, ſiue inhoneſto per copulam fornicariam, ſi habuit animum ſuſpendendi conſenſum vſque ad impletionem conditionis de futuro, in foro conſcientiæ, non contrahit matrimonium: tenetur tamen ad ſponſalia conditionalia coram Deo, quæ per impletionem conditionis confirmantur, neque antea ſatis firma fuere, quoniam defectu conditionis poſſent fruſtrari. 2.394.init.

Conditio turpis, quando eſt de præſenti, aut præterito, vt, Duco te in vxorem, ſi es inimica Titij, vel ſi occidiſti inimicum, non reiicitur, ſed illa verificata valet matrimonium: ſecus autem non. ibid.41

Conditio turpis, quæ non eſt contraria ſubſtantiæ matrimonij, an habeatur pro non adiecta, vel pro appoſita in foro conſcientiæ, ſtandum eſt intentioni contrahentis: in dubio de intentione ſtandum eſt præſumptioni fori externi, & definitioni Eccleſiæ, haberi ſcilicet pro non adiecta. ibid.

Impedimentum Ordinis.

Ordo eſt poteſtas ad exercendum aliquem ſpecialem actum in ordine ad Euchariſtiam. Vel eſt ſignaculum quoddam Eccleſiæ, quo ſpiritualis poteſtas ordinato traditur. Vel Ordo eſt ſacramentum, quo ſpecialis poteſtas traditur ordinato ad conficiendum corpus, & ſanguinem Chriſti Domini. ibid.1

Poteſtas autem, quæ per Ordines confertur ad Euchariſtiam, duplex eſt, mediata ſcilicet, & immediata. ibidem.

Poteſtas immediata illa eſt, qua directè confici poteſt Euchariſtia, & hæc confertur in Ordine ſacerdotali. ibid.

Poteſtas verò mediata eſt illa, per quam exercetur aliquod miniſterium, quod dirigitur, & ordinatur ad Euchariſtiam tanquam ad finem. ibid.

Ordines ſunt ſeptem, Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. ibid.

Omnes Ordines ſunt ſacramentum: ſunt autem omnes Ordines vnum ſacramentum perfectione, & ſic propter reſpectum, quem ſinguli Ordines dicunt ad Sacerdotium, quod eſt præcipuum ſacramentum, dici poteſt omnes Ordines ſimul ſumptos eſſe vnum ſacramentum completum. ibid.

Vel ſunt vnum potentiale. ibid.

Diuiditur Ordo in ſacrum, & non ſacrum, ex parte materiæ, circa quam habet actum, & ſic ſunt tres Ordines ſacri, Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus. ibid.

Ordines minores nullum prorſus impedimentum matrimonio præſtant. 2.395.2

Immò quando ex iuſta cauſa Clericus inſignitus prima Tonſura, vel minoribus Ordinibus retrocedit, & ducit vxorem etiam viduam, nulla eſt culpa. ibid.

Ordines maiores validè, & ſine graui metu ſuſcepti dirimunt matrimonium. ibid.3

Inualidè tamen, & nulliter ſuſcepti propter aliquem defectum eſſentialem, non dirimunt matrimonium. ibidem.

Validum eſt votum caſtitatis, & conſequenter inualidum eſſet matrimonium contractum ab eo, qui Ordines maiores ſuſcepit, neſciens illis adnexum eſſe votum caſtitatis. ibid.4

Suſcipiens Ordines ſacros, cum intentione poſitiua, non vouendi caſtitatem, teneretur voto caſtitatis, non ratione voti præciſè, ſed ratione præcepti Eccleſiaſtici, & conſequenter illud matrimonium eſſet inualidum, non ratione voti, ſed ratione

præcepti Eccleſiaſtici teneretur ad ſeruandam caſtitatem. ibid.5

Ordines ſacri dirimunt quidem matrimonium poſtea contractum non iure naturali, ſeu diuino, ſed tantùm Eccleſiaſtico. ibid.6

Sacris Ordinibus nedum Latinus, ſed etiam Græcus inſignitus, ſi poſt ſuſceptos Ordines contrahit, nulliter & inualidè contrahit matrimonium. ibid.

Sacri Ordines ſuſcepti per metum grauem non dirimunt matrimonium, ſi metus fuit incuſſus à cauſa libera. ibid.7

Ordinatus ſacris Ordinibus metu graui, characterem quidem ſuſcipit, quoniam Sacramenta imprimentia characterem indelebilem, quorũ de numero eſt Ordo, imprimunt illud in eo, qui ſuſcipit illa etiam iuſto metu adactus, non tamen hic tenetur. 2.396.8

Initiatus metu graui ſacris Ordinibus, nolens vti illis, non tenetur ad officium Canonicum. ibid.

Sacris Ordinibus metu graui ordinatus, ſi continere nolit, non fruitur priuilegiis clericalibus tranſeundo ad nuptias. ibid.

Si verò ante Ordines ſacros metu graui ſuſceptos eſſet coniugatus, ſi eligat quantum ſibi per matrimonij leges permittitur continere, nimirum non petendo debitum, & obligat ſe ad caſtitatem, ac Clericorum more viuat, gaudebit priuilegiis clericalibus. ibid.

Initiatus ſacris Ordinibus graui metu incuſſo à cauſa libera, ſi poſtea ceſſante metu ratificet ordinationem verbo, aut facto, ſemel ſaltem vtens Ordine ſuſcepto, idque ſine coactione aliqua, impoſterum non eſt ſibi integrum reſilire, & tranſire ad nuptias, ſed tenetur continere. ibid.9

Vt Ordo ſacer ſuſceptus per vim, & metum grauem, poſtea ceſſante metu, obliget ad continentiam, non ſufficit, quòd inſignitus tali Ordine vſus fuerit eo, vel exercuerit illum, putans per errorem ſe ad id eſſe obligatum, ſed requiritur, quòd nouerit Ordinem ſacrum per metum grauem ſuſceptum non obligare ad continentiam, & tamen actum illius velit ſponte exercere, animo ratificandi ſuam ordinationem. ibid.

Infans carens vſu rationis, ſi ſuſciperet Ordines, verè eſſet ordinatus. ibid.10

Puer verò ſacris Ordinibus initiatus, quamuis verum illorum characterem recipiat, non tamen tenetur ſeruare caſtitatem: ita vt matrimonium ab ipſo poſtea celebratum ſit inualidum. ibid.

Poterit igitur puer ſacris Ordinibus initiatus, poſtea poſtquam nactus fuerit legitimam ætatem, validè contrahere matrimonium, ſi Ordinibus ſuſceptis vti noluerit, nec illos verbo, vel facto ratificauerit. ibid.

Ordinatus Ordine ſacro poſt vſum rationis, ante tamen pubertatem, vel ante 16. annum, tenetur ſeruare caſtitatem, & non poteſt matrimonium contrahere. 2.397.init.

Infanti ſacris Ordinibus initiato, dum fuerit ſui compos, & legitimam ætatem nactus fuerit, danda eſt optio, velit ne in Ordine permanere, an reſilire? quòd ſi velit permanere, iam voto caſtitatis manebit ligatus: ſi autem reſilire eligat, manebit ſuſpenſus vſu Ordinis, & poterit, ſi velit, ad nuptias tranſire. ibid. 11

Ætas legitima, in qua puer poteſt ratificare Ordinem ſacrum ſuſceptum, eſt quando deuenit ad vſum rationis, & tunc verbo, vel facto poteſt ratificare. ibidem.

Impedimentum ligaminis.

Ligamen eſt vinculum prioris matrimonij, quo durante, poſterius matrimonium eſt inualidum iure Eccleſiaſtico. 2.397.1

Polygamia, vt vnus vir habeat ſimul plures vxores, non ſolùm iure Eccleſiaſtico eſt prohibita, ſed etiam iure naturæ. ibid.2

Non ſolùm iure Eccleſiaſtico, & naturali, ſed etiam diuino eſt polygamia prohibita. ibid.

Infidelis quando conuertitur ad fidem, ſi in infidelitate plures duxiſſet vxores, debet permanere cum prima, ſi ipſa voluerit cum eo permanere, abſque Saluatoris iniuria; conſequenter non poteſt ducere aliam præter primam. Imò ſi prima nollet cum eo permanere, permanentibus aliis in infidelitate, non poſſet contrahere cum vna ex illis, nam adeſt impedimentum diſparitatis cultûs dirimens matrimonium: imò ſi omnes vxores, quas vir habebat tempore infidelitatis, conuertantur ad fidem, præter primam nolentem cum ipſo permanere, aut volentem quidem permanere, ſed cum pertractione ad peccatum, & cum iniuria Creatoris, vir non tenetur vllam ex conuerſis ducere, in rigore loquendo. 2.398.3

Pluralitas virorum reſpectu vnius vxoris, prorſus iure naturæ eſt interdicta; vnde ſecundæ nuptiæ iure naturæ irritantur, ſi mulier duos, vel plures accipiat viros. ibid.4

Pluralitas verò vxorum reſpectu vnius viri non aduerſatur primario matrimonij fini. ibid.

Summus Pontifex nullatenus poteſt diſpenſare in pluralitate vxorum. ibid.5

A fortiori multo minus poterit Summus Pontifex diſpenſare in pluralitate virorum reſpectu vnius coniugis. ibid.

Patres legis antiquæ pluribus vxoribus coniuncti culpæ immunes fuerunt. ibid.

Vt euitetur polygamia, ne ſimul vir plures vxores habere contingat, vel mulier plures viros, requiritur certitudo moralis de morte coniugis, vt ſuperſtes poſſit cum alio matrimonium inire, ſeu tantam certitudinem, quanta iudicio prudentis ſufficit ad credendum priorem coniugem certò mortuã eſſe. ibid.7

Vxor non poteſt matrimonium cum alio contrahere, quando ipſius vir per multos annos abſuit, nec certum nuntium de illius morte habetur. ibid.

Sola fama mortis coniugis non ſufficit, vt alter licitè contrahere poſſit. ibid.8

Vxor poteſt cum alio matrimonium contrahere, quando ipſius vir ingreſſus eſt prælium, & fama eſt ipſum periiſſe, aut per literas eorum, qui prælio interfuerunt, acceptum eſt, ipſum mortuum eſſe. ibid.

Non ſufficit vnus teſtis affirmans coniugis mortem, vt liceat alteri ad ſecundas nuptias tranſire. 2.399.init.

Tamen teſtimonium vnius affirmantis coniugis mortem ſufficit, vt liceat alteri ad ſecundas nuptias tranſire, ſi adſint aliæ coniecturæ: vel ſi coniux mortuus ſit in loco ita diſtante, vt non poſſint facilè haberi aliæ probationes. ibid.

Impedimentum publicæ honeſtatis.

Impedimentum publicæ honeſtatis eſt propinquitas ex ſponſalibus proueniens, robur trahens ab Eccleſiæ inſtitutione propter honeſtatem. ibid.1

Impedimentum publicæ honeſtatis, non eſt impedimentum dirimens matrimonium cum affinibus, ſed cum conſanguineis alterius ſponſi. ibid.

Impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus conſurgens extendebatur vſque ad quartum gradum. ibid.

Impedimentum publicæ honeſtatis contractum ex ſponſalibus validis, & certis, non ceſſat, quando ſponſalia diſſoluuntur mutuo conſenſu contrahentium. ibid.2

Ex ſponſalibus conditionalibus de futuro non oritur impedi

impedimentum publicæ honeſtatis ante conditionis euentum. ibid.3

Si contractis ſponſalibus ſub conditione cum Caia, ineantur poſtea ſponſalia abſoluta cum eius ſorore Titia, conditione nondum extante ex poſterioribus initis non inducitur impedimentum publicæ honeſtatis. a.400.init.

Duæ præcedentes aſſertiones intelliguntur quando eſt conditio de futuro, ſi enim ſit conditio de præſenti, aut præterito, orietur ſtatim impedimentum publicæ honeſtatis, ſi conditiones eæ verè extant. ibid.

Impedimentum publicæ honeſtatis non ſolùm conſurgit ex ſponſalibus, ſed etiam ex matrimonio rato, & nondum conſummato. ibid.4

Hoc impedimentum publicæ honeſtatis non conſurgit ex matrimonio rato ratione veræ affinitatis. ibid.

Impedimentum publicæ honeſtatis conſurgens ex matrimonio rato, nondum tamen conſummato, extenditur vſque ad quartum gradum. ibid.

Ex matrimonio rato, etiam inualido, conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis, modò non ſit inualidum defectu conſenſus. ibid.

Impedimentum Affinitatis.

Affinitas eſt vinculum, ſeu propinquitas, vel attinentia quarundam perſonarum, procedens ex carnali copula licita, vel illicita. a.401.1

Conſanguinei Titij, qui copulam habuit cum Caia, non fiunt affines cum conſanguineis Caiæ. ibid.

Affinitas eſt duplex, alia dicitur in linea recta, & æquali, alia in linea tranſuerſali. In linea recta affinitatis conſtituuntur aſcendentes, & deſcendentes illius perſonæ, cum qua copula fuit habita; in linea verò tranſuerſa conſtituuntur conſanguinei in linea tranſuerſa illius, cum qua copula habita fuit. ibid.

Martinus, qui duxit Franciſcam in vxorem, poteſt ea mortua ducere illam, quæ fuit vxor fratris Franciſcæ, mortuo fratre Franciſcæ. ibid.2

Stipes in affinitate ſunt duæ illæ perſonæ, quæ ſe carnaliter cognoſcunt. ibid.3

Affinitas eſt impedimentum dirimens matrimonium, ſiue conſurgat ex copula licita, ſiue ex copula illicita. hæc tamen eſt differentia inter copulam licitam & illicitam, quòd ex copula licita oritur impedimentum dirimens matrimonium vſque ad quartum gradum; ex illicita verò oritur impedimentum dirimens matrimonium tantummodo vſque ad ſecundum gradum. ibid.4

Affinitas in primo gradu lineæ rectæ, vt eſt affinitas priuigni cum nouerca, priuignæ cum vitrico, viro matris eiuſdem priuignæ, nurus cum ſocero, ſimiliter generi cum ſocru, iure naturæ dirimit matrimonium. ibid.

In linea verò tranſuerſa certum eſt affinitatem non dirimere matrimonium in vllo grado, etiam primo, iure naturæ, vel diuino, conſequenter vxor poteſt mortuo viro ducere fratrem viri mortui, interueniente Summi Pontificis diſpenſatione. a.402.init.

Conſequenter Summus Pontifex habet poteſtatem diſpenſandi in primo gradu lineæ rectæ affinitatis, vt inter ſocrum, & generum, & inter ſocerum, & nurum. ibid.5

Si adſunt iuſtæ cauſæ diſpenſandi in hoc primo gradu affinitatis, expedit hanc poteſtatem à Romano Pontifice exerceri. a.403.med.

Iuſta, & rationabilis cauſa diſpenſandi in hoc primo gradu affinitatis ſine vlla dubitatione, eſt bonum publicum, ſiue illud ſit auerſio belli, & pacis conſeruatio, ſiue quodcunque ſimile; non autem bonum priuatum ipſius hanc diſpenſationem petentis, eſſet ſufficiens cauſa ad illam concedendam. ibid.6

Ad inducendum impedimentum affinitatis requiritur copula cum ſeminis emiſſione intra clauſtrum fœminæ. ibid.7

Affinitas oritur, quando ſemen intra vas fœmineum recipitur quacunque arte, ſiue recipiatur arte humana, ſiue diabolica, ſiue cum violatione clauſtri, ſiue abſque clauſtri violatione, ſiue ſponte, ſiue caſu. ibid.

Non oritur affinitas, quando ſola fœmina ſemen emittit: emiſſio verò ſeminis virilis ſufficit. ibid.

Affinitas non oritur ex actu præpoſtero extra vas debitum, ſicut neque oritur ex pollutione extra vas fœmineum, neque ex congreſſu ſpadonum inducitur impedimentum affinitatis. ibid.8

Copulam habentibus negantibus ſeminis effuſionem in foro externo fides non habetur. ibid.9

Iis, qui ſine diſpenſatione contrahunt matrimonium ſcienter cum affinibus, vel conſanguineis in gradibus prohibitis, pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda eſt conſtituta. a.404.10

Non eſt locus huic excommunicationi per ſolum ſponſalium de futuro contractum. ibid.12

Non incurritur hæc excommunicatio ob matrimonium initum cum aliis impedimentis dirimentibus. ibidem.

Minimè incurritur hæc excommunicatio, vbi ignoranter initum eſt matrimonium cum prædictis impedimentis. ibid.13

Si alter ex conſanguineis, aut affinibus, aut Monialis ſciuit conſanguitatem, aut affinitatem, aut impedimentum voti ſolemnis; alter verò contrahens ignorauit, incurrit excommunicationem hanc ſciens: ignorans autem minimè incurreret. ibid.

Ignorantia, quæ excuſat ab excommunicatione, eſt ignorantia probabilis facti, & non affectata. ibid.

Satis etiam probabiliter dici poteſt, excuſare in tali caſu ab excommunicatione ignorantiam etiam craſſam iuris, vel facti, dummodo non ſit affectata. ibid.

Affinitas ſuperueniens matrimonio contracto, parit hunc effectum, vt non poſſit inceſtuoſus petere ab vxore debitum, ſi in primo, vel in ſecũdo gradu rem habuit cum conſanguinea alterius coniugis: reddere tamen debitum coniugi innocenti tenetur. ibid.14

Vterque coniux priuatur iure petendi, quando vterque copulam habuit cum alterius conſanguineis, aut quando vnus tantùm habuit, ſed de conſenſu alterius. ibid.15

Quando vterque coniux copulam habuit cum conſanguineis alterius coniugis non malitiosè, non animo ſcilicet defraudandi alterum coniugem debito coniugali, ne dum tunc ambo priuantur iure petendi: ſed neuter tunc tenetur, nec licitè poteſt alteri petenti reddere debitum coniugale. a.405.init.

Quando verè vterque coniux rem habuit cum alterius conſanguineis malitiosè, vt ſcilicet alterum coniugem defraudaret debito coniugali, tenetur reddere alteri petenti, quamuis vterque à iure petendi cadat, & petendo delinquat. ibid.

Affinitas oritur etiam ſtante ignorantia iuris, vel facti. ibidem.

Stat ignorantia iuris, quando quis accedit ad conſanguineam vxoris, neſciens latam eſſe legem poſitiuam humanam prohibentem acceſſum ad conſanguineam vxoris; ſtat ignorantia facti, quando quis ſcit latam eſſe legem ab Eccleſia ſpecialiter prohibentem acceſſum ad conſanguineam vxoris, ſed neſcit illam, ad quam modò accedit, eſſe conſanguineam vxoris. ibid.16

Impedimentum impotentiæ.

Impotentia perpetua ad copulam reddit irritum ſubſequens matrimonium. a.406.1

Impotentia verò temporalis non dirimit matrimonium ſubſequens. ibid.

Impotentia perpetua coëundi illa dicitur, quæ non poteſt remoueri arte humana, vel abſque probabili vitæ periculo: impotentia verò temporalis illa eſt, quæ præter diuinum miraculum per opus humanum abſque corporali vitæ periculo remoueri poteſt. ibid. 2

De ratione miraculi duo ſunt, primum vt ſit inſolitum opus, & extraordinarium, vel in effectu, vel in modo; ſecundum, vt opus ſit tale quod per naturales cauſas fieri non poſſit. ibid. 3

Inualidum eſt matrimonium contractum cum impotente perpetuò, licèt poſt matrimonium contractum facto potente miraculosè. ibid. 4

Impotentia coëundi, quæ remoueri non poteſt arte humana, non irritat matrimonium, ſi per orationes, confeſſiones, & Eccleſiæ exorciſmos remoueatur. 2.407.5

Impotentia coëundi, quæ abſque arte magica, vel abſque peccato, & maleficio auferri non poteſt, cenſetur perpetua. ibid. 6

Impotentia coëundi, quæ non eſt vera impotentia, ſed ſolùm maxima difficultas, non dirimit matrimonium. ibid. 7

Ad valorem matrimonij non ſatis eſt potentia vas fœmineum penetrandi, ſed deſideratur potentia ſeminandi intra illud. ibid. 8

Valet quidem matrimonium, ſi vir ſeminare poteſt intra vas, ac fœmina capax eſſet ſeminis virilis recipiendi, quamuis ea impotens eſſet ad ſeminandum. ibid. 9

Si fœmina eſt ita arcta, aut vir ita debilis, & frigidus, aut calidus, vt non poſſit cum fœmina coire, vt ſemen intra vas emittat, ſed foras fundat, licèt arte aliqua abſque viri penetratione ſemen ſit receptum intra vas, aut per matricis attractionem, ſi hoc impedimentum coëundi, & immittendi ſemen intrà ſit perpetuum, & immedicabile, nullum eſſet matrimonium. ibid. 10

Eunuchi, ſeu ſpadones, qui altero tantummodo teſticulo carent, validè contrahere poſſunt matrimonium. ibid. 11

Inualidum eſt matrimonium contractum cum Eunucho perfecto, & ſpadone, qui ſcilicet caret vtroque teſticulo. 2.408. init.

Sterilitas nihil obeſt matrimonij valori. ibid. 12

Eunuchi, licèt non perfecti, habentes vtrumque teſticulum, nihilominus conruſum illum habent, validum matrimonium inire non valent. ibid. 13

Senes quantumcumque decrepiti, ſi nullo alio impedimento præter ſenectutem laborent, validè matrimonium inire poſſunt. ibid. 14

Fœmina quantumcumque vetula, contrahere poteſt in quacumque ætate ſenili, vel complexione, vel diſpoſitione, modò pati poſſit ingreſſum viri ad clauſtra pudoris. ibid.

Quando vir ſenex eſt adeò exhauſtus, vt omninò impotens ſit ad copulam habendam, nec iudicio Medicorum aliqua arte, vel medicamento humano iuuari poteſt, incapax eſt ad matrimonium ineundum. ibid.

Verius tamen eſt, & probabilius, huiuſmodi ſenes eſſe matrimonij incapaces. ibid.

Etiamſi ſenes illi poſſent erigere virgam, & coire, non tamen valerent intra vas fœmineum ſeminare, & hoc in illis nulla arte humana eſſet rationabile, tunc adhuc irritum eſſet matrimonium ab illis contractum. ibid.

Validum eſt matrimonium, quando fœmina poteſt reddere debitum; ſed non niſi cum grauiſſimo ſanitatis periculo, vel quando non poteſt petere abſque graui periculo vitæ, vel quando credit fore, vt filij mortui in lucem edantur. ibid. 15

Si iudicio Medicorum impedimentum impotentiæ medicabile ſit abſque corporali periculo, vt quando fœmina eſt ita arcta, vt non poſſit carnaliter à viro cognoſci, ſi iudicio Medicorum per inciſionem fieri poteſt apta proprio viro, quamuis ipſa renuat inciſionem, aut medicamenta neceſſaria, quibus apta reddatur viro, firmum eſt matrimonium. 2.409. init.

Fœmina arcta, quæ poteſt fieri apta proprio viro per artem Medicorum, puta per inciſionem, tenetur pati talem inciſionem, etiam cum graui dolore. ibid. med.

Non tenetur tamen huiuſmodi inciſionem pati cum grauiſſimo morbi incommodo. ibid.

Impotentia coëundi, vt quando fœmina eſt ita arcta, vt citra periculum mortis arbitrio Medicorum curari non poſſit, reputatur impedimentum perpetuum, atque adeò dirimens matrimonium. ibid.

Si Medici dubitent, an immineat mortis periculum ex inciſione illa, tunc ſubeſſe mortis periculum iudicatur, & ſic matrimonium contractum erit nullum. ibid. fin.

Quando impotentiæ coëundi non poteſt ſubueniri abſque vitæ periculo, quamuis velit mulier id periculum ſubire, vt apta reddatur viro, non tenetur vir id expectare; ſed poteſt matrimonij diſſolutionem petere, atque ad alias nuptias tranſire. ibid. 16

Si fœmina eſt ita arcta, vt iudicio Medicorum abſque periculo vitæ non poſſit viro reddi apta, ſi ſuſcepto medicamine habilis efficiatur, prius matrimonium abſque dubio validum fuit, ſi experientia ipſa docuit nulli corporali periculo fuiſſe eam expoſitam, ac Medicos deceptos eſſe. ibid. 17

Si apertè conſtet te vera mortis periculum eam fœminam ſubiiſſe patiendo inciſionem, vel aliud medicamen adhibendo, & experientiâ comprobatum eſt id periculum adfuiſſe, neque Medicos hoc diiudicando fuiſſe deceptos, ac proinde verum fuiſſe iudicium Eccleſiæ ex Medicorum atteſtatione iudicantis illud periculum, & ob id diſſoluentis matrimonium, tunc irritum fuit matrimonium illud cum tali impotentiæ impedimento. ibid.

Quando vir eſt ita debilis, aut ſenex, vt virgineum fœminæ vas penetrare nequeat, potens tamen cognoſcere corruptam, cùm in corrupta nulla ſit reſiſtentia ob vaſis fœminei clauſuram, ſi illa viri imbecillitas iuuari poteſt ope medicinæ vt virginem cognoſcere poſſit, manifeſtum eſt valere matrimonium. ibid. 18

In caſu præcedentis aſſertionis tenetur fœmina illa virgo medicamentum, vel inciſionem admittere, ſi ea admiſſa iudicio Medicorum poſſit abſque periculo vitæ reddi aptà viro. 2.410. init.

Si fœmina illa virgo in caſu poſito nolit inciſionem pati, ſiue quia non vult, ſiue quia ad eam patiendam non tenetur cum maximo ſuo incommodo, adhuc matrimonium eſſet validum. ibid.

Mulier, quæ viro, cui nupſit, adeò arcta eſt, vt ab eo deflorari nequeat, ſi alteri nubens reddita eſt apta per poſterioris concubitum, non eſt reddenda priori, quando priori viro non poterat reddi apta per artem medicinæ abſque vitæ periculo. ibid. 19

Poteſt aliquando contingere impotentia perpetua reſpectu vnius, quæ non erit reſpectu alterius, vt quando fœmina eſt arcta vni, & non alteri, nec eſt vllum remedium, quo reddatur lata, & apta priori. ibid.

Idem dicendum eſt de viro reſpectu fœminæ, propterea quando conſtat de impotentia hoc modo perpetua, poteſt Eccleſia declarare matrimonium inualidum; Eccleſiæ autem poteſt huiuſmodi impotentia conſtare

conſtate per teſtimonium homioum honeſtorum, qui vitum inſpexerint,& pet teſtimonium honeſtarum mulietum,quæ fœminam explotauerint. ibid.

Ex triplici capite oriri poteſt hæc impotentia coëundi perpetua. Primò ex improportione naturali. ibid.21

Secundò hæc impotentia coëundi poteſt oriri ex frigiditate, quando ſcilicet copula propter frigiditatem conſummari, & ſemen emitti nequit, & hoc impedimentum prouenite ſolet à viro, & non à fœmina. ibid.

Tertiò impotentia perpetua coëundi poteſt oriri ex maleficio perpetuo ad impediendum congreſſum,& copulam maritalem. ibid.

Non ſoli viri,ſed etiam fœminæ poſſunt maleficiis impotentes ad copulam reddi. ibid.22

Maleficium peccatum eſt generale, quo quis nocet proximo: vſurpatur tamen appropriatè pro peccato quo quis nocet proximo per aliquam Dæmonis poteſtatem, vel inuocationem, quod ſic poteſt diſſiniri, Maleficium eſt ars nocendi aliis Dæmonis poteſtate, vel per aliquam Dæmonis inuocationem. 2.411.23

Dicitur maleficium perpetuum impedimentum dirimens matrimonium, quando coniuges poſt experientiam triennalem non potuerunt copulam habere præmiſſis precibus, & aliis licitis remediis pro maleficio amouendo. ibid.

Quando maleficium perpetuum factum eſt tantummodo reſpectu coniugum præſentium, & non reſpectu aliorum omnium, poſſunt tunc coniuges facto diuortio matrimonium contrahere cum aliis. ibid.

Cenſetur maleficium, perpetuum ſi non poſſit auferri per opus humanum,niſi per aliud maleficium. ibid.

Maleficium ſimiliter cenſetur perpetuum,quamuis tolli poſſit per diuinum miraculum: ſecus ſi remoueri poteſt per orationes,& Eccleſiæ exorciſmos. ibid.

Non licet maleficium alio maleficio ſoluere, quantumuis faciens tale maleficium ſit paratus ad hoc facinus perpetrandum. ibid.24

Poteſt tamen quis licitè conuenire maleficum, & eum rogare, imò & pecuniam ab eo extorquere, vt maleficij ligaturas, quas habet ſepultas, aut ſuſpenſas, aut alicubi aſſeruatas, inde dimoueat, aut diſſoluat. ibid.

Si maleficus plura media ad ſoluendum maleficium noſſet, quædam licita, quædam verò illicita, ab eo poſſemus petere vt maleficium ſolueret. ibid.

Quando dubium eſt an maleficus ſcierit aliqood medium licitum ad diſſoluendum maleficium, néene, tunc quærendum ab eo, qoæ media nouit, quòd ſi renuat explicare, vehemens eſt ſuſpicio contra illum. ibid.

Coniuges, quibus conſtat adeſſe impedimentum perpetuum, ſiue hoc procedat ex improportione naturali,ſiue ex frigiditate,ſiue ex maleficio perpetuo, ſi hoc impedimentum perpetuum anteceſſit matrimonium,non poſſunt licitè petere debitum,nec poſſunt delectari,nec laxiuè ſe amplexari, aut impudicè tangere,aut carnaliter oſculari. ibid.25

Cognita impotentia præcedenti perpetua poſt matrimonij contractum ſi continenter viuere volunt, & cohabitare, ſic contrahentes inſtar fratris, & ſororis citra dubium id poſſunt facere, & iudex Eccleſiaſticus nō poterit denegare cohabitationem.2.412.inſt.

Quando poſt matrimonium conſtat iam de impotentia perpetua, nec illi poſſunt continenter vti frater, & ſoror viuere, tenentur reclamare, vt auctoritate Eccleſiæ diſſoluatur matrimonium, cùm aliter abſque ſcandalo ſeparari nequeant, ſtante præſumptione matrimonij in foro Eccleſiæ: quòd ſi ceſſante ſcandalo ſeparati poſſent,ad id non tenerentur.ibid.

Quando ab initio cognitâ impotentia antequam celebrent matrimonium volunt vir, & fœmina non vero matrimonio copulari, ſed quoddam ſocietatis vinculum inire, quo ſimul habitantes ad mutua ſe ipſos obſequia obligent,vt fœmina inſeruiat viro,& hic illi alimenta miniſtret, id licitum eſt, dummodo periculum incontinentiæ non ſubſit. ibid.26

Quando non conſtat adeſſe impotentiam perpetuam, ſed tantummodo dubitatur, permittuntur coniuges ſimul cohabitare per triennium, vt matrimonium conſumment, & vti poſſunt actibus coniugalibus, quales ſunt reddere,petere debitum, tangere, & oſculari, quo tempore ſi nequeant conſummare, non amplius permittuntur cohabitare ad conſummandum matrimonium. ibid.27

Ducens fœminam arctam, cui per inciſionem ſubueniri poteſt, quam ipſa renoit, poteſt eius amplexibus aliiſque tactibus frui abſque pollutionis periculo. ibid. 28

Quando vir poſt celebratum matrimonium in eam impotentiam incidit vt intra vas fœmineum ſeminare nequeat, vel fœmina ita arcta effecta eſt, vt ſemen recipere non valeat, & hoc prorſus deſperatum eſt, non licet iſtis coniugibus coniugalis acceſſus cum illius externæ ſeminationis periculo. ibid.29

Si poſt celebratum matrimonium vir incidit in perpetuam impotentiam, ita vt deſperatum ſit in vas fœmineum ſeminare poſſe, vel fœmina ita arcta effecta eſt, vt ſemen recipere non valeat, non licet iſtis coniugalis acceſſus cum continuo periculo externæ ſeminationis; his tamen coniugibus liciti ſunt tactus, amplexus, & oſcula, ſi pollutionis periculum abſit. ibid.

Si poſt contractum matrimonium impotentia coëundi ſuperuenit, illaque eſt dubia, licebit contrahentibus petere,& reddere, & vti multò magis tactibus, amplexibus & oſculis. ibid.

Coniuges ſenes, quibus vires, poteſtáſque ſeminandi intra vas deficiunt,ſi conſtat impotentiam ſeminandi intra vas fœmineum eſſe perpetuam,poſſunt quidem tactibus citra pollutionis periculum vti, quia ſunt veri coniuges: non autem eis licebit copula cum eo certo periculo fundēdi ſemen extra vas. 2.413.30

Si ſenes poſt celebratum matrimonium haberent aliquam ſpem intrà ſeminandi, aut aliquando intrà ſeminent, licèt cum periculo externæ ſeminationis ad copulam nitantur, poſſunt licitè copula vti cum eo periculo. ibid.

Vbi non conſtat impotentiam coëundi eſſe perpetuam, quamuis vir perſuadeat ſibi fore, vt illa vice, qua congreditur, non poſſit intra vas ſeminare, poteſt talis ſenex, ſiue alius vir iuuenis ſit, depoſita conſcientia accedere ad vxorem licitè, & niti ad copulam. ibid.

Nullatenus eſt interdicendus coniugij vſus ſi fœmina intra vas proprium fœmineum ſemen receptum à viro retinere non poteſt, ſed prorſus expellit, nec ſpes retinendi ſubeſt. ibid.31

Senibus decrepitis, qui validè iam contraxerunt, ſi poſtea proceſſu temporis præ nimia ſenectute iam intra vas omnimodè ſeminare non valent, non denegatur vſus coniugij,ſi aliàs coire valeant, licèt deſperatum ſit quòd intra vas ſeminent. ibid.32

Quando poſt contractum matrimonium ſuperuenit impotentia coëundi,& intra vas fœmineū ſeminandi,vbi dubium eſt de prædicta impotentia, num ſit perpetua, tamdiu licitum eſt ad id conari,idque experiri, quamdiu eſt probabilis ſpes ſeminandi intra vas,quamuis eo medio tempore conādo ad copulam per

pet accidens, ac præter intentionem, ſequatur externa ſeminis effuſio. ibid.35

Quando poſt matrimonium impotentia illa coëundi, & intus ſeminandi, omnibus circumſtantiis conſideratis eſſet omninò dubium, num ſit perpetua, nulla alia certior mora præſcribi poteſt ad id experiendum, quàm vt triennalis experientia concedatur. ibid.

In ſenibus autem idem tempus, triennalis ſcilic. experientiæ, non eſt expectandum, ſi poſt matrimonium iam celebratum ſuperuenit talis impotentia intus ſeminandi, ſed ſufficit tempus arbitrio prudentis taxandum. a.414.34

Si vir dum bona fide legitimè congredi cum vxore conatur, feſtinantiùs fortaſsè extra vas ſemen emittit, non eſt hoc vitio dandum. ibid.

Si conſtat Medicorum, vel obſtetricum iudicio matrimonium cum vnius, vel vtriuſque impotentia antecedenti perpetua fuiſſe contractum, ideóque irritum eſſe, ſtatim hi ſunt ſeparandi, ſaltem quo ad torum. ibid.35

Si non ſatis conſtet, an impotentia illa antecedens matrimonium ſit perpetua, an temporalis, tunc ad experiendum triennij ſpatium eis conceditur, vt interim conari eis licitum ſit ad copulam, etiamſi per accidens pollutio extra vas eueniat. ibid.

Elapſo triennio, nullâque ſequuta emendatione, toro ſeparari debent, permiſſa licentiâ coniugi, qui potens eſt ad alias nuptias tranſeundi, vel vtrique coniugum, ſi vtrumque erga alias perſonas potentem oſtendi, vel præſumi poſſit. ibid.

Elapſo triennio quod ad experiendum conceditur, conſtare poteſt nunquam matrimonium conſummaſſe, ſi mulier, quæ nupſit, erat virgo, & poſt triennalem experientiam elapſo triennio per inſpectionem honeſtarum matronarum adhuc inuenitur virgo, tunc pro certo eſt non fuiſſe conſummatum matrimonium. ibid.

Si verò fœmina, quæ diuortium petit, erat corrupta, & negat viri potentiam ad conſummandam copulam: vir autem iurat ſe eam carnaliter cognouiſſe, viri iuramento in fauorem matrimonij ſtandum eſt. ibid.

Si ambo negant conſummaſſe matrimonium, & res hæc probari nequeat, quia difficilis eſt probatu per teſtes oculares, tunc referenda eſt ad teſtes de auditu, qui ab ipſis audierint matrimonium conſummaſſe, aut non conſummare valuiſſe, qui ſi fieri poteſt, ſeptem debent eſſe iurati, aut amborum iuramento ſtandum eſt. ibid.

Quando dubitatur, an impotentia præceſſerit, aut ſubſequuta ſit matrimonium: tunc, ſi impotentia eſt naturalis, puta proueniens ex frigiditate viri impotentis ad erigendum virile, & intra vas fœmineum ſeminandum, in tali dubio præſumitur eam præceſſiſſe, & ſic matrimonium eſſe irritum. ibid.

Quando dubitatur an impotentia præceſſerit, vel ſubſequuta ſit matrimonium, ſi impotentia eſt accidentalis, vt ex maleficio, aut abſciſſione, aut ex quolibet alio morbo conſurgens, & ſufficienti diligentia præmiſſa conſtare nequit, an illa matrimonium præceſſerit, vel potiùs ſubſequuta ſit, ſatis eſt probabile præſumi eam præceſſiſſe, ac proinde inualidum eſt matrimonium. ibid.

Quando non verſatur dubium circa anteceſſionem impotentiæ, ſed dubitatur an vera impotentia ſit, & an matrimonium conſummatum ſit, nécne, & adhibita ſufficienti diligentia id dubium vinci nequit, in hoc dubio præſumitur pro matrimonij valore, nec illud ſemel initum poteſt diſſolui. a.415.36

Ei, cui non plenè cognita eſt propria impotentia, culpæ tribuendum eſt ſi ad matrimonium tranſeat; dubius igitur de ſua potentia an ſit potens ad copulam, nécne, non licitè contrahit matrimonium. ibid.37

Quando matrimonium fuit diſſolutum ab Eccleſia, quæ iudicauit adeſſe impotentiam perpetuam, & vir facta diſſolutione primi matrimonij tranſiit ad ſecundas nuptias, ſi poſtea compertus eſt error, & deceptio iudicis, eo quòd verè non fuerit impotentia perpetua, ſed tantummodo temporalis, ſi poſtea compertus eſt error, eo quòd tranſiens ad ſecundas nuptias illa fœmina facili inciſione aptari potuit ad copulam; tunc prius matrimonium debet reintegrari, & poſterius putatitium diſſolui. ibid.38

Non propterea ſtatim quòd à poſteriori viro poſt matrimonij ſeparationem cognoſci potuit fœmina illa arcta, præſumendum eſt prius matrimonium malè ſeparatum fuiſſe, cùm ob diſparitatem virorum potuerit eſſe illa arctitudo, vera impotentia reſpectu prioris, non item reſpectu poſterioris. ibid.

Quando matrimonium diſſolutum fuit ab Eccleſia, quæ iudicauit adeſſe impotentiam perpetuam, & vir facta diſſolutione matrimonij ingreſſus eſt Religionem, in eáque profeſſionem emiſit, ſed poſtea compertus eſt error, & deceptio iudicis, eo, quòd verè non fuerit impotentia perpetua, ſed temporalis, talis ſi Profeſſus eſt ante conſummatum matrimonium, non debet redire ad vxorem. ibid.39

Si verò vterque coniux facta ſeparatione ingreſſus eſt Religionem, in eáque Profeſſus eſt, ſed poſtea cognitum fuit impedimentum, propter quod facta fuit ſeparatio, non eſſe perpetuum, ſi profeſſio facta fuit poſt conſummatum matrimonium, non irritat matrimonium. ibid.

Quando vnus coniugum iniit ſecundas nuptias, & alter profeſſionem emiſit in Religione, credens inualidum fuiſſe prius matrimonium ob impotentiam præſumptam perpetuam, quæ re vera non erat perpetua, ſi matrimonium erat conſummatum, inualidæ ſunt ſecundæ nuptiæ. ibid.

Si matrimonium non erat conſummatum, ſi coniux tranſiens ad ſecundas nuptias eas iniit ante profeſſionem alterius, ſecundæ nuptiæ inualidæ fuerunt, propter impedimentum ligaminis. a.416.init.

Si matrimonium non erat conſummatum, ſed tantùm ratum, ſi coniux iniit ſecundas nuptias poſt emiſſam profeſſionem, validum eſt ſecundum matrimonium. ibid.

Vir qui ex præſomptione perpetuæ impotentiæ ſacros Ordines ſuſcepit remanente vxore in ſeculo, reſtituendus eſt vxori petenti poſtquam cognoſcitur impotentiam non eſſe perpetuam. ibid.40

Vir tamen, qui ex præſumptione perpetuæ impotentiæ initiatus eſt ſacris Ordinibus, non poteſt repetere vxorem, ſi mulier virum non repetat. ibid.

Verios tamen eſt, & probabilius, quod diximus, non poſſe ſcilicet talem ſacris Ordinibus initiatum petere debitum ſi poſt compertum errorem ſuæ vxori reſtitueretur. ibid.

Si poſt falſam exiſtimationem ſolotionis vinculi coniugalis vterque coniux ingrediatur Religionem, ibique ante conſummatum matrimonium profiteatur, valida tunc eſſet vtriuſque coniugis profeſſio, & matrimonium illud tãtùm ratum diſſolueretur. ibid.

Si verò poſt conſummatum matrimonium ex falſa exiſtimatione ſolutionis vinculi coniugalis, vterque coniugum credens iuſtè factum diuortium, ingrediatur Religionem, & poſt amborum profeſſionem reperiatur, quòd cauſa diuortij fuit falſa, valet etiam tunc vtriuſque coniugis profeſſio, & ita alter coniugum alterum è Religione reuocare non poteſt,

ſine

ſiue vterque coniux mutua licentia non obtenta profiteatur, ſiue conſcius ſit, ſiue ignarus profeſſionis alterius. ibid.

Verius tamen, & probabilius videtur dicendum in caſu præcedentis aſſerti, valere quidem profeſſionem vtriuſque coniugis, quando vterque mutua licentia obtenta ingreditur Religionem, & ibi profitetur, vel quando vterque fuit conſcius profeſſionis alterius. ibid.

Non ſolùm eſt inualida profeſſio, quæ poſt conſummatum matrimonium facta fuit poſt falſam exiſtimationem ſolutionis vinculi coniugalis abſque licentia alterius coniugis, vel altero ignorante, ſed etiam propria auctoritate e Religione poteſt exire. ibid.

Coniux, qui abſque licentia alterius in aliqua Religione emiſit profeſſionem, ſi reuocatur ab altero, non tenetur poſt obitum coniugis repetentis redire ad Religionem. 2.417.42

Coniux abſque licentia alterius ingrediens Religionem, ibique profeſſionem emittens, nulliter, & inualidè profitetur, & votum caſtitatis in ea emiſſum habet vim voti ſimplicis, & obligat coniugem in quantum ſe obligare potuit, nimirum, vt in eo matrimonio abſtineat à ſe debiti exactione, & eo per mortem ſoluto ab alio matrimonio ineundo, & ab aliis, quæ caſtitati promiſſæ aduerſantur: ſi ille coniux vouens habuit intentionem obligandi ſe independenter à profeſſionis valore. ibid.43

Si verò coniux, de quo in *aſſerto præcedenti*, emiſit votum caſtitatis in ea profeſſione dependenter ab illa, ex fine ſcilicet immediato permanendi in Religione, tunc in virtute talis intentionis ad nihil manet obligatus. ibid.

Emittens votum caſtitatis in ea profeſſione inualida, ſi non conſtat de eius intentione an dependenter, vel independenter à profeſſionis valore emiſerit illud, ius præſumit quòd independenter à profeſſionis valore voto caſtitatis ſe obſtrinxerit. ibid.

Idem dicendum videtur, ſi emittens votum caſtitatis in ea profeſſione inualida, dubitat de ſua intentione, an ſcilicet dependenter, vel independenter à profeſſionis valore emiſerit illud, tunc tenendum eſt independenter à profeſſionis valore ſe illo obſtrinxiſſe. ibid.

Votum ſolemne in illa profeſſione irrita non habet vim obligandi, vt votum ſimplex Religionis, ita vt reuocatus coniux ab altero, abſque cuius licentia eſt Profeſſus, poſtea eo mortuo teneatur iterum redire ad Religionem. ibid.

Votum tamen ſolemne caſtitatis emiſſum in illa profeſſione irrita, quamuis non obliget vt ſolemne, obſtringet tamen vt ſimplex caſtitatis votum ſi Profeſſus nulliter è Religione reuocetur, dummodo vouens expreſsè illud non emiſerit dependenter à voto Religionis. ibid.

Votum caſtitatis non emittitur per modum vnius cuiuſdam rei indiuiduæ, ſed continet obligationem diuiduam, id eſt, quæ commodam diuiſionem patitur. ibidem.

Item poteſt partim obligare, quatenus emittens tale votum in ſui præiudicium obligare ſe potuit, partim verò minimè obligare poteſt, quatenus vergit in præiudicium coniugis ſpoliari: ergo nil mirum ſi votum illud ſolemne caſtitatis emiſſum in illa profeſſione irrita, obligabit vt votum ſimplex, & ſic ſi coniux reuocetur a Religione ab altero coniuge, ſine cuius licentia eſt Profeſſus, tenetur redire. ibid.

Obligatio voti ſolemnis Religionis permanendi perpetuò in Religione ſub obedientiæ iugo, in qua conſiſtit votum Religionis in profeſſione factum, eſt obligatio quædam indiuidua, tendens ad vnicum actum permanendi ex tunc in perpetuum in Religione, atque adeò ſi tunc temporis hæc obligatio induci non potuit, eſt omninò irrita: neque quoad tempora diuidi poterit. ibid.

Profeſſio facta ab vno coniuge abſque alterius licentia, non conualeſcit, ſi poſtea coniux, ſine cuius licentia facta eſt, conſenſum præſtet. ibid.45

Coniux ſine alterius licentia Profeſſus, nec ab eo in vita reuocatus, poteſt eo defuncto egredi è Religione, & ſecluſo ſcandalo propria auctoritate ab ea fugere: ſi poſt mortem alterius coniugis, ſciens nullitatem prioris profeſſionis, eam non ratificauerit. ibid.46

Coniux in ſæculo relictus, altero abſque eius licentia Profeſſo, non poteſt inuito Profeſſo Religionem ingredi. a.419.47

Quando licentia fuit extorta per coniugem Profeſſum, metu graui cadente in virum conſtantem, profeſſio eſt nulla, & coniux Profeſſus metu graui extorquens ab altero coniuge talem licentiam, poteſt repeti. ibid.48

Hic coniux reuocatus, non poteſt petere debitum, tenetur tamen reddere. ibid.

Metu graui extorquens licentiam ab altero coniuge profitendi in aliqua Religione, ne dum repetitus poteſt licitè exire è Religione, ſed propria auctoritate è Religione exiens non peccat. ibid.

Profeſſus, qui metu graui extorſit licentiam ab altero coniuge vt ingrederetur Religionem, ibique profiteretur, etiamſi non reuocetur altero coniuge viuente, valet poſt eius obitum exire. ibid.

Quando licentia ab altero coniuge fuit dolo extorta, poteſt coniux remanens in ſæculo reuocare Profeſſum. a.420.49

Profeſſio emiſſa cum licentia ab altero coniuge dolo extorta, eſt etiam nulla. ibid.

Si coniux in ſeculo relictus, nec conſenſum, nec diſſenſum præſtitit, ſed ſciens alterius ingreſſum tacuit, & diſſimulauit, integrū eſt ei Profeſſum reuocare. ibid.

Coniux ſciens alterius ingreſſum in Religionem tacens, vel diſſimulans, ſi in vita reuocet Profeſſum alterum coniugem, deobligatus remanet Profeſſus à voto Religionis: ſi verò toto vitæ ſuæ ſpatio coniux in ſæculo relictus diſſimulauit cùm poſſet reclamare, rata efficietur profeſſio. ibid.

Coniux abſque alterius coniugis licentia Profeſſus, tranſacto quocumque tempore, ſi ſuam profeſſionem non ratificauit ceſſante ſcandalo, omiſſa reclamatione, nec deductis cauſis coram Ordinario, & Superiore in foro conſcientiæ poteſt fugam arripere, nec tenetur redire ad Monaſterium, nec eſt Apoſtata. ibid.51

Coniux, qui abſque alterius coniugis licentia eſt Profeſſus, ſi eſt dubius an ſciens nullitatem ſuæ profeſſionis illam ratificauerit, tenetur in Religione permanere, & conſequenter exire non poteſt. ibid.52

Prælatus Religionis licitè poteſt veritate ſibi conſtante non ratificatæ profeſſionis occultè hunc Profeſſum tranſacto iam quinquennio dimittere. ibid.

Coniugatus ſine licentia valida alterius coniugis Profeſſus, durante coniugio non comprehenditur ſub decreto ſacri Concilij Tridentini præſcribēte quinquennium ad reclamandum contra profeſſionem, ſed eo durāte datur ſemper locus reclamationi. ibid.

Sunt quædam impedimenta perpetuò reddentia inhabilem quempiam ad profitendum: vt ſi in aliqua Religione eſſet ſtatutum à Romano Pontifice confirmatum irritans profeſſionem illorum, qui ex Mauris, vel Hebræis oriuntur, tunc hi deſcendentes ex Mauris, vel Hebræis perpetuò eſſent inhabiles ad

profitendum in illa Religione. 2.421.init.

Similiter ſexus virilis eſt impedimentum perpetuum ad profitendum in Monaſterio Monialium, & fœmineus in Monaſterio virorum. ibid.

Alia verò ſunt impedimenta, quæ inhabilitant, ſed non perpetuò. ibid.

Decretum ſacri Concilij Tridentini denegans audientiam Profeſſis poſt elapſum quihquennium à die ipſa profeſſionis expreſſæ, vel tacitæ, non intelligitur de laborantibus impedimento perpetuo. ibid.

Decretum ſacri Concilij Tridentini, denegans audientiam Profeſſis, non intelligitur de laborantibus impedimento temporali, quod irritauit profeſſionem, ſi toto illo quinquennio poſt profeſſionem permanſit. ibid.

Similiter, hi qui ante ætatem legitimam profeſſionem emiſerunt, ſi id impedimentum etiam poſt quinquennium durat, valent hi reclamare elapſo quinquennio. ibid.

Similiter ſi coniugatus abſque valida ſui coniugis licentia emiſit profeſſionem, & eo viuente, non fuit ei conceſſa per quinquennium poſt profeſſionem, poteſt ſimiliter quinquennio tranſacto reclamare, & audiri debet remedio ordinario. ibid.

Si impedimentum reddens inhabilem quempiam ad profitendum, duret toto quinquennio, & eo tranſacto ceſſet, hic poteſt reclamare poſt elapſum quinquennium. ibid.

Si intra quinquennium ſignatum à ſacro Concil. Trident. ceſſat impedimentum, & manet tempus arbitrio boni viri ſufficiens ad reclamandum intra illud, non aliud temporis ſpatium indulgendũ eſt, ſed locum habet quinquenniũ in S.Trident. ſtatutum. ibid.

Dies, à qua numerandum eſt quinquennium, incipit in profeſſione expreſſa à die ipſa profeſſionis, in tacita verò profeſſione à die, qua tranſacto nouitiatus anno inducitur profeſſio tacita per delationem habitus Profeſſorum, & exercitium actuum, qui ipſis proprij ſunt. ibid.

Sacrum Concilium Tridentinum dum ait dimittentem habitum nullatenus etiam intra quinquennium audiendum eſſe, limitandum eſt, niſi Profeſſus is iuſtam dimittendi habitûs cauſam haberet. ibid. 54

Etiamſi is Profeſſus temere dimittat habitum, illo reſumpto audiri poterit. 2.422.init.

Hæc reclamatio intra quinquennium fieri debet à Profeſſo coram Superiore ſuo, etiam Ordinario: Ordinarius autem ne dum eſt Epiſcopus loci, in quo ille Profeſſus reperitur, ſed etiam Vicarius Generalis Epiſcopi, & in omnibus decretis nomine Ordinarij comprehenditur. Idem dicendum de Vicariis generalibus Capituli Sede vacante. ibid.

Impedimentum raptûs.

Inter raptorem, & raptam quandò ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum matrimonium conſiſtere poteſt. ibid. 1.

Neque ſponſalia inter raptorem, & raptam, dum in domo raptoris manet, validè contrahi poſſunt. ibid.

Raptus puellæ, ſiue ea ſoluta ſit, ſiue coniugata, aut vidua, tunc committitur, quando ea de loco ad locum cauſa libidinis exercendæ, vel matrimonij contrahendi per vim iniuſtam abducitur. ibid.

Duplex eſt ſpecies raptus; prima ſi vis iniuſta exerceatur in ipſam puellam, quæ inuita, & repugnans abducitur: ſecunda ſi vis iniuſta committatur erga parentes, vel tutores ſcientes, & contradicentes, ſub quorum cura, & poteſtate puella exiſtit, quamuis ipſa in abductionem conſentiat, verùm ſi inſciis parentibus, vel tutoribus puella volens ex domo ſua abducitur, licèt iniuria illis inferatur, non tamen propriè eſt vis; quare non eſt raptus. ibid.

Raptores, & omnes illis conſilium, auxilium, & fauorem præbentes, ipſo iure ſunt excommunicati, ac perpetuò infames, & omnium dignitatum incapaces; Clerici verò de proprio gradu decidunt. ibid.

Tenetur prætetea raptor mulierem raptam, ſiue eam in vxorem duxerit, ſiue non, decenter arbitrio iudicis dotare. ibid.

Pœna excommunicationis contra raptores non eſt reſeruata iure communi. ibid.

Non eſt locus his pœnis, ſi puella conſentiens, ignorantibus tamen parentibus, abducatur. ibid.

Si verò parentibus ſcientibus, contradicentibus, & inuitis fœmina volens extrahatur, tunc hæ pœnæ incurruntur. ibid.

In eo decreto Concilij Tridentini ſoli fœminarum raptores cauſa contrahendi cum eis matrimonium, comprehenduntur: non autem raptores, qui ob exercendam libidinem vi abducunt fœminas de loco ad locum. ibid.

Non eſt locus his pœnis conſtitutis in S. Concil. Trident. ſi fœmina virum rapiat nolentem vt ſecum ineat matrimonium. 2.423.3

Impedimentum ætatis.

Maſculus ante completum decimumquartum annum, fœmina verò ante completum duodecimum, ſunt inhabiles ad contrahendum. ibid. 1

Ad validitatem matrimonij ſufficit, quòd annus decimusquartus in maſculo, & duodecimus in fœmina, ſit completus moraliter: cenſentur autem moraliter completi, etiamſi duo, vel tres dies deficiant ante completum illius ætatis diem. ibid.

Quando malitia ſupplet ætatem, id eſt, quando adeſt potentia generandi, & ſufficiens diſcretio ad ſe obligandum, validè celebratur matrimonium ante dictam ætatem, non ſolùm iure naturæ, ſed etiam iure Eccleſiaſtico. ibid. 2

Quando ante prædictam ætatem dubitatur, an malitia ſuppleat ætatem, præſumendum eſt non ſupplere, conſequenter ſub hoc dubio non poteſt matrimonium celebrari. ibid.

Habilis ætate, id eſt, habens impletam pubertatem, quamuis inhabilis ſit ad coitum, nec appareat de perpetuo impedimento, validè contrahit matrimonium. ibid.

Si poſt legitimam ætatem, maſculus ſcilicet poſt 14. completum, fœmina poſt annum duodecimum, matrimonium contrahant, & ad eius vſum ob naturæ imbecillitatem inhabiles reperiantur, tunc plenæ pubertatis ætas expectanda eſt, quæ maſculo obuenire cenſetur anno decimooctauo, in fœmina autem decimoquarto anno, & ab eo tempore conceditur ſpatium triennij ad experiendum, vtrùm impotentia perpetua ſit, necne. ibid.

Malitia ſupplet ætatem: ſi fœmina impubes ab alio fuerit cognita, vel puer impubes aliam fœminam cognouerit. ibid. 3

Item iudex diiudicare poteſt malitiam ſupplere ætatem inſpecta qualitate perſonæ, membrorum diſpoſitione, ac valetudine bona, ſi puer aptus ſit ad ſeminis effuſionem, præſumitur quoque aptus ad matrimonium. ibid.

Impedimentum tantùm impediens.

Impedimenta, quæ tantùm impediunt matrimonium contrahendum, non tamen dirimunt contractum, ſunt vndecim. Primum eſt interdictum Eccleſiaſticum. Secundum eſt votum ſimplex caſtitatis, vel Religionis amplectendæ, aut matrimonij non ineundi. Tertium eſt ſponſalitium. Quartum eſt Catechiſmus: Catechiſmus autem eſt inſtructio fidei, quæ fit

ante

ante ianuam Eccleſiæ ſuper baptizando, dicitúrque ſic à *Catechizo*, id eſt, inſtruo. Quintum eſt inceſtus cum conſanguineis coniugis, aut ſponſæ adhuc viuentis, intra ſecundum gradum, poſt Conc. Trident. Sextum eſt vxoricidium; per viricidium non incurritur hoc impedimentum. Septimum eſt raptus alienæ ſponſæ, ſiue ſit ſponſa de futuro, ſiue de præſenti: & ſic raptor alienæ ſponſæ non ſolùm non poteſt contrahere cum rapta, ſed neque cum alia. Octauum eſt ſuſceptio proprij filij, vel filij alterius coniugis in Baptiſmo, vel in Cōfirmatione, aut ſi illum baptizat malo animo vt contrahat cognationem cum altero coniuge, ne debitum reddat. Nonum eſt Presbytericidium, modò homicida fuerit de crimine conuictus in iudicio. Decimum eſt ſolemnis pœnitentia. Vndecimum eſt contractus coniugij cum Sanctimoniali ſcienter. 2.424.1

Exceptis tribus primis impedimentis impedientibus matrimonium, nempe voto caſtitatis, vel Religionis amplectendæ, aut matrimonij non ineundi: interdicto, & ſponſalibus, nullius culpæ ſont rei, qui affecti aliquo ex aliis impedimentis impedientibus, abſque diſpenſatione matrimonium ineunt. ibid.

Medicus.

Medici non admonentes ægrotum vt confiteatur, illúmque viſitantes, nondum facta poſt tertium diem confeſſione, incurrunt culpam periurij. 2.343.1

Medici non ſeruantes hoc decretum vbi non eſt receptum, non peccant contra hoc præſtitum iuramentum. ibid.

Medici ad hoc præceptum ſeruandum tenentur, dum ſperatur admonitionem profuturam, propterea ſi conſtet admonitionem non eſſe profuturam, Medici non tenentur admonere. ibid.

Si verò dubitatur an ſit profutura, obligat præceptum, & iuramentum. ibid.

Hæc monitio ſatis eſt, ſiue fiat per ipſummet Medicum, ſiue per alium. ibid.

Si æger admonitus confiteri nolit, attento Motu proprio Sanctiſſimi Pij V. iubetur Medicus deſerere infirmum: quod tamen decretum non adeò ſtrictè obligat, vt Medicus teneatur deſerere infirmum, dum eo derelicto, morbus fieret grauior, & infirmus graue pateretur damnum ſi deſereretur. ibid.

Hoc iuramentum & præceptum obligat Medicos ad ſui obſeruantiā in locis vbi eſt receptū, quando morbus eſt grauis, vel dum periculum eſt vt fiat grauis. ibid.

Medicus ſeruare tenetur iuramentum emiſſum admonendi infirmum vt confiteatur etiam cum proprio periculo vitæ, vel magni damni proprij temporalis, quando infirmus eſt in extrema neceſſitate, dum ſcilicet eſt in periculo finiendi vitā in peccato mortali, ſi adeſt ſpes probabilis fructus & emēdationis. ibid.

Alio verò homine faciente admonitionem infirmo in extrema neceſſitate conſtituto vt confiteatur, non tenetur Medicus cum periculo propriæ vitæ & magni damni temporalis iuramentum præſtitum obſeruare. ibid.

Vide *Iuramentum*, rubr. *Iuramentum Medicorum*.

Meritum, *vide* Gratia, *&* Charitas. Opera bona, *&* Eccleſiæ theſaurus, *&* Satisfactio.

Metus.

Non eſt committendum peccatum mortale, aut veniale propter quemcumque metum, etiam mortis, vnde ſi ſecūdùm ſe peccatū eſſet veniale communicare cum excommunicato, aut in temporalibus, aut in humanis, aut in diuinis propter quemcūque metum, etiam mortis, cum illis communicare non liceret. 1.315.2

Lex humana Eccleſiaſtica ex vi ſuæ poteſtatis, & auctoritatis ad aliquid agendum, aut vitandum ſub pœna peccati mortalis, & cum periculo mortis obligare poteſt. ibid.3

Lex Eccleſiaſtica per ſe non prohibet communicare cum excommunicatis in temporalibus, & humanis inſtante metu cadente in virum conſtantem, neque etiam in Diuinis cum periculo mortis. ibid.4

Si verò aliquis tyrannus metum mortis incuteret Sacerdoti, niſi coram excōmunicatis celebraret, idque in contemptum Eccleſiaſticarum legum, & odium Eccleſiæ, ad oſtendendum vanā eſſe eius poteſtatem, tunc Sacerdos celebrans per accidens, ſacrilegium committeret, non ratione præcepti Eccleſiaſtici prohibētis communicationem cum excommunicatis in Diuinis; ſed ratione præcepti diuini, quo tenemur confiteri fidem, non obſtante periculo mortis. ibid.

Metus grauis, ſeu cadens in conſtantem virum, purè, & ſimpliciter illatus excuſat ab incurrendis cenſuris. ibid.

Si metus grauis incutiatur in contemptum poteſtatis Eccleſiaſticæ, aut Religionis, ſeu fidei, tunc metus incuſſus, ſicut non excuſat à peccato, ita nec excuſat à cenſura. ibid.

Probabilius tamen eſſe videtur, quòd licèt is, qui per grauem metum compellitur in contemptum Eccleſiæ, Religionis, ſeu fidei committere, e. g. furtum prohibitum ab Eccleſia ſub pœna cenſuræ, peccet lethaliter, committendo furtum. ibid.

Similiter dicendum eſt de Chriſtianis remigantibus in Turcarum triremibus, quando Chriſti fideles aggrediuntur, etiamſi aſſeramus, cum probabili opinione Suarez, eos culpa lethali non liberari. ibid.

Quamuis excommunicato liceat, vt mortis periculum vitet, cōmunicare cum aliis, & etiamſi ſit Sacerdos, & aliàs nō ſit in peccato mortali Sacrū facere, etiam coram aliis excommunicatis inſtante eodem periculo vitæ: at minimè ei liceret ob id periculum, ſi denunciatus ſit, aut notorius Clerici percuſſor, audire alicuius confeſſionem, & ipſum abſoluere. 1.316.7

At verò Sacerdotem excommunicatum ſiue publicè, ſiue occultè communicare cum aliis, & Sacrum facere coram aliis excommunicatis, non eſt intrinſecè malum, ſed ſolùm malum. ibid.

Idcircò licitè tunc poſſet communicare cum aliis, & coram excommunicatis celebrare, vt vitet periculum vitæ abſque peccato, & abſque eo, quòd incurrat excommunicationem minorem. ibid.

Clericus deferens aliquod genus armorum prohibitum ſub pœna cenſuræ ipſo facto incurrendæ à ſuo Superiori, ſi metu mortis ad propriam vitam tuendam illud deferat, non delinquit lethaliter, nec afficitur cenſura lata. ibid. 9

Parochus excuſatur à peccato, & à cenſura incurrenda, ſi probabili mortis metu tempore Paſchatis non deferat ad Epiſcopum, vel tanquam interdictos non denunciet eos, qui tempore ab Eccleſia præſcripto Pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ ſacramentum non ſuſceperint, ſi contra non deferentes eſſet impoſita aliqua cenſura ipſo iure incurrenda. ibid.10

Hoc idem valet in his, qui non deferunt ſacro Inquiſitionis Officio, aut legitimo Superiori eos, quos ex edictis, vel monitoriis præcipitur ad Superiores ſub pœna excommunicationis deferre. ibid.

Hæreticos tamen cum periculo vitæ tenemur denunciare, præcipuè ſi non ſolùm ſibi ipſis, ſed etiam aliis ſuis hæreſibus noceant. ibid.

Metus eſt duplex, leuis, & grauis. Grauis eſt quo perturbatur homo fortis & conſtans, vt quando verè, probabiliter, & rationabiliter timetur graue malum à potente aliàs illud inferre, vt eſt periculum mortis,

tiæ,verbetum, dedecoris,ſeruitutis,amiſſionis booorum,& ſimilium malorum, dum probabiliter, & rationabiliter timentur. Metus verò leuis, eſt quo perturbatur homo meticuloſus, & inconſtans, timens leue malum,vel graue malum,ſed leuiter,variè,& irrationabiliter:vt quando quis homo iuuenis,& fortis à puero inermi,vel à ſene defeſſo, & ſenio confecto,mortem ſibi inferendum timeret. 2.249.7
Vide Vis.

Miraculum, vide Matrimonium,*rubr.* Impedimentum impotentiæ.

Miſſa.

Eius auditio.

Qui die Dominico, in quem accidit dies feſtus alicuius Sancti,vt D.Petri,vel Diui Martini,Sacrum non audit, ſatisfacit in confeſſione dicendo ſe ſemel Miſſæ Sacrum in die feſto culpabiliter prætermiſiſſe. nam huiuſmodi omiſſio eſt vnum numero peccatum, nec habet circunſtantiam mutantem ſpeciem, quamuis opponatur duplici præcepto Eccleſiæ. 2.68.44
Vide *Votum*, rubr. *Requiſita ad ſatisfaciendum præcepto Miſſæ.*

Monachatus.

Monachus,qui auctoritate Superioris in Monachorum numerum coaptatur,& recipitur,& ab hoc vna cum cæteris habet ius eligendi, & ſuffragium ferendi in communibus negotiis monaſterij, licet habeat ius petendi alimenta ex ipſo cœnobio, non tamen propriè,& ſimpliciter dici poteſt beneficiatius,quia non percipit ſructus ex bonis Deo dicatis,quos ſuo arbitratu expendat,cùm communiter conuiuat ſub obedientia. 1.151.4
In Gallia verò, & in Germania in nonnullis cœnobiis ſunt Monachi, qui habent ius exigendi fructus, & recipiendi, ſiue in prædio ſibi à Superiore aſſignato, ſiue ab adminiſtratore bonorum Monaſterij, quos deinde arbitrio ſuo expendant in vſus ſuos honeſtos, & religioſos, & hi *Beneficiarij* dici poſſunt: quia ius tale requiritur ad beneficium, & qui illud habent, *Beneficiarij* dicuntur. ibid.
Vide *Beneficium.*

Mutus, & ſurdus, vide Abſolutio.

N

Naufragium, vide Bellum.

Neceſſarium neceſſitate medij, & præcepti.

ILlud dicitur neceſſarium neceſſitate medij,quo prætermiſſo etiam inculpabiliter,& inuoluntariè ſalus non obtinetur. 2.34.13
Neceſſitate verò præcepti illud dicitur neceſſarium, quo culpabiliter prætermiſſo ſalus non obtinetur, ſed contritione culpabiliter prætermiſſa in quouis ſtatu, etiam in legę gratiæ, extra vſum ſacramenti non obtinetur. ibid.

Nouitiatus.

Nouitij qui nondum in Religione profeſſionem emiſerunt,non adſtringuntur præceptis, & ſtatutis Religionis,& eius Superiorum. 2.194.2
Nouitij gaudent priuilegio fori, ac proinde conueniri non poſſunt coram iudice ſeculari,neque alio Eccleſiaſtico. ibid.3
Nouitij non poſſunt excommunicari à Prælato Religionis. ibid.4
Poteſt tamen Prælatus ſi aliquam pœnam ratione delicti commiſſi Nouitio imponeret, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ eidem præcipere, vt pœnam illam ſubiret. 2.195.init.
Quando Pontifex conſtitutione, aut præcepto aliquo interdiceret aliquid ſub pœna excommunicationis, ſi Nouitius id præceptum violaret, poſſet Superior Religionis eos punire fulminando ſententiam illam à Pontifice comminatam tranſgreſſoribus. ibid.5
Secundùm ius commune poſſunt Nouitij eligere ſibi Confeſſarium,& ab eo abſolui à caſibus reſeruatis in Religione, ac poſſent ſi Nouitij non eſſent; itaque per illos Sacerdotes poſſunt abſolui à caſibus reſeruatis in Religione, per quos ſi in ſæculo permanerent, poſſent. ibid.6
Nouitij virtute Bullæ Cruciatæ, ſeu alterius Iubilæi, poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, & abſolui à caſibus reſeruatis ſuo Prælato. ibid.7
Nouitij in aliqua Religione approbata,ſi incidũt in caſus reſeruatos R.P.vel Epiſcopo loci, in quo degunt, poſſunt abſolui à Prælatis Religionis, cuius habitum ſuſceperunt, ſi talis Religio habeat priuilegia, quæ concedũt,vt Regulares poſſint abſolui à ſuis Prælatis ab omnibus reſeruatis à iure,& ab homine.ibid.8
Nouitij ſi ſubreptitiè elegerunt ſibi Confeſſarium præter nominatum ad confeſſiones Nouitiorum audiendas,non peccarent mortaliter. ibid.9
Religioſi iuuenes, alias Profeſſi, Ordinum Mendicantium,debent confiteri Confeſſario nominato à Prælatis ad confeſſiones iuuenum Profeſſorum excipiendas. ibid.10
Si tamen hi iuuenes Profeſſi confiterentur aliis Confeſſariis præter nominatos ad eorum confeſſiones excipiendas,expoſitis tamen in Ordine,quem profitentur, abſolutiones de materia peccati mortalis eſſent validæ. ibid.
Etiam Nouitij nondum Profeſſi in Religionibus Ordinum Mendicantium, ſi ſubreptitiè cuiuis Confeſſario tantùm pro Religioſis à Prælatis approbato de materia peccati mortalis confiteantur, validè abſoluuntur. 2.196.11
Nouitij peccata committentes in Ordine Superioribus reſeruata, validè non poſſunt abſolui à Confeſſario pro Religioſis tantùm in Ordine à Superioribus approbato. ibid.

Nuncius, vel Procurator, vide Iuramentum,*rubr.* Iuramentum factum per nuncium,vel Procuratorem.

O

Obliuio.

OBliuio, inaduertentia, & inconſideratia in hoc diſtinguitur ab ignorantia,quòd ignorantia importat habitum, obliuio verò, inaduertentia, & inconſiderantia importat actum; non tamen differunt quoad excuſandum à culpa. 1.306.2
Conſequenter ſi ieiunium, e.g.vigiliæ omnium SS. eſſet ab Eccleſia præceptum ſub pœna excommunicationis incurrendæ, ſi mentem alicuius fidelis ſtatuto illo tempore nulla ſubiit cogitatio, nec dubitatio, nec ſcrupulus de tali ieiunio ſeruando, ſi ille omiſit ieiunium, tunc nec peccauit mortaliter, nec pœna excommunicationis eſſet obſtrictus. ibid.4

Officij diuini omiſſio.

Omiſſor Officij diuini, ad quod ratione Ordinis ſacri, ac ſimul beneficij aſtringitur, non ſatisfacit dicendo in confeſſione, ſi vna die prætermiſit horas precarias,ſe ſemel Officium diuinum omiſiſſe;ſed tenetur fateri circunſtantiam duplicis obligationis, Ordinis ſcilicet,& beneficij. 2.68.44

Opera mortua, & mortificata.

In homine Chriſtiano aliquando reperiuntur aliqua opera mortua priuatiuè,aliqua mortua effectiuè, aliqua verò mortificata. Opera mortua priuatiuè, illa ſunt, quæ carent vita gratiæ, vt eleemoſyna, ieiunium,& alia pia opera facta à peccatore,quandiu caret

ret vita gratiæ, quæ vita animæ meritò nuncupari poteſt. Opera mortua effectiuè, ſeu mortiſera, illa dicuntur, quæ mortem inſerunt ſpiritualem, vel ad illam diſponunt, & hæc ſunt peccata mortalia, quæ animã ſpiritualiter enecant, vel etiam peccata venialia, quæ ad mortalia quodammodo diſponunt. Opera verò mortificata, ſunt bona opera præſtita à peccatore antequã in grauem culpam prolaberetur. 2.154.2

Opera mortua priuatiuè non reuiuiſcunt, nec fiunt meritoria vitæ æternæ per ſubſequentem pœnitentiam. ibid.3

Nec per potentiam Dei abſolutam opera mortua priuatiuè poſſunt ad vitam æternam reuiuiſcere. ibid.4

Neque obſtat contra præcedens aſſertum, quòd pœnitentia ſacramentalis adimpleta in peccato mortali recedente poſtea fictione ſortitur effectum ſuum, nempè ex opere operato remiſſionem pœnæ debitæ peccatis dimiſſis, & ſic quodãmodo viuificatur. ibid.

Pro bonis operibus in peccato mortali factis, licèt homo poſt conuerſionem accipiat à Deo aliquod præmium accidentale; tamen hoc propriè non eſt aliquod opus priuatiuè mortuum viuificari cum proprietate. ibid.5

Opera bona mortua priuatiuè non deſeruiunt, neque quoad meritum propriè, neque quoad ſatisfactionem. 2.155.6

Exiſtens in peccato mortali per opera bona mortalia, quæ agit, propriè non meretur ſibi bona temporalia. ibid.7

Opera tamen bona in mortali facta valent ad impedienda peccata, & conſequenter ad mitigandam inferni pœnam, non quidem minuendo eam, quæ peccatis aliis debetur, ſed impediendo maioris pœnæ reatum. ibid.

Bona opera iſta moralia peccatoris deſeruiunt etiam multoties ad adimplenda præcepta, atque adeò, vt homo non peccet mortaliter de nouo. ibid.

Conducunt etiam huiuſmodi bona opera priuatiuè mortua ad aſſuetudinem bonorum operum. ibid.

Opera bona mortificata per peccatum per ſubſequentem pœnitentiam reuiuiſcunt, & valent ad vitam æternam conſequendam. ibid.8

Ne dum per pœnitentiam omnia bona opera mortificata reuiuiſcunt, ſed etiam omnes virtutes infuſæ in quocumque ſtatu hominis neceſſariæ reſtituuntur. ibidem.

Opera meritoria.

Habitus gratiæ, & charitatis dupliciter conſiderati poſſunt, in eſſe gratiæ charitatis, & in eſſe habitus, & qualitatis, & iſtæ conſiderationes gratiæ ita ſe habent quòd in eadem gratia vna poteſt eſſe maior aliâ: vnde poteſt eſſe, quòd vna, & eadem gratia in eſſe habitus, & qualitatis in eſſe entis ſit intenſa vt quinque, e.g. & in eſſe gratiæ, & in eſſe acceptationis ad gloriam ſit vt decem. 2.164.2

Opera mortificata reuiuiſcere per pœnitentiam, nihil aliud eſt, quàm quòd ablato impedimento peccati, recuperent efficaciam perducendi ad vitam æternam hominem, qui ea producit. 2.165.3

Gratia, & charitas, quam homo habebat, & poſtea per culpam lethalem amiſit per ſubſequentem pœnitentiam, non reuiuiſcit in eſſe habitus, & qualitatis, ſed tantùm in eſſe gratiæ, & charitatis in eſſe moris, in eſſe meriti, & acceptationis ad gloriam. ibid.4

Opera mortificata non ſolùm reuiuiſcunt quantum ad præmium, quod de condigno meruerunt ipſi operantes, ſed etiam quantum ad præmium quod de congruo meruerunt aliis. ibid.

Præter gloriam, quæ correſpondet præſenti contritioni pœnitentis, debetur noua gloria eſſentialis ratione præcedentium meritorum, quæ per pœnitentiam reuiuiſcunt; & ſic opera meritoria per peccatum mortificata per pœnitentiam non ſolùm reuiuiſcunt ad præmium accidentale, id eſt, ad idem præmium diuerſis titulis debitum, ſed etiam ad diſtinctum præmium eſſentiale. ibid.5

Opera tamen meritoria mortificata non reuiuiſcunt quoad totum præmium eſſentiale. ibid.6

Licèt detur pœnitenti propter opera meritoria mortificata, quando per pœnitentiam reuiuiſcunt nouus gradus, & gloriæ, non tamen inde ſequitur quòd pœnitens ſemper reſurgat in maiori gratia, quàm habuerit ante peccatum. 2.166.7

Gradus gratiæ, qui datur propter præcedentia merita, non ſolùm eſt tantus, quantus datur nouus ratione præſentis contritionis; itaut ſi contritio ſit vt vnum, donatur vnus gradus nouus ratione ipſius, & alter propter merita præcedentia. ibid.8

Opera meritoria mortificata reuiuiſcunt per pœnitentiam iuxta quantitatem præſentis contritionis, ſiue diſpoſitionis, per quam pœnitens reſurgit. ibid.

Per actus ſubſequentes contritionis, & charitatis reuiuiſcunt magis, ac magis opera omnia meritoria mortificata, quouſque in integrum reſtituantur quoad omne meritum, quod antea habebant. ibid.9

Poſſunt opera meritoria mortificata per peccatũ reuiuiſcere per pœnitentiã, ſecundùm omnẽ gradũ meriti, & omne ius ad gloriam, quod habuerũt ante peccatum; itaque ſi Caius ante peccatũ mortale habuit merita vt quinquaginta, & poſtea per pœnitentiã reſurgit cum contritione vt quinque, dabitur ei gratia, & charitas vt 55. & in eodem gradu habebit ius ad gloriam, ita vt ſi ſtatim moreretur, conſeqoeretur gloriam intenſam vt quinquaginta quinque. ibid.10

Contingere poteſt, vt pœnitens reſurgat per pœnitentiam in maiori gratia in eſſe gratiæ, & in eſſe acceptationis ad gloriam eſſentialem, quam habuerit ante peccatum. ibid.11

Non ſolùm pœnitens in caſu præcedentis aſſertionis habebit poſt pœnitentiam maiorem gratiam in eſſe gratiæ, & in eſſe acceptationis ad gloriam eſſentialem, ſed etiam in eſſe habitus, & qualitatis. 2.167.init.

Opera bona.

Omne opus bonum factum ab exiſtente in gratia eſt meritorium, & ſatisfactorium. 2.224.12

Opus bonum hominis iuſti vt meritorium, quoad præmium eſſentiale gloriæ, & augmenti gratiæ de condigno non tranſit niſi in perſonam merentis. ibid.13

Opus verò bonum hominis exiſtentis in gratia, vt ſatisfactorium eſt, benè tranſit in aliam perſonam etiam de condigno. ibid.

Opera ſatisfactoria hominis iuſti aliquando ſortiuntur ſuum effectum, vt quando homo iuſtus egebat talibus operibus ad ſatisfaciendum pro pœna debita propriis peccatis, vel applicauit illa alteri, qui talibus operibus, & ſatisfactione indigebat; aliquando verò non ſunt ſortita ſuum effectum, quia ipſe Sanctus non egebat ſatisfactione, & illam non applicuit alteri, vel applicuit illi, qui non egebat, & tunc tale opus ſatisfactorium reponitur in theſauro Eccleſiæ. 2.225.14

Communio bonorum operum quoad vim, & meritum ſatisfactorium requirit ſpecialem intentionem, & applicationem eius, qui communicat tale bonum ſatisfactorium alteri, ita quòd niſi illi ſpecialiter applicetur talis ſatisfactio, vel ſit illi receptus ad participandum de ſatisfactionibus alicuius perſonæ, ſeu communitatis, non proderunt ei talia bona ſatisfactoria pro ſuis peccatis. ibid.15

Participatio ad merendum, ſeu potiùs per viam meriti

de bonis alterius, non ſemper requirit ſpecialem intentionem, vel applicationem. ibid.

Participatio ad merita non valet ad hoc vt ipſi participantes ex hoc immediatè ſine vllo bono opere, & diſpoſitione habeant gratiam gratum facientem, ſeu charitatem, ſeu augmentum gratiæ, & charitatis, ſed quia iuſti poſſunt mereri de congruo, & per bona opera impetrari, vt Deus peccatorem conuertat, auxilia illi præbendo, vt ſe ad iuſtificationem diſponat, vel ad augmentum maioris gratiæ. ibid. 16

Hoc ipſo, quòd aliquis ſit peculiari modo membrum, vel ſocius alicuius Religionis, vt fit per litteras, per quas ſecularibus benefactoribus applicantur à Prælatis Religionum ſuffragia ſubditorum, merita illius Religionis valent apud Deum, vt ratione illorum peculiari auxilio aliqua bona conferat perſonis ei coniunctis, etiamſi ad hunc finem talia bona meritoria actualiter, & directè non referantur. ibid. 17

Qui recipit alios ad participationem ſuorum bonorum operum, vt ſunt ſatisfactoria ſua opera, ei non ſunt minus vtilia quantum ad meritum. ibid. 18

Prælati Religionum poſſunt ſatisfactiones ſuorum ſubditorum ſuperabundantes aliis applicare: vt Generalis poteſt has ſatisfactiones ſubditorum totius Ordinis aliis applicare, Prouincialis totius ſuæ Prouinciæ, Prior localis ſubditorum ſui Conuentus, vbi præeſt. 2.126.20

Regulariter tamen loquendo, Prælatus Religionis non poteſt aliis applicare opera bona ſatisfactoria, quæ quis eius ſubditus facit pro ſatisfactione neceſſaria ſuorum peccatorum. ibid.

Rationabiliter videtur quòd in caſu particulari, præſertim in aliqua graui neceſſitate, Prælatus poteſt applicare aliis tale bonum ſatisfactorium quo ipſe ſubditus eget. ibid.

Si ſubditus ſua bona opera ſatisfactoria applicet vni quoad vim ſatisfactoriam, & Prælatus alteri, proſunt illi, cui ſubditus applicat primò. ibid. 21

Licèt ſubditus nulli applicaret ſuum opus ſatisfactorium ſibi ſuperabundans ex inaduertentia, vel culpabili negligentia: tunc ſola intentio Superioris non ſufficeret ad applicandum illud. ibid. 22

Si Prælatus præcipiat ſubdito ſatisfacere pro aliquo inſigni benefactore, ſi ſubditus non vult pro illo ſatisfacere, quamuis male faciat: tamen reuera non ſatisfacit pro illo, etiamſi opus ex ſe ſatisfactorium faciat. 2.227.23

Conſequenter ſi iubet ſubdito Sacerdoti Superior, vel Epiſcopus, vel ſummus Pontifex, vt ſacrificium offerat pro tali defuncto, ſi ſubditus pro ſe, vel pro alio offerat, valebit ſacrificium pro illo, pro quo offert ipſe Miniſter Sacerdos, & non pro eo, cui Prælatus applicat: peccaret tamen ſubditus contra præceptum Prælati. ibid. 24

Qui ſuas ſuperabundantes ſatisfactiones in theſauro Eccleſiæ repoſuit, non poteſt poſtea eas ſibi applicare poſtquam indiguerit. ibid. 25

Merita, & opera ſatisfactoria iuſtorũ, quæ ſemel in theſauro Eccleſiæ ſunt recondita, deperdi non poſſunt, ſed ibi ſemper permanent, quamuis ille, qui fecit ea, ruat poſtea in peccatum mortale, & cum eo ex hac vita diſcedat; ex quo infertur etiam opera ſatisfactoria eorum, qui ſunt in inferno, in theſauro Eccleſiæ conſeruari, dummodo illa in gratia ſint facta. ibid. 26

In operibus bonis iuſtorum quidam effectus reperiuntur omninò proprij, & quaſi immanentes, qui non poſſunt aliis communicari, & huiuſmodi ſunt mereri ſibi præmiũ eſſentiale, vel augmẽtum gratiæ de condigno. Alij verò ſunt effectus talium bonorum operum, qui poſſunt in alios trãſire, huiuſmodi ſunt impetratio alicuius beneficij, vel auxilij diuini per vim impetrandi, & meriti de congruo, vel ſatisfaciendi pro pœna temporali alterius. Merita igitur, & opera ſatisfactoria recondita in theſauro Eccleſiæ, quamuis ille, qui fecit ea, ruat poſtea in peccatum mortale, & cum eo ex hac vita diſcedat, licèt non remaneant in acceptatione diuina quoad effectus proprios, puta quoad vim merendi præmiũ eſſentiale; remanent tamen quoad effectus qui in alios poſſunt tranſire, ſecundùm vim impetrãdi, & meriti de cõgruo. ibid. 27

Opinio, & Error.

Si ſint diuerſæ opiniones, an aliquis ſit legitimus Miniſter confeſſionis, vel licentia illi conceſſa ſit legitima, vel priuilegium virtute cuius abſoluit ſit reuocatum, vel extendatur ad illum caſum à quo debet abſoluere; & opinio affirmans non eſſe legitimum Miniſtrum, aut licentiam non eſſe ſufficientem, aut priuilegium eſſe reuocatum, vel minimè extendi ad illum caſum, ſit coram Deo vera, dum tamen veritas illa lateat, & probabili ſapientum opinione reputetur probabilis opinio oppoſita, confeſſiones auditæ à tali Miniſtro virtute talis licentiæ, aut priuilegij ſunt validæ & licitæ. 1.12.2

Valet abſolutio ſacramentalis habita à Confeſſariis à legitimo Superiore ſemel approbatis, licèt occultè ob aliquod delictum occultum, vel ob occultam Superioris reuocationem, vel inhibitionem ſint illa facultate audiendi Confeſſores priuati. 1.13.4

Sacerdos ad annum approbatus ab Ordinario loci ad audiendas confeſſiones, licèt elapſo anno ſit approbatus, & idoneus, tamen ſi communi errore vulgi cenſeretur adhuc approbatus, valeret abſolutio ſacramentalis ab eo habita. ibid.

Valida eſt abſolutio data ab eo Sacerdote, cui Epiſcopus verbis tantummodo, ſed abſque intentione, & cum fictione conceſſit facultatem abſoluendi. ibid.

Si non Sacerdos ſacramentaliter abſoluat, quamuis communiter exiſtimetur Sacerdos, & verus Parochus, abſolutio eſt irrita, & contraria opinio eſt prorſus à veritate aliena. 1.14.2

Abſolutio ſacramentalis impenſa per fœminam errore communi ad ſummum Pontificatum prouectam, cùm fœmina iure diuino ſit incapax, Pontificatus non valet. ibid. 3

Si quis tamen iure diuino capax Pontificatus, quia ſcilicet eſt vir baptizatus, inualidè ad Pontificatus apicem eueheretur, ratione vitij occulti interuenientis in electione, puta ſimoniæ, ob quod vitium nulla eſſet electio, dum communis error eſt, quòd hic verus Pontifex exiſtimatus validè abſolueret ſacramentaliter, & omnia geſta per illum valerent, Eccleſia tunc conferret illi iuriſdictionẽ. ibid. 4

Sacerdos qui in officium Parochi, aut Confeſſoris ſe intruſit ſine titulo, & authoritate legitimi Superioris, licèt communis error facti accedat, inualidè abſoluit confitentem peccata mortalia, ita vt abſolutio ſit prorſus irrita & nulla. 1.15.2

Si tamen Prælatus ſit videns, & tacens alienum Sacerdotem in propria Eccleſia audire confeſſiones, etiamſi non conſentiat, nec ei expreſſis verbis dediſſet licentiam audiendi confeſſiones, validè tamen talis Sacerdos abſolueret. ibid.

Non tamen eſſet valida abſolutio collata ab eo, qui verè eſt Sacerdos habens facultatem audiendi confeſſiones à legitimo Superiore, ſi vſu rationis careat: quamuis cõmuni errore credatur ſanæ mentis. ibid. 3

Nulla eſt abſolutio collata à ſimplici Sacerdote loco Parochi ſubſtituto à Concilio Oppidano laicorum, licèt communi omnium errore verus Parochus eſſet exiſtimatus. ibid. 4

Archiepiſcopus licèt dum viſitat in Epiſcopatibus ſibi ſuffraganeis, poſſit abſoluere pœnitentes, & audire confeſſiones ſubditorum ſuffraganeorum, abſoluendo etiam illos à caſibus reſeruatis ſuo ſuffraganeo, extra tamen tempus viſitationis non habet hanc facultatem, cùm non ſit ordinarius Superior ſubditis ſuffraganeorum. ibid.5

Nihilominus abſolutio ſic facta teneret, licèt talis ſubditus eſſet excommunicatus, toleratus tamen ſi Epiſcopus tali Sacerdoti Religioſo facultatem conceſſit ſimpliciter audiendi confeſſiones, non dependenter ab Ordine, & Prælatis illius Religionis. ibid.

Si verò Epiſcopus conferat tali Religioſo facultatem audiendi confeſſiones ſecundùm diſpoſitionem proprij Ordinis, dicens quòd tantum valet facultas conceſſa, ſicut in Ordine tuæ Religionis eſt diſpoſitum, tunc neque validè, neque licitè abſoloit talis Religioſus, ſi in Ordine prohibetur ne Religioſi audiant confeſſiones niſi à deputatis in Religione fuerint approbati. 5.16.5

Confeſſarius quicunque abſoluere poteſt pœnitentem ſequentem opinionem probabilem, relicta ſua opinione probabiliori, ſiue opinio, quam ſequitur pœnitens, ſit in materia iuſtitiæ, ſiue non. 1.23.2

Quicunque alius conſultus extra confeſſionem licitè poteſt probabilem opinionem in omni materia amplecti, ac etiam aliis conſulere, relicta probabiliori. ibid.3

Si Confeſſarius proprius, vel non proprius, falſam eſſe opinionem pœnitentis exiſtimaret, ſi aliàs probabilis reputetur inter DD. probatæ authoritatis, poteſt licitè talem pœnitentem abſoluere. 1.24.5

Si pœnitens ſit indoctus, nec inſtructus de probabilitate opinionis, quam ſequitur, poteſt Confeſſarius informare illum de opinionis probabilitate, & ſic eum abſoluere. ibid.

Vide *Error*.

Oratio.

Licèt Eccleſia non conſueuerit publicè precari ſingulos iuſtorum hominum ſpiritus, qui ſunt Regna cœleſtia, & beatitudinem conſequuti, quales ſunt paruuli, qui ſacro Baptiſmate abluti ſtatim ex hac vita migrarunt, ſed tantùm eos, qui ſunt in Sanctorum numero adſcripti; priuatim tamen licebit eos orare, eorùmque auxilium, & patrocinium petere, & ſic licitum eſt priuatim porrigere preces defuncto, quem virum bonum credebamus, & nunc tenemus eſſe cum Chriſto, licèt non ſit canonizatus. 1.358.init.

Qui communicat orationes ſuas alteri, quatenus orationes ſunt, quoad vim impetratoriam nullum patitur diſpendium ſpirituale aliis illas applicando. 2.226.19

Fatemur tamen orationem quoad vim merendi, & ſatisfaciendi, finitum effectum habere, & eo minus ſatisfacere, quo ſe ad plures fundit. ibid.

Quoad vim impetratoriam oratio ſecundùm ſe eſt infinita, & conſequenter poteſt pluribus æquè prodeſſe, ac vni. ibid.

Vide *Concilium*.

Oratio Dominica, vide Sacramentale.

Oratio in Eccleſia conſecrata, vide Sacramentale.

Oſcula, vide Amplexus.

Ordinis ſacramentum.

Ad recipiendum ſacramentum Ordinis ab ordinario Epiſcopo alienius diœceſis non ſufficit habere quaſi domicilium, id eſt, habere animum in illa diœceſi habitandi maiori anni parte, ſed requiritur ſimpliciter domicilium, id eſt, animus perpetuò ibi inhabitandi, quod eſt ſpeciale in hoc Sacramento. 5.27.5

Vide *Matrimonium*, rubr. *Impedimentum Ordinis*.

Inuocatio expreſſa ſanctiſſimæ Trinitatis non eſt de eſſentia ſacramenti Ordinis; forma autem ſacramenti Ordinis ſunt verba, quæ ab Epiſcopo proferuntur imperatiuo modo cum expreſſione poteſtatis, quæ confertur. 2.14.7

In Ordine presbyteratus formalia ſunt hæc verba: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia pro viuis, & mortuis.* ibid.

P

Pactum.

PActum eſt duorum pluriúmve in idem placitum, ſeu conſenſus ad aliquid faciendum, vel dandum. 5.105.2

Papa, ſeu Pontifex Rom.

Summus Pontifex non eſt dominus beneficiorum, & aliorum immobilium bonorum, quæ habent Eccleſiæ. 1.153.2

Nec etiam Pontifex eſt dominus rerum temporalium Eccleſiæ, vt poſſit ad libitum de illis diſponere. 1.154.init.

Eſt tamen ſummus Pontifex vniuerſalis diſpenſator beneficiorum, & bonorum temporalium Eccleſiæ. ibid.3

Si ſit neceſſarium, vel valdè expediens ad commune bonum Eccleſiæ, poteſt ſummus Pontifex bona Eccleſiaſtica ad alios vſus, & etiam ad alias diœceſes transferre, & ſic videmus interdum illa Principibus ſæcularibus concedi ad Eccleſiæ vtilitatem: abſque tamen iuſta cauſa id facere non poteſt. ibid.

Licèt ſummus Pontifex non habeat dominium abſolutum temporalium tum Eccleſiæ, tum totius orbis: habet tamen ſupremam poteſtatē ſuper omnia temporalia totius orbis inſtrumentaliter, & indirectè, ſcilicet ad finem ſupernaturalem, puta ad defendendam, & conſeruandam poteſtatem ſpiritualem, & fidem Catholicam mendam, quæ poteſtas dicitur dominium temporale, & indirectum. 1.154.5

Si diſtinguamus poteſtatem Concilij generalis legitimè congregati, & poteſtatem ſummi Pontificis tanquam duas partes, per ſe & ſimpliciter loquendo, maior eſt ſummi Pontificis poteſtas, quàm poteſtas Concilij generalis, & conſequenter Concilium generale non eſt ſupra Papam. 1.353.4

Nemini poteſt ſummus Pontifex, neque Concilio generali legitimè congregato, neque ſuis Legatis aſſiſtentibus in Concilio poteſtatem ad definiendum infallibiliter res fidei concedere, ſeu delegare. 1.355.4

Vide *Concilium*.

Papatus.

Licèt Papatus ſit beneficium duplex, maximam ſcilicet adminiſtrationem habens cum iuriſdictione ampliſſima, tamen ſi Papa ad Papatum per ſimoniam peruenisset, non teneretur reſignare, modò à duabus partibus Cardinalium concorditer fuerit electus. 1.149.7

Pontifex pecuniâ, & ſimoniacè electus, etiamſi ex parte rei ſecundùm opinionem aliquorum DD. non eſſet legitimè electus Pontifex, ſed putatiuus ob canones ſuprà citatos, tamen hoc ipſo quo recipitur, & eligitur à duabus partibus Cardinalium, eſſet habendus ab Eccleſia pro vero Pontifice, & talis

in ſuis definitionibus haberet infallibilem veritatem. ibid.
Vide *Beneficium*.

Parochus excommunicatus occultus, vel habens aliud impedimentum occultum.

Subditus, qui ſcienter petit ſacramentaliter abſolui à ſuo Parocho occoltè excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto, extra articulum neceſſitatis peccat lethaliter, & conſequenter inualida eſt abſolutio. 1.16.2
Non licet à Miniſtro parato occulta excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto, vel peccato mortali irretito ſacramentalem abſolutionem recipere, dummodo æquali facilitate, & commoditate poſſim alium eligere, & ei confiteri. 1.17.med.
Exiſtente aliqua iuſta vtilitate, vel neceſſitate confitendi peccata ſua, licèt non ſit extrema, ſed ſit ſolùm, v. g. vtilitas, & neceſſitas, non differendi nimium vſum ſacramenti Confeſſionis: tunc licebit petere ſacramentum Confeſſionis à Miniſtro, qui vel ex officio tenetur, vel paratus eſt, etiamſi in peccato ſit miniſtraturus, ſi non eſt alius, qui ſine peccato miniſtret. ibid.3
A malo Miniſtro, tolerato quidem, licèt non parato, ſi non ſit alius, qui ſine peccato miniſtret ſacramentum Confeſſionis, licebit illud petere ſi inſtet grauis aliqua cauſa. ibid.

Paruuli decedentes cum peccato originali, vide Pœna.

Paſſio inclinans ad malum.

Paſſiones ad malum inclinantes non totaliter tolluntur, neque per virtutem acquiſitam, neque per virtutem infuſam, niſi fortè miraculosè. 2.139.16
Impugnatio tamen paſſionum minus quodammodo ſentitur ab habente virtutem acquiſitam, quàm ab habente ſolùm infuſam. cùm per frequentes actus, quibus homo eſt aſſuetus in operibus virtutum acquirendo virtutem, iam diſſueuit talibus paſſionibus obedire, & conſueuit eis reſiſtere: ſique homo non habet per ſolam virtutem infuſam. ibid.17
Quamuis à principio virtus infuſa non ita ſemper tollat ſenſum paſſionum, ſicut virtus acquiſita, & propter hoc à principio per virtutem infuſam non ita delectabiliter operemur, non tamen hoc eſt contra rationem virtutis. ibid.

Patrinus, vide Baptiſmus, *rubr.* Suſceptor baptizati.

Peccatum.

Quando peccatum eſt occultum, aut peccator ſe correxit, aut ſola priuata correctione probabiliter creditur ſeipſum emendaturum, tunc non eſt parendum edictis Superiorum ante fraternam correctionem, etiamſi ſub pœna excommunicationis præciperent, vt fieret denunciatio non præmiſſa correctione fraterna. 1.51.5
Si quis peccatum reuelandum nullo modo probare poteſt, non tenetur reuelare iuridicè, etiamſi ſub pœna excommunicationis præcipiatur ei. 1.52.6
Peccatorum quoddam eſt originale, quoddam mortale, quoddam veniale. Peccatum originale eſt priuatio Iuſtitiæ originalis debitæ ineſſe ſingulis ex pacto facto à Deo cum Adamo. Peccatum mortale id eſt, quod eſt contra legem, dignum æternâ pœnâ. Veniale verò illud dicitur, quod propriè non eſt contra, ſed præter legem dignum temporali pœna. 2.8.3
Peccatum originale, aut etiam actuale propriâ voluntate commiſſum ante Baptiſmû nequit eſſe materia remota neceſſaria, vel ſufficiês iſtius Sacramenti. ibid.4
Materia remota propriè, principaliter, & neceſſaria ſunt peccata mortalia pœnitentis. ibid.5
Peccata venialia ſunt propriè materia remota ſacramenti Pœnitentiæ. ibid.6
Peccatum dubium non eſt per ſe ſufficiens materia ſacramenti Pœnitentiæ: quando ſcilicet pœnitens dubius eſt de facto, id eſt, quando dubitat ſe admiſiſſe tale peccatum. 2.9.7
Si pœnitens ſciat ſe commiſiſſe tale peccatum, dubitat tamen de grauitate illius, an videlicet peccatum ſit mortale, non tenetur aliam materiam exhibere, modò non habeat conſcientiam alterius peccati mortalis. ibid.8
Peccata actualia ſemel dimiſſa, ſiue ſint mortalia, ſiue venialia, poſſunt eſſe materia ſufficiens nouæ confeſſionis. ibid.
Peccatum eſt duplex, vnum dicitur actuale, alterum habituale. Peccatum actuale eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam; habituale verò eſt quædam macula, quam poſt ſe reliquit peccatum actuale. 2.45.3
In anima hominis duplex nitor, & pulchritudo reperitur. Vna quidem ex refulgentia luminis rationis naturalis, per quam homo in ſuis actionibus dirigitur. Alia ex refulgentia diuini luminis, ſcilicet gratiæ, per quam homo perficitur ad bene agendum. Per peccatum autem homo priuatur nitore recti ordinis rationis, & pulchritudine gratiæ. ibid.4
Hæc macula, quæ tranſacto actu peccati remanet in anima, non eſt aliquid poſitiuè in anima, non tamen eſt ſola, & pura priuatio; ſed priuatio nitoris animæ in ordine ad cauſam, id eſt, peccatum, à quo cauſatur, & ideo diuerſa peccata diuerſas maculas inducunt. ibid.
Licèt poſſit Deus abſoluta ſua potentia remittere peccatum ſine omni pœnitentia, & ſine infuſione gratiæ diuiſiuè, non tamen complexiuè, id eſt, poteſt Deus remittere peccatum infundendo gratiam ſine omni actu pœnitentiæ, & poteſt remittere peccatum per actum pœnitentiæ, etiamſi non infundat gratiam, non tamen poteſt remittere ſine omnibus iſtis. 2.46.med.
Qui committit aliquod peccatum in die feſto, non tenetur hanc circumſtantiam exprimere. 2.69.51
Neque in die feſto tenetur ad actum dilectionis Dei, neque ad actum contritionis. 2.70.init.
Vide *Excommunicatio*, & *Ingratitudo*.

Peccandi occaſio proxima.

Morale proximum periculum, ſeu moralis proxima occaſio peccandi tunc contingit, quando ex ſuo genere occaſio talis eſt, vt frequenter homines ſimilis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel experimento conſtet in hoc homine talem effectum habere. 2.84.2
Pœnitens, qui animo non deſerendi occaſionem voluntariam proximam peccandi, acceſſit ad ſacramentum Pœnitentiæ, & in hoc animo perſeuerans, etiamſi omnia alia ſua peccata confiteatur, confeſſionem irritam fecit, & poſtea eam reiterare tenetur. 2.85.3
Non dicitur occaſio proxima peccandi illa, quæ etiam fortè aliàs ſæpiùs induxerit ad tale peccatum, ſi ea cautio adhibeatur, aut res ita mutatæ ſint, vt modò non ſoleat inducere ad peccatum. ibid.
Occaſio proxima peccandi aliquando eſt voluntaria, aliquando verò non eſt voluntaria, moraliter loquendo: non eſt voluntaria, quando non poteſt dimitti ſine graui infamia, vel ſcandalo, vel alio graui incommodo, poteſt enim tantum

incommodum,& tanta difficultas adeſſe in occaſione dimittenda vt efficiat occaſionem non voluntariam. Eſt autem voluntaria occaſio proxima peccandi, quando abſque graui infamia, ſcandalo, vel alio graui iocommodo dimitti poteſt. ibid.5

Pœnitens, regulariter loquendo, non eſt abſoluendus quandiu perſiſtit in proxima occaſione peccandi, & illam dimittere non vult. ibid.6

Qui domi retinet concubinam, ſeu ancillam cum qua frequenter peccare ſolet, non eſt abſoluendus, niſi concubinam, vel ancillam illam dimittat. ibid.7

Qui cum ancilla, ſeu alia tertia perſona rarò, vt ter, vel quater in anno, peccauit repentina libidine correptus, & in confeſſione proponit, & ſperat fore, vt non ampliùs relabatur, abſolui poteſt. ibid.

Si à populo aliquis credatur concubinarius, etiamſi re vera non ſit, niſi eiiciat fœminam, quæ creditur concubina, non eſt abſoluendus. ibid.8

Fieri poteſt, vt Confeſſarios aliquando poſſit abſoluere concubinarium, vt quando non poteſt dimitti concubina ſine graui infamia, vel ſcandalo, vel alio graui incommodo. ibid.9

Filiusfamilias, qui de domo patris non expellit concubinam, vel aliam, cùm qua peccare ſolet, poteſt abſolui, modò habeat firmum propoſitum non peccandi ampliùs in futurum, & non ampliùs ſolum cùm ſola verſandi. ibid.

Confeſſarius non cogitur adoleſcenti denegare abſolutionem, qui ſæpiùs in mollitiem incidit ex carnis fragilitate. 2.86.10

Deneganda tamen eſt abſolutio pœnitenti, quando poteſt occaſionem mollitiei expellere, eámque non expellit ſi frequenter illa occaſione poſita, hoc turpe ſcelus admittit. ibid.

Probabile eſt non eſſe denegandam abſolutionem adoleſcentibus, qui verſantur inter mulieres emendo, vendendo, familiaritérque tractando, cum quibus ſæpè peccant voluntate, verbis, aut tactibus impudicis, & aliquando etiam copula, licèt non ſtatuant abſtinere ſe perpetuò ab occaſione peccandi, quam illa familiaritas ipſis præbet, ſi ſubeſt aliqua iuſta, & rationabilis cauſa non abſtinendi ab ea. ibid.

Artifex ſi omni coofeſſione accuſat ſe de fraudibus, & mendaciis in arte, quam exercet, ſi illa ex ſe, & ſui natura eſt licita, ſi eam non poteſt abſque notabili incommodo ſui, vel familiæ deſerere, poteſt abſolui, modò ipſum pœniteat de peccatis præteritis, cum firmo propoſito non committendi ampliùs, Dei ſuffultus gratiâ, huiuſmodi peccata. ibid.

Si homo primò deueniens ad vſum rationis appetit in illo primo actu poſitiuo vſus rationis bonum apparens, peccat mortaliter. 2.136.5

Peccatorum remiſſio, & iuſtificatio.

Confeſſio ſacramentalis, ſeu Pœnitentiæ ſacramentum ſufficiens eſt ad delenda peccata mortalia, licèt grauia, & multa, toties quoties homo peccauerit, & legitimè ad confeſſionem ſacramentalem acceſſerit, & pœnitentiam ſuſceperit. 2.115.2

Homo ſemper poteſt à peccatis reſurgere, séque ad Deum conuertere, etiamſi ſæpiùs, & ſæpiſſimè peccauerit. 2.116.3

Non ſolùm veram pœnitentiam eſſe ſufficientem ad omnia peccata tollenda, ſed etiam in hac vita ſemper eſſe hominibus paratam ſufficientem gratiam ad talem pœnitentiam agendam, nullámque eſſe admittendam exceptionem vel in culpis, vel in perſonis, quantumuis peccauerint. ibid.

Cùm dicitur omnes habere gratiam, & auxilium ſufficiens, vt omni tempore cõuerti, & piè agere poſſint, non de omni omninò tempore ſermo eſt. ibid.4

Quando aſſerimus omnes habere auxilium ſufficiens ſpeciale ſupernaturale, vt omni tempore conuerti, & piè agere, ac vitare peccatum poſſint, intelligendum eſt de omni tempore, quo de ea re cogitare in mentem veniat, aut liberè venire poſſet: neque verò id ita vt oporteat, quouis tali tempore actu excitari, aut ſtimulari diuinitus ad id faciendum, ſed quia Deus ita opportunè ad id excitat, ſtimulat, & ſufficienter adiuuat, vt nullum ſit tale tempus, quo non queat homo adiuuante Deo id facere beneficio excitationis præſentis, aut paulo antè habitæ. ibid.

Directè reſpondens quæſito remiſſo peccato mortali, quoad culpam per ſacramentalem confeſſionem, neceſſe eſt de potentia Dei ordinaria remitti etiam reatum pœnæ æternæ. ibid.5

Remiſſa culpa ſæpiſſimè reſtat adhuc aliqua pœna temporalis perſoluenda. ibid.6

Ex parte auerſionis peccato mortali debetur reatus pœnæ æternæ. ibid.7

Pœna æterna quæ debebatur impio ob culpam lethalem, dicitur à DD. commutari in temporalem dum iuſtificatur. 2.117.init.

Reatus pœnæ temporalis, qui dimiſſo peccato remanet, non ſemper eſt æqualis in omnibus per pœnitentiam iuſtificatis. ibid.

Etiam Sacerdos Miniſter ſacramenti Pœnitentiæ inſtrumentaliter vi clauium, & abſolutionis ſacramentalis non ſolùm remittit peccatum quoad culpam, & pœnam æternam, ſed etiam aliquam pœnam temporalem dimittit, id eſt, aliqoid de illa pœna, quæ in Purgatorio debetur, remittit. ibid.8

Licèt quid minus ſit remittere pœnã temporalem, quàm remittere culpam, & pœnam æternam commutare in temporàlem, culpa tamen, & pœna æterna ſemper remittitur ſi ſacramentum ſit validum, & formatum: pœna verò temporalis non ſemper tota, ſed ſæpiſſimè aliqua remanet poſt abſolutionem ſacramentalem. ibid.

Quamuis per contritionem perfectiſſimam aliquando tota pœna temporalis dimittatur, tamen per excellentiſſimam attritionem ſimul cum ſacramento Pœnitentiæ ſatis probabile eſt, nonquam remitti totam pœnam temporalem, ſed partem illius, ſeruata proportione. ibid.9

Licèt per ſacramentum Pœnitentiæ non remittatur ſemper omnis pœna temporalis, per Baptiſmum tamen ſemper remittitur. ibid.10

De potentia Dei ordinata impoſſibile eſt per pœnitentiam vnum peccatum mortale remitti ſine alio mortali. ibid.11

Etiam de potentia Dei abſoluta loquendo, non poteſt vnum peccatum mortale remitti ſine alio. ibid.

Peccatum mortale, ſeu macula culpæ lethalis eſt priuatio gratiæ, ſeu priuatio nitoris animæ, quæ habetur ex gratia. 2.118.12

Licèt gratia, & peccatum in homine ſecundùm ſe conſiderato, non ſint oppoſita immediatè: tamen reſpectu hominis ordinati ad vitam æternam per donum gratiæ, peccatum, & gratia opponuntur immediatè. ibid.13

Si probabilis eſt ſententia Magiſtri Nugni, peccatũ ſcilicet eſſe quandam maculam poſitiuam exiſtentem in anima: probabiliter etiam dici poteſt ſecundùm placitum huius Doctoris quòd per abſolutam potentiam Dei poſſit vnum peccatum ſine alio remitti. ibid.14

De potentia Dei ordinaria, vt ſuprà diximus, remiſſo peccato mortali per pœnitentiã, neceſſariò remittitur

etiam reatus pœnæ æternæ. Cætetùm Deus per potentiam abſolniam poteſt temittere culpam non temittendo pœnam æternam, prout pœna æterna dicit ſolam pıiuationem gluriæ, & paſſionem pœnarum ſenſus. ibid.15

Si pœna æterna cooſideretur, prout de facto iam exiſtit in damnatis, qua rationa iocludit inimicitiam cum Deo vermem conſcientiæ, & talem ſtatum, in quo & voluntas ſit obſtinata in malo, & iotellectus apprehendat Deum, vt ioimicum, & perpetuo illum odio habeat, Deus non poteſt eam infligere ſublata culpa. ibid.

Certum eſt ſecundùm fidem, itaot oppoſitum ſit erroneum, quòd ſacramentum Baptiſmi remitit omnia peccata venialia, & mortalia, quantum ad culpam, & quantum ad totam pœnam, dummodo homo non habeat talium peccatorum complacentiam. 1.119.2

Si recipiens Baptiſmum habeat complacentiam alicuius, vel aliquorum peccatorum venialium, non recipit remiſſionem illorum, neque quoad culpam, neque quoad pœnam. ibid.

Sacramentum Pœnitentiæ, & omnia alia ſacramenta nouæ legis, habent virtutem ad remittenda aliqua peccata venialia ex opere operato. ibid.3

Præter ſacramentum Baptiſmi, nullum ſacramentum remitit infallibiliter omnia peccata venialia, ſed plura, vel pauciora, ſecundùm ſuam perfectionem, & ſecundùm ſuam diſpoſitionem, qua quis accedit ad tale ſacramentum, & iſto modo ſe habet pœnitentia reſpectu peccatorum venialium, quæ homo non confitetur. 2.120.init.

Probabile eſt etiam aſſerere, omne ſacramentum nouæ legis ex opere operato, ſi dignè ſuſcipiatur, remittere attrito attritione ſupernaturali omnia venialia quoad culpam; niſi obicem inuenerit, complacentiam ſcilicet actoalem, vel virtualem eorumdem. ibid.

Certiſſimum tamen eſt quòd per nullum ſacramentum remittuntur venialia, quæ quis committit in ſuſceptione ſacramenti, aut quorum quis habet actualem complacentiam. ibid.4

Contingere poteſt quòd quis accedat ad ſacramentum cum deſiderio recipiendi illud, & illius effectum, & ſine aliqua actuali complacentia peccatorum venialium, & oihilumious, quòd habeat virtoalem complacentiam ad aliquod veniale, puta ad mendacium iocoſum, & tunc certum eſt, quòd non remittitur tale peccatum veniale. argo noo ſufficit, vt pœnitens non habeat complacentiam actualem ad peccata venialia in ſuſceptione ſacramenti, vt remittantur ei; ſed requiritur etiam quòd non habeat virtualem eorum complacentiam. ibid.

Si homo omittit confiteri peccata venialia ex obliuione, ſolùm confeſſis lethalibus culpis, per ſacramentalem abſolutionem directè remittuntur culpæ lethales actualiter cooſeſſæ, & omnia mortalia inuincibiliter oblita, conſeqoenter, & indirectè: non tamen omnia venialia oblita, ſed aliqua. ibid.5

Si pœnitens in ſacramento Pœnitentiæ ex intentione, & de induſtria omittit confiteri peccata venialia, videtur quòd peccata illa venialia, ex intentione omiſſa non remittantur. ibid.6

Licèt ad infuſionem gratiæ non ſit oeceſſaria remiſſio peccatorum venialium; quia gratia & peccatum veoiale perfectè, & immediatè non opponuntur: tamen eſt maximè conueniens, quòd io illius infuſione iuxta maiorem, vel minorem diſpoſitionem ſubiecti plura, vel pauciora de oblitis non confeſſis remittantur. 2.121.7

In remiſſione peccatorum venialiom ſemper eſt neceſſarius alicuius bonus affectus ipſius pœnitentis, qui ſit pœnitentia formalis, vel virtualis, tamen in ſuſceptione ſacramenti vel omnia, vel aliqua peccata venialia ex opere operato remittuntor. ibid.8

Apud omnes certiſſimum eſt ſacramentum Pœnitentiæ, & alia ſacrameota, præter ſacramentom Baptiſmi, non ſemper remittere totam pœnam debitam venialibus. ibid.9

Peccatorum venialium remiſſio per Sacramentalia.

Sacramentale, prout in præſenti ſumitur, poteſt ſic diffiniri: Sacramentale eſt res ſacra, vel actio ſacra, cui effectus remittendi peccata venialia tribui ſolet. Seu, eſt res ſacra, vel actio ſacra, qua obtinetur remiſſio peccatorum venialium: quæ ab Eccleſiaſticæ poteſtate clauium, id eſt, ab auctoritate remitteodi peccata, quam Eccleſia babet, eſt ad id inſtitutum. 2.121.2

Sacramentalia, quæ communiter à DD. enumerantur, ſunt hæc, Aqua benedicta, Confeſſio generalis, Oratio in Eccleſia conſecrata, Tonſio pectoris, Eleemoſyna, Vnctio aliqua ſacramentalia. 2.122.med.

Sacramentalia, modò reuerenter vſurpentur, cum aliqua affectione ad diuina ex opera operato, habent remittere venialia. ibid.3

Quòd ſicut in adultis ſemper requiritor aliquis actos, vt ſacramenta cauſent gratiam, qui tamen actus, vel non eſt ſecundùm ſe ſufficiens ad gratiam, vel ſaltem non eſt ſufficiens ad tantam gratiam, quanta eſt illa, quæ cauſentur de facto in ſacramento, & ſic verificatur, quòd ſacramenta cauſant gratiam ex opere operato: ita licèt ad hoc quòd aqua benedicta remittat peccata venialia, ſemper requiratur aliquis actus reuerentiæ, vel piæ affectionis ad diuina; tamen vel ille actus non eſt ſufficiens ad peccata venialia remittenda, vel ſalten non eſt ſufficiens ad omnia illa, quæ de facto remittuntur per aquam benedictam, & ſic verificatur, quòd propriè, & rigorosè Aqua benedicta ex opere operato remittat peccata venialia. ibid.

Idem dicendum de quolibet alio ſacramentali. ibid.

Dum aſſerimus Sacramentalia remittere peccata venialia ex opere operato, id noo intelligimus, quòd virtute Eccleſiæ id habeant, ſed virtute Paſſionis Chriſti Domini, qui conceſſit Eccleſiæ poteſtatem, vt Sacramentalia inſtitueret, quibus tamen determinatis, & aſſumptis ad operandum ipſe Chriſtus Dominus eſt, qui eleuat illa Sacramentalia, & virtutem concedit, vt ex opere operato remittant merito ſuæ ſanctiſſimæ paſſionis peccata veoialia. ibid.

Licèt Eccleſia virtute clauiom authoritatem habeat, vt poſſit Sacramentalia inſtituere ad remiſſionem venialium, quæ ex opere operato ad id valeant, ex hoc non ſequitur, ipſam inſtituere poſſe ſacramenta. a.123.init.

Per Sacramentalia, quantum eſt de ſe, omnia peccata venialia remittuntur, quando non adeſt actualis, vel virtualis complacentia ad illa, & qoando actus reuerentiæ, deuotionis, affectionis ad res diuinas, & Eccleſiaſticas eſt ita perfectua, vt cum omnibus venialibus oppoſitionem habeat ſaltem virtualem. ibid.5

Per Sacramentalia tolluntur quidem peccata venialia ex opere operato, quantum ad culpam, non tamen per ſumptionem cuiuſlibet ſacramentalis ſemper tollitur totus reatus pœnæ, quæ debetur peccatis venialibus. ibid.

Peccatorum venialium remiſſio extra Sacramentum,& Sacramentalia.

Peccatum mortale, & veniale licèt in hoc conuaniant, quòd vtrumque ſit quædam inordinata conuerſiu ad bonum commutabile, eſt tamen inter illa differentia, quòd mortale peccatum eſt talis conuerſio ad bonum commutabile, cui eſſentialiter annexa eſt auerſio à Deo. Peccatum verò veniale non habet talem auerſionem annexam, ſed ſolùm quandam retardationem. a.124.2
Extra Sacramētum,& Sacramentalia, contritio formalis, quæ dicit diſplicentiam actualem, qua quis dolet de peccatis venialibus, vt ſunt aliqua Dei offenſa, ſufficit ad deleuda omnia venialia quoad culpam, modò contritio ſit vniuerſalis,& generalis de omnibus peccatis venialibus. ibid.3
Conſequenter actus contritionis ſufficiens pro delendis omnibus mortalibus, non ſemper eſt ſufficiens ad delenda omnia venialia. ibid.
Licèt nullus vitare poſſit omnia peccata venialia ſine ſpeciali Dei priuilegio, tamen poſſumus habere propoſitum vitandi omnia peccata venialia. ibid.4
Cùm contritio vniuerſalis, & generalis de omnibus peccatis venialibus, ſufficiat ad delenda omnia peccata venialia, ſequitur hominem iuſtum frequenter eſſe ſine vllo peccato veniali. ibid.5
Quamuis per contritionem vniuerſalem, & generalem de omnibus peccatis venialibus regulariter remittantur omnia peccata venialia quoad culpam, non tamen ſemper remittuntur quoad omnem pœnam, niſi contritio ſit feruens,& maximè intenſa. ibid.6
Licèt per contritionem quancumque remittantur omnia peccata mortalia, non tamen remittuntur infallibiliter omnia venialia. ibid.7
Quamuis per quemlibet actum abſolutum dilectionis Dei ſuper omnia remittantur omnia peccata mortalia: non tamen per quemlibet dilectionis actum delentur peccata venialia. a.125.8
Ille tamen actus dilectionis Dei ſuper omnia, & feruor charitatis, remittit peccata venialia, qui eſt eis contrarius. ibid.
Conſequenter ad remiſſionem peccati venialis non ſemper requiritur pœnitentia,& diſplicentia actualis. ibid.9
Quando dicimus remitti peccatum veniale per pœnitentiam formalem, vel virtualem, non tantùm remittitur pœna, vel obligatio ad pœnam, ſed tollitur vera culpa,& vera macula, quæ non ſolùm dicit priuationem talis, vel talis perfectionis gratiæ, ſed inordinationem ad bonum commutabile, licèt imperfectam. ibid.10
Tranſacto actu peccati manet in anima inordinata conuerſio quantum ad ſuam moralem malitiam. a.126.11
Remiſſio peccati venialis, ſemper eſt opus ſupernaturale, atque gratuitum, & ſic nullum peccatum veniale modò de facto remittitur per aliquod opus purè naturale. a.126.12
Obdormiſcens cum voluntate peccandi venialiter, puta dicendi mendacium iocoſum, ſi dormiens poſtea occidatur pro Chriſto, non conſequeretur per martyrium remiſſionem illius peccati. ibid.13
Ad martyrium in adultis requiritur voluntas formalis ſuſcipiendi illud, vt quis iuſtificetur. ibid.14
In martyrio non ſolùm eſt diſpoſitio ſufficiens attritio actualis, vt quis conſequatur remiſſionem mortalium,& venialium, ſed etiam ex accidenti ſufficit attritio virtualis. a.127.15
Sola tamen volitio ſuſcipiendi Baptiſmum abſque actuali contritione, vel attritione, non ſufficeret in adultis habentibus præter originale etiam actuale peccatum mortale ad remiſſionem peccatorum in ſuſceptione Baptiſmi, vti ſufficit in martyrio ſolus actus volendi mori pro Chriſto Domino, qui eſt attritio virtualis. ibid.16
Hunc effectum, remittendi ſcilicet omnem culpam, & pœnam, habet martyrium ex opere operato. ibid.17
Pro maiori intelligentia præcedentis aſſertionis, dupliciter contingit facere ex attrito contritum,& cauſare gratiam ex opere operato. Primo modo actiuè, ſicut Sacramenta nouæ legis, quę eleuātur à Deo actiuè,& efficienter, inſtrumentaliter tamen ad cauſandam gratiam. Secundo modo ſine propria actione. ibid.18
Ad remiſſionem peccati venialis etiam ſine Sacramento,& Sacramentalibus in iuſtis ſufficit attritio ſupernaturalis. ibid.19
Sufficit etiam, vt hæc attritio ſit virtualis, quare ad remiſſionem alicuius peccati venialis obtinendam, ſufficere videtur quoduis opus bonum ſupernaturale ea intentione ſeriò factum. a.128.init.
Omnis pœnitentia ſufficiens ad remiſſionem peccati venialis debet neceſſariò includere ſaltem virtuale propoſitum, illud ampliùs non committendi, ſine quo non poteſt conſiſtere vera pœnitentia. ibid.20
Poteſt hoc propoſitum conſiſtere cum probabili timore quòd in poſterum in eadem peccata incidamus. ibid.
Omnis actus meritorius, puta eleemoſyna, ieiunium, oratio, relatus ab homine iuſto ad hunc effectum, obtinendi ſcilicet à Deo remiſſionem venialis peccati, meretur,& obtinet illam. ibid.21
Satis eſt probabile, quòd homo iuſtus habens propoſitum non committendi tale veniale, v.g. mendacium, aſſequatur veniam commiſſi mendacij. ibid.22
Non eſt inconueniens quòd per aliquem actum hominis iuſti meritorium ſeriò, & ex intentione factum ad delenda peccata venialia tollantur omnia venialia, ſi in iudicio diuino æſtimetur ſufficiens, & condignitatem habere ad remiſſionem omnium. ibid.23
Aliquando poteſt ratio aſſignari, cur per actum meritorium hominis iuſti ſeriò, & ex intentione directum ad remiſſionem peccatorum venialium, qui cùm non ſit ſufficiens, & tantæ condignitatis ad remittenda omnia, ſed aliqua, iſtorum potiùs homo iuſtus aſſequatur remiſſionem,& non aliorum. ibid.
Ad hoc quòd peccatum veniale tollatur, non requiritur quòd infundatur aliquá habitualis gratia, ſed ſufficit aliquis motus gratiæ, vel charitatis. a.129.2
Remiſſio peccatorum venialium fieri poteſt non ſolùm abſque infuſione nouæ gratiæ, ſed etiam abſque vllo eius augmento in eſſe habitus,& qualitatis. ibid.

Peccatum veniale.

Veniale peccatum cum ſolo originali dari non poteſt. a.136.3
Si loquamur de lege, & potentia Dei ordinaria, non poſſunt peccata venialia remitti ſine remiſſione peccatorum mortalium. ibid.6
De potentia tamen Dei abſoluta poſſunt peccata venialia remitti abſque remiſſione mortalium. ibid.

Peccatorum venialium remiſſio in futuro ſæculo.

Si daretur ille caſus, quòd aliquis moreretur cum peccato originali,& veniali, ſine mortali, dari non poteſt, tamen ex ſuppoſitione, quòd daretur, probabiliter dicunt aliqui, quòd talis homo puniretur pro illo peccato veniali aliqua pœna ſenſus æterna in inferno; per accidens tamen. a.141.2
Probabilius tamen dicendum eſt quòd ſolum tunc puniretur illud peccatum veniale pœna aliqua tēporali

in aliquo loco ſignato à Deo, illa autem pœna recepta ſecundùm menſuram talis peccati venialis, manebit ille homo ſicut alij moriuntur cum peccato originali tantùm. ibid.

Si peccatum veniale in hac vita non fuit remiſſum quoad culpam, nunquam in inferno tollitor. ibid.3

Licèt peccato veniali ſecundùm ſe tãtùm debeatur pœna temporalis per accidens, tamen ex coniunctione ad mortale iuſtè punitur pœna æterna, ſecundùm eandem intentionem, quæ illi debetur. a.142.init.

Decedentibus in gratia, ſi quæ habent adhuc peccata venialia, his remittuntur per actum contritionis, quem anima primo inſtanti poſt mortem elicit, quóque ſe ad eorum remiſſionem diſponit. ibid.4

Ille tamen actus nihil demit de pœna, quæ morienti pro peccatis reſtat ſoluenda. ibid.5

Probabiliter dici poteſt, quòd illa anima ſeparata à corpore in illo primo inſtanti poſt mortem per eum actum contritionis, vel dilectionis meretur ſibi remiſſionem peccati venialis. ibid.

Licèt poſt mortem nullum poſſit eſſe meritum augmenti gratiæ, aut gloriæ: attamen cùm illo primo inſtanti poſt mortem ſit feruens actus charitatis, nihil obſtat, quominus ille actus ſit remiſſorius venialis culpæ. ibid.

Rationabiliter etiam dici poteſt, ſi nullum poſt mortem meritum admittere voluerimus, peccatum veniale tunc remitti ob merita præcedentia propria, vel Chriſti Domini applicata, ſuppoſita ex parte animæ ſufficienti diſpoſitione, quæ eſt feruens actus ille dilectionis Dei in illo inſtanti ſeparationis. ibid.

In illo primo inſtanti poſt mortem nulla pœna Purgatorij remittitur ex vi illius contritionis, & dilectionis. ibid.6

Certiſſimum eſt, quòd ex parte conuerſionis peccatum mortale ſequens non facit redire peccata priùs dimiſſa, & abolita. a.148.1

Peccatum ſequens facit redire peccata dimiſſa ex parte auerſionis, ſi auerſio tantùm conſideretur abſolutè, & ſecundùm ſe non, tamen ſi conſideretur auerſio ſecundùm quòd à conuerſione cauſatur, ex qua parte habent auerſiones diuerſitatem. ibid.

Nullo modo poteſt eſſe quòd maculæ præcedentium peccatorum redeant ſecundùm quòd ex talibus actibus cauſabantur. a.149.init.

Peccata priùs remiſſa, nec etiam redeunt quoad reatum pœnæ æternæ per ſubſequens peccatum. ibid.

Peccator tamen, qui damnatur ob aliquod peccatum mortale, in quod prolapſus poſt obtentam peccatorum præcedentium remiſſionem, perpetuò puniendus eſt, non ſolùm pro peccato in quod relapſus, verùm etiam pro peccatis antea dimiſſis, pro quibus nondum in hac vita ſatisfecit. ibid.3

Per peccatum ſubſequens pœnitentiam, redit quodammodo reatus peccatorum priùs dimiſſorum, non in quantum cauſatur formaliter, & proximè ex illis peccatis priùs dimiſſis, ſed in quantum cauſatur ex peccato vltimo perpetrato quod aggrauatur ex peccatis prioribus dimiſſis ratione ingratitudinis. ibid.4

Peccata dimiſſa per ſacramentalem confeſſionem, vel extra ſacramentum per cõtritionem, ſimpliciter non redeunt, ſed redeunt ſecundùm quid, in quantum ſcilicet in peccato ſequenti poſt pœnitentiam commiſſo quodammodo virtualiter continentur. ibid.5

Peccata ſemel dimiſſa quoad culpam & maculam, etiam de potentia Dei abſoluta, redire per ſequens peccatum nullo modo poſſunt. ibid.6

Peccata tamen non ita debentur per pœnitentiam quin reatus peccatorum præcedentium de potentia Dei abſoluta redire poſſit per ſequens peccatum. ibid.

Si Deus annihilaret hominem peccatorem, non poſſet illum eumdem hominem numero reproducere cum peccatis. a.150.7

Quamuis Deus potuerit condere legem, vt ſi Adam peccaſſet, omnes illius deſcendentes contraherent peccatum originale, vti de facto contrahunt ob tranſgreſſionem præcepti impoſiti à Deo; tamen non potuit Deus conſtituere legem, vt ſi homo peccaret poſt actam pœnitentiam, contraheret quoad culpam peccata ſibi dimiſſa. ibid.8

Penſio, & Penſionarius.

Penſio clericalis, & vicaria, quoad tempus, licèt habeat iuriſdictiooem ſpiritualem, non ſunt beneficia, & conſequenter ementes illa ſimoniacè noo ſunt excommunicati. 1.148.4

Nec tenentur ipſo iure illas dimittere. ibid.

Penſio eſt ius percipiendi fructus ex alieno beneficio. t.182.a

Alia eſt laicalis, alia clericalis. Laicalis eſt, quæ ob temporale ſeruitium Eccleſiæ exhibitum, aut exhibendum datur; clericalis verò, quæ ad clericalem ſtatum ſuſtentandum, vel exercendum conceditur. ibid.

Aliquis dicitur penſionem percipere, vt Clericus quando prima tonſura, ſeu ſtatus clericalis requiritur in eo, cui penſio confertur; is verò dicitur recipere penſionem vt laicus, quando confertur penſio abſque præuia conditione ſtatus clericalis, pro miniſterio merè temporali. ibid.

Imò penſio quæ datur Clerico tanquam laico pro re merè temporali, vt quia eſt Aduocatus Eccleſiæ, Sacriſta, pulſat organa, dicitur laicalis. ibid.

Penſio clericalis, quæ confertur Clerico initiato ſaltem prima Tonſura, inducit obligationem perſoluendi paruum B.V. Officium, ex conſtitutione Pij V. ibid.3

Imò Clericus penſionatius non recitans precarias horas Beatiſſimæ Virginis, tenetur pro rata ad reſtitutionem fructuum ex penſione perceptorum. ibid.

Penſionarij verò, qui non tanquam Clerici, ſed titulo ſæculari penſionem recipiunt, non teneotur ad horas precarias B.V. ibid.

Si confertur penſio abſque præuia conditione ſtatus clericalis, etiamſi fortè detur perſonæ regulari, vt militi ſancti Ioannis, licèt illi conferatur vt Regulari, non inducit obligationem recitandi paruum B.V. Officium. ibid.

Clericus Sacris initiatus habẽs beneficium Eccleſiaſticum, ſimúlque penſionem, ſatisfacit ſuæ obligationi vnica magni Officij recitatione, etamſi paruum B.V. Officium non recitet, ſicut obtinens plura beneficia, aut plures penſiones vnica diuini Officij recitatione oneri ſuo ſatisfacit, recitando magnum ſi ſit beneficiatius, perſoluendo paruum B.V. ſi ſit penſionatius, & tantùm in minoribus conſtitutus. 1.183.4

Imò penſionatius, ſi efficiatur miles alicuius Religionis militaris cum indulto retinendi penſionem, non tenetur ad horas B. V. ſed ſufficit quod recitet orationes Dominicas & Angelicas à Religione præſcriptas, quæ ſunt loco horarum. ibid.

Penſio, quæ titulo ſæculari alicui confertur, non vacat per matrimonium. ibid.5

Similiter penſio conſtituta Clerico minoribus initiato pro miniſterio merè temporali, vt quia pulſat organa, &c. non vacat. ibid.

Penſio verò alicui collata titulo clericali, per matrimonium vacat. ibid.

Clericus coniugatus iure cõmuni incapax, & inhabilis eſt pẽſionis, quæ titulo clericali conferri ſolet. ibid.6

Imò & beneficium ſimplex de nooo ſibi collatum ex eiuſdem diſpenſatione licitè poſſidere poterit. ibid.

Duobus modis poteſt pẽſionarius obligari in forma Cameræ ad ſoluendam penſionem certis temporibus ſub pœna cenſuræ ipſo facto incurrendæ: primò perſonaliter per proprium conſenſum immediatum; ſecundo modo per Procuratorem, atque adeò per alterius voluntatem, & noo propriam, niſi remotè. t.313.2

Si verò aliquis per Procnratorem, & conſenſu mediato ad ſoluendam penſionem, vel aliud debitum ſub pœna cenſuræ ipſo iure incurrendæ tali ſtatuto tempore ſe obſtrinxit: tunc donec litteræ obligationis, & debiti, quibus penſio fuit inſtituta, ſufficienter ei fuerint intimatæ, in conſcientia cenſuram non incurrit, ſi adueniente ſtatuto termino non ſoluit, neque etiam in foro exteriori pro cenſura ligato habebitur. ibid.

Cenſura lata ipſo iure contra penſionarium in caſu non ſolutionis certis temporibus faciendæ, etiamſi conſtitutus terminus ſit elapſus, non cenſetur incurſa, donec penſionario, is ſcilicet, cui eſt debita, declaret ſe velle illam eſſe incurſam. ibid.5

Hæc autem voluntas creditoris, qua vult incurri cenſuram à penſionario in caſu non ſolutionis debitæ, non ſatis eſt, vt ſit priuata, ſed per ſententiam Cameræ debet eſſe intimata debitori. ibid.

Priuſqnam creditor declaret ſe velle debitorem penſionarium cenſura ligari, vel ipſe, vel debitor moriatur, vel ſoluatur penſio, vel fiat concordia, nunquam cenſura contrahitur. 1.314.4

Si creditor poſt annum, vel menſem poſt terminum elapſum ſoluendæ penſionis declaret ſe velle, vt debitor penſionarius non ſoluens ſtatuto tempore cenſuram incurrat, non eſt cenſendus pro cenſura ligatus à priori termino elapſo, etiam ſuppoſito quòd perſonaliter conſenſerit penſioni ſoluendæ certo illo termino, ſed tunc illam contrahit, quando creditor declarat mentem ſuam. ibid.

Vide *Beneficium*, rubr. *Beneficiorum permutatio*.

Peregrinatio, *vide* Votum, *rubr.* Vouentes aliquid indeterminatè, &c.

Peſtis, *vide* Bellum.

Pœnitens.

Pœnitens qui initio Quadrageſimæ confeſſus eſt præſenti Confeſſario ſua peccata, & ab eo non fuit abſolutus, ſi poſtea in die Paſchæ eidem Sacerdoti confiteatur, & ſe accuſet de omnibus ſuis peccatis tunc confeſſis, poterit ſine dubio ab eodem Sacerdote ſacramentaliter abſolui. 2.80.3

Si pœnitens huiuſmodi morti vicinus ab eodem præſente Sacerdote, cui initio Quadrageſimæ confeſſus fuerat peccata, petat ſacramentum Pœnitentiæ in feſto Paſchæ, niſi accuſet ſe de peccatis, quæ illi in confeſſione expoſuerat, non poteſt ab eodem ſacramentaliter & abſolutè abſolui. ibid.

Dicere quòd in præſenti caſu poteſt pœnitens à Sacerdote abſolui, etiam ſecluſo decreto Clementis VIII. videtur falſum. ibid.4

Pœnitens peccata ſua abſenti Sacerdoti per litteras, ſeu internuntium confeſſus, non poteſt ab eodem abſente abſolui. 2.80.2

Si pœnitens morti vicinus per ſe profert hoc verbum generale, *Peccaui*, & ſigna contritionis oſtendit in præſentia Sacerdotis, probabile eſt poſſe ſacramentaliter abſolui ab eodem præſente Sacerdote. 2.81.init.

Quando pœnitens ex complicis manifeſtatione ſibi, vel complici, vel tertiæ perſonæ probabiliter timet graue damnum in vita, vel in fama extra confeſſionem, tunc pœnitens debet confeſſionem omittere, modò non ſit illi neceſſaria; ſi verò eſt illi neceſſaria, nec poteſt eam facere Confeſſario complicem ignoranti, debet iſtam circumſtantiam tacere, explicatis aliis peccatis. ibid.

Certiſſimum eſt quòd ſi talis pœnitens poteſt confiteri alteri Confeſſario perſonam complicis ignoranti, non debet Confeſſario cognoſcenti tertiam perſonam ſuum peccatum, ſeu circumſtantiam ſui criminis in confeſſione aperire. ibid.

Quando altera perſona verè eſt conſors eiuſdem peccati, vt ſi quis fornicatur cum vnica ſorore, quam habet, quæ cognoſcitur à Confeſſario, & non adeſt alius Confeſſor ignorans pœnitentem habere hanc vnicam ſororem, cum qua inceſtum pœnitens commiſit: tunc poteſt pœnitens peccatum ſuum confiteri Confeſſario ſcienti perſonam complicis, præcipuè ſi confeſſio ſit in præcepto. ibid.3

Quando peccatum ſit ſine culpa illius tertiæ perſonæ, non poteſt pœnitens talem circumſtantiam in confeſſione explicare, ob cuius explicationem Confeſſarius venit in cognitionem criminis illius tertiæ perſonæ: vt ſi quis confiteatur infamaſſe Patrem, aut Prælatum de tali crimine, tamen dicendo verum. ibid.

Pœnitens accedens ad ſacramentum Pœnitentiæ cum attritione cognita.

Licitum eſt Confeſſario abſoluere pœnitentem accedentem ad ſacramentum Pœnitentiæ cum attritione cognita, præcipuè quando pœnitens non eſt in extrema neceſſitate, nec in articulo, vel periculo mortis conſtitutus. 1.21.2

Licitum eſt etiam pœnitenti extra articulum extremæ neceſſitatis ad ſacramentum Pœnitentiæ accedere cum attritione cognita. 1.22.3

Quando pœnitens eſt in extrema neceſſitate, & in articulo mortis conſtitutus, & habere poſſet contritionem auxilio Dei adiutus, tunc eſſet mortale & recipere, & ei ſacramentum Pœnitentiæ miniſtrare. ibid.4

Pœnitens tacens aliquod peccatum mortale.

Regulariter loquendo ſtandum eſt confeſſioni, & dicto pœnitentis, vnde quantumcunque Confeſſor ſciat peccatum pœnitentis ex aliorum relatione, tenetur in hoc iudicio magis credere pœnitenti neganti in confeſſione tale peccatum commiſiſſe. 1.32.2

Si Confeſſor ſuis oculis vidit peccatum, & omnino ſit ei euidens pœnitentem mentiri contra integritatem confeſſionis, non tenetur ita ſtare dictis pœnitentis, vt non poſſit vti ſcientia ſua ad conuincendum & redarguendum ipſum pœnitentem, & tunc non debet illum abſoluere. 1.33.3

Pœnitens, qui per ignorantiam eſt in ſtatu de ſe malo.

Si Confeſſor probabiliter credat ſuam admonitionem profuturam ſine vllo ſcandalo, vel graui incommodo, debet admonere pœnitentem, vt relinquat ſtatum, qui materialiter eſt ſtatus peccati, quamuis excuſetur per ignorantiam inuincibilem. 1.33.2

Quando Confeſſor non ſperat fructum, vel quia probabiliter, & prudenter timet pœnitentem non effecturum, vel certè non poſſe ſine graui ſcandalo & incõmodo id efficere, de quo admonendus eſt, poteſt, & debet tacere, ac pœnitentem in ſua bona fide relinquere, illum abſoluendo: ſi aliàs integrè eſt confeſſus, quamuis materialiter ſit in ſtatu peccati. ibid.

Quamuis ignorantia pœnitentis inuincibilis quidem ſit circa ius diuinum, & naturale, ſi probabiliter credat Confeſſarius conſilium non profuturum, non tenetur admonere. 1.34.init.

Si ex ignorantia inui·cibili pœnitentis timeatur malum boni com··unis,quamuis fructus in eo minimè ſ···tur, tunc tenetur Confeſſarius eum admonere. ibid

Si pœnitens dubius de ſuo ſtatu malo materialiter interrogaret Confeſſorem, vel virum doctum de illo ſuo ſtatu, tunc tenetur veritatem aperire, quamuis profutura non ſit. ibid.3

Doctor publicus,ſiue Concionator tenetur publicè veritatem docere, licèt fructus alicuius priuati non ſperetur,ſed ſcandalum. ibid.

Pœnitentia ſacramentum.

Licitum eſt Confeſſario abſoluere pœnitentem accedentem ad ſacramentum Pœnitentiæ cum attritione cognita, præcipuè quando pœnitens non eſt in extrema neceſſitate, nec in articulo, vel periculo mortis conſtitutus. 1.21.2

Licitum eſt etiam pœnitenti extra articulum extremæ neceſſitatis ad ſacramentum Pœnitentiæ accedere cum attritione cognita. 1.22.3

Quando pœnitens eſt in extrema neceſſitate, & in articulo mortis conſtitutus,& habere poſſet contritionem auxilio Dei adiutus,tunc eſſet mortale & recipere,& ei ſacramentum Pœnitentiæ miniſtrare,propter graue periculum æternæ mortis, quod eſt damnum irreparabile,cui pœnitens exponeretur,ſi fortè hæc ſententia non eſſet vera, cùm tamen gratia Dei adiutus poſſit ſecurum contritionis remedium aſſequi. ibid.4

Sacramentum Pœnitentiæ,cuius confeſſio ſacramentalis eſt pars eſſentialis,eſt Sacramentum conſiſtens in actibus pœnitentis & abſoluentis, inſtitutum à Deo per modum iudicij emendatiui ad remiſſionem peccatorum, 2.3.2

Actus pœnitentis, qui ſunt pars materialis in ſacramento Pœnitentiæ,ſunt Contritio,Confeſſio,& Satisfactio. ibid.3

Pœnitentia verò eſt virtus ſpecialis, quâ dolemus de peccato præterito, vt offenſa Dei quatenus eſt emendabile auxilio Dei. ibid.

Duplex eſt materia ſacramenti Pœnitentiæ,remota, & proxima.Materia remota ſunt peccata; materia verò proxima ſunt actus pœnitentis,contritio, confeſſio, & ſatisfactio. ibid.4

Licèt Pœnitentiæ ſacramentum ſine actuali ſatisfactione conferat ſuum effectum, remiſſionem ſcilicet culpæ, (quia ſatisfactio non eſt pars eſſentialis illius;)non tamen tale Sacramentum erit integrum,& perfectum ſine ſatisfactione. a.4.6

Sacramentum Pœnitentiæ ritè appellatur Confeſſionis ſacramentum. a.5.2

Sacramentum Pœnitentiæ non dicitur ſacramentum Contritionis,licèt contritio ſit pars materialis proxima huius Sacramenti, probè tamen dicitur ſacramentum Confeſſionis. ibid.

Nullo tamen modo hoc Sacramentum eſt appellandum ſacramentum abſolutionis, licèt abſolutio ſit formâ & pars eſſentialis illius. a.6.init.

Qui ante confeſſionem recogitauit peccata ſua cum dolore,& poſtea virtute illius præcedentis recogitationis,& doloris,confitetur peccata ſua,validè ſuſcipit ſacramentum Pœnitentiæ, & ſic dolor tempore præcedens confeſſionem, ſufficit ad Pœnitentiæ ſacramentum ſuſcipiendum. a.12.2

Dolor & confeſſio in ſacramento Pœnitentiæ præcedere debent abſolutionem. Vnde ſi eliciatur actus doloris à pœnitente poſt inceptam abſolutionis formam,vel poſt abſolutionem datam,nullum,& inualidum eſſet ſacramentum Pœnitentiæ. ibid.5

Illa duo verba, *Abſoluo te*, ſunt ſufficientia ad hanc formam ſacramenti Pœnitentiæ perficiendam. a.13.2

Sicut forma Sacramenti extremæ Vnctionis modo deprecatiuo profertur, *Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum*, &c. & ita debet eſſe deprecatoria; ita potuit Chriſtus Dominus Pœnitentiæ ſacramentum cum forma deprecatiua inſtituere, ſicut fecit in forma extremæ Vnctionis. 2.14.4

In forma ſacramenti Pœnitentiæ non eſt neceſſarium adiungere inuocationem ſanctiſſimæ Trinitatis, dicendo ſcilicet, *Abſoluo te à peccatis tuis in nomine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti.* ibid.5

Validum eſt ſacramentum Pœnitentiæ, ſi loco verbi *Abſoluo*,dicatur *remitto*,vel *condono peccata*, vel *ſacramentum abſolutionis impendo.* ibid.8

Item ſi Confeſſarius abſoluendo Regem dicat, *Abſoluo maieſtatem tuam*; vel ſi loco *ego* dicat *Nos*, vel ſi plures abſoluendo dicat, *Vos abſoluo*, vt ſi plures in periculo naufragij exiſtentes, vnica Sacramentali formâ abſoluat, validum tunc eſt Sacramentum. ibid.

Idem dicendum quando constructio ex actiua in paſſiuam mutatur, modò idem ſenſus verborum permaneat,vt ſi dicatur,*remittuntur tibi peccata*, vel,*tu abſolueris.* ibid.

Mutatio talium verborum, moraliter loquendo, nunquam poteſt fieri abſque peccato,propter doctrinam Conciliorum, & propter reuerentiam Sacramentis debitam, & vniuerſalem vſum Eccleſiæ: taleque peccatum ex genere ſuo mortale eſt,cùm ſit ſacrilegium: tunc autem maximè erit graue peccatum, quando certa ſignificatio formæ in incertam, & dubiam mutatur;vt ſi loco *abſoluo* quis dicat,*ego te mundo à peccatis; ego tibi condono peccata,relaxo.* a.15.med.

In verbo autem *Remitto* minus videtur eſſe periculi. ibid.

Validum non eſſet ſacramentum Pœnitentiæ ſi in forma omittatur particula *te.* ibid.9

Neceſſarium eſt neceſſitate Sacramenti, quòd forma huius Sacramenti ſint ipſa verba formalia, & conſequenter non ſufficiunt ſigna idem ſignificantia. ibid.10

Quando in ſacramento Pœnitentiæ adhibetur à Sacerdote tota hæc forma: *Ego te abſoluo à peccatis tuis, in nomine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti*, pœnitens remanet abſolutus in eo inſtanti, in quo proferuntur illa duo verba, etiamſi addantur alia verba ſub intentione perficiendi Sacramentum. ibid.11

Senſus formæ ſacramenti Pœnitentiæ ſemper eſt verus. a.17.4

Quando pœnitens accedit ad ſacramentum Pœnitentiæ cum peccatis, & cum ſola attritione, tunc verus, & proprius eſt ſenſus formæ ſacramenti Confeſſionis. ibid.

Quando pœnitens accedit contritus, aut cum peccatis aliàs ritè confeſſis,licèt in tali euentu non obtineat remiſſionem peccatorum, nihilominus ſenſus formæ tunc eſt verus,& proprius. ibid.

Quando pœnitens recipit Sacramentum informe, quamuis tunc non recipiat remiſſionem peccatorum; tamen ſenſus formæ, *Ego te abſoluo*, verus eſt,& proprius. ibid.5

Etiam quando pœnitens indiſpoſitus cum conſcientia peccati mortalis accedit ad ſacramentum Pœnitentiæ,adhuc verba formæ verificantur,& ſunt vera, & propria. ibid.

Qui cum ſolo actu dilectionis Dei, quæ eſt dolor virtualis, accedit ad ſacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiendum,illud non recipit. 2.19.1

Qui verò accederet ad ſacramentum Pœnitentiæ cum dulore virtuali, qui eſt dilectio Dei ſuper omnia, poſſet excuſari à peccato ob ignorantiam, & inaduertentiam. ibid.

Dari poteſt ſacramentum Pœnitentiæ verum, & validum, quoad ſubſtantiam, & informe quoad effectum. 2.37.3

Sacramentum Pœnitentiæ non eſt validum quoad ſubſtantiam, & informe quantum ad effectum, quando in re ipſa fit ſine dolore, contritione, vel vera attritione, etiamſi defectus hic non percipiatur à pœnitente ſine peccatu propter ignorantiam inuincibilem. ibid.4

Sacramentum Pœnitentiæ informe confert ſuum effectum, ſublato obice, ſeu fictione, ideſt, poſita vera attritione, ſeu dolore peccatorum, qui ſine culpa mortali prætermiſſus fuerat in ſuſceptione ſacramenti. 2.38.8

Si poſt ſuſceptum Pœnitentiæ ſacramentum validum, ſed informe, nullum peccatum mortale eſt commiſſum, recedit fictio, & ſacramentum præteritum cauſat gratiam, poſita vera attritione omnium peccatorum tunc in confeſſione expoſitorum, quæ ſe extendat etiam ſaltem virtualiter ad oblita ſi quæ eſſent, & illorum pœnitens non recordaretur. ibid.

Simpliciter loquendo implicat contradictionem quòd alicui reſtituatur per pœnitentiam innocentia. 2.156.10

Per pœnitentiam reſtituitur homo ad dignitatem principalem quoad Deum, quæ eſt gratia. ibid.
Vide *Confeſſio, Indulgentia, Satiſfactio.*

Pœnitentia ſacramenti Miniſter.

Solus Sacerdos poteſt, & eſt Miniſter Pœnitentiæ ſacramenti. 2.186.3

Non omnis Sacerdos, per ſe loquendo, eſt ſufficiens Miniſter ſacramenti Pœnitentiæ. ibid.4

Pollicitatio, Promiſſio, vide Matrimonium, *rubr.* Impedimentum criminis.

Pollutio.

Non conuenit procurare pollutionem propter ſanitatem. 1.3.5

Cùm fœmina virgo ſe polluit voluntariè, aut cùm peccat ſolo mentis affectu, deſiderans pollutionem, aut procurans eam, non tamen habens, aut ſe delectans in pollutione, quæ ei contingit in ſomno abſque culpa, non eſt neceſſe ad confeſſionem rectè peragendam exprimere quòd eſt virgo. 2.59.9
Vide *Virginitas.*

Polygamia, vide Matrimonium, *rubr.* Impedimentum ligaminis.

Præceptum.

Sicut in naturalibus quædam propoſitiones ſunt omnino, & ſimpliciter neceſſariæ, quædam verò dicuntur neceſſariæ, quia regulariter contingunt; ita ſimiliter in moralibus, & ſupernaturalibus quædam præcepta dicuntur omnino, & ſimpliciter neceſſaria. 2.381.33

Quædam verò præcepta dicuntur neceſſaria, & naturalia, quia, regulariter loquendo, ſunt ſeruanda, quamuis deficiant in aliquo caſu. ibid.
Vide *Votum.*

Prælatus Regularis.

Prælatus Religionum exemptarum, ſi indiget Epiſcopi abſolutione, aut diſpenſatione, poterit ſemetipſum illius iuriſdictioni ſubiicere, ſicut poteſt ſuos ſubditos. 2.30.4

Prælati Regularium, quales ſunt Generales, Prouinciales, Præpoſiti locales vi ſuorum priuilegiorum, poſſunt abſoluere ſuos ſubditos Religioſos, & Nouitios. 2.198.9

Prælati Regularium, Generales, Prouinciales, & Præpoſiti locales, vi ſuorum priuilegiorum poſſunt abſoluere ſibi ſubditos Religioſos, & Nouitios ad reincidentiam ab omni excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto extra Bullam Cœnæ Domini, non ſolùm quando cenſuræ incurſæ ſunt occultæ, ſed etiam quando ſunt publicæ. ibid.10

Prælati Regulares, Generales, Prouinciales, & Priores locales poſſunt abſoluere ſibi ſubditos ab excommunicatione, & ſuſpenſione contracta ſi quam incurrerint malè ad Ordines promoti, imò ſi ſic ligati notam irregularitatis incurrerint, diſpenſationis beneficium valent dicti Prælati ſibi ſubditis impartiri. ibid.

Prælati electio, abſolutio, vide Matrimonium, *rubr.* Impedimentum vis, ſeu metûs.

Principes ſæculares.

Principes ſæculares tenentur ad reſtitutionem, qui à Romano Pontifice bona temporalia immobilia pro libito Papæ habuerunt, vt ditentur, exaltentur & magnificentur: ſimiliter, qui ab aliis Prælatis Eccleſiaſticis huiuſmodi bona Eccleſiæ receperunt. Poteſt nihilominus ſummus Pontifex, ſi ſit neceſſarium, & valde expediens, ad commune bonum Eccleſiæ, bona temporalia eiuſdem Principibus ſæcularibus concedere. 1.155.6

Priuilegium.

Priuilegium non poteſt auferre obligationem ſatisfaciendi. 1.11.4

Probatio ſemiplena.

Semiplena probatio eſt dictum vnius teſtis oculati, vel aliàs fide digniſſimi deponentis cum iuramento, & hic teſtis dicitur omni exceptione maior, regulariter loquendo. 2.313.32

Denuncians non facit ſemiplenam probationem vt reus ex ſola ſimplici denunciatione veritatem aperte teneatur, ſed præter ipſum requiritur alius teſtis omni exceptione maior, qui, e.g. vidit reum occidere, vel furari. 2.314.33

Item actor, & accuſator non ſufficit ad faciendam ſemiplenam probationem. ibid.

Procurator, vide Nuncius, *&* Iuramentum, *rubr.* Iuramentum per Procuratorem, *& rubr.* Iuramentum emiſſum in rebus prohibitis per legem.

Promiſſio iurata, & non iurata.

Res vni ſub iuramento promiſſa, & à promiſſario iam acceptata, ſi alteri promiſſa, & cum effectu ſit iſti ſecundo iam tradita & tranſlata, valet iſta traditio ſecundo facta. 2.349.1

Promittens rem vnam alicui Eccleſiæ, vel certo pauperi, eámque illis acceptantibus, ſi poſtea illam eandem rem ſucceſſiuè promittat alteri, tenetur illam dare primo, cui fuit promiſſa. ibid.

Idémque dicendum eſt, etiamſi ſecunda promiſſio facta ſit cum iuramento. ibid.

Quòd ſi ſecundo tradatur cum effectu, traditio eſt valida. ibid.

Promittens, puta Titius, rem vnam Caio, animo ſe obligandi, eáque promiſſione acceptata, ſi poſtea promiſſor Titius non Caio primo promiſſario, ſed Petro cum effectu tradiderit, tenetur ad reſtitutionem eiuſdem rei, vel ad recompenſationem illius Caio primo promiſſario, ſiue promiſſio fuerit nuda, & ſimplex promiſſio, ſiue iurata, ſi intenderit ſe ipſum obligare. ibid.2

Promiſſio ſimplex,& nuda dicitur illa, quæ nec roboratur ex eo quòd rea promiſſa ſit aliàs debita, nec firmatur iuramento, nec veſtitur traditione rei cum effectu, nec fit coram Notario & teſtibus, ſed merè, liberè,& voluntariè fit ſimplicibua verbis,animo tamen ſe ipſum obligandi : hæc ſimplex & nuda promiſſio obligat ſub mortali promiſſorem, ſi paruitas materiæ rei promiſſæ non excuſet,ſi habet animum ſe ipſum obligandi. ibid.

In dubio ſi promiſſor ſimplici,& nuda promiſſione aliquid promittens habuerit animum ſeipſum obligandi ex iuſtiria,& ſub mortali, nec ne, ex his indiciis diſcerni poterit, ſi requiſitus vt promiſſionem firmaret iuramento id recuſaſſet. ibid.

Similiter ſi quando promittit, rogaretur an vellet ſe obligare ex iuſtitia, & ad mortale, reſponderet ſe nolle, tunc cenſendum eſt non habuiſſe animum ſeipſum obligandi ex iuſtitia, & ſub mortali, ſed ex quadam tantùm beneuola honeſtate. ibid.

Qui fictè promittit,id eſt,verbia tantùm,animo autem, & intentione ſe obligandi caret,non fit reus in conſcientia obligationia promiſſi, ſed tenetur ſolùm pœnitere de ſimulatione. a.350.3

Promiſſio ficta,etiam iurata,non obligat ad impletionem. ibid.4

Probabilius mihi videtur in iſto caſu non eſſe neceſſariò petendam relaxationem à iuramento. ibid.

Per ſimplicem aſſertionem futuri nullus tenetur adimplere aſſertionem : vnde cùm quis dicit alteri : Viſitabo,aut ſalutabo illum nomine veſtro,orabo Deum pro te, ſuffragabo tibi in iudicio, faciam hoc, vel illud pro vobis, non tenetur adimplere quod dicit. ibid.5

Plurimæ promiſſiones etiam in re graui excuſari poſſunt à mortali. ibid.6

Obligatio quæ oritur ex morali quadam honeſtate,ex amicitia,vel ex gratitudine, non inducit ſimpliciter neceſſitatem. ibid.7

Quando ex promiſſione non adimpleta facta homini ex morali quadam honeſtate,gratitudine, vel amicitia,nullum aliud ſequitur proximo damnum, quàm carere re,licèt notabili promiſſa,tunc promiſſor tantùm culpam venialem committit. ibid.

Vide *Contractus*,*Pollicitatio*, & *Iuramentum*, rubr. *Iuramentum obligatorium*, & rubr. *Iuramentum in promiſſione.*

Purgatorium, *vide* Peccatorum venialium remiſſio in futuro ſæculo, & Satisfactio.

R

Rapina.

Similiter,ſi quis vi rapiat aliena, tenetur hoc explicare in confeſſione. a.68.46

Obſeruandum hîc, quòd ad conſtituendam rapinam, quæ eſt ablatio rei alienæ per violentiam,non requiritur violentia abſoluta, quæ fit alio inuito omninò, & diſſentiente ; ſed ſufficit violentia conditionata, & ſecundùm quid, quæ accidit, quando quis per vim,& metum conſentit. ibid.

Raptus.

Raptus ſpecies luxuriæ committitur,cùm perſona aliqua libidinia cauſa,vi abducitur,ſiue maſculus, ſiue fœmina, ſiue nupta, ſiue innupta, ſiue vis inferatur ſoli abductæ,ſiue hia, quorum poteſtati ſubeſt, ſiue vtriſque. Tria igitur requiruntur ad raptum propriè, nimirum via illata, abductio, & vt fiat cauſa concubitus,vel alterius libidinis. a.60.12

Virgo, quæ rapta eſt à iuuene parentibua contradicentibus & repugnantibus, ſi poſtea in loco, ad quem adducitur, timore compulſa conſenſit ſuæ deflorationi, non tenetur in confeſſione exprimere circunſtantiam virginitatia, neque raptus ; bene iuuenis rapiens debet & ſtupri, & raptus circunſtantiam aperire. ibid.

Vide *Matrimonium*,rubr. *Impedimentum raptus.*

Ratihabitio.

Ratihabitio, quæ eſt aſſenſus quo quis conſentit in id, quod nomine ſuo geſtum eſt, eſt duplex, altera de præſenti,altera de futuro. 1.11.2

Ratihabitio de futuro non ſufficit ad conferendam iuriſdictionem, & conſequenter, neque vt ſacramentum Pœnitentiæ ſit validum. ibid.3

Ratihabitio de præſenti,quæ eſt licentia tacita, ſufficit vt alienua Sacerdos poſſit validè abſoluere, vt ſi vidente,ſciente,ac tacente Ordinario, ac Parocho, & potente contradicere, exciperet confeſſiones Parochianorum illius. ibid.

Religio,& *Religioſus.*

Religio eſt virtua moralis impellens hominem ad honorandum, colendúmque Deum tanquam primum principium noſtrum à quo ſumua, & in quo viuimus. 1.64.1

Religioſum exemptum, manifeſtum eſt non poſſe abſque licentia Superiorum ſe Epiſcopo ſubiicere, vt ab illo abſoluatur, vel cum eo diſpenſet in caſibus, in quibus Epiſcopua hæc poteſt cum ſuis ſubditis. 1.29.2

Religioſi exempti ex Superiorum licentia in caſibus in quibua ipſi Prælati exempti valent diſpenſare,aut ab eis abſoluere, poſſunt ſubiici non ſoli Epiſcopo, ſed etiam cuicunque capaci poteſtatis abſoluendi & diſpenſandi. ibid.3

Religioſus exemptus ex ſui Superioris licentia poteſt ſubiici Epiſcopo, & cedere priuilegio exemptionia, vt ab eo abſoluatur, & cum eo diſpenſet in caſibus, in quibus poteſt ipſe Prælatua. 1.30.init.

Religioſi,qui in viſitationibus,& Capitulis à ſuis Prælatis ab irregularitatibus,& cenſuria generaliter abſoluuntur,eſto tunc illarum non meminerint,ſublata cenſentur. Nec tenentur aliam diſpenſationem ſuper irregularitatibus quærere, nec aliam abſolutionem à cenſuria,ſed ſatiafaciunt, confitendo ſimpliciter peccata,ob quæ illaa incurrerunt. Quæ tamen peccata cùm ablatis irregularitatibus,& cenſuria non remaneant reſeruata,poterunt ab eis à quocunque alio Confeſſore abſolui. 1.40.3

Religioſus, qui facultatem habet ſui Prælati audiendi Religioſorum confeſſionea,quemcumque ſubditum ſui Conuentus poteſt vbicumque terrarum abſoluere.perinde ac Prior ipſe, præterquam in caſibua reſeruatis. a.193.11

Remigatio.

Qui coacti remigant in triremibus Turcarum Chriſtianos inuadentium,excuſantur à culpa. 1.88.7

Tamen quòd ſi talia remigatio in aliquo caſu eſſet grauiter nocitura Reipublicæ Chriſtianæ, etiam cum diſcrimine vitæ tenerentur Chriſti fidelea in triremibus Turcarum,& infidelium non remigare. ibid.

S

Sacramentale, *vide* Peccatorum venialium remiſſio.

Sacramentum.

INdulſit quidem Concilium Conſtantienſe omnibus fidelibua,vt poſſint communicare cum excommunicatis toleratis in adminiſtratione Sacramentorum, quando tamen adeſt aliqua neceſſitas,& tunc non eſt cooperari ad peccatum alteriua, cùm excommunicatus

catus prætentus ad Sactamenta miniſtranda, ſi ſit toleratus, ſi per intemum animi motum conteratut, validè,& licitè confert Sacramenta,extra tamen neceſſitatis articulum,non eſt tutum petere Sactamentum à talibus miniſtris. t.17.5

In Sacramentis conficiendis quædam ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti,quædam verò neceſſitate ſacramenti. Illa ſunt neceſſaria primo modo, quæ poſita ſunt in præcepto aliquando dinino, aliquandu Eccleſiaſtico, poteſt nihilominus fieri ſacramentum ſine illis.Illa antem ſunt neceſſaria ſecundo modo,ſine quibus non fit ſacramentum. 2.47.3

Non ſunt adminiſtranda Sacramenta peccatoti publico indignè petenti,ſiue petat publicè,ſiue occultè. 2.379.24

Si peccator occultus petat publicè Sactamenta à ſuo Parocho, puta Eucbariſtiam tempore præcepti, vel etiamſi non ſit præceptum,eſt tamen rationabilis petitio in foro exteriori, tunc ei non poteſt denegari ſacramentum. a.380.26

Si peccatot occultus publicè petat Sacramenta,irrationabiliter tamen, puta, quia nimis frequentet petit, vel tempore, quo non eſt ſufficiens commoditas ad conferendum, Sacerdos ſiue ſit Parochus proprius illius,ſiue quilibet alius,non debet ei tribuere Sacramenta. ibid.

Parochus ſciens alicuius peccatum occultum non ex confeſſione,ſed quia alij duo,vel tres ſciunt, & ſibi dixerunt, tali peccatori in publico exigenti Sacramenta non poteſt,nec debet negare: ſecus autem ſi petat in ſecreto,& occultè. ibid.

Parochus ſubdito exigenti Sacramenta publicè,vel ſecretò, non poteſt negare propter mortale peccatum occultum,quod in confeſſione audiuit, à quo aliqua de cauſa illum non abſoluit. ibid.27

Si peccator occultus publicè peteret ſacramentum,puta Euchariſtiam ad irridendam illam, & conculcandam, etiamſi totum hoc eſſet occultum, Sacerdos non debet ei ſacramentum conferre. ibid.28

Secus autem eſt de actione dandi ſacramentum homini occulro peccatori indignè ſuſcipienti. ibid.

Miniſter Sacramentorum,per ſe loquendo, proprio, & ſpeciali præcepto tenetur ad non dandum Sacramenta his,qui indignè accedunt. a.381.29

Per accidens tamen Miniſter Sacramentorum poteſt date aliquod ſacramentum,v.g.Euchariſtiam,peccatori occulto publicè petenti, ad vitandum ſcandalum,vel iniuſtam proximi infamiam. ibid.

Poteſt dari caſus,in quo licet inducere aliquem ad recipiendum ſacramentum, quamuis illud indignè ſuſcepturus ſit, quando adeſt iuſta cauſa,& rationabilis neceſſitas. ibid.30

Sacerdos licitè poteſt ob metum mortis, vel propriæ notabilis infamiæ adminiſtrare Sacramenta peccatori publico. ibid.31

Sacramenta legis nouæ.

Ad formas Sacramentorum nouæ legis requiritur vox humana,& verba proptiè dicta, vno excepto Matrimonij ſacramento, in quo proptia verba non ſunt eſſentialia;ſed ſufficiunt nutus, & ſigna ſignificantia contrahentium conſenſum. 2.15.10

Materia & forma Sactamentorum nouæ legis debet ſaltem moraliter concurtere, vnde qui quinque abhinc diebus abluiſſet puerum,& hodie formam Baptiſmi conferret,nullum ſacramentū efficeret.2.80.2

Sacramentum informe.

Illud dicitur ſacramentum informe,quod eſt ſine gratia,& charitate. 2.37.2

Licèt ſacramentum ſit validum,quoad ſubſtantiam, eſt tamen informe quoad effectum ex defectu attritionis extenſiuo,non intenſiuo, ſeu ex defectu integritatis,non qualitatis ipſius attritionis proueniente ex inculpabili inaduertentia,vel ignorantia. a.37.5

Si verò poſt ſuſceptum ſacramentum informe commiſſum eſt aliquod peccatum mortale, non ſufficit vera,& vniuerſalis attritio,ſed requiritur contritio, vel attritio,ex motiuo vniuerſali cum alia confeſſione ad hoc,quòd recedat fictio, & conſequatur homo talem effectum. a.39.Init.

Sacrilegium.

Sacrilegium vt eſt ſpecies luxuriæ, tunc committitur, quando res ſacra violatur, ſiue res illa ſit perſona Deo dicata, per votum caſtitatis, ſiue locus conſecratus,ſiue ſit alia res ſacra. a.66.39

Sacrilegium committit neceſſariò explicandum in confeſſione,qui copulam habet cum aliquo in Eccleſia abſque neceſſitate,vel pollutionem. ibid.40

Illud ſpatium Eccleſiæ dicitur locus ſacer,quod ſpectat ad interius corpus Eccleſiæ à tecto interiori vſque ab pauimentum. ibid.

In caſu neceſſitatis concubitus coniugalis non eſt illicitus in Eccleſia,vt ſi coniuges detinerentur ad longum tempus obſeſſi in Eccleſia, nec in aliquo loco non ſacro poſſent illum habere; ſecus verò ſi ad breue tempus. 2.67.med.

Improbabiliſſimum eſt aſſerere,fornicationem, ſiue ſeminis effuſionem occultè admiſſam in loco ſacro non habere malitiam lethalem ſacrilegij, atque ita loci circunſtantiam non eſſe neceſſariò tunc confitendam. ibid.

Extra caſum neceſſitatis culpa eſt lethalis, & graue ſacrilegium vti matrimonio in loco ſacro, tam petendo debitum,quàm reddendo. ibid.

Si in Eccleſia exiſtens deſideret concubitum coniugalem,aut fornicatium, exercendum tamen extra Eccleſiam, nullius ſacrilegij reus eſt, nec illa circunſtantia neceſſariò eſt confitenda. 2.67.42

Aſpectus,nutus,verba inhoneſta, tactus turpes in Eccleſia abſque pollutionis periculo non habent circunſtantiam ſacrilegij aperiendam neceſſariò in confeſſione. 2.68.43

Sanctorum merita, & ſatisfactiones, vide Eccleſiæ theſaurus.

Satisfactio, pœnitentia impoſitio.

Quando in Iubilæo,vel Bulla dicitur,*prania ſatisfactione*,vel *parte ſatisfacta*, nomine partis non intelligitur Prælatus præcipiens,vel excommunicans, ſed aliqua alia perſona offenſa. Vnde illa ſatisfactio in propoſito idem eſt,quod reſtitutio ſiue honoris, ſiue famæ, ſiue aliorum bonorum. 1.5.2

Quando debitum non eſt certum, ſed dubium, tunc non eſt neceſſarium, vt ſatisfactio partis antecedat abſolutionem, etiamſi in ipſa conceſſione expreſsè illa requiratur. ibid.3

Si pœnitens poſſit commodè priùs ſatisfacere, nihilominus Confeſſarius eum abſoluat ante exhibitam ſatisfactionem,contentus eius propoſito,promiſſione,aut iuramento,talis abſolutio eſt inualida. ibid.

Priuilegium obligationem ſatisfaciendi auferre non poteſt. t.11.4

Si Confeſſarius non imponat prædictum onus ſe præſentandi,& ſatisfaciendi; abſolutio tamen valet in articulo,vel extra articulum mortis præſtita. ibid.

Satisfactio verò eſt quædam compenſatio facta Deo pro culpis contra ipſum commiſſis, cum propoſito ſaltem virtuali eum non offendendi. 2.3.3

Satisfactio non eſt pars eſſentialis ſacramenti Pœnitentiæ. 2.4.init.

Satisfactio

Satiſfactio tamen eſt pars integralis ſacramenti Pœnitentiæ. ibid.

Licèt nunquam ſit fotura ſatiſfactio, præcipuè in ſententia illorum, qui dicunt pœnitentem non teneri ad acceptandam, & implendam pœnitentiam à Confeſſore iniunctam: contritio tamen vt eſt pars ſacramenti Pœnitentiæ completi, & perfecti, ſemper dicit ordinem ad illam. ibid.8

Si pœnitens non habet propoſitom ſatiſfaciendi in hac vita, ſed in alia, tunc contritio iſtius eſſet imperfecta. ibid.

Quamuis in compoſitis phyſicis, & naturalibus materia ſemper formæ in genere cauſæ materialis præſupponatur, tamen in compoſitis moralibus artificialibus, qualia ſunt Sacramenta, non eſt neceſſe, quòd id, quod eſt materia, & pars integralis, præſupponatur formæ; & ſic ſatiſfactio in ſacramento Pœnitentiæ eſt illius verè pars intagralis, & materia proxima, licèt actu non ſit ſimul tempore cum forma abſolutionis, quando profertur. 2.4.9

Satiſfactio eſt compenſatio pœnæ temporalis debitæ ob iniuriam Deo illatam conſiſtens in operibus pœnalibus, & laborioſis taxatis à Confeſſario. 2.101.2

Fides eſt, itaut oppoſitum ſit hæreſis manifeſta, quòd remiſſa culpa per pœnitentiam poſſit remanere, & remaneat multoties debitom pœnæ ſoluendæ, ſiue in iſta vita, ſiue in futura. ibid.3

Fides eſt quòd iuſtus poteſt verè, & propriè pro pœna temporali relicta poſt remiſſionem culpæ ſatiſfacere, & de facto ſatiſfacit. ibid.

Pro iſta pœna ſatiſfacit iuſtus reddendo æquiualens. ibid.

Satiſfactio eſt vera pars ſacramenti Pœnitentiæ. ibid.4

Per ſatiſfactionem certum eſt remitti pœnam aliquam ex opere operato, atque adeò per ſatiſfactionem ſacramentalem remittitur maior pœna, quàm correſpondeat operi ſatiſfactorio ſecundùm ſe. ibid.

Licèt in ſacramento Pœnitentiæ contritio, & confeſſio ordinentur principaliter ad remittendum peccatum, & conferendam gratiam; ſatiſfactio verò ad remittendam pœnam; tamen etiam ratione ſatiſfactionis aliqua gratia gratum faciens ex opere operato confertur. a.102.5

Directè reſpondens quæſtioni, pœnitens tenetur pœnitentiam tolerabilem, & humanæ fragilitati accommodatam acceptare, acceptatámque adimplere. ibid.6

Pœnitens tamen cui nimia videtur pœnitentia impoſita, poteſt rogare Confeſſarium, vt eam mitiget, quantum poteſt. ibid.7

Pœnitens poteſt abſque peccato mortali ante acceptam abſolutionem, ſi Confeſſarius nolit pœnitentiam moderari, dicere, ſe malle alteri Sacerdoti confeſſionem facere, quàm adeò grauem pœnitentiam acceptare. ibid.

Pœnitens peccat mortaliter non adimplendo pœnitentiam grauem acceptatam, ſiue grauis illa pœnitentia fuerit illi iniuncta pro mortalibus, aliàs non confeſſis, ſiue etiam pro venialibus. ibid.8

Qui verò non adimplet pœnitentiam leuem, non peccat mortaliter, etiamſi pœnitentia iniuncta fuerit pro peccato mortali nunquam aliàs confeſſo. ibid.

Idem dicendum de omittente partem leuem magnæ pœnitentiæ. ibid.

Probabiliter dici poteſt eum, qui ſolùm confitetur peccata venialia, non teneri vnquam ſub peccato mortali pœnitentiam iniunctam implere. ibid.9

Quamuis hæc aſſertio ſit probabilis ob grauium virorum auctoritatem, probabilius tamen eſt aſſerere pœnitentem peccare mortaliter non adimplendo pœnitentiam grauem, etiam quando ſola venialia confitetur, aut mortalia, à quibus iam antè fuerat directè abſolutus. ibid.

Pœnitens, cui tempus adimplendæ pœnitentiæ præfixum fuit à Confeſſario, debet intra tempus præfixum pœnitentiam implere, alioqoin grauiter peccat valdè diu pœnitentiæ adimpletionem differendo. a.103.10

Quando Confeſſarius imponit pœnitentibus pro pœnitentia, vt ieiunent diebus Veneris, vel Sabbati vnius menſis, vel anni, pœnitentes, qui aliquo illorum dierom non ieiunarent, tenentur alio poſtea die ieiunare. ibid.

Quando Sacerdos præſcripſit certom tempus pœnitenti ad pœnitentiam adimplendam, ſi illud tempus præſcriptum mutetur, impletionem pœnitentiæ non nihil differendo, modò non ſit nimia dilatio, non eſſet peccatum mortale. ibid.

Quando Confeſſarius non præfixit tempus adimplendæ pœnitentiæ, pœnitens quamprimum commodè poteſt, adimplere tenetur. quòd ſi valdè diu iudicio prudentis viri pœnitens pœnitentiam grauem differat adimplere abſqoe iuſta cauſa, grauiter peccaret. ibid.11

Pœnitens cui à Sacerdote iniunctom fuit pro ſatiſfactione ſacramentali, vt, e.g. recitet circulum Roſarij Beatiſſimæ V. Mariæ, vel aliquod aliud opus ſatiſfactorium, non excoſatot ab eo recitando per ſuſceptionem indulgentiæ plenariæ. ibid.12

Satiſfactio iniuncta à Confeſſario non poteſt per alium adimpleri, ſed per ipſummet pœnitentem adimplenda eſt. ibid.13

Si pœnitentia ioiuncta à Sacerdote non conſiſtat in actione perſonali, qualis eſt ieiunare, aut orationes recitare, aut ſeipſum verberibus, aut flagellis petere, ſed in illis operibus, quæ per alium tanquam per merum inſtrumentum fieri poſſunt, qualis eſt traditio eleemoſynæ, quæ per alium fieri poteſt cum eadem bonitate, tunc pœnitens talem pœnitentiam poteſt per alium adimplere. ibid.

Confeſſarius poteſt ioiungere pœnitenti pro pœnitentia aliquod opus, e.g. ieiunium faciendum per alium, vel ſub diſiunctione per ſe, aot per alium, & tunc pœnitens ſatiſfacit præcepto Confeſſarij, faciendo vt alter ieiunet, ſeu præſtet opus præſcriptum à Confeſſario. 2.104.14

Quando Sacerdos iniongit confitenti aliquod opus per alium exercendum, e. g. ieiunium, vel vt curet aliquam peregrinationem per alium fieri, illod opus externum prout ab alio fit, non habet propriè rationem pœnitentiæ ſacramentalis, nec vt ſic eſt pars ſacramenti; ſed hoc conuenit ſoli illi actioni quam exercet pœnitens, procurando per donationem eleemoſynæ, vel alia ratione, vt alter illud opus faciat. ibid.

Licèt homo iuſtos non poſſit mereri alteri primam gratiam de condigno, bene tamen poteſt pœnam alteri debitam in veritate perſoluere per condignam, & æquiualentem ſatiſfactionem. ibid.15

Quòd Deus per peccatom contra ipſum commiſſum acquirit propriè ius nos puniendi, itaot quòd poſſimus per noſtra opera ſatiſfacere pro pœnis peccatis noſtris debitis, non tam proueniat ex natura rei, quàm ex liberali Dei promiſſione, atque acceptatione: ſicut igitur ſtatuit, vt poſſimus pro nobis ſatiſfacere, ita potuit abſolotè ſtatuiſſe, vt poſſemus etiam ſatiſfacere pro aliis, & quòd ita ſtatuerit, videtur eſſe communis fidelium ſenſus. ibid.16

Quando

Quando aliquis pro altero ſatisfacit, ipſe pet eam quidem actionem ſibi meretur vitam æternam, & augmentmo gratiæ. ibid. 17

Pœnitentia impoſita à Confeſſario expleta à pœnitente io ſtatu peccati mortalis, valet, vt ſatisfacit præcepto ipſius Confeſſarij. ibid. 18

Pœnitens, qui pœnitentiam ſibi iniunctam à Sacerdote adimplet in peccato mortali, delinquit quidem, quia ponit obicem effectui ſatisfactionis, quæ eſt pars ſacramenti, illámque indigne tractat: oon tamen peccat lethaliter, ſed tantùm venialiter. 2.105.init.

Satisfactio illa præcedens expleta extra charitatem, poſtquam pœnitens charitatem habuerit, valebit quoad expiationem pœnæ debitæ, quando peccator redibit ad cor. ibid.

Cooſequenter eſt differentia inter pœnitentiam ſacramentalem expletam extra charitatem in peccato mortali, & reliqua opera bona in ſtatu peccati mortalis facta, quòd pœnitentia ſacramentalis, cùm ſit opus Dei, ex ſe viuum eſt, licèt quodammodo mortificatum ob indiſpoſitionem, & ſtatum peccatoris, ſublato obice peccati mortalis reuiuiſcit ad ſuum effectum. ibid. 19

Licet opera bona facta in peccato mortali non reuiuiſcant adueniente gratia, neque quantum ad meritum, neque quantum ad ſatisfaciendum pro pœna temporali, ſunt tamen conſulenda. ibid. 20

Confeſſarius, per ſe loquendo, tenetur ſub culpa lethali ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam pœnitentibus iniungere. 2.106.2

Confeſſarius debet pœnitentiam ioiungere, non per modum cooſilij, ſed per modum præcepti, & aliter impoſita non eſt ſacramentalis. ibid. 3

Quamuis Superior communior poſſit rem grauem præcipere ſub veniali: Confeſſarius tamen non poteſt grauem pœnitentiam iniungere ſolùm ſub veniali. ibid.

Interdum poteſt Sacerdos abſoluere nulla impoſita ſatisfactione, vt quando pœnitens eſt impotens, vt ſi ſit propinquus morti, & præſertim ſi nihil præcipere poſſit. ibid. 4

Quando ſcrupuloſus intra eandem horam frequenter accedit ad Confeſſarium aliquid noui ſemper confitens, in iſto etiam caſu Sacerdos poteſt iniungere pœnitentiam iam aliàs iniunctam. 2.107.5

Poteſt pœnitens abſolui nulla iniuncta pœnitentia quando probabiliter creditur nullam admiſſurus pœnitentiam. ibid. 6

Si miraculosè Sacerdoti fieret diuinitus reuelatio, quòd ſint pœnitenti remiſſa peccata etiam quantum ad omnem pœnam, in iſto caſu Sacerdos non teneretur ſatisfactionem aliquam imponere. ibid.

Confeſſarius poteſt pœnitenti iniungere pœnitentiam ſub diſiunctione, & ſic poterit pœnitenti dicere: Vel ieiunes die Sabbati, vel recites circulum Roſarij Beatiſſimæ Virginis. ibid. 7

Opus quod in ſatisfactionem imponitur, debet eſſe opus bonum pœnale. ibid. 8

Licèt actus virtutis ſecundùm ſe maximè delectabilis ſit, tamen ſecundùm quòd contradicit ſenſualitati, eſt homini pœnalis: oratio vocalis, oratio etiam mentalis, ſecundùm quod important caſtigationem corporis, ſunt opera pœnalia. Similiter eleemoſyna eſt opus pœnale, quatenus quis priuat ſe, dando eleemoſynam, pecuniis, quæ ſunt bonum vtile illas habenti. ibid. 9

Opera pœnalia, quibus Deo in hac vita pro pœna temporali ſatisfacimus in vniuerſum, ad tria genera reducuntur, ad ieiunium ſcilicet, eleemoſynam, & orationem. ibid.

Quamuis communiter à Confeſſariis iniungi ſoleat pro pœnitentia opus externum pœnale; tamen hoc non eſt abſolutè neceſſarium. 2.108.10

Poſſunt etiam pro pœnitentia iniungi ea, ad quæ pœnitens aliàs præcepto diuino, aut humano, eſt obligatus. ibid. 11

Licèt aliquis vnica ſolutione ſatisfacere non poſſit pluribus creditoribus, quibus tantumdem debetur: pœnitens tamen ſatisfacere poteſt vnico opere bono obligationi, qua tenetur ex pœnitentia, & ex voto, vel ex alio præcepto. ibid.

Communiter tamen Confeſſarius ex vſu Eccleſiæ debet iniungere pœnitenti pro ſatisfactione aliqua opera, ad quæ aliàs non obligabatur. ibid.

Si Confeſſor imponat pœnitenti in ſatisfactionem, vt duplicem Miſſam audiat in die feſto, pœnitens ſatisfacit tam obligationi præcepti Eccleſiaſtici, quàm confeſſionis duas Miſſas audiendo. ibid. 12

Si Confeſſor dicat pœnitenti, vt vno menſe ſingulis diebus vnum Miſſæ Sacrum audiat, pœnitens videtur ſatisfacere auditione vnius Sacri, in die feſto. ibid. 13

Si iniungat vt pœnitens audiat vnum Sacrum ſingulis ſeptimanis, Confeſſor intelligendus eſt præter illa, ad quæ ex præcepto, aut voto obligatur, quia ſemper credendum eſt, quoties ex verbis Confeſſarij contrarium non colligitur, ipſum iniungere pro pœnitentia opus ad quod pœnitens alias non obligatur. 2.109.14

Idem dicendum mihi videtur, ſi Coofeſſarius imponeret auditionem Sacri in die feſto, nec mentem ſuam explicaret an de Sacro neceſſitate præcepti debito, an de ſolo voluntario, intelligeret. ibid.

Ex hac regula excipitur eleemoſyna in pœnitentiam iniuncta. ibid. 15

Si tamen eleemoſyna eſſet alio titulo debita, vt ex voto, non ſatisfieret illa pœnitentiæ iniunctæ. ibid.

Idem dicendum eſſet ſi eſſet debita ratione reſtituendi incerta. ibid.

Satisfacit tamen pœnitens, ſi eleemoſynam iniunctam conferat extremè indigenti, quamuis Confeſſarius non declaret mentem ſuam. ibid.

Similiter idem in voto dicendum eſt: vnde ſi quis aliquid vouit, nec contrariam intentionem habet, cenſetur ſe ad opus voluntarium obligare, quod eſt propriiſſima voti materia, nec ſatiſfaceret etiam in dubio per opus alias debitum. ibid.

At ſi quis eleemoſynam voueret, ſatisfaceret dando extremè indigenti. ibid.

Confeſſarius pro pœnitentia non ſolùm poteſt iniungere pœnitenti opera pœnalia in particulari; vt aliquod ieiunium, orationem, circulum Roſarij Beatiſſimæ V. aliquam elemoſynam; ſed etiam opera pœnalia in generali. ibid. 16

Conſtitutus in articulo mortis, ſi adeſt periculum, quòd ſine beneficio abſolutionis moriatur, ſi præceſſit generalis confeſſio, vel infirmus protulerit hoc verbum generale, *Peccaui*, in præſentia ipſius Sacerdotis, vel aliquod ſignum hoc ipſum ſignificans fecerit infirmus, dummodo probabiliter colligat Sacerdos hoc facere cum intentione confeſſionis, tunc poteſt, & debet Sacerdos illum abſoluere, etiamſi non potuerit propter periculum mortis interrogare pœnitentem de aliquo particulari peccato, & tunc abſolutio impenſa erit ſacramentalis: idque eſt ſatis probabile, practicè loquendo, & opere ſequendum. ibid. 17

Tres ſunt gradus bonorum operum pœnalium, quibus Deo ſatisfacimus. Primus, & præcipuus ille eſt,

quando illa bona, quæ agimos, ſunt ſpeciatim, & in particulari iniuncta à Confeſſote. Secundus gradus eſt eorum operum, quæ Confeſſor iniungit generatim, & ſub conditione, dicendo: Si quid boni feceris, & mali patienter ſuſtinueris; & hæc etiam ſunt multum ſatisfactoria virtute clauis, & magis, quàm ſint illa, quæ propria voluntate ex deuotione facimus. a. 110.18

Hinc fortè poſſont excuſari à peccato Confeſſotes imponendo paruas pœnitentias in particulari. ibid.

Propter peccata occulra non debet à Confeſſario imponi pœnitentia publica, illa ſcilicet, quæ ira fit coram aliis, vt ex illa colligi poſſit Sacerdotem propter graue crimen illam impoſuiſſe. ibid. 19

Imponere pœnitentias publicas pro peccatis publicis, non eſt contra ſigillum confeſſionis, nec reuelare confeſſionem. ibid.

Si pœnitens habeat rationabilem cauſam ad non acceptandam huiuſmodi pœnitentiam publicam, & illa non ſit neceſſaria ad ſedandum aliquod ſcandalum, non eſt obligandus, ſed tunc tantùm debet induci ad talem pœnitentiam acceptandam, quando ad tollendum ſcandalum, vel ad ſatisſaciendum Eccleſiæ in crimine publico, & notorio iudicatur neceſſarium, vel quando eſt valdè expediens, abſque graui incommodo pœnitentis illam acceptare; inconſultè tamen faceret Confeſſarius, ſi ad ſedandum ſcandalum, aut ob aliam cauſam non eſſet neceſſarium talem pœnitentiam iniungere. ibid.

Confeſſarius poteſt, & tenetur iuxta ſuum prudens arbitrium iniungere pœnitentiam conſiderata peccatorum grauitate, & qualitate pœnitentis. a. 111. 20

Sacerdos ex rationabili cauſa propter impotentiam, vel fragilitatem pœnitentis poteſt diſſimulare, & leuiorem ſatisfactionem imponere. ibid.

Numquam Sacerdos grauiter errabit imponendo pœnitentibus remiſſiores, & leuiores pœnitentias, attenta eorum impotentia, vel fragilitate, vel debilitate corporis, vel animi, ſpiritúſque languore, & tepore. ibid. 21

Non eſt de neceſſitate ſacramenti pœnitentiæ, quòd ſatisfactio imponatur à Sacerdote ante abſolutionem, taliter quòd ſi non apponatur, ſacramentum ſit nullum. ibid. 22

Confeſſor, per ſe loquendo, poteſt ſatisfactionem iniungere tam ante, quàm poſt abſolutionem ſacramentalem. ibid.

Confeſſarius non poteſt, per ſe loquendo, obligare pœnitentem ad pœnitentiam adimplendam ante abſolutionem, ſi pœnitentia conſideretur, vt eſt compenſatio pro reatu pœnæ temporalis. ibid. 23

Si verò Sacerdos timeat pœnitentem non adimpleturum pœnitentiam, niſi eam curet adimpleri ante abſolutionem, aut ſi cognoſcat pœnitentiam ſæpiùs prætermiſiſſe præcedentium peccatorum expoſitorum in aliis confeſſionibus, poteſt Confeſſarius eam præcipere ante ſacramentalem abſolutionem. ibid.

Hæc autem pœnitentia adimpleta antequam pœnitens abſoluatur, ſtatim non habet effectum ſuum ex opere operato ante abſolutionem ſacramentalem. ibid.

Si quis pœnitentiam adimpleat antequam abſoluatur, etiamſi ſit in ſtatu gratiæ per contritionem priùs habitam, adhuc illa ſatisfactio ſacramentalis non habebit ſuum effectum remittendi pœnam temporalem ex opere operato, niſi poſt abſolutionem datam, & completum ſacramentum per formam. ibid.

Si poſt abſolutionem datam remaneat in pœnitente alicuius pœnæ temporalis reatus, iſte reatus ſine dubio non tollitur, nec minuitur ratione ſatisfactionis impoſitæ, & acceptatæ, donec integrè, vel ex parte, ſatisfactio impoſita exhibeatur. a. 112. 24

Non tamen negamus, imò fatemur, quòd ex opere operantis pœna temporalis relicta poſt abſolutionem datam poteſt remitti, vel minui per alia opera ſatisfactoria, antequam pœnitens adimpleat pœnitentiam ſacramentalem ſibi à Sacerdote iniunctam. ibid.

Satisfactionis, ſiue pœnitentiæ commutatio.

Abſque cauſa rationabili non poteſt Confeſſarius impoſitam ab altero pœnitentiam commutare. ibid. a

Confeſſarius poteſt commutare ex iuſta & rationabili cauſa pœnitentiam ab alio Confeſſore æquali iniunctam, & multo magis ab inferiori. ibid.

Non ſolùm æqualis, ſed etiam inferior Confeſſor poteſt ex iuſta cauſa pœnitentiam à ſuo Superiore impoſitam minuere, vel commutare. ibid.

Confeſſor æqualis, vel inferior dum in foro interiori commutat pœnitentiam pœnitenti, non dicitur propter hoc exercere auctoritatem, & iuriſdictionem circa Confeſſarium æqualem, vel ſuperiorem, ſed circa pœnitentem ſibi ſubiectum, in quem habet iuriſdictionem. ibid.

Qui non habet facultatem abſoluendi à reſeruatis, poteſt non ſolùm pœnitentiam pro non reſeruatis, verùm etiam pro reſeruatis iam legitimo Confeſſori confeſſis impoſitam a Superiore commutare, iuſta cauſa interueniente. a. 113. 3

Confeſſor extra confeſſionem pœnitentiam ab alio impoſitam commutare non poteſt. ibid. 4

Vt Confeſſarius poſſit mutare pœnitentiam, quam pœnitens non fecit, & cuius non recordatur, & efficere de nouo illam ſacramentalem, & quod virtute clauium, & ex opere operato prodeſſet pœnitenti, neceſſarium eſt, vt pœnitens ſecundò ei confiteatur peccata, ob quæ illa fuit iniuncta. ibid. 5

Idem dicendum eſt quando pœnitens eumdem Sacerdotem accedit, vt pœnitentiam mutet, quia ipſe non poteſt ſecundò circa eamdem cauſam ferre iudicium, niſi per confeſſionem ſecundò ad eum eadem peccata deferantur: quòd ſi pœnitens interim dum primum iudicium cenſetur adhuc moraliter durare, hanc mutationem petit, nimirum priuſquam à Confeſſario diſceſſerit, aut ſaltem eodem die, vel, ſecundùm Sotum, & Viualdum, etiam ſequentibus duobus diebus, in iſto caſu non eſt neceſſe repetere eadem peccata, ob quæ impoſita fuit pœnitentia. ibid.

Quando pœnitens oblitus eſt totius pœnitentiæ aliàs iniunctæ, an conſiſteret in ieiunio, vel oratione in magna, vel parua quantitate, non tenetur iterum peccata confiteri, vt pœnitentia commutetur. a. 114. 6

Si pœnitens circa culpam oblitus eſt pœnitentiæ ſibi iniunctæ, liber eſt à præcepto Confeſſarij, ſatiſfactionem adimplendi; reus tamen manet eam in Purgatorio ſoluendi: ſi verò ſua culpa, vt quia nimis diu pœnitentiam diſtulit, tenetur hoc peccatum confiteri: quòd ſi obliuio accidiſſet poſt datam pœnitentiam, & crederet Sacerdotem eſſe memorem, tenetur ipſum adire ſi commodè poteſt, & ab eo petere, quid iniunxiſſet, præſertim quando pœnitentia eſſet grauis, vt ſatisfaciat integritati confeſſionis. ibid.

Quòd ſi in iſto caſu pœnitens credat Confeſſarium non eſſe memorem pœnitentiæ ſibi ab eo iniunctæ, non tenetur eidem, vel alteri Confeſſario eadem iam ritè confeſſa peccata confiteri. ibid.

Digitized by Google

Licèt ſit ſatis probabile, quòd votum à vouente propria auctoritate in opus æquale, aut melius poſſit commutari, pœnitens tamen pœnitentiam ſibi à Confeſſario iniunctam, non poteſt propria auctoritate in æquale, aut in melius commutare. ibid.7

Facta commutatione pœnitentiæ ſacramentalis legitimè à ſecundo Sacerdote, liberum eſt pœnitenti eligere, quam pœnitentiam, primam ſcilicet, an ſecundam, voluerit adimplere. ibid.8

Qui ratione obliuionis, aut aliter factus eſt impotens implere pœnitentiam ſibi iniunctam à Confeſſario, ſiue id factum ſit cum peccato ipſius, ſiue ſine, non tenetur eius loco alia opera ſatisfactoria facere, & quamuis ea faceret, ſi poſtea fieret potens implere pœnitentiam, eodem modo teneretur eam implere, ac ſi illa non feciſſet. ibid.9

Ex conſilio tamen poterit tunc pœnitens, qui oblitus eſt pœnitentiæ ſibi iniunctæ, ſi non poteſt adire primum Confeſſarium, pœnitentiam ſecundùm proprium arbitrium adimplere, aliqua opera ſatisfactoria efficiendo, habita ratione pœnitentiæ, quæ pro huiuſmodi peccatis imponi ſolet. 2.115.init.

Animæ exiſtentes in Purgatorio ſunt quidem in ſtatu ſatiſpatiendi, quia ex peccato dimiſſo relinquitur reatus, & obligatio pœnæ luendæ quam ſuſtinere poſſunt animæ Purgatorij: non tamen ſunt in ſtatu ſatisfaciendi. 2.142.7

Et quamquam qui in Purgatorio purgantur, non haberent actum poſitiuum acceptandi illas pœnas, ſed ſolùm quòd non renuerent, ſoluerent adhuc pro remiſſis peccatis pœnas debitas, non quidem propriè ſatisfaciendo, ſed ſatiſpatiendo. ibid.

Flagella præſentis vitæ à Deo inflicta, & à nobis patienter tolerata propter Deum, ſunt ſatisfactoria. 2.143.8

Non ſunt autem huiuſmodi flagella, & pœnæ ab extrinſeco illata ſatisfactoria, ſi per impatientiam homo illa ſuſtinere diſſentiat. ibid.

Animæ exiſtentes in Purgatorio, licèt nullum haberent actum poſitiuum voluntatis, quo acceptarent pœnas, quas ibi patiuntur, ſed ſolùm negatiuè ſe haberent non renuendo, adhuc ſoluerent pœnas debitas. 2.143.8

Si duo homines voluntariè, & patienter cum æquali voluntate patiantur mortem ab extrinſeco illatam, vnus iuſtè, alter verò iniuſtè, non æqualiter ſatisfaciunt pro pœnis debitis peccatis dimiſſis. ibid.9

Si duo ſint æqualiter iuſti, & æqualiter diuites, & vnus cum maiori voluntate, & conatu tribuit pauperibus paruam eleemoſynam, nempè aſſem, vel ſcutum, alius verò minori voluntate, minori conatu, & minori intenſione eroget ingentem eleemoſynam, nempè mille aureos, vel totam ſubſtantiam ſuam, licèt actus primi ſit magis intenſus, quàm actus ſecundi: tamen actus ſecundi eſt magis meritorius, & ſatisfactorius, quàm actus primi. ibid.10

Si ſermo tamen ſit de augmento gratiæ & charitatis in eſſe phyſico habitus, & qualitatis, qui maiori voluntate, & conatu tribuit pauperibus eleemoſynam, quamuis minimam, meretur maius augmentum in hac vita gratiæ, & charitatis in eſſe habitus, & qualitatis, quàm alter, qui actu remiſſo erogat grandem eleemoſynam. ibid.

Si comparatio fiat inter actus eiuſdem virtutis, per ſe loquendo, cæteris paribus, magis conducit ad meritum intenſio actus, quàm cæteræ bonitates. ibid.11

Cùm omne opus meritorium in hac vita ſit etiam ſatisfactorium, ſequitur quòd actus bonus meritorius magis intenſus, cæteris paribus, &c. ſit etiam magis ſatisfactorius. ibid.12

Quando actus virtutum differunt ſpecie, per ſe loquendo, actus excellentioris virtutis eſt magis meritorius, & ſatisfactorius, licet aliquantulum minus intenſus. ibid.13

Ita tamen poteſt multiplicari bonitas actus inferioris virtutis, vel ſecundùm intenſionem, vel ſecundùm extenſionem, vt ſit magis meritorius, & ſatisfactorius, quàm actus ſuperioris virtutis. ibid.

Caius habens habitum gratiæ intenſum vt decem, Titius verò vt quinque, operatio Caij ob id ſolùm quòd ſit ab habente excellentiorem, & intenſiorem habitum gratiæ, & charitatis, non eſt magis meritoria, & ſatisfactoria. ibid.14

Meritum coram Deo creſcit, & augetur, & conſequenter ſatisfactio pro pœnis debitis peccatis dimiſſis, ex triplici capite, Primò ex intentione actus charitatis. Secundò ex bonitate maiori, vel minori obiecti. Tertiò, difficultas operis maximè auget meritum, & conſequenter ſatisfactionem pro pœnis debitis. 2.145.15

Relatio in vltimum finem ſupernaturalem eſt duplex. Prima eſt relatio actualis, per quam formaliter, ſeu actualiter aliquod opus bonum actu refertur in vltimum finem. Alia eſt relatio virtualis, quæ fundatur in relatione actuali præcedenti. Tertia relatio ſolet etiam conſtitui, ſcilicet habitualis, quæ quidem continetur in virtute habitus charitatis, per quem poteſt aliquid referri in Deum, & hoc modo peccatum etiam veniale refertur habitualiter in Deo ex parte agentis, cuius mens per habitum gratiæ, & charitatis, habitu refertur in Deum. 2.146.2

Quandocumque habitus charitatis exit in actum, ſit ordinatio totius hominis, & conſequenter omnium bonarum actionum illius in vltimum finem ſupernaturalem: tenetur autem homo exire in actum charitatis, quando currit præceptum diligendi Deum ſuper omnia, & ſi tunc habens charitatem non exeat in actum, interrumpitur relatio præcedens per contrarium actum peccati, atque adeò virtute illius, bona opera poſt peccatum ſubſequentia non referuntur virtualiter in vltimum finem ſupernaturalem, ſed oporter quòd nouo actu referantur. ibid.3

Vt actus virtutis ſit meritorius, non ſufficit habitualis relatio in vltimum finem ſupernaturalem. ibid.4

Vt actus bonus ſit meritorius vitæ æternæ, non requiritur quòd actualiter referatur in vltimum finem ſupernaturalem. ibid.

Ad meritum non requiritur virtualis proxima, ſed ſufficit virtualis remota. 2.147.5

Hæc relatio virtualis eſt etiam neceſſaria vt actus cuiuſcumque alterius virtutis infuſæ ſit meritum. ibid.

In adulto, qui per attritionem cum ſacramento Pœnitentiæ iuſtificatur, poteſt dari actus indifferens in indiuiduo, quoad meritum vitæ æternæ, vel demeritum. ibid.6

Adultus, qui per attritionem vi ſacramenti iuſtificatur, ſi poſtea non prorumpat in aliquem actum charitatis, ſed ſolùm in alia opera bona moraliter, & ſtatim moriatur, conſequitur vitam æternam per ſolum meritum Chriſti, ſibi per ſacramentum applicatum. ibid.7

Si infidelis ante duos, vel quatuor annos retulit ſe, & omnia ſua in idolum formaliter, poſtmodum non omnia opera, quæ facit, cenſentur relata virtualiter in idolum, etenim ſi det eleemoſynam pauperi, & pietate naturali abſque eo, quòd recordetur idoli, opus illud eſt bonum moraliter, atque adeò non refertur in idolum etiam virtualiter. ibid.8

Fidelis verò exiſtens in gratia, ſi ante duos, vel quatuor annos habuit actum charitatis ſupernaturalem, quo

ſe, & omnia ſua retulit io Deum, virtute illius actus opera omnia bona moraliter, quæ fiunt ab illo in toto decurſu vitæ, cenſentur referri virtualiter in finem ſupernaturalem. ibid. 9

Vt autem Sacerdos cenſeatur habere intentiooem virtualem conſecrandi, non ſufficit quòd à principio quando ordinatus eſt, habuerit formalem intentionem conſecrandi quotieſcumque acceſſerit ad celebrandum Sacrum, ſed requiritur, quòd tempore proximè præcedenti habeat formalem intentionem. 2.148.10

Licèt in confectione, & adminiſtratione Sacramentorum noo ſufficiat intentio illa actualis elicita in ordinatione; ſufficit tamen ſi ex illa intentione formali, & explicita, & ex conſuetudine adoiniſtrandi, & conficiendi Sacramenta, arguitur in actu exercito confuſa aliqua intentio actualis faciendi ſaltem in genere, quod Sacerdos facere conſueuit. ibid.

Scandalum.

Scandalum actiuum eſt dictum, vel factum minus rectum præbe is ruinæ occaſionem proximo; paſſiuum verò eſt illud, in quod quis occaſione accepta ab alterius dicto, vel facto labitur. 1.53.27

Sententia, vide Appellatio.
Senſus, vide Damnum.
Seruitus, vide Bellum.
Seruus, vide Caſus reſeruati.

Simonia mentalis.

Simonia mentalis, quæ mente tantùm concipitur citra omnem conuentionem expreſſam, vel tacitam, eſt duplex. Altera quæ neque peruenit ad conuentionem, neque ad dationem: altera quæ peruenit ad dationem citra omnem cooueniionem. Item hæc aliquando eſt tantùm ex parte dantis ſpirituale, aliquando tantùm ex parte recipientis, aliquando vtraque pars illam committit, ſine pacto tamen tacito, vel expreſſo. 1.105.2

Vide *Beneficij traditio.*

Sodomia.

Peccans enormiſſimo peccato ſodomiæ, quæ eſt coitus maris cum mare, aut fœminæ cum fœmina inter perſonas eiuſdem ſexus, (quia quamuis maſculus cognoſcendo fœminam extra vas oaturale, dicatur committere ſodomiam, nihilominus hæc non eſt propriè ſodomia, ſed eſt peccatum diſtinctæ ſpeciei,) tenetur exprimete in confeſſione perſonam ſi fuerit mas, vel fœmina, cũ qua patrata fuit ſodomia. 2.62.21

Sodomia quando committitur cum maſculo, vel cum fœmina votum caſtitatis habente, vltra malitiam ſodomiticam habet malitiam ſacrilegij neceſſariò fatendam in confeſſione. 2.63.init.

Vxoratus ſodomiam perpetrans duorum peccatorum malitias neceſſariò fatendas committit, criminis ſodomitici, & iniuriæ contra matrimonium. ibid. 22

Coniogatus, qui præpoſterè abutitur aliena coniuge, circunſtantias perſonarum tenetur in confeſſione exprimete. ibid.

Iuuenis pathicus rem habens cum vxorato, non ſolùm committit peccatum ſodomiticum igne in hac vita temporali, & in alia æterno puniendum; ſed iniuriam & malitiam committit contra bonum fidei coniugalis. ibid. 23

Si talis iuuenis hoc idem ſcelus cum Religioſo, ſeu cum viro ſimplici voto caſtitatis aſtricto perpetraret, vltra malitiam contra naturam ſodomiticam, propriè committeret ſacrilegium. ibid.

Quando peccatum nefarium ſodomiæ commiſſum eſt cum aliquo conſanguineo in linea recta, explicandum eſt in confeſſione ſodomiam habitam fuiſſe cũ conſanguineo, etiãſi gradus ſit valdè remotus. ibid. 14

In confeſſione non eſt explicandus tertius, vel quartus gradus affinitatis, vel conſanguinitatis in linea tranſuerſa, quando peccatum nefarium commiſſum eſt cum affine, vel conſanguineo in tertio, vel quarto gradu lineæ tranſuerſæ: bene tamen eſt explicandus primus, vel ſecundus gradus. ibid.

Non eſt neceſſariò in confeſſione explicandum ſodomiam commiſſam fuiſſe cum virgine, ſed ſufficit ſi dicatur patratam fuiſſe cum fœmina. ibid. 25

Si quis coëat cum aliquo, & poſtea cum fratre illius, ſufficit in confeſſione exprimere duo peccata nefaria. ibid.

Concubitus extra vas ordinarium habitus in præpoſtero ab vxorato cum propria vxore, etiam ex conſenſu ipſius, non ſolùm habet malitiam nefandiſſimi criminis contra naturam, ſed etiam habet malitiam, & iniuriam contra fidem matrimonij, quam ſibi coniuges mutuò debent ſeruare. 2.64.16

Sortes, & Sortilegi, vide Accuſatio.

Spei præceptum.

Tempus obligationis præcepti ſpei eſt cùm primùm rationis vſum puer aſſequitur. 2.70.53

Sponſalia.

Sponſa de futuro, quæ ſcilicet ſpopondit de futuro accipete aliquem io maritum, quamuis propriè accedendo ad alium non committat adulterium; tamen iſta ſponſalium circunſtantia neceſſariò in confeſſione fatenda eſt, quando ſe tenet ex parte fœminæ, id eſt, dum aliquis fornicatur cum ſponſa alterius de futuro; & tenetur fornicans, & ipſa ſponſa fateri hanc ſponſalium circunſtantiam. 2.61.16

Ex parte verò ſponſi de futuro, ſi ad aliam accedit, hæc circunſtantia non eſt neceſſariò aperienda in confeſſione. ibid.

Vide *Iuramentum,* rubr. *Iuramentum factum circa ſponſalia,* & *Matrimonium,* rubr. *Impedimentum vis, ſeu metûs.*

Strigæ, vide Accuſatio.

Stuprator, vide Matrimonium, *rubr.* Impedimentum vis, ſeu metûs.

Stuprum.

Si puella virgo non coosentit in ſui violationem, ſed violenter clauſtrum virgineum aufertur ab ea, tunc propriè committitur ſtuprum à fornicatione ſpecie diſtinctum; ideóque in omnium opinione à ſtuptatore talis circunſtantia ſtupri neceſſariò eſt apetienda in confeſſione. 2.59.10

Cortumpens virginem precibus importunis, committit ſpeciale peccatum ſtupri neceſſariò fatendum in confeſſione. ibid. 11

Stuprum eſt neceſſariò fatendum in confeſſione, ſi virgo dolis circumuenta, aut ignorans cognoſcatur. ibid.

Stuprum eſt violatio virginis, etiamſi fœminæ virginis nulla vis inferatur, & ſi parentibus, aut tutoribus renitentibus è domo virgo volens abducatur, & cognoſcatur, eſſet raptus reſpectu parentum, & tutorum oeceſſariò in confeſſione explicandus. 2.60.12

Superſtitioſi, vide Accuſatio.
Surdus, vide Mutus.
Suſpenſio, vide Cenſura.
Suſpenſus, vide Excommunicatus.

Tactus.

T

Tactus.

TActus verò impudici circa verenda nullatenus ſunt liciti ſponſis de futuro. 1.75.7

Tactus leues, vt manum fœminæ, pedem, vel brachium premere, vellicare, digitos intorquere, non ſunt communiter peccata mortalia, ſed venialia. 1.76.11

Si hi tactus leues ſint habiti ob captandam delectationem illam, quæ ex illis oritur, ſunt peccata lethalia. ibid.

Mortale eſt propria verenda tangere ob veneream delectationem ex eo tactu ortam, quia talis actus tendit ad mollitiem. ibid.12

Secus dicendum eſt de tactu propriorum verendorum ex curioſitate, aut leuitate, aut gratia manus calefaciendi abſque libidine, & pollutionis periculo. ibid.

Vide *Amplexus*, & *Aſpectus*.

Teſtamentum, vide Donatio.

Teſtimonium, vide Matrimonium, *rubr.* Impedimentum vis, ſeu metûs

Tonſio pectoris, vide Sacramentale.

Tranſactio.

Tranſactio eſt quaſi tranſactio actionis, eo quòd tranſigens ab actione deſiſtit, ſeu compoſitio, vel permutatio de re dubia, & lite incerta, & nondum finita, non gratuita pactio, ſed aliquo dato, vel retento, vel promiſſo. 1.204.5

Turpia, Turpiloquium.

Verba turpia dicere, vel audire, in ſolutis non eſt peccatum mortale, quando non amittitur delectatio aliqua ipſius rei turpis cogitatæ, licèt intendatur ſola delectatio ex verbis, & auditione rerum turpium conſurgens. Idem dicendum de cantatione ac geſtibus turpibus, effectis ob ſolam delectationem ex ipſis reſultantem. 1.78.4

Audiens turpia cum peccato mortali dicta ſi rideat, & gaudium præ ſe ſimulatè ferat, carens tamen delectatione venerea, ne inurbanus videatur, non eſt damnandus eadem culpa lethali. ibid.6

Sed omnino dicendum eſt verba turpia audire, vel dicere, in ſolutis ex ſola vanitate, aut leuitate, ſi nihil aliud intendatur, non eſſe lethale, ſed tantùm veniale. Cæterùm illa audire, vel dicere libidinosè, gratia ſcilicet captandæ delectationis ſenſualis, eſt lethale. ibid.

Intereſſe comœdiis vbi turpes res repræſentantur, ob ſolam vanam curioſitatem abſque periculo probabili lapſus in aliquod peccatum mortale, non eſt lethale. Imò quando audiuntur huiuſmodi turpia in comœdiis repræſentata ob ſolam delectationem reſultantem ex ſolis verbis turpibus, non eſt mortale. ibid.7

Secus ſi admittitur & intenditur delectatio ex rebus ipſis turpibus cogitatis, tunc enim eſt lethale. ibid.

Alij verò, quibus ego adhæreo, abſolutè damnant de mortali delectationem, de turpium locutione, auditione, cantatione turpium captatam, quamuis nihil aliud intendatur. ibid.

Facientes turpes cantilenas plenas laſciuiis peccant mortaliter. ibid.8

Item componentes, aut repræſentantes comœdias, quæ res valde turpes ac ad Venerem excitantes continent, committunt lethale crimen. ibid.

Idem dicendum de pingentibus turpia, vt Venerem, & Adonidem, detectis pudentibus. ibid.

Legere libros turpes tractantes de obſcœnis amoribus ob ſolam vanam curioſitatem, eſt ſolùm veniale, ſi abſit periculũ, &c. At ſi intendatur delectatio venerea ex ipſis rebus turpibus cogitatis, eſt mortale. ibid.9

Turpiloquia ſi fiant propter delectationem, quæ ex narratione eorum præciſè capitur abſque praua intentione, vel abſque affectu venereo, ob ſolum quoddam leue, & vanum ſolatium, communiter ſunt peccata tantummodo venialia. 2.62.10

Qui de rebus turpibus loquuntur cum delectatione, non ſolius narrationis, ſed rerum per verba repræſentatarum, non ſatisfaciunt dicendo ſe de rebus turpibus cum delectatione ſermonem coram pluribus, aut coram tot perſonis habuiſſe, ſed tenentur exprimere conditionem perſonarum aſtantium, vtrùm ſcilicet eſſent coniugatæ, vel ſolutæ, vel caſtitatis voto aſtrictæ. 2.69.49

Similiter exprimere tenentur qualitatẽ ſermonis, vtrùm ſcilicet ſermo eſſet de rebus turpibus circa coniugatos, vel circa ſolutos, vel de nefando vitio. ibid.

V

Vagabundus.

VAgabundi, ſubditorum nomine comprehenſi in decreto Tridentini. 1.16.2

Venditio, vide Compoſitio.

Vicariatus, Prioratus, &c.

Officium Prioris, Guardini, Prouincialis, Generalis, & quoduis aliud ſimile in aliquo regulari Ordine Mendicantium obtinens per ſimoniam realem, non eſt excommunicatus, neque in conſcientia ante ſententiam tenetur illud dimittere. 1.148.5

Vide *Beneficium.*

Virginitas.

Vir perdens ſuam virginitatem per primam copulam carnalem illicitam, non tenetur exprimere in confeſſione hanc circunſtantiam. 2.58.8

Fœmina, quæ primum lapſum carnis externum cum viro confitetur, tenetur declarare in confeſſione, an in illo primo lapſu eſſet virgo, nec ne. 2.59.init.

Virginitas, licèt ſit virtus quædam infuſa, tamen ſemel amiſſa per fornicationem, non recuperatur poſtea per pœnitentiam. 2.155.9

Virginitas dupliciter ſumitur, ſcilicet corporaliter pro integritate carnis, quæ duo includit, ſcilicet priuationem pollutionis, & integritatem ſignaculi corporalis, & formaliter pro propoſito reſpuendi delectationes venereas, quæ ſic diffinitur à S. Auguſtino, Virginitas eſt in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio, id eſt, propoſitum rationis perpetuò continendi. 2.157.2

Virginitas eſt virtus. ibid.3

Pueri ex ſua natiuitate non habent formaliter virtutem virginitatis. ibid.

Habent tamen pueri ex ſua natiuitate quod eſt materiale in virtute virginitatis. ibid.

Virginitas rurſus dupliciter ſumitur, ſcilicet naturaliter, vel moraliter. ibid.4

Iterum virginitas moraliter ſumitur dupliciter pro quodam caſtitatis ſtatu, & prout eſt virtus à caſtitate diſtincta. ibid.

Virginitas naturalis conſiſtit in naturali integritate membrorum. ibid.

Virginitas moraliter, vt eſt ſtatus caſtitatis requirit duas conditiones. Primò quòd perſona non ſit voluntariè polluta: ſecundò quòd ſit in propoſito ſic ſe ſeruandi, niſi matrimonio iungatur, & hoc modo puellæ nubiles caſtæ, dicuntur virgines. ibid.

Virginitas moralis, prout eſt ſpecialis virtus, addit ſupra virginitatis ſtatum perpetuitatem ſeruandi integritatem, ſeu perpetuò ſe immunem ſeruare ab omni delectatione venerea. ibid.

Votum perpetuò ſeruandi integritatem, non eſt de ratione virginitatis, ſed tantùm pertinet ad perfectiſſimam rationem virginitatis. ibid.

Virginitas amitti poteſt tripliciter, mente tantùm, ſcilicet per conſenſum in rem veneream, ſine opere: ſecundò mente, & corpore: tertio modo corpore tantùm, id eſt, per fractionem ſignaculi virginalis, loquendo de fœmina, vel per reſolutionem ſeminis quocumque modo. Triplex igitur eſt corruptio: prima ſcilicet corporalis tantùm, id eſt, fractio ſigilli virginalis, vel reſolutio ſeminis quocumque modo: ſecunda mentalis tantùm, id eſt, conſenſus in rem veneream ſine opere ſubſequuto; tertia corporalis, & mentalis ſimul. ibid.5

Per voluntariam pollutionem, etiamſi fiat abſque copula, perit virginitas, abſque ſpe illam recuperandi. ibid.6

Reſolutio ſeminis voluntaria ſine exteriori procuratione ſufficit vt deperdatur virginitas irrecuperabiliter. ibid.

Ita irrecuperabiliter deperditur virginitas per ſeminis reſolutionem voluntariam, quòd per abſolutam Dei potentiam non poſſit cum omni proprietate recuperari. ibid.

Licèt in fœmina voluntariè polluta abſque copula remaneat ſignaculum virginale corporis, & naturalis integritas carnis, non tamen remanet virginitas, quæ eſt virtus, imò per ſolam ſeminis reſolutionem voluntariam irrecuperabiliter virgioitas, vt eſt virtus, deperditur. a.158.7

Peccatum tamen ſtupri committeret, qui cognoſceret fœminam voluntariè pollutam, habentem tamen corporis ſignaculum virginale. ibid.

Corruptio corporalis tantùm, quoad reſolutionem ſeminis, puta in ſomno, vel ebrietate, aut ratione infirmitatis, vel huiuſmodi, præter propoſitum non perdit virginitatem. ibid.8

Licèt pollutio in ſomno non procurata in vigilia præter intentionem, & abſque culpa ſaltem lethali, non tollat virginitatem, tamen approbatio illius ſuperueniens tollit virginitatem mentalem, quæ per pœnitentiam recuperari poteſt. ibid.

Delectatio, quæ procedit ex mentis propoſito, tollit virginitatem irrecuperabiliter, ſi ex completa ſeminis reſolutione cauſetur. ibid.9

Virginitas vt eſt virtus, non amittitur ſi puellæ cognoſcantur carnaliter à viris dum dormiunt, vel quando ſunt ebriæ, vel amentes, vel ſi corrumpantur per vim nihil conſentientes. ibid.10

Puellæ ſi antequam ſint doli capaces, attentent carnalia antequam ſpermatizent, etiam per coitum corporalem, ſtat in eis virginitas mentis, & corporis. ibid.12

Puellæ, etiamſi ſint doli capaces, ſi permittant ſignaculum frangi, & conſentiant in actum turpem, & in coitum perfectum corporaliter, quo conſueuit reſolutio ſeminis procurari, ſi ſperma non emittatur, & non adſit deciſio ſeminis, nec delectatio conſequenter mentem ſuffocans, non amittitur in eis virginitas moraliter, quantũ ad materiale in ea. 2.159.13

Licèt virile ingrediatur, & egrediatur pudoris clauſtra, per hoc tamen virginitas corporalis ex parte viri non amittitur. ibid.14

Puellæ doli capaces, ſi non ſpermatizent, attentantes carnalia per actus turpes, & etiam per coitum, amittunt quidem naturalem integritatem carnis ſi per coitum ſignaculum virginale deperdunt, & virginitatem quoad mentem; non tamen illam amittunt irrecuperabiliter. ibid.15

Contrarium tamen tenet Leſſius, virginitatem ſcilicet abſolutè recuperari non poſſe ex parte fœminæ, amiſſam per voluntariam clauſtri virginalis violationem, ſiue in matrimonio, ſiue extra, idque ſiue per copulam, ſiue per aliam turpitudinem. Ex parte viri ſimiliter, inquit, abſolutè deperdi per copulam carnalem. ibid.

Tria præcedentia aſſerta intelliguntur, ſi puellæ doli capaces ſint naturaliter impotentes ad ſeminandum: ſecus ſi naturaliter ſint potẽtes ſperma emittere. ibid.

Puer, cui ratione ætatis deeſt poteſtas ſeminandi, quantumcunque det operam venereis, etiam per coitum corporaliter cum fœmina, amittit quidem virginitatem mentalem, ſi ſit doli capax, quia animo, & mente polluitur; ex parte verò corporis nullo pacto amittit. ibid.16

Vir ſi fortè ob naturæ debilitatem, vel morbum per accidens ſit impotens ad ſeminandum, per coitum amittit virginitatem ex parte corporis irrecuperabiliter, etiamſi per accidens non ſpermatizet. ibid.

Per ſodomiam, ſi fiat à viro ſufficientis ætatis ad ſeminandum, amittitur illa carnis puritas, quam poſtulat virginitas ex parte corporis, & conſequenter irrecuperabiliter. ibid.17

Ante annos pubertatis, qui eſt 14. completus in maſculo, & 12. in fœmina, vterque ſexus communiter eſt impotens ad generandum: quandocumque tamen perſonam aliquam contingit voluntariè ſeminare, perditur virginitas irreparabiliter. Et quoniam ſexus fœmineus inuenitur ſeminare, ſi prouocatus ad hoc fuerit non ſolùm parum ante pubertatem, ſed in ſexto ætatis anno, & ſupra, ideò longè citius poſſunt mulieres irrecuperabiliter virginitatem perdere, quàm viri, qui non ita citiùs ſpermatizent. 2.160.18

Vir naturaliter poteſt eſſe ſimul pater, & virgo mentaliter. ibid.19

Vir ille eſſet ſimul pater, & virgo mentaliter, & moraliter. ibid.

Vir non poteſt eſſe ſimul pater, & virgo, ſalua omnimoda virginitate, etiam miraculosè. ibid.

Puella virgo poteſt concipere naturaliter, ſalua omnimoda virginitate. ibid.20

Mulier tamen, ſalua omnimoda virginitate, non poteſt eſſe mater naturaliter, itaut concipiat, & pariat, niſi miraculosè. ibid.

Tria requiruntur ad omnimodam virginitatem, quorum primum eſt principale, & formale, ſcilicet aſſidua voluntas nunquam experiendi delectationem veneream: & ſic ſecundùm ſuum potiſſimum, & ſuum formale diffinitur virginitas à D. Auguſt. Virginitas eſt in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio. Secundum, quod requiritur ad omnimodam virginitatem, eſt materiale in ipſa, ſcilicet paſſio appetitus ſenſitiui, ſcilicet delectatio quam quis experitur in actu venereo, cuius priuatio requiritur ad perfectam virginitatem materialiter. Tertium autem eſt quaſi per accidens, & concomitanter ſe habens ad virginitatem, ſcilicet corporalis integritas. ibid.21

Delectatio, quæ in ſomnis accidit cum ſeminis deciſione, non eſt materia virtutis virginitatis, & propter hoc, nec talis corruptio incorruptionem tollit, quæ eſt virginitatis materia, & ideo ratione talis pollutionis virginitas non perditur. ibid.22

Medium in quo conſiſtit virtus, non accipitur ſemper ſecundùm quantitatem eius, circa quod eſt virtus, quæ quantitas eſt circa ſuperfluum, & diminutum. 2.161.23

Medium virtutis eſt facere opus quando oportet, & ſicut oportet; exceſſus verò eſt facere opus quando non oportet, & ſicut non oportet: defectus autem eſt non facere opus cùm oportet facere. ibid.

Virtus ſimiliter virginitatis, quamuis ſit in vltimo extremi, quaorum ad id, circa quod eſt, tamen eſt in medio in quantum debitas circunſtantias mediocriter ſeruar. ibid.24

Medium rationis In materia virtotum eſt facete opus, quando oportet, & prout oportet; esceſſus verò eſt operari opus, quando non opotet, & ſicut non oportet: defectus antem quando negatur materia, & affirmantur circumſtantiæ. ibid.25

Medium virturis moralis non eſt medium rationis eſſentialirer, ita videlicet, quòd medium illud ſit ſubiectiuè in actn rationis, ſed dicitur medium rationis cauſaliter, & effectiuè, id eſt, medium conſtitutnm à recta ratione. ibid.26

Medium rei illud dicitur, quod deſumitnr ex æqnalitate terum inter ſe ante omnem conſiderarionem intellectus, & huiuſmodi medium eſt determinatum à natnra. ibid.27

Sicur virginitas eſt virtus moralis, licèt ſit in vltimo estremi quantum ad id, circa quod eſt; eſt tamen in medio in quantum debitas circumſtantias ſeruat; ita pœnitentia eſt vera virtus, licèt quoad dolorem, qno deteſtatur peccata, non ſit in medio. ibid.28

Duplicirer poteſt intelligi virtus moralis in medio conſiſtere. Primo modo formaliter, & eſſentialiter. Secundo modo quòd virtus moralis conſiſtit in medio cauſaliter, & quantum ad effectnm. a.162.29

Integritas naturalis carnis, qnæ eſt naturalis virgioitas deperdita pet actum turpem abſqne ſeminis reſolutiooe, licèt naturaliter non poſſit reſtitui, tamen Deus ſua potentia poteſt illam mulieri reſtituere. ibid.30

Virginitas, vt eſt amiſſa ſolùm per conſenſum in rem veneream, ſine opere ſubſeqnnto, amittitur qnidem, recuperabiliter tamen per pœnitentiam, ſiue per affectum contrarium. ibid.31

Si virgo in vigilia vim patiatnr ab homine, etiamſi delectationem naturalem ſentiat, dummodo tamen non conſentiat, ſed reſiſtat, virginitatis virtutem, meritum & præmium aureolæ debitum virginibus non amitteret, etiamſi pareret, & integritatem naturalem virginalem corporis perderet. ibid.32

Mulier virgo, quæ ſe ipſam polluendo veneream espetitur delectationem, etiamſi aliquo adminiculo, vel cum altera muliere per ſodomiam, vel quomodocumque ſine ſignaculi fractione procuret ſeminis deciſionem, licèt amittat virginitatem moraliter, & vt eſt virtus, irreparabiliter, tamen non peccat peccato ſtupri. a.163.33

Puellæ, quæ integritatem corporis virginalem habent, etiamſi per reſolutiooem ſeminis voluntatiam irreparabiliter virginitatem perdiderint, velari poſſunt, nimirum velo conſecrationis, quod ab Epiſcopo anno 25. ætatis accipitur. ibid.34

Multo magis poteſt conſecrari ab Epiſcopo fœmina ſi ſolùm mente ſit corrupta per peccata luxuriæ interiora, nimirum per delectationes moroſas, ant voluotarios affectus luxurioſos etiam ſciente Epiſcopo talia peccata. ibid.

Puella corrupta per voluntatiam clanſtri virginalis violationem, etiam occultè, non poteſt velari velo conſecrationis, etiamſi ſit corrupta diſſentiens, ſi tamen corruptio cunſtat, non poteſt licitè conſecrari. ibid.35

Fœmina carne corrupta ſponté ſua petens, & procurans velum conſecrationis, peccat mortaliter. ibid.36

Idem dicendnm eſt de patentibus, qui conſcij corruptionis filiæ, illam offerunt, vt velum conſecrationis accipiar; idem de Epiſcopo, ſi publicè corruptam velo conſecrationis donauerit: quòd ſi ſecretò ſciat corruptionem puellæ, alioquin occultam, licitè poteſt tunc Prælatus ei velum conſecrationis concedere, cùm publicè velum petitur. ibid.

Quando puella corrupta, ſolùm permittit ſibi velum conſecrationis dari, & eius corruptio eſt occulta, & parentes ignari corruptionis procurant, & vrgent, aut aliquo modo cogunt, vt fiat Monialis, & ea aliter ſe commodè escuſare non poreſt, niſi delictum ſuũ prodat, tunc non peccat id permittendo ob vitaodum ſcandalum, & infamiam ſuam probabilem. ibid.

Velum ramen nigrum profeſſionis, quod confertur Monialibus Ordinum Mendicantium poſt annum expletum probationis, quando emittunt profeſſionem; ſi alicui mulieri detur, quæ non eſt verè virgo, non erit peccatum lethale. ibid.37

Qui virginem violenter defloratam ab alio duceret in vxoré, licèt hæc, ſi penitus ſuæ deflorationi non conſentit, haberet interiùs virtutem virginitatis, eſſet tamen hic irregularis ex defectu ſacramenti. ibid.38

Virtus.

Virtus dupliciter poteſt accipi, vno modo largè, ſecundùm eſſentiam ſuam, pro quocumqne habitu laudabili inclinante potentiam ad bonum actum: altero modo poteſt accipi virtus ſtrictè pro habitu conſtituente potentiam in vltimo debitæ perfectionis reſpectu actus ad quem inclinat. a.137.8

Hominibus iuſtis ſimul eum gratia, & charitate diuinitus infundantur præter virtutes theologales, virtutes morales infuſæ. a.138.11

Hæ virtutes morales infuſæ ſpecie diſtingnuntur à virtutibus moralibus ex operum aſſuetudine aequiſitis. ibid.

Non eſt mirum, quòd ſi quis iuſtificetnr, cùm antè vitioſos habitus habuerit, puta habitnm vitioſum intemperantiæ, ſimul cum gratia iuſtificante, infundantur eidem virtutes morales infuſæ. ibid.12

Quòd verò homo baptizatus cùm peruenit ad vſum rationis ſentiat magnam difficoltatem in operibus virtutum, hoc non prouenit propter defectum habitos virtutum, ſed quia gratia iuſtificans non auſert omnia impedimenta fomitis paſſionum, & concupiſcentiæ: pronitas tamen, & concupiſcentia ad malum in iuſtificatis diminnnntur, vt noo dominentur, & ne homo ab his ſuperetur. 2.139.15

Per actus virtutum moralium infuſarnm non producuntur alij habitus, ſed prior habitus intenditur, & perficitur. ibid.18

Puer baptiſatus peruenìens ad vſum rationis perſiſtens per multos annos in gratia, ſi poſtea per peccatum mortale illam amittat, & conſequenter cæteras alias virtutes per ſe infuſas, ſi inuenit ſe promptum, & facilem ad ieiunandum, e.g. hoc non prouenit. 2.140.19

Habitus, & virtutes infuſæ ſunt in duplici differentia, infuſæ per ſe, & infuſæ per acidens. Infuſæ per ſe illæ ſunt, quæ viribus naturæ comparari nequeunt, quarum pruinde acquiſitio eſt diuina, & ſupernaturalis infuſio, vt, gratia, fides, ſpes, charitas, & virtutes morales, quæ ſimol infnnduntur cum gratia: infuſæ verò per accidens illæ ſunt, quæ viribus naturæ comparari poſſunt, vt ſcientia infuſa Salomoni, & Adamo. Habitns, & virtutes infuſæ per accidens, quæ licèt poſſint viribus naturæ acqniri, ex Dei tamen munere nobis aliqnando infunduntur, ſunt eiuſdem ſpeciei cum acquiſitis. ibid.10

Virtns ſecundùm D. Thom. eſt bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, & qua nemo malè vtitur, quam Deus in nobis operatur. ibid.25

Diffinitur etiam virtus ab Ariſtotele, Virtus eſt vltimum potentiæ, primum vltimum, principium operatiuum ſimul cum potentia. ibid.22

Dicitur etiam apud eumdem Ariſtotelem quòd virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum. ibid.

Virtua eſt quæ bonum facit habentem,& eius opus bonum reddit. ibid.

Vis, ſeu metus, vide Matrimonium, *rubr.* Impedimentum vis,ſeu metûs.

Vitium.

Habitus vitiorum materialiter manentes in homine, etiam iuſto, ſunt quædam malæ diſpoſitiones & inclinationes ad malum, non tamen ſunt peccata, nec vt ſic formaliter maneut poſt iuſtificationẽ.2.138.10

Remaneut tamen huiuſmodi habitus vitioſi quando homo iuſtificatur per gratiam, aliqua ratione debilitari, & quaſi in via corruptionis. ibid.13

Vnctio ſacramentalis, vide Sacramentale.

Votum, & Præceptum.

Qui vouit caſtitatem ſolùm in opere extremo, id eſt, emiſit votum abſtinendi ſolùm ab opere externo, non peccat contra Religionem,ſed ſolùm contra caſtitatem, quando interiùs delectatur; quando verò efficaciter habet deſiderium operis externi, peccat etiam peccato ſacrilegij. 2.60.14

Votum eſt voluntaria, & deliberata promiſſio facta Deo de aliquo bono meliori. 2.138.1

Voti irritatio, diſpenſatio, & communicatio differunt. ibid.2

Per Iubilæum vota ipſo facto non commutantur, ſed ſolùm Confeſſariis datur facultas commutãdi.ibid.3

Confeſſarius electus per Iubilæum non poteſt in vniuerſum omnia vota commutare. 2.239.init.

Qui virtute Iubilæi ſolùm habent facultatem commutandi vota, poſſunt illa commutare in mitius, in minus,aliqualiter. ibid.4

Probabiliter etiam dicimus, quòd qui virtute Iubilæi ſolùm habet facultatem commutandi vota, debet in æquale bonum illa commutare. ibid.

Qui habent facultatem diſpenſandi in votis, & ſimiliter illa commutandi, poſſunt ſine ſcrupulo commutare illa in longè minus bonum. ibid.5

Ad commutandum votum in melius, & magis Deo acceptum, Superioris auctoritas non requiritur, quando res in quam commutatur votum,eſt euidenter melior,& præſtantior. ibid.6

Quãdo res dubia eſt,an id,in quod debet votũ commutari,ſit melius,nec ne,non poteſt quis propria auctoritate abſque Prælati licẽtia in aliud cõmutare. ibid.

Si res ſit dubia,an id,in quod votum debet commutari, ſit æquè bonum, nec ne, manifeſtum eſt ad hanc voti commutationem neceſſariam eſſe Superioris authoritatem. Ibid.

Quando verò euidenter,& manifeſtè conſtar, id in quod ſit commutatio, eſſe æquè bonum, & gratum Deo, tunc etiam eſt neceſſaria Prælati authoritas ad commutationem voti. ibid.7

Probabiliter etiam dici poteſt ad voti commutationem in id quod eſt euidenter,& manifeſtè æquale bonum, non requiri authoritatem Prælati, ſed quemlibet poſſe propria auctoritate ſic commutare. ibid.

Confeſſarius electus poteſt commutare vota vigore Iubilæi præter votum caſtitatis, & Religionis, & abſoluere à cẽſuris extra ſacramentũ Pœnitẽtiæ. ibid.8

Votorum diſpenſatio, vel irritatio facta à Prælatis.

Diſpenſatio votorum facta à Prælato abſque conſenſu ſubditi acceptantis talem diſpenſationem,non valet 2.240.1

Confeſſarius tamen electus vigore Iubilæi, & quilibet alius Prælatus,nõ poteſt cõmutare vota ſine cõſenſu pœnitentis acceptantis talem commutationẽ. ibid.2

Irritatio tamen voti fieri poteſt à Superiore etiam vouente inuito. ibid.3

Superiorem non ſolùm poſſe irritare vota externa,inuitis ipſis ſubditis, ſed etiam interna abſque alia cognitione. ibid.

Non ſolùm Prælati Religioſorum,ſed etiam Abbatiſſę, ſimiliter Prioriſſæ Monialiũ,poſſunt huiuſmodi vota ſupererogationia ſuarũ Monialiũ irritare. 2.241.4

Secundarij Prælati Religionum, quos communiter Superiores vocant, non habent poteſtatem vota irritandi aliorum Religioſorum. ibid.5

Prælati Religionum non poſſunt vota Nouitiorum irritare. ibid.6

Magiſter Nouitiorũ poteſt vota Nouitiorũ ſuſpendere eo modo,quo diximus de Prælatis Religionũ.ibid.7

Poteſtas irritandi vota poteſt alteri à legitimo Superiore delegari. ibid.8

Confeſſarius electus vigore Iubilæi, ſi pœnitens tunc temporis petit ab eo votorum ſuorum commutationem, nullam aſſignans cauſam pro illorum commutatione,poteſt nihilominus ea commutare. 2.142.1.

Extra tamen tempus Iubilæi ſi commutatio fieret in minus, aut in rem, de cuius æqualitate dubitatur,iuſta & legitima cauſa exigitur ad votorum commutationem. ibid.2

Nulla requiritur cauſa ad commutationẽ votorũ quando commutatio fit in rem euidenter meliorem.ibid.

Quando commutatio fit in rem certo æqualem,& probabile eſt eſſe meliorem, aut dubium eſt, an ſit melior,nulla cauſa deſideratur. ibid.

Quando commutatio fit æquale bonum, iuſtam,& debitam cauſam requirit. ibid.

Prælatus,ſeu eius delegatus, ſi ſine iuſta cauſa commutet votum in æquè bonũ,valida eſt cõmutatio.ibid.3

Non eſt opus adire Prælatum commutantem, vt eum defectum ſuppleat, ſed poterit quilibet abſque nouo Prælati conſenſu,vel ad arbitrium boni viri. ibid.

Commutatio voti facta propria auctoritate, aut alterius carentis iuriſdictione in bonum æquale, aut in minus, non eſt omnino irrita,ſed tenetur vouens vel prius votum implere, vel supplere, quod commutationi deſuit,vt eſſet in bonũ euidenter melius.ibid.4

Commutans votum in bonum æquale, aut in minus, abſque iuſta cauſa, peccat mortaliter. ibid.

Tempore Iubilæi poſſunt commutari vota non ſolùm facta ante Iubilæum,verùm etiam illa,quæ poſt illud emiſſa ſunt,etiamſi intra eamdem hebdomadam,qua quis Iubilæum intendit lucrari,etiam poſt confeſſionem factam,ante tamẽ vltimũ opus expletum. ibid.5

Votorum diſpenſatio, iuramento firmata, vel emiſſa in vtilitatem tertij.

Is cui per Bullam,aut Iubilæum,aut priuilegia Religionis commiſſa eſt facultas cõmutandi,vel diſpenſandi in votis, eo ipſo authoritatem habet commutandi, vel diſpenſandi iuramẽta,quæ ſoli Deo fiunt.2.243.1

Maior eſt obligatio voti,quàm iuramenti. ibid.2

Probabile etiam eſt aſſerere Confeſſarium virtute Iubilæi, cui conceditur facultas cõmutandi vota,eo ipſo non habere authoritatem cõmutandi iuramẽta.ibid.

Cui poteſtas & facultas delegata conceſſa eſt ad vota commutanda,non poteſt vota iureiurando communita commutare. ibid.3

Virtute Iubilæi non poſſunt commutari vota facta in vtilitatem tertiæ perſonæ, vel loci. ibid.4

Votorum iam aliàs commutatorum, & pœnalium commutatio.

Per Iubilæum, vel alia priuilegia concedentia commutationem votorum, poſſunt commutari vota, quæ aliàs

aliàs fuerunt per habentem facultatem commutata. a.144.1
Si vota reſeruata, puta Religionis, & caſtitatis, ſint à Romano Pontifice commutata in materiam non reſeruatam, vt in confeſſiones menſtruas, & alia pietatis opera, poteſt talis materia poſtea non reſeruata ab Epiſcopo, & à Confeſſario vi Iubilæi commutari. ibid.2
Virtute Iubilæi poteſt commutari pœna pecuniaria debita ex fractione voti pœnalis, vt ſi quis vouit non ludere ſub pœna ſoluendi vnum aureum pauperibus quoties luderet, & iã decies luſit, & ideo ad decẽ aureos ſoluendos teneatur ex illa voti violatione. ibid.3
Si quis vouit ſe daturum quolibet menſe decem aureos pauperibus, & omiſit dare decem menſibus, & ſic ſit debitor ex voto illo violato centum aureorum: tale votum non tantùm poteſt commutatione tolli quoad obligationem futuram, ſed etiam quoad illam præteritam ſoluendæ illius pecuniæ obligationem. ibid.
Vouens ſe non fornicaturum ſub pœna dandi pauperibus vnum aureum pro qualibet vice, & debens decem aureos eo quòd decies votum fregerit fornicando, ſi Pontifex ſic vouenti commutaſſet partem pœnæ, iniungendo, vt alteram partem ſolueret, adhuc poſſet ab habente poteſtatem ordinariam, aut delegatam illa pars pœnæ, quæ remanet ſoluenda, in aliud pium opus commutari. ibid.4
Poteſt etiam illa pars pœnæ ſoluenda propria vouentis authoritate in rem euidenter Deo gratiorem commutari. ibid.
Si vouens in obtinenda ſui voti pœnalis commutatione ſolùm mentionem fecit de obligatione in futurum, non autem de pœna iam incurſa, & non ſoluta, non cenſetur liber quoad pœnam incurſam. ibid.5

Votorum commutatio tempore Iubilæi.

Virtute Iubilæi poteſt Confeſſarius ſimpliciter commutare omnia vota pœnitentis, quorum numeri eſt obiitus. a.145.1
Qui tempore Iubilæi memor ſui voti noluit petere vt Confeſſarius ſibi illud commutaret, quia volebat illud implere, poſtea tranſacto Iubilæo, poteſt, ſi vult, petere illius commutationem, ſi adimpleuit omnia opera præſcripta in Iubilæo. ibid.2
Vota, quæ ſub certa ſpe obtinendi Iubilæum ſunt emiſſa, poſſunt tempore Iubilæi commutari. ibid.3
Confeſſarius ſi tempore Iubilæi eſſet multum occupatus in audiendis confeſſionibus, poſſet votum pœnitentis hoc modo commutare: Ego in præſenti tuum votum in illud opus pietatis commuto, quod ego poſtea, aut vir prudens iudicauerit. nam hæc commutatio facta eſt tempore Iubilæi, & obligatio voti circa primam materiam transfertur in materiam à Cõfeſſore, vel à viro prudenti determinãdam. ibid.4
Pœnitens, qui hoc modo obtinuit commutationem, non peccaret contra votum, ſi donec deſignata fuerit ſibi materia, votum non ſeruaret. ibid.
Si verò Confeſſarius tantùm dixit: Commutabo votum in id, quod ego attentiùs conſiderata qualitate cauſæ, vel modo commutationis iudicauero; tunc pœnitens peccaret ſi primum votum non ſeruaret. ibid.
Facta commutatione voti licitum eſt vouenti omiſſa commutatione ſeruare primum votum. ibid.5
Votum de non ludendo, ludo, qui aliàs ſit peccatum, ſimiliter & votum non fornicandi, poteſt tempore Iubilæi ex cauſa commutari in melius, vel æquè bonum, arbitrio Confeſſarij: immò & diſpenſari poteſt ab habente aliàs facultatem diſpenſandi in votis. a.146.6
Si quis voueat non ludere, & ſi ludat promittat caſtitatem, vel ingreſſum Religionis, poteſt Confeſſarius vi Iubilæi commutando illi votum non ludendi, commutare etiam votum caſtitatis, & Religionis. ibid.7
Si quis verò voueat caſtitatem, & ſi eam violet, voueat largiri certam pecuniam, Confeſſarius electus vi Iubilæi poteſt votum eleemoſynæ commutare. ibid.8
Tempore Iubilæi Confeſſarius non poteſt commutare iuramenta ſeruandi caſtitatem, vel ingrediendi Religionem. ibid.9
Confeſſarius poteſt virtute Iubilæi commutare vota pœnalia caſtitatis, & Religionis, ante impletam conditionem. ibid.10
Votum pœnale eſt cùm quis, v.g. vouet ſe non luſurum, aut aliquid facturum, ſub pœna ingrediendi Religionem, aut caſtitatem ſeruandi. ibid.
Etiam poſt adimpletam conditionem huiuſmodi vota pœnalia poſſunt vi Iubilæi commutari. ibid.

Votorum conditionalium commutatio.

Vota conditionalia caſtitatis, & Religionis, vt cùm quis poſitus in aliquo periculo Deo Religionem, vel caſtitatem vouet, ſi ab eo periculo liberetur, ante expletam conditionem poſſunt à Confeſſario vigore Iubilæi commutari. a.147.1
Si conditio appoſita in voto emiſſo conditionato ſit de præſenti, vel de præterito, vt, Voueo Religionẽ, ſi ita res ſe habet modò, aut ſe habuit: voueo caſtitatem ſi filius meus hodie viuit, aut nudiuſtertius vixit, dicta vota virtute Iubilæi commutari non poſſunt. ibid.
Si huiuſmodi vota conditionalia ſunt facta ſub conditione neceſſaria, vt, Si eras ſol orietur, ingrediar Religionem; certum eſt tunc huiuſmodi vota non poſſe à Cõfeſſario commutari tempore Iubilæi. ibid.
Vota non purè conditionalia, ſed tantùm apparenter, etiamſi ſint ſub conditione de futuro, non poteſt Confeſſarius virtute Iubilæi commutare. ibid.2
Votum conditionale apparenter illud eſt, quando particula *ſi*, non apponitur ad ſuſpendendum conſenſum vſque ad conditionis euentum, ſed apponitur ad determinandum tempus adimplendi votum. ibid.3
Quando votum eſt merè conditionale de futuro, poteſt tale votum ne dum ante adimpletam conditionem commutari virtute Iubilæi, ſed etiam quando conditio eſt expleta. ibid.4
Si quis tamen in infirmitate poſitus voueat Religionem ſi a morbo liberetur, ſi animus vouentis tunc affectus ſit omnino ad Religionem, & defectus ſanitatis impediat, tunc votum eſt abſolutum, & commutari non poteſt virtute Iubilæi. ibid.

Votorum caſtitatis, & Religionis commutatio.

Qui caſtitatem, vel Religionem vouit, cum expreſſa intentione non ſe obligandi ad illa ſub mortali, talia vota poſſunt vi Iubilæi commutari. a.148.1
Confeſſarius tempore Iubilæi poteſt commutare votum Romano Pontifici reſeruatum, quando eſt diſiunctiuè promiſſum cum alio voto non reſeruato, vt votum caſtitatis ſeruandæ, vel ſacros Ordines ſuſcipiendi, modò vouens nondum elegerit partem reſeruatam. ibid.2
Poſt electionem factam de materia reſeruata caſtitatis, non poteſt Confeſſarius vigore Iubilæi tale votum commutare. ibid.
Votum de non petendo commutationem votorum niſi à Romano Pontifice, poteſt ex vi Iubilæi commutari. a.149.3
Vota caſtitatis, vel Religionis ad tempus, puta per decem, vel viginti annos, poſſunt virtute Iubilæi commutari. ibid.4

Votnm caſtitatis,vel Religionis poteſt vi Iubilæi commutari, quando de eo dubitatur an ſit validum, vel non, an ſit reſeruatum Romano Pontifici, vel non. ibid.5

Vi Iubilæi poſſunt commutari vota Religionis, vel caſtitatis emiſſa etiam ex metu leui incuſſo ab extrinſeco ad extorquendum votum. ibid.6

Præcedens aſſertum non intelligitur de voto Religionis, vel caſtitatis, emiſſo ex metu cadente in virum conſtantem, incuſſo per iniuriam ab homine ad extorquendum tale votum, videlicet in illum finem, vt emittat votum. ibid.

Votum factum metu mortis extrinſecus quidem, ſed ex cauſis naturalibus veniente, validum eſt, & obligatorium: vt verbi gratia, ſi quis ad euitandum mortis periculum in naufragio conſtitutus voueret caſtitatem, vel Religionem. 2.249.8

Votum non adulterandi, non fornicandi, non comittendi peccatum mollitiei, poteſt virtute Iubilæi commutari. 2.250.9

Vouens virginitatem abſolutè, & ſimpliciter, nihil cogitans, differat ne virginitas aliqua ratione à caſtitate, nécne, hoc votum eſt abſolutè, & ſimpliciter caſtitatis, & Papæ reſeruatum, & conſequenter vigore Iubilæi commutari non poteſt. ibid.10

Vouens tamen virginitatem ſine intentione ſeruandi perpetuam caſtitatem, ſed tantùm vitandi illum primum actum defloratıonis integritatis, non vouet ſimpliciter caſtitatem, ideo poteſt tale votum virtute Iubilæi commutari. ibid.11

Votum non nubendi poteſt virtute Iubilæi commutari. ibid.12

Immò matrimonium iniens contra votum abſtinendi ab illo. peccat quidem matrimonium contrahens contra votum emiſſum non nubendi: nullius tamen culpæ erit matrimonium conſummans poſt matrimonium initum, etiam prima vice, ſiue petendo, ſiue reddendo. ibid.

Tenetur tamen hic mortuo altero coniuge ab aliis nuptiis abſtinere. ibid.

Votum ſuſcipiendi Ordines ſacros non eſt idem quod votum caſtitatis, & conſequenter non eſt Papæ reſeruatum, & per Iubilæũ commutari poteſt. ibid.13

Votnm de non tangendo mulierem libidinosè, vel de non cognoſcendo fœminas carnaliter, poteſt per Iubilæum commutari. ibid.14

Vota emiſſa à coniugibus.

Votum coniugalis caſtitatis poteſt ex vi Iubilæi commutari. 2.251.1

Votum factum ab vno coniuge non petendi debitum abſque conſenſu alterius coniugis, poteſt per Iubilæum commutari. ibid.2

Votum caſtitatis poſt conſummatum matrimonium emiſſum ab vno coniuge abſque conſenſu alterius, poteſt virtute Iubilæi commutari: itaut ſic vouens prorſos, & omnino ab eius obligatione liberetur. ibid.3

Coniux poteſt, imò tenetur reddere debitum alteri coniugi petenti illicitè ob ſolam circumſtantiam perſonæ, vt accidit quando coniux, qui petit debitum, eſt obſtrictus voto caſtitatis, vel quando petit animo fornicario, vel alio prauo fine. ibid.4

Non poteſt coniux reddere debitum alteri coniugi petenti illicitè, non ob ſolam circumſtantiam perſonæ, ſed ob circumſtantiam actus, vt accidit quando quis petit debitum in Eccleſia, aut in loco publico, aut cum periculo impediendi generationem, aut cum periculo mortis fœtus. ibid.

Coniux poteſt petere & reddere debitum ſuæ vxori, quam ſcit eſſe obſtrictam voto caſtitatis, etiamſi ipſe conſenſerit in illius votum, modò non intenderit renuntiare iuri ſuo, ſed ſolùm permiſerit eam facere, quidquid vellet. 2.252.5

Coniux petitus tenetur reddere petenti, quando vterque coniux eſt obſtrictus voto caſtitatis. ibid.6

Quando vterque coniux ſeorſum continentiam vouit cum alterius licentia, non per modum contractus & reciprocæ conuentionis, vt, Facio, vt facias, voueo, vt voueas, ſed independenter ab alterius voto, tunc vterque petitus tenetur reddere, non tamen petere poteſt. ibid.7

Quando tamen vterque coniux communi conſenſu per modum contractus emiſit votum caſtitatis, ſcilicet, Voueo, vt voueas, vt integrè noſtram continentiam Deo promiſſam ſeruemus: tunc nec reddere, nec petere licitè poſſunt debitum coniugale. ibid.

In caſu aſſertionis ſuperioris, quando ſcilicet vterque coniux poſt contractũ matrimonium, & conſummatum ſeorſum continentiam vouit cum alterius licentia, non per modum contractus, & reciprocæ conuentionis, ſed independenter ab alterius voto, poteſt tale votum virtute Iubilæi commutari. ibid.

Votum quod vterque coniux communi conſenſu emiſit per modum contractus, vi Iubilæi non poteſt commutari. ibid.

Coniuges, qui ſic vouerunt caſtitatem communi conſenſu per modum contractus, ac reciprocæ conuentionis, ſoluto matrimonio tenentur votum caſtitatis ſeruare, nec ad alias nuptias tranſire poſſunt: quòd ſi de facto coniux ſuperſtes ſoluto eo matrimonio abſque diſpenſatione ad aliud tranſeat, peccat mortaliter, & tenebitur non petere debitum, licèt reddere poſſit. 2.253.init.

Votum caſtitatis emiſſum ante contractum matrimonium, non poteſt per Iubilæum à Confeſſario commutari ad conſummandum, & petendum debitum. ibid.8

Poteſt tamen Epiſcopus iuſta de cauſa, vt ſi non pateat acceſſus ad vrbem, vel alia vrgenti, puta quando timetur periculum incontinentiæ, cum obſtricto voto caſtitatis, ſi matrimonium contraxit, diſpenſare ad conſummandum matrimonium, & petendum debitum. ibid.

Emittens votum caſtitatis ante contractum matrimonium, poſt illud contractum reddere non poteſt ſine culpa debitum coniugale in priori bimeſtri, alteri coniugi petenti. ibid.9

Qui poſt votum caſtitatis ad nuptias tranſit, peccat lethaliter prima vice conſummando matrimonium in primo bimeſtri, ſiue petendo, ſiue reddendo, non tamen tenetur poſt ratum matrimonium Religionem intrare, vt ibi votum emiſſum ſeruet. ibid.10

Qui verò voto Regionis aſtrictus matrimonium iniit, peccat lethaliter contrahendo matrimonium, & etiam prima vice conſummando ſiue petendo, ſiue reddendo, mortaliter delinquit. ibid.11

Voto Religionis obſtrictus ſemel conſummato matrimonio licitè poteſt reddere, & petere debitum. ibid.12

Defuncto altero coniuge tenetur is, qui Religionem vouerat, illam ingredi. 2.254.13

Aſtrictus voto aſſumendi Ordines ſacros, vxorem ducens poſt ratum matrimonium non tenetur Religionem ingredi, vt ſuum votum ſeruet. ibid.14

Qui emiſit votum aſſumendi Ordines ſacros, peccat quidem lethaliter matrimonium ineundo, quia ſe impedit ad illud implendum, ad quod tenetur: non tamen delinquit prima vice conſummans, etiam ad ſui petitionem, nec intra prius bimeſtre à matrimonio inito. ibid.15

Si

Si poſt votum Sacerdotij quis vxorem duxit, mortua vxore tenebitur id aſſumere. ibid.16

Votom caſtitatis poſt matrimonium ratum emiſſum ab vuo coniuge, ante tamen illius conſummationem abſque licentia alterius coniugis, vel cum alterius licentia, ſi vouens habuit animum ingrediendi Religionem ad votum implendum, neque Epiſcopus tunc in iſto voto diſpenſate, neque vi Iubilæi commutari poteſt. ibid.17

In caſu præcedentis aſſertionis voueos obligatur ad non reddendum quoties redditio eſt voluntaria, vt in priori bimeſtri ante matrimonij conſummationem. ibid.18

Epiſcopus licèt poſſit diſpenſare cum obſtricto voto caſtitatis, ſi matrimonium contrahat, vt petat debitum intra primum bimeſtre, non tamen poteſt cum eo diſpenſare, qui poſt ratum matrimonium vouit caſtitatem animo ingrediendi Religionem ad petendum debitum ante matrimonij cõſummationẽ. ibid.

Poſt tamen conſummatum matrimonium poteſt Epiſcopus diſpenſare cum iſto, qui aliàs vouit caſtitatem animo ingrediendi Religionem ad petendum debitum. ibid.19

Vouens caſtitatem poſt ratum matrimonium, ante eiuſdem conſummationem abſque licentia alterius coniugis, ſiue cum alterius licentia, ſi non habuit animum ingrediendi Religionem ad votum ſeruandum, vel tempore voti ſe habuit negatiuè, nec de ingreſſu, nec de oppoſito cogitans, poteſt Epiſcopus in eo voto omnino diſpenſare, liberando protſus ab eius obligatione vouentem, & vi Iubilæi tale votum ſimiliter poteſt commutari. ibid.20

Etiam quando vterque coniux abſque licentia alterius ſeorſum, vel cum licentia alterius, non tamen per modum contractus poſt ratum matrimonium, ante tamen conſummationem vouit caſtitatem animo ingrediendi Religionem, non poteſt tunc Epiſcopus diſpenſare in tali voto, nec virtute Iubilæi commutari poteſt tale votum. 2.255 21

Quando vterque coniux emiſit votum caſtitatis communi conſenſu per modum contractus, ac reciprocæ conuentionis, Facio, vt facias, voueo, vt voueas, &c. in tali voto non poteſt Epiſcopus diſpenſare, nec vi Iubilæi commutari poteſt. ibid.22

Quando tamen eſſet periculum incontinentiæ in alterutro, nec commodè Pontifex adiri poſſet præ paupertate, aut alia ratione, tunc poſſet Epiſcopus diſpenſare, etiam cum iſtis ad petendum debitum, qui poſt contractum matrimonium vouerunt continentiam per modum contractus. ibid.

Si coniuges illi, qui per modum contractus poſt ratum matrimonium vouerunt caſtitatem, ſibi ipſis remittunt renunciationem illam iuris petendi, & reddendi debitum, quam vouendo fecerant iterum conferendo ſibi mutuam corporum poteſtatem: poterit tunc Epiſcopus diſpenſare cum iſtis ad petendum debitum ratione illius periculi, quod grauiſſimum imminet. ibid.

Si cùm ſint obligati ad reddendum, ſit illis interdicta debiti petitio, quia per illam renunciationem quaſi de nouo contrahitur matrimonium quoad licitam debiti coniugalis redditionem, quamuis petitio debiti ſit illis ratione voti caſtitatis interdicta, diſpenſando poſtea Epiſcopus cum iſtis, poterunt tunc licitè & petere, & reddere coniugale debitum. ibid.

Confeſſarius ex vi Iubilæi non poteſt cum ſolutis, qui aliàs vouerunt caſtitatem, vel Religionem, diſpenſare, vel talia vota commutare ad ineundum matrimonium, quamuis expectando diſpenſationem Romani Pontificis, vel Legati periculum incontinentiæ, aut magni ſcãdali, vel damni immineret. ibid.23

Epiſcopus tamen in caſu præcedentis aſſertionis poteſt cum ſolutis, qui aliàs vouerunt caſtitatem, vel Religionem, diſpenſare vt delegatus Sedis Apoſtolicæ ad ineundum matrimonium. ibid.24

Confeſſarius poteſt ex virtute Iubilæi commutare votum arctæ Religionis in laxiorem. 2.256.26

Votum eundi pedeſter ad limina Apoſtolorum, vel peregrinandi ad S. Iacobum Compoſtellanum pedetentim, & oſtiatim alimenta quærendo, poteſt ſimiliter virtute Iubilæi commutari in peregrinationem equeſtrem iis etiam conceſſis, quæ ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria ſunt. ibid.27

Vota puerorum.

Votum puerorum Religionis, emiſſum ante pubertatis annos, ſi pueri ſic vouentes habent vſum rationis, commutari minimè poteſt à Confeſſario virtute Iubilæi. ibid.1

Impubes dicitur maſculus ante 14 annum completum, & mulier ante 12. completum. Puer prope pubertatem dicitur cùm decimum annum cum dimidio excedit; fœmina verò cùm nonum annum cum dimidio iam habet. ibid.2

Patet tamen quæcunque filiorum impuberum vota, ſiue realia, ſiue perſonalia, ſiue mixta, etiam ſi ſint Religionis, vel caſtitatis, irritare poteſt. ibid.3

Votum multiplex eſt, aliud eſt reale, aliud perſonale, aliud mixtum. Perſonale eſt, quo Deo promittitur aliqua actio ipſius perſonæ, vel aliqua omiſſio, vt votum ieiunij, caſtitatis, orationis, abſtinentiæ à ludo. Reale eſt quo res aliqua promittitur Deo, vt eleemoſyna. Mixtum includit perſonale & reale, & eſt illud quo promittitur res, & officium perſonæ. hæc omnia impuberum vota pater ſua poteſtate dominatiua quã habet in filios impuberes, irritare poteſt. ibid.4

Non ſolùm pater, ſed etiam tutor poteſt omnia impuberum vota realia & perſonalia irritare inſtar patris. 2.257.5

Etiam vota perſonalia, aut realia, aut mixta quæ filius impubes emiſit, exequenda tempore pubertatis, aut plenæ libertatis, poteſt pater irritare. ibid.6

Si pater vota perſonalia, aut realia à filiofamilias emiſſa dum erat ſub poteſtate patris, id eſt, impubes, non irritauit, poteſt poſtea dum eſt extra illius curam, id eſt, pubes, illa irritare. ibid.7

Impubes poteſt ab Epiſcopo poſt pubertatem abſolui à percuſſione Clerici tempore impubertatis facta, etſi nequeat à facta poſt pubertatem. ibid.8

Dominus ſi votum ſerui dum in illius poteſtate erat, non irritauit, poſtquam is eſt libertatem conſequutus, non poteſt irritare. ibid.9

Vt votum factum ab impubere ante pubertatem cenſeatur ratificatum, ſic vt à parentibus irritari nequeat, non ſufficit quòd poſt pubertatem intendat illud implere pubes factus, credens illud à principio voluiſſe, ſed oportet, vt ſciens illud à principio fuiſſe irritabile, ratificet. 2.258.10

Vota perſonalia à filiofamilias poſt annos pubertatis emiſſa, quæ non præiudicant patriæ poteſtati, vt eſt votum Religionis, vel caſtitatis, non poſſunt à patre irritari. ibid.11

Impuberes verò ſi Religionem abſque parentum, vel tutorum conſenſu ingrediantur, poſſunt parentes, vel tutores id factum irritum facere, & impuberem reuocare, niſi anno, & die id diſſimulauerint, quo tempore tranſacto reuocare nequibunt: hic tamen annus, qui conceditur parentibus ad reuocandos à Religione filios impuberes, includi debet intra annos quibus ille eſt impubes: quòd ſi impubes prope pubertatem ingrediatur Religionem

paren

parentibus inſciis, aut tutoribus, non conceditur illis integer annus ad reuocandum, ſed id ſolùm quod ſupereſt vſque ad pubertatem, quâ adeptâ ceſſabit id reuocandi ius. ibid.

Vota tamen perſonalia filiorum puberum ſi patriæ poteſtati præiudiceont quando graua, & alicuius momenti eſt præiudicium, poteſt pater irritare. ibid.

Pater poteſt irritare vota realia, quæ filiusfamilias, etſi pubes, minor tamen 25. annis, emiſit. ibid.

Si votom principaliter eſt perſonale, & acceſſoriè tantùm reale, emiſſum à filio pubere, non poteſt à patre irritari. ibid. 12

Pater non poteſt irritare vota realia emiſſa à pubere ante 25. annum expletom de peculio ſuo caſtrenſi, id eſt, in bello acquiſito, vel quaſi caſtrenſi, id eſt, in officio publico acquiſito, puta legendo, docendo, aduocando, medicando, aut ſeruiendo alicui Principi. ibid. 13

Pater non poteſt irritare vota realia puberis exequenda pro tempore, quo fuerit ſui ioris. ibid. 14

Poteſtas hæc irritandi vota realia filij puberis in patre durat vſque dum filius fuerit emancipatus à patria poteſtate. ibid. 15

Pater Profeſſus in aliqua Religione approbata, vota perſonalia filij impuberis, nec filij puberis realia vota irritare poteſt. 2.259.16

Vota mulieris coniugatæ.

Vir poteſt irritare omnia vota vxoris emiſſa ititto matrimonio pro tunc implenda. ibid. 1

Probabile etiam eſt aſſerere ea vota vxoris poſſe virum tantùm irritare, quæ ſunt in præiudicium domus, familiæ, & actus matrimonialis, vtpote ei præiudicialia; cætera verò vota non item. ibid.

Votum non petendi debitum factum ab vxore, poteſt à marito irritari. ibid. 2

Probabile eſt aſſerere, poſſe virum irritare votum caſtitatis conſtante matrimonio ab vxore abſque ſua licentia emiſſum. ibid. 3

Rationabiliter etiam dici poteſt votum caſtitatis vxoris, quod poſt conſummatum matrimoniom de viri licentia emiſit, poſſe virum illud irritare. 2.160.init.

Vir abſque iuſta & rationabili cauſa irritans tale votum caſtatis vxoris, peccaret mortaliter. ibid.

Si vxor poſt contractum matrimonium, nondum tamen conſummatum, votum Religionis emiſit pro tunc implendum, non poteſt vir id votum irritare. ibid. 4

Si verò vxor poſt contractum matrimonium emiſit votum Religionis, non pro tunc implendum conſtante matrimonio rato, ſed poſt mortem viri exequendum, poteſt vir id votum irritare. ibid. 5

Vota vxoris ante matrimoniom emiſſa nequeũt à viro propriè, & directè irritari, itaut nõ reuiuiſcant. ibid. 6

Vir poteſt talia vota vxoris ante contractum matrimonium emiſſa indirectè irritare, id eſt, ſuſpendere quatenus obſequio ei debito præiudicant. ibid.

Vota vxoris ante matrimonium emiſſa mortuo viro reuiuiſcunt, & conſequenter poſt mortem viri tenetur mulier vota illa adimplere. ibid.

Duplex eſt irritatio, quædam eſt propria, & directa, quæ ſimpliciter irritatio dicitur: alia autem impropria, & indirecta, & ſecundùm quid, quæ propriè dicitur quædam voti ſuſpenſio. ibid. 7

Quando eſt vera irritatio, extinguitur prorſus voti obligatio, quando verò eſt ſola impropria, & indirecta voti irritatio, quæ eſt ſola voti ſuſpenſio, manet quidem voti vinculum, & ob ſolam materiæ prohibitionem eius obligatio eſt ſuſpenſa, quamdiu prohibitio durat, & ideo ea ceſſante priſtinas obligandi vires recuperat. ibid.

Vir poteſt vota vxoris ante matrimonium emiſſa impropriè, & indirectè irritare, id eſt, ſuſpendere quatenus obſequio ei debito præiudicant, non tamen poteſt votum caſtitatis ante matrimonium emiſſum ſuſpendere. 2.161.8

Si mulier nupta votis ſe abſque licentia viri aſtrinxit, quæ ille poterat irritare, nec irritauit, vir ſequens talia vota poteſt irritare, ſi ſecundo mulier illa nubat, & ſimiliter ſi nondum nupta, & impubes emiſit votum perſonale, vel pubes: minor tamen votum reale abſque parentum, aut tutoris licentia, ſub quorum erat poteſtate conſtituta, poterit vir cui poſtea nubit, ea vota irritare, ſicut poterant parentes, & tutores. ibid. 9

Sicut pater, tutor, vel prior maritus poteſt talia vota tempore ſubiectionis emiſſa perfectè & propriè irritare, itaut ea vota non reuiuiſcant ampliùs, ita & vir ſuccedens. ibid.

Probabile etiam eſt aſſerere vota ab vxore tempore prioris matrimonij, vel cuiuſcumque ſubiectionis emiſſa, quæ vir, pater, aut tutor poterat irritare, & non irritauit, non poſſe virum ſubſequentem irritare propriè, & directè. ibid.

Certiſſimum eſt, quòd ſi Superior ſuccedens habeat eandem poteſtatem moraliter, qualem habet Superior Regularis ſuccedens priori Superiori Religioſo, quòd poſſit vota emiſſa à ſubdito tempore prioris Superioris irritare, modò ſit ſubditus ſuccedentia Superioris. ibid. 10

Vota viri vxorati.

Quamuis vxori non ſit permiſſum omnia viri vota irritare, quia non eſt caput viri, ſed ipſius imperio ſubeſt: poteſt tamen omnia, & ſola viri vota irritare, quæ ipſi præiudicant quoad moderatam debiti redditionem, aut mutuam cohabitationem. ibid. 1

Conſequenter, ſi vir abſque vxoris licentia eas preces, abſtinentias, aut vigilias voueat, quæ ita debilitent vires, vt ineptus ſit ad reddendũ moderatè debitum, poſſunt talia vota, quoad exceſſum ſibi præiudicantẽ ab vxore irritari: non autem in totũ reuocari. ibid.

Si maritus abſque vxoris conſenſu longam peregrinationem voueat, poteſt id votum ab vxore irritari. 2.161.2

Votum integræ caſtitatis, quod vir de licentia vxoris emiſit, poteſt ab vxore ex iuſta cauſa licitè irritari quoad redditionem debiti, vt ſi ipſa eſſet iuuenis, & in periculo incontinentiæ verſaretur, imò abſque iuſta cauſa validè, ſed cum peccato poſſet id votum quoad redditionem vxor irritare. ibid. 3

Vir in caſu præcedentis aſſertionis tenebitur non petere, & vxore mortua à ſecundis nuptiis abſtinere, & ſi cum aliena commiſceatur, peccabit contra votũ. ibid.

Vxor votum viri de non petendo debitum abſque eius licentia factum, irritare non poteſt. ibid. 4

Eſt etiam ſatis probabile poſſe vxorem votum viri de non petendo debitum irritare abſque eius licentia factum. ibid.

Vota perſonalia viri ante matrimonium facta poſſunt quoque ab vxore ſuſpendi, ſi aliquo modo damnum ſibi inferunt, & in eius maximum grauamen cedunt, ac proinde conſtante matrimonio non obligabunt donec ſoluatur matrimonium. ibid. 5

Votum integræ caſtitatis ante matrimonium emiſſum à viro, remanet poſt initum matrimonium ſuſpenſum quoad debiti redditionem. ibid. 6

Vota ſubditorum.

Potentes irritare vota ſubditorum, ſupra quos habent poteſtatem dominatiuam, non poſſunt ſua vota irritare, aut committere id Confeſſariis ſuis. 2.263.1

Poteſtas

Poteſtas dominatiua, quæ requiritur ad votorum irritationem, non eſt poteſtas iuriſdictionis ſpiritualis, ſed quædam poteſtas œconomica, quæ in gubernatione, & adminiſtratione rei domeſticæ, & familiaris inuititur. ibid.2

Summus Pontifex non poteſt irritare omnia vota laicorum, aut Clericorum. ibid.3

Vota tamen Clericorum poteſt Romanus Pontifex irritare, quæ in præiudicium Eccleſiæ vergerent, vt eſt votum longæ peregrinationis, vel ſi voueat reſignationem beneficij in fauorem Monaſterij, vel renuntiationem rerum Eccleſiaſticarum. ibid.

Romanus Pontifex poteſt irritare vota Religioſorum, quæ alij Regulares eorum Prælati irritare valent. ibid.4

Epiſcopus neque vota Clericorum ſæcularium, neque Religioſorum, neque laicorum irritare poteſt. ibid.5

Dominus ea tantùm ſeruorum vota poteſt irritare, quæ eius obſequium impediunt, non tamen ea, quæ non ſunt ei præiudicialia. a.264.6

Dominus non poteſt irritare votum caſtitatis ſui ſerui. ibid.

Etiam votum caſtitatis ab ancilla emiſſum, irritum reddere non poteſt dominus. ibid.7

Poteſt tamen dominus irritare votum, quod ſeruus, vel ancilla emiſit de Religione intranda, aut de peregrinatione facienda. ibid.8

Dominus poteſt omnia vota ſerui realia irritare, vt de eleemoſyna facienda, &c. ibid.9

Dominus vota ſerui ante ſeruiturem emiſſa poteſt ſuſpendere, quæ ſuo obſequio præiudicant. ibid.10

Si dominus vota à ſeruo emiſſa dum erat ſub ipſius poteſtate, non irritauit, poſtea ſoluta eius dominij poteſtate, etiam ſi poſt eam libertatem non ſunt confirmata, non poteſt ea irritare. ibid.11

Dominus ſimiliter non poteſt irritare ſerui vota implenda tempore libertatis: vt ſi ſeruus voueat ſeruire Hoſpitali ſi libertatem conſequatur. ibid.12

Paterfamilias nequit ſuorum famulorum vota irritare. ibid.

Vota Religionum.

Votum quo quis Ordinem militarem S. Ioan. Hieroſolymitani, ſiue Melitenſem, vouit, non poteſt per Confeſſarium virtute Iubilæi commutari. a.265.1

Probabile eſt quòd ſi quis vouit ingredi Religionem, ſatisfacere voto emiſſo, aſſumpto habitu D. Ioannis Hieroſolymitani. ibid.2

Oppoſitum tamen ſuſtinet Sanchez, nempe non ſatisfieri voto Religionis, aſſumpto habitu Equitum D. Ioannis Hieroſolymitani. ibid.

Aſſumpto habitu Equitum D. Iacobi Calatranæ, & Alcantaræ, non ſatisfit voto Religionis. ibid.

Regularis Profeſſus ex Ordine Mendicantium habens diſpenſationem à Romano Pontifice tranſeundi ad aliam Religionem, etiam non Mendicantium, ſiue arctiorem, ſiue laxiorem, poteſt ingredi Ordinem militarem D. Ioannis Hieroſolymitani. a.266.3

Qui ſtrictiorem Religionem vouit, ingrediendo poſtea laxiorem, peccat mortaliter. ibid.4

Vouens ingredi ſtrictiorem minimè delinquit, ſi id votum commutet in votum profitendi in laxiori, & ſic laxiorem ingrediatur. ibid.5

Voto ſimplici obſtrictus ingrediendi Religionem aliquam Mendicantium, ſi id votum commutet in votum profitendi in laxiori militari D. Ioannis Hieroſolymitani, & hoc animo illum habitum aſſumit, non delinquit. ibid.6

Confeſſarius vi Iubilæi poteſt commutare votum, quo quis non ſolùm promiſit ingredi Religionem, verùm etiam in ea perſeuerare, ita ſcilicet non vt ſic vouens ingredi teneatur, ſed ne teneatur ad perſeuerandum ſi iuſta cauſa adſit egreſſus. ibid.7

Non tantùm Epiſcopus in caſu præcedentis aſſertionis poteſt diſpenſare cum iſto, qui non tantùm Religionem, ſed etiam perſeuerantiam in illa vouit ante ingreſſum, ne teneatur ad perſeuerandum ſi iuſta cauſa egreſſus ſit: ſed etiam poſt exitum, ſi iuſta cauſa ductus exiit, poteſt, inquam, diſpenſare, ne teneatur iterum ingredi. ibid.8

Confeſſarius vi Iubilæi poteſt commutare votum Religionis quantum ad executionem. a.267.9

Si tamen adeſſet periculum vt vouens ob longam dilationem fieret impotens ad ſuum votum perſoluendum, tunc Confeſſarius vi Iubilæi votum Religionis, & quantum ad executionem commutare non poſſet. ibid.

Virtute Iubilæi votum quo quis ſe futurum vouit militem S. Ioannis Hieroſolymitani, non poteſt à Confeſſario commutari, poteſt tamen vi Iubilæi commutari votum quo quis vouit futurum militem Alcantaræ, Calatrauæ, vel D. Iacobi, aut S. Stephani, vel S. Mauritij. ibid.10

Per Iubilæum Confeſſarius commutare poteſt votum aſſumendi habitum tertij Ordinis S. Franciſci, vel S Dominici, manendo domi. ibid.11

Item ſi aliqua mulier vouit aſſumere ſororum S. Dominici, vel S Franciſci habitum, manendo domi, bene poterit tale votum Confeſſarius virtute Iubilæi commutare. ibid.

Si verò aliqua mulier voueret aſſumere habitum S. Dominici, vel D. Franciſci ſororum dicti Ordinis, quæ in communi viuant, & profeſſionem ſolemnem emittant, & clauſuram ſeruent, non poteſt tale votum virtute Iubilæi commutari. ibid.

Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto paupertatis, & obedientiæ, ſiue in ſæculo, ſiue in Religione non approbata emiſſo. ibid.12

Votum ſolemne paupertatis in Religione emiſſum, in hoc differt à voto ſimplici paupertatis in ſæculo facto, quòd ſolemne paupertatis in Religione emiſſum impedit dominij acquiſitionem, reddens incapacem vouentem illius validè acquirendi, ac validè in alium transferendi: votum verò ſimplex paupertatis impedit licitam acquiſitionem, & tranſlationem dominij in alium, ſed non reddit vouentem incapacem acquirendi, & transferendi. ibid.13

Vouens in ſæculo votum ſimplex paupertatis, ſi inteſtatus decedit, bonorum poſt votum emiſſum acquiſitorum dominium acquirit Epiſcopus, vel ex eius conſenſu cedunt pauperibus: in reliqua verò bona, quorum dominium ante votum acquiſierat, ſuccedunt legitimi eius hæredes, qui aliàs ab inteſtato ſucceſſuri erant. ibid.14

Confeſſarius virtute Iubilæi poteſt commutare votum Religionis non approbatæ. a.268.15

Virtute tamen Iubilæi nequit commutari votum factum cum intentione ingrediendi Religionem, & probandi num ſibi placeat. ibid.16

Vouens ingredi Religionem ſatisfacit ſuo voto bona fide ingrediendo cauſa experiendi auſteritates Religionis, quòd ſi intra probationis annum monaſticam vitam expertus ab ea defecerit, ad priorem reuerſus contra votum non facit, ſi Religionis inſtitutum minimè ipſi probetur, & ſatis eſſe ſi ſibi diſpliceat id vitæ genus tanquam minus gratum ſibi, vel tanquam incommodum, aut aſperum, aut durum, quamuis nulla alia iuſta cauſa, & legitima moueatur, niſi ſimul etiam vouerit non ſe ab incepta probatione receſſurum abſque iuſta, & debita cauſa. ibid.17

Vouens non ſolùm ſe ingreſſurum Religionem, ſed in

ea profeſſurum, ſeu perſeueraturum, tenetur ex vi voti perſeuerare, & profiteri, ideo non liberari voto egrediendo ex iuſta cauſa, ſed teneri iterum ingredi, & profiteri. ibid.

Satis probabile etiam dici poteſt vouentem ingredi Religionem, & ibi perſeueraturum, non obligari ad amplius, quàm eum, qui ſolùm vouit ingredi, hoc eſt, ad experiendum bona fide, an Religionis ſtatus ſibi ſit conueniens, & ſi iudicet bona fide illum minimè ſibi conuenire ob aſperitatem, vel aliquam legitimam cauſam, poterit abſque peccato ab ea exire, abſolutúſque manebit à voti obligatione. ibid.

Qui vouit Religionem in communi, & in vnam admittitur, quam poſtea iuſta de cauſa deſeruit, non tenetur ex vi voti ad aliam tranſire. ibid. 18

Qui verò vouit Religionem in communi, ſi in vnam Religionem petitam non admittitur, tenetur aliam petere. ibid.

Qui votum Religionis determinatæ authoritate Apoſtolica commutauit in ingreſſum alterius Religionis, & deinde ab illa bona fide ſuſcepta ob aliquam iuſtam cauſam recedit, non tenetur ampliùs ad priùs promiſſam, ſed prorſus manet à voto liber. ibid. 19

Idem dicendum ſi hic, de quo loquimur in aſſertione, morali diligentia Religionem hanc, in quam votum commutauit, petat, & in perpetuum repellatur, non teneri, ſcilicet ampliùs ad priùs promiſſam. ibid.

Qui votum laxioris Religionis commutat propria authoritate in ſtrictiorem, & poſtea hanc bona fide ſuſceptam deſerit ex iuſta cauſa, aut ſufficienti diligentia appoſita, ad illam non admittatur, non tenetur ad Religionem priùs promiſſam intrare, etiamſi ad illam admitteretur, ſed prorſus liber manet à voto. 2.269.20

Vouens tamen aliquam certam Religionem, puta Auguſtinianam, ſi non animo cõmutandi poſtea ingreſſus eſt ſtrictiorem, prioris voti immemor, aut ſi memor oblitus eſt illud prius votum commutare, vel id poſſe fieri authoritate propria ignorabat, aut noluit commutare, ne ad eam ſtrictiorem obligaretur: tunc ex quantumuis iuſta cauſa egreſſus ex ſtrictiori, aut in illam non receptus, teneretur ad prius votum. ibid.

Adde quòd ſi hic, qui vouit certam aliquam Religionem, ſi poſt iſtud votum fuerit ingreſſus, & profeſſus aliam Religionem, iam non tenetur illam primam ingredi, quam vouit. ibid.

Vouens Religionem laxiorem, ſi commutat ſuum votum in ſtrictiorem, & illam bona fide ingreditur, ſi tempore Nouitiatus expellatur, eo quòd carebat ætate neceſſaria, iuxta illius Religionis ſtatuta, non ſatisfecit ſuo voto, ſed tenebitur priorem, quam priùs vouerat, ingredi, vel illam ſtrictiorem iterum intrare adepta legitima ætate. ibid. 21

Idem aſſerendum eſt de eo, qui vouit Religionem in communi, & ingreditur aliquam, & inde egreditur, non quia ingrata fuit ei Religio, neque quia viſa fuit ei importabilis, ſed quia ſtatuta Religionis aſſumptæ ei repugnant, puta quia intrauit Religionem ante ætatem, quam eius ſtatuta requirunt, hic non ſatisfecit ſuo voto, ſed tenetur ingredi aliam, quam ſciat, vel credat, ſibi eſſe aptam. ibid.

Vouens Religionem in communi, ſi bona fide ingreditur aliquam, & poſtea non quia Religio ſit ei ingrata, ſed ex iuſta cauſa temporali, puta ob morbum egrediens, vel expulſus à Religione ſemel ſuſcepta ob aliquam infirmitatem, vel aliud impedimentum temporale, non tenetur his ceſſantibus ad Religionem iterum redire, vtpotè, qui iam plenè ſuo voto ſatisfecit. ibid. 22

Vouens tamen non ſolùm ingredi Religionem, ſed emori, perſeuerare, & profiteri in ea, poſtea egrediens, vel expulſus ab ea, ex quantumuis iuſta cauſa, aut impedimento temporali, tenetur his ceſſantibus ad Religionem redire. ibid.

Vouens ingreſſum Religionis, & in perpetuum non admiſſus, quando ſcilicet poſt adhibitam ſufficientem diligentiam intrandi in Religionem nullam inuenit, eum recipere volentem, eſt omnino liberà voto, & nihil in ſæculo præſtare tenetur, ſed poteſt ad matrimonium tranſire. quod etiam verum eſt, licèt fuerit perſeuerandi votum, & idem dicendum eſt de eo, qui particularem aliquam Religionem ingredi vouit, ſi illa eum recipere non vult. 2.270.23

Qui certi inſtituti Religionem vouit, nimirum D. Dominici, ſatis eſt, ac ſufficit, quòd intra proprium Regnum, ſeu Prouinciam quinque, vel ſex Monaſteria illius Religionis, quam vouit, perluſtret, quod ſi ab his non admittitur, liber remanet à voti obligatione. ibid.

Qui verò Religionem vagè, & indeterminatè vouit, ſatis eſt ſi quinque, vel ſex varias Religiones exploret in ſua Prouincia, vel Regno; quod tamen intelligendum eſt, ſi adeat quinque, vel ſex monaſteria cuiuſlibet Religionis ex his. ibid.

Fœminæ verò vouentes Religionem tantùm tenentur in propria ciuitate, vel propè tentare ingreſſum, nec oportet has perluſtrare Prouinciam, vel Regnum. ibid. 24.

Vouens ingredi Religionem in particulari, vt cenſeatur omnino liber à voto, non ſufficit, quòd paſſus ſit repulſam à Generali illius Religionis. ibid. 25

Vouens Religionem aliquam particularem, ſi Prouincialem, aut generalem adierit, & ab eo in Religioſorum Ordinem non admittitur, ſolutus voto cenſetur, ſi Generalis, vel Prouincialis rationem ſufficientem reddiderint, ob quam creditur probabiliter fore, vt nullum Monaſterium ſuæ Religionis eum admittat. ibid.

Si repulſio facta ſit ad tempus, eo quòd cauſa, ob quam tunc non admittitur, eſt temporalis, tenetur vouens Religionem expectare, ruſúſque vrgere, quia non eſt ſimpliciter repulſus: at ſi repulſa facta eſt ſimpliciter, quia cauſa repulſæ eſt perpetua, non tenetur ampliùs expectare, ſed omnino liber manet à voto. ibid. 26

Semel ſimpliciter expulſus, poſt factam diligentiam moralem, ſi poſtea Religioſi velint eum ad Religionem admittere, non tenebitur. ibid.

Qui vouit Religionis ingreſſum, cùm eam petit, propalare tenetur ſe Deo Religionem vouiſſe. 2.271.27

Satis etiam probabiliter dici poteſt, vouentem Religionis ingreſſum, ſeu ſimpliciter repulſum, non teneri votum ſuum Religionis manifeſtare, ſed ſatis eſſe ſi ſe admittendum curet. ibid.

Voto Religionis ligatus, & in vnam bona fide ingreſſus, à qua ſua culpa fuit expulſus, ſi hic mediocrem diligentiam appoſuit ad ſe Religionis inſtituto accommodandum, non tenetur ſe corrigere, vt iterum admittatur; ſed ſatisfecit ſuo voto, & liber omninò remanet ab illo. ibid. 28

Si verò obſtrictos voto Religionis, & in vnam bona fide ingreſſus, eam mediocrem diligentiam non adhibuit, ſed craſſa negligentia in eas culpas ruit, ob quas à Religioſis è Monaſterio eiicitur, nondum voto ſuo ſatisfeciſſe cenſetur, ſed tenetur ſe corrigere, vt iterum admittatur. ibid.

Qui vouit Religionem, nihil cogitans de gradu Sacerdotum

dotum, vel Conuerſorum, ſi non admittitur niſi vt ſit laicus, ſi his dotibus prædiṫus ſit, quales conueniunt his, qui tempore debito ſacris Ordinibus initiantur, tunc ſi non admittatur vt Sacerdos ſit, liber eſt à voto. ibid.29

Qni Religionem vouit, & propoſuit illius eſſe Ordinis, qui ad Sacerdotium deputantur, ſciuitque ſe ad hunc ſtatum non aliter admittendum, niſi linguam Latinam calleat, proculdubio ſi ignarus eſt linguæ Latinæ, tenetur Grammaticam addiſcere, vt voto ſatisfaciat. ibid.30

Si talis tempore voti putauit eſſe neceſſariam Grammaticam addiſcendam, tamen intra Religionem, ſi Religio nolit eum ad Clericorum gradum admittere, niſi in ſæculo eam addiſcat, non tenetur eam in ſæculo addiſcere, & liber manet à voto, ſi per ipſum non ſtetit, quin ingrediatur admittendus, vt Clericus in Religione. ibid.

Si is qui vouit Religionem, propoſuit illius eſſe Ordinis, qui ſacris Ordinibus initiantur, bona fide credens ad hoc non requiri litteras, ſi id poſtea requiratur, non tenetur ex vi voti litteras addiſcere, ſi aliàs non admittitur. ibid.31

Religionis voto obſtriċtus, ſi ſolum gradum Conuerſorum cogitauit, credens bona fide non eſſe neceſſarium aliquod ſcire artificium, non tenetur ex voto illud addiſcere, ſi ſit ſcitu difficile. ibid.3a

Qui Religionem vouit, & gradum Conuerſorum cogitauit, ſi ſciuit ad ingreſſum requiri aliquod artificium, ex voto tenetur illud addiſcere. ibid.

Vouens ingreſſum Religionis, & in Ordine Clericorum collocari, ſciens ad Clericorum gradum eſſe neceſſariam Grammaticam, ſi facultas poſtea addiſcendi linguam Latinam non ſuppetat, excuſabitur à voto ratione impotentiæ moralis: nec hic tenebitur ingredi in Ordinem Conuerſorum. ibid.33

In dubio autem, an vouens ſciuerit, vel ignorauerit litteras eſſe neceſſarias ad ſtatum Clericorum, præſumendum eſt id non ignoraſſe. ibid.34

Probabilius tamen aſſerendum eſt, quòd vouens Religionem, vt ad ſtatum Clericorum admittatur, ſi re vera ſciebat Grammaticam eſſe neceſſariam ad talem ingreſſum, etſi tempore voti id non aduerterit, tenebitur tamen illam addiſcere. ibid.

Vouens ſcholaſticus ingredi Religionem, ſi peruenerit ad ſcientiam ingreſſui neceſſariam, ſi ob ægritudinem, vel aliam iuſtam cauſam ad illam non potuit peruenire, liber eſt à voto. ibid.35

Vouens ingredi Religionem intra triennium, non videtur liberandus ab ea intrsnds poſt lapſum triennium. ibid.36

Vouentes Religionem in magna parentum neceſſitate.

Filiusfamilias ſi exiſtente magna parentum neceſſitate votum Religionis emiſerit, tale votum tali neceſſitate exiſtente minimè obligabit. a.573.1

Siue votum præceſſerit eam parentum neceſſitatem, ſiue eam ſubſequutum ſit, in vtroque caſu filius licitè ingredi non poteſt Religionem durante ea neceſſitate, etſi non ſit qui illius parentum neceſſitatibus ſubueniat. ibid.

Filius habens parentes in graui, & magna neceſſitate conſtitutos, ſi per alius poſſit eius parentibus miniſtrari, poteſt, ſi vult, Religionem intrare, & ſi votum emiſit, tenetur illam ingredi. ibid.

Non poſſunt, nec debent filij ob ingreſſum Religionis deſerere parentes in graui neceſſitate conſtitutos, quando ipſi nequeunt illis niſi manendo in ſæculo, prouidere, nec eis aliter commodè, quàm per filiorum obſequium ſubueniri poteſt, non ſolùm quando hæc neceſſitas eſt magna, & vrgens, reſpeċtu perſonæ, ſed etiam reſpeċtu decentiæ ſtatus puta, quia oporteret parentes mendicare, vel aliis inſeruire, cum notabili indecentia ſtatus, aut conditionis ſuæ. ibid.2

Non licet filiis ob Religionis ingreſſum, etiam ſi votum emiſerint ingrediendi Religionem, deſerere parentes in extrema neceſſitate conſtitutos, neque quando ſunt in graui neceſſitate conſtituti, quando ſcilicet præciſè neceſſaria vitæ ſuſtinendæ deſunt, itaut ſi eis non ſubueniatur, timor ſit lapſus in extremam: neque quando ſunt in magna neceſſitate, quoties ſcilicet parentes ſine dedecore neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem acquirere nequeunt. ibid.

Relicta tamen parentum neceſſitate integrum eſt filio Religionem ingredi, quando filius non poteſt, abſque graui diſpendio ſuæ ſalutis, remanere in ſæculo. ibid.3

Idem dicendum, quando parentes ipſi ita filium ad peccandum excitarent, vt veriſimiliter filij lapſus in peccatum timeatur. ibid.

Si tamen ſit dubium an hoc periculum ſit tale, vt eius ingreſſus ſit præcepto ſubuentionis parentum anteponendus, præceptum ſubuentionis parentum obligabit. ibid.

Filij ingredi licitè non poſſunt Religionem quam vouerunt, non ſolùm quando magna parentum neceſſitas eſt actualis, ſed etiam quando timetur probabiliter futura. 2.2744

Si dicta magna neceſſitas parentum accidat tempore Nouitiatus, filij tenentur egredi è Religione ſi poſſunt commodè prouidere parentibus, & non ſint alij, qui illorum neceſſitati proſpiciant. ibid.5

Si de facto filius parentibus in graui neceſſitate conſtitutis Religionem ingrediatur, & profiteatur, talis profeſſio eſt valida. ibid.6

Filius Profeſſus vt parentum neceſſitati ſubueniat, ſi illa ſit extrema, & in monaſterio manens, eorum indigentiæ commodè ſubuenire non poteſt, tenetur petita licentia Superioris, licèt non obtenta, egredi monaſterium ad ſubueniendum parentibus. ibid.7

In caſu præcedentis aſſertionis filius Profeſſus ad ſubueniendum parentibus in extrema neceſſitate poſitis, poteſt, imò tenetur, dimittere habitum, vt eis ſubueniat, ſi aliter eis ſubuenire non poteſt. ibid.

Tenetur tamen talis Profeſſus ad monaſterium ſtatim redire, cùm primùm ei neceſſitati ſubuenerit. ibid.

Filius Profeſſus, etiam quando neceſſitas parentum eſt grauis, poteſt è Religione licitè exire, retento tamen habitu, petita priùs facultate à Superiore, licèt non obtenta, ſi commodè poteſt, manendo in ſæculo, ſubuenire eorum indigentiæ, & non ſit alius, qui illis proſpiciat, ſi parentes antequam ipſe emiſit profeſſionem, ſupradictam neceſſitatem patiebantur, & ſi in monaſterio manens eorum inopiæ commodè proſpicere non poteſt. ibid.

Secus autem ſi neceſſitas iſta grauis ſuperuenerit poſt profeſſionem. ibid.

Rectiùs tamen, & probabiliùs aſſerendum eſt, nunquam teneri Profeſſum è Monaſterio egredi ad ſubueniendum graui parentum indigentiæ, quamuis ea neceſſitas profeſſionem præceſſerit, neque poſſe abſque legitima Superioris licentia. 2.175.init.

Quamuis Profeſſus nequeat Monaſterio egredi, inuito Prælato, vt parentibus in graui neceſſitate conſtitutis ſubueniat, adeſt tamen iuſta cauſa licentiæ ſibi concedendæ quando extra Monaſterium poterit, & intrà minimè. quam licentiam poſſunt concedere Generalis & Prouincialis, retento tamen habitu. ibid.8

Solus tamen ſummus Pontifex indulgere poteſt Religioſo Profeſſo, vt dimiſſo habitu extra Monaſterium degat ad ſubueniendum parentibus in graui neceſſitate conſtitutis. ibid.

Superior, puta Prouincialis, vel Generalis, in caſu præcedentis aſſertionis non tenetur eam licentiam concedere Religioſo Profeſſo, vt habitu retento extra Monaſteriū ſit ad ſubueniendū parentibus. ibid.9

Tenetur tamen filius Profeſſus intra Monaſterium degens, ſtante graui parentum neceſſitate, eis ſubuenire modis ſuum ſtatum, & profeſſionem decentibus, ibid.10

Si Prælatus nollet licentiam concedere, vt Religioſus modis ſuum ſtatum & profeſſionem decentibus parentum inopiæ ſubueniat, poſſet hic occultè, & abſque ea id efficere, quamuis Prælatus repugnet, idque ſub pœna excommunicationis interdicat. ibid.

Poterit ergo Religioſus Profeſſus ex neceſſariis ſuo victui taxatis, & quæ ipſe conſumpturus erat, aliquid ſibi ſubtrahere, vt parentibus ſuccurrat. ibid.

Poſſet etiam tempore, quo in rebus Religionis non occupatur, aliquod artificium Religioſis honeſtum exercere quo parentum indigentiæ graui proſpiciat. ibid.

Filius Profeſſus manens in Monaſterio, ea procurare poteſt parentibus in graui neceſſitate conſtitutis, quæ poſſet ex Prælati licentia procurare ſuo Monaſterio modis ſuum ſtatum, & profeſſionem decentibus. a.276.11

Cæteri verò Religioſi, quibus ita non ſtrictè interdicitur pecunias apud ſe retinere, qui poſſint de licentia Prælati apud ſe retinere, poſſunt etiam Prælato iniuſtè denegante apud ſe retinere, vt parentibus ſuccurrant. ibid.

Filius Profeſſus non egrediendo ex clauſtro vt modis ſtatum ſuum Religioſum & profeſſionem decentibus, parentibus ſubueniat, tenetur priùs petere licentiam à ſuo Superiore, niſi omnino certus ſit fore vt ſibi denegetur, & poſtea nequeat tanta facilitate, & ſecuritate parentibus indigentibus proſpicere. ibid.12

Quando verò eſt dubium, an Superior licentiam ſubueniendi parentibus ſit ſubdito Profeſſo, modis ſtatum Religioſum decentibus denegaturus, tunc ſubditus poteſt ea vti non petita. ibid.

Quamuis filius ante Religionis ingreſſum fuiſſet ineptus ad ſubueniendum parentibus in neceſſitatibus conſtitutis, ſi in Religione didicerit artem, aut facultatem, qua illis ſubuenire poteſt, tenetur adhuc modis ſuo ſtatui aptis ei neceſſitati ſubuenire. ibid.13

Filius ſi graui parentum neceſſitati ſubuenire nequiret, niſi matrimonio adiutus vxoris dote, tenetur matrimonium contrahere. ibid.14

Similiter filius voto ſimplici caſtitatis, vel Religionis obſtrictus, ſi non poteſt parentibus ſubuenire, niſi vxorem ducat, tenetur eam ducere. ibid.

Voto tamen caſtitatis obſtrictus, ſi ad ſubueniendum parentibus vxorem duceret, ſi cum alia muliere commiſceretur, eſſet ſacrilegus, & matrimonio durante abſque diſpenſatione non poſſet petere debitum, bene tamen reddere poſt primum bimeſtre, nec eo ſoluto poſſet aliud matrimonium inire: & ſi eſſet voto Religionis ligatus, ſoluto matrimonio teneretur ad Religionem tranſire. ibid.

Etiam quando parentum grauis neceſſitas ſubſequitur ingreſſum, & profeſſionem filij in Religione, tenetur filius modis ſtatum Religioſum, & profeſſionem decentibus ſubuenire parentibus. a.277.15

Si filius ex ingreſſu Religionis efficitur impotens ad ſubueniendum parentibus in neceſſitate graui conſtitutis, ſi Monaſterium ſucceſſit in bona ingredientis, tenetur alimenta eius parentibus ſubminiſtrare. ibid.16

Vouentes, vel ingredientes Religionem, habentes fratres, vel ſorores in graui neceſſitate.

Qui habent fratres, & ſorores, nepotes, & alios ſimili graui egeſtate laborantes, poſſunt ingredi Religionem, nec tenentur talem ingreſſum differre, etiamſi voto Religionis non ſint obſtricti. ibid.1

Fratres qui habent ſorores periculo impudicitiæ expoſitas, ſi ab ipſis dimittantur, non poſſunt ingredi Religionem. ibid.

Frater vouens Religionem, ſi tempus præfixum voto non ſit, & poteſt differre ingreſſum aliquo tempore, ſi habet alios fratres in graui neceſſitate conſtitutos, quamuis non teneatur, non eſt commoda opportunitas ingrediendi. ibid.

Et ſi voto tempus præfixum ſit illúdque accedat, poteſt ingreſſus differri ratione magnæ ſororum neceſſitatis, quando impudicitiæ periculum eſſet ratione paupertatis: at citra id periculum, aut ratione ſubueniendi fratribus, aut aliis fœminis conſanguineis patientibus idem periculum, non videtur ingreſſus vltra tempus præfixum differendus. ibid.

Ad differendum votum ingreſſus, cui eſt præfixum tempus, eſſet iuſta diſpenſandi cauſa ſororum grauis neceſſitas, quamuis in illis id impudicitiæ periculum non eſſet, & vrgens, & fratrum neceſſitas, cui ſolus alter frater ſuccurrere poſſet. ibid.2

Vouentes ingreſſum Religionis, habentes filios paruulos.

Parentes multo minus poſſunt deſerere filios paruulos ſi in magna neceſſitate ſint, & paterna indigeant cura, & ingredi Religionem, etiamſi Religionis votum emiſerint. a.278.3

Parentes ſi omiſſa filiorum cura iniquè ad Religionem migrarent, valeret quidem eorum profeſſio, nec iam Profeſſi, tenerentur Conuentu egredi ad eis ſubueniendum, ſed ſalua obedientia, & ſui ſtatus decentia, illorum neceſſitati ſubuenire. ibid.

Aui, & proaui, quando deſcendentes filij parentibus carent, non poſſunt ſimiliter deſertis deſcendentibus ſi in magna neceſſitate cõſtitutis tum educationis, tum ſuſtentationis, ingredi Religionem, etiam ſi votum Religionis emiſerint, & iniquè ſi ingrediantur, & ibi profiterentur, valida eſt quidem eorum profeſſio, ſalua tamen obedientia, & ſui ſtatus decentia, modis eis aptis tenerentur illis deſertis deſcendentibus proſpicere. ibid.2

Votum caſtitatis, vel Religionis emittentes, & poſtea rem habentes cum virgine, vel alia muliere ſub ſpe futuri matrimonij.

Qui vouerat Religionem, ſi poſtea puellam, ſub promiſſione vera, vel ficta deflorauit, tenetur eam ducere, ſi ipſa votum eius omnino ignorauit, & recuſet omnem aliam ſatisfactionem. a.278.5

Puella illa deflorata ſub promiſſione vera, vel ficta matrimonij, non tenetur admittere aliquam compenſationem a.279.2

Habens

Habens votum caſtiratis, vel Religionis, ſi poſtea deflorauit virginem ſub promiſſione matrimonij, tenetur quidem ducere puellam ſtupratam, cui grauem iniuriam irrogauit, non tamen videtur neceſſarium, quòd priùs impetret voti antè emiſſi diſpenſationē. ibid.3

Obſtrictus voto caſtiratis, vel Religionis, ſi poſtea cum vidua bonæ famæ ſub promiſſione futuri matrimonij rem habet, non poteſt ingredi Religionem, nec ob votum caſtitatis à promiſſione futuri matrimonij recedere, ſed tenetur eam ducere, ſi aliàs vidua illa honeſta, nec infimæ ſortis, notabilem famæ iacturam faceret. ibid.4

Qui priùs votum Religionis, aut caſtitatis emiſit, ſi poſtea deſponſauit ſibi puellam de futuro, quamuis non intercesserit inter eos copula, ſed magna familiaritas, quæ mouet inter vicinos magnam ſuſpicionem copulæ, itaut abſque notabili infamia puellæ non poſſit recedere à contractu ſponſalium, non poteſt ingredi Religionem, nec arcere ſe ob votum caſtitatis priùs emiſſum à matrimonio ineundo, ſed tenetur talem puellam ducere. ibid.5

Si puella, vel vidua illa ſciuit votum promittentis, ſi iſte illam deflorauit, vel viduam dehoneſtauit, ſub promiſſione futuri matrimonij, promittens non tenetur eam ducere, ſed potiùs tenetur votum Religionis priùs emiſſum implere. ibid.6

Si puella vi, vel dolo fuit deflorata, vel precibus importunis violentiæ æquipollentibus, & corruptor vt huic iniuriæ ſatisfaciat, ſponte promittat ei matrimonium, tunc tenetur ſtare promiſſis, nec poteſt illa inuita Religionem intrare, etiamſi voto ad illam capeſſendam, ſe priùs obſtrinxiſſet. ibid.7

Si puellæ dicenti ſe virginem obſtrictus voto Religionis promiſit nuptias, vt ea potiretur, & poſtea deprehendit non eſſe virginem, non tenebitur ſtare promiſſis, & licitè intrare poterit Religionem. ibid.8

Si puellam ſub promiſſione futuri matrimonij quis voto obſtrictus caſtitatis, vel Religionis, deflorauit, ſi illam poſtea contingat cum alio fornicari, non tenetur eam ducere, ſed tenetur ingredi Religionem, vel ſuum votum caſtitatis ſeruare. 2.280.9

Si promittens futurum matrimonium exiſtimabat puellam eſſe virginem, & poſtea comperiat non eſſe, non tenetur eam ducere: tenebitur tamen vir in hoc caſu reſtituere aliquid ratione copulæ. ibid.10

Contrahens tamen matrimonium de præſenti, licèt erret circa qualitatem perſonæ, puta ſi quis contrahat cum Berta ſimulante ſe ſanam, cùm leproſa ſit, aut ſimulante ſe virginem, cùm corrupta ſit: aut putans illam eſſe ſanam, cùm ſit leproſa, aut putans illam virginem, cùm corrupta ſit, validum eſt matrimonium. ibid.11

Si verò contrahens de præſenti cum Berta actualem habeat intentionem non accipiendi illam in vxorem, niſi ſana ſit, aut niſi ſit virgo, & illa aliàs non eſt ſana, ſed leproſa, nec virgo, ſed corrupta, tunc irritum eſt matrimonium, ſiue verbis exprimatur hæc conditio, ſiue mente contrahentis retenta ſit. ibid.

Voto Religionis adſtrictus, ſi vxorem duxit, & intra bimeſtre non conſummauit, poteſt adhuc ingredi Religionem. ibid.12

Vouentes aliquid indeterminatè, vel aliquid, quod poteſt habere aliquam æquiuocationem, aut dubium.

Cùm aliquid omnino indeterminatum quis Deo vouet, itaut ex circumſtantiis colligi non poſſit quid, aut quantum promiſſum ſit, ſi de obligationis ſubſtantia, ac animo ſe obligandi conſtet, id votum eſt validum, quantitáſque, & qualitas huius voti determinanda eſt arbitrio prudentis viri, conſideratis perſonarum, & cauſæ promittendi circumſtantiis. 2.281.1

Qui vouit dare alicui Eccleſiæ, vel pauperibus annuatim menſuram frumenti, non explicando quam, vel cuius quantitatis, nec conſtare poteſt, quam determinauerit vouendo, ſatisfacit voto data minima menſura, minimæque quantitatis. ibid.2

Promittens dare calicem Eccleſiæ, non ſatisfacit dando ex minima materia, nempe ærea, vel lignea, ſed tenetur dare argenteum, vel aureum. ibid.3

Quando ex intentione vouentis, vel ex verbis, quibus emiſſum eſt votum, comprehendi non poteſt, quidnam ſit, de quo votum emiſerit, liberum eſt illi ex his, de quibus dubitat, eligere quod maluerit. ibid.4

Vouens abſolutè caſtitatem, non ſatisfacit ſola caſtitate coniugali, quæ caſtitas etiam dicitur, & eſt minima, ſed tenetur ad omnimodam caſtitatem. ibid.5

Vouens dare pauperibus eleemoſynam, nulla ſignata quantitate, ſatisfacit erogata quacunque minima eleemoſyna. ibid.6

Præcedens immediatum aſſertum intelligitur quando prudentis arbitrio, ad quem in ſimilibus caſibus confugiendum eſt, conſideratis circumſtantiis perſonæ vouentis, & cauſæ, & operis ad quod promiſit, explicari non poſſit quæ quantitas præſumpta voueatur. ibid.

Vouens recitare aliquam orationem indeterminatè, ſatisfacit ſuo voto, ſemel aliqua quauis oratione recitata, vt Angelica, quando prudentis arbitrio attentis circumſtantiis perſonæ, cauſæ, & operis, ad quod promiſit, non cenſetur maior quantitas promiſſa. Et ſimiliter vouens recitare Roſarium, ſatisfacit recitata tertia illius parte, quæ verè Roſarium eſt, & eſt minima pars ſub voto incluſa. ibid.7.

Similiter vouens ieiunare, non determinans dierum numerum, ſatisfacit vnico ieiunio, quod eſt minimum ſub eo voto comprehenſum. 2.281.8

Similiter vouens plura ieiunia, aut aliquot ieiunia, ſeu aliquot, ſeu pluribus diebus ſe ieiunaturum, aut recitaturum, & ſic de ſimilibus, nec certum numerum determinauit, ſatisfaciet duabus diebus ieiunando, aut recitando. ibid.

Vouens ſe ieiunaturum diebus Veneris, aut alia die hebdomadæ, aut diebus Veneris, vel Sabbati anni, ſi neſcit diſcernere, an in tempus determinatum, an potiùs in perpetuum vouerit, tunc profeſſio eſt pro communi verborum intellectu perpetuitatem quandam denotantium, dum de contraria vouentis intentione non conſtat: votum igitur ſic vouentis cenſetur perpetuum. ibid 9

Qui dubitat an votum vouerit, an non, ad illud obſeruandum non tenetur, ſi poſt ſufficientem adhibitam diligentiam ſciendi veritatem adhuc remanet anceps, & dubius vtrùm emiſerit votum, nec poteſt iudicium ferre, quòd emiſerit illud. ibid.10

Qui vouit peregrinari, nec determinauit in voto an pedeſter, vel equeſter peregrinaturus ſit, poteſt equeſter peregrinari. ibid.12

Puer, vel puella anceps an dum votum emiſit vſum rationis habuerit, ſi dum vouit ſeptennium compleuerat, votum valebit. ibid.13

Puer certus de voto, dubius autem an ſeptennium compleuerat, tunc votum valere mihi videtur. ibid.

Septennio completo incipit communiter vſus rationis, & libertas: ſufficit tamen ſi vltima ſeptennij dies non ſit completa, ſed incepta, vt ſponſalia ſint valida: vna tamen die deficiente, verè non diceretur ſeptennium completum, ſed inceptum, Metaphyſicè loquendo; moraliter tamen dicitur ſeptennium completum, etiam ſi duo, vel tres dies deficiant. ibid. 14

Intentio requiſita ad adimplendum Votum, vel aliquam obligationem ex Voto, aut ex præcepto.

Voto obſtrictus dicendi, e.g. ſingulis diebus Roſarium, ſatisfacit ſuæ obligationi exequendo ſibi per votum iniunctum Roſarium, etiamſi non habuerit intentionem & voluntatem ſatisfaciendi voto per id opus. 2.283.1

Fateri etiam debemus, quòd quamuis ad cuiuſcumque præcepti impletionem exigatur intentio, & voluntas exequendi operis iniuncti per præceptum, v.g. audiendi Sacrum, non tamen exigitur intentio & voluntas actualis ſatisfaciendi præcepto per id opus quod exequimur. ibid. 2

Qui præcepti immemor, aut ignorans eſſe diem feſtum, audit Sacrum, verè ſatisfacit præcepto, nec eſt neceſſarium, vt poſtea cùm illud præceptum nouit, ſatisfacere per illud opus velit. 2.284.3

Idem dicendum eſt de voto, iuramento, & pœnitentia ſacramentali. ibid. 4

Non ſatisfacit voto, præcepto, vel pœnitentiæ ſacramentali ſibi iniunctæ, qui non ſui compos exiſtens, ſed ebrius, aut dormiens illa adimplet. ibid. 5

Qui omnino inuitus votum adimplet ſuæ obligationi nõ ſatisfacit, ſed tenetur iterũ illud adimplere. ibid. 6

Qui omnino inuitus debitum ſuo creditori, puta debitum centum aureorum, ſoluere cogeretur, quamuis non teneretur iterum ſoluere, exteriùs enim iuſtitiæ præceptum impleret: interiùs tamen peccat mortaliter coram Deo contra iuſtitiæ præceptum. ibid. 7

Metu quantumuis graui, adimplens votum, iuramentum, ſacramentalem pœnitentiam, aut quoduis aliud præceptum, eis ſatisfacit, quamuis peccet voluntatem non adimplendi habens, ſi in ſua omnimoda libertate eſſet. ibid. 8

Famuli qui quaſi coacti gratia comitandi herum interſunt Sacro, aliàs non audituri ſatisfaciunt præcepto audiendi Miſſam, ita ut ampliùs audire non teneantur, ſi attentione requiſita audiant Sacrum, quamuis dum audiunt actualem non audiendi voluntatem habeant, niſi ratione heri. ibid. 9

Peccarent tamen hi lethaliter ſi actualiter haberent conditionalem intentionem non audiendi Sacrum, niſi herum comitarentur, niſi pater, vel mater præcepiſſet, niſi præceptor dixiſſet. ibid.

Voto obſtrictus ſingulis diebus audiendi Sacrum, vel ſi ad id teneretur ex pœnitentia ſacramentali, ſibi à Confeſſario iniuncta, ſi in templo eſſet gratia contemplandi Diuina, & caſu tunc fieret Sacrum, cui in ea meditatione perſiſtens aſſiſteret non habens animum illius Sacri audiendi, tunc eo Sacro non ſatisfaceret voto, vel pœnitentiæ iniunctæ audiendi Sacrum, ſed iterum audire teneretur, ſi voto, vel pœnitentiæ iniunctæ ſatisfacere vellet. 2.285.10

Recitans horas Canonicas non animo orandi, aut dicendi, & recitandi diuinum Officium, ſed intentione legendi, aut Pſalmos addiſcendi, etiamſi attentiſſimè legat vt addiſcat, non ſatisfacit præcepto recitandi horas precarias, ſed tenetur vt ſatisfaciat hoc animo, recitandi ſcilicet, & diſcendi diuinum Officium, iterum eas recitare. ibid. 11

Qui omnino inuitus impleret præceptum Superioris latum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, maneret ſine dubio excommunicatus. ibid. 12

Quando præcepto Eccleſiaſtico ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Chriſti fidelibus præcipitur, vt ſoluant decimas, vel aliis ciuilibus debitis obſtricto mandatur ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, vt ſoluat debitum, hi etſi inuiti omnino ſoluerent, non incurrerent excommunicationem. ibid. 13

Debens ſuo creditori centum, ſatisfacit huic debito ſi debiti prorſus immemor animo liberali tantumdem ei donet. ibid. 14

Similiter obnoxius reſtitutioni incertorum pauperibus, poteſt omnes eleemoſynas, quas poſtea ignarus, aut illius obligationis immemor ex ſua deuotione largitus eſt, computare in eius reſtitutionis partem. ibid.

Satis etiam probabile eſt per donationem acceptatam vt donationem, non ſatisfieri debito iuſtitiæ. ibid.

Exequens opus, ad quod ex voto, vel ex pœnitentia ſacramentali ſibi iniuncta tenebatur, ſi expreſsè ſtatuit ſe nolle voto, aut pœnitentiæ ſacramentali per illud opus impletum ſatisfacere, verè voti obligationi, aut pœnitentiæ ſacramentali non ſatisfacit, ac proinde tenetur iterum opus ſibi impoſitum per votum, aut per pœnitentiam ſacramentalem iniunctum adimplere. 2.268.15

Similiter quando expreſſim adeſt voluntas & intentio non ſatisfaciendi alicui præcepto per opus impletum ad quod ex præcepto tenetur, verè ei non ſatisfit. ibid. 16

Implens votum, vel præceptum cum expreſſa intentione non ſatisfaciendi illi, ſi non habet voluntatem & intentionem iterum illud adimplendi, v.g. audiendo aliud Sacrum, vel recitando aliud Roſarium intra tempus obligationis voti, vel præcepti, peccat lethaliter. ibid. 17

Satis etiam eſt probabile, quòd qui habet expreſſam voluntatem, & intentionem non ſatisfaciendi voto, vel præcepto per opus impletum, ad quod tenetur ex voto, vel præcepto, adhuc eis ſatisfacit. ibid. 18

Qui manè Officium diuinum recitaret, nolens tunc præcepto ſatisfacere, ſed omnino poſtea iterum dicendi ad ſatisfaciendum, non tenetur iterum ſub obligatione præcepti recitare ſi ſit in Sacris, vel beneficiarius, cùm ſatisfecerit penſo dicendi horas precarias. ibid. 19

Exequens opus, ad quod tenebatur ex voto, vel ex præcepto, cũ expreſſa intentione non ſatisfaciendi voto, vel præcepto, vt ſatisfaciat voto, vel præcepto, requiritur quòd tempore opportuno, id eſt, intra tempus obligationis voti, vel præcepti reuocet animum non implendi votum, vel præceptum, & ita cupiat opere illo præterito ſatisfeciſſe obligationi. 2.287.20

Probabiliter etiam aſſerimus hanc voluntatis mutationem non deſiderari, vt votum, vel præceptum per illud opus præteritum impleatur, ſed ſatis eſſe, vt ſatisfiat voto, vel præcepto, per opus præteritum, vt exequens illud opus ſi credat ſe voto, vel præcepto non ſatisfeciſſe, hanc conſcientiam erroneam deponat, ſciens ſe ſatisfeciſſe, etiam ſi nullam intentionem ſatisfaciendi habeat per opus præteritum. ibid.

Exequens opus ad quod tenetur ex voto cum actuali intentione non ſatisfaciendi ſuo voto, puta ſi recitat Roſarium, ad quod recitandum obſtringitur ex voto, ſine intentione actuali ſatisfaciendi illi, ſi habuit intentionem recitandi aliud Roſarium, quo votum ſuum impleret intra tempus obligationis ſui voti, tunc nullatenus peccauit habendo intentionem

nem priori tecitato Roſatio non ſatisfaciendi, dummodo aliud Roſarium intra tempus obligationis tecitare poſſit, nec tenetur poſtea mutate inteutionem intendendo ſuo voto ſatisfacere priore illo Ruſario recitato, ſed ſatis eſt ſi ſe ſatisfeciſſe ſciat priore illo Roſatio dicto, non obſtante contraria ſua voluntate. ibid.51

Exequens opus ad quod tenetur ex voto, vel ex præcepto, cum intentione non ſatisfaciendi illis ſi habet voluntatem iterum illud opus oon adimplendi intta tempus obligationis voti, vel præcepti, peccabit mortalitet non contra votum emiſſum, vel illud præceptum ſpeciale, ad quod tenebatur. ibid.

Ex ſupradictis aſſertionibus deducitur, quòd ſi quis intetrumpat Officium diuinum animo repetendi iam lecta, quia non ea deuotione, qua vellet, recitauit, ſatisfacit penſo recitandi hotas precarias, ſi puſtea non repetat iam tecitata, ſed ſolùm ſeqnentia adiungat, ſufficit enim vt muter propoſitum, & adiungat cætera. 2.287.52

Recitans precatiooem hotatiam, ſi ab initio non habuit animum ſatisfaciendi, ſi illam intermittit animu iternm repetendi, ſatis eſt probabile quòd ſatisfaciat præcepto dicendi diuinum Officium, continuando poſtea iam lectum, & quod intermiſſum eſt proſequendo. ibid.

Per opus qnod eſt peccatum poteſt votum impleri. ibid.23

Adimpleret præceptnm ieiunij, qui formam ieiunij ſeruaret abſtinendo à catnibus ſemel in die & hora cōpetenti comedendo, licèt lautè, & delitloſè comedat, & in ſtatu peccati mortalis ieiunet, itaut nec opus ſatisfactorium, nec meriturinm ſit illnd ieiunium, & tamen finem præcepti, qui eſt fame carnem affligere, non ſeruat. 2.288.24

Pœnirentia ſactamentalis exhibita in ſtatn peccati mortalis, & ob inanem gloriam, ſufficit ad integritátem ſacramenti, & adimplendam obligationem à Confeſſote impoſitam. ibid.25

Licèt quando modus non eſt de intrinſeca ratione præcepti, adimpleatur præceptum adimplero opere quod præcipitur, non adimpleto modo: tamen quando modus eſt de intrinſeca ratiooe actus præcepti, non adimpletut præceptum adimpleto opere, quod præcipitur, niſi ſimul & modus intrinſecus adimpleatur. ibid.26

Recitantes diuinum Officium ex Voto, vel ex præcepto.

Qui ex voto, vel iuramento tenetur ad tecitandum ſacratiſſimum Roſarium ſponte diſtractus, non ſatisfacit voto, vel iuramento, etiamſi animo otandi illud perſolnat. ibid.1

Eccleſia vim, & poteſtatem habet ſupra actus externos etiam occultiſſimos. ibid.2

Quando præceptum Eccleſiæ eſt conuentio quædam, vim, & poteſtatem habet in actus internos, non quidem quatenus præceptum humanum, ſed quatenus habet conuentionis naturam: vnde Eccleſia potuit præcipere, vt is qui ad beneficium curatum aſſumitur, ad Sacerdotium intra annum promoueatur, quod ſi noluerit, eo ipſo collatio beneficij ſit irrita. ibid.3

Eccleſia huc ipſo, quòd præcipit, aut vetat aliquid extrinſecum, ſimul etiam imperat, aut prohiber actum internum, qui tequiritur, vt actus externus ſit humanus. v.g. præcipit Eccleſia ieionia, vel ſacramentalem confeſſionem ſemel in anno, eo ipſo imperat vt velimus ieiunare, aut ſemel in anno confiteri. 2.289.4

Eccleſia poteſt præcipere, vel prohibere ne actus externi fiant hoc, vel illo fine, nimitum odio, ira, timore, vel quocunque alio humano affectu, & tunc directè, ſimpliciter & per ſe præcipit actus exteriores; ex accidenti verò præcipit, vel prohibet actus interiores. ibid.

Actus mentis ſimpliciter internos Eccleſia non poteſt præcipere, vel prohibere. ibid.5

Religioſus non tenetur obedire ſuo Prælato per ſe in actibus intetioribus, & in his quæ ſimpliciter ſpectant ad interiorem motum voluntatis. ibid.6

Bene tamen Prælatus per accidens, in quantum interior motus voluntatis coniungitur cum actibus exterioribus, poteſt præcipere, atque iudicare de actibus interioribus. ibid.

Qui ad Horas Canonicas perſoluendas compelluntur, tenentur eas ſtudioſè, attentè, & deuotè interiore animi attentione, & deuotione recitare. ibid.7

Operantes opera, ad quæ ex duplici Voto, vel ex Voto, & alio titulo obligationis tenentur.

Prælatus poteſt Religioſis ſibi ſubditis præcipere, vt quas celebrant Miſſas, pro eius intentione offerant. 2.290.2

Qui ex voto, & pœnitentia ſibi impoſita à Confeſſario tenetur Roſarium B. V. recitare, ſi ſemel circulum B. V. teciter animo adimplendæ pœnitentiæ, non ſatisfacit obligationi voti. Idem dicendum de eo, qui domum Lauretanam B. Virginis ex voto, & ex pœnitentia ſibi à Sacerdote iniuncta viſitare tenetur. ibid.2

Qui ex voto, & pœnitentia tenetur duas Miſſas audire, aut bis ieiunare, putans ſe vnica Miſſa, vel vnico ieiunio ſatisfacere vtrique obligationi, aut nihil cogitans de obligationibus, ſatisfacit obligationi voti ſemel audiendo Miſſam, aut ſemel ieiunando. ibid.3

Conſequenter, qui ex præcepto Eccleſiæ ex voto, & ex pœnitentia tenetur Miſſam audire, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ vnicam Miſſam audiendo, ſi non decreuit cuinam obligationi velit ſatisfacere, aut ſi decreuit omnibus obligationibus ſatisfacere. ibid.4

Si quis pluribus votis, ſeu præceptis æqualibus teneatur ſæpiùs ad rem indiuiſibilem, vt ad ieiunium, aut Miſsā, & putet ſe omnibus illis obligationibus ſatisfacere poſſe ſemel ieiunando, aut Miſſam audiendo, vel ſi nihil cogitauit de obligationibus ſemel ieiunet, aut Miſſam audiat, liber remanet ab vna obligatione, vel ſatisfacit vni ex illis obligationibus quæcunque illa ſit. ibid.5

Qui multis titulis præſtare debet opus diuiſibile, vt ſi ex voto, & ex pœnitentia debeat centum aureos titulo eleemoſynæ in pauperes diſtribuere, ſemel pro voto, & alia vice pro pœnitentia ſibi iniuncta, ſi dando centum aureos in eleemoſynam, decreuit vni ex illis obligationibus ſatisfacere, puta voto, vel pœnitentiæ illi ſatisfacit: ſi verò decreuit illis duabus obligationibus ſatisfacere, ſemel erogando centum aureos pauperibus, ſatisfacit vtrique obligationi pro rata, manente adhuc onere adimplendi aliam vtriuſque obligationis partem. 2.291.6

Qui ſæpiùs ad rem diuiſibilem tenetur, puta ad eleemoſynam erogandam pauperibus decem aureorum, & ex voto, & ex iuramento, vnica ſcil. traditione decem aureorum in eleemoſynam, ſi non decreuit cui obligationi ſatisfacere velit, ſatisfacit obligationi ex voto. ibid.

Si obligationes ſunt æquales, vt quando quis ex pluribus votis, ſeu præceptis æqualibus, tenetur pluries vnum aureum pauperibus tradere, non intendens

cuinam voto, vel præcepto velit ſatisfacere, ſi ſemel autem ſoluit pauperibus, cenſetur pro rata illis æqualibus obligationibus ſatisfacere. ibid.

Qui ex voto nuncuparo duplicem Miſſam audire tenetur, poteſt eas ſimul audire, dum eæ ſimul in duplici Altari celebrantur, quando Altaria ita eſſent coniuncta, vt verè diceretur audiens eſſe præſens moraliter illis. ibid.7

Vnico actu poſſumus diuerſis præceptis ſatisfacere, v.g. vnico ieiunio poſſumus voto ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, & pœnitentiæ ſacramentali, vt ſi ieiunium quadrageſimale voueam, ac mihi imponatur in pœnitentiam. ibid.8

Omittens opus duplici præcepto, & titulo debitum, vt ſi omittatur ieiunium quadrageſimale, ad quod quis ex voto, & ex præcepto Eccleſiæ tenetur, committit duplex peccatum. ibid.9

Omittens tamen Miſſam in die feſto incidente in Dominicam, vel ieiunium Vigiliæ incidentis in Quadrageſimam, vnum committit peccatum. ibid.10

Obſtrictus ex voto ad audiendam Miſſam aliquo ſignato die, puta die Veneris, poteſt vno, & eodem tempore ſatisfacere obligationi voti, & diuinum Officium perſoluere, ad quod tenetur ex Ordine ſacro, vel ex beneficio, & ſic eodem tempore diuerſis actibus, duobus ſatisfacere præceptis. ibid.11

Qui vouit dicere Roſarium Beatiſſimæ Virginis, non ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi illud ſola mente recitet. 2.292.12

Cum interruptione exequentes opera, ad quæ tenentur ex Voto, vel alia obligatione.

Qui tenetur ex voto, vel pœnitentia recitare calculos virgineos, ſeu Coronam Virginis, ſatisfacit dicendo ſaltem vnico contextu ſingulas decades, ſeu decenas, omittendo alias in aliud tempus, ſicut contingit in ſingulis horis Canonicis. ibid.1

Obſtrictus voto recitandi ſacrum Roſarium B.V. ſatisfacit voto, facta etiam interruptione in ipſiſmet decenis. ibid.

Recitans diuinum Officium cum interruptione, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, quoad ſubſtantiam, ſiue ad longum, ſiue ad breue tempus interrumpat: quare interrumpens horam in medio, vel etiam Pſalmum, ſatisfacit ſuæ obligationi, modò poſtea reliquam partem abſoluat, etiam ſi priùs partem dictam non repetat. ibid.2

Interruptio Roſarij, Coronæ, aliarúmque orationum ex voto, vel Confeſſarij præcepto debitarum, & etiam ipſius diuini Officij ex præcepto Eccleſiæ debiti, abſque iuſta cauſa, etiam ſi duret per vnam, vel duas horas, non eſt peccatum mortale, nec eſt repetendum quod antea recitatum eſt. 2.293.4

Interruptio orationum ex voto, vel præcepto Confeſſarij debitarum, vel diuini Officij, non caret culpa veniali ſi abſque iuſta cauſa contingat. ibid.

Interruptio verò Roſarij, Coronæ, aliarúmque orationum ex voto, iuramento, vel ex præcepto Confeſſoris debitarum, & ipſius etiam diuini Officij ex iuſta cauſa, nullum eſt peccatum. ibid.

Cauſa iuſta, & rationabilis interrumpendi obligationes ex voto, iuramento, ex præcepto Confeſſoris, vel Eccleſiaſtico excuſans à peccato etiam veniali, cenſetur opus aliquod ſaluti, honori, famæ, aut aliis bonis noſtris, vel proximorum neceſſarium. ibid.

Recitans ſacrum Roſarium, vel Coronam, vel horas precarias ſolùm ex deuotione, ſi has preces recitet ſine attentione, peccat venialiter. ibid.5

Qui tamen aliquem Pſalmum, vel Hymnum dicit, non animo orandi, ſed vt mentem abſtrahat à moleſtis cogitationibus, vel vt memoriæ mandet, vel vt alium doceat modum recitandi diuinum Officium, vel vt ſe recreet, hic non peccat ſi ſine attentione recitet. ibid.6

Qui ex Officio, vel mandato Superioris detinentur in pulſandis organis, vel transferendis libris ex vna parte ad aliam, vel in thure præbendo, non tenentur per ſeipſos illam partem recitare, quæ ab aliis perſoluitur. ibid.7

Probabiliter etiam dici poteſt hos ſatisfacere quidem aſſiſtentiæ, & obligationi Chori, conſequenter poſſe diſtributiones accipere, non verò ſatisfacere obligationi diuini Officij, niſi illud poſtea priuatim recitent, vel ſaltem niſi attendant ad ea, quæ interim recitantur. ibid.

Modus quo diuinum Officium recitandum eſt dum quis ad illud recitandum ex Voto, vel ex præcepto tenetur.

Recitans ſacrum Roſarium, ad quod recitandum tenetur ex voto, ſimiliter priuatim perſoluens diuinum Officium obſtrictus ex præcepto Eccleſiæ, non eſt neceſſe, vt ſuæ obligationi ſatisfaciat, vt ita verba proferat vt ſe ipſum audiat, ſed ſufficit vt omnia verba diſtinctè proferat, ſiue ſeipſum audiat, ſiue non. ibid.1

Recitans tamen diuinum Officium cum ſocio, ita diſtinctè verba proferre debet, vt audiatur à ſocio, ſi hic aliqua obligatione tenetur ad recitandum diuinum Officium. 2.294.2

Perſoluens penſum diuini Officij, ſi ſocius, cum quo recitat, non tenetur hoc onere, ſatisfacit obligationi de dicendis horis Canonicis, etiam ſi non audiatur à ſocio, ſed ſufficit, vt omnia verba partis, quam ipſe recitat, diſtinctè proferat, ſiue ſe ipſum audiat, ſiue non; aliam verò partem ſocij recitantis audiat. ibid.

Exiſtens in Choro, qui ſubmiſſa voce recitat ſuos verſiculos, & audit ſocios canentes ſuam partem, ſatisfacit obligationi diuini Officij, nec illud iterum dicere tenetur. ibid.3

Qui ſuos verſiculos ſubmiſſa voce recitat in Choro, & alios alterius Chori attentè audit, non ſatisfacit debito ſeruitio Chori, quamuis obligationi diuini Officij recitandi ſatisfaciat, nec Officium repetere teneatur. ibid.

Modus, quo opera debita ex Voto, vel ex præcepto, exequi debent.

Qui ex voto tenetur ſacrum Roſarium recitare, vel horas Canonicas ex præcepto Eccleſiaſtico perſoluere, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi recitet Roſarium, vel horas Canonicas dum ſe veſtit, manus lauat, vel ſpoliat, vel ambulat, vel dum campum aſpicit. ibid.1

Recitans ex voto Coronam Beatiſſimæ Virginis, vel preces horarias ex præcepto Eccleſiæ, voluntariè, & aduertenter occupans ſe in aliqua re incompoſſibili cum attentione interna, vt ſi inter recitandum ſcribat, vel depingat, aut aliud legat, tunc non ſatisfacit præcepto, ſed iterum recitare tenetur ſub mortali, vt voto, vel præcepto Eccleſiæ ſatisfaciat. 2.295.init.

Qui recitat Roſarium, ad quod tenetur ex voto, vel diuinum Officium ex præcepto Eccleſiæ, ſi voluntariè & inaduertenter detinetur in aliqua re incompoſſibili

Digitized by Google

bili cum attentione requiſita, ſatiſfacit voto, vel præcepto Eccleſiæ. ibid.

Recitans orationes ex voto, vel præcepto, ſine attentione voluntaria interna, ſi habet propoſitum actuale iterum eaſdem orationes dicendi, talis ſine dubio tenetur eaſdem orationes iterum perſoluere, quamuis in eo quòd ſine attentione orauerit, non peccet mortaliter, ſed tantùm venialiter. ibid.2

Recitans horas Canonicas ex voto, vel præcepto, vel partem notabilem illarum cum diſtractione voluntaria, ſi habet propoſitum virtuale repetendi, & ſupplendi defectus, quia conſuetudinem habet repetendi, & ſupplendi, quæ ſine attentione recitauit, hic non grauiter peccat, ſed tantùm venialiter. ibid.

Recitans preces horarias ex voto, vel præcepto Eccleſiæ debitas, mente vltrò diſtracta, lethali peccato ſe ille commaculet, ſi non habet propoſitum formale, vel virtuale illas repetendi. ibid.3

Voluntariè, & mente vltrò diſtracta recitans orationem ex voto, vel ex præcepto Eccleſiæ debitam, cum animo ſatisfaciendi voto, vel præcepto Eccleſiæ per illam orationem, nec iterum eam recitandi, non ſolùm peccat mortaliter, quia non orat ſicut debet cum attentione interna, nec habet animum iterum legitimo modo orandi, ſed etiam tenetur iterum illam orationem perſoluere. ibid.

Qui Sacrum audire vouit, ſimiliter qui in die feſto tenetur audire Miſſam, non ſatisfacit voto, neque præcepto Eccleſiæ, ſi tempore Miſſæ vltrò, & voluntariè mente ſua negotia ſæcularia reuoluit. ibid.4

Eſt omnino improbabile fidelem quemlibet ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam feſtis diebus, ſi ſecundùm externum corporis habitum Miſſæ decenter interſit, licèt interna mente Deo, aut rebus diuinis non intendat. ibid.

Adimplet votum ſuum de audiendo Miſſam & præceptum Eccleſiæ audiendi Sacrum feſtis diebus, qui audit Miſſam dimidiam ab vno Sacerdote, & aliam dimidiam ab alio. v. g. Ingreditur quis Eccleſiam, & inuenit Miſſam in conſecratione hoſtiæ, & audit vſque ad finem, adimplet votum & præceptum ſaltem quantum ad ſubſtantiam, audiendo poſtea alteram Miſſam vſque ad illam partem. ibid.5

Qui audit Miſſam partim ab vno Sacerdote, & partim ab alio, adimplet quidem præceptum quoad ſubſtantiam, non tamen quoad modum, ideo non peccat mortaliter, bene verò venialiter, ſi ſine magna neceſſitate hoc faciat. ibid.

Ordo ſeruandus in recitando diuino Officio debito ex Voto, vel ex præcepto.

Qui ex voto, vel ex præcepto Eccleſiaſtico tenetur Horas precarias recitare, ſi non ſeruat illarum ordinem, recitando, e. g. primam ante Matutinum, aut Veſperas ante alias horas, peccat quidem venialiter dum hoc facit aduertenter, & ſine iuſta cauſa; non tamen peccat mortaliter, nec tenetur repetere, quia adimplet præceptum quoad ſubſtantiam: immo neque peccat venialiter, dum hoc facit ex iuſta cauſa, quia ordo, & modus cenſetur à Superiore præſcriptus ſub hac tacita conditione, niſi aliter poſtulet iuſta cauſa. ibid.1

Qui inuitatur ab amico, vel à Superiore ad recitandam Primam, cùm ipſe nondum recitauit Matutinum, poteſt licitè, & abſque culpa etiam veniali cum eo Primam recitare, recitando poſtea Matutinum. ibid

Idem dicendum ſi hoc fieret in adiutorium Chori: niſi præceſſiſſet negligentia, vel mora in dicendo quod Chorus dixit, tunc enim eſſet veniale. ibid.

Qui dum Tertiam recitat, recordatur ſe nondum recitaſſe Primam, vel Matutinum, poteſt Tertiam proſequi, cum intentione recitandi poſtea Matutinum, vel Primam, quoniam ordo Horarum non ſpectat ad ſubſtantiam præcepti de perſoluendo Officio diuino. ibid.

Non ſolùm recitans ex voto, vel ex præcepto Eccleſiaſtico Horas precarias, ſecluſo contemptu, & ſcandalo, peruertit ordinem Horarum Canonicarum, inter ſe non committit peccatum mortale, verùm etiamſi peruertit ordinem eiuſdem Horæ, non delinquit lethaliter. ibid.

Clericus, ſiue Religioſus tardè ad Chorum veniens, horâ iam cœpta, non ſolùm poteſt cum aliis cantando pergere, & poſtea quæ emiſſa ſunt, ſupplere, ſed etiam probabiliter dici poteſt, nihil ab eo ſupplendum eſſe, ſi non multum in Choro proceſſum eſt. 2.197.2

Qui dicendo Officium cum aliis in Choro ex aliqua neceſſitate, puta, quia oportuit illum alicui reſpondere, vel quærere librum, vel huiuſmodi, intermiſit Pſalmum, vel orationem, non tenetur illud reaſſumere, nec etiamſi ex negligentia emiſit, debet reaſſumere, ſed pœniteat, & expleto Officio ſuppleat omiſſum, ſi eſt quid notabile. ibid.3

Idem dicendum eſt, ſi recitans in Choro in aliqua parte dormiuit; ſi verò omiſſum eſt quid minimum, aliquid loco illius poterit recitare. ibid.

Quamuis qui in Choro aliquid omiſit, non debeat omiſſum repetere durante Officio in Choro, & illud poſſit reſeruare repetendum poſt expletum Officium, & ſi ſit pars exigua, & parua, aliquid loco illius poſſit recitare: tamen, ſi eſt quid notabile, ipſamet pars omiſſa debet repeti. ibid.

Si quis dictis Pſalmis matutinis non habet Breuiarium ad manum, in quo Lectiones recitare poſſit, vel eas ratione itineris, v. g. legere non poſſit, atque inſtat cauſa, ſiue neceſſitas aliqua exoluendi ſe penſo Horarum Canonicarum, permiſſum eſt ei Lectiones differre, & cætera, etiam Laudes perſoluere; & eadem multo magis eſt ratio, ſi commemoratio de feſto, vel aliquid ſimile, ad manum non ſit, ſupplendo poſtea omiſſum ſi aderit commuditas. ibid.4

Omiſſio diuini Officij, ad quod tenetur quis ex Voto, vel ex præcepto.

Qui tenetur ex voto, vel præcepto Eccleſiæ, ad preces Canonicas, ſi probabiliter credit ipſum integram aliquam Horam, etiam minimam, v. g. Tertiam, recitare poſſe, licèt alias Horas non poſſit, tenetur illam recitare. ibid.1

Obſtrictus ex voto, vel præcepto Eccleſiæ ad recitandum diuinum Officium, ſi alicuius Horæ, v. g. Matutini, vel Veſperarum, notabilem partem recitare non poteſt, omnino ab ea Hora excuſatur. ibid.

Si quis Breuiarum ſuum omiſit, & in Matutinis alicuius feriæ omnes Pſalmos memoriter ſciat, ſed tres Lectiones cum Reſponſoriis neſciat, obligatur ad Pſalmos recitandos. ibid.2

In Horis Canonicis minoribus pars notabilis dicitur totum principium vnà cum Pſalmo, vnde qui tenetur eas recitare ex voto, vel præcepto, omittens totum principium vnà cum Pſalmo aduertenter Primæ, vel Tertiæ, vel Sextæ, vel Nonæ, peccat lethaliter. 2.198.3

Medicta

Medietatem Horæ paruæ, uon verò tertiam partem, eſſe mareriam notabilem, aſſerunt aliqui Doctores. ibid.

Hoiam paruam eſſe materiam grauem, non verò tertiam partem, vel medietatem Huræ paruæ, docent aliqui Doctores non pœnitendi. ibid.

Certus de voto, vel iuramento dicendi Horas Canonicas, dubitans poſtea an illo die recitauerit poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, ſi adhuc eſt dubius an recitauerit, tenetur recitare. ibid.4

Qui ex voti obligatione, vel ex Eccleſiæ præcepto diuinum Officium recitauit, ſed dubitat an Pſalmum aliquem, Antiphonam, vel quid ſimile prætermiſerit, non tenetur Pſalmom illum, vel Antiphonam iterum recitare. ibid.

Similiter qui actorecitat diuinum Officium, & poſtea penitus obliuiſcitur id quod antea recitauerat, ampliùs repetere non debet, nec Pſalmum illum recitare, de quo dobitat an recitauerit. ibid.

Attentio requiſita ad implendum opus debitum ex Voto, vel ex præcepto.

Qui tenetur ex voto Roſarium Virginis recitare, & illud attentione actuali, vel virtuali incipir dicere, poſtea nihil aduertens bonam partem illius perſoluit auimo variis cogitationibus diſtracto, non tenetur illud repetere. a.299.1

Attentio quæ requiritur ad recitanda ea, qoæ ex voto, vel ex præcepro Eccleſiæ recitare teoemur, eſt triplex, ſuperficialis, litteralis, ac ſpiritualis, & vna ex iſtis ſufficit, vt attentè, & deuotè recitare dicamur. Superficialia attentio eſt ad verba, vt rectè & integrè proferantur: litteralis eſt ad verborum ſenſum, ſeu iotelligētiam: ſpiritualis eſt ad Deum, vt ſi dū lingua verba profert, ſpiritus pia meditatione alicuius myſterij circa Chriſti Domini humanitatem, paſſionem, vel rei poſtulandæ neceſſitatem occupetur, puta petendo caſtitatem, humilitatem, fidem, ſpem, diuinam amicitiam, cæleſtem patriam, & alia huiuſmodi. ibid.2

Triplex adhuc eſt attentio, actualis, virtualis, & habitualis. Actualis eſt illa, qoa quis actualiter attendit ad verba, vt rectè, & integrè proferantur, vel ad ſenſum verborum, vel ad piam meditationem Paſſionis Domini, vel diuinitatis. Virtualis illa dicitur, cùm quis initio orandi attendit ad verba vt integrè, & rectè proferantur, vel ad eorum ſenſum, vel ad piam aliquam meditationem, & virtute iſtius attentionis recitans proſequitur orationem, quamuis inter orandum inuoluntariè diſtrahatur. Attentio habitualis contingit dum quis recitat aliquid ex habitu & vſu, nihil ad illud aduertens, vel nulla præeedente aduertentia in principio. ibid.3

Attentio actualis, qua quis actualiter attendit ad verba, vt integrè, & rectè proferantur, vel ad ſenſum verborum, vel ad piam meditationem Paſſionis Chriſti Domini, vel Diuinitatis, eſt quidem ſufficientiſſima ad ſatisfaciendum voto recitandi aliquam orationem, vel præcepto perſoluendi penſum diuini Officij, quia eſt maxima attentio, non tamen eſt neceſſaria. ibid.4

Attentio virtualis, quando quis orationem, vel aliud opus aggreditur, attento animo illud perficiendi, licèt dum in oratione verſatur animum aliò conuertit, non tamen dedita opera, nec ex propoſito ad ſatisfaciendum voto, vel præcepto diuini Officij. ibid.5

Actoalis attentio durare dicitur iu proceſſu orationis, vel in proceſſu cœpti operis, niſi expreſsè, vel tacitè reuocetur: expreſsè reuocatur dum recitans, vel exequens opus expreſsè vult non attendere: tacitè reuocatur dum recitans, vel exequens opus aduertit ſe diſtractum, & nihilominus non repellit diſtractionem, nec reuocat mentem ad attentionem. ibid.6

Attenrio babitualis, qua quis recitat aliquid ex habitu, & vſu, nihil aduertens, non ſufficit ad ſatisfaciendum voto, vel præcepto de aliqua oratione dicenda. ibid.7

Atteotio in initio recitandi preces ex voto debitas, vel præcepto, oon requiritur quòd ſit formalis expreſſa & explicita, ſed ſufficit quòd ſit tacita, & implicita. ibid.8

Religioſus, vel Clericus, qui dum ſignum ad Officium diuinum datur ad Chorum, de more vadit, vel ſi priuatim recitat, accipit Breuiarium de more, etiamſi non expreſsè proponat Officium recitare attentè, & deuotè, ſatisfacit ſuæ obligationi ſic recitando diuinum Officium. 2.300.9

Requiſita ad ſatisfaciendum præcepto Miſſæ.

Sicut in precibus ex voto, vel præcepto Eccleſiæ debitis, tribua modis poſſumus attendere, vel ad verba, quæ dicimus, ne dicendo erremus, vel ad ſenſum verborum, vel ad Deum ipſum, qiem oramus, vel ad res diuinas, quas orando petimus, vel optamus. Ita dum quis Sacrum audit ex voto, vel ex præcepto Eccleſiæ, vt deuotè & attentè Miſſam audiat, poteſt attendere vel ea quæ dicit, aut facit Sacerdos, vel poteſt attendere ad Deum ipſum cui ſacrificium offertur, vel ad diuina arcana, quæ iu Miſſæ ſacrificio ſignificantur, vel ad diuina beueficia, quæ per Miſſæ ſacrificium conferuntur. ibid.1

Non ſatisfacit præcepto de audiendo Sacro qui notabiliter, pota per tertiam partem Miſſæ, confabulatur, nugatur, ridet, ludit. ibid.2

Satisfacit Chriſti fidelis præcepto audiendi Sacrum ſi tempore Miſſæ pro deuorione ſua vocaliter oret, ſiue recitet ea, quæ aliàs ex obligatione aliqua recitare tenetur, aut ratione Ordinis, aut beneficij, aut ex voto, aut ex pœnitentia iniuncta. ibid.3

Peccat mortaliter qui omittit partem notabilem Miſſæ, quando ex præcepto illam audire tenetur. communi omnium conſenſu pars notabilis cenſetur dimidia Miſſa, aut etiam tertia pars. a.301.4

Omittens à principio Miſſæ vſque ad Epiſtolam incluſiuè, non peccat lethaliter. ibid.

Qui prætermittit principium Miſſæ vſque ad Euaogelium, non ſatisfacit voto, vel præcepto de audiendo Sacro diebus feſtiuis, ſi poſtea partem illam omiſſam per ſe ipſum legat, vel ab alio attentè audiat. ibid.5

Non ſatisfacit præcepto Miſſæ qui non ioteresſt Sacro, dum fiunt tres partes ſubſtantiales Sacrificij, qoæ ſunt Conſecratio, Oblatio, & Conſumptio, etiamſi non dimittat tertiam partem Miſſæ: vt ſi qois audiat Miſſam vſque ad Conſecrationem excluſiuè, & tunc egrediatur ab Eccleſia, & poſtea poſt eleoationem hoſtiæ iterum reuertatur ad audiendam illam Miſſam. ibid.6

Qui Miſſam audit vſqne ad Commuuionem Sacerdotis excluſiuè, licèt poſtea reuertatur ad audiendum reliquam Miſſæ partem, non excuſatur à peccato lethali, ſi poſtea noo audit aliam. ibid.

Aſſiſtens ſacrificio Miſſæ, ſi præ nimia populi multitudine non videt Sacerdotem celebrantem, & longè diſtans à Sacerdote, illum non audit, ſatisfacit præcepto de audiendo Sacro, dummodo, moraliter loquendo, mente, & corpore interſit. ibid.7

Non ſatisfacit præcepto, vel voto de audienda Miſſa, qui Saerum duorum Sacerdotum media ex parte audit: vt ſi audiat Miſſam vnius Sacerdotis vſque ad Conſecrationem, & eodem tempore audiat Miſſam alterius Sacerdotis à Conſecratiooe vſque ad finem. ibid.8

Qui ioſeruiunt celebranti, quamuis aliquoties recedant pro afferendo libro, vino, thure, aut pro pulſatione cymbali, aut aliis ad Miſſam pertineotibus, cenſentur moraliter intereſſe Miſſæ, & ſatisfacere præcepto. 2.302.9

Qui coofitetur peccata ſua tempore Miſſæ, ad quam audiendam tenetur ex voto, vel ex præcepto Eccleſiæ, non ſatisfacit voto, vel præcepto. ibid.10

Qui longam nauigationem ſuſcipiunt, Miſſam quam *ſiccam* vocant, & quæ aliquando in nauigiis celebrari ſolet, non tenentur audire, & immunes ſunt à culpa, ſi eam diebus feſtiuis omiſerint. ibid.11

Si in die Paraſceues incideret feſtum Dominicæ Annuntiationis, in qua die nulla Miſſa celebratur, fideles ſi non aſſiſtunt ſacratiſſimæ illi ceremoniæ, in qua non conſecratur, nec offertur ſacrificium, ſed ſolùm hoſtia, quæ erat reſeruata, à Sacerdote conſumitur, non peccant contra præceptum audiendi Sacrum. ibid.12

Vide *Matrimonium*, rubr. *Impedimentum vis, ſeu metûs*, & rubr. *Impedimentum voti*.

Vulneratio.

Si quis lethaliter vulneret Caium, deinde Caio ex vulnere in lecto decumbente peccatum ſuum Sacerdoti ſacra confeſſione fateatur, poſtea verò Caius ob vulnus intereat, debet vulneraos de integro confiteri ſe hominem occidiſſe; nec ſatis ei eſt prius fuiſſe confeſſum, ſe lethaliter homini vulnus inflixiſſe. 1.309.7

In omnium opinione actus malus exterior proficiſcens voluntatis poteſtate, in ſacra confeſſione eſt explicandus. ibid.

Vxoridicium, vide Matrimonium, *rubr.* Impedimentum criminis.

F I N I S.

Ant. 174/4 c3

Digitized by Google

147.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

H 6.